BIBLIOTHECA
MAXIMA
PONTIFICIA
TOMVS X.



Arnoldo Van Westerhout fecit An. 1695. sup. pm.

BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA

IN QVA

Authores melioris notæ qui hactenus pro Sancta Romana Sede, tum Theologicè, tum Canonicè ſcripſerunt, ferè omnes continentur.

PROMOVENTE, AESQVE SVPPEDITANTE

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FR. IOANNE THOMA DE ROCCABERTI

Prælato domeſtico aſſiſtente ſacro Solio, ab INNOCENTIO XI. Archiepiſcopo Valentino: olim in eiuſdem Vrbis Vniuerſitate S. Theologiæ Primario Profeſſore, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Aragoniæ Prouinciali, poſtmodùm totius Religionis Generali Magiſtro; ſemel, atque iterum Valentini Regni Prorege, & in præſentia Hiſpaniarum Inquiſitore Generali.

SANCTISS.^MO IN CHRISTO PATRI

INNOCENTIO XII.

DIVINA PROVIDENTIA PONTIF: MAX:

DICATA.

TOMVS X.

ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Apostolici Palatij.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.

CENSVRA
TOMI X.
BIBLIOTHECÆ PONTIFICIÆ.

De ordine Reuerendiss. P. Paulini Bernardinij Sac. Palatij Apostolici Magistri reuidi infrascripta Opera: Dominici Segneri: Opus Dei admirabile, Tribus Maximis apud Theologos celeberrimis accensendum, seu suprema Dignitatis, ac Potestatis plenitudo S. Petro, ac Successoribus à Christo Domino concessa. Fr. Dominici Soto: Quæstio II. De Potestate Ecclesiastica, & exemptione Clericorum. Fr. Dominici de S. Thoma: Manualis Thomistici totius Theologiæ, & Speculatricis, & Moralis volumen quartum, &c. Fr. Dominici à SS. Trinitate: Tomus III. De Ecclesia Militante in Sect. III; & in IV. De Summo Pontifice Romano; in V. De sacris Concilijs. In ijs nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus, quare censeo posse permitti, quod imprimantur, vt decimus Tomus Bibliothecæ Pontificiæ. Ita censeo ego infrascriptus. Ex Ædibus Sanctæ Mariæ in Porticu in Campitello hac die 2. Ianuarij 1698.

Franciscus Maria Campionus
Examinat. Synod. in Vrbe.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinus Ordinis Prædicatorum Sacri Apostolici Palatij Magister.

AVTHORES
Quorum opera in hoc decimo Tomo continentur.

Dominici Segneri: Opus Dei admirabile. Tribus Maximis apud Theologos celeberrimis accensendum, seu suprema Dignitatis, ac Potestatis plenitudo S. Petro, ac Successoribus à Christo Domino concessa.

Fr. Dominici Soto: Quæstio II. De Potestate Ecclesiastica, & exemptione Clericorum.

Fr. Dominici de S. Thoma: Manualis Thomistici totius Theologiæ, & Speculatricis, & Moralis volumen quartum, &c.

Fr. Dominici à SS. Trinitate: Tomus III. De Ecclesia Militante in Sectione III; & in IV. De Summo Pontifice Romano; in V. De sacris Concilijs.

INDEX CAPITVM

Huius Decimi Tomi.

DOMINICI SEGNERI

Antiatis I. V. D.

Opus Dei admirabile Tribus Maximis apud Theologos celeberrimis accensendum, seu supremæ Dignitatis, ac Potestatis plenitudo S. Petro, ac Successoribus à Christo Domino concessa, ibique Synopsis. pag. 1.

PARS PRIMA.

PARS SECVNDA.

PARS TERTIA.

Opus Dei Admirabile. Primatus Romani Pontificis, honor ab Imperatoribus, alijsque Principibus Ecclesiæ Rom. & Summis Pontificibus delatus. 91

PARS QVARTA.

Opus Dei admirabile. Continens Fragmenta epistolarum aliquot Summor. Pontificum ad varios Principes, & vice versa.

FR. DO-

FR. DOMINICI SOTO SEGOBIENSIS,

Theologi Ordinis Prædicatorum, Cæsareæ Maiestati, quondam à sacris Confessionibus publici apud Salmanticensis Professoris.

QVÆSTIO SECVNDA.

De potestate Ecclesiastica, ibique Synopsis, pag. 135.

FR. DOMINICI DE S. THOMA VLYSSEI,

Sacri Ordinis Prædicatorum Prædicatoris Regij, in Academia S. Dominici Olysiponensis Scholarum Regentis.

Manualis Thomistici totius Theologiæ, & Speculatricis, & Moralis. Volumen Quartum, vbi agitur, De Ecclesia Christi, De Papa, ibique Synopsis, pag. 145.

CONTROVERSIA CCXXXVII.

De alio effectu Incarnationis Christi Domini, qui est illius Ecclesia, & de alijs, quæ pertinent ad Ecclesiam, 146

FR. DOMINICI A SS. TRINITATE

Carmelitæ Discalceati.

TOMVS TERTIVS.

De Ecclesia Militante in Sectione III; & in IV. De Summo Pontifice Romano; in V. De sacris Concilijs, ibique Synopsis. pag. 213.

Pri-

SECTIO QVINTA.

De sacris Ecclesiæ Concilijs.

CAPVT PRIMVM.

rebus

DOMI-

DOMINICI SEGNERI ANTIATIS I. V. D.

OPVS DEI ADMIRABILE.

Tribus Maximis apud Theologos celeberrimis accensendum. Seu Suprema Dignitatis, ac Potestatis plenitudo Sancto Petro, ac successoribus à Christo Domino concessa.

PARS PRIMA.

Dominicus Segneri natus est ex eadem familia Segneri Romæ adhuc existente, & nobili, eiusque Patria fuit Antium. Est autem Antium, vel Anthium, seu Anthia Vrbs 30. mille passus à Roma distans, ab Ostia 32. ab Ascanio Ænææ Filio, vel ab Antio Rege condita, maritima, Romanorum Colonia, patria Neronis, & celeberrimo Fortunæ templo apud Horatium nominata, ò Diua gratum, quæ regis Antium, ex eaque populi dicti apud Liuium Antiates. Post Christi ortum fuit Vrbs Episcopalis, nunc à Saracenis euersa, vt multi volunt Neptunium, vulgò Nettuno dicitur, in quo præter palatium nobilissimæ domus Pamphiliæ, hospitio nunc regnantis Summi Pontificis redditum celeberrimum, vix est vlla domus, quæ non sit Piscatoris; vel bis mille passus distans à Neptunio vulgò Antio rouinato. Eam patriam studio suo illustrauit Dominicus quippe totam adolescentiam suam sub Sapientissima Patrum Iesuitarum disciplina erudiuit, & sub doctissimis Magistris, vt ipse fatetur in præfatione ad Lectorem, viaticum reliquæ ætati comparauit. Hanc autem eruditionem protracta, vsque ad mortem gratitudinem compensauit, quippe multa capita secundæ partis in eorum encomium, & Romanæ Sedis primatum affert, & in præfatione fatetur illi Sacræ familiæ, seu dilectæ Filiæ Deum pro dote dedisse irriguum superius gratiæ, ac Sanctitatis affluentis, & inferius doctrinæ exuberantis, ex quibus riui emanant ad Ecclesiæ campos irrigandos, & ipse fatetur se riuulos corriuasse ad Commentationum suarum areolas inspergendas. Eruditioni iunxit studium asperum legis tum ciuilis, tum canonicæ, factus vtriusque iuris Doctor. Musis præterea, & eruditioni Ecclesiasticæ fuit impensus; vt in dedicatione ad Alexandrum VII. Summum Pontificem fatetur ijs verbis. Sed literarum in primis amatores, & Musarum cultores, ad quorum imitationem aspirare me minimè inficior. Vixit vsque ad senium sua contentus eruditione,

& vixit sibi tantùm, & in senectute hunc partum genuit, quem editum sub Alexandri VII. tunc viuentis fœlicissimis auspicijs Romæ typis Hæredum Corbelletti Anno MDCLVI. omnium manus terunt, & Bibliothecæ Romanæ seruant. Inscripsit autem opus Dei admirabile quartum, post tria enumerata à Theologis De humanitate Christi, Maternitate Beatæ Virginis, & beatitudine creata cùm plus saltem de ordinaria potentia Deus non fecerit Pontificatu ipso. Stylus redolet eruditionem, & maximè popularem, innixus D. Augustini consilio. Vtile est plures à pluribus fieri libros diuerso stylo, non diuersa fide, etiam de quæstionibus ijsdem, & quia plerique Apostolicum characterem minùs æstimantes, & admirantes, tunc cùm Imperatores hinc ad pedum oscula procidentes, inde frœna æquitantium Pontificum tenentes altiùs mentem tollunt, & sub persona visibilis hominis honorem deferri inuisibili Christo cognoscunt, ideoque plures Icones in fine ponit Imperatorum, & Regum Summo Pontifici, vel pedes osculantes, vel frena tenentes, officiumque stratoris exercentes. Occasio autem scribendi, & feruor in senectute ortus opus hoc edendi plurimum, & acutissimum præbuit calcar. Eo tempore Christina Suecorum, Vvandalorum, Gothorumque Regina suorum amor, & delitiæ, abdicato sponte omnium admiratione regno, abiuratis Lutheri erroribus, altera veluti sapientissima Saba ad Romanum Pontificem alterum Solomonem accurrit, & venerando pedis, & manus osculo supplex Alexandrum VII. est venerata. Regales honores ei præbuit Romanus Pontifex Alexander venienti, præbuit Innocentius XI. Romæ degenti, & mortuæ marmoreum erigit in æde D. Petri Sepulchrum felicissimè regnans Innocentius XII. Ea res veterum Imperatorum memoriam excitauit in Dominico, qui nouis exemplis adiunxit, & vetera. Accedebat eiusdem Pontificis specialis in Ecclesiasticam eruditionem propensio, & amor, qui genius principis esse solet regula subditorum, & zelus Domus Domini, vt idem Auctor fatetur in dedicatione, & defensio ouilis Petri contra hæreticos illud deuastantes, vt Lupos. Floruit hic Auctor sub diuersis Summis Pontificibus, & sub Alexandro VII. fœlicissima, & erudita fruebatur senectute, paulò post defunctus. In Præfatione operis laudat omnes Alexandros, & omnes Septimos, & concludit Alexandrum septimum omnium istorum Pontificum laudes in se coaceruasse.

CAPVT PRIMVM.

Primatus Romani Pontificis tribus Maximis apud Theologos celeberrimis adnumerandum.

1 *Primatus Petri Principis Apostolorum institutus à Christo Domino auctore Principatuum omnium vna est è Dignitatum maximis, quas idem Dominus in terris instituit.*

2 *Huius potestatis præeminentia ijs verbis: Quodcumque ligaueris &c. ostenditur.*

3 *Ideò dictorum verborum vi Primatum Romanum Ternario Theologorum Maximo accensemus, & Quartum Maximum dicimus.*

AD vos prouoco Theologorum Exedræ, si fortè Vaticanæ cathedræ gloriæ velificanti remoram faciẽdi Philologorum quempiam libido incessat, & Mantissam nostram Quarti Maximi, Ternario celeberrimo superadditam, aut arguat nouitatis, aut damnet vanitatis. Atqui nouum non est, quod antè millena sexcenta sæcula natum senectutem nescit, & ità ætate prouehitur, vt semper iuuenescat. Neque vanum dici potest, quod solidius adamante cœlum habet pro firmamento, æternitatem pro mensura. Ades anime, & columnam veritate firmatam, nec tuis indigam sustentaculis, si stylo versare nequis, neque manu attollere, & empyreo iam insertam altiùs euehi non posse, vel demonstra incredulis, vel adora venerabunda cum credulis Deum laudantibus, & magnalia eius prædicantibus. Etenim infinita eius potentia, ac bonitas immensa, quamquam excellentiæ suæ in creaturarum productione nullum agnoscit finem, nullis circumscribitur limitibus perfectionis, aut numeri, quia verbum nullum apud ipsum est impossibile, quædam nihilominùs mens sibi fingit humana, quæ si vis attingeret creatiua, non esset omnipotens, quia illa posse esset impotentiæ, vt S. August. lib. 5. de Ciu. Dei cap. 10. Vnde propterea quædam non potest, quia omnipotens est.

Quod affatum non in mala dumtaxat cadere putandum est, quæ summæ, vel sanctitati, vel felicitati omnium experti miseriarum repugnantia sunt; vt peccatum, morbi, mors, & similia nostri generis infortunia, ac dedecora; sed etiam in ea, quæ in seipsis boni, ac honesti speciem præferunt, atque vt talia imaginationi repræsentantur, aut intellectum dubitatione pulsant, clarè, atque perspicuè dijudicare non valentem, arcenda ne

sint

sint ex aggregatione possibilium, an illi accensenda, & diuinæ potestati subijcienda. Exemplum de pluribus vnum sanè luculentum. Si veniat in mentem dubitare, produci ne possit humanitas Christi Domini humanitate melior, perfectiorue, suadeatque ratio affirmandi, quòd Deus quolibet creato quantumuis perfecto, ac bono creare melius queat, ac excellentius: quæstionem dirimit Angelicus Doctor his verbis.

S.Th. 1.par. quæst.25.a.6. ad vltim. [Dicendum, inquit, quòd humanitas Christi ex hoc, quod est vnita Deo, & beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Dei, & Beata Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non potest quicquam fieri melius eis, sicut non potest quicquam melius esse Deo.]

Quæ sunt Tria illa Maxima apud Theologos, celebrata, quæ supra se in suo genere non admittunt maius vllum, & in vertice consident nobilitatis supereminentiæ priuilegio gaudentis. Quare mihi, vel in naturæ vniuersitate, vel in gratiæ amplitudine Quartum ijs Tribus annectendum, & si nullum inter ea, quæ condita sunt, peruestigando reperetis, aduerte animum ad Romani Pontificatus splendorem, & excelsitatem, nec temeritatis, audaciæue superuacaneæ damnabis comparationem, quæ Diuinissimis quidem tribus maximis illum non exæquet, sed adnumeret dignitatibus tali potestate, ac dominatione pollentibus, vt parem non compatiantur, nè dum superiorem ferant. Quemadmodum enim Virginis Deiparæ maternitas incomparabili dignitatis nitore fulget super omnes matres, nec similis illi, vel secunda reperiri potest, quia Dei mater est, qui excessu infinito filium quemlibet creatum superat; ita Christi Vicario, nulla æqualis dignitas, nulla superior potestas inter mortales reperitur. Etenim quanti existimanda facultas Apostolorum Principi liberalissimè elargita, & ab eo ad successores longa serie deriuata: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cælis.* Qui dicit, omne, vel quodcumque syllabis tantùm diuersum, nihil excludit, vt idcirco nulla ligandi, soluendiue potentia maior illa de facto sit, quæ cuncta complectitur, quæ ligari, vel solui possunt non in terris modò, sed & in cœlo, in quod nulla vis, nullaue potestas se protendit, nisi cœlestis, & humanæ cuilibet supereminens; quemadmodum enim numerus nullus maior illo est, qui comprehendit omnem numerum, nec perfectior vlla natura, vel essentia concipi potest illa, quæ perfectionem omnem hoc est infinitam, absorbet, qualis sola diuina est Patris, Filij, & Spiritus sancti; ità nec ligandi, soluendique potentia vlla excelsior illa, quæ nullis ad hæc præstanda limitibus circumscribitur; vt idcirco summi perhonorifica vox illi conueniat, cui dignitas, & potestas qualibet alia maior collata est; vt meritò Bernardus lib.2. de consid. cap. 7. *Quis summus? Cui addi non possit.* Et mox. *Sic te existimo homo, vt ministrum Christi, & quod absque præiudicio sanctitatis cuiuspiam dixerim summum planè inter ministros.*

Cum de sanctitate, de gratia, de sapientia, cæterisque istiusmodi bonis agitur, in promptu est quolibet singulari denotato proferre alium, quem diuina potentia si velit, ipsi præferat, & donis excellentioribus cumulet, & prærogatiuis extollat: Cum de potestate concessa Sancto Petro fit mentio, sistendum in illa est, nec alia admittenda in Ecclesia maior illa, quæ plenissima dicitur à Sancto Thoma opusc. contra errores Græcorum, & est super omnem Prælationem. [Transiuit quidem in Apostolos alios (ait S. Leo) vis istius potestatis; sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur, &c.] non quia ab ipso, vt Ecclesiæ capite à Christo Domino constituto in Apostolos reliquos dignitas, ac iurisdictio immediatè fit deriuata, vt quibusdam arbitrari libitum ad Petri primatum extollendum, sed quia Petro cum præeminentiæ obseruabili nota concessa est, inter beatissimos Apostolos, ait idem S. Leo epist.84. ad Anastas. Thessalonicens. cap. 11. *In similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret &c.* [Et S. Cyprian. lib. de vnitate Eccl. num. 4. [Hoc erant vtique, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus pari consortio honoris, & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur &c.] Paritas honoris in eo elucet, quod omnes à Christo Domino ad Apostolatum electi. Potestatis, quia omnibus dictum; Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra; euntes ergo baptizate omnes gentes Matth. 28. [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos &c. Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cœlis: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo, Matth.18.]

Quibus verborum formulis sensuum diuinorum plenissimis iurisdictionis efficacitas in vniuersas gentes omnibus Apostolis in commune elargita significatur, vt possent, vbique & sacramenta ministrare, & Episcopos constituere, & omnia Apostolica quòcumque se conferrent, obire munera, nulli tamen eorùm, excepto Petro, fas erat leges vniuersales toti Ecclesiæ imponere, aut aliquid ad regimen vniuersale statuere, aut Concilium Oecumenicum congregare, aut de personis Apostolorum disponere huc illuc illos pro imperio mittendo, aut Librum aliquem, puta Marci Euangelium pro tota Ecclesia approbare: quæ & similia Petro licebant munia (nec non cæteris Apostolis dependenter ab eo) pro tradita sibi à Christo Domino facultate; sed particulares dumtaxat Ecclesias regere, cùm potestas hæc Petro reseruaretur, tanquam capiti totius Ecclesiæ à Christo constituto in clauium regni cælorum largitione, & ouium pascendarum curæ delegatione, qua fundata est in ipso amplissima ordinaria potestas ad successores manatura; vt esset ordinatissima gubernationis forma sub vno Principe, qualis esse ægrè poterat, absque subordinatione ad vnum Pastorem; vt idcirco in alijs Apostolis, eorumque successoribus fuerit velut delegata iurisdictio cum

eorum interitu emoriens, & quoad multa in exercitationis modo à Petri arbitrio pendens, vt post Bellar. lib. 1. de Rom. Pontif. & Suar. de Fide disp. 10. alij plures, cum quibus effatum nostrum de Quarto Maximo confirmare animus est, non ea quidem methodo, qua controuersiarum tractatores, & eorum Princeps Bellarminus vsi sunt aduersùs fidei hostes, eorum detegendo in arguendo fraudes, ac detegendo fallacias, in interpretando temeritatem, in innouando audaciam, in disputando proteruiam, sed ad lucem veritatis ab illis assertæ dissertationis seriem, ordinemque firmare, & argumentis omnino solidis ostendere Primatum Petri, hactenus in Romanis Pontificibus incolumem, vegetumq; vnam esse è Dignitatum maximis, quas Deus Principatuum omnium tàm sæcularium, quàm ecclesiasticorum auctor instituit, vt initio professus sum.

Et sanè cum de possibili instituta quæstio dubitationi quidem sit obnoxia apud eos, qui Dei omnipotentiam, hoc est Deum ipsum non negant, an videlicet, institutio Primatus in Ecclesia qualem Catholici agnoscunt, ac venerantur; A Catholici inficiantur, ac floccifaciunt, an videlicet de facto talem instituere beneplaciti diuini fuerit, qua maior excogitari non possit, nos solùm talem tuemur, qualem Oracula sancta proclamant: Conciliorum Sacrorum consensus firmum, ratumque peruolunt: Sapientissimorum, & à Deo illuminatorum Patrum testimonia obfirmant; virorum doctissimorum argumenta persuadent; Principum, Regum Imperatorum delati honores, munerum largitiones magnificæ plenissima reuerentiæ, ac submissionis obsequia fatentur illum, videlicet esse Maximum Primatum, quem nos Tribus Maximis accensemus, vt pote ad Christum Deum, qui est Maximus, ordinem dicentem ad cœteris Maximis persimilem. [Præmittenda autem est, Petri Damiani auctoritas serm. 25. Et licèt adsistant Angeli præsidentis imperium expectantes, & administratorij Spiritus assignata sibi ministeria sortiantur, nullus tamen eorum ligandi, atque soluendi possidet potestatem. Adest Petrus, & ad eius arbitrium orbis vniuersitas soluitur, & ligatur, & præcedit Petri sententiam Redemptoris, quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus; ipso idipsum attestante;] Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & in cœlis. O quàm potens dignitas, quàm digna potentia. Et expresiùs Cyril. Alexandrinus citatus à S. Thoma in opusculo relato sic asserens, [sicut Christus, accepit à Patre, Dux sceptrum Ecclesiæ gentium ex Israel egrediens super omnem principatum, & potestatem, super omne quodcunque est, vt ei cuncta curuentur, plenissimam potestatem, sic & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit, & etiam nulli alij, quàm Petro Christus quod suum est plenum &c.]

Ad idem sunt Patres alij, & Concilia mox referenda.

CAPVT II.

Promissus Mat. 16. Primatus qui Io. 21. datur.

1 *Primatus Petri in Vniuersam Ecclesiam ex attestatione Dominica. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam ostenditur.*

2 *Sanctissimorum, Doctissimorumque Patrum testimonijs Primatus prædictus comprobatur.*

3 *Petrus quare dicatus Petra.*

4 *Quod sit Petra immortalis, & solida contra eos, qui eam euertere; vel demoliri nituntur ex alijs verbis Dominicis: Et portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam, demonstratur.*

Cùm primus interroganti Domino; Quem dicunt homines esse Filium hominis respondisset Petrus, *Tu es Christus Filius Dei viui*, reposuit Dominus *Beatus es Simon Bariona &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* En petra benedictionis, ac ædificationis facta est petra maledictionis, & scandali delusoribus qui temerariè olim impegere in illam, & confracti ab illa sunt. Confractura procul dubio est etiam imitatores, qui ausu nefario demoliri, & euertere immobilem, ac immortalem conituntur. Qui sensus, obsecro, magis naturalis, & congruus verborum Christi Domini confessioni magnificæ Petri vicem rependere volentis, quàm si voces illæ, *& super hanc Petram*, quam videlicet, te esse dixi, *ædificabo Ecclesiam meam*, hoc est committam tuæ curæ regimen Ecclesiæ meæ, vt vice in ea regenda fungaris mea, & sis illius caput, tanquam corporis, cuius reliqui fideles sint membra. Neque moram disparitas generis debet parere, quasi in masculino Petro, non cohæreat fœmineum Petra, etenim in Syriaco familiari Christo sermone Cephas legitur, & vocatur Petrus Io. 1. quo nomine significatur petra, saxum, rupes, atque adeò nulla ibi est in genere variatio suadens aliam esse petram, super quam Ecclesiam fundandam à se profitetur, quàm illam, cui dixerat, *Tu es Petrus*: Interpres porrò Latinus versioni Græcæ adhærens Petrum non Petram vertit primo loco quod commodior de viro loquenti videretur masculla vox, & ei affinis Petra, magis ædificio explicando conueniret, nec indecora est vllo in vocibus litterula vna, vel altera differentibus ad sensum à proferente intentum retinendum: sed præpostera omnino ludionum interpretatio Sanctis Patribus aduersaria, fatentibus videlicet Sancto Petro hoc loco promissum Primatum, qui postmodum Ioan. vlt. collatus est. Er pronomen demonstratiuum *hanc Petram*, idem indicare, ac te ipsum, sed retinuisse metaphoram Petræ Christum Dominum, quia aptior est ad ædificium explicandum.

Matth. 16.

Itaque primarium Ecclesiæ fundamentum Christus est, itá in eo sublato ædificatio nulla

nulla ne inchoari quidem valeat, neque firmari, quo sensu dictum ab Apostolo, *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus* 1. Cor.3. quia Christum prædicauerat, in quem crederent, & credendo salui fierent, & in ipsum tandem, & non in alium tanquam in Dei Filium, & mundi Redemptorem tenderet fides ab ipso prædicata, & propterea fundamentum fundamentorum ab Augustino nominatur in ps. 86. Quia videlicet, & Prophetæ, & Apostoli reliqui fundamenta dicuntur Eph.2. quod sua prædicatione, ac doctrina Ecclesiam fundauere, sed nulli eorum singulariter dictum, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Nulli, *tibi dabo claues regni cælorum*, ob excellentem, ac generosam confessionem, *Tu es Christus Filius Dei viui*: Nulli commissa cura ouium vniuersarum, post elicitam ad eam promerendam dilectionis ter repetitam attestationem, quo innotesceret præter communem coapostolorum cæterorum prærogatiuam singulari priuilegio decoratum Petrum, & secundum Christum Dominum, qui primum, ac independens est fundamentum, Petra seligeretur ampla, solidaque pro fundamento altero visibilis Ecclesiæ, cuius caput, ac fundator principalis futurus erat inuisibilis post gloriosam in cœlos Ascensionem, ne visibile corpus ex varia membrorum compage coalitum, exhiberet informe monstrum, cui caput deesset visibile ab inuisibili perenni, benignoq; pendens influxu. Quemadmodum igitur Petra, de qua populus Israeliticus in deserto bibebat, Christus erat, interprete Paulo 1. Cor. 10. typicè per illam aquis scatentem indicatus; itâ & Apostolus Petra Saluatoris nomenclatura appellatus est, & super quam fundare meditabatur Ecclesiæ substructionem, & de qua manaturi erant riui fidei, doctrinæ, regiminis, sanctitatis ad vniuersam illius faciem irrigandam; itâ vt neque dignitatem dedeceat magistri cognomine sibi discipulum facere, cui virtutem nomini consentaneam largiatur; neq; potentiam æquet de Petra caput, Principemque creare, qui potest de lapidibus filios Abrahæ suscitare. [Sicut meus Pater. (ait S. Leo serm. 3. in anniu. suæ assumpt.) manifestauit diuinitatem meam: itâ & ego tibi notam facio excellentiam meam: quia tu es Petrus id est, cum ego sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum; præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.] Igitur sit Petra mystica Petrus, quam neque ventorum quatiat turbo, neque imbrium turbet eluuies; neque tempestatum impetus dimoueat; sed soliditatem suam agnoscat ab angulari lapide, qui facit vtraq; vnum, & stetit in confractione cribrantis Sathanæ, ne fides discipulis laberetur. Sit etiam fundamentum Petrus, est illi innixum, in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino Ephes. 2. 21. & de quo loquuntur Patres asserentes Ecclesiam ædificatam esse super Petram, qui est Christus. Cæterùm sensus est communis Patrum eorumdem, qui super hanc Petram respondere non dubitant huic alteri priùs prolatæ: *Tu es Petrus*, ac proindè super fundatam Ecclesiam militantem nunquam ruinam perpessuram. Referuntur verbatim eorum auctoritates à doctissimis recentioribus aduersùs Nouatores disputantibus, proferre paucas operæ pretium, & decus fuerit, plures aggerere cum Catholicis Euangelio candidè intellecto conformes minimè necessarium, & fortè tædiosum. Præeminentiam Petri supra cæteros in ijs verbis agnoscunt Patres.

[S. Aug. serm. 15. de Sanctis. Petrum, inquit, fundamentum Ecclesiæ nominauit, & ideò dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit,] Et quanquam lib.3. retract. c.21. mentionem faciat dicti huius, & præferre videatur expositionem asserentem, quod Petra, super quam fundanda erat Ecclesia intelligeretur Christus, [tamen ibidem subdit, harum duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat Lector. Mouetur quia Dominus non dixit, Tù es Petra, sed tu es Petrus:] quæ ratio non vrget, si dicatur Dominum Syriacè locutum, quo idiomate Cephas Petram significat, vt Bellarminus, & alij de quo supra.

S. Ambros. relatus à S. Aug. ibidem. Qui sensus cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait. [Hoc ipso Petra Ecclesiæ cauente culpam diluit. serm. 68. & serm. 47. Petra dicitur Petrus eo quod tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat. & in cap. 1. ad Galat. Dignum fuit, vt cuperet (Paulus) videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.]

S. Hieron. in cap. 16. Mat. *Secundùm Metaphoram Petræ rectè dicitur, Ædificabo Ecclesiam meam super te*. Idem habet epist. 57. ad Damasum.

[S. Greg. l. 4. Regist. cap. 76. Cunctis Euangelium scientibus liquet, quòd voce dominica sancto, et omnium Apostolorum Principi Apostolo, Petro totius Ecclesiæ cura commissa est. Et mox ipsi dicitur. Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.]

His Ecclesiæ Latinæ Doctoribus addantur è Græca aliquot celebriores.

S. Greg. Nanzian. de moderat. in disputat. seruan. pag. 265. [Vides, inquit; quemadmodum ex Christi discipulis magnis, vtique omnibus, & excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei sui credita habeat, ille impensiùs amatur &c.]

[S. Basil. l. 2. in Eunom. Petrus propter fidei excellentiam Ecclesiæ ædificationem in se ipsum suscepit.]

[S. Athan. epist. ad Felicem. Tu es Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est Episcopi, sunt confirmatæ.

[S. Chrysost. hom. 2. in psalm. 50. Audi denique quid Petro dixerit Christus columnę, & firmamento fidei, qui ob robur confessionis vocatus est Petrus, dicente Domino, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Et hom. 55. in Matth. Dominus

nus ait, Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.

Recensentur longa serie plures à Bellar. in l.1. de Rom. Pontif. cap.10. Mald. in c.16. Matth. & alijs, quibus innaturalis explicatio visa est eorum, qui hanc Petram non de Petro, sed de alia re quapiam interpretantur; puta de confessione Petri. Tu es Christus &c. Et sanè Catholicos hanc Petram ad fidem, vel Petri confessionem omnium Apostolorum nomine factam conciliare, vtcumque non est difficile, dummodò persona Petri à particula, Hanc, eius inclusiua non excludatur; & fides, ac confessio non abstractè, vel in genere, sed concretè, ac in particulari intelligatur, vt sit sensus, fundabo Ecclesiam meam super hanc Petram, hoc est super te ipsum interrogatione, & confessione probatum, fide solidatum, dilectione feruidum, sapientia, & prudentia ornatum, auctoritate ad regendum necessaria munitum, dignitate cęteris Apostolis prælatum: cui genuinæ interpretationi cedunt quæcumquæ aliæ excogitatæ sunt à catholicis nonnullis concedentibus promitti primatum Petro, sed insuper ad alios sensus trahentibus, aut morales, aut accommodatos, non germanos, & obuios legenti contextum Euangelij.

Igitur Apostoli reliqui, & prophetæ dicuntur fundamenta Ephes. 2; ratione doctrinæ diuinitùs acceptæ, qua Ecclesias per orbem fundarunt, & illuminarunt prædicando, & signis prædicationem confirmando, at sanctus Petrus fundamentum dicitur Ecclesię absolutè non huius, vel illius particularis, quia sicut fundamento nititur domus, ità tota Ecclesia auctoritati, & regimini Petri, quod in ædificio materiali est fundamentum illud sustentans, hoc in spirituali ipsum regens, ac gubernans, quod auctoritatem supponit, ac potestatem: ideòque cùm dicit Dominus, *super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, perindè est, ac dicere, & hanc Petram, idest teipsum ponam pro fundamento Ecclesiæ meæ, vt illam regas, ac sustentes, ac proindè non solùm doctrinam ad illam instruendam; sed etiam potestatē ad exequenda, quæ rectę administrationi sunt necessaria te communiam:

Licèt igitur ità concludere: Christus Dominus per hæc verba, *Tu es Petrus* &c. promittit S.Petro se ædificaturum Ecclesiam suam super ipsum, hoc est curam illius tamquam capiti specialiter commissurum, & pollicitationem deinceps impleuit. Igitur institutio primatus Petri auctorem habet Christum Domini Dei filium, ac idcircò ex hoc capite vnum est è Maximis, quia nobilius principium, seù institutorem habere nequit. Antecedens notum est auctoritate Patrum prædicto modo verba Christi interpretantium, quibus vniuersalis congruit sensus Ecclesiæ Catholicæ in Concilijs generalibus explicatus. Consequentia est manifesta, & promissio quidem Christi Domini firmum fundamentum est ædificij super Petram, qui Petrus est, erecti; at firmius etiam est promissionis adimpletio, de qua mox sermo futurus.

CAPVT III.

Confirmatio dictorum ex verbis sequentibus tibi dabo claues regni cœlorum.

1 *Primatus Petri in vniuersam Ecclesiam confirmatur ex datione Clauium à Christo Domino, per quas Principatum, & curam totius Ecclesię fuisse illi concessam sensus est à primis, vsque Ecclesiæ temporibus.*
2 *Claues insigne dominatus sunt.*
3 *Damnatur hæreticorum error asserentium per dictam largitionem Clauium nihil plus cæteris Apostolis Petro concessum.*
4 *Defenditur sanctus Petrus ab eorumdem Hæreticorum conuicijs.*

Quis tibi, non interpretetur de Petro, cui dictum erat, *Tu es Petrus*? aut quis candidæ mentis Lector induci possit, vt credat, hiatum à Christo factum per digressionem ad fidem ad confessionem, *Tu es Christus*, vel ad animam fidelis cuiuslibet, aut ad Ecclesiam, & mox per regressum ad Petrum resumptam interruptam collocutionem, *Tibi dabo claues regni cœlorum*? Nonne ibi pronomen est secundæ personæ eiusdem, quam Simonem Barionem vocauerat beatum, cui Pater reuelauit, & non caro, & Sanguis? illi igitur dantur claues, idest potestas in omnem Ecclesiam, per metaphoram Clauium significata, quæ potestas complectitur ius ordinis, & iurisdictionis, quo regimen constat Ecclesiæ, & fidelibus aperitur, aut clauditur regnum cœlorum. Qua Patrum retenta interpretatione eidem Petro claues regni cœlorum promittuntur opportunè dandæ ad soluendum, & ligandum necessariæ ab eo, qui omnia in pondere, ac mensura facere nouit. Quemadmodum autem per Metaphoram ædificij, & petræ declaratus est primatus Petri vocabulo fundandi vsurpato; ità alia assumitur Metaphora Clauium, quæ principatum denotat, & potestatem eidem administrando congruam: quippè claues insigne dominatus esse, è sacris edocemur literis non semel; nam Apocalyp.1.dicitur Christus Dominus habere claues mortis, & inferni, hoc est Dominus esse mortis, ac vitæ; & cap.7. habere clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, qui claudit, & nemo aperit. Et allusio est ad illud Isaiæ cap.22. *& dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit, qui apetriat &c.* Quæ munera supremæ sunt potestatis, ac iurisdictionis; Igitur & claues regni cœlorum Petro dandæ symbola sunt potestatis primariæ super regnum cœlorum, quæ est Ecclesia; itaut quæ ligauerit in ea, nemo soluat; & quæ soluerit, nemo ligare queat; quod perindè est, ac claudere, & aperire. Sumpta similitudo est ab humanis, in quibus sicut ius clauium portæ Ciuitatis penes principem est: & fores priuatæ clauibus reserantur, & aperiuntur ad nutum Domini, cuius supra domum vniuersam imperium signant. Ità D.Petro collatæ claues regni cœlorum ad hunc

hunc finem sunt, vt legitimè claudat, aperiatque, siuè quod idem est, soluat, ac liget, & aperiat cęlum quando soluit, claudat, quando ligat; siuè deindè latiùs pateat claudere, & aperire, vt censet Caiet. siuè idem sit per duas metaphoras explicatum; vt Bellarmino videtur, l. 1. de Rom. Pontif. cap. 12. certè vtrumque maius quidem est, quàm per Euangelium conuertere homines ad fidem, aut declarare obstinatos ęternis addici pœnis; quod quilibet potest Concionator. Exhibitæ sunt, & Apostolis alijs claues ad aperiendum, & claudendum Apostolatus functionibus opportunæ, sed Petro, vt vniuersali Principi à Christo solo dependenti, cœteris tamquam ab ipso quidem missis, sed Petro subditis, qui toti præficitur Ecclesiæ. [Ecce claues regni cœlestis accipit, potestas ei ligandi, atque soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ, & principatus committitur,] ait S. Greg. l. 4. regist. epist. seu cap. 76. secutus antiquitatis sensum à Concilijs, & Patribus sanctè retentum, à quibus aberrare hæreticis tàm fuit libidini, quàm perditioni; dicere etiam inscitiæ vituperabili, cùm nihil ampliùs datum à Christo per clauium largitionem, quàm cœteris Apostolis obstinatissima contentione blaterant; nihil plus, illis quàm vt per merum prædicationis officium absolutos merito fidei declararent, qui prędicantibus crederent, ligatos qui per incredulitatem eam contemnerent Cęci, ac cęcorū duces, qui in tanta Christi Domini verborum luce, in tanto apparatu prçuiæ dispositionis ad meditatam dignitatem requisitæ, in excellentia muneris, ac oneris super humeros Petri singulariter imponenti auertunt oculos, nè videant veritatem, & dum parem in ouibus, ac Pastore potestatem adstruunt, ordinem hierarchicum sapientissimè à Saluatore constitutum insipienter destruunt: de causa illuminationis fecerunt, sibi materiam cæcitatis, vt loquitur S. Leo Serm. 8. de Natiuit. Domini: at nobis cum Catholicis scritur, non contra nouatores disputatio instituitur, quos pridem viri fortes in fide, & doctrina sana confixere. Vnum est, quod à defensione Petri intactum præteriri par non est, cui impietatis inuruut notam, nec dignum primatu censent à Christo habitum, quem dura increpatione castigatum palam est. *Vade post me Satana, non enim sapis, quæ Dei sunt*, quasi non peius, delictum negatio Trina fuerit, quam timentis excussit trepidatio, ac pusillanimitas; retractione à morte, ac passione, quam amoris adhuc diuinorum decretorum ignari vehementia suggerebat, & nihilominus eius oblitus Dominus fragilitatis maleficium prodiga beneficiorum erogatione compensauit: & fortè lapsum permisit in discipulo super cathedram Apostolicam euehendo, vt in ea positus compati disceret subditis suo magisterio, ac imperio pronehendis. Sed coarguenda fuerit Petri simplicitas iniquè ferentis amaritudinem calicis à Domino exorbendi, non tamen vltrà progressa reprehensio, quam vt aduersarium diuinorum inscium vocitaret, & præposteri amoris damnaret à passione, ac morte subeunda retrahentem. Sed fuerit acerrima obiurgatio, numquid propterea immensam claritatem laudationis obfuscat, quæ vnicum Petrum inter omnes Apostolos reddit laudatissimum, *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis est reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis non.* Quodnam excelso encomio Christi, & merito Petri respondeat præmium, nisi excelsum, sublime, singulare, qualis est Principatus super Ecclesiam vniuersam, non obstante diuinæ potentiæ, ac bonitati vetere infirmitatis macula errantis ouiculæ, & exaltante misericordia iudicium de puluere pauperes super astra cœli erigente. Non inficiamur, Petrum os Apostolorum fuisse, vt Chrysost. in cap. illud Matth. 16. appellat, quòd omnium nomine diuinitatem Christi asseruerit, sed aduertendum fatemur soli Petro dictum, *Beatus es Simon Bar-Iona. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo &c.* Quàm conuenientiùs aduersarij cum S. Leone loquerentur; [ille primus est in Domini confessione, qui primus est in Apostolica dignitate, vt intelligatur restricta ad illum promissio clauium, tamquam merces confessionis, quem pupugit aculeus reprehensionis ob intempestiuum studium auertendi à passione. Serm. 2. de SS. Petro, & Paulo. Quòd si omnium Apostolorum nomine respondisset (quod fingere tamen non est necesse) partes egisset superioris, cui pro subditis respondendi cura incumberet. Vt princeps, inquit Cyril. l. 12. in Ioan. caputque cœterorum primus exclamat. *Tu es Christus Filius Dei viui*; ast negare Petrum Romæ fuisse, & inferre hinc Pontificem Romanum dicendum, ac successores in primatu Romano partem non habere insania est, etiam tribus Anticyris insanabilis: pugnant aduersùs eam terrarum orbis, templa, monumenta; sepulchra, historiarum veterum fides, sapientum consensus, vt mirum sit, quomodo à Spiritu erroris seduci passi sint, qui certissimæ veritati litem indicere non reformidarint, & solem de cœlo detrahere temerario ausu, ac stultitia intoleranda tentarint. Illud verò, quod filios inobedientiæ, ac rebelles malè torquet, priuilegium videlicet primatus Petri in successoribus continuari, non tàm operosè probandum, quod fœlicissimè præstitere fidei defensores nostro sæculo strenuissimi; quàm delectabiliter commemorandum, vt certum contestantibus.

Interim, quod sicut è verbis Christi Domini. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, probauimus collatum S. Petro Principatum Ecclesiæ. quia ità verba illa interpretantur Patres, & Concilia; ità & ex datione clauium idem confirmare licet, quia per illas potestatem adnexam primatui eorumdem est sensus à primis, vsque Ecclesiæ temporibus, ità S. Chrysost. hom. 55. ex Matth. citatis verbis probat S. Petrum creatum esse totius Mundi Pastorem, & caput idem S. Aug. serm. 28. de Sanctis. S. Hilarius Matth. 16. S. Leo serm. 2. in anniu. Assump. S. Greg. l. 4. Epist. 32. infert curam totiùs Ecclesiæ fuisse commissam S. Petro, quia ipsi dicitur, *Tibi dabo claues regni cœlorum*. Sed magis adhuc explicatur quod.

CAPVT IV.

Primatus Petri, & Successorum in vniuersam Ecclesiam à Christo Domino sit institutus. Ioan.21.

1 *Sub trina Christi interrogatione, & Petri responsione, Ioan.21. cùm multa latent mysteria; tùm expressa vniuersæ Ecclesię cura Petro demandatur.*

2 *Sermonem dirigi ad Petrum, & non ad alios indicat verbum imperandi Pasce, quo Pastor constituitur vniuersalis Ecclesiæ.*

3 *Verba Christi Domini Pasce &c. clarè curam hanc vniuersalem super totam Ecclesiam indicant.*

4 *Ità SS.Patres Leo, Cyprianus, Bernardus, &c.*

LVculenta est institutionis forma per verba præcipientia, Ioan.vi. vbi Christus sub trina interrogatione, trinaque responsione mysteria multa celauit, vnum expressit, hoc est principatum, & curam Ecclesiæ super humeros Petri imposuit, & fundamentum iecit ædificij, quòd olim erecturum se pollicitus fuerat.

Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, *Etiam Domine, Tu scis, quia amo te;* Dicit ei. *Pasce agnos meos*. Dicit ei iterùm, *Simon Ioannis diligis me?* Dicit ei. *Etiam Domine, Tu scis, quia amo te*. Dicit ei. *Pasce agnos meos*. Dicit ei tertiò. *Simon Ioannis amas me*, Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò. *Amas me*, & dixit ei, *Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te*. Dixit ei: *Pasce oues meas*. Post resurrectionem suam Dominus beato Petro Apostolo post Regni claues, ad trinam æterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit, *Pasce oues meas*, ait S.Leo agnoscens, & in numero, & in vocum significatione priuilegij Petro concessi singularitatem, & gentium, in quas extenditur, vniuersitatem; vt quid enim æterna Sapientia Verbum Patris, è cuius in assumpta carne loquentis ore velut aurea mala prodibant verba numquam superflua, semper vtilia; nusquam redundantia, vbique tempori, locoque accommodata ad contristationem, vsque Petri trina interpellatione sollicitat? & quod semel cum asseueratione fassus erat, iterùm, iterùmque molesta repetitione fateri cogit, cùm ipse cordium scrutator nosset optimè, & suæ dona charitatis in Petri pectore recondita, & illius feruorem amoris plurium iam signorum declaratione manifestum? Nimirùm tàm præteritorum, quàm futurorum præscius Deus haud ignorabat, è portis inferorum olim nequam Spiritus emersuros, qui luci fulgidæ institutionis principatus huius offundere tenebras adniterentur, & neque commissum regimen, aut dominatum vlli, neque vni dictum, *Pasce oues meas*, Hos in meridiana cæcutire luce sententia ista manifesta redarguit, quæ mentem, ac finem proferentis sine vlla ambiguitate prodit, & sub vsitata Pastoris similitudine præsidem gregi piscatorem perficit, hoc est curam regiminis ouium cum necessaria potestate demandat, quæ mutila valdè est, ac imperfecta, si ad pastionem, cibique etiam spiritualis ministrationem coarctetur. Nonne Pastoris est intra caulas, nè exerret, custodire gregem? nonne truculentam arcere luporum rabiem? nonne ducere ad pascua, & reducere ad mapalia? morbidos à sanis segregare, infirmis medicamina prouidere; debilitatas humeris comportare? & similia plura præstare, quæ prætermitti à bono Pastore non debent, qualem præpositum suis ouibus à Summo Pastorum certissimum est cùm Petro, vt eas pasceret, præcipit; quod latiùs ciborum ministratione patet, quæ etiam in seruos erga Dominos cadit, & nihil insoliti, aut sublimioris ministerij continet, de quo præmonere Dominus audientes, ac testes, & per eos posteros voluit, cùm ter interrogauit, & excitatis eorum mentibus ad opus mirabile capiendum, tertiæ responsioni Pastoralis curæ, dignitatisque primæ institutionem subnexuit, & non vagè prolatam, ac indeterminatè pronunciatam formam eius, cuius intuitu disertè Simonem Ioannis interpellauerat, & dirigi ad illum discreta ab alijs iussione per verbū imperandi in secunda persona vix ambigat, nisi qui significata vocum à naturali veroque sensu detorta cauillis, & violenta interpretatione peruertit. *Amabo te*, quis interrogatur, Petrus, an Apostoli omnes; an qui aderant tunc, & prandium à Christo sumpserant Ioannes, Andreas, Thomas, Nathanael &c. Nulli profectò dictum, *diligis me plus his*, qui videlicèt audiunt, & non interrogantur; ac proindè, nec ad ipsos tamquam responsuros sermo dirigitur, aut cura Pastoralis imponitur. Adde quòd ei dicitur; *Cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas, vbi volebas: cùm autem senueris extendes manus tuas, & alius te cinget &c.* Numquid in persona Petri hoc dictum Apostolis omnibus, quasi mors eadem maneret omnes, quos diuersa Tyrannorum tormenta peremere, Euangelistam verò Ioannem perimere haud valuere. Iam verò, quod vni Petro primatum in Ecclesia vniuersa concessum verba Christi significent, argumento est seria, & ter repetita interrogatio, & huic respondens terna præceptio. Agnoscunt in hoc numero Patres ad trinam negationem Petri allusionem; [Redditur trinæ negationi trina confessio, ait Augustinus, nè minùs amori lingua seruiat, quàm timori,] ego profectò si, vel Augustinum, vel Patrum aliquem meę fauentem opinationi nancisci contigisset, non vererer asserere Sanctissimæ Christi Domini humanitatis menti obuersatum esse adorandæ Trinitatis Mysterium, eiusque cultui, & honori ternarium hoc interrogationum, responsionum, præceptionum vertisse, & Trium Personarum nutu, iussuque in aula Imperatoria obsignatum veluti diploma Principatus Petro oblatum fuisse; nec vllo modo poterat esse inefficax Sacramentum, quòd simul ipsius Deitatis Vnitas operabatur, & Trinitas. Illud certùm, quod innuere supra licuit, haud otiosè repetitum. *Simon Ioannis amas me, pasce agnos, pasce oues meas*, vt insolito loquendi ritu, & crebra postulatione premere se

Serm. 1. in natali Apost. Petri, & Pauli.

Tract. 123. in Ioann.

se mente aliquid magnum indicaret nusquam aliàs indicatum, vt ad illud intelligendum excitaret discipulorum animos, & admiratione noui fauoris, ac præcelsæ dignitatis impleret, cui parem rem nullam viderat antiquitas, nullam visura est maiorem posteritas.

Serm 3. de Assump. sua [Magnum, & mirabile S. Leo, huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio, & si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, numquàm nisi per ipsum dedit quicquid alijs non negauit.]

Eumdem institutionis magnificæ sensum præferunt verba sequentia, quorum nè vnus quidem apex, aut syllaba mysterio caret, aut prouidentia; *Pasce agnos meos* geminatum; *pasce oues meas* indefinitè. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues? [Si me amas Petre pasce oues meas? Quas illius, vel illius populos Ciuitatis, aut regionis, aut certi Regni? Oues meas, inquit, cui non planùm non designasse aliquas, sed assignasse omnes?] Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil; poterat, inquis, vniuersalis additione particulæ dubitationi occurrere, sicut quando dixit, *Docete omnes gentes*. Quis es tu, qui legem ponas, vel Grammaticæ, vel Dialecticæ legibus, per quas licet indefinitam pro vniuersali dictione ponere, & quidem interdùm elegantiùs; aut minùs non eleganter vsurpare? Nonne si enuncies, homo est animal rationale, æquipollet propositio hæc alteri nota vniuersali præfixa; aut si dixeris, Angeli sunt incorporei, perindè est, ac si dicas, omnes Angeli? Et apud Iurisperitos, Titius instituit Caium bonorum suorum hæredem, nullum relinquit locum dubitationi, quin vniuersorum? Et Dominus cùm Ioan. 10. ait, *Cognosco oues meas*, numquid opus habuit inutili complemento, *omnes*, ad declarandum quod lippis, ac tonsoribus innotuisse poterat, comprehendi Christi cognitione, absque vllius exclusione vniuersas?

S. Bernar. lib. 2. de consid. ad Eugen. c. 8.

Sed & pronomen meos, ac meas illimitatæ dominationis, ac iuris in omnes gentes est, quarum sicut nulla à Christi hæreditate exempta est; ità neque vllam à Petri cura pastorali subtractam voluit. Neque te valdè iuuaret effugium limitationis ad prædestinatos, quibus est esca Caro Christi, & sanguis potus in vitam æternam, quasi isti dumtaxat sint agni, & oues Christi à reproborum multitudine secreti, quos hędis comparauit Dominus, & ad sinistram collocauit æternis supplicijs addicendos; nàm etiam præordinatorum ad vitam æternam numerus latissimè per totam Ecclesiam diffusus est, & hi omnes agni sunt, & oues Christi, ac proindè curæ Petri commendati. Quamquam dum sumus in hac vita, & à Domino peregrinamur, oues sumus ouilis Domini, & velut pisces multigeni sagenæ missæ in mare, quà colligendi in vasa parata in littore, quà foris mittendi, & eijciendi in damnationem. Itàque latissimè omnes homines sunt oues Christi hæredes vniuersorum, & propter omnium salutem. Secundò magis strictè, oues dicuntur omnes fideles, tàm boni, quàm mali, quibus communia sunt Sacramentorum pascua, & Spiritualis refectio. Tertiò magis propriè, ac strictè oues sunt electi in charitate fundati. Primis conuenit, quod dicit Dominus Io. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*, & nihilominùs cordi sibi esse, vt ad illud reducantur, ostendit ibidem illis verbis *oportet me adducere, vt fiat vnum ouile, & vnus Pastor*, quod de Petro, & eius successoribus S. Cypr. interpretatur l. 1. ep. 76. ad Magnum; vocans eos in Ecclesia Dei ordinatione succidanea præsidentes. De secundis profertur parabola zizaniorum bono semini admixtorum Matth. 13. vltimos solatur promissio Christi Io: 10. *Cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Non peribunt in æternum. Non rapiet eas quisquam de manu mea*. In nullas principatum concedunt Petro hostes Petri, in omnes agnoscunt amici veritatis euidentia scripturarum edocti, & cœlestium argumentorum lumine conuicti. Suas itaque oues, suos agnos pascendos, regendosque Petro committit, terque præcipit: siue autem agnos, siue ouiculas legas, & vocum diuersitas exhibeat, differentiam aliquam in significato, si nihil discriminis in trium vocabulorum significatione admittas, oues suas nulla excepta pascere mandat Petro Saluator, neque solùm populorum greges, Iudaici videlicèt, atque Gentiles per agnos denotati regimini subijciuntur Pastoris vnius; sed & ouiculæ, & oues, hoc est Pastorum reliquorum, maiorum, minorumque Dei Verbo, & Baptismo, ac Sacramentorum pabulis regenerantium copia, ac multitudo gloriantur, se oues esse Christi, & saluberrima dispositione comprehensos, qua Regimen Monarchicum, in Petro inchoandum Sapientia diuina constituit. Vnus Petrus de toto mundo eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponitur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit, & Christus.

CAPVT V.

Firmitas Primatus Petri aduersùs Tartareas Potestates.

1 *Quid significetur ijs verbis, & portæ Inferi &c.*
2 *Multis modis Diabolus exercet potentiam suam contra Ecclesiam,*
3 *Per Imperatores Gentiles.*
4 *Per Hæresiarchas, & eorum sectatores.*
5 *Eorum multiplices sectæ.*
6 *A Græcis infestis Primatui Romano variæ contradictiones.*
7. *Incommoda schismatum in Romana Sede.*

ET *portæ inferi non preualebunt aduersùs illam*, hoc est potētia Diaboli insurgentis ad oppugnandum Ecclesiam, non solùm frustrà laborabit, quia superiorem ad resistendum suis conatibus inueniet; sed adeò firmam, ac validam experietur, vt illos infringat, & vincat, vtitur metaphora portarum Christus Dominus ad indicandam poten- Matth. 16.

tentiam, quia in portis vrbium est potissima munitio, quam qui expugnant facilè reliquam ciuitatem inuadunt, ac potiuntur, & apta est Synecdoche partem pro toto vsurpans. *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.* Genes. 22.

Porrò Diabolus potentiam suam exercet aduersùs Ecclesiam multis modis, qui ad tria capita reduci possunt, violentæ scilicet dominationis, & crudelitatis; peruersæ doctrinæ; & falsæ prędicationis, absque facultate corporaliter torquendi; & cunctorum copulatim, Nimirum qui prauis dogmatibus assensum denegant exilia, verbera, bonorum proscriptiones, neces pati coguntur; Inimici enim omnes Ecclesiæ, quolibet errore cæcentur, vel malitia deprauentur, si accipiunt potestatem corporaliter affligendi, exercent eius patientiam; si tantummodò malè sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam. Primi generis persecutiones passa est Ecclesia à Paganis Christo infensis. Secundi ab Hæreticis solùm calamo, & voce veritatem impugnantibus. Tertij ab ijsdem sæculari potentia fultis, & tormentis fideles vexantibus.

Aug. lib. 18. ciui. cap. 51. n. Quibus omnibus illud commune genus impugnationis est, vt in caput Ecclesiæ, hoc est in Pontificem Romanum iacula contorqueant, quod capite truncato, eorum incitator Diabolus triumphet, & totum corpus concidere, fideique vinculum dissolui gaudeat.

Romanos Imperatores aduersùs Romanos Pontifices adeò perfidus inflammauit, vt per trecentos circiter annos eorum in Christi gregem, & eius Pastores crudelissimè sæuierint, ducto à Nerone initio, qui Sanctos Petrum, & Paulum morte damnauit, vsque ad Maximianum, & Maxentium, qui omnes crudelitati, & Orco litauere.

Illuxit serena dies Ecclesiæ à Constantini, ceu noui solis, conuersione, & Pontificiæ dignitatis splendor depulsa persecutionum nube se diffundere cœpit, quoad hæresum caligine rursus obscurari cœpit, & Imperatorum Orientis ea infectorum maleuolentiæ liuore obduci. Non est veritus Constantius Arianorum fautor, ac promotor Liberium Papam Roma eijcere, quod Athanasij condemnationi ab Arianis Episcopis latæ subscribere recusaret.

Sanctus quoque Martinus in Chersonesum à Constante relegatus ærumnis confectus similem martyribus mortem passus est. Iustinianus iunior Sergium Papam suæ hæresi aduersantem ad necem quæsiuit. Theodora Iustiniani vxor Eutychiana fœmina, nequam ausa est Syluerium Pontificem sanctissimum in exilium pellere: vt missos interim faciam Imperatores reliquos Orientales, quà Arianos, quà Eutychianos; quà Monothelitas, quà Iconomachos, Valentem, Zenonem, Anastasium, Theophilum, Leonem Armenum, & alios vltrà viginti quatuor hæreticos contrà Romanam Sedem coniuratos, & cœteróqui vitijs palmaribus coopertos, vt ex historijs varijs refert Boz. Sig. 52. qui omnes in Pontifices Romanos potentiam, vim, furorem conuerterunt.

Neque mitiùs plures Imperatorum Occidentalium cum ijsdem se gessere: Notæ apud historicos sunt tragædiæ quas excitauere Friderici, Henrici, Othones aduersùs Gregorium VII. Victorem III. Vrbanum II. Paschalem II. Gelasium II. & alios, quos anathematis per varia conciliabula damnauere, aut violenta depulsione de Cathedra deiecere, alijs modis insontes, ac aduersùs eorum nequitias fortes, constantesque vexauere; Non semel iterùmue, sed sæpiùs, adeò vt decem numerentur Antipapæ, quos illi in Cathedram Romanam intrusere, eò etiam spectantes nonnulli eorum, vt Sedem ipsam Romanam, & non tantùm personas singulares penitùs excinderent, quod præstiturum se inani vaticinio Fridericus II. Gregorio IX. præcinere gloriæ ducebat. Sed omnium irriti conatus fuere, quia *Portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam.*

Quid quod ipse Romanus populus, & quidam alij Italiæ Dynastę non abstinuere iniurijs, & quidem atrocibus aduersùs legitimos ipsorum Pastores, quos spoliare Regno, & vita tentauere? Piget per hęc tragica excurrere probare volentem, nullo vmquam impetu, tam violento, ac truculento irruisse in Petri Cathedram portas inferi, vt pręualerent. Maius malum timendum videbatur ab hęresum multitudine, ac malignitate. Sed ijs etiam solidior est Petra, in qua fundatur Ecclesia.

S. Augustinus lib. de heresibus, illarum 88. recenset, & plures ex illis perijsse testatur in psal. 57.

Theodoretus lib. de hęreticis fabulis numerat 76. hæreses, ad sua vsque tempora exortas, & lib. 3. testatur omnes fermè exstinctas esse.

Bellarm. De Notis Ecclesiæ cap. 6. ducentas ad Lutheri vsque sęculum meminit, & inter has fuere, nonnullæ potentissimæ ob Imperatores, ac Principes, imò & Episcopos non paucos illis adhærentes, vt de Ariana compertum est, & hæ omnes in Romanum Pontificem impetum fecere, sed non præualuere, quia Sedes Petri in æternum stat, & illę tandem concident, quæ cum Luthero emersere, & stabit Ecclesia Catholica Romana aduersùs illas non minùs inter se diuisas, quàm ab Euangelio, & doctrina Apostolorum dissonas, quicquid vnaquæque earum maximè se consonam esse perperam glorietur.

Et quidem in hæresum extinguendis incendijs, diù Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ conuenere, & vnanimi consensu, quà Conciliorum, quà Pontificum Romanorum definitione fidei vnitas, per multa sæcula in suo flore conseruata est; sed vbi Diaboli, inuidia in agro Constantinopolitano dissensionum zizania superseminauit, tunc verò insurrexere venti, ac turbine quales numquam infestiores Petri Nauicula experta est, nec vsque ad Antichristi persecutionem nouissimam experietur.

Primùm quidem paria priuilegia Episcopo Constantinopolitano, ac Romano cópetere in Synodo Chalcedonensi Act. 16. definiuere; sed perperam, & per fraudes, ac absentibus Pontificijs Legatis, sine quorum consensu, vtpotè locum Pontificis supplentium, inualida sunt acta Conciliorum. Bellar. præf. in lib. de Rom. præf.

Dein-

Deindè tempore Pelagij II. cœpit Episcopus Constantinopolitanus se Oecumenicum, idest vniuersalem Ecclesię Episcopum nominare, quē imitantes successores occasionem præbuere S. Gregorio, vt conquereretur de illis in Epistolis ad Mauritium Imper. ad Patriarchas Orientis, & ad ipsum Ioannem Constantinopolitanum Episcopum, quibus clarè demonstrat, quàm præposterè indebitum sibi titulum arrogent, qui soli debetur Episcopo, quem Christus toti præfecit Ecclesiæ.

Denique apertè pronunciatum ab illis est Episcopum Romanum suo excidisse gradu ob additionem, *Filioque* in Symbolo Constantinopolitano, contrà decretum Synodi Ephesinę id vetantis, & in locum eius successisse Episcopum Constantinopolitanum, vt refert Sigebertus in Chronico.

Hinc libri scripti contrà Primatum Romani Pontificis, inter quos in lucem, nuper editus Latinitati donatus ab Illyrico hæretico, qui scriptus dicitur gręcè à Nilo Thessalonicæ Archiepiscopo, & in Bibliotheca Regia Parisiensi asseruari. Præiuerat Photius Pseudopatriarcha Constantinopolitanus, qui Michaelis Balbi Imperatoris fauore suffultus contra Nicolaum I. Pontificem, à quo damnatus fuerat, conciliabulum collegerat, & eò amentię progressus fuerat, vt in illum sententiam excommunicationis ferret, quam iustè latam vt demonstraret, Libellum mendaciorum plenum, ac conuiciorum vulgauit; qui nihilominùs Basilij Imperatoris iussu, ac Ignatij suæ Sedis restituti nutu, pedibus conculcatus, & flammis exustus Romæ antè fores S. Petri; atque vt Constantinopoli quoque exureretur mandatum est, satagente Hadriano Nicolai Successore, & impigro defensore à calumnijs Photij, eius immemorandum facinus Patres octauę Synodi execrati, non atramento, sed Sanguine Saluatoris intincto calamo, condemnationis iudicium proferendum arbitrati sunt, ad detestandam impij hominis audaciam, ac temeritatem intolerandam.

Dioscorum pariter Episcopum Alexandrinum similia ausum quarta Synodus abominatur his verbis, quod in Papam Leonem Magnum, pręfractam, ac temerariam damnationis sententiam pronunciarit: [cùm nulla illi esset potestas Synodi cogendæ, vt in eodem Concilio Apostolici Vicarij testantur. Ad horum igitur exempla quicumque in illo impio conciliabulo contra Sedem Apostolicam, vel os aperire, vel manum prætendere ausi sint, iustam vltionem non effugiant.]

[Prętereamus, inquit, S. Leo IX. nominatim replicare nonaginta, & eò ampliùs hęreses ab Orientis partibus, vel ab ipsis Græcis diuerso tempore ex diuerso errore ad corrumpendam virginitatem Catholicæ Ecclesię Matris emergentes, dicendum videtur ex parte quantas Constantinopolitana Ecclesia per Pręsules suos suscitauerit pestes, quas viriliter expugnauit, protriuit, & suffocauit Romana, & Apostolica Sedes &c.] Numerat autem ibi Eusebium, Macedonium, Eudoxium, Demophilum, & alios, vel hæresiarchas, vel hæresum Sectatores, tàm inter se discordes, quàm in oppugnanda Petri Sede concordes, sed illa tanta diuinitate munita est, ait S. Leo, [vt eam neque hæretica vnquam corrumpere prauitas, nec pagana potuerit superare perfidia.] Serm. 2.

Verùm isthęc malorum peruersitas à portis Inferi, in Petri Cathedram inuecta, vt vis grauis, & periculosa fuerit, extrinseca tamen fuit; illa lethalis videri poterat, quę intima, & intestinis schismatum dissidijs, non secus, quàm sontibus humoribus in corpore, sedem ipsam diuellebat, & excidium minabatur. Enumerantur schismatum in Ecclesia Principatum diuersis temporibus pullulantium fermè triginta, quę vexare, & vulnerare aliquatenùs valuere, excindere, aut perimere non valuere, quia Ecclesia in sua radice manet, in sua vite, in sua charitate manet, vt loquitur S. August. l. 1. de Symb. ad cathec. l. 9. & portę Inferi non prœualebunt aduersùs eam.

CAPVT VI.

Honor delatus à Concilijs Oecumenicis Pontificibus Romanis.

1 *Primatum Petri, & Successorum Pontificum, super vniuersam Christi Ecclesiam agnoscunt quatuor Concilia generalia. Et primùm de Nicæno.*

2 *Canones Nicæni, & præcipuè Sextus adstruentes Dignitatem Pontificiam ab Arianis, à qua damnati fuerant, lacerati crematique sunt.*

3 *Canones, tertius, sextus, & trigesimus nonus, & alijs plures Nicænæ Synodi de Primatu Pontificis, quid senserint.*

4 *Primatus Romani Pontificis, non est honoris dumtaxat, sed Iurisdictionis, & Potestatis.*

5 *Concilia nequeunt celebrari inconsulto Pontifice.*

6 *In grauioribus causis ad Apostolicam Sedem fit recursus.* De iisdem

7 *Concilium Nicænum quomodo, & à quibus cæptum.* 4. Synodus agitur dist. 15. cap. canones cap.

8 *Decreta Nicænæ Synodi ad Pontificem Romanum, pro firmitate à Patribus transmissa sunt.* sicut canones S. Rom.

COd. De Sum. Trin. & Fide Cathol. in l. Inter claras rescribens Imper. Iustinianus Senior Ioanni Vrbis Romę Beatissimo Pontifici in epistola ibid. posita quæ incipit: Nos reddentes, &c. ait. *Suscipimus autem sacrosancta quatuor Concilia, idest trecentorum, & decem octo Sanctorum Patrum, qui in Nicæna vrbe congregati sunt, & centum quinquaginta Sanctorum Patrum, qui in hac Regia vrbe conuenerunt, & qui in Epheso primò congregati sunt, & Sanctorum Patrum, qui in Chalcedone conuenerunt,* Sicut ad vos, qui quatuor primis generalibus Concilijs, tanquam Euangelijs totidem venerationem exhibendam fatemini, sermo dirigitur, non ad bestias, quæ eò amentię deuenere, vt istiusmodi conuentus omnes nugamenta dicant truci maiestate contecta. Quę nobis nobis cum tanta immanitate consociatio? aut

quę humana confabulatio cum hominibus eò prouectis cœcitatis, vt lucem tenebras, & tenebras appellare non vereantur lucem? Nos Catholici mammillę Euangelicę lacte de omnibus Oecumenicis legitimè congregatis, & in Dei nomine absolutis, idem sentimus, quod Gregorius Sanctus de primis quatuor, ac proindè honorem ab ijs delatum Pontificibus Romanis, vt diuini fructum flaminis agnoscimus, & parem illius ęstimationi in terris nullum reperimus. Sanè Synodus quęlibet ex approbatis sua maximè interesse duxit, & fidei negotium reputauit, Romano Pontifici primas concedere, eumque Pręsidem reuereri, cuius arbitrio, decretoque starent, caderentque sententię, & robur ab eius acciperent confirmatione, quam nulli esse obnoxiam errori, ex diuina pollicitatione non nescirent. Libet irc per singulas quatuor, & ordine seruato temporum à prima Nicęna Magna exordiri, quam sanctissimam, & beatissimam Spiritus sancti quasi vnigenitam filiam Anastasius Sinaita odigu meritò nuncupauit. Coacta autem est ad sedandos tumultus in Ecclesiam ab hęresi Arij inuectos, & ad idem certum Pascali solemnitati designandum; qua occasione alia pleraque saluberrima Christianę Religioni decreta firmata sunt.

Passi sunt huius celeberrimæ Synodi canones, præsertim sextus non communes modò temporis iniurias, quibus profana, sacraque monumenta sunt exposita rapinarum, incendiorum, tinearum, sed & peculiaria infortunia Arianorum, à quibus concremata fuisse dolet S. Athanasius epist. ad omnes orthodoxos, ita vt nullibi reperiri genuinum, ac psimum exemplar existimet Baron. ad annum Christi 325. num. 62. [Licèt, inquit D. Franciscus Turrianus dignæ memoriæ vir asseuerare non dubitet, eadem hodie reperiri Alexandriæ apud illius sedis, qui illic moratur, Episcopum. Ecquis sciat, an hac eorum lectione permotus Patriarcha Alexandrinus missis ad Clementem VIII. Legatis publicè Romani Pontificis Primatum in Ecclesiam vniuersam cum alijs fidei articulis in Nicæna contentis sit professus, & obedientiam eidem, ac subiectionem spoponderit? Sed certiora veritatis apud Catholicos receptę argumenta, quàm coniecturas habemus ex Actis, quæ diligentes antiquitatis scrutatores ità digessere, vt corpus integrum canonum constituant idem, vel parum discrepans ab illo, quod Patres illi sanctissimi ad posteros transmittere voluere, & ex varijs fragmentis græcis, latinisquè veluti manipulos collegerunt, ac primœuæ puritati restituere, quæ inuidi gloriæ Romanæ Sedis, quà variatio stylo inuerterant, quà scalpro abraserant. Sanè eruditissimus Alphonsus Pisanus Soc. Iesu lib. 3. Concilij Nicæni à se adunati can. 39. ex octoginta in Latinum conuersis è codice arabico vetustiore plura congerit, quæ Franciscus Turrianus eiusdem Societ. euulgauit in fine Constitutionum Clementis.

Primo igitur Canone illo habetur. Vt cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha & leges indicit, & vt à principio Petrus Christi Vicarius religioni, cæterisque ad Christum pertinentibus rebus præfectus Principum Christianorum Prouinciarum, & omnium gentium Dominus, ac rector erat: ità ille cuius Principatus Romæ est, & Petro similis, & auctoritate par, Patriarcharum omnium dominatum, & principatum obtinet. Huic sanctioni si quis repugnauerit, totius Synodi decreto anathemati subijciatur &c.] Plura notantur circa hunc Canonem tom. 1. Concil. nobis hìc satis est, quod disertè Principatum Petri, & successorum Romanorum Pontificum extollunt sapientissimi illi, ac Sanctissimi Patres, & cùm à Christo Domino præcelsam Dignitatem, auctoritatemque super totam Ecclesiam Petro concessam fatentur, maiorem illa nullam agnoscunt; & Quartum illud Maximum adstruunt, quod in Romanæ Sedis Primatu eminere profitemur.

II. Canone 6. eiusdem Concilij dicitur, quòd Romana Ecclesia semper primatum tenuit: quæ verba ab aliquibus abrasa fuere, ab alijs immutata, ab alijs perperam explicata sunt peruerso zelo negandi Primatum Romano Pontifici à trecentis decem, & octo Patribus approbatum. Sed contra omnes pugnat clarissimum testimonium Concilij Chalcedonensis, in quo Act. 16: Paschasinus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus Canonem illum recitauit tanquàm irrefragabile testimonium dignitatis, atque potestatis super Ecclesiam B. Petro, & successoribus à Christo collatæ. Quis autem credat, tam confidenter in consessu, sexcentorum triginta Patrum grauissimorum, quot Concilium illud numerabat, à viro Apostolicę Sedis Legato recitatum tanti momenti Canonem, nisi in originarijs, & incorruptis codicibus fuisset exaratus? vt propterea Dionysius dictus Exiguus ex Græco codice eodem modo legerit, quo & Paschasinus recitauit; quia & à Synodo Chalcedonensi pro legtima lectione habita verbis illis. *Perpendimus omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Deo amantissimæ Archiepiscopo conseruari, &c.* omnis Primatus amplectitur honorem, & potestatem.

Extat hæc versio in Monast. S. Vedasti Atrebati. Bellar. l. 2. de Rom. Pont. cap. 25. fuit & hic Dionys. Abbas S. Benedict. quem Trithemius floruisse, ait anno 550 & citatur à Pamelio in opere S. Cyprian. in Ecclesiæ catholicę vnitate.

Ast eundem Canonem 6. nobis opponunt hæretici, quod in eo sint verba Primatum Romani Pontificis negantia; additur enim. *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem, & Episcopo Romano parilis mos est, siuè talis consuetudo est.*

Bellarm. loco cit. reiectis explicationibus minùs congruis, respondet, sensum Canonis esse, quod Alexandrinus Episcopus regere memoratas deberet Ecclesias, quia Romanus Episcopus ità consueuit, id est consueuit ante omnem Concilij definitionem regimen illarum Ecclesiarum Alexandrino permittere: quæ est expositio Nicolai I. in epist. ad Michaelem Imperatorem. Similem interpretationem affert Baron. loco cit. quæ conformis est textui antiquiori, & minimè vitiato. Cum enim ibi Patres testentur, Primatum in Ecclesia deberi Romano Pontifici, haud recta esset comparatio cum Alexandrino habente curam Lybiæ, Ægypti, Pentapolis, quæ sunt Prouinciæ amplissimæ, si suburbanæ Ciuitates tantùm, vt hæretici autumant,

mant,

mant, Romano destinatæ essent, quæ sunt pars exigua respectu Alexandrini assignatæ.

Deinde redditur ratio, cur Ecclesiæ Romanæ Primatus debeatur, quia videlicet talis semper fuit consuetudo, seu mos, nimirùm, vt Alexandrinus Episcopus per Romanum Pontificem Prouincias illas obtineret.

III. Primatum hunc non honoris dumtaxat, sed potestatis, ac iurisdictionis à Christo collatæ supponit passim Concilium, & apertissimè canone illo 39. cit. & can. 20. vetat celebrari Concilia præter sententiam Romani Pontificis, & can. 2. Episcopos in grauioribus causis liberè posse ad Apostolicam Sedem confugere; & can. 3. dum iudicat Apostolicæ Sedis Pontifex causam Episcopi, nullus alius in eius locum ordinetur. Et mox, quia inconsulto Romano Pontifice, non est permissum tales causas omninò definire, cùm Petro dictum sit à Domino, *quodcumque ligaueris &c.*

Rayr. Seb. not 3. fructu 1. Canone 39. Nicænæ Synodi ex ijs, qui ex Arabico versi Latinè sunt, dicitur. Ille, qui tenet Sedem Romæ, caput est, & Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, vt qui sit Vicarius Christi Domini Nostri per cunctos populos, & vniuersam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit à Synodo, excommunicatur. Habuit apud se hunc canonem Siud Patriarcha Nestorianorum professus Romæ fidem catholicam anno 1553.

Præterea modus, quo celebratum est Concilium haud obscurè hanc potestatem indicat, nàm primò Syluestri auctoritate coactum est: Constantinus enim Magnus tùm Romæ degens hortatu Syluestri ad sedandas Orientalis Ecclesię controuersias, remedium à Concilio generali quęrendum duxit, & indè digressus per literas conuocare se ad illud professus est Episcopos, quod Patribus etiam sextæ Synodi act. 18. meminisse curæ fuit, vt Bellarmin. lib. 1. de Conc. cap. 13. adducens auctoritatem Damasceni, & Ruffini. Neque vlli ex approbatis Concilijs hæc sententia, & consensus defuit, aut Imperator vllus falcem suæ auctoritatis in hanc messem sibi alienam immittere ausus est, nisi vel hortatu, vel approbatione Pontificis, cuius est cœtus istiusmodi sacratos cogere, dirigere, confirmare, aut reprobare. Et erat insolita iam mentibus, opinio, quod Ecclesiasticus canon prohiberet aliter fieri, vt Socrates lib. 1. cap. 13.

Deindè argumento ponderoso est, quod Hosius Cordubensis Episcopus eò Legatus Syluestri cum Vito, & Vincentio Presbyteris auctoritatem conciliasse dicitur à Cedreno in compendio historiarum, & à Photio in lib. de septem Synodis; primus Patrum sedisse inter Patres, primus subscripsisse, primus sententiam, & mentem Syluestri indicasse, qui tribus omnibus consentientibus, neque refragantibus Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno Episcopis, & Africæ Primate Cæciliano, quibus ipse, vt simplex Episcopus erat inferior, vt Legatus Pontificis Romani personam repræsentans tamquàm superior colebatur, sicut deinceps Cyrillus Alexandrinus in Ephesino primus sedit inter omnes, quod Cœlestini Romani Pontificis vices eius iussu gereret.

Denique quod vnanimi consensu decreta Synodi confirmari à Syluestro Pontifice demissè postulauerint ijs verbis: *Quicquid constituimus in Nicæna Synodo, precamur, oris vestri consortio confirmetur*, præmisso titulo, *Beatissimo Papæ Vrbis Romæ cum omni reuerentia colendo Syluestro Osius Episcopus Prouinciæ Hispaniæ Ciuitatis Cordubæ, Macarius Episcopus Ecclesiæ Hierosolymitanæ* (alibi *Constantinopolitanæ*) *Victor* (aliter Vitus,) *ac Vincentius Presbyteri Vrbis Romæ ordinati ex directione tua, & cæteri Episcopi* 318. *in Domino salutem, &c.* Nimirùm haud dubium eruditissimis Patribus erat, omnia decreta Synodica firmitatem, ac robur à Pontifice Romano accipere, & quod Socrates historiæ inseruit, *Canon Ecclesiasticus vetat, nè decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sanciantur &c.* Ritus hic erat, & vsus ab Apostolica institutione inuiolabiter seruatus à posteris non ab aliqua Synodo constitutus. Idem liquet ex Felice III. epist. 4. & ex decreto ipsius Sylu. in Concil. Rom. tom. 1. Concil. Vt vel hinc pateat error asserentium in Nicæno creatos Patriarchas Romanum, & tres alios. Nam antę Nicænum institutum Romani Episcopi Primatum manifestum est ex appellatione, & recursu ad ipsum ex orbe toto in causis grauioribus, quarum definitionem ab eius auctoritate tanquam supremi Iudicis expectabant: de quo infra. Theodor. Balsam.

CAPVT VII.

Secunda Synodus Oecumenica Constantinopolitana prima, Primatum Romani Pontificis agnoscit, ac veneratur.

1 *De Constantinopolitana Synodo à B. Damaso Romano Pontifice celebrata 56. post Nicænam Annis.*
2 *Macedonius Constantinopolitanus Episcopus, & Eunomius, in Tertia Persona Sanctissimæ Triadis Diuinitatem negantes ab hac Synodo damnantur.*
3 *B. Damasus in sexta Synodo Fidei Adamas appellatur.*
4 *Constantinopolitana Synodus inter Oecumenicas à B. Damaso recensetur.*
5 *Decreta huius Synodi ad B. Damasum tamquam ad Patrem, & Ecclesiæ Caput à PP. pro confirmatione transmittuntur.*
6 *Quare huius Synodi Decreta etiam à Theodosio Imperatore subscribi, & sigillo muniri PP. voluerint.*

ET huic pariter supparem Euangelijs honorem exhibet S. Gregorius Magnus locis superiori capite adnotatis. Et licèt 150. dumtaxat Episcopis coacta constiterit; nihil tamen in ea desideratum, quò minùs legitima, & in Spiritu Sancto congregata ab vniuersa Ecclesia semper sit habita: Ea multis quidem nominibus commendanda, & venerationi habenda: At hoc potissimùm quod intendimus, quia Romano Pontifici, tan-

tanquam supremo fidelium Pastori, ac Domino obsequens fuerit, & eius auctoritatem venerata sit, quam S. Damasus, sub quo celebrata est, moderatè iuxtà, ac efficaciter exercere sui muneris esse duxit, vt ex ijs, quę ipso auctore gesta in illa sunt, liquidò constat.

Primò eius consensu, & imperio conuocati sunt Constantinopolim ex diuersis Prouincijs Episcopi per Literas Theodosij senioris Imperatoris, vt Historici temporis illius prodidere. Theodoretus in primis literas Principum illorum referens, quibus Damasum sic alloquuntur. [Mandato literarum superiore anno à V. Reuerentia, ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum ad iter videlicet Constantinopolim, vsque faciendum nos præparauimus &c. Qui paret mandato, superiorem sibi mandantem, & ius agnoscit imperandi. Animus quidem erat Damaso generale Concilium ex Orientalibus, & Occidētalibus Patribus cogendi: ast illi ob emergentes in Oriente hæreses, & alia incommoda per suas, ac Imperatoris supplices epistolas obtinuere, vt Constantinopoli conuentum agerent, & ad directionem Romani Pontificis de rebus in eo tractandis decernerent, & interim Romæ ex prouincijs Occidentalibus conuenientes Patres plurimi plenissimum celebrauere Concilium, & mirum ob consensum, vnum, & idem visum est cum Nicæno de quo extat Epistola Damasi ad hoc Concilium, & Concilij ad Damasum, vt Theodoret. lib. 5. cap. 9. & 10.

II. Quoniam Synodi cogendæ dedit Macedonius Episcopus Constantinopolitanus occasionem, damnatus in Romano Concilio à Damaso est, cùmque sententiam de damnatione eius, & Eunomij præcepisset Damasus à Synodo hac Constantinopolitana confirmari, paruit illa promptissimè, tùm quia vrgeri se præcepto haud ignorabat; tùm quia anathemate perculsam impij Nouatoris blasphemiam, & ipsa execrabatur; sicut etiam Arius Filij diuinitatem abnegans in Nicæna Synodo damnatus fuerat, ità Macedonius Spiritum Sanctum Deum, ac Dominum non esse docens, & creaturis adnumerans in Constantinopolitana 56. annis post Nicænam celebrata hæreticus declaratus, & diris addictus est Damasi iussu, qui fidei adamas appellatur in 6. Synodo, cuius solida mens aggressionibus, atque conflictibus alienæ à fide opinionis non est vulnerabilis. Ità in Prosphonetico ad Constantinum Imperatorem.

III. Enituit auctoritas Pontificia in declaranda, decorandaque Synodo ista titulo Occumenicæ. in confirmatione dogmatum ad fidem spectantium, in statutis quibusdam rescindendis, quæ vel æquitati, vel Ecclesiasticæ administrationi minùs congruere videbantur, v. g. mutatio sedium non est approbata contrà ordinem à Nicæna Synodo pronunciatum can. 6. tribuente secundum locum Alexandrinæ, tertium Antiochenæ: nihil enim innouandum Damasus censuit, quem Leo magnus imitatus est propter simile decretum Chalcedonensis pariter à se reprobatum, vt Bellarm. l. 2. Concil. 8. siue deinde ab integra Synodo Constantinopolitana mutatio statuta fuerit, siuè post eius absolutionem ab aliquot Episcopis Canon adiunctus fuerit de secundo loco Episcopo Constantinopolitano dando; quod probabilius censet Baron. quia Patres illi profitentur, se à Nicæna nolle discedere, in qua secundo loco numeratur Alexandrinus.

IV. Damasus fidei professionem in Romano Concilio approbatam ad Constantinopolitanam transmisit, in qua plures hæreses cum Macedoniana anathemate cōfixit: quod pœnæ genus non nisi à Iudice Orienti, & Occidenti Præfecto imponi poterat: quod Patres illi agnoscentes nefas arbitrabantur à suo capite dissentire, & idcirco Macedonium, Eunomium, & alios Ecclesiæ perduelles fidelium communione priuarunt. Et ideò dicti sunt volumen Damasi Occidentalium appellatum excipere, & ad eius normam decretis conditis, & Nicænis confirmatis vnanimi consensu hæreses diuersas Orientem discerpentes damnauere.

V. Actorum in hac Synodo exemplari ad Damasum transmisso, confirmationem supppliciter postulauere, & ità impetrauere in omnibus, quæ ad fidem pertinent, vt in paucis alijs, quæ fidei non sunt negari sibi haud ægrè tulerint, & magna semper reuerentia cum illo egerint, Patrem illum, & caput Ecclesiæ ipsum vocantes; se verò filios, ac membra, vt patet ex Epistolis Theodoreti supra citatis à Bellarm. l. 1. conc. paulò antè relato.

Et quanquàm Theodosium Imperatorem sedulò rogarint. vt sua quoque approbatione, ac sigillo muniret, quæ ipsi decreta rata æternum cupiebant, non eo consilio monimentum istud quæsiere, quod necessarium ad eorum vim, valoremque id existimarent, sed solùm, vt frænum inijcerent futuris Imperatoribus, ne sanctissimè à Concilio sancita violarent, exemplo docti Constantij, ac Valentis, qui Nicæno contempto, eiusque saluberrima doctrina posthabita, Arianis adhæsere.

CAPVT XVIII.

Tertia Synodus Oecumenica Ephesi coacta irrefragabile testimonium est Primatus Romani Pontificis in Ecclesia.

1 *Ephesina Synodus contrà Nestorium negantem Christi diuinitatem, & B. Virg. maternitatem Dei.*
2 *Coacta est auctoritate Cœlestini I. & eiusdem mandato præfectus illi Cyrillus Alexandrinus.*
3 *Idem mittit Legatos cum epistola. cui lecta in Synodo acclamauere Patres,*
4 *Nestorius post trinam monitionem non resipiscens anathemate perculsus est.*
5 *Ipse Nestorius rogat Cælestinum, nè damnet suam doctrinam.*
6 *Pro varia negociorum tractatione, cum Theodosio, & Episcopis enituit probitas, & auctoritas Cælestini præsertim in iussione, vt Ioannes Episcopus Antiochenus hæresim Nestorij detestetur, quod & fecit.*
7 *Cælestinus Iuuenalis Episcopi Hierosolymitani Primatū Syriæ affectantis conatus infringit.*

8 Ta-

8 *Patres concilij confirmationem Actorum à Cælestino petunt,*

CElebrata est Ephesi in Asia tempore Theodosij iunioris Imperatoris, & Cælestini Papæ Ecclesiam moderantis anno post Constantinopolitanam 40. si Psello credimus, de quo non est firmus inter Historicos consensus, vt notat Bellarm. lib. 1. de conc. cap. 5. neque solliciti nos de eo sumus, hoc contenti, vt argumenta Primatus Romani Pontificis clarissima ex ea proferamus, qualia sunt.

I. Cùm Nestorius Constantinopolitanus Episcopus duas in Christo personas adstrueret, eiusque diuinitatem negaret, ac proindè etiam Beatam Virginem Matrem Dei esse fateri detrectaret, Cœlestinus I. ad reprimendam viri audaciam, & turbas, & scandala in Ecclesia Dei sedanda, Concilium indixit vsus opera Theodosij, qui suis literis id postulauerat à Cœlestino, & de eius consensu Episcopos ad illud inuitarat, ijque ad imperia prompti Ephesum conuenere non pauciores ducentis, è quibus Patriarchæ reliqui cum Cyrillo Alexandrino, qui paulò antè in Synodo sua Alexandriæ Nestorij impiam nouitatem damnauerat: indèque insaniendi, & tragœdias excitandi occasionem sibi sumpserat homo iniquitatis. Collectam porrò fuisse suo consensu, et auctoritate hanc Synodum testatur ipse Cœlestinus in epistola ad ipsum data: quod argumentum est auctoritatis Synodos conuocandi. Baron. cap. 450. tom. 5.

II. Epistola ad Cyrillum data, quæ inter opera eius inserta est, mandat illi Cœlestinus, vt vniuersæ præsideat Synodo, eamque suo nomine moderetur, dum Legati mittantur Roma, qui vices obeant Præsidum, et quæ in mandatis habeant Patribus Concilij exponant. Libenter, ac reuerentes admisere Patres illi grauissimi in suo cœtu destinatum à Pontifice Vicarium, et locum primum inter sedendum ipsi concessere; quinimò tanti fecere priuilegium istud præsidendi à Cęlestino datum, vt mitra donauerint Cyrillum, et Papæ nomine decorauerint: quo in honore eluxit animus honorandi Cęlestinum, et ius summum, Synodum gubernandi.

III. Missi à Cęlestino Legati ad Concilium, qui functi marinis periculis incolumes tandem Ephesum peruenere, et Pontificias literas plenas pietatis, ac directionis attulere. [Particula earum hæc est. Direximus pro nostra sollicitudine sanctos Fratres, et Consacerdotes nostros vnanimes nobis, et probatissimos viros Arcadium, et Proiectum Coepiscopos, et Philippum Presbyterum nostrum, qui ijs, quæ aguntur, intersint, et quæ anteà à nobis statuta sunt, exequentes: quibus præstandus per Vestram Sanctitatem indubitatus assensus, quando id quod legitur, videatur pro vniuersali Ecclesiæ securitate decretum etc.]

IV. Post lectam in Concilio epistolam Cęlestini ad Patres secuta est acclamatio in plausum vniuersalem Nouo Paulo Cęlestino, [Custodi fidei Cęlestino cum Synodo concordi, Cęlestino vniuersa Synodus gratias agit, vnus, Cęlestinus, vna fides orbis terrarum.]

Excepit acclamationem Philippi Legati Papæ Gratiarum actio istiusmodi. [Gratias agimus sanctæ, venerandæque huic Synodo, quòd literis Celestini Sanctissimi, Beatissimique Papæ vobis recitatis, Sancta Ecclesiæ membra, sanctis vestris vocibus, pijsque præconijs, sancto vestro capiti vos exhibueritis: non enim ignara est Vestra Beatitudo totius fidei, cęterorumque omnium Apostolorum caput Beatum Apostolum Petrum extitisse etc.] Quibus successores Petri, adeòque Cęlestinum caput esse Ecclesiæ confitetur, eamdem veritatem approbante Concilio, et Patribus membra se esse huius excelsi capitis cum gloriatione fatentibus, à quo diuelli piaculum grande reputabant, nec dispendiosum minùs, quàm si membra diuellerentur à capite.

V. Inter cætera mandata Cęlestini hoc potissimum ferebant Legati ad Patres Concilij, vi sententiam damnatæ hæresis Nestorio intimarent, et ni resipisceret, à fidelium communione arcerent. Neque lenti in executione fuere Patres, quippè trina monitione ab ijs præmissa, et à proteruo contempta fulmen anathematis intorsere his verbis.

Quicumque Nestorium non anathematizat anathema sit.
Hunc recta fides anathematizat.
Quicumque cum Nestorio communicat, anathema sit.
Omnes Nestorij epistolas, & dogmata anathematizamus &c.

Fatentur autem ad hanc seueritatem descendisse tàm Ecclesiæ Canonibus, quàm Cęlestini auctoritate compulsos, cui videlicet, vt supremo Pastori obedientia debebatur ob onib. Accessit Theodosij sanctio omnes Nestorij libros damnans petente sacra Synodo, vt comburerentur, inter quæ pestifera erant antigrapha contra Cyrillum. Itàque deturbatus sede Nestorius à sacra Synodo, sic iubente Pontifice, ni resipisceret, permissus est in suo antiquo Monasterio S. Eutropij nominato antè portas Antiochiæ posito degere per quadriennium, sed tum toto eo tempore non desineret insanire, et scriptis catholicam quietem turbare, in Oasim Ægypti prouinciam edicto Theodosij, instante Ioanne Antiocheno Episcopo relegatus in loco Petras dicto aliquandiù exulauit: indè prætextu irruentium barbarorum Nomadum omnia vastantium Panopolim aufugiens coactus est abire in quoddam illius confinium, donec post varias mutationes animi perfidia non mutata, infami vitæ exitu migrauit ad inferos, quippè lingua vermibus corrosa, et toto corpore putredine consumpto animam reddidit. Quæ enucleatiùs refert ex vetere historia Baronius loco cit. Nos ad rem nostram redimus.

VI. Argumentum auctoritatis in Ecclesiam vniuersam suppeditant literæ à Nestorio scriptæ ad Cęlestinum non ex solùm insipienti intentione, vt suam ille doctrinam probaret, sed nè improbaretur ab ipso, cuius definitioni nouerat ex antiquo ritu Orientales Episcopos, quorum multos habebat aduersarios, & Concilia fasces submittere, & damnare, quæ ab illo damnabantur, ne Christi Vicario

cario

cario refragarentur. Idque clariùs ex responsis Cœlestini elucescit, ex quibus tonitru comminationis terrens hæresum seminatorem, vim potestatis super Episcopos ostendit, & ni retractet, quæ sparserat dogmata Scripturæ sacræ Concilijs, ac sanctis Patribus repugnantia, eiectionem à communione fidelium impendere suo capiti non dubites.

Apertè igitur, nequit Cœlestinus, hanc nostram scias, esse sentensiam, [vt nisi de Domino Christo Nostro ea prædides, quæ Romana, & Alexandrina, & vniuersalis Ecclesia Catholica tenet, sicut & sacrosancta Constantinopolitanæ Vrbis Ecclesia ad te vsque optimè tenuit, & hanc perfidam nouitatem, quæ hoc quod venerabilis scriptura coniungit, nititur separare intrà decimum diem à primo innotescentis tibi huius conuentionis die numerandum, aperta, & scripta confessione damnaueris, ab vniuersalis te Ecclesiæ communione deiectum &c.

Dixisset Nestorius Cœlestino, ni superiorem sibi, ac cæteris Episcopis, & Patriarchis nouisset, in qua potestate hoc facis? Quis te constituit iudicem mei? sed nihil horum effutijt, non nesciens Petri Successores habere potestatem ligandi, & soluendi in terris à Christo Domino collatam; & ideò subditum se illi esse, & correctioni obnoxium, vbi à recto tramite exorbitaret.

Confirmat huius supremæ vim potestatis mandatum Cœlestini Cyrillo Patriarchæ Alexandrino traditum, vt Nestorium deponat de Sede Constantinopolitana, ni palam malè conceptam, & pessimè sparsam doctrinam retractet, vt ex particula Epist. 3. ad Cyrillum manifestum est.

[Quamobrem, inquit, nostræ Sedis auctoritate; nostraque vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris, nempè, vt nisi decem dierum interuallo ab huius nostræ monitionis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi Dei Nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & Tuæ Sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique Religio christiana prædicat, illicò Sanctitas Tua illi Ecclesiæ prospiciat.

Simili argumento scriptæ ad Synodum literæ, vbi lectæ publicè fuere, cùm Nestorius ad citationes ter præmissas contumax, maneret, impulere Patres, vt excommunicatus declararetur. [Eorum verba sunt. Edocti itaque partim ex literis, commentarijsque illius publicè lectis &c. per sacros Canones, sanctissimique Romanæ Ecclesiæ Episcopi Cœlestini Patris nostri literas lachrymis suffusi, & penè inuiti ad lugubrem hanc sententiam ferendam vrgemur. Igitur Dominus Noster Iesus Christus, quem suis ille blasphemijs, vocibusque impetiuit, per sacram hanc Synodum eumdem Nestorium omni prorsùs Episcopali dignitate priuatum, & ab vniuerso nihilominùs Sacerdotum consortio, & cœtu alienum esse decreuit &c.] Quem Patrem nominant superiorem agnoscunt Synodales Episcopi, eiusque voluntatis iussa, per literas, perque Legatos Roma missos exequuntur, non solùm in Nestorij damnatione antè eorum aduentum promulgata, sed etiam in alijs, quæ iuxta directionem Cœlestini sunt peracta.

VII. Nestoriani Episcopi num. 43. initio, deindè ad 33. redacti fautore Ioanne Antiocheno offenso, tùm alias ob causas, tùm quod serò aduenienteConcilium inchoassent Patres sine ipso conciliabulum egere Ephesi, & legitimam Synodum per sacrilegam impudentiam excommunicare non sunt veriti, & sæcularium præsertim Candidiani, & Irenæi Comitum apud Theodosium gratiosorum non modò tragædias in populo concitarunt, sed dolosè mendacijs præuentum Imperatoris animum ad suas partes flexere, & infensum Cyrillo in primis vices Pontificis gerenti reddidere, ex quo maxima discrimina Cyrillus, & alij cùm ipso subire sunt coacti: At Cœlestini opera, & bonorum Episcoporum industria diuino fauore fulta, randem veritas effulsit, iniquitas aduersariorum detecta, cessit auctoritati Pontificis, ac Synodi; Imperator sanæ menti restitutus hæresim, & Auctorem eius detestatus à Cœlestino, & Concilio exauctoratum tamdem in exilium relegat, licèt serò consilium Cœlestini sit executus, qui statim Antiochia pelli voluisset; Maximianum in eius locum subrogatum, & à Pontifice confirmatum amplectitur, & tàm ipse, quàm Patres Concilij Legationem mittunt ad Cœlestinum gratulantes ei, quod ad eius nutum, ac mandatum prostrata sit hæresis, serenitas Ecclesiæ redierit, post sæuam ab impijs excitatam tempestatem. Quis in tota hac negotiorum tractatione felici exitu, gratulatione Patrum, ac Imperatoris resipiscentia auctoritatem iubentis Pontificis, ac dirigentis non aduertat?

VIII. Quia Ioannes Episcopus Antiochenus Nestorio adhærens, conciliabuli Ephesini promotor fuerat, & indignum se sua Sede reddiderat, iustis de causis ea non priuandum Cœlestinus cum Theodosio sentiebat; sed ea conditione, vt damnata hæresi catholicum se esse palàm profiteretur. [Sic ille in epist. ad Synodum Antiochenam verò si habet spem correctionis Episcopum, à Vestra Fraternitate volumus conueniri, vt nisi, quæ sentimus, senserit, nouellam blasphemiam eodem exemplo scripta sua professione condemnans, intelligat de se quoque Ecclesiam, quod fidei nostræ respectus imperat, ordinare. Credendum tamen de diuina est misericordia, quòd omnes in viam redeant veritatis, si de supradicto loco horum malorum caput, & causa auferatur &c.] Neque falsus opinione est Cœlestinus, nam Antiochiam reuersus Ioannes Synodum cogit, in qua Nestorium damnat, & ad Xistum Cœlestini successorem epistolam mittit, in qua de hac damnatione monet, & alteram ad Cyrillum, cùm quo reconciliatur.

Qui sollicitudinem erga Ecclesias Orientales etiam primarias ostendit commissam, sibi à Domino earum curam, proculdubio arbitratur.

IX. Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus Primatum Syriæ, ac Palæstinæ suæ Ecclesiæ adiungere nitebatur, & de antiqua possessione à Niceno designata Episcopum Cæsariensem deturbare; & nè ambitioni de-

ser-

seruire videretur, Sanctitatem loci Christi Domini præsentia, & vitæ mortisque mysterijs decorati prætexebat, quæ turbam peregrinorum ex varijs mundi partibus eò trahebat, ac populorum propensionem maiori honore, & obsequijs Antistites Hierosolymitanos prosequi gaudentium; quæque talia in priuatis colloquijs apposité ingerens maximam Episcoporum partem in sua vota flexerat, & rem confecerat, ni Cyrilli obsistentis literis monitus Cœlestinus irritos reddidisset conatus,& iura à Nicœno imposita Cęsariensi sartatecta Apostolica auctoritate conseruasset.

Repulsæ istiusmodi mentionem fecit S. Leo ad Maximum Episcopum Antiochenum scribens,acceptamque Cyrilli Epistolam Cœlestino missam in scrinio apud se seruari fatetur, & indè confirmat pęnes Romanum Pontificem ius residere abolendi, quæ minùs rectè ab Episcoporum etiam multitudine decernùntur. [Hoc, inquit, proprium definitionis meæ est, vt quantumlibet numerus Sacerdotum amplior, aliquid per quorumdam subreptionem decernat, quod illis trecentorum decem, & octo Patrum constitutionibus inueniatur aduersum, id iustitiæ consideratione cassetur, quia vniuersæ pacis tranquillitas non aliter poterit custodiri, nisi sua Canonibus reuerentia intemerata seruetur &c.] Nimirùm Iuuenalis quod negatum à Cœlestino fuerat, hoc rursùs assequi in Chalcedonensi tentauit, ast Leo tàm Canonum, quàm iustitiæ obseruantissimus, eadem, qua Cœlestinus vsus auctoritate,tàm strennum aduersariû,se prębuit iterato conamini,quàm supremû Ecclesiæ Præsidem,& Iudicem agere perrexit.

Denique haud ignari Patres Concilij ad roboranda Acta opus esse confirmatione Pontificis, eam per Cyrilli literas obnixè petunt à Cœlestino. *Quoniam*, inquit Cyrillus, *necessitas pòstulauit, vt quæ consecuta sunt in hac sancta Synodo, omnia ad cognitionem Sanctitatis vestræ referantur, necessariò scribimus, &c.*

CAPVT IX.

Concilium Chalcedonense Oecumenicum IV. Primatus Successorum sancti Petri argumentum est euidentissimum.

1 *Ad sedandas turbas ex hæresi Dioscori, & Eutychetis in Oriente ortas Marcianus Imperator cum S. Leone Pontifice de cogendo Concilio tractat.*
2 *S. Leo mittit tres Legatos, qui suo nomine Concilio præsideant.*
3 *Adest Concilio Imperator non vt Iudex, sed vt ornamentum, & tutamentum,*
4 *Prohibet S.Leo,ne Dioscorus,sedeat in Concilio,priusquam suæ doctrinæ rationem reddat.*
5 *Id facere renuens Dioscorus priuatur dignitate à Legatis nomine Pontificis.*
6 *Exilium, & infelix exitus Dioscori, & Eutychetis.*

QVartum est hoc Oecumenicum Patrum numero, negotiorum magnitudine, varietate rerum celeberrimum, auctoritate Romani Pontificis illustre.

Primò, Dioscorus Alexandrinus Episcopus, & Eutyches Monachorum Archimandrita negabant in Christo Domino duas naturas diuinam, & humanam in vna personalitate inconfusas, & distinctas, ac vtramque confundentes in vnam, vt Nestorio duas personas inuehenti aduersarentur, & specie pietatis ingentes discordias inter fideles induxere; quas vt sedaret Marcianus Imperator, necessarium ratus Concilium Episcoporum, non priùs conuocationem eorum aggredi,sibi licere duxit, quàm S. Leonem Pontificem consuleret, & consensum obtineret. Audi Pium Imperatorem eidem scribentem. Pro Reuerenda, & Catholica Religione christianę fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari tuam Sanctitatem, principatum in Episcopatu diuinæ fidei possidentem sacris literis in principio iustum credimus alloquendum, inuitantes, atque rogantes, vt pro firmitate, statuque nostri Imperij æternam Diuinitatem tua Sanctitas deprecetur, vt & tale propositum, atque desiderium habeamus, quatenùs ab omni Imperio errore sublato per celebrandam Synodum te Auctore maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ, fiat &c. Inuitat præterea ipsum, vt dignetur, interesse Concilio, sed iustis de causis non licere, id sibi respondet Epist.47. in qua Legatos se mittere suas supplentes vices, attestatur. *Tamen*, inquit, *in ijs fratribus Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt me Synodo fraternitas vestra existimet præsidere &c.*

Paschasius erat Episcopus Lilibæi in Sicilia, Lucentius Episcopus Asculanus in Marchia Anconitana: Bonifacius, & Basilius erant Cardinales, ijsque primus locus in Synodo datus, quam à se indictam testatur S. Leo epist. ad Turibium, quæstione 93. cap.17.

Præsidebat ergo S.Leo Concilio corpore quidem absens, sed auctoritate, directione, legatione præsens. Vndè sunt illa honorifica Patrum de hac præsentia testimonia, act. 3. post finem Concilij. *Tu quidem sicut membris caput præeras in ijs, qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens: Imperatores verò ad ornandum decentissimè præsidebant &c.* Et ipsis quidem Imperatoribus Marciano, & Pulcheriæ eminentior concedebatur locus, absque inuidia, contentionisuè periculo; At ne cui Prælationis in Synodo, iurisuè in dicenda sententia suspicio subreperet, idem pijssimus Imperator initio actionis primæ disertè professus est, non ad ostendendam virtutem (quæ videlicèt sacrorum erat Antistitum) adesse Synodo exemplo Constantini, qui Nicœnæ adfuit, non vt Iudex, aut suffragij ius vsurpans, sed vt ornamentum splendidissimo cœtui decus addens,& vt tutamentum ad sedandos tumultus, si fortè excitarentur. Hos imitatus est Basilius Imperator in Constantinopolitana IV. quæ fuit octaua Oecumenica Synodus, protestatus non licere Laico immiscere se iudicijs Ecclesiasticorum, & subscribere quidem se vltimum Episcoporum suasione primo loco inuitantium, at non vt de-

finientem, ſed vt continuantem illis ius definitionis habentibus.

Theodoſius etiam iunior in Epiſt. ad Epheſinum Concilium dixerat. *Illicitum eſt, eum, qui non ſit in ordine ſanctiſſimorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis ſe immiſcere tractatibus.*

II. Si ergo vniuerſa Synodus. hoc eſt ſexcentorum triginta Epiſcoporum caput ſuum Leonem vocat, ſe verò Imperator Marcianus directorem, & indictorem optat Synodi, vt ſit legitima: Si Legati ab ipſo mittuntur Pontifice, qui præſideant, & præſentiam eius suppleant, qualis quantæque inſipientiæ fuit eorum, qui primi à rectitudine ſapientiſſimorum virorum declinantes eorum iudicium ſuo priuato poſthabuere, & Primatum Pontifici Romano denegauere?

III. Paſchaſinus Legatus initio Act. 1. ſic ſic ſermonem orditur. *Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri Papæ Vrbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt eius Apoſtolatus, vt Dioſcorus Alexandrinorum Archiepiſcopus non ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur*, & Concilium quidem promptum ad obediendum ſe præſtitit: At Dioſcorus ter vocatus, ter comparere recuſauit; ideò contra ipſum hæc lata à Legatis ſententia.

[Sanctiſſimus, ac Beatiſſimus Archiepiſcopus magnæ, & ſenioris Romæ Leo per nos, & per præſentem hanc Synodum, vnà cum ter beatiſſimo, & omni laude digno beato Petro Apoſtolo, qui eſt Petra, & crepido catholicæ Eccleſiæ, & ille, qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudauit eum tàm Epiſcopatus dignitate, quàm etiam ab omni ſacerdotali ab alienauit miniſterio &c. Subſcripſere ſexcenti triginta Patres ſinguli ſingulis ſententijs perſtringentes Dioſcori impietatem.

Ob id redeuntibus Epiſcopis ad ſuas Eccleſias, Dioſcorus Gangram Paphlagonię armata manu abducitur, ibique miſerè pęnas ſcelerum luens infelix moritur. Eutyches item anathemate à Legatis perculſus, & exilio damnatus non longè à Conſtantinopoli cum non ceſſaret venena hęreſum ſpargere longiùs amandatus à Marciano Leonis monito, eſt, quò locorum, incertum, ſed illud certum, quòd mortuus eſt impœniteus infęliciter. Nullus Patrum illorum mandatis Pontificijs obſtitit, quia nota erat omnibus poteſtas ſcibentis, & neceſſitas obediendi.

Accedit huc reprehenſio Anatolij Epiſcopi Conſtantinopolitani, & repreſſa audacia in Eccleſiæ Conſtantinopolitanę arrogando Primatu pòſt Romanum, vt ſubderet ſibi Alexandrinam, & Antiochenam, ac emendata temeritas in ſacroſanctę Nicœnę Synodi Conſtitutionibus infringendis. Ità ad Pulcheriam reſcribens Leo. [Conſenſiones verò, inquit, Epiſcoporum, & Sanctorum Canonum apud Nicœam conditorum regulis repugnantes vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorsùs definitione caſſamus &c.] En conſtantiam in Nicęni Concilij diuinitùs edocti ſtatutis generoſa pietate tuendis; en magnanimitatem in Apoſtolicæ Sedis exercenda poteſtate, & S. Petri hæreditate ad ſucceſſores tranſmiſſa aſſerenda enitente: Nam velut in Arimineuſi Valentis, & Vrſacij artibus, ac dolis circumuenti Patres incautè culpatis ſententijs ſubſcripſerant; ità & in Chalcedonenſi Anatolij fraudibus decepti Epiſcopi probauerant improbanda, & improba, quæ cùm abolita voluit Leo, æquiſſimæ ceſſere voluntati, iuſta, ac ſancta præcipientis, qui priùs conſenſerant Anatholio ſpecioſis tecto rationibus ambitu eorum ſubſcriptiones extorquenti. Atque ità conſultum Eccleſiæ bono, & fidei puritati in Nicœno firmatæ, & Sedis Apoſtolicæ poteſtas declarata ſuper omnium Epiſcoporum, & Patriarcharum Concilij collectionem, tàm decretorum à recto aberrantium reſciſſione, quàm multiplici per varias Orientis Eccleſias etiam primarias ritè adminiſtrandas ordinatione, munerum Eccleſiaſticorum diſtributione, erratorum, vbi opus erat, caſtigatione, & id genus functionum exercitatione, quibus niſi ſupremum imperium in Leone cognouiſſent generoſa Concilij pectora ſuæ Nationis iuxta, ac Eccleſiarum Orientalium amantia reſtitiſſent Legatis in faciem, & illorum deſtinatori in contemptum; quibus tamen curuauere genua, & primas dedere in Seſſionum ordine, in ſententiarum prolatione, in Decretorum ſubſcriptione, haud ignari, ità illos Pontificis Romani repręſentatores eſſe, ſicut Pontifex ipſe S. Petri perſonam ſuſtinet, & Chriſti vices gerit in terris, vt propterea confidenter ſcientibus legem reuocarint in mentem, qua auctoritate Dioſcorum exauctorarent proloquio ſupra relato. Tàm verò legitimus fuit anathematiſmus iſte, tàm prudenter, tàm ſanctè intortus in Hæreſiarcham, quàm ſpuriùs, quàm temerarius, impius Satanicus ille, quo petere auſus ipſe fuerat Summum Patriarcham, horrentibus bonis omnibus inſaniam, & tota Synodo ſacrilegium abominabile deteſtante. Sed quemadmodum Diabolus innata malitia imitari, plerumque connititur opera Altiſſimi permiſſione iuſtiſſima; ità Diaboli alumnus Dioſcorus iniquiſſima imitatione aſſumere, ſibi partes Romani Pontificis eſt aggreſſus, & fulmen in Leonem retorquere irrito conatu tentauit. Numquid poteſt Erebus fulminibus ferire cœlum, aut confixi vlulatus lupi ſydera, ſolemne perterrerefacere?

V. Illæ verò voces Angelicæ ſunt principatui Romani Pontificis acclamantium, & encomia, quibus ſupra cœlorum faſtigia ipſum euehit ſancta Synodus, & paſſim per ſuas actiones ſuprà cæteros Epiſcopos extollit, dominumque prædicat.

Colligo è multis pauca, ceù è patenti prato florum faſciculum, aræ veritatis appendendum. Vocant illum Patres Synodi Caput Eccleſiæ in Epiſtola ad S. Leonem, ſecuti exemplum Nicœnæ, Caput, & Principem omnium Patriarcharum nuncupantis; caput, inquam, à quo membra, quid credendum, quid opinandum, quid tenendum ſit, quærere debent, vt S. Cyrill. in Theſauro. Ratio nominis huius multiplex, ſed illa potiſſima, quòd ſicut in corpore principatum obtinet caput, ſubiectiſque præſidet membris; ità Romanus Pontifex in Eccleſiæ corpore

pore Princeps est omnium fidelium, cuiuscumque sint gradus, ac eminentiæ. Secundò, idque diserte eadem Synod. Act 6. haud sine quadam gloriatione in Domino profitetur, insignire gauisa titulo Apostolici vniuersalis Ecclesiæ, & Episcopi omnium Ecclesiarum, quem Act. 3. Archiepiscopum vniuersalem appellauerat. Tertiò. Eiusdem sunt illa præconia, Custos vineæ Saluatoris, Interpres vocis B. Petri omnibus constitutus, proindè etiam interpres vocis Christi, cuius Vicarius Petrus est, Petri Apostoli dignitate præditus, & similia, quæ sexcentorum, & vltrà Patrum iudicia de Primatu Romanæ Sedis inspirata diuinitùs, repetitaque contestatione manifestant, & nobilissimos de eius excelsæ dignitatis vertice sensus laudationum aggeratione produnt. Iam verò, quis tàm insipiens, & effrons, qui crimen adulationis tàm numerosæ in nomine Domini congregatæ multitudini affingat, aut præpostere ab ea simulatas laudes, si scriptura duce, traditione comite, longo vsu, & consuetudine ab Apostolorum, vsque tempore certò norunt sapientiæ plena capita citrà grande piaculum, non esse ab antiqua regula resiliendum?

VI. In ea maius momentum posuere Patrum prudentiores, quàm in miraculo, quod ad sanctæ Euphemiæ patratum narrant Historici non contemnendi, Constantinus Episcopus in Oratione de inuentione sacrarum Reliquiarum sanctæ Euphemiæ, Zonaras; Nicephorus à Baronio relati, in circumstantijs quidem describendis non omninò similes, at in facti substantiæ narratione concordes, eatenùs, vt in veritate catholica à Concilio asserta confirmanda, & hæresi reijcienda prodigium optatum contigisse, vnanimi consensu affirment. *ad ann. 451.*

Annal. to. 3. Zonaras ità fermè recenset. [Cùm Eutychetis, & Dioscori Sectatores, qui in Vrbe versabantur, decreta Concilij subsannarent, eiusque auctoritatem non veritate, sed potentia Imperatoris niti dicerent, & prauitatem sententiæ suæ stabilire conarentur, Anatholius Patriarcha, & suffragatoribus suis, & aduersarijs conuocatis, ita loquitur. Quoniam sententiam vestram adhuc mordicus tenetis, neque vos perperam sentire creditis, sed nos incusatis, quasi Nestorij dogma approbemus, cùm duas naturas in Saluatore prædicemus, vtramque citra confusionem proprietatem suam retinentem: Istius controuersiæ dubitatio, si placet, Deo permittatur. Scribatur igitur vestra de fide sententia in vno libello, & nostra in altero, atque ambo in loco gloriosæ martyris Euphemiæ collocentur, & huius iudicium esto, vtri rectè an perperam sentiant. Hæc cùm Hæreticis etiam placuissent, Libelli scripti remoto lapide, qui loculum claudebat, pectori Martyris apponuntur, & lapis in suum locum repositus ab vtraque parte signatur. Dehinc supplicationes fiunt, & preces ad Deum peruigiles, vt demonstret, vtra sententia ei cordi sit, & quæ reijcienda videatur. Post triduum conueniunt, Imperatore etiam præsente. Aperto loculo, ò rem mirabilem, Libellus Hæreticorum ad pedes Martyris inuenitur, alter in manu eius dextera, quam extendisse fertur ad Imperatorem, & Patriarcham, ac Libellum eis porrexisse. Itàque rectæ sententiæ Assertores plaudere; Aduersarij verò demissis vultibus, & pudore caligantibus abire, quidam etiam veram sententiam amplecti, &c.

Non legimus Concilij vllius Oecumenici Patres, miraculis explorare tentasse veritatem, cuius norma scriptura est, traditiones, & implorata sancti Spiritus illuminatio, nusquam denegata ijs, qui in nomine Domini conueniunt, hoc est legitimè, & Romani Præsulis iussu vocati veniunt, auctoritate, ac regimine eius diriguntur. Verùm credibile est, instinctu peculiari Anatholium Episcopum à Deo motum inconsulta Synodo ad insolitum remedium confugisse, quo solo putabat obstinatam Hæreticorum phrenesim posse sanari. Etenim vt factum inficiari, quòd Scriptores fide digni memoriæ prodidere, haud ingenui animi est; ità ausus istiusmodi in mouentem spiritum referendos pij homines, & in sacris eruditi historijs non diffitentur: cuius impulsionis tota ratio, voluntas impellentis spiritus est, ad benè merendum de humano genere propensi; ideoque laudandi, qui se promptos ad eum sequendum præbent, à quo procul omne periculum leuitatis abest. Non fuit hoc primum diuinæ manifestandæ approbationis, & beneuolentiæ, erga S. Leonem cælitùs præstitum prodigium; præcesserat alterùm Romæ, testificatione, vt asseritur, S. Gregorij Papæ, relatione S. Eulogij Episcopi Alexandrini, scriptione Sophronij commendatum, quod inseri hìc operæ pretium est, tanquàm monumentum antiquitatis, Romanum Pontificem caput Conciliorum, meritò agnoscentis, & regulam credendi in fidei controuersijs, ab illo deposcentis, cui spiritum sanctum in definiendo, & vera à falsis distinguendo præsentem esse, minimè ambigendum, non ambigeret.

[Narrauit nobis, (ait Sophronius,) & hoc Abbas Menas eius Cœnobij Pater, audisse se, eumdem Abbatem Eulogium Alexandrinum Patriarcham dicentem. Cùm profectus essem Constantinopolim, fruitus sum contubernio Domini Gregorij Romani Archidiaconi, & singularis viri, qui narrauit mihi de Sanctissimo, ac Beatissimo Leone Romano Pontifice, dicens, haberi scriptum in Ecclesia Romana, quòd cum scripsisset Epistolā ad Sanctum Flauianum Constantinopolitanum Episcopum contra impios Eutychetem, & Nestorium posuerit eam super tumulum Principis Apostolorum Petri, & orationibus, ac vigilijs vacans orauerit, ipsum summum Apostolum dicens: Si quid vt homo, vel minùs cautè posui, Tu, cui à Domino Saluatore Nostro Iesu Christo, & hæc Sedes, & Ecclesia commissa est, emenda. Post 40. verò dies apparuit ei Apostolus, ac dixit: legi, & emendaui, sumensque epistolam de sepulchro B. Petri, aperuit eam, & inuenit Apostolica manu emendatam, &c. Auctor vitæ Leonis initio operum eius ait: Tersam, & elaboratam epistolam dies reddidit quadragesimus, addita simul reuelatione certissima, successum illi tribuendum esse, cuius pia dignatio, & fida dilectione in persona, quidem imparis tepescit hæredis &c.] Et verum quidem est, quod ibidem refert, hìc auctor à *In prato spiritual. c. 147.*

C 2 Chal-

Chalcedonensium Patrum cœtu summoperè epistolam comprobatam esse; sed non ad illos primò scripta est, anteà enim tempore Theodosij ad Flauianum, missa fuerat legenda in consensu Patrum Concilij Ephesini, vt toti Orienti vera fides Incarnationis per linguas Apostolorum disseminata, & à Sede Apostolica strenuò semper defensa innotesceret, ac hæresis Eutychiana aboleretur. Eamdem toti Occidenti communem esse voluit, transmisso ad omnes eius Episcopos exemplari, à quibus tanto cum applausu fuit acceptata, vt publicè in Ecclesijs eam legendi in morem induxerint singulis annis mense Decembri appetentibus festis Domini Natalitijs, quibus mysterij Incarnationis ab hæreticis præposterè inuersi recurrit commemoratio, & fideles natum de Virgine verum Deum, hominem adoratione colunt, & duas naturas inconfusas, vnamque personam confitentur. Et quia ad eius normam Synodus Chalcedonensis decreta confecit, renouare in ea summo Numini miracula placuit, in Ephesina cœpta, quæ persequi longiùs, instituti haud est nostri, eo contenti, vt ostendamus, non externam solùm Ecclesiarum, & Conciliorum moderationem indicem fuisse vniuersalis Primatus Ecclesiasticæ dominationis Romani Pontificis in prima Cathedra à cœlestis aulæ Imperatore constituti; sed multò maximè credendi regulam infallibilem ab eo petendam, in eaque velut in portu quiescendum, vbi controuersiarum fluctus Petri nauem circumagunt, & iudicia humana rapiunt in diuersa. Cuius sanè veritatis assensui signa, prodigiaque adiumento sunt non modico; est fundamentum solidum in sacræ Scripturæ solo ab eius auctore profundò iactum fuit, cuius intelligentia, verique sensus interpretatio ab eo expectanda, quem constituit Dominus super familiam suam, nè nullus sit, qui lites dirimat turbas sedet, pacem tantoperè ab ipso commẽdatam componat, vbi emergunt ab inferis ingenia turbida, inquieta, sacrilega, qualia fuere Arius, Nestorius, Dioscorus, Eutyches, quos epistola Leonis gladio spiritus iugulauit, ideoq; suprà sydera euecta ab Orientalibus, & ab Occidentalibus, vt cælitùs delata ingratis aduersarijs, quos stygius veterator dementauit, vt merito Gelasio Papa pronunciatum sit; [Probamus epistolam B. Leonis Papæ ad Flauianum Constantinopolitanum Episcopum destinatam; cuius textum quispiam, si vsque ad vnum iota dispunxerit, & non in omnibus eam venerabiliter receperit, anathema sit &c.] Honor iste maximus epistolari textui delatus argumentum est meo Quarto Maximo probationem concilians.

Baron ad annum 449.

In Concilio Romano idē S. Gregor. lib 3. epist. 45 53.

VII. Legati ad hoc Concilium suprà commemorati omnium nomine à Sanctissimo Papa Leone confirmationem Decretorum ab illo postulauere probè scientes, ea veluti membra inaniam, ac languida vigore carere, nisi ab hoc spiritu vitam, roburque sortiantur. [Rogamus, inquiunt, & tuis decretis nostrum honora iudicium, & firmitas tua filijs, quod deest, adimpleas &c.] quod intelligendum de ijs, quæ statuerant præter ea, quorum Legati habuerant instructionem ad fidem spectantium contrà Dioscorum, eorum enim non erat necessaria confirmatio, quæ certum erat, definita iam à Pontifice, sed de alijs, quæ in Concilio fuerant constituta, atque vt rata essent, Pontificia egere confirmatione in comperto Patribus erat.

Bellarm. lib. 2. Concil. cap. 11.

In hac ergo numerosissima Synodo nihil eorum desideratum est, quæ Apostolici Canones requirunt, & à Deo illuminati Patres seruandum tradidere, vt in nomine Domini collecta existimetur, ac proindè digna, vt in medio eius sederit Magister cælestis, quæ sibi sint placita inspiratione diuina suggerens, & linguas ad ea explicanda, manusque ad ea comprobanda dirigens. Vt mirum non sit, obseruantiam decretorum eius in Oriente & Occidente floruisse, teste Gregorio Magno, cuius est hæc responsio lib. 7. epist. cap. 53. ad Secundinum.

[Valdè libenter accepi, quòd tua me charitas de sua dubitatione requisiuit, an Orientales Ecclesiæ fidem, atque doctrinam sanctę memoriæ Leonis sequantur, nè fortasse earum sensus inter semetipsas, pro trium capitulorum defensione diuisus sit. Vndè certam dilectionem tuam esse desidero, quia prædictæ Orientales Ecclesiæ vno sensu, vnâ doctrina fidem eiusdem sanctę memorię Leonis tenent, sanctamque Chalcedonensem Synodum, ità nobiscum custodiunt, atque venerantur, vt nullus Episcopus reputetur, qui eiusdem Synodi defensor, sectatorque non fuerit, &c.] Cum autem præteritarum trium Synodorum Nicænæ, Constantinopolitanæ, Ephesinæ scita, auctoritatemque confirmarit Chalcedonensis, consequens est omnium quatuor decretis venerationem ab Ecclesia vniuersa diù exhibitam, & Romanum Pontificem pro illius capite, & vniuersali Pastore habitum, & prædicatione veritatis à Concilis agnitæ in ea permansisse vnitate fidei, quam Sedes Romana seruat, seruabitque ad extrema vsque tempora, nequicquam obnitentibus Inferorum portis eam rescindere.

Nullum, post hæc quatuor Oecumenica, fuit, in quo non extent impressa vestigia vestigia venerationis, ac obsequentiæ ergà Romanum Pontificem tamquam Pastorem supremum Ecclesiæ vniuersæ. Sed luculenter in 6. Synodo in epist. ad Agathonem Papam. [Tibi vt primę Sedis vniuersalis Ecclesię Antistiti, quid gerendum sit, præmittimus stanti suprà firmam fidei petram, acquiescentes veræ confessionis literis à Vestra paterna Beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis, quas vt à summo Apostolorum vertice diuitùs scripturas agnoscimus, per quas exortam nuper Hæreticorum sectam depulimus, &c.] Et Florentinum sess. vltima verbis illis. [Credimus sanctam, & Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum esse successorem B. Petri principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totius Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, &c.] In hac autem Synodo interfuere Orientales præcipui, quibus nota erant Nicænę primæ, & trium sequentium decreta, in quibus Romani Pontificis auctoritas in Ecclesiam vniuersalem clarebat; & idcircò ad illam agno-

sceu-

scendam planè conuicti, calce abiecto schismate, manus veritati dedere, & Ecclesiæ Romanæ vnire se felicitati duxere.

CAPVT X.

Ex Traditione Ecclesiæ Primatus Romanis Pontificis manifestus.

1 *Tenendas esse Traditiones Scripturæ Sacræ, & Patrum probant testimonia.*

2 *Ex ijs constat vsus Ecclesiæ Primitiuæ ab Apostolis edocta in Primatu Romani Pontificis approbando.*

3 *Dogma catholicum est Pontificem Romanum esse caput Ecclesiæ vniuersæ.*

4 *Ideò ad illum fit recursus ex prouincijs Christianorum in causis grauioribus fidei, ac morum.*

NON disputo contrà vos Sectarij, qui Traditiones negatis, & confusionem, pudoremque vestrum obtegitis vanissimo velamine sufficientiæ verbi scripti, quod pridem reductum, ac discissum est catholico stylo scriptorum nostrorum. Assentior Patribus è verbo scripto doctrinum non scriptam circà fidem, & mores versuntem (quam nomine traditæ, & in sacris libris minimæ scriptæ) cum ipsis statuo.

Primò necessariò tenendas traditiones ad absolutam cognitionem, ac obseruationem disciplinæ, quam Catholica Ecclesia profitetur. Recenset longa serie Bellarm. t. 1. l. 4. de Verbo Dei non scripto cap. 7. Patres Latinos, & Græcos, & ostendit vana esse effugia hæreticorum, & præposteras interpretationes ad clarissima illorum testimonia adhibitas, nobis sufficiunt pauca non ex instituto punctum istud tractantibus, sed veritatem eius ab Ecclesia Catholica receptam supponentibus.

[S. Dionys. Areop. cap. 1. Eccles. hierarch. Primi illi nostri sacerdotalis muneris duces, summa illa, & supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt.] Negas libros istos esse Dionysij. At opera hæc in VI. VII. & VIII. Synodo citantur nomine Dionys. Areopagitæ. Quibus magis credendum, tribus ne Concilijs, an duobus hæresiarchis à cetu Catholicorum profugis? Deindè esto libri isti alterius sint auctoris; Profectò grauis ille est, & antiquus, siquidem nominatur à Gregorio I. in homil. de centum Ouibus à Martino I. in Conc. Rom. & ab Agathone in Epist. ad Imper. Constantinum; scriptor ergo hic antè mille annos vixit.

[S. Irenæus l. 3. cap. 2. Euenit neque scripturis, neque Traditioni consentire eos.]

[S. Basilius l. de Spiritu Sancto cap. 29. Apostolicum arbitror esse, etiam in non scriptis traditionibus perseuerare.]

[Tertul. l. de corona milit. si legem postulas, scripturam nullam inuenies, Traditio tibi prætenditur auctrix.]

[S. Chrys. in cap. 2. epist. 2. Thessal. Hinc patet quod non omnia per Epistolam tradiderint, sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide digna sunt, tàm illa, quàm ista.]

[S. August. lib. 5. contrà Donatistas cap. 23. Quæ vniuersa tenet Ecclesia ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur. Idem habet l. 2. de Bapt. contra Donatistas, & epist. 118. & l. de Vnit. Eccles. cap. 19. & l. 10. de Ciu. cap. 23. [Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua reputanda, nec omninò credenda, nisi apostolica esset traditio.

S. Hieron. in epist. ad Marcellam de erroribus Montani. [Nos vnam Quadragesimam ex Apostolica traditione tempore nobis congruo ieiunamus.]

Nec desunt Apostoli Pauli documenta, illud in primis epist. 2. ad Thessal. cap. 2. [Tenete traditiones, quas didicistis siuè per sermonem, siuè per epistolam nostram.] Dicere autem traditiones per sermonem omnes deinceps scriptas fuisse, non modò diuinare, sed ineptire est, ad vim argumenti eludendam; quàm multa enim dixit Apostolus voce tenùs circà Sacramentorum administrationem, quæ scriptis non mandauit, neque mandare opus esse existimauit? de Eucharistiæ sanè sumptione, & præparatione ad eius sumptionem, pollicitus est in suo Corinthum aduentu dispositurum præter ea, quæ in Epistola notauerat, & tamen quænam illa sint, non mandauit scripturæ.

Deindè statuo Verbo Dei scripto de Primatu Petri super Ecclesiam Vniuersam constare ex Matth. 16. & Ioan. 21. iuxtà sanam Patrum, & conciliorum intelligentiam ex supradictis, proindè etiam de eodem in successores deriuato ob rationes superiùs allatas; Sed insuper ex traditione nullum relinqui dubitandi locum apud eos, quibus tantum superest iudicij, ac verecundiæ vt Conciliorum, & Patrum auctoritatem aliquo habeant loco, & non penitùs conculcent, quod aduersarium suis inuentis experiantur. Dicam ampliùs, qui Primitiuæ Ecclesiæ modum seruantis, quem ab Apostolis edocta fuerat, morem, ac sensum tanquàm à Christo profectum, aut à Spiritu Sancto eius Rectore inspiratum non contempserint; Atqui apud illum Romanum Pontificem Pastoris, ac Patris tenuisse vices, ac munus, & historicorum narratione, & Conciliorum definitione compertum est; quid ergo desiderari ampliùs potest ad fidem, quam Traditio ingenerare potest in animis, non desperatione agentium in negandis, quæ negari se non patiuntur ob sui euidentiam; nec obduci glossationum tenebris ob sui claritatem?

Tertiò ex ijs conficitur, indubitatum esse dogma Catholicorum Concilijs, Patribus, & Ecclesiæ inhærentium, ac Romanum Pontificem tanquàm caput fidelium à Deo constitutum agnoscentium. Cum enim duplex sit Traditionum genus, alterum generale complectens doctrinam tàm scriptam, quàm non scriptam ab vno communicatam alijs. Alterum particulare, & proprium, quod à Theologis doctrinæ non scriptæ accommodatur: siuè illa habeat auctorem Christum, siuè Apostolos immediatè; siuè viros Apostolicos ab ipsis instructos in ijs, quæ ad fidem, & mores,

& Ec-

& Ecclesiæ regimen pertinent, ex omni parte probatio petitur Primatus, quem tuemur. E doctrina scripta quia tuba Euangelica hunc personat, dum eum Pastorem ouium, & agnorum Christi, ac proindè totius ouilis custodem, Rectoremque proclamat: Ex doctrina non scripta quæ scriptæ fidelis est interpres, & verorum magistra sensuum, quia laudabilis hæc consuetudo in Ecclesia nascente, & adulta viguit, vt Petrum, ac successores Præsides sibi à Deo datos fateretur, & obsequio, ac reuerentia testaretur; subortas controuersias eorum iudicio componendas subijceret: ab omnibus Mundi Prouincijs Christum colentibus recursus ad illos fieret, tanquàm ad Iudices lites dirimere cum auctoritate valentes Concilia eorum nutu cogerent; directione regerent, imperio moderarentur, approbatione firmarent, quæ cuncta vberiùs supra explicata, probataque capiti huic inseri, repetique compendio par est, nè desideretur ex Traditione petita probatio, quæ prudentiam, ac pietatem commendat Orthodoxorum, dementiam, ac impietatem condemnat; eterodoxorum ad purum Verbum Dei prouocantium, quod quia in multis refragari suis inuentis aduertunt, & abolere nequeunt, detruncant, inuertunt, scholijs ad sua placita congruis, Sanctorum Patrum interpretationi incongruis inficiunt; Traditiones, quià plurimum in factis, ritibusque consistunt, & vitiari verborum ambagibus non possunt abrogatas penitùs volunt, quicquid antiquitas veneranda, quicquid auctoritas grauissima, quicquid ratio menti insita, quicquid religio cęlitùs indita pectoribus, contrà reclamet.

Deniquè Primatus istius veritas duplici firmata vinculo Verbi scripti, & Traditionis articulum de fide constituit nulla Portarum Inferi vi rescindendum, nullo argumentationum oppugnantium hæreticorum conatu labefactandum. Et quamuis inter illos minimè numeretur, quorum cognitio necessaria sit ad salutem, vt est Symboli Apostolici, & præceptorum Dei, attamen hinc dispositio, & præparatio cordis exigitur ad credendum vbi fuerit opus; inde non toleratur dubitatio de veritate certa, quam Patres, quam concilia, quam scriptura ipsa sacra sartam tectam esse peruolunt. Argumenta quidem multa Ethica, historica, & auctoritate Patrum proferunt hæretici non pauca, vt Verbum nō scriptum minimè fauorabile demonstrent Pontificatus apici; sed nullo negocio à nostris scriptoribus dissoluuntur, qui & respondendo curam adimunt nobis magis ad nostra confirmanda, quàm ad aliena impugnanda intentis, præsertim vbi cum illis agendum est, quibus hæresis lucem eripuit, educatio obstinationem induxit.

Bellar. lib. 4. de verbo Script. cap. 9.

CAPVT XI.

Confirmatio dictorum ex perpetuis veterum appellationibus ad Romanum Pontificem.

1 *Recursus est ad eum, qui potestatem habet iudicandi de controuersiis,*
2 *Hunc fuisse ad Romanum Pontificem à primis, vsque Ecclesia temporibus ostenditur ex Patribus.*
3 *Irenæo, Basilio, Melchiade, Ambrosio.*
4 *Et ex recursu multorum, Athanasij, Chrysost. Basilij, Petri Alexandrini, & aliorum.*

NEmo sapientum prouocat ad Tribunal iudicandi auctoritate carens, vel ad Principem alienum, si causa ceciderit apud suum. Finge damnatum à Rege Galliæ ad Regis Hispaniæ opem confugere, nouamque Causæ cognitionem postulare, an sanæ mentis hunc censeas Prouocatorem? Si ergo Patres vnum docent, esse Supremum Iudicem in Ecclesia, si Episcopi Nationum inter se, vel cum Potentatibus dissidijs certent, litium determinationem, eius submittunt arbitrio; Si Concilia, fidei morumque controuersias tùm demùm ritè dissolui arbitrantur, cùm iudicium, & definitio accesserit eius, qui soluere, & ligare potest, in terris quæcumque soluenda, & liganda præuia sua sententia putat in cęlis, quis neget summam iudicandi potestatem pęnès illum esse, nisi qui sapientiorem se reputet ipsa Sapientia, quæ in Patrum mentibus habitat, in Conciliorum cętibus triumphat, in Doctorum congressibus suas gaudet pandere diuitias? hoc profectò tàm ridendæ insaniæ genus est, quàm eius, qui atro vmbraculo opacare Solem, & radijs eius mundum subducere conaretur.

Age verò ex innumerabili dictorum, factorumque exemplorum copia appellationem hanc testantium pauca proferamus. [S. Iren. l. 3. cap. 3. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles: in qua semper conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio: conuenire est ipsam adire, & ab ea pendere, vt à capite membra: eius doctrinam sequi, definitiones amplecti, ei adhærere, nec diuulsionem pati, vbi insurgunt, qui quoquo modo, inquit, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam scientiam, præterquam oportet, colligunt &c.] quibus indicantur causæ, ob quas superbi homines, hæreses inuehunt, & à fide ab Apostolis transmissa, & in Ecclesia Romana conseruata impiè rebellant.

[S. Basilius epist. 52. ad Athanas. Visum est consentaneum scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras, & iudicij sui decretum interponat.]

S. Melchiades epist. ad Episcopos Hispaniæ: [Episcopos nolite iudicare, nolite condemnare absque Sedis huius auctoritate. [Quod si feceritis, irrita erunt vestra iudicia, & vos condemnabimini. Hoc enim priuile-

gium

gium huic Sanctæ Sedi à temporibus Apostolorum statutum est seruare, quod illæsum manet, vsque in hodiernum diem &c. Certè Canon Apostolorum 73. & 74. iubet maiores Causas, quales sunt Episcoporum ad Sedem Apostolicam deferri.]

S. Ambrosius l. 10. epist. 78. in controuersia inter Flauianum Antiochenæ Ecclesiæ obtrusum ab Episcopis Syriæ, & vicinarum Ciuitatum, & Euagrium expulsum post acerbas, & longas contentiones recurrendi ad Romanum Pontificem consilium huiusmodi Theophilo Alexandrino Episcopo suggessit. [Sanè referendum arbitramur ad Sanctum fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Et mox. Cum id gestum esse cognouerimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur. In hanc eamdem sententiam venere Theophil. Nazianz. & alij.]

Et S. Leo epist. 89. antiquam recurrendi ad S. Sedem consuetudinem esse asserit, ità ad Episcopos Prouinciæ Viennen. scribens. [Nobiscum itaque Vestra Fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sui reuerentia à vestræ etiam Prouinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diuersarum, (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia.

Et verò quod verbis docuerant, factis, vbi opus erat, quid sentirent, ostendere Sancti Patres sategere.

S. Athanasius diras persecutiones ab Orientalibus Episcopis Ariana peste infectis perpessus, Episcopatu deturbatus, ad necem petitus, vt sæuam declinaret tempestatem, ad tutissimum communionis portum, (vt loquitur S. Hieron.) ad Romanam Sedem confugit, quam id temporis Iulius I. insidebat. Ab eo diligenter discussa causa innocentem pronunciauit Athanasium, & suo restituit Episcopatui iam occupato à Gregorio ab Eusebianis intruso, quicquid deinceps illi in conciliabulo Antiocheno à Iulio item reprobato, moliti sint contrà antiquos Canones, & reuerentiam Summo Pastori debitam, & à legitimis præstitam Concilijs. Neque Athanasius solus Alexandrinus Episcopus; sed & Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Asclepas Gazæ, & alij Catholici Orientales Præsules multitudine Hæreticorum, ac potentia oppressi, & in pseudosynodis damnati eamdem Iulij benignitatem, ac iudicij æquitatem experti sunt, & declarati innoxij suis Ecclesijs restituti.

S. Ioannes Chrysostomus, quem nominasse Sapientiam, ac sanctitatem virtutibus comitatam est appellasse, satagente Theophilo Alexandrino Patriarcha depositus à Sede Constantinopolitana fuerat, atque vt speciem Iustitiæ iniquitati, & audaciæ depositionis obtenderet, cœtum coegerat Episcoporum sui similium, quos suo negocio seduxit, & ad impiæ sententiæ subscriptionem induxit, eorumque suffragia ad Innocentium I. transmisit, facilè suspicatus Chrysostomum apud Summum tribunal conquesturum, & iustitiam ab eo imploraturum, quem scirent à Deo Iudicem supremum in Ecclesia constitutum. Nec falsus opinione fuit; etenim Chrysostomus per summam iniuriam condemnatus, & exilium violenta militum manu pulsus, literas primùm scripsit Innocentio, quibus & gesta Theophili, & simul vt ea rescinderet, postulauit. Ne immanis, inquit, illa confusio cuncta percurrat, & vbique dominetur, scribite, precor, & auctoritate vestra decernite, huiusmodi iniquè gesta nobis absentibus nullius esse roboris, sicut per suam naturam sunt profectò, & irrita, & nulla, Porrò qui talia gessere, eos Ecclesiasticæ censuræ subijcite. Nos autem insontes, neque conuictos, neque deprehensos, neque vllius criminis reos comprobatos Ecclesijs nostris iubete restitui &c. Et ità factum est, vt exorauit; imò, & Georgius Patriarcha suffectus, & Arcadius Imperator anathematis fulmine petitus: cui resipiscenti hæc Innocentius præcipit. Iubete Ioannis nomen sacris tabellis inscribi. [Quæ enim aduersùs Ioannem gesta sunt à Theophilo, nos auctoritate freti S. Petri eximij Apostolorum Principis, discussis causis docebimus ex animo sanguinario processisse &c. Quæ attigisse sat est Instituto nostro, vt Sancti Petri, & successorum Primatui adnexam esse iudicij supremi in tota Ecclesia potestatem comprobemus. Cæterum gestorum in hac causa seriem contexit Palladius Helenopolitanus Episcopus in vita S. Ioannis Chrysostomi.

S. Basilius defert Eustatium Damaso; erat ille Arianus Sebastæ Armeniæ Episcopus, & iam in Oriente damnatum petit à Pontifice rursus damnari.

Petrus Alexandrinus Episc. ab Arianis violenta improbitate deiectus ad Damasum Romanum Pontificem confugit, qui neque iniuriam à reo innocenti illatam tolerari debere arbitratus, neque temeritatem actorum deponendi auctoritatem vsurpantium, dissimulationem irreprehensam præterire sustinens, ad suam sedem literis Pontificijs munitum remisit, quam recuperare facili negotio contigit fauore populi, Damasi sententiam, vt à Christo Vicario profectam, summoperè approbantis, & intrusum ab Hæreticis Lucium Arij sectatorem, extrudentis.

Theodoretus Cyri Episcopus in pseudosynodo Ephesina 2. de sua sede deturbatus conqueritur de iniuria, & iudicium à Sancto Leone deposcit. Ego autem Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, & supplico, & obsecro Vestram Sanctitatem, vt mihi appellanti iustum vestrum, & rectum iudicium opem ferat, & iubeat ad Vos accurrere, & ostendere meam doctrinam, vestigia Apostolica sequentem &c.]

[Basilides in Hispania Episcopatu turbatus ad S. Stephanum Romam venit, & suæ sedi restitutus est: vt S. Cyprian. ep. 68.]

S. Ignatius Episcopus Constantinopolitanus Photij persecutione pressus apud Nicolaum I. iustitiam inuenit &c.

S. Epiph. hæresi 68. ait. [Vrsacius, & Valens pœnitentiam agentes vnà cum Libellis profecti sunt ad B. Iulium Romanæ Vrbis Episcopum pro ratione reddenda de suo errore, ac delicto, & erant, & ipsi Episcopi; sed Iulium agnouere Episcoporum Episcopum,

Pum, & sedit ab ann. 377. cum esset per vos etiam, ò Nouatores, fides incorrupta, vt Baron. ibid.] Sed & in fidei controuersijs iudicium Pontificis Romani expectabatur ab Episcopis, & Concilijs.

S. Gregorius Nazianz. epist. ad Celidonium de Apollinaristis. [Illud, ait; indignitatis accedit, quod ab Occidentali Synodo sese, vt audio, susceptos esse affirmant, à qua eos priùs condemnatos esse nemini est obscurum. Quod si vel nunc, vel antè suscepti sunt, qui cum Apollinare sentiunt, hoc ostendant, & nos acquiescemus; perspicuum enim erit, eos rectæ doctrinę assentire. Nec enim aliter se res habere potest, si hoc consecuti sunt. Id autem omninò liquebit, si vel Synodalem Codicem, vel epistolam, quibus ad communionem admitti iubebantur, protulerint. Nam hic Synodorum mos est. Notat Bar. ad ann. 373. obseruantiam Gregorij ergà Sedem Apostolicam, cui præsidebat tùm Damasus, à quo Apollinaristæ sunt damnati.

S. Athanasius post examinatam iussu Liberij Papæ quæstionem in cœtu Alexandrino de tribus hypostasibus, qui sententiam Concilij definitioni eius reliquit.

S. Hieron. Oriente in lites disciso Damasum eligit Iudicem, cuius stare se velle profitetur arbitrio: *Cathedram, inquit, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, &c.* quibus hanc Sedem effusè laudat.

Excurrit Bellarm. l. 2. de Rom. Pont. per multa sæcula, vt ostendat continuatum in Ecclesia vsum Recursus huius. Et plura addit Bzou. de Rom. Pont. c. 17. afferens exempla multa, sacra, profanaque principum ad sacram Sedem prouocantium.

Sanctus Anacletus epist. 3. cap. 3. [ad omnes Episcopos. Sacrosancta, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore Nostro Primatum obtinuit, & Eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit,] *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.*

CAPVT XII.

Summus Pontifex Iudex infallibilis in controuersijs fidei, & morum.

1 *Ad Dei prouidentiam pertinuit statuere Regulam fidei infallibilem, qua nascentes in Ecclesia lites dirimeret.*

2 *Et nulla alia constituta est, quàm Romanus Pontifex, quam solam esse infallibilem constat ex eo, quod infallibilitas nulli à Deo promissa est.*

3 *S. Petro, & successoribus impetrauit Christi D. oratio rogantis nè deficeret fides Petri.*

4 *Idem conuincunt auctoritates Institutionis Primatus Matth. 16. & Io: 21. suprà explicatæ.*

5 *Figura huius præcellit in Sacerdote leuitici generis. Deut. 17.*

6 *Error Græcorum circa hanc potestatem.*

7 *Infelicitas sectarum hoc Iudice carentium, & se inuicem lacerantium.*

8 *Felicitas Ecclesiæ à tali Iudice verbis Sancti Augustini explicata.*

EX dictis hactenùs de Concilijs, & perpetuo Recursu ad Romanum Pontificem ex orbe vniuerso manifestum est, ab illo fuisse habitum pro legitimo Iudice controuersiarum fidei, cuius sententiæ sit acquiescendum tamquàm regulæ infallibili à Spiritu sancto directæ in iudicando; hoc est quæ nec fallere possit proponendo Ecclesiæ credenda, quæ falsa sint, nec falli, vt Pontifex vniuersalis, quicquid deindè sit de ipso, vt persona priuata, quę est quęstio diuersa.

Talem quippè regulam Ecclesiæ statuendam, & sapientia instituentis, & necessitas benè regendi institutam Rempublicam Christianam suadebat. Illa enim attingens à fine ad finem fortiter, & præuidens dissidia subindè in Ecclesia emersura suauiter disposuit ordinem Hierarchicum in plura diuisum membra, quibus vnum caput superminens dedit, è cuius Imperio veluti influxu illa penderent, & in officio, ac vnitate continerentur, si quando inter se dissiderent, & abirent in schismata nusquam in hæreses emersura, si Dei sacerdoti, summo videlicet Pontifici obtemperaretur; vt monet Cypr. epist. 55. Porrò huic incommodo non satis prouisum esse, nisi per infallibilem Summi Pontificis regulam, ex dictis est manifestum, quia cùm istiusmodi controuersiæ ex varia scripturarum interpretatione suboriantur, aut etiam ex opinionum diuersitate circà morum obseruantiam, quæ traditione nititur, nullus erit litibus modus, nulla quies animorum turbationibus, nisi vnius supremum ius habentis accedat sententia, cui capita submittant litigantes, tamquam veritatis alumno, ac patrono ab eius consinijs declinare non valentes. Hic nisi Episcopus sit Romanus, nullus erit alter. Non scriptura ipsa erit interpres sui, quia si locus expositorius explicatione egeat, & controuertatur sensus eius, quis statuatur Iudex, & verus interpres? Non priuatus cuiusque spiritus, qui decipi, & decipere potest, & pugnat sępè numero cum alio pariter priuato contrarium penitùs sentiente. Præterquàm quod absurdum, & turpe est promiscuam facere verbi Dei intelligentiam mulierculis, cerdonibus, laniarijs, reseruatam paucis, quos ad fidelium erudiendorum magisterium assumpsit Deus. Non priuatus alius Episcopus, quem dissentire ab alio Coepiscopo tàm facile est, quàm difficile conciliari, nisi ab habente super illos auctoritatem, qui Romanus est Episcopus à Melchiade in epistola ad Episcopos Hispaniæ vocatus Iudex Episcoporum. Non denique Concilijs etiam generalibus hoc priuilegium collatum; quoniam & ipsa non semel errasse comperta, vt supra vidimus, & in ruinam traxissent cætus fidelium, nì Romanorum Pontificum prouidentia fuissent emendata, aut reprobata. Numerat plura Bellar. lib. 1. de Concil. cap. 6.

Restat ergò solùm Romanus Pontifex, cui totius Ecclesiæ cura, & præfectura commissa est à Christo Domino. Et nos quidem catho-

catholici habemus firmiorem huius asserti diuinum sermonem, cuius proprium, ac germanum sensum, etiamsi non semper obscurum, clarissimum reddidere, & perpetuus Ecclesiæ vsus ab eius natalibus inchoatus, & ad nostra vsque sæcula perseuerans, & traditiones ab Apostolis, virisque Apostolicis ad posteros transmissæ, & Patrum illis inhærentes sententiæ, à quibus recedentes Nouatores inseruerunt se laqueis mortis, & illaqueatas Sectatorum animas Erebi tributarias effecere.

Sanè ad hoc asserendum tàm priuilegia D. Petro à Christo Domino concessa, quàm legitima cæterorum successio, quos diuina bonitas, ac Sapientia in longum prouidit Ecclesiæ, nè sicut nauis gubernatore carens in marinis fluctibus hàc illàc circumferretur, aut domus familiarium multitudine redundans sine Domino, ac rectore pateret incommodis confusionis, defectu regiminis, ordini seruando, opportuni.

Et omnes quidem auctoritates, ac rationes, quibus supra probatus est S. Petri super Ecclesiam primatus, illud, quod in præsentia intendimus, conficiunt, nimirùm adnexam illi esse supremam in rebus fidei, morumque iudicandi auctoritatem citrà periculum exerrandi; sed ex duobus potissimùm Saluator effatis id insigniter constare nobis voluit, quorum alterum indicauit Luc. 22. *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*; alterum Io. 21. *Pasce oues meas*; quod munus pascendi sine hac iudicij facultate mancum esset, ac imperfectum. Cadit oratio à Domino facta super Petrum, vt priuatam personam, cuius lapsus præuisus fuerat circa fidei confessionem in trina negatione; sed non in fidei amissione, quasi timore iudicium mutaretur mentis in eo assensu obfirmatæ, quod Iesus in Iudæorum manibus esset Filius Dei viui, quem Angeli adorarent. Verùm attollenda hìc cogitatio ad altiorem promissionis gradum, & ad Petrum Ecclesiæ destinatum caput, ac iudicem erigenda, vt sit hic sensus præuisis Ecclesiæ in se credituræ persecutionibus, & varijs suorum fidelium tentationibus à Satana excitandis certiorem reddat Petrum de futura constantia in fide, quam fructum dicit esse orationis, qua Patrem rogauit, ne deficeret vnquam fides eius, vt capitis Ecclesiæ, ac proindè non permissurum, vt vel ipse, vel successores aliquid fidei repugnans illi proponerent credendum; sed illa potiùs, quibus in fide commissi suæ curæ pastorali rationales oues sanctæ credulitatis pascuis enutritæ roborarentur.

Habet vterque sensus auctores Patres sanctos, & alios interpretes longa serie relatos à Bellarm. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 3. Et ex primo confirmatur secundus. Quia maiori dilectione prosecutus est Christus Dominus Ecclesiam vniuersam, quàm vnicam, & singularem Sancti Petri personam. Si ergo rogauit pro illius in fidei firmitate perseuerantia; multò magis rogasse pro eadem credendus est, vt persona publica, nè deficeret fides eius in administratione Ecclesiæ vniuersæ; & quia Pater exaudiuit filium, nunquam defecit, aut defectura est fides Petri tamquam Pastoris vniuersalis. [Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit quòd hactenùs fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius, ait Leo IX. in epist. ad Petrum Antiochenum;] quod asseri minimè posset, si fides Romani Pontificis, vt caput est eamdem retinens fidem, quæ in Petro firmata est eamdem retinens fidem, quæ in Petro firmata est infirmaretur in illo.

Confirmatur secundò, quia si iussus est confirmare suos fratres post conuersionem, qui frequenti Christi Domini apparitione, ac signis erant firmandi, & in die Pentecostes validissimè confirmandi, quantò magis incumbebat illi cura confirmandi filios, quos per Euangelium erat geniturus, & doctrinæ cibo solido enutriturus? At qui ad hoc præstandum par erat ipsi tàm firmum, solidumque fidei communicari fundamentum, vt infringi nulla vnquam excussione inferorum, nulla posset labefactari conuulsione hæreticorum.

Dices verba Domini, *rogaui pro te Petre &c.* tàm variè explicari etiam à Catholicis, vt ægrè inferri ex illis queat infallibilitas iudicandi concessa Petro. Quid enim si dicatur promissio facta Ecclesiæ, non singulari Petri personæ? Aut si singulari personæ, non extendendam ad alias, proindè, nec ad successores Petri. Contra primum est, quia verba non patiuntur istam explicationem; quomodo enim tu, & conuersus conueniant communitati Ecclesię? sicut nec confirma fratres tuos, quia vt Ecclesia dicitur mater, ità fideles dicuntur filij, non fratres eius. Deindè Ecclesia non potest dici aliquando conuersa, quia nec aliquando peruersa; igitur alloquitur Christus Petrum, vt singularem personam denotatum in Tu pronomine, & impetrasse fatetur, nè fidem amitteret vnquam, vt priuatus (loquendo scilicet de S. Petro;) Quicquid sit de priuata persona alicuius ex successoribus non definientis ex cathedra; Neque doceret aliquando aliquid contra fidem, vt Pastor ouilis fidelium suæ curæ commissi: quod priuilegium transiuit ad successores Pontifices Episcopos Romanos ex cathedra definientes, vt Bellarm. loc. cit. ex Patrum testimonijs. Sanè in ijs, & similibus priuilegijs Petro concessis spectabat Christus Dominus non bonum dumtaxat particulare eius, sed Ecclesiæ, cui ipsum præfigebat.

Huic simile testimonium, & inconcussæ firmitatis in fide profertur à S. Matth. cap. 16. non semel citato; & non frustra citando, quo Petrus vocatur à Christo Petra, aduersùs quam inferi portæ numquam præualebunt, & super hanc petram erectum est Ecclesiæ ædificium. Placuit sapientiæ Christi Domini non agnomen imponere Petro, vt filijs Zebedæi, quos Boanerges appellauit, sed nomine proprio Petræ decorare, vt vaticinium Isaiæ cap. 28. completum videret Ecclesia, cui occinebatur. Ecce ego ponam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.] Quæ verba etsi primariò conueniant Christo, nihilominùs, quæ amplitudo, & dignitas Scripturæ sacrę est plures sensus à Spiritu sancto intentos complecti, aptissimè in sanctum Petrum cadunt, qui inter fundamenta Sion, idest Ecclesiæ, qui sunt Apostoli ex cap. 21.

D Apocal.

Apocal. eminet, ac splendet, & dicitur *lapis probatus* omni tentationum genere, præsertim à Satana excitatarum appetitus pretiosus ob insignes virtutes, ac dona, quibus affatim ditatus est, & propter eminentiam Apostolatus reliquis duodecim communem, sed ob primatum in Ecclesia tota ipsi singularem, ac propriam. In fundamentum fundatus, hoc est in Christo, de quo scribit Apostolus. [Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus 1, Cor. 3.] scilicet primarium, & independens; nam secundaria, & dependentia fundamenta sunt omnes Apostoli, [iuxta illud, supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum Ephes. 2. Cùm autem Petro dicitur] Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, priuilegium denotatur singulariter concessum ipsi, & non alteri: sicut, & nomen Petri, & Petræ antonomasticè significat non quamlibet Petram, sed qualis à Propheta describitur cap. illo 28. cui quadrat epithetum angularis, quia velut angularis lapis fortis esse debet, vt duos parietes sustentet, ità & decuit Petram, super quam Deus fundauit Ecclesiam suam, ex duobus populis Iudæorum, & Gentilium in hoc fundamento connexam, esse fortem, & qualibet concussione validiorem. Quæ fortitudo, ac robur inuictum cùm in multis alijs aduersis se prodat; tùm verò in fide tuenda aduersùs errores, hæresesque subindè pullulantes luculenter enituit, meritò orationis Christi, qui nè vnquam deficeret Patrem rogauit æternum, & ad indicandam perennitatem hanc Petræ, nomen sibi conueniens Petro indidit, & virtutem communicauit indefectibilem, qualem decebat habere virum, cui totius regimen Ecclesiæ commiserat, nè vllius vnquam erroris labes ab eo manaret, aut pro pascuis, quæ ministrare iussus fuerat, venena vlla porrigerentur. Id autem priuilegij decus, ac fortitudo, quia Petro collatum fuerat, non tàm sui gratia quàm Ecclesiæ, quam sibi in fide desponsauerat, æquum erat, vt ad Successores Pontifices perpetua prærogatiua transiret, & in æuum duraret, nè dilexisse ad breue tempus putaretur Sponsus æternus Sponsam, quam æterna dilexit charitate, & cui sui præsentiam, fauoremque ad consummationem, vsque sæculi pollicitus est; quod minimè præstitisset, si illam sinè visibili Pastore, cuius duceretur nutu, & doctrina nutriretur, à lupòrum, idest hæreticorum incursibus defenderetur. Quæ notasse libuit, vt liqueat Iudicium, quod dedit Pater filio, contraditum ab eodem fuisse Petro, vt sui Vicario, ac proindè cœteris in munere, & dignitate sufficiendis, ac idcircò eorum nullum in eo exercendo falli, aut fallere circa fidem posse, & in eius controuersijs Petrum esse supremum Iudicem à nemine mortalium iudicandum, ad quem mortales omnes iure queant prouocare, nulli liceat à definitionibus de fide resilire. Quo modo conseruandi fidei vnitatem, & pacis vinculum inter fideles Apostoli monito obstrictos idem sentire omnes, & dicere, nullum esse efficaciorem, quis non aduertat? aut aduertere nolentem ratio ipsa, ac experientia tot sæculorum, & nostri præsertim non conuincat, quod infelicius præteritis reddidere, & sectarum multitudo, & ijsdem dissensio circa Catholicæ Religionis articulos primarios; & desperatio conciliationis, ac concordiæ in doctrina salutari, quia legitimi Iudicis, & conciliatoris præsidio carent, & ad Tribunal Verbi Dei confugientes de vero eius sensu altercantes se discerpunt, & numquam ad scientiam veritatis pertingunt, quòd Doctore careant, qui diuinitùs inspiratus illam patefaciat. Contra quam in Ecclesia catholica cueniat, cui Deus Pontificem præfecit, cuius responsa in causis fidei oracula esse voluit, quibus ceruices submittant Principes, mundique sapientes, haud ignari diuini hoc fuisse cõsilij, vt militans Ecclesia optimo regimine triumphanti adsimiletur, cuius vnus est Princeps inuisibili afflatu cuncta gubernans, & visibili moderamine vnius rectoris, accommodatè naturæ hominum, & spirituali directioni minimè fallibili congruenter suæ sapientiæ, ac bonitati mundum committens.

Præterea Deuter. 17. dicitur, si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris &c. [Et iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, faciesque quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum &c. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo ex decreto Iudicis, morietur homo ille &c.] Et quia genti illi omnia in figura contingebant, scripta sunt hæc ad eruditionem nostram, vt intelligamus sacerdotem Aaronicum, cuius imperio sub pœna mortis parere tenebantur in causis ad legis intelligentiam spectantibus de illa disputantes vmbram fuisse Summi Sacerdotis Christianorum, & propterea eius violare præcepta capitalis esse transgressionis, & veluti ariolandi peccatum definitiones in causis fidei infringere, aut de illorum dubitare veritate, sine qua proponi credenda minimè possunt.

Confirmatur, quia ad infallibilitatem iudicij iudicandam, Exod. 28. iubet Deus in Sacerdotis Summi rationali indi vocabula, hæc duo *Doctrina*, *& Veritas*, quæ descripta in eius medio censet August. quæst. 117. in Exodum; quicquid alij aliter interpretentur inscriptionem, vel fulgorem ex nomine Tetrag. manantem, ac docentem veritatem, aut lapides pretiosos &c. apud Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 3. nimirum significare intendit Dominus, de ore Sacerdotis Summi; quem Iudicem constituerat, prodire sapientiam, & veritatem, quæ sedem in eius pectore collocarat procul omnis erroris periculo inferendo iudicio: alioquin perperam ad illud decisiones controuersiarum remitterentur, qui falsas, vel erroneas proferre posset. Quod multò magis locum habet in lege noua, quam veteri longè antecellere Dominus voluit cùm in alijs, tùm in hoc quod, qui eius præsunt custodiæ, Vicarij Christi sunt, & Iudices mundi, quibus adesse decet numen veritatis, nè ab ea vnquam declinent in vniuersali regimine ani-

ma-

marũ,quas verę doctrinę pabulis cęlo ſaginãt.

Dices, quid ad Græcos Primatum in Eccleſia Patriarchæ Conſtantinopolitano tribuentes, ac proindè iudicium in rebus fidei illi reſeruantes?

Reſpondeo, interrogationi friuolæ reſponſum abundè, ac ſolidè à Scriptoribus contra errores Græcorum circà Primatum Pontificis Romani, inter quos Bellarm. lib. 1. de Rom. Pontif. paſſim, præſertim cap. 24. Hic ſolùm ab illis quæro, cui Conſtantinopolitano dictum ſit, *Paſce oues meas*, *Tibi dabo claues &c. Super te ædificabo Eccleſiam meam &c.* ſiquidem conſtat, antè Conſtantinum non fuiſſe illius ſedis Patriarcham vllum,& poſt eius erectionem diſputatum fuiſſe acriter in Concilijs, qui locus ei deberetur inter Patriarchas Orientales. Nam tempore Nicæni Concilij tantùm erant tres Patriarchæ, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, nec dum erecta in Vrbem Regiam Conſtantinopolis, quæ quinto anno à Nicæni celebratione dedicata eſt, vt S. Hieron. ſcribit in Chronico poſt dedicationem eius, nec dum Epiſcopus illius Eccleſiæ erat Patriarcha, ſed tres prædicti, Antiochiæ videlicet, cui præfuerat S. Petrus, Alexandriæ, cui ſui loco præfecerat Marcum Euangeliſtam S. Petrus. & etiam ipſe antea ſederat, ſi Nicephoro credimus lib. 14. cap. 3. quæ fuit ratio prædicti numeri ſedium Patriarchalium à Petri reſidentia,& dignitate petita, non à nobilitate, & vrbium frequentia, ac ſplendore, licèt hæc in tribus numeratis vrbibus eſſent conſpicua; ſed Epiſcopi Conſtantinopolitani ægrè ferentes ſe, quos Vrbis amplitudo Romanæ æmula, & præſentia Imperatoris decorabat, poſthaberi Alexandrino, & Antiocheno à tempore Concilij Conſtantinopolitani I. & Chalcedonenſis conati ſunt inter Patriarchas adſcribi, & ſecundum poſt Romanum locum ante Alexandrinum, & Antiochenum obtinere, ſed fruſtrà, quoad Iuſtiniano Imperatore ſatagente, & Romano Pontifice conniuente auctus eſt Patriarcharum catalogus, & Conſtantinopolitanus, ac Hieroſolymitanus Patriarchatus honorem recepere: Sed prior hoc honore non contentus Primatum in Eccleſia ſibi deberi, arroganter contendit, & Oecumenici nomen vſurpauit; nam tempore Conſtantini X. qui Monomachus dicebatur, Michael Patriarcha Conſtantinopolitanus hoc nomen à Prædeceſſoribus vſurpatum ſibi deberi ineptè probabat ex eo, quod contra decreta Concilij Epheſini addidiſſent Latini ad ſymbolum, *filioque procedit*, ac proindè excommunicationem incurriſſe, & Pontificem Romanum loco excidiſſe, cuius idcircò ſucceſſio ſibi, vt ſecundo Patriarchæ deberetur. Fauentem habuit Imperatorem,qui pręmium conſtituit ſcribentibus contrà latinos, quorum Eccleſias claudi iuſſit.

Verùm hæc, & huiuſmodi abſurda, & impia, quæ confutandi non eſt hic locus inter perſecutiones recenſenda, quas Eccleſia Catholica ab Imperatoribus Orientis, & Occidentis, & à Schiſmaticis Epiſcopis perpeſſa eſt, ſed numquàm demerſa, & velut rupes in marinis fluctibus percuſſa illęſa manet, quia in petra fundata, contra quam portæ inferorum non præualebunt.

Et aliæ quidem Patriarchales ſedes ingemuere ſuos Præſides è Paſtoribus migraſſe in lupos, à quibus varia hæreſum ſectione lacerarentur. Macedonius & Neſtorius Conſtantinopolitani habiti ab Eccleſia pro hæreticis; Georgius item, ac Lucius Alexandrini fuere Ariani, Dioſcorus Eutychianus, Cyrus Monothelita, Paulus Samoſatenus Antiochiæ hæreſiarcham egit. Hieroſolymis Eutychius, Irenæus, Hilarius Arium ſecuti ſunt. Romana verò ſemper in ſua fidei puritate, firmitateque perſeuerare meruit, nec Pontificem vllum vidit hæreſum patronum; ac diſſeminatorem, quicquid affingere conentur impoſtores hæretici lucernæ lumine quærentes Pontifices aliquot hæreſi maculatos; quos inuenire cum nequeant, laruas fingunt, & vel mendacijs,vel prępoſteris interpretationibus, eorum dicta, factaue infidelitatis arguunt redarguti ipſi à veracibus, pijſque ſcriptoribus Bellarm. lib. 4. de Rom. Pont. per aliquot capita, Baronio ad annos Pontificum, quos erraſſe in fide mentiuntur hoſtes fidei. Linum videlicet, Anacletum, Teleſphorum, Victorem, Zephirinum, Liberium, & alios; cùm tamen certum ſit, nullum vmquam vt perſonam publicam, ſeu vt Pontificem Petri ſucceſſorem hæreticum fuiſſe, aut doctrinam hęreticam, vel mores malos Eccleſiæ propoſuiſſe propter aſſiſtentiam Sancti Spiritus, & diuinum auxilium S. Petro; vt Paſtori Eccleſiæ, ac proindè ſucceſſoribus à Chriſto Domino impetratum, ſi promiſſa ipſius in legitimo ſenſu, vt à ſanctis Patribus apud Bellar. l. 4. de Rom. Pont. cap. 3. accipiantur, & non vt ab inimicis ſedis Romanæ peruerſa explicatione ad illius impugnationem detorqueantur.

Denique experientia patet, quòd ſicut ſine fundamento nullum conſtare poteſt ædificium, ità ſine petra fundamentali, hoc eſt ſine Petro, & ſucceſſoribus eius ſartum tectum fidei ędificium ſtare non poteſt, ſed quæ ſpeciem eius aliquam retinere videtur, Eccleſia ſynagoga fit Satanæ; corpus monſtruoſum viſibile ſine capite viſibili, quia caret ſpiritu, hoc eſt pacis vinculo, quod diſſolui oportet, ac diſſipari, vbi non eſt fidei vnitas, quam tantoperè commendat Apoſtolus vti rem neceſſariam ad ædificationem, quæ creſcit in templum ſanctum Dei, habitura alioqui pro fundamento arenam, niſi habeat lapidem, ſupér quo à Chriſto fundata eſt. Lapis hic Petrus eſt, & qui Petro ſuccedunt Pontifices, penes quos ius eſt, ac poteſtas per vera iudicia lites fidelium dirimere, & vbi diſſenſionum flatibus cymba Petri impetitur, in fi[illegible] vnitate conſeruare, ac veluti ligare.

Ita à ſui exortu ad hæc vſque tempo[illegible] in Romana Eccleſia vna fides ſub vno ſupremo Paſtore, ac Iudice inuiolata manſit, & nullum Schiſma in ea viget, ſed ſicut vnum agnoſcit Dominum, & vnum baptiſma, ità & vnam fidem, quam Chriſtus docuit, prædicarunt Apoſtoli, tutati ſunt Pontifices non ferentes diuerſitatem ſententiarum circa eſſentialia,curanteſque, vt idém omnes ſapiant; & dicant.

Sectæ verò, quæ ſe ab vnitate, Diabolo ſatagente, ſubtraxere cum alijs maculis abominabiles ſunt; tùm verò hac turpiſſima ac

D 2 de-

deteſtanda, quòd omni doctrinæ vento circumferuntur, & non ſolùm à Romana Eccleſia diſcordes, ac rebelles ſunt; verùm & inter ipſas adeò diſſident, vt tot fermè ſint fides, id eſt infidelitates, quot ſunt voluntates ſaltem eorum, qui ſeſe magiſtros profitentur, & docent, quæ ſuo arrident cerebro, nil penſi ducentes intellectus captiuitatem in fidei obſequium: ex quo fit, vt in vna ſæpè domo aliud Dominus, aliud Domina, aliud filij, aliud famuli de myſterijs ſentiant Chriſtianæ religionis, de Incarnatione, de Chriſto, de Gratia, de Iuſtificatione, de Beatitudine contraria inter ſe dogmata, vt à Verbi præconibus accipiunt, tueantur. Tanta eſt confuſio, vt à malo Lutheri ouo mali pulli ſeſe inuicem vellicantes prodierint Oſiandrini, Stancariani, Maioriſtæ, Vbiquetarij, Flacciani, Adiaphoriſtæ, Subſtantiarij, Accidentarij, & alij in triginta quatuor ſectas diuiſi, vt notat Prateolus in Elencho Hæreticorum lib. 14. verbo Paſtillarij 6. quæ poſtmodum auctæ ſunt nullo legitimo Iudice cohibente licentiam ſeminiuerbiorum effutiendi commenta propria, vel aliena Hæreſiarcharum quibus addicti ſunt magis magiſque deprauantium. Neque ſaniores Caluini ſchola diſcipulos Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Hollandiæ ſubminiſtrauit, qui dum Caluinum ducem ſequi profitentur, claſſes inſtruunt inter ſe pugnantes, & vexilla pandunt diſcordiæ aduersùs Lutheranos, & Caluiniſtas ipſos ſuos confligenti. Tales ſunt Puritani, Caluinopapiſtæ, Baroniſtæ, Anglocaluiniſtæ, Hugonotti, Pamiliares, Clancularij, Mennoniſtæ numerati à Prateolo initio operis. Et quis iuſtus æqui æſtimator, nè dum in ſacris Literis, & docta piaque antiquitatis traditione verſatus ſibi perſuaderet transfugas iſtos, ac perduelles Eccleſiæ, ſpiritu Dei, qui pacis eſt auctor, motos fuiſſe ad nouitates tàm multis deformatas diſſidijs, deprauatas erroribus, deturpatas mendacijs, damnatas contumaciæ, & rebellionis à ſuo Paſtore, à cuius paſcuis ſalutaribus auertere ſeſe, & ad venena à Satana propinata conuertere?

Libet, nè imponere videamur inſontibus, teſtimonia ipſorum pauca ex multis hic referre, quibus Lector intelligat, non à Catholicis modò ſpurias eorum doctrinas damnari, configique à legitimo Iudice Romano Pontifice, ſed ab ipſiſmet hæreticis diris affici, & vt Erebi peſtes execrandas ab orbe terrarum eliminandas prædicari.

Caluinus in Lutheranos.

LVtherani ſunt vertiginoſi, Cyclopes, ſuperba factio Gigantum, phreneticі, beſtiæ, prodigioſè cæci, deſperatè impudentes, nihil aliud quàm falſarij, improbi, calumniatores, proterui, plus ſatis bardi, faſtuoſi & ſimul itá ignari, vt quod pueris in Cathechiſmo traditur, id eorum Theologi veterani ignorent, Bruti homines, qui quod valeat, quorſum ſpectet cœna nunquam guſtarunt, qui ne guttam ingenij pudoris habentes, perindè ac ſi toto vitæ curſu nihil præter anathema didiciſſent ſingulis propè ſcriptorum ſuorum verſibus in nos fulminando, omnes Papæ, ſcribas, & Datarios ſuperant.

Lutherani in Caluiniſtas.

HI ſunt, qui Filium Dei mendacij arguunt, qui Deum ſua omnipotentia ſpoliant, qui ſunt abiurati hoſtes, & profligatiſſimi falſatores Teſtamenti Dei, qui non vno ſacrilegio vitiati innumeras animas æterno exitio inuoluunt, publici, & manifeſti heretici, præſtigiatores, Epicurei, Athei, arguti Momi, increduli, blaſphemi, inertes, aſini, porci, ſacramentarij, maledici, ſcurræ, virulentiſſimæ viperæ, lupi rapaces, vrſi, factioſi, fanatici homines, ſacramentiperdę, laruæ Diaboli, tenebriones, cœcorum duces, animicidę, capitales hoſtes filij Dei, Infernales Moloſſi, Germanici Turcæ.

Hunnius vocat Caluinum Angelum tenebrarum, qui ex abyſſi puteo emergens partim deteſtabili hac, & inſana libidine torquendi ſcripturas, & propugnacula chriſtianæ religionis aduersùs infideles, Iudæos, & Arianos diruendi; partim impio in ſacroſanctam maieſtate exaltati Ieſu Nazareni calamo, partim etiam peruerſo dogmate de re tota ſacramentaria, denique horribilibus ſuis de abſoluta prædeſtinatione portentis, & paradoxis non minimam ſolis partem, vt Apocalypſis loquitur, his nouiſſimis temporibus obſcurauit, trahens magnum ſtellarum numerum, & vnà ſecum in abyſſum præcipitem trahens.

Brentius in Lutherum. Eius doctrinam vocat vanam, futilem, ſcurrilem, ineptam, inſanam, commentum falſiſſimum, nugas putidas, commentum à Diabolo ſuggeſtum, monſtrum in Lutheri cerebro fabricatum, dogma abſurdum, Satanæ excrementum.

Lutherani contra aiunt, ſpiritum Caluiniſticum eſſe atrum, peſſimum, fugitiuum, lubricum, diabolicum, falſum, mendacem, infamem, furioſum, cœcum, perfractum, proteruum, lucem fugientem, odio contra filium Dei flagrantem, qui ex ſecretiſſima abyſſo infernali prodierit, verſutiſſimum Dœmonē &c.

Gratulandum eſt, inquit S. Cyprianus, cùm tales de Eccleſia ſeparantur, nè columbas, nè oues Chriſti ſæua ſua, & venenata contagione prædentur. [Cohærere, & coniungi non poteſt amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum ſerenitate, pugna cum pace, cum fæcunditate ſterilitas, cum fontibus ſiccitas, cum tranquillitate tempeſtas. Nemo exiſtimet bonos de Eccleſia poſſe diſcedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem ſolida radice fundatam procella ſubuertit. Inanes paleæ tempeſtate iactantur. Inualidæ arbores turbinis incurſione euertuntur. Hos execratur, & percutit Ioannes, [ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis, ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum.] Hinc hæreſes, & factæ ſunt frequenter, & fiunt, dum peruerſa mens non habet pacem, dum perfidia diſcordans non tenet vnitatem &c. quam vnitatem (dixerat paulò ſupra,) vt manifeſtaret Dominus vnam cathedram conſtituit, [& vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua auctoritate

ritate disposuit, &c.] à Petro, videlicet capite totius Ecclesiæ, & deinceps explicat, & multiplici similitudine radiorum ab vno sole manantium, ramorum ab vna radice robur accipientium, riuorum ab vno fonte desfluentium confirmat; nam caput hoc illud est, de quo Paulò ante testimonium Christi attulerat: *Tu es Petrus, & super hanc Petram &c.* idque prouidentissimè à Domino factum, vt vnitas seruaretur in Ecclesia, & schismata tollerentur, vt S. Hieron. lib. contra Iouinianum; quæ tolli vix posse bene nouerat, nisi vnus constitueretur Iudex, cuius sententiæ decretoriæ staretur, vt de facto stant fideles, vbi Rom. Pontifex de cathedra definit aliquid, eius quippè definitio pro oraculo à tota Ecclesia accipitur, & omni altercationum cessante tumultu; pax, & summa quies mentes occupat fidelium piaculum existimantium de effatis dubitare, quæ de ore Sacerdotis à Spiritu Sancto electi, ac Iudicis constituti proferuntur, ac vt certa proponuntur. Florent literatorum Academiæ inter catholicos, quæ libertate Academica quæstiones de rebus diuinis agitant; vigent disputationum certamina ad exercenda ingenia, ad inuestigationem abditarum rerum; Non parcitur scribendorum librorum labori, quibus Scholarum inter se discrepantium asserta ad incudem, & trutinam acerrimè reuocantur; sed si quando grauioris difficultatis nodus incidat, qui cuneo Pontificiæ definitionis indigeat, hic si admoueatur, residet omnis contentionum æstus, perit ardor disceptationum, redit serenitas animorum, & responsa Pontificum religiosa veneratione excipimus, & amabilissima tranquillitate, concordiaque perfruimur. Quam ob vnitatem Ecclesia vna meritò audit, & dilecta Christo pacis auctori, qui in ea neque maculam, neque rugam passurum se, per Apostolum indicauit.

Libet capiti huic verbis Sancti Augustini verè aureis coroniem imponere. Hic lib. 18. Ciu. cap. 4. agens de Philosophicarum opinionum dissensionibus, & canonicarum concordia scripturarum Ecclesiæ habet, quæ vnitati fidei Ecclesiæ Romanæ aptissimè congruunt.

[At verò gens illa inquit, ille populus, illa Ciuitas, illa Respublica, illi Israelitæ, quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo Pseudoprophetas cum veris prophetis pari licentia confuderunt; sed concordes inter se, atque in nullo dissentientes sacrarum literarum veraces ab eis agnoscebantur, & tenebantur auctores. Ipsi eis erant Philosophi, hoc est amantes sapientiæ, ipsi sapientes, ipsi Theologi, ipsi Prophetæ, ipsi Doctores probitatis, atque pietatis. Quicumque secundùm illos sapuit, & vixit, non secundùm homines, sed secundùm Deum, qui per eos locutus est, sapuit, & vixit. Ibi si prohibitum èst sacrilegium. Deus prohibuit. Si dictum est, honora Patrem tuum, & Matrem tuam, Deus iussit. Si dictum est. Non mechaberis, non homicidium facies, non furaberis, & cætera huiusmodi, non hæc ora humana, sed oracula diuina fuderunt, &c.] Ast obsecro, si controuersia oriatur de aliquo, an sit dictum à Deo, quis litem dirimet? quis scoriam inanium interpretationum ab auro veri sensus scripturæ sacræ separabit? non Rex temporalibus præfectus; non sacerdos priuatus: non Spiritus cuiusque proprius plurimùm futilis, erraticus, absurdus; non conuentus sapientum, inter quos plerumque dissensus est maximus: Ille igitur sit Iudex, oportet, quem Dominus constituerit, & ad quem remittit Deus ambiguas quæstiones habentes Deuter. 17. supra cit. cui in noua lege respondet Romanus Pontifex, vt supremus Ecclesiæ Princeps; siquidem præuidens infinita Dei sapientia, necessarium esse interpretem, ac Iudicem vnum, qui membra corporis Ecclesiæ in officio contineret, & concordiam foueret, Sanctum Petrum, ac Successores elegit, quibus tribuit iudicandi potestatem, & lumen, ac opem pollicitus est, ne iudicando errarent. Ad huius directionem; & imperium tota hierarchica Respublica ordinata nihil inordinati in fide patitur, sed tota pulchra, & decora formam repræsentat cœlestis Hierusalem, quod superiùs ostendisse licuit, & modò cum gaudio, & exultatione repetere libet encomia gloriosa vatis famosi à spiritu bono, tunc quidem afflati cùm vultu directo in Israeliticum populum commorantem in tentorijs suis non potuit continere se, quin exclamaret; [Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxtà fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri propè aquas. Fluet aqua de fistula eius, & semen illius erit in aquis multis. Et mox. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur: Nimirùm quia voluntati se Dei conformat, qui benedixit domui Israel, & benedixit domui Aaron ps. 113. quæ fuerunt Ecclesiæ per Christum instituendæ vmbra, in hoc apprimè futuram corpus repræsentantes: quod vni patri familias subessent, vnius sacerdotis ductum sequerentur, atque adeò dissensionum nescirent turbas, sed vnaquæque sub ficu sua requiesceret, & sub vite sua habitaret. Qua intima requie gaudent 3. Reg. 4. filij electionis in domo Dei, quæ est Ecclesia Romana, absque vlla in rebus fidei dissensione: quam animorum consensionem, ac pacem non minuunt externa hæresum bella ipsam impugnantia, sed augent potiùs vel ex hoc quod originem ex superbia ducere manifestum est hominum peruersorum, ac peruertentium, qui obedire Deo nolunt, & ab eius in terris Vicarij imperio colla Christi iugum exosa subtrahere gloriæ ducunt.

CAPVT XIII.

Recursus Episcoporum Galliæ ad Innocentium X.

PRAEFATIVNCVLA.

Morem hunc recurrendi ad Apostolicam Sedem, in grauibus controuersijs seruatum primis Ecclesiæ temporibus, & consequentibus à Bellarmino (Lib. 1. de Rom. Pont. cap. 21.) numeratis, continuatum vidit ætas nostra in causa Iansenij Episcopi Iprensis, cuius libet

Au-

Sacræ Congreg. Emin. Card. Indicis Librorū.

Augustinus Iansenij ab auctore nuncupatus à Romanis Sacræ Inquisitionis censoribus annuente Sanctissimo Pontifice Vrbano VIII. cum alijs eiusdem notæ libris confixum occasionem dedit in Gallia, & Belgio eius sectatoribus tumultus ciendi, & maiori ardore doctrinam malè sanam priuatim, publicèque tuendi. Ventum erat ad schismata inter Theologos, & præcipui nominis Academias, in quibus multi non contemnendi professores acerrimos agebant Iansenij defensores: plures iudicio, ac scientia præstantiores Auctoris huius dogmata, reputabant inuenta minùs Scripturæ Sacræ, Concilijs, Tridentino in primis, cohærentias. Huic flammæ, & animorum dissensioni non alia ratione occurri posse existimauere Episcopi Galliarum minimè inter se concordes in opinionibus, nisi postulato ad Sedem Apostolicam recursu, atque adeò Innocentium X. per literas, ac designatos Nuncios interpellauere reuerenter: rogaruntque submissè dignaretur suo iudicio, ac definitione statuere, quid de quinque propositionibus Iansenianis magis controuersis tenendum ex fide sit: Siquidem hæc sola determinatio sufficiens sit ora etiam proterua comprimere, & liti vehementer etiam, atque etiam inter fideles agitatæ: finem imponere. Ille pro commissa sibi cura in vniuersum Christi gregem, vt nascenti malo ea maturitate occurreret, quam negotij grauitas exigit, primùm quidem Deum bonorum consiliorum auctorem sacrificijs, precibus, eleemosynis propitium in re præsenti reddere curauit: Tùm quòd prudentia, & Iustitia deposcebat partis vtriusque patronos viros apprimè doctos è Gallijs transmissos differentes, & suas rationes afferentes audire, haud semel voluit, & quòd maximi momenti est, selectorum Theologorum cogendum cętum existimauit, quibus coram disputationes instituerentur, & Gallis auditis Theologis, ipsi etiam suas aperirent sententias, & opportunè scripto exaratas extraderent.

Ita diù, multùmque euentilata quæstione, maior, meliorque pars procul omni ambitione, & humano quolibet secluso respectu, eam tulit sententiam, quam summus Pontifex haud nescius errare se minimè posse, dum Ecclesiæ Catholicæ, cuius instructor est, dogmata aliqua proponit tamquam vera, & fide credenda, de sede pronunciauit, quinq; istas propositiones nigro obelo configendas, ea forma, quam tuis Lector oculis subijcio, si fortè tibi aliundè eius exemplaria non suppetunt: quorum, pleraque in Galliam ad Nuncium Pontificium transmissa, Episcopis communicanda eos excitauere motus, quos Epistola ab vno Episcoporum exarata fusè explicat, & apud Cardinales aliquot ad grauissimum istud iudicium à Pontifice adlectos asseruatur: Venit illa in manus meas haud sperantí, & digna visa est, quæ veniat in tuas, singularium, quæ denarrat notitiam fortè exoptanti. Et quia negotio hoc in fidei materia nullum fortè grauius sęculis nostris contigisse proditum memoriæ est, operæ pretium visum fuit alias insuper hic inseri Epistolas quà typis excusas, quà priuatim apud Primates adseruatas: siquidem in illis, & reuerentia ergà Sedem Apostolicam à Gallia-rum Episcopis, atque adeò à Rege ipso Christianissimo mitè clarescit, & controuersias Ecclesiasticas tractandi piè, prudenterque exemplar posteritati, haud absimile antiquitati ex illis transmittitur, & argumentum recens est priscis adiunctum validè probans Primatum Pontificis Romani ex recursu Ecclesiarum per orbem sparsarum, quam nobilissimæ Gallicanæ doctrina, ac pietate florentes continuare religioni duxere, & immensam apud alias catholicas mundi totius laudem retulere.

Literæ Gallicanorum Episcoporum ad Pontificem Maximum Innocentium Decimum.

Beatissime Pater.

Maiores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesię mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro iure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes, dę grauissimo circa religionem negotio Sanctitati Tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mærore commouetur, ob librum posthumum, & doctrinam Reuerend. Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat, tùm Concilij Tridentini auctoritate, tùm Bullæ illius, qua, Vrbanus VIII. felicis memoriæ aduersùs Iansenij dogmata pronunciauit, & decreta Pij V. ac Gregorij XIII. in Baium edita confirmauit. Atque huius quidem Bullæ veritatem, ac robur nouo diplomate vendicasti. Sed quia nulli sigillatim propositioni certa censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cauillis, & effugio relictus est, Intercludendum autem penitus speramus, si, vt precamur, Sanctitas Tua, quid hac in re sentiendum sit clarè, distinctèque definiat. Obtestamur ergo, vt has præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, ac perspicuam, & certam de vnaquaque sententiam ferat.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque ijs gratia, qua possibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.

III. Ad merendum, & demerendum in statu naturę lapsę, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

IV. Semipelagiani admittebant pręuenientis gratię interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hęretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

V. Semipelagianum est, dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Expet-

Experta est nuper Beatitudo Tua quantùm Apostolicę Sedis in gemini Ecclesię capitis errore profligando valuerit, auctoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem, & imperium venti, & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, vt clara, firmaque de propositionum istarum sensu prolata sententia, cui Reuerend. ipse Iansenius morti proximus opus suum subiecit; caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas; Ecclesię tranquillitatem, splendoremque restituas. Dum hęc spes mentibus nostris affulget, Sanctitati Tuę multos, & prosperos annos, sęculoque beatissimam ęternitatem Rex seculorum immortalitatis adijciat, optamus, ac vouemus.

Subscripserunt Episcopi
Octoginta quinque.

Literæ Innocentij X. Ad Episcopos Galliæ.

Innocentius PP. X.

VEnerabiles Fratres, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Rectè, atque ordine fecit Fraternitatum Vestrarum pietas, quæ cùm in Ecclesijs istis propositionum, de quibus ad nos scripsistis, occasione turbas ingentes excitari cernerent, ascendit ad locum hunc sanctum, quem elegit Dominus, vt Catholicam super his veritatem à nobis quæreret. Nos igitur post longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Patri Deo enixè porrectas, quid sentiendum sit de propositionibus illis declarauimus, & definiuimus hac Constitutione, quam cum his literis ad vos mittimus. Ex ea sententiam Orthodoxæ fidei in graui hoc negotio à nobis audietis, nec dubitamus, quin futura sit, tùm populis Christianis Salutaris, tùm summopere grata insigni zelo Fraternitatum Vestrarum, quibus Benedictionem Apostolicam peramanter impartimur. Datum Romę apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 31. Maij 1653. Pontificatus nostri anno nono.

F. Florentinus.

Literæ Innocentij X. Pontificis Maximi. Ad Ludouicum XIV. Regem Christianissimum.

CHarissime in Christo Fili Noster, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Constitutionem, qua post longam accurati examinis indaginem, & Spiritus sancti lumen publicè, ac priuatim sæpiùs imploratum, quid sentiendum sit de quibusdam propositionibus, declarauimus, & definiuimus, Maiestati Tuę, cum his Literis mittimus. Ex ea sententiam catholicę fidei in graui hoc negotio à nobis audies: nec dubitamus quin eadem futura sit, tùm populis Christianis Salutaris, tùm summoperè grata pietati tuę; cum præsertim, & ipse per Oratorem tuum pro Sanctę huius Sedis super his decisione apud nos institeris. Maiestati Tuę benedictionem Apostolicam amantissimè impartimur. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 31. Maij 1653. Pontificatu nostri anno nono.

F. Florentinus.

Constitutio Sanctiss. in Christo Patris, ac D. N. D. Innocentij diuina Prouidentia Papæ X.

Qua declarantur, & definiuntur quinque Propositiones in materia Fidei.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei.

Vniuersis Christi fidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CVm occasione impressionis Libri, cui titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis inter alias eius opiniones orta fuerit, præsertim in Gallijs, controuersia super quinque ex illis; Complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, vt easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor vèrò præfatarum Propositionum est prout sequitur.

Prima: Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

Secunda: Interiori gratię in statu naturę lapsę nunquam resistitur.

Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsę non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Quarta: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quinta: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Nobis inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant; in primis cordi est, vt Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis prauarum opinionum erroribus tutò militare, & tamquam nauis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum, fluctibus, ac procellis, securè nauigare, & ad optatum salutis portum peruenire possit.

Pro rei grauitate, coram aliquibus S.R.E. Car-

Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis, à pluribus in sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, vt supra nobis oblatas; fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia; tùm voce, tum scripto relata maturè consideranimus, eosdemque Magistros, varijs coram nobis actis congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audiuimus.

Cum autem ab initio huiuscemodi discussionis, ad Diuinum implorandum auxilium multorum Christifidelium preces, tùm priuatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem feruentiùs, ac per nos sollicitè implorata sancti Spiritus assistentia, tandem Diuino Numine fauente ad infrascriptam deuenimus declarationem, & definitionem.

Primam prędictarum Propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant: temerariam, impiam, blasphemam anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Secundam: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sufficit libertas à coactione: hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: falsam, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, vt Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christifidelibus, vtriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure expressis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, alijsque locorum Ordinarijs, necnon hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, vt contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque iuris, & facto remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis; omninò coerceant; & compescant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelij Iansenij. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. Kalend. Iunij, Pontificatus nostri anno nono.

Hi. Datarius.

C. Gualterius P. Ciampinus.

Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi 1653. indict. IV. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patri, & D. N. Innocentij diuina Prouidentia Papæ X. anno Nono, die verò nona Mensis Iunij, supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit in Ecclesiæ Lateranen. ac Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ valuis, ac in acie Campi Floræ, per me Hieronymum Mascellam, Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Pro D. M. Cursorum
P. Paulus Desiderius Cursor.

Literæ Episcoporum Galliæ

AD INNOCENTIVM X.

Sanctiss. Patri Innocentio X. Summo Pontifici.

Beatissime Pater.

Optata peruenit ad nos tandem Constitutio illa, qua Vestræ Sanctitatis auctoritate, quid sentiendum sit de controuersis quinque Propositionibus, quæ sunt excerptę è Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi Libris, perspicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones flagrabant etiam in Gallijs, & latissimum incendium per vniuersas Ecclesiæ partes minabantur, ni pesti grassanti, & certissimam perniciem allaturæ obstitisset Beatitudinis Vestræ indefessum studium, & ex alto petita potestas, quæ sola acerrimam illam animorum collisionem compescere poterat. Agebatur de re magni momenti; de aditu scilicet ad salutem per necessaria Christianæ gratiæ prędidia, & humanæ voluntatis adiumentis illis excitatæ, ac fotæ, conatus liberos; atque de diuina Christi pietate, ac beneficentia in vniuersum genus humanum. Huius doctrinę lucem recentioris illius auctoris disputationibus obscuratam pristino nitori restituit, iuxta veterem fidei regulam, ex scripturis, & antiqua Patrum traditione, in Concilijs olim, & nuper auctoribus Summis Pontificibus constitutam, prolatum, à Sanctitate Vestra postulantibus compluribus Galliarum Episcopis Decretum. Quo in negotio illud obseruatione dignum accidit, vt quemadmodum ad Episcoporum Africę relationem, Innocentius I. Pelagianam hęresim damnauit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hęresim ex aduerso Pelagianę oppositam, Innocentius X. auctoritate sua proscripserit. Enim verò vetustę illius ętatis Ecclesia Catholica, sola

Cathe-

Cathedrę Petri communione, & auctoritate fulta, quę in Decretali Epistola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi ad vniuersos Orbis Episcopos epistola subsecuta est, Pelagianę hęresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini Nostri pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis aduersùs Apollinarium, & Macedonium, nondum ab illa Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulo antea iactis, Iudicia pro sancienda Regula Fidei à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (siue suam in actis relationis sententiam ponant, siue omittant, pro vt illis collibuerit) diuina ęquè, ac summa per vniuersam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium pręstare teneantur. Ea nos quoque sententia, ac fide imbuti, Romanæ Ecclesię pręsentem, quę in Summo Pontifice Innocentio X. viget auctoritatem, debita obseruantia colentes, Constitutionem diuini numini instinctu à Beatitudine Vestra conditam, nobisque traditam ab Illustrissimo Athenarum Archiepiscopo, Nuntio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesijs, ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud fideles populos vrgebimùs. Neque verò pœnę deerunt aduersùs temerarios illius violatores, quę à iure hęreticis infliguntur, quibus iuxta Constitutionis tenorem, & Breue Sanctitatis Vestrę nobis directum, contumaces omnes, nullo conditionum, vel statuum discrimine facto perstringemus: pręsertim cum in Gallijs ad Episcopos in solidum isthęc cura pertineat, vbi nullos hæreticæ prauitatis Inquisitores constituti patitur, mos antiquus, ex iure communi profectus. Sanè spondere possumus Beatitudini Vestræ, nihil fore quod Decreto Apostolico, nostræque in eo exequendo sollicitudini moram afferre possit: præcipuè cùm Pijssimus, ac Christianissimus Rex noster, cui Breue Apostolicum, vnà cum exemplo Constitutionis Illustrissimus Nuncius tradidit, interpellato quoque Regiæ Maiestatis præsidio; nos ad illius Decreti executionem, Edicto suo ad nos dato, pro ea, quam debet Ecclesiæ constitutis, tuitione constanter hortatur: & Magistratibus vniuersis, atque cæteris sibi subditis, tùm ad vim arcendam, tum amputandas, quæ fortè possent ab hæresis reis excitari de foro competenti cauillationes, præcipiat, quatenùs illam omni studio, & opera iuuent, atque tueantur. Quare cùm Rex cœlestis, hac in causa fœderatum habeat Regum terrarum (si fas ita loqui cum Sixto III.) Sanctitas Vestra, per Petræ soliditatem, iam contusis veritatis hostium animis, securos ab omni externa perturbatione de noua heresi triumphos aget. Porrò nos Innoc. X. cuius ore Petrus locutus est, vt Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc diuinam Lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus; Cui optatissimam in longæua vita felicitatem adprecantur, qui sunt cum ea, quæ par est, veneratione.

Beatissime Pater

Deuotiss. & addictiss. Sanctiss. Sanctitatis Vestræ Filij Cardinales, Archiepisc. & Episcopi Galliæ in Parisiensi Vrbe Congregati.

Iulius Cardinalis Mazarinus Episc. Metensis Electus.
Victor, Arch. Turonensis.
De Grignan, Arch. Arelatensis.
Henricus, Arch. Burdegalensis.
G. Daubusson, Arch. Ebrodunensis.
Franciscus, Arch. Rotomagensis.
Petrus de Marca, Arch. Tolosanus nominatus.
Leberon, E. Valentinensis, & Diensis.
Ægidius, E. Ebroicensis.
Anthymius Dionysius, E. Dolensis.
Petrus, E. Montisalbanensis.
Antonius, Episc. Grassensis, & Venciensis.
P. De Broc, E. Antissiodorensis.
Robertus, E. Dolensis.
Henricus, E. Redonensis.
Iacobus, E. Tolonensis.
Felix, E. Cathaleunensis.
Dionysius, E. Briocensis.
Henricus, Episc. Aniciensis, G. de Velay.
Ferdinandus, E. Maclouiensis,
Claudius, E. Constantiensis.
Iacobus, E. S. Flori.
Iacinthus, E. Arausiensis.
Nardinus, E. Ruthenensis.
Philibertus Emanuel, Episc. Cœnomanensis.
Franciscus, E. Madaurensis, coadiutor Corisopitensis.
Franciscus, E. Glandeuensis, Ambiensis, E. nominatus.
Gabriel, E. Abrincensis.
Ioannes, E, Oloronensis.
Abbas de Seruient, E. Carcassonensis nominatus.
Abbas Tubeue, E. S. Pontij Tomeriarum nominatus.

Parisijs die 15. Iunij 1653.

De Mandato Illustriss. & Reuerendissimor. Dominorum prædictorum. De Villar.

Literæ prædictorum Episcoporum ad Innocentium X. post Bullæ promulgationem.

Sanctissimo Patri

INNOCENTIO X.

Pontifici Optimo Maximo.

Beatissime Pater.

Post promulgatam ab vniuersis Galliarum Episcopis Sanctitatis Vestræ constitutionem, qua quinque propositiones è libris Cornelij Iansenij Episcopi excerptæ damnantur, nihil expectandum videbatur, præcipuè à Gallis, qui in Sede Apostolica colenda semper potiores fuerunt, quàm vt pura, & non fucata concordia, in veræ Fidei vnitatem omnium animi conspirarent. Sed dissidiorum author tam singulare, & pijs omnibus summoperè expetendum bonum Gallijs inuidit: quodque palam obtinere non poterat, nempè vt à debita Sedi Apostolicæ reuerentia, per apertum constitutionis editę contemptum recederetur, callidis molitionibus simplicium, & incautorum mentes subuertendas aggredi tentauit. Quare ad munus Episcopale pertinere putauimus, recens excitatas à Clericis numero paucis contentiones, definitione nostra compescere: qua constitutionis Apostolicę integra exequutio, quæ nobis commissa est, aduersùs alienas à vero illius sensu expositiones sanciatur. E vetere fidei deposito, cuius custodia Cathedræ Petri à Christo concredita est, partem adimere tentant; decreti Apostolici maiestatem ad fictas controuersias dirimendas turpiter deijciendo. Quinque etenim propositiones decreto illo proscriptas, damnare se quoque profitentur; sed alio planè sensu, quàm qui Iansenio traditus, & explicatus est: ad quem propositiones illas nullatenus pertinere constantissime asserunt. Hac arte restaurandis dispositionibus ijsdem sibi locum apertum relinquere parant, & rei diuinæ litis prolixam materiam. Quare vt hoc incommodum præuerteretur, & constitutioni authoritas sua constaret, atque sincera eius executio sequeretur, nos in hac vrbe Parisiensi congregati censuimus, & per epistolam Enciclycam his literis adiunctam declaramus, Propositiones illas, & opiniones etiam Cornelij Iansenij, & in sensu eiusdem Iansenij à Sanctitate Vestra damnatas desertis, & manifestis verbis. Quam enim author ille vsurpatione priuata, nouam doctrinam, sub specie veteris inducebat, necessum fuit, vt Apostolica Sedes, iudicio lato ex publica, antiqua Ecclesiæ traditione refelleret, ne Christianæ fidei doctrina, prauis ab illo Scriptore ad testimonia veterum Patrum, quos laudat adhibitis interpretationibus obrueretur. Nihil quippè aliud egit Constitutione sua Innocentius X. quam vt auctoritatis suę presidio antiquam fidem muniret, non dicendo noua, sed dicendo nouè, iuxtà receptas in scholis Theologiæ locutiones, quibus Iansenius quoque vtitur. Eò pacto Beatitudo Vestra liquidò explicauit, atque confirmauit, regulam fidei de gratia, & libero arbitrio, quam ex parte priùs assertam aduersùs Manichæos, quod attinet ad arbitrij libertatem postea decessores vestri Innocentius I. & Zozimus cooperantibus Africanorum Conciliorum literis, contra Pelagianos plenè constabiliuerant: Quamque deindè Cœlestinus I. ac Concilium Arausicanum, iuxta capitula à Sede Apostolica transmissa, & superiori sęculo Tridentinum, sollicitè, atque diligenter enucleatam definiuerant. Quapropter, & constitutionem ordine canonico latam, atque genuino in sensu intellectam, quem literæ istæ patefaciunt deuotissimo obsequio nos suscipere testamur: Propterea verò daturos operam profitemur, ne quis curæ nostræ subditus, impunè contraria vestris definitionibus docere, scribere, aut loqui præsumat, pœnis in hæreticos à iure decretis, alioquin à nobis statim puniendus. Ex qua concordi omnium sententia subscriptionibus nostris firmata. Beatitudo Vestra facilè intelliget, nulli è Collegio nostro propositum fuisse, vt aliquid dignitati constitutionis aduersum proferret, aut scriberet; Quinimò destinatum esse nobis, plenissima veneratione Sacram B. Petri Sedem, & Sanctitatem Vestram colere: cui prosperos & felices annos vouent, qui sunt cum ea, qua par est obseruantia.

Beatissime Pater
Sanctitatis Vestræ

Deuotissimi, & Addictissimi Filij
Cardinales, Archiepisc. & Episc. Galliæ in Parisiensi vrbe congregati.

Iulius Cardinal. Mazar. Præses.
Victor Arch. Turonensis.
Ludouicus Arch. Senon.
Georgius Arch. Ebrodun.
A. de Leuy Vantadour PP. Arch. Bituricensis.
Fr. Arch. Rothomagensis.
Petrus Arch. Tolosanus.
Libcron Episc. Valentinensis, & Diensis.
Ægidius Episc. Ebroicensis.
Ludouicus Episc. Eduensis.
Dominicus Episc. Meldensis.
Ioannes Episc. Baionensis.
Anthymus Dionysius Episc. Dolensis.
Gabriel Episc. Nannetensis.
Petrus Episc. Montisalban.
Iacobus Episc. Tolenensis.
Henricus Episc. Redunensis.
Ferdinandus Episc. Maclouiensis.
Iacobus Episc. Carnotensis.
Philibertus Emanuel Episc. Cœnomanensis.
Iacobus de Gtignan Episc. S. Pauli Tricastrinensis.
Gilbertus Episc. Conuenarum.
Baltazar Episc & C. Trecorensis.
Claudius Episc. Constantiensis.
Iacobus Episc. & D. S. Flori.

Har-

Harduinus Episc. Rutheuensis.
Nicolaus Episc. Bellouacensis.
Franciscus Episc. Madaurensis Coadiutor Comubiensis.
Henricus de Laual Episc. & Coadiutor Leonensis.
Franciscus Faure Episc. Ambianensis.
Carolus Episc. Cæsareæ, & Coadiutor Suessionensis.
Cyrus Episc. Petragoricensis.
Ludouicus Episc. Tutelensis.
Ludouicus Episc. Grassensis.
Michael Episc. Sancti Pontij Tomeriarum.
Abbas d'Estree Episc. Laudunensis nominatus.
Abbas de Seruient, Episc. Caracossonensis nominatus.
Fr. Ioannes Dominus Episc. Glandeuensis nominatus.
Bernardus de Marmiesse Agens generalis in rebus Cleri Episc. Conseranensis nominatus.
Henricus de Villars Agens generalis in rebus Cleri, & à Secretis.

Parisijs die 28. Martij MDCLIV.

REVERENDISSIMIS,

Ac Religiosissimis

DD. Archiepiscopis, & Episcopis per Gallias Fratribus Obseruandissimis.

CARDINALES

Archiepiscopi, & Episcopi Parisijs Agentes salutem in Christo, & felicitatem.

QVod B. quondam Augustino, & alijs Concilij Carthaginensis, & Mileuitani Patribus, magnis illis diuinæ Gratiæ defensoribus, assertoribusque contigit, idem nunc prorsùs euenisse nobis videtur. Sperabant illi, sed frustrà, post librum quemdam, cuius auctor, scriptorque fuerat Pelagius, ab Innocentio I. Papa anathematizatum, & damnatum Pelagianos non ausuros vlteriùs de Gratia illa peruersa, & perniciosa sentiendo, loquendoque pectora fidelia, & simpliciter Christiana turbare, sed tanti Præsulis auctoritati cessuros: Et spes quoque nobis erat Homines eos, qui se Cornelij Iansenij Episc. Iprensis amatores, sectatoresque profitentur, post eius ab Innocentio X. anathematizatas; & damnatas, quinque opiniones destituros tandem ab omni motu, atque cum suo ille Decreto imperasset ventis, futuram in Ecclesia tranquillitatem magnam. Sed contra planè, quàm expectatum à nobis fuerat, accidit: mirarique satis non possumus post æquissimam sanctissimamque Constitutionem illam, qua Beatissimus Pater Innocentius X. prædictas quinque propositiones damnauit, & ijs quidem vobis nihil dici potest expressiùs, nihil clariùs, Homines illos affirmare, imò & persuadere alijs, velle res duas, vanas omnino, & inanes: alteram, quinque illas propositiones non esse, alteram damnatas esse eo in sensu, qui ad Iansenium nihil pertineat. Potest enim quicquam esse absurdius, quàm tueri id velle, cui refellendo, reuincendoque nihil opus multis rationibus, nihil disquisitione, etiam mediocri, aut leui, sed illa sola Pontificiæ Constitutionis, quæ per se ipsa rem totam apertè dirimit, lectione? Et quidem cum eiusmodi sint duæ res illæ, vt multis videri possint ipsæ per se, & spontè sua ruituræ, atque adeò spernendæ prorsus, & negligendæ nobis tamen, quibus compertum est, eas ignorantibus, infirmisque non paucis esse offendiculo, quibus pro muneris nostri ratione id præsertim incumbit, vt tollamus omnia scandala de Regno Dei, visum fuit occurrendum esse huic malo, comprimendumque maturè hoc virus, quod iam aliquos occupauit. Quod vt fieret accuratiùs, & pro ea qua par erat grauitate dignitateque, quotquot in hac Vrbe Regni primaria negotiorum Ecclesiasticorum causa fuimus, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, collecti in vnum censuimus, hoc quicquid est rei committendum esse curæ, ac diligentiæ Illustrissimorum, Reuerendissimorumque Fratrum nostrorum Archiepiscoporum Turonensis, Ebrodunensis, Rothomagensis, Tolosani, & Episcoporum Eduensis, Montalbanensis, Redonensis, Carnotensis: Sic tamen, vt quicquid inter se ipsi legissent, obseruassent, sensissent, referrent ad nos. Ijs verò ex ipsa Constitutionis lectione, atque insuper ex opere Iansenianо, quod etiam quantùm ad quinque illas propositiones attinet, studiosè legerunt, exploseruntque (quamquam sola per se ad id sufficiat Constitutio) manifestum, & perspectum fuit illas quinque propositiones verè esse Iansenij, & damnatas esse in vero, ac proprio verborum sensu, & eo planè quo à Iansenio traduntur, & explicantur. Atque cùm id ipsi ad nos, scilicet in vnum rursùs congregatos, retulissent, & à nobis quoque idem cognitum, & exploratum fuisset, & declarauimus, & hoc nostro iudicio declaramus rem planè ita se habere, & nullum dubitandi esse locum. Quare & eos qui quinq; illas propositiones tuentur, aut probant, verè esse ex eorum numero, quos Innocentius X. sua illa in Constitutione vocat contradictores, & rebelles: & quos vult à Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per censuras, & pœnas contra hæreticos, & eorum fautores in iure expressas, cæteraque iuris, & fori remedia opportuna coerceri, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis, omninò coerceri, & compesci. Id verò nos omnes, quantum in nobis quidem erit, effecturi sumus: rogamusque quotquot hinc absunt, Gallicani Cleri Dilectissimos, & Religiosissimos Fratres nostros, vt idem quoque pro virili præstent: vt sic idem omnes sentiamus secundùm Iesum Christum, & vnanimes, atque vno ore honorificemus. Deum, & Patrem Domini Nostri Iesu Christi; ædificemus Ecclesiam Dei: atque adeò nos ipsos,

 & eos,

& eos, qui nos audiunt, curæque nostræ sunt ab ipso commissi saluos faciamus.

Iulius Cardinali Mazarinus Præses.
Victor Archiepiscopus Turonensis.
Ludouicus Archiepiscopus Senonensis.
Georgius Archiepiscopus Ebrodunensis:
A. de Leui de Vantadour P. P. Archiepiscopus Bituricensis.
Fr. Archiepiscopus Rothomagensis.
Petrus Archiepiscopus Tolosanus.
Leberon Episcopus Valentinensis, & Diensis.
Ægidius Episcopus Ebroicensis.
Ludouicus Episcopus Eduensis.
Dominicus Episcopus Meldensis.
Ioannes Episcopus Baionensis.
Anthymus Dionysius Episcopus Dolensis.
Gabriel Episcopus Nannetensis.
Petrus Episcopus Montisalbanensis.
Iacobus Episcopus Tolonensis.
Henricus Episcopus Redonensis:
Ferdinandus Episcopus Maclouiensis.
Iacobus Episcopus Carnotensis.
Philibertus Emanuel Episcopus Cænomanensis.
Iacobus de Grignan Episcopus S. Pauli Tricastrinensis.
Gilbertus Episcopus Conuenarum.
Baltazar Episcopus, & C. Grecorensis.
Claudius Episcopus Constantiensis.
Iacobus Episcopus, & D. S. Flori.
Narduinus Episcopus Ruthenensis.
Nicolaus Episcopus Bellouacensis.
Franciscus Episcopus Madaurensis Coadiutor Cornubiensis.
Henricus de Laual Episcopus, & G. Leonensis.
Franciscus Faure Episcopus Ambianensis.
Carolus Episcopus Cæsareæ, & Coadiutor Suessionensis.
Cyrus Episcopus Petragoricensis.
Ludouicus Episcopus Tutelensis.
Ludouicus Episcopus Grassensis.
Michael Episcopus S. Pontii Tomeriarum.
Abbas de Estree Episcopus Laudunensis nominatus.
Abbas de Seruient Episcopus Carcassonensis nominatus.
Frater Ioannes Dominicus Episcopus Clandeuensis nominatus.
Bernardus de Marmiesse Agens generalis in rebus Cleri Episcopus Conseranensis nominatus.
Henricus de Villars Agens generalis in rebus Cleri, & à Secretis.

CAPVT XIV.

Solutio argumenti non satis opportunè obiecti ab aduersarijs.

1 *Opinio affirmans Papam errare non posse in fidei definitionibus, si tamen cogat Concilia, & eius rationes.*
2 *Certum est nihilominus etiam sine Concilijs errare non posse de cathedra definientem.*
3 *Rationes validæ huius assertionis.*
4 *Hæ confirmantur ex recursu ad sedem Apostolicam etiam ante Nicænum Concilium.*
5 *Falsò Nouatores insimulant erroris in fide plures Pontifices.*
6 *Responsio ad eorum obiecta, & mendacia.*
7 *Definitio Innocentij X. contra Iansenij propositiones summa cum prudentia, Iustitia, probitate peracta.*

SI isti argumentandi solùm gratia contra definitiones Innocentii, non autem contradicendi studio insurgerent, tolerandi essent, imò & laudandi non secus, ac qui veritatis inuestigandæ desiderio dubia mouent, quorum solutione magis illa patescat: Sed quocumque demum affectu moueantur satisfieri oportet obiectioni speciem præferenti incredulitatis in re credenda.

Eorum opinio est Pontificem quidem Romanum errare non posse in definitionibus fidei, ac morum toti Ecclesiæ proponendis, si Concilia cogat, sensum Patrum exploret, quæstionesque diligenter examinentur: cæterum sine Concilijs non esse regulam fidei infallibilem, & ideo errare posse. Sic Alphons. de Castro l. 1. cap. 2. contra hæreses. Adriani VI. Papæ in quæst. de confirma. Gerson. Almain. citati à Bellarmin. l. 4. de Roman. Pontif. cao. 2.

Primò quia Liberium hæresi subscripsisse testatur S. Hieron. in cathalogo scriptorum de Fortunatiano Afro Episcopo Aquileiensi in hoc, inquit, habetur detestabilis, [quod Liberium Romanæ Vrbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus sollicitauit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit.]

Item Ioannes XXII. docuit animas beatorum non visuras Deum ante resurrectionem, in quo non solùm ab hæreticis, sed etiam à Catholicis reprehenditur; ab Adriano in quæst. de confirmatione circa finem, ab Ochamo in opere 93. dierum, & aliis, & Ioannes XXIII. in Concil. Constantiensi sess. 2. accusatur hæresis quod negauerit vitam æternam, & carnis resurrectionem.

Secundò. Non constat è scriptura, quod Pontifex errare nequeat, sicut constat de Concilijs, in quæ cadunt Verba Christi Mat. 18. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.*

Tertiò. E duobus modis constituendi regulam certam, & infallibilem definiendi quæstiones fidei, probabile est Deum elegisse meliorem, vt melius Ecclesiæ prouideret; sed melius est Concilium, in quo multi sunt sapientes, & probi viri, & ex eorum sententijs discutiuntur quæstiones, & veritas inuenitur

fa-

facilius, quàm ex vnius particularis personæ, aut paucorum iudicio: Igitur Concilia potius sunt regula fidei, quàm Pontifex sine illis.

Quartò. Si vnus solus potest definire dogmata fidei, ac morum, ergo si temerè definiat, obligabit Ecclesiam, quod est absurdum.

Sed opinio hæc iam sustineri non posse sentiunt, qui Summum Pontificem errare non posse cùm definit è Cathedra articulum aliquem, affirmant, quam propositionem, vt veritatem Cathoiicam tuetur Suar. tom. de fid. disp.5. sect.8. citans multos alios Doctores, Bellarm.l.4.de Sum.Pontif.cap.3.asserens esse omnium fermè catholicorum, S. Thom. Caiet. Petri à Soto, Cani, & aliorum, declarat autem non posse errare proponendo toti Ecclesiæ rem de fide credendam.

Quod est citra controuersiam tenendum. Primò quia Luc,22. Ait Dominus Petro. [Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Pro te indicat personam singularem, & non totam Ecclesiam. sicut & particula sequens. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, quæ Ecclesiæ toti minimè conueniunt; non enim dicitur habere fratres, sed filios. Et quod in illa non sistat fructus Orationis Christi, qui est in fide constantia, sed ad Petri successores extendatur. testantur Lucius I. Papa, & martyr. in epist. ad Episcopos Hispaniæ, & Galliæ. Felix Lin. epist. ad Benignum. S. Leo ser.3.de assumpt. sua. Agatho Papa in ep. ad Constantinum Imp. quæ lecta est in Sexta Synodo Act.4.Nicol. I. in epist.ad Michaelem; & plures alij numerati à Bellarm.loc.cit. & à Botio signo 80.cap.6.& à Bzou. de Pont. Rom.c.14. ex hac auctoritate probantes non defecturam fidem Pontificum Romanorum, hoc est nullum eorum vnquam fore, qui proponat Ecclesię credendam propositionem aliquam non veram, quo sensu S. Bern. epist.190. ad Innocent. ait. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando, *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua?*

Deinde hæc constantia, & infallibilitas in fide includitur in promissione Christi facta Petro Mat. 16. [Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam &c.] Si Petra hæc est fundamentum Ecclesiæ, firmam esse oportet, & erroribus in fide non concuti; alioqui totum ædificium illi innixum caderet, & sic ecclesia rueret, quod est impossibile supposita Dei voluntate conseruandi illam, vsque ad iudicij magni diem, trahente secum prouidentiam, & adsistentiam suo Vicario nè labatur. Qui si caput est totius corporis, & cœtus fidelium, sicut in corpore animato dolor capitis est causa languoris membrorum cæterorum, ita error Pontificis proponentis rem falsam, vt credendam, causa erroris esset totius Ecclesiæ, & præualerent tunc portæ inferi aduersùs eam, quia maximam partem haberent in tali errore non minùs pernicioso, quàm sint persecutiones aliæ, quibus impeti illam à Sathana supra dicebamus.

Item. Quod Deus promisit Petro ante Passionem implesse putandus est in ipsa institutione post Resurrectionem per illa Verba Ioan. 21. *Pasce oues meas;* Si enim tunc creatus est Pastor, & Caput Ecclesiæ totius, data est igitur illi potestas, & donum ritè pascendi, idest gubernandi, & regendi Ecclesiam, ergo, & infallibilitas in proponendo illi ad credenda, quæ vera sunt, & iubendo, quæ recta sunt ad mores pertinentia; patet sequela, quia nisi ecclesia certa sit de infallibilitate ista, semper dubitare poterit, an errauerit Pontifex, atque adeò non illi promptè obedire, quod est maximum incoueniens Regimen Ecclesiasticum perturbans.

Dices, tolli hoc periculum si definiat Pontifex cum Concilio, non si extra Concilium.

Contra, quia soli Petro, & non Concilio dixit Christus. *Pasce oues meas, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua;* Deindè, quia non semper concilia cogi possunt, & nihilominùs necessitas occurrendi malis subindè emergentibus cogit Pontifices ad remedia adhibenda, siuè aduersùs hæreses determinationes de fide faciendæ sint, siuè contra malos mores leges statuendæ, vt sæpiùs contigit trecentis primis annis ante Constantinum Imperatorem, quibus ob varias persecutiones ægrè Concilia cogi poterant.

Deindè in Concilijs ipsis etiam generalibus errores possunt contingere, vt de Ariminensi, Ephesino 2. & alijs supra monstrauimus. Non igitur à Concilijs pendet rectitudo determinationum, sed à Pontifice, qui est supra Concilia, & etiamsi non esset in cœteris, tamen in dictis determinationibus pendent ab ipso tamquam à suprema, & infallibili regula. Quò pertinent, quæ diximus supra de Concilijs petentibus à Pontifice approbationem decretorum suorum, eò quod scirent Patres pendere illa à potestate approbantis, hunc autem esse independentem à Concilijs.

Tertiò, probatur ex vsu, & consuetudine Pontificum sine Concilijs damnantium hæreses, nam

Pelagiani ab Innocentio I. & Zosimo damnati sunt.
Prisciallanistæ à Leone I.
Iouinianistæ à Siricio.
Vigilantiani ab Anastasio;

Et ne longum faciam; Lutheri hæresis à Leone X.diris addicta; Baij propositiones aliquot à Pio V. & Gregorio XIII. confixæ, vt dubitare iam nefas sit de auctoritate Pontificis in definiendo extra Concilia.

Quartò. Interdum Pontifices præscribebant Legatis ad Concilia generalia missis. quod vellent recipi, & definiri in illis, & Patres conscij auctoritatis illius ad definiendum in rebus fidei, ac morum reuerenter acquiescebant; igitur non à Concilijs Pontifex, sed illa à Pontifice in definiendo pendebant, qui propterea corrigebat, si quæ erant corrigenda in eorum decretis, & supra ostensum est.

In vniuersum id probant recursus ex omnibus prouincijs Christianis ad Pontifices Romanos ante Concilium Nicœnum, quod fuit primum Oecumenicum: Illi enim tam in quæstionibus fidei, quàm morum quid sentien-

tiendum, quid & faciendum esset definiebant, ac eorum definitiones recipiebant fideles suæ ad obediendum obligationis memores, qua se obstrictos non reputassent, nisi infallibilem veritatis regulam in illis residere è sacris literis didicissent; Qua posita obligatione ex dominio in vniuersam Ecclesiam exorta grauissima incommoda secutura timeri poterant, si errare potuisse Romanum Pontificem de cathedra definientem concedatur; fac enim errasse aliquando proponendo falsitatem vniuersitati, quoniam eam recipere tamquam à legitimi superioris imperio manantem, tenebatur, tota Ecclesia fœdata esset erroribus, atque adeò Christi Sponsa cum macula, & ruga in Sponsi conspectu stetisset, quia deserta ab illo fuisset contra promissa olim facta: quæ absurda vitantur, si infallibilitas prædicta asseratur. Exemplum fit. Si permisisset Deus in quæstione, an mendacium, vel simplex fornicatio sit peccatum, quod Pontifex aliquis definiuisset non esse peccatum, primò quidem deciperentur fideles credendo veram propositionem sexto Decalogi præcepto repugnantem. Deindè verò aperiretur aditus ad impunè fornicandum, imò & ad insanam existimationem, quod actus turpissimus, si non est natura sua malus, & peccaminosus inter indifferentes numeretur, & possit aliquo bono fine honestari, ac fieri meritorius, quod aures castæ audire renuunt. Et idem absurdum sequeretur in alijs definitionibus, si statuere eas posset, & proponere credendas Ecclesiæ Pontifex aliquis. Non ergo potest, quia nec Christus Ecclesiam suam deserere.

Neque respondeas procul abesse pericula isthæc si definiat cum Concilio, quia Concilia errauere aliquando, vt constat ex dictis, & à Pontificibus sunt correcta; nullus Pontifex de cathedra pronuncians, vnquam errauit, errauere Patriarchæ aliquot Constantinopolitani, Antiocheni, Alexandrini, Hierosolymitani, & vel hæresiarchæ, vel eorum fautores damnati à Pontificibus Romanis sunt, & à Concilijs.

Proferunt quidem Nouatores multos, & propè triginta nominant, quibus hæreses, & errores in moribus affingunt, incipientes à sancto Petro, cui non parcunt, vt securiùs in Successores insaniant; sed patronum eorum strenuum egit Bellarminus l. 4. de Rom. Pont. à cap. 8. & Baron. in annalibus ad annos Christi eorum Pontificatui respondentes, ita immunes ab hæresi demonstrat, vt cęcus sit, qui lucem veritatis à binis hisce astris fluentem non videat. Sumpsere ab illis responsiones Neotorici scriptores de Pontificatu tractantes, quod meliores vix inueniantur, & quia illæ passim obuiæ Lectori sunt, piget hìc illas repetere, & singillatim accusatorum, & accusantium nomina recensere, nè in calumnijs refellendis caput in volumen migret, & actum decies agatur. Vniuersim verò Sectariorum obiectionibus diuersis, responsiones quadrant diuersæ. Primò, namque ab illis vocantur hæreses, quæ veritates catholicæ sunt, vt quæ ad cultum, & potestatem Pontificis pertinent. Secundò, hæreses appellant, quæ opinatiuè à diuersis Pontificibus dicuntur, & pugnantes inter se videntur, & cum non sint definitiones fidei, sed sententiæ ipsorum, vt Doctorum, discrepantes esse possunt, præsertim si mores spectent, qui pro temporum, locorum, ac personarum variantur. Tertiò, Multa possunt Pontifices pro auctoritate à Christo accepta, quam illi negantes ineptè garriunt scripturis repugnare.

Quartò, In narrationibus addunt, vel detrahunt, quæ facti veritatem obscurant, aut corrumpunt, & non semel mendacia admiscent.

Quintò, Vt dentur aliqua errata Pontificibus ab illis enumeratis, numquam proferre, vel vnum queunt, qui vt Pontifex errauerit, hoc est toti Ecclesiæ falsum aliquid credendum proposuerit, aut malum, & alienum à rectitudine obseruandum statuerit. Esto errauerit aliquis, vt priuatus Doctor, ex Cathedra definiens, vt Pontifex nullus errauit.

Ad primum argumentum respondet Bellarm. loc. cit. cap. 9. illud à S. Hieronymo dictum de Liberio, non quia directè subscripserit hæresi, sed quia interpretatiuè quod tandem subscripserit condemnationi sancti Athanasij, quem sciebat in causa fidei persecutionem ab Arianis, & eorum fautore Constantino pati; sed quia multa ab ijs illi obijciebantur, licèt falsò, contra mores, flecti se permisit ad subscribendum respectu morum. Syrmiensi pariter confessioni, & Antiochenę subscripsit, quia nihil continebant fidei contrarium, vt testatur idem S. Athanasius in Libro de Synodis. Quod autem in Concilio Syrmiensi communicauerit cum Valente, & Vrsacio, & alijs Episcopis, reddit rationem in suis epistolis, quod nihil alienum à fide in illis, tunc deprehenderit.

Verùm, quia diuersæ sunt de Liberij historia sententiæ alijs cum damnantibus, alijs excusantibus; Si minùs fuit in pręferendis exilij ærumnis constans, & ideò aliquid deliquit in dictis subscriptionibus, & communicationibus; non tamen errauit, vt Pontifex definiendo de cathedra, & proponendo Ecclesiæ articulum aliquem falsum; Sed lapsus est ex humana fragilitate, non tamen in hæresim, quam damnauit antequam Syrmio discederet, excommunicatione lata in negantes filij cum Patre consubstantialitatem.

Cœterùm si quæ macula exilij tempore contracta fuerat, ea post exilium ita radicitus deleta, vt à SS. Patribus Ambrosio l. 3. de Virgin. init. Basilio Epist. 74. ad Episcopos Occidentis Epiphanio hæresi 75. pro beato prædicetur.

Ad alterum de Ioanne XXII. respondeo nihil ab ipso definitum de quæstione illa: disputauit quid cum viris doctis, vt fieri solet in dubijs ob rationes hinc indè probabiles, quia nihil adhuc Ecclesia determinauerat, quid tenendum esset de visione beatifica, quando ad eam admitterentur electi, & ideò licita erat disputatio, quæ post determinationem esset illicita. Dicitur autem antè mortem reuocasse sententiam, in quam propendere videbatur in disputationibus, apertè enim dixit tenere se electos antè diem iudicij videre Deum. Mendacia autem palmaria Caluini in hac referenda historia adnotauit quinque Bellarm. loco citato, quorum aliqua admissa etiam à quibusdam catholicis minùs

per-

peritis in historicis fideliter, & accuratè narrantibus, inter quos fuit Ochamus, & alij pauci.

De Ioanne XXIII. non est laborandum, primò quia non erat certum eum esse Pontificem contendentibus tribus de Pontificatu; ipso videlicet Gregor. XII.& Benedicto XIII. proindè nec error illi, vt legitimo Pontifici adscribi potest. Secundò etiamsi errasset, non tamen definiuit de fide, aut proposuit Ecclesiæ, vt credendam falsitatem horrendam. Tertiò, in Concilio Constantiensi Act. 2. obijciuntur ipsi 53. crimina probata testibus. Quibus cum additur hæresis ista, non probatur, & ideò non fit eius mentio in depositione, quæ tamen taceri non debuerat, cùm sola sit causa deponendi, seù iudicandi depositum à Deo Bellarm. ibidem.

Ad secundum argumentum. Ex eo, quod sanctus Petrus constitutus est Pastor Ecclesię Vniuersæ, & est Petra, super quam illa fundatur, & ex eo, quod Oratio Christi impetrauit illi ne deficeret fides eius, consequenter reuelata est infallibilitas in definiendo, & adsistentia Spiritus sancti nè erret, vt Patres, & ratio ex supradictis persuadent; & ostendunt hoc priuilegium ad Petri Successores deriuatum.

Ad tertium respondeo primò per instantiam, quia idem argumentum procederet de regimine sæculari, quod melior esset Oligarchia, aut Aristocratia, quàm Monarchia, & tamen maior pars Sapientum præfert Monarchiam cum Aristotele lib. 12. Metaph. cap. vlt. vnus ergò Princeps; Deindè directè placuit Deo regulam infallibilem ponere in Ecclesiæ regimine, & illi adesse Pontificem Romanum Petri Successorem, & non in Concilijs, vt constat ex dictis, quicquid deindè disputent sapientes de varijs regiminum formis in Politicis.

Ad quartum respondet Suar. loco citato numquam permissurum Deum, vt Pontifex Romanus temerè definiat, & ideò adduci casum impossibilem. Cui responsioni, haud ægrè subscribo. Sed quid si per impossibile id eueniret? respondeo Deum, cui cura est de sua Ecclesia numquam permissurum, vt Pontifex proponat Ecclesiæ credendam rem falsam; aut præcipiat obseruari malam; sed si proponatur, alia ratione ostendet, sibi non probari stultam definitionem.

Sed hucusque inauditum, quòd Pontifex temerè, hoc est absque consultatione, & examine diligenti definierit aliquid è Cathedra, vt dicitur, & proposuerit Ecclesiæ, vt credendum, nec designare possunt hæretici quod tale, nisi mentiendo, aut paralogismis agendo inscientiæ indicibus, aut maleuolentiæ; vel enim à Concilijs particularibus sollicitati; vel à querimonijs Episcoporum adacti ad statuendum quid docturi essent populos in controuersijs subindè exorientibus circa fidem, & mores in consultationem adhibuere viros sapientes, & in Theologia, & Canonum peritia versatos; vel si tempus, & occasio permitteret, coegere Synodos particulares Episcoporum propinquorum, & ad eorum vota, ac sententias ritè prolatas suas accommodauere, & Diuini Spiritus auxilium, ac lumen illis adstitisse postmodum fassi sunt, quicumque Scripturæ Sanctæ ex Patrum interpretatione notitiam sunt assecuti.

Certè quidem in proxima, de qua sermo est Innocentij X. definitione, & Iansenianarum propositionum confixione, tantam partem habuit pietas, prudentia, iustitia, diligentia, quantam ne à Concilijs quidem desiderari potuisset. Primò quidem ab Episcopis Galliæ vigilantissimis admonitus Sanctissimus de periculis è propositionibus illis auctoris iam damnatis Ecclesiæ imminentibus, vt olim ab Africanis Patribus Zosimus Papa de Pelagianis: sensum doctissimorum Theologorum in varijs Academijs florentium explorauit. Tum Romæ primariæ notæ Theologos 13. selegit, qui summo studio doctrinam quinque illarum propositionum adamussim fidei in Tridentino præsertim declaratæ excuterent, & sensus suos scriptis exaratos Suæ Sanctitati offerendos exararent. Tertiò ijs, vt semel in hebdomada per menses fermè sex conuenirent, & meditata palam conferrent mandatum est. Quartò facta facultas Iansenij fautoribus senis è Gallia profectis, vt causæ suæ patrocinarentur, & aduersariorum, qui Parisijs Romam venerant, & Iansenio minùs fauebant argumentis, si possent, satisfacerent. Quintò, quid pars vtraque in Selectorum isto Theologorum cętu protulisset coram Sanctissimo rursùs repetendum erat, idque vndecies, aut duodecies prętitum est. Sextò, interim eiusdem iussu, preces, eleemosynæ, pœnitentiæ piorum hominum propitiando Numini offerebantur haud parcè ad lumen non parcum in maximi momenti negotio impetrandum. Septimò, ad hæc omnia accedebat Eminentissimorum Cardinalium consultatio, qui congressibus omnibus intererant, & suæ Sanctitati, quid actum esset, quidque agendum sentirent aperiebant. Erant hi Ginettus Vicarius, Ghisius nunc Alexander VII. Pamphylius id temporis, Cecchinus, proh quales Ecclesiæ Romanæ Cardinales, & Vrbis decora. Delegit Innocentius X. pro conuentionum loco ædes magnificas Cardinalis Bernardini Spadæ, qui præesset, iudice me Sensuum arcanorum, quod purpuratum hunc Patrem alterum se reputaret prudentia, doctrina, rerum agendarum peritia, meritò successionis in Petri cathedra dignum, & si quid nobilius est, quod sedes illa cœlis contermina, desideret. Poterat ne plus aliquid vel diligentiæ, vel pietatis adhiberi ad opem diuinam implorandam, & negotium istud ordinatissimè conficiendum? quod idcircò fœlicissimè confectum literæ Episcoporum è Gallia ad Innocentium, & alios transmissæ declarauere.

CA-

CAPVT XV.

Ratio potissima est necessitas vnius Iudicis in controuersijs de fide, & moribus præsertim in Concilijs.

1 *Illa è Scriptura ducitur, & traditionibus.*
2 *Sed scriptura est obscura, & eget interprete, qui errare nequeat definiendo verum sensum,*
3 *Hunc esse Summum Pontificem probant Sancti Patres Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Hilarius &c.*
4 *Ratio est, quia non solùm priuati homines, sed & Episcopi, contendere inter se possunt de sensu Scripturæ, egent igitur Iudice.*
5 *Imò & Concilia errare possunt, igitur ad Dei prouidentiam spectat prouidere Ecclesiæ vnum, qui errores tollat, & errare nequeat.*

NOn cadit huc dictum illud aureum Augustini. *Tota ratio facti est voluntas facientis*, vt in Diuini Verbi Incarnarionem, etenim Concilia, & Patres supremam Summi Pontificis auctoritatem ita referunt in diuinam voluntatem, & Christi Domini institutionem, vt propositum illi fuisse Ecclesiæ bonum, decorem, pulchritudinem, quæ absque concordia, & vnitate non consistit, neque hæc sine visibili capite, à quo regatur, speranda est. Igitur vt in disciplinarum speculatiuarum tradenda methodo, ordineque illis capiendis idoneo seruando, in eo potissimùm accurati earum professores sunt, vt principia quædam peruestigent, in quæ veluti fontes assertionum riuulos resoluant; ita & in Moralium tractatione firmamenta quædam statui decens est, quibus dicendorum innitarur ratio, ne mera placita videantur. Id si alibi vsquam necessitas inuestigare cogit, in præsenti dissertatione cogit, vbi commune nobis; & Aduersarijs nostris effatum est credendum esse quicquid Scriptura Sacra, peramplo complectitur sinu tamquam Dei partum de veritatis inuiolabilis penetralibus emissum; sed in multis discrepantia opinionum est, quàm maxima. Dei enim verbum non ita passim intelligentiæ humanæ obuium est, vt in plerisque sit profundum, & obscurum, & ansam disputandi præbeat, ac verum sensum sub claris etiam verbis contentum studiosa discussione venandi, vt proindè tenebrosæ aquæ in nubibus aeris comparetur, quæ tenebræ, vt dispellantur, Sole aliquo opus est, atque hunc Catholica Ecclesia de Petri cathedra splendere sibi semper gauisa est: Acatholici tot sibi fingunr lumina, quot sunt voluntates interpretantium Hæresiarcharum, & sectatorum. Illa fauorabili auctoritate Patrum traditione, & vsu immemorabili nititur, rationesque ex ijs ducit irrefragabiles; isti nihili pensi ducunt Patres, vbi Aduersarios suis commentis habent; traditiones, ac veteres consuetudines floccifaciunr, scripturam, scripturam clamitant adeundam, claram, & sui interpretem, absque interpretatione afferunt.

Ast aduersariam habent scripturam ipsam, ac Sanctos Patres, qui diuinitùs inspirati aliter, quàm ipsi illam interpretantur: audiant S. Petrum pronunciantem in Diui Pauli Epistolis esse quædam intellectu difficilia, quæ indocti, & instabiles deprauant, quale illud esse S. August. fatetur ingenuè sibi difficillimum 1. Cor. 3. Si quis autem superædificat super fundamentum &c. Et vniuersim Hieronymus monet, Epistolam totam ad Romanos nimijs obscuritatibus inuolutam esse; & reliqui Sancti Patres vnanimi consensu affirmant, obscuram esse pluribus in locis Scripturæ altitudinem; & signanter S. Ambrosius air; *Mare est scriptura diuina habens in se sensus profundos, altitudinem propheticorum ænigmatum &c.* Et S. August. *rem esse non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem, successu excelsam, & velatam mysterijs.* Et verò quotus quisque est, qui per Codicum Sacrorum campos excurrens gloriari ex verò queat, in nullum se obicem remorantem incurrere; & ita planam, apertamque viam emetiri, vt nullibi hærere cogatur, omnia sine labore, studioue vllo percipiat, quod non contigisse sibi Sancti Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius testantur? Cur ijdem in locorum plurium apparenti contrarietate inter se pugnantium conciliatione tantoperè desudauere, si citrà hæsitationem concordiæ facillimæ omnis ambiguitas sublata est? Cur facta, dictaque plurima hominum Dei amicorum in speciem damnabilia, in rei veritate non mala, aut etiam honesta explicationem deponunt, vt à mendacij suspicione, à vindictæ libidine, à sordibus intemperantiæ repurgara sua laude, & decore conuestita in oculos legentium veniant, & animos subeant audientium? Cur tanta in interpretatione sapientum Orthodoxorum inter se varietas, & ab Hæreticorum commentis tam acris dissensio, imò & istorum inter se tam clamosa altercatio, vt non Scripturas modò, sed & seipsos maledictis discerpant; quod in rebus ad fidei essentiam spectantibus extraneas, & inter se pugnantes interpretationes adhibeant. An non hæc tàm ingens sententiarum disparitas argumentum euidens est, ineuidentiam Scripturæ sensuum sub litere cortice delitescentium? [quod totum, air Augustinus, prouisum diuinitùs esse non dubito ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerumque viluerunt, &c. Similia habet S. Gregorius: Vtilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, vt fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus; & alioqui. Si Scripturæ Sacræ intelligentia in cunctis esset aperta, vilesceret &c.] Quod dictum vult non de ijs, quæ necessaria sunt saluti, sed vbi quisque fidem tenuerit, ait epist. 3. [Sine qua rectè, pièque non viuitur, tàm multa, tamque multiplicia mysteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus restant, tantaque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo Sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam

loco

loco habet, cum consummauerit homo tunc incipit &c. Dei mandata, consilia, adhortationes doctis, indoctisque communes intellectu facilia sunt, iuxta illud Psalm. 18. *Praeceptum Domini lucidum illuminans oculos*: Alia sunt obscura, vt Apocalypsis. [Hieremiam, Ezechielem, & Danielem quis possit, vel intelligere, vel exponere, ait Hieronymus epistola 103.]

At difficultatem hanc vel abstulit, vel molliuit Scripturarum auctoris Dei prudentissima bonitas, quæ sicut in alijs liberalem se Ecclesiæ suæ ostendit, & nihil eorum, quæ necessaria dignitati, & vtilitati eius sunt, deesse passus est; ita depellendis obscuritatis nubibus clara lumina suppeditauit, & interpretationis sermonum concessit donum, ac locupletauit, *& quosdam quidem*, ait S. Paulus, *posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores &c.* 1. Corinth. 12. quorum munus erat docere fidei mysteria, & quæ in diuinis continentur eloquijs explicare, siue interpretationis desuper accepto dono redderentur idonei, siue partam labore, exercitatione, & oratione cognitionem ad explanandum afferrent, siue cunctis hisce adiunctis discipulos subinde erudirent, qui haustam ab Apostolicis fontibus sapientiæ vndam ad posteros non interrupta emissione deriuarent.

Quę adnotasse libuit eatenus, vt constet haud modicam sacrorum voluminum partem densis obductam esse vmbraculis, ad quæ amolienda hinc Spiritus Sancti donum, indè labor, ac diligentia plurimùm quidem contulere, non ita tamen ingeniorum rotam sufflamminauere, vt omnem altercandi occasionem sustulerint; & schismata in Ecclesia abstulerint. Cui periculo, incommodoque, vt occurratur certa regula opus est stabiliendi dogmata, litesque tollendi, quam non aliam, quàm Summum Pontificem de cathedra, vt dici solet, definientem assignari posse contendimus; à quo velut à cœlesti Arbitro, quid tenendum, quiduè reijciendum sit in proposita controuersia de fide, vel moribus statuatur. [Ab hac qui recedunt, hęresibus aditum aperiunt; neque enim aliundè hæreses obortæ sunt, (cum S. Cypriano loquor) aut nata sunt schismata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, Nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur &c.] Sacerdos hic ad tempus Romanus Pontifex est, cui Christianus orbis ità obsequiosum præstare se debet, vt ab eius definitionibus horreat resilire, & à mandatis declinare. Idem docent sensus, & exempla Patrum.

Inter S. Augustini epistolas inserta est Innocentij I. Romani Pontificis nonagesimatertia ad Concilij Mileuitani patres, cui quia S. August. interfuit, in comperto est eius sententia de summa Iudiciorum potestate Romani Pontificis, ad quem vnanimi consensu Synodus tota recurrendum duxerat, tamquàm ad supremum Iudicem in Pelagij, tunc feruente lite de diuinæ gratiæ necessitate, quam ille negabat, Patres illi cum tota Ecclesia Catholica adstruebant, ac tuebantur.

[Diligenter ergo, respondit Innocentius, & congruè Apostolico consulitis honori, honori, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecùs, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicèt regulæ formam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis esse seruatam &c. Quid etiam actione formastis, nisi scientes, quod per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent, præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est sui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse.]

Haud ignarus S. Hieronymus potestatis huius iudicij in controuersijs fidei dirimendis, & insolitæ ad Romanam Sedem concurrendi consuetudinis, suborta in oriente de hypostasibus diuinis quęstione, quamquam quid tenendum esset, ipse doctissimus peruidebat; suam tamen sententiam Damasi Summi Pontificis iudicio posthabere religioni duxit, illudque per epistolam obnixè postulauit, explorauit, cuius recitare libet plagulam, perpetui Prouinciarum etiam remotarum recursus ad Summum Pontificem in causis fidei mentionem facientem.

[Quoniam vetusto Oriens inter se Populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam, ac desuper textam minutatim per frustra discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes, & inter lacus contritos, qui aquam non habent difficile, vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi, ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam; inde nunc meę animę postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me à pretiosę margaritę inquisitione potuit prohibere. Profligato à sobole mala patrimonio apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hęreditas. Ibi cespite terra fœcundo dominici seminis puritatem centeno fructu refert, hic obruta sulcis frumenta in lolium, auenasque degenerant. Nunc in Occidente Sol Iustitię oritur: In Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terrę, vos vasa aurea, & argentea, hic testacea vasa, vel lignea virgam ferream, & ęternum operiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat humanitas: A sacerdote victimam salutis, à Pastore pręsidium ouis flagito. Facessat inuidia Romani culminis, recedat ambitio. Cum successore Piscatoris, & Discipulo Crucis loquor; ego nullum primùm, nisi Christum sequens, beatitudinis tuę, idest cathedrę Petri communione consocior, super illam petram ędificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est. Et mox. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Et paulò post. Quamobrem obtestor beatitudinem tuam per Crucifixum mundi salutem, per homousion Trinitatem, vt mihi epistolis tuis siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon detur auctoritas &c.]

Nimirùm pro certo habebat, extra periculum erroris habiturum se à Sancto Pontifice responsum,

Idem epist. 8. ad Demetriadem, quanti faceret auctoritatem, iudiciumque Romanæ Sedis, & quanta vigilantia Ius suum in fidei Orthodoxæ puritate ab Apostolis acceptam tuenda exercerent eius insessores Pontifices ostendit his verbis. [Dum esses paruula, & sanctæ memoriæ Anastasius Episcopus Romanus regeret Ecclesiam de Orientis partibus Hæreticorum sæua tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est, polluere, & labefactare conata est, sed vir ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ sollicitudinis statim noxium perculit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit: Et quia vereor, imò rumore cognoui, in quibusdam adhuc viuere, & pullulare venenata plantaria, illud te pio charitatis affectu præmonendum puto, vt Sancti Innocentij, qui Apostolicæ cathedræ, & supradicti viri successor, & filius est, teneas fidem &c.]

Apud S. Gregorium in Registro passim plures inseruntur de eodem effato auctoritates; vniuersim autem de fidei causis l. 4. ep. 52. [Si quam verò contentionem ait, quod longè faciat diuina potentia, de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortè dubietas, & pro sui magnitudine iudicio Sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentiùs veritate relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententiæ terminari &c.] In qua admonitione non tam suam modestissimus vir, quàm Sedis Apostolicæ causam egisse, manifestum est, cui omne iudicium in totam Ecclesiam filius Dei dedit.

S. Hilarius vocat Iudicem cœli in terreno iudicio, S. Cyprianus Iudicem vice Christi epist. 55.

Idem asserunt Patres reliqui vocantes Summum Pontificem Ecclesiæ vniuersæ Pastorem à Christo Domino constitutum; vt enim aduertit Bellarm. lib. 4. de potest. spirituali Summi Pontificis cap. 1. Idem est esse caput supremum Ecclesiæ, & Pastorem vniuersalem Ecclesiæ, ac esse Iudicem, aut certè vnum ex altero necessaria consecutione deducitur; aut enim nullus est in hac vniuersitate Iudex, aut si alicuis constituendus est, quis, obsecro, alius congruentius, quàm qui cæteris præest, & legitimam in eos dominationem exercet? qui iudicandi munus, ac potestatem ipsi competere inficiantur, solem è mundo tollunt, & accusabili confusione illum inuoluunt; quia sicut genus humanum litibus carere nequaquam possibile est; ita neque Iudicibus destitui, qui illas componant, ni luporum, ac tigridum more traducenda sit vita, hoc est eliminanda ab hominum cœtibus ratio, & ordo naturæ, legumque ab ea manantium euertendus. Si verò iudicijs vti in qualibet hominum communitate, & publicæ, priuatæque pacis conseruandæ cogit necessitas, & consequentium ex pace commodorum suadet vtilitas, liquidò apparet, vno supremo opus esse Iudice, vltra quem nullus sit reliquus appellationibus locus, vt finis tandem sit, ac fixus contentionibus terminus. Idque in Ecclesiastica potissimum Republica necessarium esse prouisum ab eius institutore Deo, cuius infinita Sapientia attingit à fine, vsque ad finem fortiter: cuius immensa bonitas disponit omnia suauiter: quæ fortitudo, ac suauitas à iudiciorum non seiunguntur ordine, neque hic à Principatu Iudicis, à quo sensum vnitas in credendo, morum conformitas determinetur in agendo. Alioqui vbi Episcopus cum Episcopo, vel Concilium Prouinciale ab altero Prouinciali dissentit, vbi Oriens cum Occidente in grauibus fidei, vel morum controuersijs pugnat, aut quod euenisse aliquando præterita sæcula indoluere, Oecumenica ipsa labi sunt permissa, vt de Ephesino secundo, & Ariminensi constat ex dictis. In Constantinopolitano 318. Episcoporum condemnata est causa Ignatij iniquè expulsi, & probata iniquorum intrusio Photij, & subscripsere legati Nicolai I. ipso ingemente, vt ex literis ipsorum intellexit: demonstrare volente Numine inconcussam, & infallibilem veritatis definitionem ab eo expectandam, cui dictum à Saluatore fuerat; *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Et oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*: cuius conscij promissionis probatorum Conciliorum Patres à Pontificum Romanorum consensu, auctoritateque conuentus suos inchoare consueuere, & ab eorumdem approbatione, vt rata decreta forent tamquam munita sigillo prodire in lucem, necessarium duxere, vt supra demonstrauimus.

CAPVT XVI.

Dices ante Concilium Nicænum non fuerunt Recursus, & Appellationes ad Rom. Pontif. ergo non habebatur pro Pastore, & iudice vniuersæ Ecclesiæ.

1. *Probatur varijs exemplis auctoritas Romani Pontificis in vniuersam Ecclesiam ante Concilium Nicænum.*
2. *Telesphori, Sixti I. Pij I. Eleutherij, Zephyrini, & aliorum ante Nicænum regnantium.*
3. *Qui omnes exercuere actus iurisdictionis in totam Ecclesiam iuxta temporum, & negotiorum, aut recursuum ad ipsorum exigentiam.*
4. *Ex quibus constat non à Concilio, sed à Christo datam auctoritatem, & Primatum Pontifici Romano.*

ANte Concilium Nicænum agnitus fuit ab Ecclesia Romanus Pontifex pro vero suo Pastore, & Iudice à Deo constituto, vt constat ex varijs exemplis supra allatis, quibus nonnulla hic adiungere operæ pretium est, & sit cap. 16.

Telesphorus quadragesimale ieiunium ab Apostolis institutum, & perpetua traditione seruatum publico edito decreto stabiliuit ab vniuersa Ecclesia obseruandum. Baron. tom. 2. ad an. 136

Cum autem Nicænum celebratum fuerit

anno

anno Domini 327. vt probabiliter deducit Bellarm. lib. 5. de Concil. cap. vel 325. vt probare conatur Baronius ad an. Christi 325. satis constat ante tempora Concilij Romanos Pontifices iurisdictione vsos in totam Ecclesiam. Quippe Telesphorus ann. 127. ei præsidebat.

Sixtus I. constituit, vt quicumque Episcopus euocatus fuerit ad Sedem Romanam Apostolicam rediens ad Parochiam suam non suscipiatur, nisi cum formatis, id est literis communicatorijs, salutationis ad plebem à Sede Apostolica. Idem dicitur in libro de Romanis Pontificibus fecisse Ordinationes quatuor mense Decembri, quibus creati sunt Presbyteri duodecim, Diaconi octo, Episcopi per diuersa loca tredecim. Regnauit autem Sixtus I. an. 117. (Baron. ad ann. 142.)

Anno 159. Pius I. decretum edidit de celebrando Paschate die Dominico contra eos, qui 14. Luna celebrabant, quod ex traditione ab Apostolorum, vsque tempore celebrari constabat. Et de non applicandis ad humana prædijs datis ad diuina, & ex ordinatis 12. Episcopis ad diuersas Prouincias, manifesta est eius in illas iurisdictio.

Ecclesiæ Viennensis in Gallia Martyres ad Pium I. per Attalum literas miserunt: Postmodum Ecclesiæ Lugdunensis per Irenæum Presbyterum ad Eleutherium Pij successorem similes alias dedere, quibus de suo statu, & constantia in persecutione monent, rogantque, vt curet pacem, & concordiam in Ecclesijs constitui, vt ex Eusebio Baronius refert. Quid hoc? nisi quia illum prosummo Pastore habebant, cuius erat muneris curam Ecclesiarum Christi gerere? (Anno 179.)

Zephyrinus edicto vniuersali Pœnitentes ab Ecclesia recipi post lapsum contra negantes id esse licitum; titulus autem edicti Ecclesijs promulgandi præfixus erat. Pontifex Maximus Episcopus Episcoporum, de quo Baronius ibidem. (Anno 216.)

In Epist. 46. S. Cypriani narrat S. Cornelius Papa reditum ad Ecclesiam lapsorum recedente Roma Nouato, & socijs, à quibus seducti fuerant, & eorum confessionem recitat, cuius vna hæc est particula. [Nos Cornelium Episcopum Sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ electum à Deo omnipotente, & Christo Domino Nostro scimus. Nos errorem nostrum confitemur, nos imposturam passi sumus; circumuenti sumus perfidia, & loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quamdam communicationem cum schismatico, & hæretico homine habuisse, sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignoramus, verum Deum esse vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus; vnum Spiritum Sanctum, vnum Episcopum in catholica Ecclesia esse debere &c. An non plures in Ecclesia sunt Episcopi? vtique & Patriarchæ plures, At super hos omnes vnus dicitur esse Ecclesiæ Episcopus vniuersæ, quod nulli alij competit Episcopo. (Baron. ad ann. 254.)

Ad annum 258. Basilides Legionensis in Hispania Episcopus, & Martialis Asturicensis lapsi, & Episcopatu pulsi ab alijs Episcopis ad Stephanum Pontif. Romanum prouocarunt, vt restituerentur; quia videlicet hic mos erat Ecclesiæ, vt Episcopi, qui aliquid à Collegis se passos prætexerent, ad Romanum Pontificem, tamquam ad primarium Pastorem, & Iudicem legitimum recurrerent.

S. Cornelius Martyr decreuit lapsos ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti; ab ordinatione autem Cleri, atque sacerdotali honore prohiberi. Synodus Africana in causa Basilidis, & Martialis, vt refert. Cypr. epist. 68. (Ibi per eum Baron.)

Idem S. Cypr. epist. 67. literas dat Stephano Papæ, vt deponat Martianum Arelatensem Episcopum Nouatianis hærentem magno cum scandalo fidelium, vt literis Faustini Lugdunensis Episcopi cognouerat.

S. Stephanus Papa excommunicat Episcopos Asianos rebaptizantes baptizatos ab hæreticis. 258.

Promulgat decretum de non rebaptizandis baptizatos, ab hæreticis ibid.

Dionysius Papa, ad quem Causam Dionysij Episcopi Alexandrini detulerant tamquam malè de fide sentientis, coacto Episcoporum Romæ Concilio, & auditis eorum votis, innocentem declarauit, & suæ Sedi restituit. 263.

In actis martyrum Sebast. & Sociorum, quæ vera, & legitima sunt, Tiburtius filius Chromatij illustrissimi Ciuis legitur dixisse Papæ Caio magna voce: Obsecro te, Pater, & Episcoporum Episcope, nè me patiaris terga persequentibus dare &c. Erat hic titulus consuetus dari Pontificibus. Baron. ex Tertull. & S. Cypr. 286.

Decretum fecit Caius, vt nemo promoueretur ad thronum Episcopalem, qui in minoribus ordinibus consueto tempore non ministrasset; qui ordo & gradus ab Apostolorum vsque tempore erat in vsu. Idem Caius ordinauit Episcopos per diuersa loca quinque. 296.

Patres Concilij Arelatensis petunt Acta sua confirmari à Syluestro, & per eum alijs Ecclesijs insinuari. Fuit hoc prouinciale conuocatis à Constantino Arelatem Episcopis à diuersis prouincijs Orientis, & Occidentis ad sedandos rumores à Donatistis excitatos accusantibus Cæcilianum Episcopum Carthaginensem licèt innocentem, & pro tali iudicatum, vt S. August. pluribus locis, præsertim epist. 48. & 50. tom. 2. Illi præfuit per Legatos suos Syluester, qui fuere Claudius, & Vitus Presbyteri, Eugenius, & Cyprianus Diaconi. Interfuit etiam Constantinus non vt Iudex, sed vt eius præsentia quietè cuncta peragerentur, & Donatistæ in officio continerentur. Ibi Cæcilianus innocens declaratus. 314.

CAPVT XVII.

Romani Pontifices Successores Petri sunt in Vicariatu Christi Domini.

1 *Decuit Dei Sapientiam non vnum solum temporaneum Pastorem Ecclesiæ constituere, sed dare illi successorem cum eadem cura, & potestate.*

2 *Pertinet talis institutio ad ornamentum, & pulchritudinem Ecclesiæ, quam adamauit vti sponsam, & adsimilauit ciuitati Hierusalem cœlestis.*

3 *In qua sub vno supremo Imperatore sunt subordinati ministri, quibus S. Michael Archangelus præfectus dicitur à SS. Patribus in locum Luciferi indè pulsi.*

4 *Sicut in canticis canticorum nomine sponsæ designatur Ecclesia, ita, & ordo sub vno Principe, qui necessarius est ad regendas castrorum acies, vti in exercitu Imperatore opus est, à quo regatur.*

5 *Figuræ Principatus huius fuit sacerdos antiquæ legis Præpositus omnibus Synagogis.*

6 *Sinè hoc principatu vnitas fidei non constat, quæ est maxima Ecclesiæ sponsæ Christi pulchritudo.*

7 *Sinè hoc errare possunt etiam Concilia generalia, vt de Ariminense, & Ephesino 2. constat.*

Vices suas obire in terris Christus Dominus ad cœlos ascensurus S. Petro mandauit, ne absque Pastore visibili post eius excessum oues suæ per mundi deserta vagarentur, ac errarent, & non tam propter ipsius, quàm totius Ecclesiæ commodum radicem Primatus implantauit in eius agro, vt vno auulso ramo aureo alter non deficeret, nec Vicarius temporaneus, & aspectabilis æterno, ac inuisibili Pontifici deesset, qui plantaret, & rigaret multiplici regiminis exterioris moderamine campos, quos iste perpeti cœlestium gratiarum imbre fœcundare non desinit.

Suadet hoc amor, quo Christus Ecclesiam, quam sanguine suo redemit, sapientia instituit, prouidentia gubernat, ornamentis adeò effusè decorat, vt de suæ liberalitatis effusione, fructuque miratus, ceu gloriabundus exclamet, quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! nec tantæ præstantiæ pulchritudinem, aut aliter exprimere superno libuit Architecto, quàm si illam ad cælestis Hierusalem formam, typumque construeret, aut alia describere similitudine diuino inspirare scriptori, quàm vt illam terrestri Hierusalem verbo tenùs comparatam altiore sensu ad eius, quæ sursum est, elegantiam, ac imitationem extolleret. Pulchra es, inquit Ecclesiæ sponsus, amica mea, suauis, & decora sicut Hierusalem, terribilis, vt castrorum acies ordinata. Quemadmodum igitur, & formosissimus, & felicissimus ciuitatis illius, ac regni beatorum status est, quodità vnius supremi Principis, ac Imperatoris summi administratione, imperioque gaudet; vt subordinatos illi, subditosque veneretur Duces Angelicis cohortibus Præfectus, à quibus suauissimo regimine, ductuque ad Numinis excelsi nutum dirigantur, Sic in Ecclesiæ militantis institutione, cùm plures objicerentur menti diuinæ gubernationis modi, ille vnus arrisit, qui propiùs ad similitudinem cœlestis accederet, & aptior esset ad inferorum portas, & nequam spiritus impetus comprimendos: ideòque muniretur ordinata militia, qualis ea sola est, quæ ab vnius pendet imperio, quod Duces reliqui, & totus per illos exequatur exercitus. Et in ipso quidem Angelicæ substantiæ creationis exordio præfectum vniuersæ Angelorum multitudini autumant SS. Patres Augustinus, Hieronymus, Cyrillus Luciferum; huic autem post sui Principatus amissionem suffectum Michaelem sensus Ecclesiæ est, ipsum vocantis Principem cœlestis exercitus, & Paradisi Præpositum, & opulentissimam ornamentorum eius hæreditatem, de qua pronunciauit Ezechiel, *omnis lapis pretiosus operimentum tuum*, cum Præfectura in Successorem transijsse credibile est in casu illo horrifico de Cælorum celsitudine ad imos, Tartari abyssos.

An non facilè potentissimo Creatori fuerat, innumeras, quas nihilo eduxit Spirituum nobilissimorum cohortes perseipsum sinè administris regere, sinè fatigatione gubernare, sinè molestia tueri: at decentissimum fuit Potentiæ adiungere Maiestatem, & vbi necessitas non vrgebat vlla, aduocare in consortium absolutissimæ gubernationis sapientiam, ac bonitatem: quamuis enim in operibus Domini tria ista resplendeant vniuersis, magnificè tamen in ædificanda Ciuitate Hierusalem emiuere voluit, & suæ gloriæ pompam ostentare.

Ad hanc eamdem enarrandam cœlos fecit, & firmamentum ad enuncianda mirabilia, quæ in cœlo sunt, & quæ sub cœlo. In illis magnitudo, pulchritudo, virtus, & in inferiores lationes perennis influxus obuium diuinæ laudationis argumentum sui spectatoribus exhibent, & in Solis orbem intuitum dirigente oculo, ad præcellentiam assurgit animus principatum eius inter astra contemplans, indèque ad gregalium animantum naturam, ac propensionem cognoscendam descendit, quibus insita vis est, vt vnicum sequantur Ducem, à quo regantur. Et gratum esse Creatori primatum in Creaturarum cætibus arguit, & vmbram quamdam ordinatissimæ Ciuitatis abin creata luce in crassa etiam transmissam corpora recognoscit, Vmbram, inquam, qualis reddi à corporibus potest. Etenim veram communicati Principatus expressam velut in adamante similitudinem in terrestri Hierusalem, hoc est in Ecclesia primitiuorum splendere voluit, nè quid in ea desideraretur ad cælestis, quæ mater, aut soror eius est, pulchritudinem, ac decus repræsentandum. Percurre sacra Canticorum Cantica, vbi perpetua est, Dei. & Christi Sponsi cum Ecclesia Sponsa allusio, & collocutio, miraberis profectò non liberalem modò, sed & prodigum summi diuitis manum in ea ornanda, ditandaque tanta cum amoris significatione, vt oblitus maiestatis videri possit Sponsus sapientissimus, nisi quod nouum Maiestatis specimen est Amoris triumphantis

pom-

pompam de non victo inducere, vt thesauros gratiarum in ipsam, congestarum exhausisse videatur, & exinanisse seipsum, seruique formam suscepisse, Amore impellente, non sit dedignatus.

Cum igitur præstantissima pars fælicitatis, & pulchritudinis supernæ Hierusalem, ordo sit totius expers confusionis; hic autem ità vnius supremi gubernatoris dominatione pendeat, vt designara ab ipso præfectura splendescat Angelus agmina cœlestia suauissimo, ac sapientissimo regimine dirigens, vbi summa pax est, & procul omne periculum inordinationis, vel Angelorum inter se, vel à factore suo ipsos beante, quæ causa per Deum immortalem negare cogit, aut suadet nouam Hierusalem descendenrem de Cœlo, vbi constructa est, & ornata sicut Sponsa, in terris stetisse, ac incstimabilibus quidem monilibus fulgidam suæ peregrinationis tempus lætam rransigere; sed lætiorem fore, si hoc quoque ornamentum regni similitudinis suæ doti accesserit, quod & decentissimum est, & verò etiam necessarium, vbi disponuntur chori castrorum, & exercitus & equitatus, & acies, & conflictus instruuntur, ad quæ omnia non minùs vno Imperatore opus est, quàm propugnaculis, & clypeis, & omni fortium armatura, quia vt Hieronymus loquitur, *in quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur, &c.* neque sufficit Tribunorum, Centurionum, & reliquorum administrorum copia, si careant Imperatore. Certè quidem diuinus ille spiritualium cantionum liber sub rerum corporearum schemate mysteria complectens ineffabilia non Ecclesiæ modò, sed & Virgini sacratissimæ mirifica admodulatur encomia, tamque sublimes ei laudes concinit, vt sublimitatis supremum attingat apicem, & idcircò Quartum Maximum militantis, sub vno Duce Ecclesiæ, vel latere, vel prædicari, extollique in eodem epithalamio par sit existimare, in quo Sponsus cœlestis speciosam depromit facundiam in laudando, & singularem exercet potentiam, ac bonitatem in ijs, quæ laudantur, aggerendis suæ dilectæ bonis. Proindè exemplum regiminis, formamque administrationis delineatam ab illa dicimus, qua supernæ gubernator Hierusalem delectatur: ab vno videlicet Principe sumpta: cui tandem Spiritus subduntur omnes, & à quo cunctorum ministeria disponuntur, qui regendi modus præstantissimus cæteris anteponitur, prælatusque à Deo cæteris est, & solus suo solio dignus iudicatus.

Ep. ad Rust.

Quæ fuit causa, vt antiquæ Ecclesiæ à primo inchoatæ parẽte, & à successoribus subindè administratæ, vsquè ad egressionem ab Ægyptiaca seruitute designatus sit à Moyse Dei monitu Aaron Sacerdos summus, cui Sacerdotes omnes, ac Leuitæ subessent: & perdurauit interrupta sacerdotum summorum series ad Christi, vsque tempora, quorum ius, & gubernatio in ijs, quæ ad Religionem pertinent totius mundi synagogas complecteretur, quemque tribus omnes superiorem agnoscerent, cuius obtemperandum iussis, non ambigerent. Fuit autem Iudæorum Ecclesia figura christianæ, iuxta Apostoli effatum, omnia contingebant illis in figura, sicut & Sacramenta illi solemnia typus fuere sacramentorum nouæ legis eò præstantiorum, quod gratiam, quam significant, causent, quæ vis indita non erat illis, & ideò infirma, ac infima ab Apostolo nuncupantur elementa. Ità sacerdos totius Religionis præpositus legi Sacerdotis summi Testamenti noui prodromus, & figura fuit, in multis quidem dissimilis, at parilis in hoc conditionis, quòd in manu eius collocatam à Deo potestatem pro certo rebantur in ijs, quæ fidei, ac diuini cultus esse à Legislatore Moyse Dei interprete didicerant. Et dederit Dominus irriguum hoc superius Agar in dotem, ac solamen ancillæ, negane. it autem Saræ, è cuius prole benedictio in omnes gentes parabatur. Absit pondus istud à statera æquitatis Altissimi, qui synagogam veterem in Agar adumbratam ancillari iussit Saræ, idest Ecclesiæ nouæ, tùm in alijs, tùm in hoc, vt vexillum præferret seruitutis in libertatem migraturæ filiorum promissionis in Isaac, velut in spirituali radice contentam. Qui igitur, Ecclesiæ per contemptibilis fœminæ, & domo eijciendæ notam indicatę eam contulit honoris gratiam, vt sub vnius Pastoris tutamine, cuiusque bono frueretur legis, è cuius obseruatione salus animæ statui illi, temporique conueniens sperabatur eò ampliori honorificentiæ gradu Ecclesiam nouam extulit, quò illustrior, excelsiorque liberæ matris, ac matronę Saræ conditio fuit, quàm Agar, & eò nobiliorem ei Principem prouidit, quò nobilior est Sacerdos Christus Dei filius, cui succedit ille in pastorali munere, quàm fuerit Aaron Moysis frater, cuius sacerdotio subindè posteri sufficiebantur, donec tempus aduenit, quo sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, ceù sol de altissimis refulgens vmbras eliminauit, & Legis in monte Sion euulgatæ custodem, ac tutorem Petrum constituit, quem fidelium gregi tum pusillo, vt fonti, mox in mare magnum euasuro Pastorem præfecit, imperiumque in successores deriuandum sinè fine dedit nulla vi armorum, nullo aduersantium impetu, nulla fraudum calliditate peruertendum, vt vi portæ inferi aduersùs illud obarmentur, ac pugnent.

ad Cor. 10.

Neque verò contenta infinita illa, & nusquam deficiens à sui diffusione bonitas præcellenrem regiminis cœlestis typum terrenæ Hierusalem indere dignata est; sed & intimorum sublimium bonorum, quibus cœlites affluunt participatione ditatam voluit, ac proindè tàm arcta Ciuium beatorum inter se coniunctione, quantæ capax est ratione prædita creatura, & quæ diuinarum nexum personarum in naturæ, ac essentiæ vnitate æmulatur. Audax effatum, ni de veritatis ore prodijsset Patrem exorantis pro tali vnitate. [Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. Ita S. Cyprian. lib. 1. epist. 76. ad Magnum.] Et idcircò Dominus insinuans nobis vnitatem de diuina auctoritate venientem ponit, & dicit. *Ego & Pater vnum sumus*, ad quam vnitatem redigens Ecclesiam suam, denuo dicit, *& erunt vnus grex, & vnus Pastor*. Quis autem dubitet à fidei puritate, synceritateque principium petendum reliquorum, quibus Christianæ vnitatis conflantur vincula

non

non alibi videnda, quàm in sapientiæ officina, vbi resonant Apostolicæ tubæ voces; *obsecro autem vos fratres per nomen Domini Nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia*. Quòd si in vitæ morumque tenore necessaria filijs Ecclesiæ, hæc vnitas est, quantò magis circa fidei dogmata diuinæ reuelationi nixa idem requiritur à fidelibus sensus, eadem desideratur ab omnibus in communi sententia? Propterea exclamat Paulus, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*. Vide, quantam pronunciet necessitatem esse vnitatis fidei, ac baptismatis Apostolus, qui comparare non veretur Vnitati Dei supersubstantiali, & principio omnis vnitatis? Atqui vno reiecto Pastore, ac principe, qui sarta tecta iura fidei, ac baptismatis à schismatum tueatur incursibus; ruant illa necesse est in capitum malè sanorum placita, & figmenta degenerantia à sensu recto, & fidei rantummodò nomine verò significato casso remanente. *Oportet*, inquit Apostolus, *& hæreses esse* tàm videlicet veræ, sanęque doctrinæ, quàm moribus aduersantes, & Ecclesiæ formositatem deformantes. Quis istas, vel in suo suffocabit ortu? vel in progressu comprimet? vel adultis iam, & robustis modum ponet, nè strages edant, & catholica instituta subuertant? An curam hanc Episcopalis, sibi sollicitudo deposcet? At nouit Africa, ingemuit Asia, deplorauit Europa Episcoporum myriades ad Arianam sectam, ad Donatistarum castra, ad Nestorianas blasphemias, ad Eutychiana somnia, ad Manichæorum phantasmata miserè prolapsas, & quos intactos incendia illa reliquere, fidei Romanæ scutum protexit, ac Pontificis ad clauum tum sedentis tutela à ruina liberauit. Quid si Episcopi inter se contendant, & in fidei, morumue doctrina lites misceant? quis eas componet Iudex, nisi qui eorum Episcopus, & controuersiarum arbiter à Deo constitutus est? Non stabit fidei nexus, rumpantur, oportet, vincula charitatis, ni Pastoris vnius firmentur regimine, & grex fidelium in vnitate contineatur. Fortasse dices tànto malo, calamitatique ab Ecclesiæ emoliendæ opportuna Concilia sunt, totum corpus eius repræsentando coacta, in quibus viri tam doctrina præstantes, quàm probitate inclyti ab errorum scoria controuersias solerti euentilatione purgatas veritatis auro restituant, & in sua puritate conseruatam fidem populis per orbem terrarum transmittant. Nullum hoc remedio præstabilius, si cœtus illi verendi ex omni natione collecti in vnum corpus, suo constent capite, vt intus agente Spiritu animentur, nè velut emortua cadauera congeriem referant ouium sine Pastore aberrantium. Nam & Oecumenica Concilia in lubrico periclitari, & errasse, absque Romani Præsulis ductu, ac regula, Ariminense tam frequens Episcoporum numero, quàm Valentis, & Vrsacij Arianorum calliditate memorandum luculentè testatur, in quo Nicœni primi abrogata de Filij diuinitate decreta in admirationem traxere orbem terrarum, quòd detracta sibi candidissima veræ fidei stola fœdissimam Arij mastrucam superinductam fraudulenter animaduerteret, quam tamen momento exuit, cùm Liberius Papa totam illam scænam obscænissimam profanitatis damnauit, in qua, Omousios, de symbolo abrasum est, licèt sexcentis constaret Episcopis sub Constantino Imperatore Ariano anno 363. vt Bellarm. de Concil. l. 1. cap. 6. Sed, & Ephesinum Secundum Concilium Theodosij iunioris studio coactum, quàm turpem inussit nomini suo notam in Eutychiana confirmanda hæresi, cui opportunè occursum à Leonis Pontificis Legatis, vt ipse epist. 24. 25. Imò & cum Legatis eius instructionem non sequentibus labi posse manifestum est, & Nicolai I. epistola ad Orientales, in qua Constantinopolitani Concilij decreta improbat, vt Bellarm. l. 2. conc. cap. 11. vbi etiam notat erroneam esse sententiam Basileensis cum Legato, Concilium esse supra Papam.

Non ergò aliter certa fidei regula à Concilijs expectanda, nisi legitimè congregata, & ritè fuerint directa, hoc est Summi Pontificis consensione, & auctoritate indicta, & sua per se, vel per suos Legatos præsentia decorata, suaque approbatione confirmata, quarum concursu conditionum delectatus diuinus Spiritus illuminationis suæ radijs veritatis viam pandit congregatis Patribus, nè aberrent; corda conciliat, nè affectionibus in diuersa trahantur; impleturque Christi Domini promissum, *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio illorum sum*, vt sol videlicet, inter sydera fundendo lucem, vt Pastor inter oues ministrando pascua, vt magister inter discipulos docendo veritatem, quippè verba illa *in nomine meo* cùm varias interpretationes admittant, expedita hæc est, & plana, vt auctoritatem, potestatemque denotent, quam suo in terris Vicario super Ecclesiam, & super concilia communicauit, in quorum medio gaudeat residere, si nomen suum in ipsis agnoscat, & agnoscatur ipse, vt Rex, vt Princeps omnis potestatis in cœlo, & in terra, ac Vicarius eius potens auctoritate sibi credita, ligare, & soluere super terram, in qua Concilia coguntur non immunia à subiectione eius, apud quem succedanea hæreditate deuolutæ claues aperiunt fores sapientiæ ipsam quærentibus, & claudunt valuas insipientiæ rectis corde, & intellectum in obsequium fidei captiuantibus. Hi sunt, qui in nomine Domini coalescunt, & fiunt cor vnum, & anima vna, & vnum corpus, ac proindè vno capite constans, ne corpus sit monstruosum; à qua vnitate deriuatur in membra fidelium vnitas Spiritus in vinculo pacis, quo colligantur eadem sentientes, ac loquentes, quæ sentire, & loqui diuinitùs inspirati Patres docuere, sentientes Ecclesiam ab vno quidem Doctore inuisibili Christo intùs agente, docenteque regi; sed non absque magistro, ducèque visibili, qui accommodatè ad statum humanæ naturæ exteriùs dirigat.

Matth. 18.

Decuit Ecclesiam Christi sponsam carere macula, & ruga ex Apost. ad Ephes. 5. non dissimulante finem venustatis huius, *vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam*, idest multo decore, & gloria illustrem, & à peccati vetustate purgatam. Qui immaculatam voluit, an credibile est, neglexisse vulnera, & scissuras,

tas, quibus præuidit obnoxiam, ni Pastoris vnius summi vigilantia vlulantium luporum morsus, & leonum rugientium rabies arceantur, quibus membra discerpuntur, & vestimenta dilacerantur Ecclesiæ, damna istiusmodi ingemiscentis in ouibus, quæ Pastoris vniuersalis ductu, ac regimine subtrahuntur, & desinunt esse Christi caula, migrantque in cœtus Satanæ plenos confusionis, ac tenebrarum. [Quid enim si insurgat Nouatus quispiam, qui vt S.Cypr. loquitur, non tantum sicut Sacerdos, & Leuites iacentem vulneratum prætereat, sed ingeniosa crudelitate sauciatum potius occidat &c.] Profectò serpebat malum hoc, ni Cornelius Pontifex coacto Romæ Concilio, quoad per illud persecutionis tempus licebat, Episcoporum 60. & plurium Presbyterorum, ac Diaconorum damnasset Nouati dogma, ipsumque à fidelium communione ablegasset.

Et Arius parua scintilla fuit initio, & quia non illicò extincta, quam acerba, quàm dira, quàm funesta in orbe terrarum excitauit incendia? Quot adussit Episcopos? quot Reges succendit? quot Imperatores denigrauit? & huic occursum imbre salutari, copiosoque sapientiæ Patrum 318. Concilij Nicœni primi quod auspicijs, ac auctoritate Syluestri Summi Pontificis coactum, directum, confirmatum, & Constantini ope fultum si non extinxit flammam nimium auctam super infudit frigidam, nè latiùs vagata flamma ædificium absumeret fidei, & sanctionibus saluberrimis in eius vnitate fidelium mentes stabiliuit. Neque satis fuit instigatori Sataneę clades ista teterrima, nisi & aliam inferret non minùs tetram per impugnatores diuinitatis Spiritus sancti Airanistas ab Aira eorum Antesignano appellatos, Faustum, Polychronium, Telemachum, eorumque asseclam Macedonium Episcopum Constantinopolitanum, cuius furori, ac dementiæ opposuit Damasus Synodum Constantinopolitanam primam in Oriente, & Romanam in Occidente, quarum vnanimi consensu trium personarum consubstantialitas definita est, & anathemate damnata insania Trinitatem sanctam creaturarum commixtione commaculante, seruata in sua puritate fides catholica, & vnitas eiusdem sensus inter fideles Pontifice Romano satagente confirmata.

Et ad Nestorij Constantinopolis Episcopi duas in Chisto personas inuehentis, ac Beatissimam Virginem Chistotocon quidem, at non Theotocon appellantis blasphemias abolendas, nonne opus fuit Cœlestini in Petri Cathedra, tum sedentis diligentia, ac auctoritate, qua in Ephesina prima Synodo anathemate feriret monstrum impietatis, & à communione fidelium zizaniorum disseminatorem separaret? Qua animaduersione etsi venenatæ doctrinæ fibræ euelli penitùs non potuere, separata tamen sunt vasa perditionis fœdata in interitum, & contumeliam à vasis electionis factis in salutem, & honorem.

Nestorio tam similis in iniquitate, Eutyches quàm dissimilis in commento minuendi, quas ille adauxerat in Christo personas, non duas naturas, humanam, ac diuinam agnoscebat, vt Catholici agnoscunt, sed vnam tertiam, in quam post Incarnationem, vtramque migrasse, temerè pronunciabat; & penetrauerat virus hoc lethale in aulas, etiam Imperatorias facturum luctuosas clades popularium, si serpere perrexisset, ni à Leone Pontifice in Concilio Chalcedonensi remedia adhibebantur.

Quæ ideo innuisse hic eò libuit, vt palam fiat in Ecclesiastica Hierarchia, vnam certam debere constitui credendi regulam infallibilem ad vnitatem fidei, & morum conseruandam; vnum Iudicem in controuersijs subindè orientibus dirimendis, vnum gubernatorem, cui ministri pareant in regenda Ecclesiæ naui, nè freti instabilis fluctibus, quibus haud rarò quatitur, submergatur. Hic autem esse nequit vnus, aut plures Episcopi, imò neque simul omnes, nisi consensus accedat, & approbatio Romani, vt errores Conciliorum ea carentium declarauere. Neque rursus Imperatoribus, aut Regibus sæcularibus priuilegium hoc concessum est, neque sibi vsurpauere aliquando, qui in fide stetere, sed ad Summos Pontifices causas fidei, ac religionis remisere, quæ si tam graues essent, vt Conciliorum celebratione viderentur egere, nihil nisi consentientibus illis, & modum, formamque præscribentibus moliebantur, vt inferius suo loco meditamur ostendere.

Multò minùs veræ interpretationis, ac intelligentiæ scripturarum statuenda regula interior cuiuscumque priuati hominis illuminatio immissa desuper, vt ineptè desperati quidam Sectarij philosophantur in has se crepidinum angustias conijcientes, quod probè norint, haud decuisse diuinam prouidentiam fluctibus dubitationum expositam reliquisse fidei cymbam absque nauclero, quo regatur, & absque anchora, qua firmetur, & nè veritati submittant fasces, à spiritu mendacij seducti malunt ineptire, & cerdones, ac panarios, muliones, & cauponarios, quinimò si Deò placet, lanificas & scorta inter arbitros religionis connumerare, quàm vni Romano Pontifici Episcopo Petri successori promissam, & opem, nè erret, auctoritatemque à Christo datam confiteri.

Cœterum amentia hac explosa, & quà argumentis, quà risu à sapientibus exsibilata, vt commento Scripturæ Sacræ, & Patribus, ac rationis lumini repugnante, sanam, ac sanctam doctrinam amplectimur, quam magister cœlestis disertè tradidit, quam Ecclesia Catholica à sui exordio ad hæc vsque tempora constantissima obseruatione coluit; quam Deus Optimus Maximus inter hęresum oppugnantium insultus, inter fœda vitiorum inquinamenta illæsam, ac illibatam seruauit, & vnum Pastorem Ecclesiæ toti præfectum, tamquam certam definiendarum in ipsam quęstionum regulam confitemur; apud hunc seruari iura, ac iurisdictionem ad regimen Ecclesiasticum opportuna non ambigimus: Si enim potestas hæc, & dignitas collocanda in aliquo est, qui nec fallere, nec falli possit, non in humanæ vigore virtutis collocanda, quæ fallax est; sed in diuinæ assistentiæ promissione, quæ verax; neque particularis quispiam Episcopus statuendus, non Synodus vlla Prouincialis, non generale Concilium sine Romano Pontifice, non Rex,

non Imperator, non priuatus Spiritus dictamen, vt infra, in quo residere congruentiùs existimandum, quàm in eo, cui suum Dominus pollicitus tutamen est, nè deficeret fides eius? super quam fundaturum se Ecclesiam disertè fassus est? cui pollicitus fuit, daturum se claues regni cœlorum, & victoriæ aduersùs portas Inferi certiorem reddidit? cui agnos, oues suas pascendas commisit, cui pro rato habendum in cœlo dixit, quicquid in terra ligasset, aut soluisset? Nec dubium, quin vices has honorabiles amori rependerit, quem liberaliorem à Petro exigebat, cùm superiorem cæteris præficiebat; sed vlterius prouidentissimus Dominus, quàm vt in vno sisterent, ac terminarentur, suas curas extendens, ita dilexit, selegitque Petrum, vnius singularitate personæ, vt vniuersæ Ecclesiæ in longum vtilitati, commodoque consultum voluerit: ideòque non illius vitæ limitibus dignitatem, atque primatum oportuit coerceri; sed ad Successores Romanos Pontifices deriuari, nè vllo vnquam tempore ouili Christi suus deesset Pastor, à quo iuxtà status conditionem regeretur visibiliter exemplo, verbo, correctione, prouidentia viatoribus consentanea in terra degentibus, quos ipse de cœlo gratiæ Spiritus immissione souere, prouehereque ad æterna pascua non desinit. De quo plura diximus, cum rationem hanc potissimam scripturæ testimonijs additam suprà monstrauimus.

OPVS

OPVS DEI ADMIRABILE

PARS SECVNDA.

PRÆFATIO.

NON sunt quærendæ demonstrationes mathematicæ in moralibus, vt monet Philosophus l. 2. metaph. capitulo vlt. & 1. Eth. capitulo. 3. neque nos illas hìc quærimus, quia certas habemus, vbi scriptura Sacra, vbi concilia, vbi Patres argumenta suppeditant. Methodus tamen illa, quæ demonstrationibus à priori vtitur, & ad alias à Posteriori progreditur disciplinis etiam moralibus maximoperè inseruit, & eas tractantibus est familiaris, siuè quia per illam magis explicantur, quæ fortè obscuriùs disputata sunt in antecedentibus; siue quia ordinis interest, & ornatus binos istos argumentandi modos, quos natura coniunxit, arte non separare. Ita Sapientes docuere, & eorum doctrinæ nos adhærentes primam partem operis huius probationibus à causis ductis firmauimus, hoc est ab efficiente, qui est Deus, & Christus Romani Pontificatus Institutor; & à finali, quæ diuinæ potentiæ, ac bonitatis manifestatio in euehendo Piscatorem ad verticem dignitatis reliquis omnibus humanis superiorem, & eroganda potestate Cœlum claudendi, ac aperiendi, quæ nulli Angelorum concessa fuit. Reliquum est, vt ad demonstrationes secundi generis in sequenti parte descendamus, & indicem Signorum texamus, quibus fulgor Romani Primatus natales suos demonstret esse cœlestes;non eo quidem,vt Ecclesiæ Catholicæ notas prosequamur,sed vt ex illis à doctis Scriptoribus collectis,explicatisque verum,ac legitimum Pastorem esse Pontificem Romanum ostendamus. Talia sunt in primis miracula propiùs Petri Cathedram attingentia insignis hominum post hæreses exortas sanctimonia, & id generis, alia, quæ adnexus Catalogus indicabit.

Summa Capitum.

CAPVT PRIMVM.

Testimonia Summorum Pontificum de Primatu Ecclesiæ Romanæ.

1 *Numerantur plura à Bellarm. & Suario testimonia de Primatu Romano.*
2 *Anacleti, Alexandri I. Agathonis.*
3 *Clementis, Euaristi.*
4 *Dionysij, Gelasij, Gregorij VII. Gregorij Magni.*
5 *Ioannis VIII. Martini I.*
6 *Et ij omnes non tam propriam, quàm Dei causam agere censendi.*

IAcobus Rex Angliæ in Præfatione Apologiæ, & Monit. &c. non veretur asserere ante 300. post Christum annos nullum Romanum Pontificem arrogasse sibi Primatum in Ecclesia. Contra quem Suarius in Apol. l.3. cap.15. numerat vltra quadraginta tres, quorum magna pars tribus illis sæculis respondens reliquit posteris exempla, & doctrinam ab Apostolis acceptam de potestate à Christo Domino concessa Petro, & successoribus in Ecclesiam vniuersam. De quo etiam Bellarm. l. 2. de Rom. Pontif. cap.14.

Tales fuere S. Clemens, cuius illa sunt verba ep. 1. in primo tomo Concil. *Apostoli hoc statuerunt, vt maiores, & difficiliores quæstiones semper ad Sedem Apostolicam deferantur, super quam Christus vniuersam constituit Ecclesiam, dicente ipso ad Beatum Principem Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* S. Anacletus ep. 3. cap. 3. ad omnes Episcopos *Sacrosancta, & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro Primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super vniuersas Ecclesias, ac totum christiani populi gregem, sicut ipse Beatissimo Petro Apostolo dixit, Tu es Petrus, & super petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* Similia habet Euaristus Anacleto succedens epist. 1. ad Episcopos Orientales.

Alex. I. ad omnes Orthodoxos, Pius I. Eleutherius, Zephyrinus, Callixtus, Sixtus I. Felix I. qui omnes ante annum 300. potestatem, iusque in Ecclesia non arrogatum, sed à Christo datum exercuere.

Secuti sunt horum vestigia, quos Deus ad Sedem Romanam prouexit sequentibus annis ad nostros vsque Marcellus, Melchiades, & alij, quorum aliquot referre dicta, est fidem dicendis addere.

Iulius relatus cap. Romanus 24.quæst.1. [Sicut Petrus, inquit, primus fuit Apostolorum omnium, ita & hæc Ecclesia suo nomine consecrata, Domino instituente, prima & caput est cæterarum.]

Dionys. epist.1. ad Seuerum Episcopum. [Ab initio tantam accepimus à B. Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem auxiliante Domino vniuersali Ecclesiæ subuenire.]

Gelasius Papa ad Anastasium Imperatorem epist. 8. [Sedis illius Præsuli consensus est adhibendus, quem cunctis Sacerdotibus, & diuinitas summa voluit præeminere, & subsequentis Ecclesiæ generalis pietas celebrauit. Et mox, Quem Christi vox prætulit vniuersis, quem Ecclesia confessa semper est, & habet deuota Primatum, &c. Sancta Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est; sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinuit. Tu es Petrus, & super hâc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam.

S. Martinus I. epist. 11. ad Ecclesiam Hierosolymitanam, & Antiochenam condemnat Theodorum Episcopum, Pharam, Cyrum Alexandrinum, Sergium Constantinopolitanum, & eius successores Sergium, & Paulum hæreticos, & ait. [Nos verò, id est huius Apostolicæ Sedis Pontifices ad custodiam domus peruigiles iuxta præceptum Domini non permisimus eos hunc effodere, vel fidei surripere thesaurum; sed ipsos catenis impiæ eorum, & adulterinæ doctrinæ constringentes, accurata demonstratione, & examinatione eorum, quæ ab ipsis contra integritatem Christianæ fidei scripta sunt, tum ipsos, tùm ea, quæ impiè docuerunt igne canonicæ sententiæ veluti mala zizania exurentes synodaliter condemnauimus, vbique omnibus eorum hæresim publicantes, &c.]

Agatho Papa in 6. synodo epistola ad Imperatores. [Ecclesia Apostolica nunquam à via veritatis in qualibet sua parte deflexa adnitente præsidio B. Petri Apostoli, cuius auctoritate, vtpotè Apostolorum omnium Principis semper omnis Christi Ecclesia, & vniuersalis Synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt.

Iannes VIII. epist. 32. ad Carolum Caluum Imperatorem. [Quid autem magis legitimum, quàm vt præ omnibus, & ante omnia Romanæ curam habentis Ecclesiæ, quæ cæterarum mater est, ac magistra Ecclesiarum.]

S. Gregorius VII. lib.8. epist.21. [Hanc diuinæ voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis Ecclesiæ, hoc priuilegium, & Petro Apostolorum Principi cœlesti decreto traditum, atque firmatum Sancti Patres, cum magna veneratione suscipientes, atque seruantes Sanctam Romanam Ecclesiam, tam in generalibus Concilijs, quàm etiam in cæteris scriptis, & gestis suis vniuersalem Matrem appellauerunt, & sicut eius documenta in confirmatione fidei, & eruditione sacræ Religionis, ita etiam iudicia susceperunt in hoc consentientes, & quasi vno spiritu, & vna voce concordantes omnes maiores res, & præcipua negotia, nec non omnium Ecclesiarum iudicia ad eam quasi ad matrem, & caput referri, & ab ea nusquam appellari, iudicia eius à nemine retractari, aut refelli debere, vel posse.]

S. Gregorius Magnus Præcessorum suorum Pontificum vestigijs per sex sæcula in solo, Solioque Romano impressis inhærens, nè Canonum Apostolorum, & Conciliorum Oecumenicorum disciplina lassesceret, scriptorum doctrina, & factorum vsu roborauit, & generosi iuxtà, ac pij pectoris vigorem non

non Italia modò, & vniuersæ Occidentis Prouinciæ, sed & per Orientem sparsæ Ecclesiarum Sedes potestates, ac Imperij cœlitus collati vim cognouere: etenim, & insontes Episcopos etiam primarios ad se spontè accedentes à sontibus vexatos liberauit, ac iure amisso redonauit: aliàs fulmina iecit anathematum in perduelles; ad Thronum Episcopalem merentes euexit, immerentes, ac illegitimè intrusos exturbauit, leges sanciuit, Concilia indixit, decreta firmauit, si recta, si sancta, si vtilia viderentur: abrogauit, si detorta, si iniqua, si perniciosa iudicarentur. Pleni sunt Epistolarum Libri id genus documentis, & omnimoda ordinationum varietate, qua pœnas irrogat, præmia donat, pallia mittit, vsum eorum ad certa tempora restringit, Episcopatus instituit, lites dirimit, Imperatores, Reges, ac Principes pro cura pastorali monet, hortatur, reprehendit; denique re ipsa præstitit, quod Sancti Patres, quod Concilia ac Christo edocta ipsum posse, ac opportunè præstare debere, tam apertis, quàm veris, legitimisque scripturarum interpretationibus declarauere, quorum partem recensuit S. Bernardus, dum Mediolanensem populum alloquitur. [Plenitudo potestatis super vniuersas orbis Ecclesias singulari prærogatiua Apostolicæ Sedi donata est. Potest, si vtile iudicauerit, nouos ordinare Episcopatus, vbi hactenus non fuerunt: potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita vt de Episcopis Archiepiscopos creare liceat, & è conuerso, si necesse visum fuerit: potest à finibus terræ sublimes, quascumque personas Ecclesiasticas euocare, & cogere ad suam præsentiam non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit. Porrò in promptu est ei omnem vlcisci inobedientiam, si quis fortè reluctatus fuerit. Qui igitur huic potestati resistit Dei ordinationi resistit &c.] *Adde ex S. Gregorio*, & cum sibi aduersarium inuenit, de quo scriptum est: Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.

Epist. 76. ad Mauritium Augustum.

Numerat plurium aliorum Pontificum auctoritates Suar.

Neque minus ponderis probatio à Pontificum Maximorum auctoritatibus petita habere censenda, quòd Causam agere videantur propriam, & arrogare sibi iudicium in controuersia, cuius cum sustinerent partem non iura, non homines probi, sapientesq; concedunt esse iudices, aut testes: vt enim S. Greg. aduersùs Ioannem Constantinopolitanum Episcopum vniuersalis titulum per nefas, & intolerandam audaciam sibi arrogantem; falsam suspicionem vera protestatione diluens ait; [Nunquid ego hac in re, pijssime Domine; propriam Causam defendo? nunquid specialem iniuriam vindico? & non magis Causam Omnipotentis Dei, & Causam vniuersalis Ecclesiæ? Quis est iste, qui contra statuta Euangelica, contra Canonum decreta nouum sibi vsurpare nomen præsumit &c.]

In 4. epist. cap. 76. à S. Mauritium Imper.

Hæret huic responsioni Suarius l. 3. defens. fid. cap. 16. confirmaturque ex eo quod vt Pontifices Petri successores non sunt pars, cum qua lis agatur, sed Iudices Causæ, seu Primatus Ecclesiæ, quem defendere tenentur, vt cœteros fidei articulos, per accidens deinde est, ac secundarium, quòd tueantur suum, sicut electus Imperator exercitus per se primò defendit Rempublicam, & Regnum, per accidens autem, & secundariò se etiam defendit, qui pars etiam est, contra quam hostes manus conserunt.

Ad quod plures antiquorum Pontificum traditione acceperant ab ijs, qui cum Apostolis versati fuerant, & edocti, vt fuere SS. Clemens, Anacletus, quos fuisse Sancti Petri Diaconos, testatur S. Ignatius epist. 5. ad Trallianos. Quis credat ab ore Sanctissimorum Pontificum fabulas manasse? aut viros plenos Spiritu Sancto, diuinæ gloriæ amatores, martyres, miraculorum operatores vno verbo sanctissimos vsurpasse indebitam sibi iurisdictionem, & Romanæ Ecclesiæ asseruisse tanquam patrimonium à Christo relictum cuius nullæ extabant tabulæ, nulla certa traditio? apagè hanc amentiam, ac deliramenta stultorum.

CAPVT II.

S. R. E. Cardinalium Testimonia de Primatu Pontificum Romanorum.

1 *Bonauentura.*
2 *Caietanus.*
3 *Io. Card. Moronus.*
4 *Nicolaus Cusanus.*
5 *Stanislaus Hosius.*
6 *Card. Lotharingus.*
7 *Reginaldus Polus.*
8 *Card. Baronius.*
9 *Card. Bellarminus.*

Pontificio haud longo proximus interuallo Cardinalitius gradus communi Catholicorum existimatione, calculoq; conceditur, vt meritò proindè primum in numeratione locum poscant, qui secundi à Primo Maximo dignitate sunt, procul tamen meritorum consideratione, nè quis, ex ordine quo recensentur, arbitretur vnum alteri præferrim ac digniorem censeri; qui prior nominatu; numerare enim, non comparare intendimus. Ordior à S. Bonauent. doctrina cœlesti Cherubino, ac Seraphino Charitate.

[Hic in Breuiloq. p. 7. cap. 12. ita loquitur. Plures sunt Episcopi, pauciores Archiepiscopi, paucissimi Patriarchæ, & vnus Pater Patrum, qui Papa meritò appellatur, tamquam vnus primus, & summus Pater Spiritualis omnium Patrum, imò omnium fidelium, & Hierarcha præcipuus, Sponsus vnicus, caput indiuisum, Pontifex Summus, Christi Vicarius, fons, & origo, regula cunctorum Principatuum Ecclesiasticorum; à quo tamquam à summo deriuatur ordinata potestas, vsque ad infima Ecclesiæ membra secundum, quod exigit præcellens Dignitas in Ecclesiastica Hierarchia.

Sequitur Card. Caietanus. Proh quale quantumq; hoc caput sapientiæ domicilium, in quo doctrinæ Angelicæ soliditas, & Seraphicæ subtilitas sedem ponere gauisæ sunt?

Hic in præclaro de auctoritate Papæ tractatu omnes ingenij intendit neruos, & fæliciter probauit, quod operi præmisit initium in hæc verba. [Papa habet supremam potestatem in Ecclesia Dei, fundaturque super institutione Iesu Christi Mat. 16. & Ioan. vlt. Saluator siquidem noster Rex Regum, & Dominus dominantium quamuis potuisset Christianam Rempublicam in terris diuersis modis regendam disponere; voluit tamen, & statuit, vt non populare, non diuitum, non potentum, non Optimatum multorum, aut paucorum esset regimen, sed vnius tantùm promittens soli Petro Mat. 16. Tibi dabo claues &c. & idem soli promissionem exhibens, curam omnium suarum ouium committens Io. vlt. Pasce oues meas &c. Et mox. Meritò, inquit D. Thom. 4. cont. Gent. 76. Sic Saluator Noster instituit; quia regimen Ecclesiæ est optimè ordinatum, optimum autem regimen est vnius. Quod ex fine regiminis apparet; est enim finis Pax, quæ in vnitate consistit, & constat, quòd melius est causa vnitatis, vnus, quàm multi, qui non nisi, vt in vnum venientes eum causant &c. Nihil autem sequentibus capitibus omittit eorum, quæ veritatem hanc palmarem auctoritate Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ac rationibus firmatam suadeant animis ingenuis, & à prauis passionum liberis motibus indubitatam reddant.]

Rationem ab vnitate petitam persequens Gaspar Contarenus lucidum Venetæ nobilitatis astrum opusculo de Potestate Pontificis cùm ex Aristotele, & ratione probasset multitudinem Principatus esse malam, quia inepta est ad cõtinendam vnitatem multitudinis subditorum, id est pacem inter subditos, infert quòd cùm Ecclesia Christiana sit vna, sicut est vna fides, vnum Baptisma, vnum corpus fidelium, indiget vno Principe, à quo contineatur à Christo Deo Optimo, inquit, [quemadmodum etiam vniuersa rerum natura, est tamen à summa illa bonitate institutum, vt cuique rei pro eius natura prouideatur. Cum ergo hominum genus à sensu maximè pendeat, à sensibusque hauriat, & disciplinam, & institutionem omnem, indiget homine, quem sentiat, gubernatore, & Principe. Et pergit potestatem hanc diuinitùs Petro, & Successoribus datam non ab vllo hominum demonstrare. Fides Petri, inquit, nititur Christi oratione Luc. 22. quæ inefficax nulla ratione esse potest. Quapropter cùm Pontifex Romanus Petri successor sit, ius hoc declarandi, & discutiendi ea, quæ pertinent ad fidei Christianæ dogmata Romani Pontificis nullo hominum consensu, sed diuinitùs ei tributum est.]

Ioannes Cardinalis Moronus in Conc. Trid. Legatus, & Præses in Oratione ibi habita ait. [Vicarius Christi, cui ab omnibus parendum, cui in Petro oues suas pascendas, regendasque Christus commendauit.]

Nicolaus Cusanus Card. epist. 2. ad Bohemos de vsu communionis vocat Petri cathedram, & successorum Sacratissimam inexterminabilem, [Apostolicam, quæ per continuas successiones in Petrum Principem continuatur,] cui si quis adhæret, sciat, se inquit, in Ecclesia existere.

Stanislaus Hosius Card. Episc. Varmiensis in Polonia lib. confess. fid. Catholicæ cap. 28. post longam Ecclesiarum orbis terrarum enumerationem, quæ defecerunt vel à fide, vel à statu etiam temporali ob persecutiones infidelium, vel ob alias temporum, ac Regnorum mutationes, sola, inquit, fuit, [& est Ecclesia Romana, ad quam sicut præclarè scribit Cyprianus. numquam accessum potuit habere perfidia, quæ mille iam quingentis, & amplius annis ita est Catholica semper, & Apostolica habita, nunquam vt vlla fuerit hæreseos labe maculata &c.]

[Card. Lotharingus Episcopus, & Dux Rhemen. Caroli Regis Galliarum nomine ad Patres Concilij Tridentini, ita loquitur. Vniuersalis Ecclesiæ Pontifex Maximus, cui post Deum par est, esse Regem subditum super omnes in terris Ecclesias Primas, cuius Imperia nunquam detrectanda.]

Reginaldus Polus Card. l. 3. pro vnitate Ecclesiæ post commemoratas Ecclesiæ Romanæ laudes, ac priuilegia à Christo concessa, comparat illam arbori, quæ ex Christo, inquit, viuificum humorem trahens omnibus deinceps ramis eum dispertit &c. ramos accipit pro Ecclesijs expansis in orbe, Romanæ annexis, ac subiectis.

[Et lib. de Summo Pontif. cap. 8. Christi Vicarius, qui in Ecclesia gubernanda obtinet summam, ac præcipuam potestatem inter cæteros omnes Dei Ministros, seu Imperatores, seu Reges, aut quocumque alio nomine nuncupentur.

Cæsar Baronius ter dignus purpura, quæ illum renitentem ambiuit, & tandem ad se traxit perinuitum, Cæsar ille sacri Collegij decus immortale, sui sæculi miraculum, orbis prodigium, alumnus. & patronus, veritatis, cui posthabuit Regum gratiam, Principum amicitiam, honorum commoda, vt nihil attingam eorum, quæ virtutes eius heroicas, vitæ sanctitatem, eruditionis excellentiam commendant, & à R. D. P. Hieronymo Barnabeo Oratorij S. Philippi Nerij sacerdote eleganter conscripta sunt, & pridem typis excusa: siquidem mentio hic eximij Card. eatenus fit, vt testimonij, ac sensus illius de Romani Pontificis primatu appareat, quem asserere ingentium voluminum more, ac numero conatu glorioso contendit, vt minimè sit opus singulare ab illis effatum promere, cùm magna librorum pars elogijs scateat, & argumentis in conspicuo veras historias ponentibus, ac falsarum narrationum officijs, mendacijsque obfuscatas purgantibus. Percurre florentes vbertate diuites Annalium campos, & passim incurres in titulorum gemmas, quibus tyaram, & cathedram Pontificiam exornat, & ipsum Pontificem super cedros Libani, & Cypressos Syon, hoc est super excelsos Dignitatum Ecclesiasticarum, & Sæcularium vertices extollit. Tales sunt.

Pontifex Romanus.
Episcoporum omnium primus.
Omnibus præest Episcopis.
Iudex omnium Christianorum.
Magister, ac Doctor totius populi Christiani.

Caput omnium Ecclesiarum.
Clauiger regni cælestis.
Episcopus vniuersalis.
Arbiter Scriptorum omnium.
Pater Imperatorum.
Pater Patrum.
Patriarcharum Princeps.
Tenens Principatum in vniuersum terrarum orbem.

His, & similia penè innumera pio Lectori obtulit eruditissimus P. Theophilus Raynaudus in sua Corona aurea è diuite totius antiquitatis sacræ, profanæque pęnu deprompta, quæ summam literatis, quin & Innocentio ipsi X. cui liber dicatus est, oblectationem attulere.

Card. Bellarminus de Roman. Pontif. l. 2. cap. 31. iisdem insignitum nominibus recitatis ex Baronio docet, & per integros quinque Libros Primatum in Ecclesia in S. Petri persona, & successoribus eius à Christo D. institutum tam multiplici Conciliorum, Patrum, & aliorum Sapientum auctoritate, rationeque demonstret, vt cæci sint, qui ad iubaris lucidissimi splendorem veritatis domicilium, sedemque Romæ radiantem intueri nequeunt, aut nolunt. Talia sunt Epitheta.

Pater Patrum.
Christianorum Pontifex.
Summus Sacerdos.
Princeps Sacerdotum.
Vicarius Christi.
Caput corporis Ecclesiæ.
Fundamentum ædificij Ecclesiæ.
Pastor ouilis Domini.
Pastor, & Doctor omnium fidelium.
Custos vineæ Dei.
Sponsus Ecclesiæ.
Apostolicæ Sedis Præsul.
Episcopus vniuersalis &c.

Id loci non impetro à me ipso, quin in lucernam hanc ardentem, & lucentem mentis oculos tantisper intendam Bellarminum cum nomino benedictionis memini, qua Patriarcha Iacob filium impertiuit dicens: Nephtali ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis. Quorum explanationem verborum variè ex Hebręo contextu venantur interpretes, & valdè eruditè Cornel. à Lap. Iacobus Bonfreri, & alij, quorum non est vna versio. Mihi arridet, quæ Bellarmino quadrat, vt Nephtali, siue Nephtali colluctantem denotet, ceruoque comparetur, cui cum serpentibus natiua discordia est, quique in apertum campum dimissus deposito timore si cum hoste pugnandum sit, fortiter, ac velociter irruat, & vel in fugam vertat, vel si prælietur, cornuum armatura prosternat, ac proterat, aut certè si circumsessum se ab hostibus periclitari de vita videat, audacior factus animosè medias acies perrumpit, & vincit, euaditue, quasi prædicta à Patriarcha fuerit pugna, ac victoria aduersùs Sisaram à Barac & Debora referenda. Fuit autem Barac dux exercitus Israel de tribu Nephtali.

En tibi nouus Nephtali, qui Cerui more contra serpentina hæresum genimina stylum exacuit, & in certamen aduersùs impios Nouatores descendens, inflixit vulnera nullo vnquam malagmate sanabilia. In quo certamine non diuinam modò manum calamum eius regentem, licet admirari; sed & suspicere Prouidentiam, quæ sicut naturæ, vt suos peragat cursus, opportunas locis, temporibusque vires suppeditat; ita & Ecclesiæ pro necessitate irruentium malorum suppetias ire consueuit, ac subsidia congrua subministrare.

Nulla Ecclesiæ calamitas funestior vnquam accidit, quàm hæresum colluuies, & vnitati eius dissoluendæ malè nata dissidia impiorum, & hæc nihilominùs pati oportuit à suis vsque incunabulis, ac pacis & concordiæ parentem ab inquietis turbari filijs, atque tetris schismatum concuti procellis; sed quia à superbiæ, & inscitiæ radice germina isthæc viperea semper pullulauere, suscitare non destitit Deus Spiritus seruorum suorum, quos cęlestibus repletos donis inferorum amentiæ, furorique opposuit Auernali; ne præualeret aduersùs benè fundatam supra firmam Petram. Testes sunt, vel ipsi Apostoli, qui nascentibus cum Euangelio hæresum hydris in ipso exortu suffocandis attenti, veræ fidei fundamenta iecere, & quà prędicatione, quà verbo scripto, vt edocti à Spiritu Sancto ipsi fuerant; posteros docuere. Testes Athanasij, Basilij, Damasi, & alij, quos numerasse suprà licuit viros sapientia, ac sanctitate conspicuos, qui doctrinam ab Apostolis acceptam, vt sartam tectam à tenebrarum filijs in suo splendore seruarent, ad sanguinem vsque desudarunt.

Quis gloriosis hisce fidei defensoribus, non accenseat Bellarminum, nisi, qui in præclaris eius controuersiarū voluminibus prorsus est peregrinus è Catholicis, aut hospes malus, & infidus ex catholicis? Verùm isti, quod verbis negant, factis probant; si tamen negant; nam eruditum haud mediocriter fatentur, & palmam illi inter suos ipsorum aduersarios concedunt, qui plus sapere videntur, & in eius euertendis argumentis genuinum irrito conatu frangunt.

CAPVT III.

Testimonia Patriarcharum Orientis.

1 *S. Ignatij M. Episc. Antiocheni.*
2 *S. Ignatij Episc. Constantinopolitani.*
3 *Stephani Episc. Hierosolymitani.*
4 *S. Athanasij Episc. Alexandrini.*
5 *S. Ioannis Chrysostomi Episc. Constantinop.*
6 *Tarasij Episc. Constantinopolitani.*
7 *Cyrilli Episc. Alexandrini.*
8 *Aliorum tam veterum, quàm recentium.*

SI Romanum Pontificem caput Ecclesię vniuersę, seque illius membra Patriarchę fateantur, consequens est, vt qui ab illis pendent Episcopi Principem suum agnoscant, & reuereantur. Profero testimonia confessionis istiusmodi non plurima, quibus abundant historię: sed ex illis pauca, quibus vtpotè Antistitum sanctitate, & doctrina insignium, fidem negare non sit hominis ingenui, neque prudentis: & libens Orientalium

illum caput ab alijs distinctum adscribo, quoniam ab eorum nonnullis, quà Imperatorum ibi degentium potentia suffultis; quà spiritu ambitionis impulsis lis grauior Primatui Romano intentata est, cui dirimendę efficacissimum remedium est eiusdem gentis Patriarcharum iudicium scripturę auctoritati, & Apostolicę traditioni innixum S. Ignatius Martyr Antiochenus Episcopus epistolam ad Romanos ab hac inscriptione auspicatur.

[Ecclesiæ sanctificatæ, & illuminatæ in voluntate Dei, quæ fecit omnia, quæ sunt per fidem, & dilectionem Iesu Christi Dei, & Saluatoris nostri, quæ & præsidet in loco Regionis Romanorum, Deo dignæ, eminentiæ dignæ, memoria dignæ, beatitudine dignæ, laude dignæ, fundatæ in dilectione, & fide Christi paternum nomen habendi, spiritiferę, quam & salutis &c. voces istæ. *Præsidet, eminentia, paternum nomen*, primatum indicant, & ideo abstinuit ab ijs S. Ignatius in alijs epistolis ad Trallianos, Philippenses, Ephesinos &c. & licèt sit varietas aliqua accidentalis in lectione contextus, eędem tamen voces primatum indicantes apud omnes retinentur. Vide Bosium lib. 18. cap. 3. de signis, & Raynaud. in Onomast. l. E.

Accedat alter Ignatius Episcopus Constantinopolitanus sanctitate, & doctrina illustris, de quo Græci, Latinique festum diem recolunt 18. Octobris, & frequens eius est mentio in registro Ioannis Octaui, & Nicolai I. Is in octaua Synodo Actor. 3. ita Nicolaum affatur. [Eorum vulnerum, atque liuorum, qui in membris hominum consistunt, multos medicos protulit ars; hanc quidem passionem alio accipiente, & alteram altero per experientiam amputante, & medicante; Eorum verò, quæ in membris sunt Christi, & D. Saluatoris omnium nostrum capitis, & sponsi Catholicæ, atque Apostolicæ Ecclesię, vnum, & singularem præcellentem, atque catholicissimum Medicum ipse Princeps summus, & fortissimus sermo, & ordinator, & curator, & solus ex toto magister Dominus omnium produxit, videlicèt tuam fraternitatem, & paternam almitatem, propter quæ dixit Petro magno, & Summo Apostolorum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et iterum: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quod solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Tales enim beatas voces non secundùm quamdam vtique sortem Apostolorum Principi solùm circumscripsit, & destinauit; sed per eum ad omnes, qui post illum secundùm ipsum efficiendi erant summi Pastores, & diuinissimi, sacrique Pontifices senioris Romæ transmisit.]

Stephanus Patriarcha Hierosolymitanus vnà cum Episcopis, & Populis Christianis Palæstinæ in epist. ad Martinum Papam vocat Apostolicam Sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt summam, & principalem Ecclesiam.

FELICI PAPÆ.

S. Athanasius, & vniuersi Aegypti Thebaidorum, & Lybiorum Episcopi in Sancta Alexandrina Synodo conuocati.

Pater Beatissime.

QVia semper antecessores nostri, & nos à Vestra Apostolica Sancta Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere cognouimus, [præfatam Apostolicam, & summam expetimus iuxta Canonum decreta Sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædecessores nostri ordinationes, & dogmata, atque subleuationes ceperunt. Et mox. Canonibus quippe iubentibus absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere, Pontifice. Ideòque ad propositum currentes, & ad brauium properantes Vestræ Apostolicæ Sedis imploramus auxilium.] Vide Eugubinum lib. 2. de donat. Const. p. 227. lib. 2.

S. Ioannes Episcopus Constantinopolitanus in epistola Apologetica ad Constantinum Papam, quam è VI. Synodo de Græco in Latinum vertit Franc. Turr. lib. 1. de Ecclesia cap. 8. comparat Pontificem capiti; vndè vigor, motio, sensus in reliqua membra deriuatur, & concludit. [Quia Vos caput sacerdotij secundùm Christum reputamus, meritò damus operam, vt à Vobis corpori Ecclesiæ nostræ alienationem offensionis, quam ex pestifera animarum tyrannide excepit, feramus. Sanè quidem vos, vt capitis proprium est, non despicietis nos, qui præter voluntatem nostram in morbum incidimus, nec à Vestra coniunctione alienabitis &c.

Tarasius Constantinopolitanus epist. ad Adrianum Papam vocat oculum totius corporis ostendentem rectam veritatis semitam.

S. Cyrillus Alexandrinus in thesaur. libror. [à cuius throno Apostolico Romanorum Pontificum nostrum est quærere, quid credere debeamus, quoniam ipsius solius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, soluere, & ligare loco illius, qui illum ædificauit, & nulli alij, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit, cui omnes iure diuino caput inclinant, & Primates mundi, tamquam ipsi Domino nostro Iesu Christo obediunt.] Item debemus nos, vt qui membra sumus, capiti nostro Romano Pontifici, & Apostolicæ Sedi adhærere. Quæ verba citantur à Sancto Thoma in opusculo contra Græcos, & à Gennadio Scholario Græco in lib. de Primatu Romani Pontificis, nam multi libri Thesauri periere, vt patet ex Synodo Act. 10. vbi nominatur liber 32. cum non extent nisi 14. vt Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 15.

Acatius epist. ad Simplicium Papam 2. tom. Conc. [sollicitudinem omnium Ecclesiarum secundùm Apostolum circumferentes nos indesinenter hortamini quamuis spontè vigilantes, ac præcurrentes.

A Patribus Synodorum Africanæ, Bizacenæ, Numidiæ, Mauritaniæ, & Proconsularis

laris Prouinciæ ad Theodorum Papam, appellatur Pater Patrum, summus omnium Præsulum Pontifex. Eumdem Patres Cypri Patrem Patrum vniuersalem Papam nominant.

Ioannes Iacobita Alexandriæ, totius Ægypti, Lybiæ, Pentapoleos, & Occidentalis Africæ Patriarcha Eugenio Quarto, apud Ioannem Nauarchum in epist. Asiatica scribens, sacerdotij vocat Perfectionem, omnium Ecclesiarum Apostolicum Pastorem, saeerdotum Principem, Peregrinantium, qui viam salutis ostendat, Ducem, & languentium Medicum.

Theodoretus Episcopus Asiæ 800. Ecclesiarum Præsul in epist. ad Leonem Papam sic loquitur. [Ego Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram Sanctitatem, vt mihi opem ferat iustum vestrum, & rectum appellanti iudicium, & iubeat ad vos accurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem. Vide etiam epistolam ad Renatum presbyterum Romanum de auctoritate hac agentem. Enumerat longam seriem aliorum Patriarcharum Orientalium, qui à schismate resipiscentes ad Pontificem Romanum accurrere, & eius in Ecclesia Primatum, ac auctoritatem summa cum reuerentia agnouere. Bzouius de Pontific. Roman. cap. 17.

Nouissimis hisce temporibus illuxit veritas antiquorum Patriarcharum Gabrieli Patriarchæ Alexandriæ, Ægypti, ac Æthiopiæ, qui missa legatione ad Clementem VIII. Pontif. Romanum vocat eum initio Epistolæ Patrum Patrem, Caput, & Patriarcharum Principem, Catholicum, & Apostolicum super S. Petri Apostoli Cathedra in regione Romana sedentem &c. iubetque Legatis suis, vt illius pedes exosculentur, illi obediant. Emittant professionem Catholicæ fidei, quæ omnia ab illis exactè præstita, vt narrat Baronius tom. 6. in cuius fine attexit narrationem de hac Legatione facta anno 1594.

Hunc imitatus Elias Patriarcha Babylonis anno 1610. misit ad Paulum V. Adam Archimandritam Monachorum Chaldæorum Archidiaconum Cameræ Patriarchalis cum fidei professione, & epistola, cuius hæc est clausula. [Hoc opus Patri Adæ filio meo dilectissimo cubiculi mei Archidiacono tradidi; & ecce eum misi, vt ante vestigia pedum sanctorum tuorum ex parte omnium Orientalium, & omne id quod dicit, & admittit tua sanctitas, receptum apud nos Orientales est &c.] Quæ ex Archiuio Vaticano recitat, Bzou. loc. cit. cap. 17.

Iosephus Episcopus Constantinop. qui Concilio Florentino interfuit sub mortis suæ tempus, hæc scripta reliquit.

[Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcircò pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei, meam sententiam his literis palam facio. Nam quæ Domini Iesu Christi Catholica, & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat, ac celebret, omnia me quoque sentire, credereque profiteor, atque ipsis plurimum acquiesco, Bos. l. 3. de signis cap. 4.]

CAPVT IV.

Scholasticorum, & aliorum Doctorum de Romani Pontificis Primatu testimonia.

1 *S. Augustini.*
2 *S. Thomæ.*
3 *Scoti.*
4 *Ferrariensis.*
5 *Caietani, & aliorum Thomistarum.*
6 *Alex. Alens.*
7 *Io. Gerson.*
8 *Ruperti.*
9 *Blesensis.*
10 *Petri Damiani, Cluniacens. Cassiodori Waldensis.*
11 *Francisci Suarij.*

NOn est ad vos sermo, ò Nouatores, quibus, vel hoc nomine Theologia Scholastica displicet, quod non contenta auctoritate ex antiquitate ducta rationes inuestigat ingenij acumine, quibus vestras fabulationes confodit, & catholica dogmata confirmat, non Sophistarum, vt vos garritis, more, sed solidæ Philosophiæ fulta præsidio, quæ ancillæ honorariæ munere illi subseruit.

Inter Scholasticos Augustinum numero, siuè quia Princeps eorum est, qui grauissimarum scripturæ quæstionum tractationi formam quamdam disputandi illis familiarem indidit; siuè quia nullus est Theologorum, qui non bene consultum suæ sententiæ existimet, si eam Augustini auctoritate fulciat, & ea munitam ostendat.

Hic igitur tantus Pater etiam venerationi apud hostes fidei habitus, pluribus locis à Bellarm. l. 2. de Rom. Pontif. cap. 16. citatis de ipso loquitur tamquam de primo Episcorum, etiam quoad auctoritatem, & ius præcipiendi, ac regendi Ecclesiam epist. 162. in Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & in eadem supremum Iudicem agnoscit Melchiadem in causa Cœciliani l. 2. de bapt. contra Donatistas cap. 1. In quo (scilicet S. Petro) Primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet.

Rem certam, & claram S. Thomas Doctor Angelicus arbitratur Opusc. 1. de regimine Princ. c. 14. & Opusc. 3. c. 10. c. 17. & 18. Quibus factorũ narratione principalis Sedis Romanæ videlicet, & potestatem Regiæ, ac Imperatoriæ superiorum esse demonstrat, quatuor vniuersalium Conciliorum primorum, & consequentium enumeratione Imperatorum erga Pontifices reuerentiam laudat, & subiectionem extollit. Rationem verò à priori petita Christi Domini institutione, Matth. 16. & 18. & Ioan. 21. quam supra expendimus. Quod fuisse conuenientissimum docet, l. 4. contr. gen. cap. 76. [quia præsentiam, inquit, corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit, vt alicui committeret, qui loco sui vniuersalis Ecclesiæ gereret curam.] Hinc est, quòd Petro dicit ante ascensionem. *Pasce*

oues

oues meas, Ioan. vlt. & ante Passionem. *Tu iterum conuersus confirma fratres tuos*, Luc. 22. & ei soli promisit. *Tibi dabo claues regni cælorum*, [vt ostenderetur potestas clauium per eum ad alios deriuanda ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem. Non potest autem dici, quòd etsi Petro hanc dignitatem dederit; per eum tamen ad alios non deriuauit. Manifestum est enim, quod Christus Ecclesiam sic instituit, vt esset vsque ad finem seculi duratura secundùm illud Isaiæ 9. *super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodò, & vsque in sempiternum*. Et mox. Per hoc autem excluditur quorumdam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subiectione Petri, successorem eius Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ Pastorem non recognoscentes.] Hactenus Doctor Angelicus hærens explicationis verborum Christi Domini locis citatis, vt à Concilijs, & Sanctis Patribus, in vero, ac legitimo sensu absque vlla detorsione interpretantibus intelliguntur.

Scotus alterum Theologiæ Scholasticæ luminare pluribus in locis supponit, quod erat certum apud fideles de Romani Pontificis Primatu; ideò in 4. sent. dist. 6. quæst. 8. lit. B. *asserit illum posse pœnam toti Ecclesiæ infligere, qui est caput Ecclesiæ, nempè Papam, non Episcopum*, *ibid.* distin. 15. quæst. 1. lit. D. *Solus Papa potest dispensare illum, qui Simoniacè suscepit ordines, non autem Episcopus*, & distin. 19. quæst. 11. lit. I. *Quilibet Christianus tenetur obedire Papæ. Potest igitur Papa omnibus Christianis præcepta imponere, ac proindè omnium superior est cum iurisdictione*, distin. 25. quæst. 1. lit. F. *Solus Papa potest excommunicare, excommunicatione simpliciter, & propriè dicta, quia ipsi subsunt omnes fideles, igitur omnibus fidelibus cum auctoritate præsidet*. Intellige independenter ab omni alio potest excommunicare, nam & Episcopi, & alij Prælati habent potestatem excommunicandi, sed dependenter à Papa, ibid. dist. 17. quæst. vnic. lit. E, *Si præceptum confessionis esset ab Ecclesia, Papa non teneretur ad illius obseruationem*; quod effatum supponit Papam superiorem esse toti Ecclesiæ, ac proindè nullum ius hanc habere in ipsum, sicut nec vllus inferior ius habet in superiorem.

Ferrar. in 4. sent. cap. 8. cit. §. ex prædictis; postquam dixit ex S. Thoma; quod Summus Pontifex habet in Ecclesia apicem, & præcellentiam potestatis. Manifestum, inquit, est, (quòd Christus ipse regimen suæ Ecclesiæ instituit, non autem ipsa Ecclesia, aut populus Christianus, & quòd in Ecclesia Petrum suum Vicarium instituit, sicut & ad sacramenta ministranda instituit ministros; vndè cùm dixit Petro, Pasce oues meas, præmisit interrogationem. Simon Ioannis diligis me plus his, vt ostenderet, se auctoritatem Petro dare, vt distincto ab alijs discipulis præsentibus. Propter quod exponens Chrysostomus prædicta verba ait. Præteriens alios Petro loquitur; Præpositus, loco mei esto, & caput fratrum tuorum.]

Cum Sancto Thoma, Caietano Ferrar. reliqui sunt Thomistæ, præsertim Sanctus Antoninus 3. part. tit. 22. summæ Theologiæ.

[Alex. Alen. par. 4. quæst. 20. mem. 6. ar. 3. fin. voluit Deus in Ecclesia quosdam in alios plures habere potestatem, & deindè in illos alios pauciores, & sic semper quousque perueniretur ad vnum, scilicet Papam, qui & sub Deo immediatè est, secundùm Eccles. 5. excelso excelsior alius est.]

Io: Gerson par. v. consid. 8. & par. 4. serm. de vnitate, & pace Græcorum. Caput secundum à Christo, Pater noster sanctus vnus, [& solus Christi Iesu Vicarius, cui omnes Principes, & alij subiecti: Ecclesiæ supremus Monarcha.]

[Petrus Cellens. epist. 1. ad Alexandrum Papam. In grauissimis quæstionibus, sicut olim ad Moysem, sic nunc Pater venerande ab omni Ecclesia Dei recurritur ad beati Petri, & vestram sedem. Tam enim communiter communis imponitur vobis sollicitudo omnium Ecclesiarum, quàm singulariter, & specialiter Petro videtur dictum, & tu conuersus confirma fratres tuos.]

[Rupert. l. 1. offic. cap. 22. Quæ beata Ecclesia Romana, quod in fundamento suo petram illam excepit, quam suo veritatis ore laudauit, & beneficauit tali structura super illam ædificata est, vt contra omnes hæreses perstaret murus inexpugnabilis, & quacumque mundi ex parte periclitata fides ad illam confugit, mille clypeos ex ea, omnemque armaturam fortium, qua se defenderet, pendentem, & præparatam inuenit.]

[Petrus Blesensis epist. 68. Sicut eminentiam Apostolicæ Sedis Magistram omnium Ecclesiarum profitemur; sic ab ipsa consilia in ambiguis, in angustijs solatia, responsa in iudicijs expectamus.]

Petrus Damiani Opusc. 23 cap. 1. Papa, quia solus est omnium Ecclesiarum vniuersalis Episcopus, cùm luce priuatur, mors eius per ampla terrarum regna diffunditur, [& sicut sol, quia solus lucet, si Eclypsim fortè sustineat: præstò necesse est, vt tenebras totus vbique mundus incurrat; sic Papa cum ex hac vita recedit, illico, quia vnus in mundo est, longinqua regnorum spatia mortis eius fama percurrit, & consequens est, vt quos tam sublimis, singularisque personæ casus obturbat, propriæ quoque vocationis exitum tremefactis artibus expauescant.]

[Petrus Cluniacen. ad Eugenium Pontificem pro Abbate Casæ Dei adipsum recurrente contra Arelatensem Episcopum, à quo vexabatur. Ad iustitiam, inquit, recurrit, ad Patrem ab Hostibus fugit apud vos, qui Petri, imò qui illius vices in terris geritis, qui facit iudicium iniuriam patientibus, querelam tantam deponit.]

[Cassiod. l. 11. epist. 11. Ioannem Papam. sic alloquitur; Nolite in me tantùm reijcere ciuitatis illius curam, quæ potiùs vestra laude secura est. Vos enim speculatores christiano populo præsidetis, vos patris nomine vniuersa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui diuinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed vos omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem, tamen, nec illa potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere &c.]

[Thomas Wald. l. 2. de doct. cap. 37. num. 5.

num. 5. Ipse (Romanus Pontifex) primus Pastor est, & Pastor Pastorum, successor, & socius Piscatoris, Ipse vena maior militantis Ecclesiæ, Apotheca cœlestium munerum, cisterna supernorum imbrium, & primum receptaculum sublimium gratiarum.]

[Panormitanus in cap. significasti vocat Ecclesiam Romanam caput aliarum Ecclesiarum, à qua Sedes Patriarchales procedunt.]

Neque verò tui obliuisci decet Francisce Suari cuius futura memoria est immortalis, cuius explicandis laudibus impares se professi Illustriss. ac Reuerendiss. Ecclesiæ Præsules compendio prolixæ orationi pari elogio complecti satiùs duxere cùm alterum nostri temporis Augustinum vocauere. Quàm ponderosos continet hæc comparatio sensus? sed aliò spectat oratio nostra, quam ad immensi pelagi huius ingressum, & laudatissimi viri laudationem. Numero dumtaxat illum inter Augustini imitatores, quoniam sicut ille contra hæreses Arianorum, Manichæorum, Donatistarum, Pelagianorum pro catholicæ fidei veritate scriptis, & concionibus pugnauit; ita Suarius venenis hæreticorum nostri temporis opposuit antitoda doctissimarum disputationum. Et quia illi Satanæ instinctu, insanoque furore neruos omnes intendunt, vt concussa petra, super quam fundaturum se dixerat Christus Ecclesiam suam, totum, si possent, ædificium subuertant, ostendit Suarius, vanos esse, irritosque conatus, quod & priùs Bellarminus effecerat, & arietare quidem posse, lapides aliquos dimouere è murorum Hierusalem compage posse, in ruinam trahere prouincias posse, sicut antecessores ipsorum, qui fera bella nascenti indixere, & adultæ subindè indicere non cessauere; sed verbum Dei manet in æternum, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.

Itaque post editos in lucem commentarios de fide, spe, & charitate, scholastica methodo, digestos tam Pontificis Maximi Pauli V. nutu impulsus, quàm zelo catholicę religionis accensus, in arenam descendit; vt alter Dauid miles priuatus aduersùs Goliath præcelsæ, videlicet maiestatis Regem Angliç, cuius Apologiam pro iuramento fidelitatis responsione solidissima confutauit, & in caput, quod supra Petri primatum audet erigere, ceù limpidissimum torrentis lapidem de funda catholicæ veritatis, ac omnigenæ eruditionis tam validè intorsit, vt attriuerit, caputque vnum, & Principatum in Ecclesia à Christo D. Institutum demonstrauit, cui fideles omnes etiam Reges veluti vnius corporis membra sint subditi. Inflictum vulnus non Regi, quo cum moderatione planè christiana conflictum est, sed Sathanæ hæresum auctori; fautorique perfido, qui vt rabiem expleret suam, cum veritatis armis pugnare non valeret, mendacijs flammis, vt liber in publico foro vorandus daretur, facilè sectarijs in sua schola enutritis suasit, non aduertens triumphum se parare libro, & palmam pugnatori Pontificio erigere. Supra voracitatem ignis est catholicę incombustibilis fidei stabilitas, & rogus ardens vorare potens combustibilem foliorum materiam immortale illustrauit Suarij nomen. Quid gloriosius sanguinem fundere pro Ecclesia optanti; quàm persecutionem pro eadem perpeti, & quam non licuit gladij sustinere necem, ingenij partubus tolerare iniuriam? splendeant tamquam sydera in literatorum cœlo numerosa Suarij volumina, hoc profectò defensionis fidei fulget, vt sol prærogatiua sortis singularis, quod publicæ combustionis causa, titulusque gloriosus fuit fidei Romanæ, i. catholicæ tutamentum.

Dices, quid ad hæreticos, qui concilia omnia tam generalia, quàm prouincialia, & Patrum auctoritates, ac multò magis scholasticorum flocci faciunt, probatio namque Romani Primatus ex hoc capite nihil ab illis obtinet, apud Catholicos non est necessaria, quia nullum relinquit dubitationi locum, cùm sit de fide, & firmis aliundè rationibus fulciatur?

Resp. etiam ex hoc contemptu argumentum validum sumitur asserendi doctrinam Catholicam, cuius vnum caput est Pontificatus Romani in vniuersam Ecclesiam principatus, quem euertere conantur hæretici, & ideò eo reciso, totus contextus, & compaginatio mystici corporis concidit, & omnis membrorum structura dissoluitur, non secus, ac eruto fundamento tota ędificij destruitur machina, ruitque domus; Et quia ex hac subuersione totus ordo hierarchicus subuertitur, & vniuersa prorsus Reipublicæ christianæ forma turbatur, plurimi refert non ignorare qualis, quantæque sit auctoritatis Innouator, & asseclæ, vt ex notitia hac coniectura fiat, quis nouæ molitionis Spiritus auctor sit, & inauditorum dogmatum inuentor; Si namque constet illa repugnare antiquitati, Concilijs, sanctis Patribus, rationi, & auctorem habere virum improbum, cuius vita, doctrinaque ab Euangelij, & Apostolicarum Epistolarum legibus dissentanea sint, quis adducatur, vt credat motorem, ac dictatorem habere Deum sanctitatis fontem, & qui sanctorum suorum pectora purissima sapientiæ effudit vnda, postmodum lutosam insipientiæ in cisternas fœtidas, ac dissipatas hæreticorum effuderit? Quòd si impium est hoc cogitare, & illud erit dictu incredibile, Doctorem ab illo excitatum, & illuminatum ad petram concutiendam, in qua fundata est Ecclesia; illud verò certum doctrinæ falsitate, & docentis improbitate coargui veritatem Primatus Petri, & Successorum, cui oppugnandæ genuinum frangit Lutherus, & frangunt Sectarij classicum contra exercitum Domini Saluatoris incessanter canentes, vt mox constabit.

CAPUT V.

Impugnatio Sectariorum confirmatio est Primatus Romani Pontificatus.

1 *Lutherus fatetur se disputasse cum Sathana de Missæ sacrificio, & illius argumentis victum.*
2 *Proindè ab eo didicit, & magistro est vsus. quod pudori est hæreticis.*
3 *Ait familiariter cum Satana se egisse, cum illo edisse, dormisse.*
4 *Opinio fuit ex incubo conceptum, arreptitium &c.*
5 *Ex monacho sacerdote votis obstricto fit coniux monialis.*
6 *Corrumpit Scripturam sacram, Concilia, auctoritates Patrum proculcat.*
7 *Absurditas dogmatum illius.*
8 *In sanctos Patres iniurius.*
9 *Responsio ad instantias hæreticorum.*
10 *Improbitas Doctoris parens mendaciorum, ac errorum eius.*

PRimus quidem discendi ardor est; Magistri auctoritas, vt S.Ambros. l. 2. de Virg. sub initium: At non semper è docentis conditione rei, de qua disseritur, penditur veritas, aut falsitas minimè ab eius opinione, locutionene pendens: Sed vbi eius inuestigatio ad mores pertinet, & statuum mutationem in Republica secum periculosè trahit, plurimi refert ad animorum persuasionem, fidemque gignendam Doctoris qualitas, quæ prima est apud discentes commendatio, aut contemptio. Cùm igitur è multiplici auctoritate, ac ratione hactenus probauerimus Primatum Romani Pontificis à Christo Domino institutum, & per B.Petrum Apostolum ad successores deriuatum esse, reliquum est, vt ex oppugnantium nequitia ostendamus veritatem pro antiquitate stare. Innouatores, vel ex hoc inuitos illi suffragari quod in scitis, & dogmatibus innouandis magistrum primum habuerint mendaciorum Architectum satanam, & eius ministrum, ac præconem Lutherum; Non eo quidem animo, vt maledictis agamus, sed vt ex immensa maleficiorum messe, quam collegere viri probi ipso adhuc superstite, & plures ab eius obitu, paucula seligamus, quæ pro rationibus seruiant instituto nostro ad probandum ingenuis mentibus Primatum Romanum, & ad suspicionem saltem ingenerandam, etiam heterodoxis falsitatis argumentorum, quæ ad illum impugnandum adducuntur, quæque ab Orthodoxis, pro figmentis amaritudinis felle conspersis reputantur.

Primò quidem minimè dubia narratio est, quam ipse Lutherus constare mundo voluit, à Satana se instructum syllogismis prævalidis contra missæ sacrificium, & adeo fortiter perstrictum, vt manus dederit, & verendum cœlitibus sacrificium, inferis autem vsquequaque infensum Idolatriæ adsimilaret. Cuius confessionis suppuduit aliquos ex discipulis eius, & esse ab illo scriptam iuere inficias. Sed cùm & tempus, & locus, & calcographi Witembergensis, ac Ienensis nomina reclamarent, Ionæ insuper intimi amici Lutheri testificatio accederet, quod eam annuente ipso Auctore, de Germanico in latinum vertisset stylum; Alij non adeò effrontes loco ioci, & velut fabulæ argumentum exaratum finxere; quod fœtus infausti parentem negare non auderent. Ast neutrorum patrocinium, ne magis cordatis arrideret facti manifesti serietas impediuit, & ab effugijs declinare se profitentes, ad extraneas contextui interpretationes confugere, quos inter est Fridericus Balduinus prædicans, quem libello de Magistro Lutheri impugnauit, Nicolaus Serarius, & ad oculum monstrauit, conatus hominis in defendendo Luthero esse pueriles, & aduersari menti eius volentis innotescere posteritati se cum diabolo disputasse, eique cessisse, quod est ab eo didicisse.

Initium narrationis ex tomo 7. operum Lutheri anno 1557. Witembergæ impresso, & verbatim ab eodem Serario recitatur, quàm fideliter in hunc modum se habet.

Contigit me semel sub mediam noctem subito expergefieri, vbi Satan mecum cœpit huiusmodi disputationem. Audi Luthere Doctor perdocte &c. pergitque quinque numerare argumenta à diabolo proposita cum responsionibus Lutheri, quas firmas esse fassus Missæ sacrificium vti iubebat instructor impugnare aggressus est, non aduertens nefas esse cum diabolo familiariter agere, aut dictis eius fidem præstare, quæ plurimùm mendacia, vel sophismata sunt ad decipiendum concinnata. Et quæ fuit ista iuncta cum impietate stultitia aures dare veteratori Sathanæ non iam transformanti se in Angelum lucis, vt securius falleret pro bono habitus; sed cùm agnito pro Angelo tenebrarum longos sermones serere de grauissimis fidei mysterijs, ac tandem in nassam hæreseos à piscatore truculento immittendum se tradere, & paralogismos eius totius antiquitatis rationibus, ac auctoritatibus anteponere? An non hoc est magistrum veritatis, & fidei arcem deserere, & nouum Magistrum dolosum, mendacem, iniquum adsciscere?

Nequaquam reponit Hyperaspistes, quia Lutherus non didicit à Satana, sed à se meditata cum eo contulit, atque adeo non est eo tamquam Magistro vsus, sed collatore, cui accepta prius à Spiritu sancto communicauit. Deindè totus ille Dialogismus, excitatio à somno, argumentatio spiritaliter facta sunt, non sensibili, aut corporali in schemate.

Sed quomodo non didicit à Sathana, cum quo acriter disputasse fatetur, & tandem coactum vi argumentorum in proponentis iuisse sententiam? hoc profectò discere est docenti consensum dare, docens verò Magister est, & discens discipulus, vsus est ergò Magistro Satana Lutherus, & negare rem apertam, eò quia numquam hoc vocabulum Magistri tribuit Satanæ ineptire est, si cætera tribuat, quæ propria sunt Magistri munia. Et quid interest vocare Doctorem Lutheri Satanam, quia docuit illum, & non Magistrum, quia numquam illum Magistrum vocauit, si verè ab illo didicisse, & motum se argumentis indissolubilibus non diffitetur? illorum etenim argumentorum vim penetrauit,

uit, adiutore diabolo, quæ per se antea minimè penetrabat. Præterquam quod excusatione caret prolixa disputatio cum humani generis hoste, quæ per sacra iura vetita est, quemadmodum, & voluntaria dubitatio de rebus fidei, & multò magis deliberata dissensio, quæ totius disputationis istius cursum terminauit, quocumque demum modo sit peracta, itaut inexcusabilis sit cum Satana docente congressus, etiam si conferentium in morem horas integras triuissent, & non Magistri, ac discipuli vices obijssent.

Cœterùm non mentaliter, sed corporali specie adstitisse Luthero Satanam contextus Ipse, ac narrationis methodus apertè demonstrat, qua præsertim describitur vox horrida, grandis, robusta, horribiliter sonans, quæ sensibili voce, non mentali conueniunt, & intelligi de granditate sola materiæ, nisi per magnam catachresim nequeunt, & neque per hanc, quod ibi profitetur plusquam salis modium fructumue simul cum illo consumpsisse: sibi sępius condormire diabolum, quàm suam Catharinam, quæ frequentis, ac diutinæ conuersationis signa sunt, & quidem oris veri, ad os loquentis, quale sibi formabat simulator spiritus incorporeus, vt audiri palam posset, & cum eo deambulare, in eodem cubitare lecto, quæ cuncta narrantur in libro de Missa angulari.

Et non pudet vos huic Satanæ dilecto noui Prophetę alterius Elię, aut Pręcursoris Christi nomen, ac honorem deferre; & doctrinam eius, vt cœlo delapsam amplecti, tueri, venerari, quam gloriatur ipse à diabolo traditam sibi, declaratam, vi argumentorum pro vera ingestam.

Sathan, inquis, solùm approbauit, ac confirmauit, quæ Diuinus Spiritus priùs reuelauerat, scilicet ea cura Diabolo est, vt dictata à Spiritu Sancto fideliter explanet, ac elucidet suis discipulis, aut Spiritui Sancto placere potest, vt rebellem Deo genium sensuum suorum interpretem adhibeat, & in Magisterij consortium adsciscat Sathanam ad illum erudiendum, qui Ecclesiæ instituta sanctissima, sus, deque vertere meditetur. Non ergo conferebat solùm cum Diabolo à se priùs meditata, sed docilem se tamquam Magistro exhibebat à quo doceri, corrigique non ægrè patiebatur, imò & gloriabatur ab illo de charta deleta, quæ minus asperè scripserat, vt planè constet obsecundasse illum furoris spiritui insanienti, & contra Ecclesiam, contra Pontificem, contra Missæ sacrificium debacchanti. Et hæc quidem certa rei confessione, cum sint, verosimilia reddunt, quæ incerto rumore in vulgus spargebantur, quod nimirum ex incubo conceptus fuerit, id matre eius publici balnei famula testante Matronæ Lypsiacæ: quod arreptitius, vel ab adsistente extrinsecùs Dæmone obsessus esset, vt è signis infaustis oculorum aduertere viri sagaces, & ex maledicentia, ac obscœnitate scriptorum eius coniectare facilè possunt amatores honestatis, ac pacis subitarij lapsus memores, & clamoris. NON SVM, Editi à ministrante sacro, in quo de Dæmonio surdo, & muto euangelium legebatur. Profectò commercium tam frequens, ac familiare cum Diabolo, diræ, ac nefandæ genituræ argumentum est, & detestandæ delectabilitatis aduersùs prolem spuriam fatale vinculum. Maximilianus I. Imperator anno 1518. Augustę sub prandium videre se dixit Pincernæ suo Dæmonem humeris adstantis Lutheri insidentem, & prædixit mala ab ipso in Imperium inuehenda, refert Corn. à Lap. in cap. 4. epist. 1. ad Timoth. ex probatis historicis. Parcite ignominiæ vestræ miseri sectatij, parcite Prophetæ vestri inconsiderantiæ non aduertentis, an sana, salubrisque doctrina tradetetur ab eo, qui Magistro Diabolo vsus est ad insana, impiaque documenta disseminanda, & disciplinam catholicam euertendam; augerique vehementer suspicio potest, quod vindictæ, ac arrogantiæ æstu, armis à suo pręceptore mutuatis Romanum principatum impeteret, à quo castigatum anathematum fulminibus suam contumaciam ægerrimè ferebat. Quod si dedecori huic nefastæ conuersationis cum damnato Paradisi exule reddatur alterum vitæ propudiosæ, & doctrinæ pestilentis infamia, qua libros infecit, & septentrionis maximam partem corrupit, quãta obsecro commiseratione digna est eorum infelicitas, & cæcitas laudantium prophanas vnius singularis viri nouitates, & imitantium facta à tota antiquitate, & à lege euangelica penitus abhorrentia, atque vti scelera carnis fœditate, & conscientiæ libertate hortida? Certè Erasmus, qui tamen prodromus Lutheri fuit, in Epistola ad Goclenium non veretur eum vocare sceleratissimum, quem sui sectatores sancti nomine, prohnefas, audent insignire. Aliàs vocat Oreste insaniorem; odio lymphatum, veratro purgandum, nulla maledicentia satiabilem &c.

Obstrinxerat se votis religiosis, Castitatis, Paupertatis, ac Obedientiæ, ad sacerdotium promotus fuerat, & nihilominus tentatus à concupiscentia, & abstractus, non solùm illa frangere, exuere habitum, vxorem ducere sanctimonialem, & ipsam Deo deuotam licitum sibi aut putauit, aut finxit; sed eò deuenit amentiæ, vt doceret palam, impia esse religiosa istiusmodi vota, ac inualida, & omninò soluenda, vt laruam honestatis suæ turpitudini obtenderet, & inuenit fidem, ac assensum multorum sui similium, quibus in venerem procliuibus facilè fuit suadere, quod optabant religionem commutare in couiugia, Mortificationi valedicere, voluptates sectari, genio ac ventri indulgere; Atque vt liberior facultas esset peccandi adeò fræna laxauit impudicitiæ, vt rei vxoriæ (Verba sunt eius) operam dare tam cuique est necessarium, quàm edere, bibere, dormire &c. Ideòq; si nolit vxor, veniat ancilla &c. Sic ille de vita coniug. & de Matrim. Permittit Leuiro cum cognata concumbere viuente marito fratre carente prole. At per Decalogum istiusmodi vetatur licentia, & nequitia Præcepti, non concupisces, obseruantiam respondit esse impossibilem: in quo & Deo irrogatur iniuria tamquam impossibilia tyrannicè iubenti, & pœnas nihilominus statuenti transgressoribus, & homini ad peccandum necessitas imponitur, cum tamen aliundè peccata à summa, ac æterna bonitate prohibeantur. Et hunc ego excitatum à Deo existimem, qui Verbi Dei prædicatione, nunquam aliàs benè

intellectu Germaniam illuminet, qui sacram Scripturam peruertit, ac abutitur ad obscœnas voluptates honestatis velamine palliandas?

Percurre annales veterum, lege historias sacras, ac prophanas, & nullum inuenies eorum, qui sapientia, ac sanctitate claruerunt, cui non fuerit in amoribus castimonia, qui ad eam Christi fideles non sit cohortatus, qui laudibus, & Encomijs in Cœlum vsque illam extulerit, tamquam rem arduam quidem naturæ viribus, sed gratiæ munere comparabilem, & comparatam à multis, qui eidem cooperari à Domino IESV Christo didicere, ac discunt in dies. Neque hoc nouum inuentum ejus temporis est, quo Ecclesiam declinasse à primœua institutione blaterant; Sed sæculis illis coœuum, quibus incorruptam fatentur, vt notum est legenti Tertullianum lib. de velandis virgin. & l. 7. ad vxorem: Ambros. de Institut. Virg. Tract. ad Virg. Deuot. de veland. ab episcopo consecrandisque Virg. Hieron. l. 1. aduersùs Iouin. vbi apertè Virgines, quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ. Adidem sunt Basilius, Nazianzenus, Chrys. & quotquot in Oriente, & Occidente floruere Patres. Age verò, quàm manifestè suadet à Dæmone illo suo domestico fuisse delusum, & si non arreptitium, saltem abreptum irreuerentia in sacros Scripturæ libros, quorum plerosque è recepto ab Ecclesia catalogo expungit, alios additione, detractione, erronea interpretatione corrumpit; Concilia etiam prima tamquam erratica furfuribus; ac ritionibus comparat; sanctos Patres, & Ecclesiæ Doctores ne pili quidem facere iactat, imò & hæreticos nominat, Imperatores, Reges, Principes ait esse, vt plurimùm moriones, vel deterrimos nebulones, stolidos, fatuos, insanos, Turcam decies bis esse meliorem, & prudentiorem, sed potissimùm in Romanum Pontificem virus euomit, quem cum suis Ministris Cardinalibus, Episcopis iniurijs, ac maledictis onustos è viuentium numero vult abolitos, (Pestis eram viuens, moriens tua mors ero Papa) dixit in Epitaphio à se conscripto.

Sed quid si nec à blasphemijs in beatos Cœli ciues, imò nec in Virginem Deiparam virulentum temperat calamum? siquidem non solùm omnem intercedendi apud Deum gratiam ab ipsa abdicat, sed parem in meritis cuilibet Christianorum facit, imò & maculas in immaculata, & sole puriore notat, eamque in fide nutasse non veretur impudens asserere. Colligere libuit viris studiosis è prophana librorum eius sylua veteris præsertim impressionis non periodos modò, sed & tractationes blasphemijs scatentes, easque verbatim, vt in textu iacent retulere fideliter, ne quis eorum, quibus interdicta est pestifera lectio, existimaret imponi loquacissimo ganeoni, quod charitas inuentis tam absonis à pietate, & à ratione repleuerit, quæ venire in mentem homini non nisi Sathana dictatore excipienti, aut furenti nunquàm existimassent, libet paucula libare, è quibus coniectura de reliquis fiat, vt probet in vniuersum Concilia, nec esse necessaria, nec obligare posse ad obediendum, nec ab erroribus esse immunia. Incipit à Hierosolimitano ab Apostolis coacto, in quo decreuere abstinendum esse à suffocato, & sanguine. Cui legi parere non teneri Christianos docet, alioqui abstinendum esset nobis capreis, leporibus, turdis farciminibus, cæterisque edulijs, quæ non solùm pipere, sed & sanguine tinguntur; non aduertens eam legem latam ab Apostolis ad tempus, & cessaturam, cessante periculo offensionis inter Gentiles, & Iudæos recens conuersos, quibus horrori erant illa esculenta.

De Nicæno Primo præcipiente continentiam sacris ordinibus initiatis. Hic prorsus, inquit, non intelligo Sanctum Spiritum in hoc Concilio, si illi pro idoneis non sunt reputati in Ministerio Ecclesiastico, qui seipsos castrant ad vitanda libidinum incendia; & rursus illi etiam non sint idonei, qui ad euincendos stimulos, habent, aut ducunt vxorem &c. Et rursus. An verò nihil est negotij Spiritui Sancto in Concilijs, quàm vt impossibilibus, periculosis, non necessarijs legibus suos ministros obstringat? &c. Ideo concludit. Hi omnes articuli, fœnum, stramen, lignum, stipulæ fuerunt. Et tamen hoc Concilium in summa semper veneratione fuit apud Orientales, & Occidentales Ecclesias. Cui Magnus Constantinus Imperator honorem, & cœtui diuinitùs coacto deferre gloriæ duxit, quod S. Sylucster cogendum curauit, direxit, approbauit, cui Sanctus Gregorius Papa, sicut & tribus alijs consequentibus non secus, ac quatuor Euangelijs ceruices inclinauit Omnia hæc nihili faci, Lutherus, perinde omnem illis auctoritatem abrogat, cum ait. Via nobis facta est eneruandi auctoritatem, omnium conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitetur, quicquid verum videtur, siue probatum, siue improbatum fuerit à quocumque Concilio habemus absq; omni controuersia ius de doctrinis cognoscendi; & iudicandi, seu probandi esse penès nos non penès Concilia, Pontifices, & Pastores, &c. Et ne quid insaniæ comparationi desit. Maius, ait, lumen accedit doctrinæ Christianæ ex catechismo puerili, quàm ex omnibus Concilijs &c. Ità puer optimè cathechismum callens doctior erit tercentis octodecim Patribus Nicæni, & sexcentis Chalcedonensis, vt vtrinsque coniunctim. O insaniam insanissimam.

De Patribus in vniuersum, Nullius auctoritate se cogi velle, illorum auctoritatem sus, deque faciendam. Nihil se curare si mille Augustini, mille Cypriani contra se starent; Omnia Concilia errasse, & se vnum verum Euangelii sensum penetrasse, ac prædicasse. Lib. de seru. arb. L. ad Reg. Angliæ.

In particulari de S. Dionysio Pauli Apostoli discipulo nihil habere solidæ eruditionis somniis simillima esse illius scripta.

De S. Basilio. Totus est in Monachis, ne pilo quidem illum redimerem. De capt. Babyl.

De S. Hieron. Inter Ecclesiæ Doctores numerari non debet, nam fuit hæreticus &c. Homo nullius iudicij, neque diligentiæ. Quid carnalius, imò quid magis impium, sacrilegum, & blasphemum dici potest, quàm id quod scribit, Virginitas Cœlum, coniugium In colloq. concion. c. de Patrib.

ter-

terram implet? & concludit quin te Hieronyme conculcamus cum tua Bethleem cucula, & deserto. Quid tibi videtur lector: qui peregrinus in Hieronymo non es? An non hoc idem est, ac si quis insaniendo dicat, sol astrum est nullius lucis, neque virtutis in inferiorem mundum. Quid sole tenebrosius, quid magis noxium terris. Nimirùm apparet quid in homine vsque ad miraculum erudito, sancto, accurato displiceret Luthero, pudicitia, virginitas, ieiunia, solitudo, habitus monachi, Oratio, & cætera, quæ odisse à Magistro suo didicit, & in ore Christiani blasphemiæ sunt, & conuicia absurdissima scurrarum maledicta, luporum vociferantium vlulatus.

Gregorium deceptum dicit à Diabolo, Chrysostomum loquaculum vocat, Augustinum, Ambrosium, & reliquos Patres flocci facit, suam doctrinam super illos, imò & super Angelos extollit, hactenus in tebebris fuisse mundum vera euangelij intelligentia caruisse, se modò missum, vt lucem afferret, conscientias serenaret supra mille Augustinos, supra mille Ambrosios &c.

Tanta profectò proteruia; & conatus impudens, Diaboli per suum filium, discipulum, amanuensem buccinatorem Lutherum, argumentum veritatis est Romani Principatus à Deo cæteris præpositi, quod mendacij fabricatores in illius impugnatione tantopere desudent, & hinc falsitate, inde temeritate euertere totis viribus contendant. Quæ enim maior temeritas excogitetur, quàm si vnius priuati viri, etiamsi non nequam nouitates, multorum millium in Concilijs, & extra Concilia floruere doctissimi, & sanctissimi homines, auctoritati anteponantur? si dicatur tota Ecclesia, quæ sponsa est Christi, plusquam per mille sæcula derelicta à Deo; qui nec Synagogam quidem dereliquit donec venit, qui mittendus erat promissus in lege Messias?

At promissus etiam erat vnus quispiam, qui errores Conciliorum, Patrum, Ecclesiæ seductæ emendaret ad Verbi Dei normam à qua deflexerat, & hunc fuisse Martinum Lutherum declarauit euentus propagationis fœlicissimæ suæ doctrinæ, & populorum sequela.

Nugæ nugarum. Ecquod signum Missionis huius? non ordinariæ, quia monachus priuatus à nullo Superiore missus est. Non extraordinariæ à Deo solo, quia Ipse fatetur se discipulum, & familiarem Satanæ. Vota soluit religiosa, & eidem adstrictam sanctimonialem Catharinam de Bore sibi copulat sacrilego matrimonio, atque vt honestatis pallio sacrilegium contegat spuria dissertatione illicita esse impia, soluenda docere conatur; totam disciplinam Ecclesiasticam sus, deque vertit, ieiunia, ritus sacros; vsum sacramentorum abolet; bona opera inutilia ad vitam æternam; imò omnia esse peccata clamitat; fidem solam sufficere ad iustificationem, & salutem è vitiatis à se scripturæ testimonijs persuadere conatur suis, atque ita fræna laxat cupiditati, ac intemperantiæ, vt necessitate ad illam genus humanum adigat; Principibus, ac Superioribus prophanis, & Ecclesiasticis ferendi leges facultatem adimit; subditos ab earum liberat obseruatione, & cum diuinis tantùm præceptis adstrictos prædicet, ab ijs etiam stultissimè liberos facere non aduertit; sacros canones, quibus benè viuendi, regendique traduntur regulæ phanaticus hic depilator flammis cremandos tradit.

Et miraculis quidem Deus probare semper alias consueuit suorum Prophetarum Missiones ad illustria, & inaudita facinora destinatas, ne temerè ad credendum populi inducerentur, vt in Moyse, & Elia compertum est, & in lege Euangelica fundatoribus religionum concessum non ignoramus, imò ipse Dei filius prædicationem suam, & Apostolorum suorum innumeris confirmauit miraculis; huius autem Pseudoprophetæ, quodnam miraculum proferatur? nisi fortè, quod immania pocula sæpiùs expeditè exhausit, quorum ne dimidiam quidem partem Islebius combibo, cæteroqui in ijs concertationibus pugil non segnis, semel exhaurire poterat, vt in colloquijs sympotiacis refertur.

Maius fortasse reputandum, quod subsannat Erasmus in epistola ad Montinum hisce verbis. Lutherus quod felix, faustumque sit, deposito Philosophi pallio duxit vxorem &c. Atque vt scias auspicatas fuisse nuptias panculis diebus post decantatum hymenæum, noua nupta peperit &c. nimirum bona hæc monialis vna ex nouem, quas Leonardus Choppe è monasterio Ninicensi abstractas Witembergam deduxerat, quàm castè viueret inter studiosos Academiæ vrbis illius declarauit partus ante matrimonium conceptus, & post illud statim in lucem editus, duplici sacrilegij, & mæchiæ nota inustus. Illa verò magna prodigia Auctorem fuisse Sectæ, quæ in centum fermè classes pullulauit, inter se diffidentes, & à suo Magistro in fidei essentialibus: initium & occasionem fuisse bellorum Germaniæ prouincias deuastantium, eoque commodum creasse Turcarum Imperatori, vt Hungariam vexaret, & in Austriam vsque penetraret. Hæc sunt vestri Lutheri miracula, & facta portentosa, ad quæ priuati hominis potentia non pertingit. Ita est, nisi Dei permissu Inferorum princeps mille nocendi modis addat vires, & per Christi perduelles præstet, quod ipsi per se præstare non valent.

Respondent primò, miraculis non opus esse, vbi fides propagata est, & Euangelium prædicatum.

Ast teste te per mille, & amplius annos non fuit fides, sed Idololatria orbem occupatum tenuit, neque Euangelium intellectum priusquam à Luthero verus, germanusque sensus depromeretur: Igitur ad inducendam nouam religionem, & Rempublicam Christianam reducendam ad eum statum, in quo à Christo posita fuerat, oportebat miraculis confirmari, tam grandem immutationem Ecclesiæ vniuersæ vsui, conciliorum decretis, Patrum doctrinæ repugnantem.

Deinde maius miraculum, inquis, non requirendum, quàm tam multorum populorum consensum, qui pronis animis in sententias iuere Lutheri, & Principum placita, qui illis stabiliendis, disseminandisque opem attulere.

Non maioris ponderis hæc responsio est quam

quam quod Lucifer Angelorum Myriadas in suam sententiam, & ruinam traxerit, aut quod Mehemet medium propè orbem sua superstitione imbuerit, neque quod Arius Orientis, ac Occidentis maximam partem suæ veneno hæresis infecerit, & quidem adeo potenter, vt Imperatores, Reges, & quod deterius est, Episcopos innumeros dementauerit. Et iste quidem de altissimo Mysterio sapere gestiens plusquam oportet sapere nobili deliramento iuxtà, ac impio delirauit, & vinculis velut aureis, & in speciem speciosis in suam hæresim traxit ingenia sublimium rerum contemplationi intenta, at quintus iste Euangelista, quàm crassis, quàmque sordidis funibus sagenam suam contexuit, & in turbidum concupiscentiæ æstubus fretum immissum ad littus plenum piscibus ope Satanæ congregatis attraxit. Nimirùm facta libertate indulgendi sensibus ad satietatem procliuem, in voluptates humanitatem facilè fuit hac esca allicere, ac etiam Ecclesiasticis ignauia id temporibus torpentibus persuadere coniugia, ordines sacros, ac vota pessundare, Principes verò thesaurorum auidos amplissimorum patrimoniorum spe ad Ecclesiarum bona inuadenda concitare, integrarum Vrbium, ac Prouinciarum populares libertatis conscientiæ dulcedine,& primatum exemplo à stricta Euangelicæ disciplinæ institutione, ad vitæ laxitatem ieiuniorum nesciam, ciborum abstinentiæ inimicam, à corporis castigatione abhorrentem abstrahere: Et ecce vineam Domini à singulari ferro deuastatam, nec nisi diuini miraculi adiutorio restaurandam? Etenim ad priora parentum, qui defecere in principio mala prauarum opinionum accessit nepotum educatio odio aduersùs Catholicos imbuta secum probationem trahit doctrinæ à maioribus traditæ, & obstinatam ad illam retinendam, tuendamque voluntatem, quæ sola Dei gratia mentem illuminante, & cor tangente potest immutari.

Parui, inquies, mea interest albus, vel ater Lutherus fuerit, Verbo Dei, quod ipse prædicauit, vt firmæ columnæ innitor. non hominum dictis, quæ arundini vento agitatæ comparo.

Imò verò in proposita quæstione plurimi interesse viri probitatem, vel improbitatem nemo Sapiens non intelligit, qui ad summi Numinis Sanctitatem, & prouidentiam mentem erigat, & quid eum deceat, aut dedeceat ritè perpendat: Cum enim reformatio Ecclesiæ, hoc est eius à prima institutione in alienam penitus diuersam, negotium sit inter omnia, quæ contingere in orbe terrarum possint, maximum, quis dubitet indecens esse ad eam assumi hominem inquinatum vitijs, & qui diuturna familiaritate vtatur Diaboli, diu, noctuque cum illo sua sensa conferat, disputet, doceri gaudeat? qui ne pilum quidem mortificationis in suo corpore ferat, sed potiùs, vt sus in volutabro concupiscentiæ demersus carnis voluptatibus se mancipet? qui refractis pudoris, & timoris Domini vinculis Sanctimonialem Monachus, Sacerdos, in consortium suæ libidinis abducat? qui Conciliorum Sanctissimas Sanctiones locci pendat? qui Patrum auctoritates irrideat? qui Ecclesiasticam hierarchiam, ritus sacros, Sacramenta à Christo instituta ab Ecclesia semper in vsu retenta velit abolita? qui scripturæ sensa ad sua deprauata dogmata detorqueat? qui se mille Augustinis, Ambrosijs, Hieronymis, imò & Angelis anteponat? qui se meritis Sanctissimæ Dei Genitrici æquiparet, nec vlla abiectissima ancilla superiorem in ijs agnoscat, qui arctam ad vitam, viam à Christo prædicatam libertate carnis suo exemplo, & insana doctrina dilatare tentauerit? hunc pro propheta, hunc pro Elia à Deo misso, qui micam salis habet in cerebro existimare poterit, & non potiùs Antichristi prodromum, vel damnatum Spiritum vinculis inferorum Dei permissione solutum ad vindictam malefactorum, qui obseruantiæ mandatorum Dei obliti profundo negligentiæ lethargo pressi commodum fecere inimico humani generis seminandi zizania in agro domini, quæ paulatim crescentia pro vero frumento sunt habita, haud absque magna sapientum admiratione, quibus visa est non minus stulta veneratio, qua Lutherum tamquam prophetam, & reformatorem colunt Nouatores, quàm Ægyptiorum illorum, quibus hortensia olera tamquam numina in honore habebantur. Et quia, vt Augustinus loquitur, maluit diuina bonitas ex malis bona colligere, quàm nulla omnino mala permittere, hos etiam fructus ex funestissimis hæresum sæculi præsentis cladibus in Ecclesiam decerpsit, quod fideles in fide confirmantur, cùm ex multiplici absurdorum copia, quibus redundant, tum verò ex hoc potissimùm, quod experimento constat illas ex superbia originem trahere, & ex inobedientia erga Romanum Pontificem, à cuius directione se subtrahunt, quòd ea salua, & incolumi ruere necesse sit schismata, quæ Christi tunicam descindunt, & vnitatem ac pacem inter fideles conseruari, cuius vnitatis vinculum iniquissimè ferens discordiarum amator Sathan per suos asseclas Nouatores dissolui enixissimè satagit, ideoque Ecclesiæ Principatum in Petro, & Successoribus fundatum, vt euertat in primis adeo curis habet. Quod profectò non leue argumentum est institutionis à Christo inchoatæ, & per varias hostium oppugnationes conseruatæ ad vsque Iudicij diem conseruandæ iuxta veritatis infallibilis promissionem. *Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam*. Quas inter Portas numeranda Lutheri rabies, à Tartareo inflammata magistro, si propter odium in Ecclesiam, & caput eius Christi Vicarium in sectarios diffusum, Caluinianos potissimùm, Zuinglianos, Anabaptistas, Puritanos, Protestantes, quorum plerique licèt Lutheri nomen, vel non magni faciant, vel erubescant; omnes tamen corui huius ex ouis exclusi, ad Petram, supra quam ædificata Ecclesia est concutienda malleis falsitatis, & iniquitatis connituntur.

CAPVT VI.

Ex manifesta Antithesi, Primatus Romani veritas infertur manifestè.

1 *Excitauit S. Ignatium Loyolam pro Primatu Petri pugnantem aduersùs Lutherum illum impugnantem.*
2 *Antitheses vitæ vtriusque argumentum sunt validum pro Primatu.*
3 *Ignatij conuersio à sæculi vanitate ad seruitutem Dei, Lutheri à religioso statu ad sæcularem libertatem, & sacrilegam impuritatem.*
4 *Illius sermo; & scripta planè diuina, istius obscænitate colloquia, & libri scatent.*
5 *Ille in antiqua fide Ecclesia conseruanda, ac propaganda totus est, hic in ea destruenda seipsum consumit.*
6 *Illum viuentem, ac mortuum Deus miraculis decorat; huic Sathan opitulatur ad insolita, & pessima facinora molienda.*

SI cæcus iudicare de coloribus posset, obijcerem oculis eius binas imagines, candidam alteram inter aurea ornamenta fulgidam; tetram alteram fuligine, & carbone obfuscatam, vt contraria iuxta posita magis elucerent. Sed negotium nobis cum ijs est, qui se illuminatos iactant, & re vera peius cæcutientibus habent, quia felle amaritudinis aduersùs Romanum Pontificem affusa contorquent lumina, & dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum, vt conqueritur Isa. cap. 5. & quoniam væ in ipsos à Propheta intortum, in nos retorquent ad Iudicem prouoco, neutrius partis virum, at ingenuum, iudicio ac prudentia pollentem, qui auditis litigantium rationibus à quibus stet veritas, discernat, & pro illa sententiam ferat.

Vidit præteritum sæculum bellatores binos, ac duces strenuos instructis agminibus inter se dimicantes; alterum de castris Israel in funda, & pera solidæ virtutis more Dauidico, alterum in hasta, & clypeo, & gladio Verbi Dei detorto, ac æruginoso contra Dauidem districto castris Israel exprobrantem, vti recentem Goliath. Hunc Martinum Lutherum puta, qui cane peius & angue Pontificatum odit, ac rodit, & omni conatu, atque conuicijs ad rabiem vsque contendit, vt demoliretur, ac penitus euerteret. Alter fuit S. Ignatius de Loyola, qui pro Pontificatu stetit, & quod nullus fundatorum religiosorum Ordinum hactenus tentauit, peculiari se, ac suos Sodales Apostolicæ Sedi obstrinxit voto ad Missiones pro eius libito in omnes mundi partes obeundas, & sana doctrina imbuendas.

Tu Lutheri assecla, & osor Pontificis asseris excitatum à Deo magistrum tuum, vt Pontificatum destruat: Ego Ecclesiæ filius, & Lutheri miserator, affirmo gloriam hanc in Ignatium cadere, vt electus à Deo sit, qui Pontificatum defendat, & hostibus eius pro virili obsistat, ac impetus infringat, vel retundat. Ex historiarum, & scripturarum sacrarum armamentario arma depromo defensionis meæ, & vicisse putabo me, si probauero S. Ignatio fauisse Deum, & manum illius cum ipso fuisse; inde enim conficietur permissorem facinorum Lutheranensium fuisse, non auctorem Deum, ac proinde in Beelzebub ope nixa molimina eius, qui Papatum impetijt; contrà inualuisse in digito, & manu Dei inchoata, ac perfecta Ignatij opera, quæ Papatum firmant, atque tuentur.

S. Ignatij conuersionem à sæculari ad spiritualem vitam à Deo fuisse cogitationes de hac suscipienda ex pia lectione subortæ, ardentia de imitatione sanctorum vota, S. Petri Apostolorum Principis in ipso sui festi peruigilio apparitio, Beatissimæ Virginis filium amplexantis aspectabilem se præbentis consolatio, rigida, horridaque pœnitentia, ieiunio, lacrymis, vigilia, maceratione corporis, prolixa precatione peracta, iudicia certa sunt virtutis, ac potentiæ humana superioris, quę neque abstrahere ab aula imperatoria, neque delitijs assuetum virum, & gloriæ auidum temporalis, ad mundi fugam, ac solitudinem; neque ad sui contemptum, & iugem crucis mortificationem attrahere potuisset, si Scripturæ, si Sanctis Patribus, si Concilijs peculiarem ad tam insignem mutationem auxilij diuini gratiam requirentibus, fidem habemus: arduus est hic ascensus à cœno in Cœlum, à limo profundi in excelsum supra, à vita aulica, & libera ad religiosam, & strictam, à via spatiosa ducente ad perditionem ad arctam, cuius terminus salus est. Et quis istam ingrediatur, aut per eam ambulet, nisi qui Spiritum Domini doctorem, & ductorem nactus regendum se illi tradit, ac ipsum sequitur? Ast hanc iniuit, & emensus fœliciter est Ignatius nequicquam ringente, & obluctante Dæmone, qui sua damna à nouo hoste præsentiens, obices ponebat ineluctabiles, fauore tantùm cœlesti superabiles.

At verò descensus ab alto perfectionis statu ad ima sæcularis conuersationis, à regulari disciplina ad licentiam mundanorum; à legum obseruantia ad libertatem plusquam decembrem; à continentiæ moderamine ad immoderatum luxum; nonne hic à vitiatæ naturæ corruptione malum habet initium, peiorem progressum ab actionum frequentia, finem deterrimum à praui habitus contractione? Huic si se adiungat Sathan, & impellat ad omnem, quam meditatur in suo cubiculi, iniquitatem, quàm deplorandas secum calamitates aduehit, quàm infœlices trahit exitus, quàm horrendas sæpe animorum, corporumque strages edit? Atqui talis fuit Lutheri conuersio, subuersio à religione ad sæculum, à Monacho ad Apostatam, à Catholico Doctore ad hæresiarcham, à castris castitatis ad incestuosas nuptias cum Moniali, Confregit iugum Domini, rupit vincula timoris sancti, delapsus est in profundum malitiæ. Et dicitis illuminatus est, & mutauit in melius antiqua consilia recta, ac salubria cum suscepit noua, ac perniciosa abiecta cuculla, tum toga. O dedecus, quò induxit Doctorem miseria? hęccine est mutatio

tio dexteræ excelsi, an seductio veteratoris inferni, incæpisse spiritu, & carne consummasse vouisse, & non reddidisse votum: quod est habere damnationem, [quia vouerunt, & non reddiderunt ait S. August. in ps. 75.]

Amabò te Iudex Euangelij non ignare, & conuersionis Ignatij, & Lutheri auditor æquè, vtra tibi videtur mutatio doctrinæ Saluatoris congruentior? illa ne, quæ monito salutari exprimit. [Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: Arcta est via, quæ ducit ad vitam, contendite intrare per angustam portam. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam &c.] an illa quæ abiecta cruce, & monasterio deserto non ad abnegationem, sed ad voluptates, & blandimenta carnis inuitat? Illa ne, quæ cœlibatum laudat, & voluntarios spadones coniugatis antehabet, an quæ vxores, etiam respuentibus obtrudit, vota castitatis infringit, & ijs obstrictos stultitiæ, ac impietatis damnat, & gehennæ, ni se exoluat, addicit? Non dubito quin luporum voces vlulatium, & canum Euangelio oblatrantium clamores hosce exhorreas, Illa verò saluberrima Agni cœlestis inuitamenta ad pudicitiæ amorem, & obseruationem, ad angelicæ vitæ imitationem, medullam ipsam Euangelij esse pronuncies. His auscultauit Ignatius, & consilijs Saluatori aurem aperiens, relictis omnibus; illi adhæsit, carnemque suam cum vitijs, & concupiscentijs crucifixit, totum mundum, & pompas eius abdicauit, & capiens parabolam Christi Domini, *sunt Eunuchi; qui seipsos castrauerunt, propter regnum cælorum*, votum vouit castimoniæ puritatis auctori, quod acceptabile illi fuisse è manifesto signo cognouit debilitati, ac penè extincti fomitis nunquam ab illa emissionis hora ne leui quidem titillatione aduersùs rationem assurgentis. Ex opposito Lutherus obtendens suæ libidini vetustum Epiphonema, Crescite & multiplicamini panculis humano generi, tum exorienti decantatum, choro hymnisono thorum genialem prætulit, è cœlibe vxoratus factus est; è monacho adulter; è claustri habitatore aularum frequentator; e sobrio ebrius, è castro mœchus, si tamen aliquando sobrius, & castus fuit, qui liberè, licenterque luxuriæ fræna laxare verecundatus non est, & pro argumento placiti Deo coniugij à se initi nugas nugatoribus vendidit, & ridendum deplorandæ augurium perduellioni obtexit, prolificam cohabitationem, ceù Deus illam probaret, si filios ipse procrearet impurus verres.

Vter horum duorum videtur tibi dicendus Euangelicus? qui ad Euangelij normam vitam suam composuit, an qui spretis Euangelij consilijs, ac pœnitentiæ fontibus, cisternas dissipatas non valentes aquas continere sibi fodijt, gastrimargiæ operatus est; Incontinentiæ litauit, spurijs germinibus domum oppleuit? Hunc ego credam à Deo missum ad destruendum Papatum, quem sacra Concilia, quem Sancti Patres, quem venerabilis antiquitas, vt à Christo fundatum agnouit, & coluit? Absit à cordato, & pio arbitrio, tam immanis absurditas. Contra verò fateri cogor delectum à Deo Ignatium in Ecclesiæ subsidium, qui noua castra ad Pontificatus defensionem instruere, & agmina cogeret, opponeretque insanis conatibus hæreticorum recentium, vt hac prouidentia constaret doctrinæ veritas Pontificem Romanum caput Ecclesiæ prædicantis, & contrariæ falsitas illi aduersantis.

Neque verò minor est in progressione, vitæque decursu, quàm fuerit in conuersione disparitas inter duos bellatores. Ille vt se excucullauit, & fauore fultus Principis Saxonici palam bacchari occœpit, quid cogitarit, quid priuatim egerit, non erubuit factis, scriptisque publicæ facere notitiæ: sanctimonialem eductam è claustro de Christi sponsa in scortum vertit, vt fœcundam prolis illegitimæ parentem ad insaniam adamauit, suas delicias eius contubernium reputauit: secundùm istas in conuiuijs adipalibus tempus terens haurire calices, & bibacissimo etiam conuiuas superare, vagari per Diœceses, altaria demoliri, sacramenta abrogare, leges sacras abolere, disciplinam ecclesiasticam peruertere, viam sceleribus prætextu christianæ libertatis aperire. Qualibus condiret sermonibus mensas vulgatus latinè, ac germanicè conuiuiorum sympoşiacorum liber haud obscurè declarat: scatet ille turpium verborum colluuie, leuissimarum fabellarum narratione sordescit, obscœnorum vocabulorum scurrilitate sordet, & quæ vetat Apostolus ab ore christiano prodire vitiorum nomina, vel excepta à discipulis eius, dum proferrentur, vt placet nonnullis impudentiam Magistris excusantibus; vel quod verisimilius est, ab eodem potante scurriliter, & benè poto licenter scriptis consignata. Certè epithalamij in caput 7. Epist. 1. ad Corinth. scriptor ipse est, & quid eo sordidius? Quid obscœnius? quid mendacius, in eos, qui vitam ducunt in Monasterijs, tanquam in immolantes, & cremantes corpora sua idolo Moloch rudere gestientes?

At inquies eutrapelia isthæc hilaritas reputanda, quam inter virtutes numerat sanctus Thom. cum Arist. 4. eth. 8.

Scilicet paginæ oblitæ stercoribus, meretricibus, porcis, diabolis, facetijs extremam leuitatem redolentibus deturpatæ, Eutrapeliam redolent, & non potiùs Bomologiam vilissimis etiam scurris indecoram. Sed & in epistolis ad diuersos, præsertim ad Inquisitores ipsis infensos descriptis, quàm insolentem, quàm petulantem, quàm impudentem conuiciatorem agit cùm minarum acerbitate illos deterret, cùm lædorijs, & dicterijs lacessit, cum iniurijs, & contumelijs proscindit, cùm ex olente sui vocabularij theca verba depromit adeo propudiosa, vt ea, vel mente reuoluere horror, & referre pudor ingenuus calamo non permittat. Et hunc vos Prophetam dicitis, cuius Mephitim halat lingua, cuius manus aconita fundit, cuius vita in volutabro obscœnæ voluptatis inquinata incantos coinquinat, ac dementat?

Oppone immundæ sui columbam candidam Ignatij, eius conuersatio in cœlis est, etiam dum inter homines conuersatur: nox illum vigilantem in orationibus, & negotia propriæ, ac proximorum salutis cum Deo agentem reperit. Dies ipsi

ipsi pariter abibant omnes meritorum fructibus plenè, quos partim actiuę, partim contemplatiuę dispertitę horę terminabant. Victus adeò tenuis, ac moderatus, vt perpetua videretur ieiunatio ad continendum intra viscera spiritum, non ad oblectamentum corpori indulgendum, quod ne sentiret vllum, cibos cineribus clam socijs inspergebat. Sermo rarus, & ita circumspectus, vt ne vocula quidem prodiret ex ore, quam prudentiæ lima non tersisset. Epistolæ, quæ plures asseruantur hactenus eius exaratæ manu Apostolicis consimiles Sanctitatem spirant, & exercitiorum spiritualium libellus aurifodina cęlestis est, ex qua perpetim thesauros hauriunt, qui fodiendo ex illis auro manum, ac mentem admoneant. Quis tibi, videtur ex ijs in schola eruditus Euangeliorum? quis spiritum habuisse diuinum, quis vocatus à Deo? carnalis ne, ac impudicus in opere, ac sermone, & ita maritali thoro addictus, vt nolente vxore subroget ancillam, & eius necessitatem comedendi, ac bibendi necessitati exæquet? An qui pudicus, & adeò castus, vt angelicam imitetur puritatem; ita pius, vt Sanctitatem emuletur Apostolorum. Arbitror quod vile lutum, ac sordes non præferes auro pretioso, nec margaritis splendentibus granula nigricantia Lolij, nec proindè Lutherana zizania dormientibus hominibus superseminata in agro domini, Ignatiano frumento vigilantibus, ac fauentibus Angelis eidem immisso. Primatum Romani Pontificis Christum Dominum habere institutorem aurea doctrina Ignatij est; gemmea traditio est, & sinceræ fidei veritas. Igitur quæ huic aduersatur lutherana lutea est, cænosa est, venenata est. Si illa inspiratorem habet diuinum flamen à Patre procedens, hæc non alium habet auctorem, quàm susurratorem, instigatorem, deceptorem diuini flaminis hostem Sathanam à Patre ad Tartara deturbatum, & adeo Luthero familiarem, vt plusquam salis modium cum illo insumpsisse ipse de se testari non vereatur.

Prolixi esset operis per cæteras Ignatij fidei propagatoris virtutes stylum protendere, & facta cum infamis fidei desertoris virijs comparatione, ambulasse illum, vt lucis filium, hunc vt tenebrarum abortum, à recta salutis exorbitasse semita demonstrare: Illum pressa à Christo ab Apostolis, à reliquis Sanctis, calcasse vestigia; Hunc rota antiquitate, & hominum Apostolicorum sanctitate contempta priscas innouasse, & nouas cudisse hæreses, & confusionem, turbationemque in Dei populum inuexisse.

Breue, sed efficax argumentum est, quo fauor diuinæ electionis Ignatij ad statum Apostolico supparem euexit miraculorum operatio, qua Deo præcipuo illorum auctori libuit viri virtutes, ac sanctitatem comprobare. Celauit illa pro viribus dum viueret humilitatis studio, vt pauca idcircò in apertam lucem prodierint, quę post obitum cōperta, & illis addita, quæque aucta deinceps sunt, ac ita augentur in dies, vt volumine opus fuerit ad ea adnotanda, quæ sacris Romanæ curiæ tribunalibus ad negotia isthæc ardua destinatis oblata, & diligenti examinatione discussa, digna sunt habita, quæ ad summum Pontificem deferrentur ea gratia, vt catalogo Sanctorum vir planè mirabilis, ac de Ecclesia Catholica in paucis benemeritus adscriberetur. Accessere Imperatorum, Regum, Principum, Vrbium, populorum, apud quos mira illa patrabantur, intercessiones; accessere & congeminatæ ad Deum preces, quibus motus Gregorius XV. suarum duxit esse partium Ignatium olim iam à Paulo V. Beati titulo decoratum, Sanctum declarare.

Hic ringitur, & ridet hæreticus inter fabellas miraculorum narrationes computans, & virtutum planè heroicarum actiones simulationis; & hypocrisis damnans. Ast reclamant narrationes gestorum, quæ centenis, quæ millenis probantur testibus, qui vel præsentes fuere, vel à præsentibus accepere fide dignissimis: Certè Iudices, ad quos id generis causæ deferuntur, tam docti, & cauti eliguntur, vt quid sit miraculum non ignorent, & de eius indaganda veritate tam solliciti, ac in examinatione seueri, vt scrupulis agi, & nimio rigore agerer videantur, idcircò procul abest periculum leuitatis, aut incuriæ in veritate indaganda, & adest summa claritas, & certitudo in sententia de illa proferenda, de qua summa veritate in miraculorum discussione, & scientia ad eorum veritatem requisita si non distortè aduersarij Ecclesiæ, Ignatijque iudicarent, fortè & abstinerent à calumnijs, & se potius his armis, quibus oppugnātur à Catholicis destitutos ingemiscerent.

Ast miracula Lutheri quis numeret? nisi talia sint saltus immanis à monachatu ad Hęresiarchatum; à cælibatu ad coniugium cum moniali, à sterilitate ad fertilitatem gnatorum, à claustro ad sæculum, & ad destructionem claustrorum? At hæc, infers, miraculis æquanda, diruisse claustra tam munita, habitatoribus? traxisse post se Reges, Principes, Dynastas, populos, Papatum à maiori parte Septentrionis aboleuisse. Quis eat inficias hos euentus prodigiosos esse? numquid propterea diuina ad illos virtute opus fuit, aut non Diabolicæ adscribendo, cuius vim non superant, & astum furore mistum commonstrant? nisi virtutem appelles permissionem Dei propter sua profunda, sed iustissima iudicia, tam ingentes ruinas non impedientis, & earum promotores tolerantis: Cœteroqui plura damna inuexit Arius, qui totum Orbem terrarum infecit hæresi, neque tamen Deum, sed diabolum adiutorem, vel peripsestem habuit; Infirmum igitur argumentum est à multitudinis numerosa subuersione miracula meriti; firmum verò à Sanctitate, à diuino fauore, à conditione euentus naturæ vires etiam Angelicas excedentis diiudicare. Hæc vbi adsunt, manus adest Dei, quam prestò fuisse Ignatio æquus æstimator, qualem initio optauimus peruidebit collata cùm Euangelio vita illius: ex quo fiet, vt ipsum à Deo Missum pronunciet, vt ecclesiæ afflicto statui subueniret, & Pastori eius, quem mactare cum ouili tentauit per Apostatam prædo Stygius. Atque ita ritè pronunciatum à sapientibus excitatum à Deo Ignatium, vt obstaret grassanti Lutheranæ pesti, non secus, ac olim Sanctorum plerique, vt obsisterent hæreticis Ecclesiam infestantibus ab eodem sunt excitati.

CAPVT VII.

Confirmatio Romani Primatus Institutiones Ordinum Religiosorum.

1 *Laudes Religioso statui datæ à SS. Patribus.*
2 *In eo apparet diuinæ prouidentiæ manus.*
3 *Primum ponitur origo, & auctor Benedictini Ordinis.*
4 *Hic fuit S. Benedictus virtutibus, ac miraculis clarus.*
5 *Incrementa huius ordinis mirifica.*
6 *Innumeri ex eo Sancti, & scriptores, Præsules, Cardinales, Pontifices.*
7 *Imperatores, Reges, ac Principes hunc ordinem amplexati.*
8 *Tot diuina munera argumenta sunt Primatum nostrum probantia.*

SAnctus Gregorius Naz. Orat. in Laud. Basil. de Monachis loquens ait, [Ecclesiæ pars selectior, & sapientior; siquidem ij sapientiores habendi sunt, quàm reliquum mortalium vulgus, qui seipsos à Mundi consortio segregarunt, & vitam suam Deo consecrarunt, Nazaræos nostros dico.]

S. Chrysost. Tribus libris contra impugnatores vitæ Monasticæ magnificis hunc vitæ statum laudibus passim effert; & homil. 8. in Matt. Si quis, inquit, nunc ad Ægypti veniat solitudines, Paradisum prorsus omnem illam Eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Est enim cernere in tota illa regione diffusum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumque cœlestium conuersationem in terris micantem &c.]

Idem est S. Basilij iudicium, qui Monasteria fundauit, & regulam ipsis præscripsit. Idem S. Athanasij, & aliorum Orientis Patrum, quorum maxima pars ex cœnobijs ad Solia Episcopalia euecta est.

Idem, & Latinorum, è quibus S. Augustinus sæpè; tum verò lib. de moribus Ecclesiæ cap. 31. post encomia, & commoda religiosi statns subdit. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, [hoc institutum si laudare velim, neque dignè valeo, & vereor, ne iudicare videar per se ipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putauero.]

[Et lib. 3. contra Petilianum cap. 40. Perrexit, inquit, ore maledico Petilianus in vituperationem monasteriorum, & Monachorum,] arguens etiam me, quod genus huius vitæ à me fuerit institutum; quod genus vitæ omninò, quale sit nescit, vel potiùs toto orbe notissimum nescire se fingit &c. [Profectò si Sectarij scirent qualis sit vita religiosorum bonorum, abstinerent conuicijs, quibus lacerant statum ipsorum, & in laudes prodirent cum S. Hieron. epist. 17. ad Marcellam ita scribente. Certè, flos quidam, & pretiosissimus Lapis inter Ecclesiastica ornamenta Monachorum, & Virginum chorus est.] Et in epist. 61. ad Pammachium, quanti fecerit Monachalem statum, cui se addixerat multis ostendit.

Ad idem sunt cœteri Patres Græci, Latinique relati à P. Hieronymo Plato lib. 1. de Bono Status religiosi cap. 1. Sed antiquiores paucos nominasse libuit doctrina, Sanctitate, eruditione celeberrimos, vt liqueat, quàm sit discrepans eorum iudicium de Monachatu à Sectariorum contemptu, qui emonacharo Luthero adhærentes tam audacter, quàm stultè eius cantilenam repetunt ex epithalamio in cap. 7. epist. 1. ad Corinth., vbi statum religionis nihil valere pronunciat; sed Ethnicum, terrenum, sæcularem, ac veluti lutum esse docet. Vlteriùs progressus Caluinus in nequitia non veretur, quæ Sancti Patres habitacula Spiritus Sancti nominauere, lupanaria Sathanæ appellitare, vt refert Bellarm. in præfat. ad lib. de Monachis, voces sunt hominis Satanici à malo spiritu agitati. Lib. 4. Instit. c. 13.

Consideret æquus Lector à quo spiritu hæc vituperatoria scommata effutiantur, si à Spiritu Sancto illuminatos Patres contrariam penitus è scripturæ; ac traditionum fontibus haustam doctrinæ vndam in Ecclesiæ campos effudisse compertum est, & priscum fidelium vsum, ac sensum nouis inuentis repugnantem posteris tradidisse luce meridiana clarius est.

Verùm quia isti boni, si Deo placet, & sententijs Patrum Sanctorum, vt eis sapientia, ac probitate præcellentium suas præferunt, & eorum instituta superstitionis, ac maniæ condemnant, mei consilij est in præsentia demonstrare eos, qui religiosæ vitæ normam certam, ac regulam instituere, & securi sunt diuina inspiratione ad opus arduum aggressos auxilio desuper collato illud absoluisse, quod viribus humanis nusquam absoluissent. Hinc enim facili consecutione patescet Primatum Romanum, quem religiosi quilibet ordines summa veneratione semper coluere, ac tutari pro virili partium suarum studuere à Deo originem, eiusdemq; conseruatione gaudere.

Quod vt præstem non est necesse singularum religionum catalogum texere, sed paucas attingere, quà antiquitate, quà præclarissimarum laudum gloria ita conspicuas, vt in illarum molitione Summi Patris familias eluceat manus, ac prouidentia, quæ neque impugnatorum oculos effugiat, si non inueniret animos tartari caligine obtenebratos, & ad conuiciandum stolidè efferatos.

Prodeat S. Benedictus, cuius industria incæpisse monasticæ vitæ primordia in Occidente mentiuntur hæretici non aduertentes diu ante per varia Italiæ loca propagatam, & ab ipso proprij ordinis ab alijs distincti institutione restauratam, quamuis autem ipse auctor primus fuisset in occidente vitæ monasticæ, nonne institutionem hanc à Deo fuisse clamat adolescentis ætas minimè per se ad opus tam arduum idonea, clamat habitatio triennalis in solitudine pęnè humanis gressibus inuia: clamat angelica vita ibi traducta: clamant miracula ibi patrata, clamant eorum vestigia hactenus extantia, & ijs clamoribus obtunditur ruditus vester ò exmonachati, quibus monachatus, nimiùm quantum vestræ libertati repugnans abominatio est, Angelis autem oblectamentum, ac delitium.

Hic igitur adolescens propè impubes virum generosum præstitit, cùm spreta familiæ nobilitate; relictis honorum, diuitiarum, delitiarum commodis, & tota sæculi vanitate contempta, in asperrimi montis Sublaco Latij imminentis verticem, solis volatilibus peruium, aridum, saxosum, inhabitabilem, accessibilem, & habitabilem sibi fecit, & per trienniuum incoluit sine tecto, nisi quod spelunca obtendebat; sine lecto, nisi quem rupis excisa corpusculo reclinato cedens, modica excauatione, miraculo hodieque patenti præbuit, absque cibo, nisi quem Romani Monachi, haud longinquo spatio cùm alijs monachis commorantis, & voti ipsius conscij charitas parcè in submissa ad tintinnabuli pulsum cistella subindè ministrabat; sine vlla conuersatione, nisi quam Angeli familiari suo perpetim oranti exhibebant.

Hoc secretum à Mundo transfugium, & triennalem asperæ eremi commorationem properauit Deus miraculis illustrare, quæ deinceps in toto vitæ decursu continuare non destitit, sed illa à S.Gregorio Magno, & ab alijs vitæ scriptoribus publicæ commendata notitiæ narratione non egent nostra, eò collimante dumtaxat, vt ex ijs, quæ negari à nullo mortalium possunt; quod sensibus hactenus sint manifesta, deprehenditur diuina virtus operans, & testari non cessans à se pendere Romani Pontificis Primatus exortum, & conseruationem: atque adeò licèt miraculis fidem abdicent hæretici, quod pernicaciæ est intolerandæ, aut præstigijs, & illusionibus dæmonum illa adscribunt, quod stultissimæ impietatis genus est, Illa quæ vsurpamus oculis, vel in se ipsis, vel in impressis altè vestigijs post se relictis, tam grandia sunt, atque magnifica, vt fidem à videntibus, ac legentibus extorqueant, quod sint Dei opera: In primis vita Diui tot, tantisque ornata virtutibus, tam patentibus miraculis à conuersionis initio ad finem vsque reuersionis in cœlum decorata, non alium habuit, habereue potuit auctorem, quàm Numen supremum vniuersæ creaturę dominans, eamque ad gradum natura sublimiorem educens, vt eleuatum mirati sint non solùm domestici, & finitimi populi, quibus cum versabatur; Sed & barbari cum ipsorum Rege audientes signa, quæ faciebat, & experientia ipsa edocti habitantem in illa Spiritum Dei nouere, quo illuminante occulta, non alijs, quàm ipsis pandebat nota, & futura absque ambiguitate prædicebat.

L.2.Dialog

Lignum vitę D. Arnoldi Vvion, Belga l. 3. refert inscriptionem veteris M.S. in Monte Casino apud Abb. S. Monachi sub regula S.P.N. Benedicti canonizati sunt n. 44. milia, & 22. quorũ quinque fuerunt Monachi sacri Monasterij Casinẽsis ibidẽque sepulti. Monasteria 37. milia Monialium 15. mil. Martyres multi.

Deindè verò, cui non excitent admirationem illa rara, ac singularia dona, quibus Deo Optimo Maximo libitum est honorare dilectum suum Benedictum, & Orbi Vniuerso manifestare gloriam eius. Vix enim fons hic benedictionis è Silice Montis scaturiens in riuulos per subiectas planities fusus prodire occœpit, & conuersus in fluuium finitimas, remotasque regiones prædicationis, exemplique fluentis irrigauit, & tam multos ad sui imitationem traxit, vt duodena Monasteria discipulis suæ regulæ obseruatoribus impleuerit, inter quæ Casinense nulli septem orbis miraculorum secundum, & omnium primum non structura, ac mole ædificij, cœteroqui magnifici; Sed incolatum dignitate, prǽstantia, multitudine, Sanctitate, cœlestibus prærogatiuis nulli alteri ex omnibus Mundi Cęnobitarum domicilijs vsquam concessis. Ex illo deinceps deductæ per orbem Coloniæ numero, ac diuitijs in immensum excreuere. [Audi ex Trithemio Azorium l. 12. institut. cap. 21. Numerus Monasteriorum Abbates habentium vltra 15. millia extenditur, exceptis præposituris, & cœnobijs Monialium. Vndè si vnusquisque sua possideret, S. Benedictus tertiam partem Christianitatis habere crederetur &c. Vide Arnoldum Wion in ligno vitæ l.3. plura numerantem,] quæ tanta obsecro vis est exigui fontis Alpini, vt descensu incrementum adipiscatur vastissimi fluminis, & progressione in oceanum migret tam multitudinis virorum, ac mulierum auidè instituto huic nomina dantium, quàm Principum, & potentium dynastarum certatim, & profusè facultatibus suis Monasteria erigentium, ac locupletantium? Profectò illius fuit, qui fecit mare, & aridam manibus fundauit, vt omni potentiam bonitati iunctam propalaret?

Atqui hæc temporalium, ac terrenorum non excedunt admirationem, quam spiritualium, ac cœlestium adiunctione donorum Deus adauxit tam ingenti copia, vt sanctorum canonizatione notorum numerus ad 44. millia pertingat, præter Martyres quamplurimos, quorum quinque millia quingenti quinquaginta quinque alumni Casinenses fuere, & id loci sepulti diem resurrectionis præstolantur cum ipsorum parente S.Benedicto, cuius pretiosæ ibidem quiescunt exuuię, quicquid de translatione earum in Gallias nonnulli comminisci gloriæ nationis duxęrint, quæ nulla est patrocinante veritate ijs, qui contra opinatoris coniecturas, haud satis firmas, argumentis solidis institere.

Quòd si huic tantæ turbæ addantur ij, quorum vita in claustris sanctè traducta abscondita in Deo memoriam effugit hominum, Angelorum inserta choris, quis numeret eorum turmas, nisi qui numerat arenas maris, & stellis cęlorum imponit nomina? Memorare millium millia Cęnobiorum virorum, ac mulierum, quæ indicauimus, confer cum priuatis, qui diem religiosè obiere, & in dies obeunt, & fatebere propè infinitos esse, qui cum S.Benedicto exultant sine fine in regno cęlorum.

Et vt in Canticorum Sacrorum Epithalamio sponsæ blanditus Sponsus cęlestis, murenulas aureas vermiculatas argento indulget; ita adamatæ à se Religioni Benedictinæ aurum charitatis dispunctum argento sapientiæ largitus est adeò effusè, vt scriptorum celebrium millena quindecim multigena lucubratione sua sæcula illustrauerint. D. Arnold. lib.2. c.61.

Ex hac sanctorum, ac literatorum multitudine ad mitras, ac tiaras assumpti fuere plurimi contendentibus passim viris Principibus, ac ciuitatibus nobilissimis apud Summos Pontifices, vt Præsules Ecclesijs suis ex hac Congregatione selecti præficerentur. Ad Summum Pontificatus verticem non pauciores, quàm 37. è quibus quinque, & viginti albo sanctorum adscripti, præter eos, quos ordines alij Casinensis propagatos eidem Romanæ Cathedræ subministrauere adeo, vt per

 quin-

quingentos annos illam insedisse dicantur. Ad proximam summæ Cardinalatus dignitatem promoti ducenti ornamento fuere purpuræ, qua fulgebant, & adiumento Pontifici tamquam administri eius, consultoresque primarij. Non desunt Codices, in quibus non ducenti Cardinales, sed duo millia conscripti leguntur; ast mendum in textum irrepsisse putat Arnoldus, quod facilè fuerit 2000. pro 200. literulæ adiectione scriptitasse. De Archiepiscoporum numero quamquam controuersia est; certum tamen ad mille 600. peruenisse, aut non multùm excessisse, vt idem Arnoldus arbitratur contra extendentes ad septem millia. Plures, hoc est ad quatuor milia, & aliquot creati sunt Episcopi; Abbatum, summam colligere, innumerabiles cum sint, operiosioris laboris est, & minimè ad rem nostram necessarij. Atque dicta hactenus decora in eum dumtaxat cadunt ordinem, qui vulgò Nigrorum appellatur, & primogenius est, ac parens reliquorum, qui tamquam rami ab illo pullularunt, & Cistercienses, Camaldulenses, Cęlestini, Vallis Vmbrosæ, Cluniacenses, & cæteri quorum, vt est immensa gloria à sanctitatis, doctrinæ, dignitatum splendore manans, ita in Christianam Rempublicam indè profecta emolumenta planè maxima sunt, ac prorsus singularia.

Lib. 3. c. 13. Lib. 2. c. 36. Bozius sig. 21.

Sed quid quod Imperatores tam Orientis, quàm Occidentis, relicto imperij fastu, Mundique pompa colla subdidere cucullo Benedictino, & vitam in claustris sanctissimè exegere. Hos inter sanctus Lotharius Ludouici Pij Imperatoris filius post annos 15. Regni feliciter administrati, aulam cum Monasterio Pramensi in agro Treuirensi commutauit, & exactissima regulæ obseruatione, ac penitentia decennio peracta meruit adnumerari Sanctis in cœlo regnantibus. Hunc imitatus est Hugo pronepos Italiæ Imperator, quem in regni gubernatione 20. annis defatigatum Monasterium sancti Petri in Burgundiæ partibus à se constructum excepit gaudens, & spreto paludamento, ac sceptro, humili tunica conuestitum, & in agone contendentem, ad suprema regna auhelantem vidit Burgundia, vt Arnoldus ex probata historia refert l. 4. ligni vitæ, vbi & alios appellat Imperatores, Reges multos, Reginas, ac Imperatrices, Duces, Marchiones, qui sæcularis vitæ pertæsi, religiosam inter Benedictinos delegere, & spectaculo fuere Angelis, & hominibus apertè fatentibus eos agi Spiritu Domini illuminante mentes, & corda impellente ad viam perfectionis ineundam, & humilem Christi seruitutem dominationi, ac temporali regno præferendam; Vt nihil interim dicam de multiplicibus Equitum militarium ordinibus, qui sibi gloriæ ducunt sub sæculari habitu consilia sequi salutaria; quæ sancti Benedicti suppeditat institutum. Quòd si de priuilegijs sermo sit Ordini sanctissimo à Deo concessis virtutum decoris, quibus cœlitum vitam æmulatur, miraculorum splendore, quibus in admirationem mundum traxit, lucris animarum, ad quæ inhianter operam contulit, conuersione infidelium ad Euangelij lucem, quem finem scriptio inueniret, aut quo stylo incomparabilem Benedictini Ordinis excelsitatem æquaret?

Italia certè tota ad noui Syderis exortum à Monte Casino fulgurantis oculos terræ affixos in cœlum sustulit, & sapere æterna cœpit, quæ temporalia plurimùm sapiebat. Excitati plures ad idem vitæ genus capessendum, quod Angelos in humanis corporibus repræsentabat, & aggregari Benedictinis eximiæ fœlicitati deputabant. Cœnobiorum disciplina iam collapsa, exemplo surgentium Monachorum Benedicti consilijs instructorum pristino vigori restituebatur, clerus quin etiam sæcularis censuram putabat morum suorum, si ab honesto deflecterent, regulam Monachorum domi, forisque seruatam. Verùm & exteris nationibus, quàm fuerit frugiferus ordo hic testentur Augustodunenses, Basilienses, & adiacentes prouinciæ prędicatione sanctorum Galli, & Columbani ad Christi fidem traducti: Germani per Bonifacium, & socios à Gregorio II. missos luce Euangelij imbuti. Hungaria, & Polonia per S. Adalbertum Monachum pariter S. Benedicti, errores dedocta gentilitatis, & Euangelij informatæ veritate.

Et te infœlix Anglia, à quo de potestate tenebrarum, & gentilia superstitione eruta fueras, & erudita in lege Domini, nisi à Romano Pontifice Gregorio Magno, qui missis ad te Augustino, Iusto, Mellito, Paulino Monachis Verbi Dei præconibus à Deo impetrauit precibus conuersionem tuam ab Idolorum cultu ad veram religionem, & quæ seruitute Dæmonum premebaris, in libertatem filiorum Dei asserta pace fruebaris, & gaudio. Boz. sig. 15. p. 344.

Cùm verò isti à Deo docti, ductique à Spiritu Diuino vni Ecclesiæ obsequentissimi fuerint, ac Summum Pontificem, vt supremum illius caput cognouerint, satis apertè liquet, quibus fides adhibenda, ipsis ne, qui vitam tribus obstrictam votis ad Euangelij normam traduxere; an Nouatoribus, qui fractis votis ad sæculi libertatem, ac sensuum voluptates rediere. Diuinum quippè in illos amorem beneficia memorata declarant, vitæ sanctitas, ac doctrinę sectarum falsitatem condemnant.

CAPVT VIII.

Seraphicus Sancti Francisci Ordo firmamentum est Romani Primatus.

1 *A mira sanctitate institutoris huius Ordinis, & suorum probatur Primatus Romani Pontificis ab ipsis defensi.*

2 *Idem constat ex priuilegijs ipsi diuinitus concessis.*

3 *Confirmatur ex præcepto colendi, & obediendi Summo Pontifici à S. Francisco pro testamento imposito.*

4 *Ex quibus manifestus patet error Primatum hunc impugnantium.*

5 *Hoc etiam probatur ex fine instituti Societatis Iesu, quæ inter persecutiones exorta inter easdem augetur.*

6 Et

6 *Et idem luculentè ostendunt institutio, munia, sanctitas ordinis Prædicatorum singularibus à Deo decorati donis.*

Assurge calame, & quæ assiduitate à miraculis degenerare videntur ob assiduitatem, inter miracula computa, & pro firmissimo argumento, imò & fulcimento Primatus, quem à calumniantium iniquitate asseris, audenter sume, ac veritatem ad eius splendorem in conspicuo pone. Quis auditui nostro crederet, nisi Maiorum nostrorum oculi vidissent magnam eorum partem, quæ nos vidimus, & mirari non desistimus? Franciscus pauper sua paupertate ditauit orbem terrarum, & annuis prouentibus eleemosynarum Reges eius superauit; simplex, & literaturæ expers locupletauit academias lectoribus; suggesta concionatoribus; templa Sacerdotibus: Inermis congregauit sub suo vexillo exercitus armaturæ fortium aduersùs phalanges inferas propugnantes. Humilis honores consecutus est supra Reges, supra Imperatores, supra omnem Potestatem mundi huius: sui contemptor ad imaginem filij Dei, Stigmatum impressione, eleuatus est: Indoctus, ac idiota altissimæ sapientiæ luce perfusus est: Mundi derisor, à mundo toto veneratione cultus: Pœnitentiæ amator, & domitor sui corporis fortissimus; lætitijs abundat spiritus, & cœli gaudia, adhuc peregrinus à cœli patria, degustat. Vili tunica obtectus speciosam induit vestem Dominum Nostrum Iesum Christum, & paludamenta sodalibus parauit. Franciscum de Mercatore in prædicatorem virtus diuina mutat, sodales aggregat, ad prædicandum Euangelium per varias regiones destinat, Religiosum fundat Ordinem, ex Euangelij medulla leges format in ordine seruandas; dilatatur hic per omnem terram, & in Cœnobia innumera à Regibus, à Principibus, à Populis expetita, constructa, ornata diffunditur; Ecclesiæ labanti, vt à Pontifice Innocentio III. per quietem visa est, succurrit. Innumerabiles peccatores ad pœnitentiam, Infideles ad fidem conuertit, signis, & prodigijs in admirationem trahit etiam incredulos, quorum supercilio incredibilia videntur mirifica, quæ de Sanctis hominibus narrantur, & inficiari tamen nequeunt, quæ mundus totus proprijs oculis vsurpat propagationem Ordinis Seraphici supra reliquos omnes Religiosorum cœtus, facinora eius præclarissima, virtutes, miracula quorum numerum sanè in immensum excreuisse quis nesciat? Obseruantium, vti vocant, & aliorum, strictioris disciplinæ dicuntur excedere millena centum, & viginti millia, fœminarum autem duplum asseuerant superasse. Ita Bozius signo XX. Alij plures numerant. An hoc est granum sinapis, quod minimum quidem omnibus seminibus erat, sed satum creuit in arborem omnibus oleribus maiorem, ita vt volucres cœli venerint, veniantque & in ramis eius habitent? Nimirum Franciscanæ domus habitacula fuere, ad quæ se recepere Reges, ac Principes haud pauci, qui vitæ sæcularis pertæsi sub vexillo Francisci spiritali inaugurati militia strenuos egere athletas aduersùs mundum, carnem, & Principes tenebrarum in sui abnegatione, in ieiunijs multis, in vigilijs; & precibus, in frigore, ac nuditate; Domino seruientes à quo ad altissimum euecti sanctitatis gradum, Beatorum adscribi numero meruere; præter Martyres qui lauerunt, lauantque quotidiè stolas suas in sanguine Agni, & longa serie recensentur ab Annalium Ordinis Seraphici scriptoribus. Ex iisdem prodiere Viri prudentia, probitate, scientia, rerum experientia præcellentes, quos Tiaræ, quos Purpuræ ambiere, quos aulas fugitantes aulæ, ad se perinuitos traxere, vt ornarent, à quibus ornamentum ipsæ, ac decus accepere, & ad supremum Pontificatus culmen transmisere, quanta cum Ecclesiæ vtilitate, & gloria, non homines dumtaxat, non Annales historiarum, non Oratorum præconia, non Poetarum elogia, sed muta marmorum moles, sed templa magnifica, sed pyramidum erectiones attestantur, quorum tamen omnium granditas exigua est eorum comparatione, quæ pro animarum salute, pro morum, vbi opus erat, emendatione, pro Ecclesiæ defensione moliti sunt, & feliciter confecere. Quis tam cæcus, qui tam ingentem splendorem non intueatur, aut tam amens, qui solem, à quo dimanat non intelligat esse Deum; aut tam audax, vt inficiari non vereatur facta, vel dæmonum calliditate, ac astutia immensam hanc ædificij diuini machinam fabricatam? quam Deus aduersùs eorum machinamenta substruxit, & veluti aciem castrorum ordinauit: scilicèt curæ Inferorum Principi, & non potiùs timori, horrorique fuit videre assurgere pauperculum omni humana destitutum ope ad consilia tam sublimia imitationis vitæ Christi, & insolitæ pœnitentiæ, ac virtutum mirabilium exemplo trahere ad sui sequelam, tam multas hominum myriadas, & ad eas contra se armatas debellare vitia, prædicare Euangelium, à veterno dissidiæ vrbes integras, ac prouincias ad cœli amorem excitare, cœlum animabus ad illud creatis replere. Hic autem tantus vir diuinitatis partus, ac Sancti Spiritus tuba quanti faceret Romanum Pontificem non obscurè demonstrauit, tum quando in sua, quam effinxerat, Regula, nullam inesse vim arbitratus, nisi ab illo approbaretur, ad Innocentium III. confugit confirmationem ab ipso apprecans, quam diuino monito impertiuit: Tum in fine vitæ, quando abiturus ad superos tamquam testamento præceptum reliquit erga Romanam Sedem obedientiæ, & omnimodæ subiectionis. Vnde mihi Enthymema pro capitis huius clausula colligo. Franciscus diuinis muneribus à Deo cumulatus, & luce diuina repletus Romanum Pontificem tamquam Christi Vicarium, & Ecclesiæ vniuersalis pastorem agnouit viuens, & cultum eius commendauit moriens. Igitur, qui hanc ei prærogatiuam denegat, & pro humano inuento habet, filius tenebrarum est, & à spiritu mendacij seducitur, si quidem nulla conuentio lucis cum tenebris.

Fr. Petr Rodulph. p. 2.
Fr. Franc. Gonz. Epis. Mantuan. p. 1. hist.

Similis probatio Romani Pontificatus ex Religiosis alijs Ordinibus peti potest, quorum originem, atque progressus illi deseruire inde liquet, quod omnium conspiratio, & inspiratio nulla cœlitus eò tendit, vt mutuo se patrocinio tueantur, & ad hoc præstandum

ampla cœlestium munerum largitione locupletentur. Hos inter, mirabilis videri voluit summi Numinis prouidentia in Societatis Iesu instituendæ, & conseruandæ ratione, quod sicut Ecclesiam in persecutionibus crescere maluit, quàm quieta, tranquillaque bonorum à se datorum possessione perfrui; ità Societatem hanc Ecclesiæ filiam inter aduersitates ortam, ac adultam, ab ijsdem incrementa sumere suæ voluntatis esse, non dubijs significationibus demonstrauit. In eam mali dæmones per se, perque suos excitant tempestatum fluctus, & quam obruere nequeunt, pressuris vexare non cessant. Non vna est malignitatis eorum causa, sed hæc potissima malos incitat, quòd copias illa auxiliares Petri Cathedræ submissas in dies augeat, & per orbem dispersas ingerenda erga Deum, & eius in terris Vicarium pietatem in animis iuuentutis impensè vacet, & ad eius obedientiam, cultumque quamplurimas Gentilium Prouincias traducat. Putas ne Deus eorum adesset conatibus, vt experimento constat, si falsa sererent doctrinæ semina, cùm Romanum Pontificem orbis Episcopum, ac Pastorem Ecclesiæ vniuersæ prædicatione docent? Cœtera Societatis, & laudabilis eius instituti prætermitto ornamenta, tum quia Panegyrim non texo, sed probationes persequor; tum quia eius propria est Pauli imitatio clamantis, mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi &c.

At prætermitti te non decet Prædicatorum Ordo in hunc locum reseruate, quòd laudes commemoratas aliorum in tuo sinu vnus complectaris: Sed hanc potissimum, quòd ad purgandum Ecclesiæ campum hęresum vepribus à Deo missus, strenuè in tui functione muneris hactenus adlabores, & inhiantibus in Cathedrę Romanę ruinam lupis, ceu vigiles canes Viros doctos, ac probos opponas. Si liceret hic ab instituto digredi commemorarem sanctissimos Viros sui Parentis Dominici imitatores, qui terrestrem Hierusalem splendore, ac admiratione, cœlestem gaudio, & exultatione compleuere; Nec omitterem Martyres, qui Sancti Petri Veronensis secuti vestigia, sanguinem pro fide catholica profudere: Memorarem Doctores, qui S. Thomæ Aquinatis imbuti doctrina, sapientię fluentis Academiarum agros irrigauere: Porrò Concionatorum copia quanta suppeteret, qui Vincentium Ferrerium imitati Orbem hinc frigescentem, flammis charitatis incendere, inde incredulum fidei lumine collustrarunt. Ex ijs electi Præsules innumerabiles, qui Reipublicæ Christianæ in Ecclesiarum regimine mirificè profuere: Cardinales plurimi; Pontifices plures, quorum vltimus Pius V. miraculum sæculi sui, & futurorum exemplar, fixum fidelium pectoribus desiderium reliquit videndi sui similes in Sede Petri.

Quæ innuisse strictim licuit ea gratia, vt intelligant quicumque hæc legerint curam esse Primatus Romani eius auctori Deo, qui tam illustria decora, & tam firma munimina deesse illi minimè patitur, & vero maximè prodesse optat ardenter &c.

CAPVT IX.

Diuina Prouidentia in electione Summi Pontificis elucens argumentum validum est eius Primatus.

1 *Romanorum electiones sępè diuina præcedunt indicia.*
2 *Probatur inductione multorum Pontificum SS. Fabiani, Gregorij Magni, Innocentij III. Gregorij VII. & Nicolai III.*
3 *Et recentiorum Pij IV. & Pij V. Marcelli II.*
4 *Responsio ad obiectionem hæreticorum.*
5 *Diuinum iudicium in inuasores Romanæ Cathedræ.*

Cardinalis Baron. à S. Chrysost. in epistola 1. Timoth. cap. 1. & ab alijs ibi à Cornelio relatis post recitatum Sancti Cornelij electionis modum ex S. Cypriani epistola ad Antonianum, vniuersim docet, quod Romanorum Pontificum creationes præcedere solerent diuinum iudicium, atque suffragium, Deo quem vellet eligi signo aliquo admonente, Apostolico more, postmodum coacto presbyterio, quo nomine, sacra illa Comitia vocabantur, singulorum sententiæ rogabantur, tum vota, ac testimonia explorabantur eorum, qui vicem populi repræsentarent &c.

Quod non ità recipiendum est, vt semper electionem quamlibet signa diuina pręcederent, sed frequenter ad indicandam electi sanctitatem, & curam, quam Deus de sua gerebat Ecclesia. Neque verò isthæc signorum ostensio singularis esset in Romani Pontificis electione, notæ namque sunt cœlestes indicationes, quibus Athanasius ad Episcopatum Alexandrinum, Ambrosius ad Mediolanensem, Nicolaus ad Myrensem, Alexander Carbonarius ad Comanceusem in Ponto vocati sunt, vt plures alias id generis vocationes omittam; sed quemadmodum istæ præfecturæ putantur argumenta peculiaribus Ecclesijs diuinitus destinatæ, ita per illa Deo libuit manifestum mundo facere prępositum à se vniuersæ Ecclesię Romanum Pontificem, quando ad eius regimen admouit quos ipsa, tamquam suos pastores, ac præsides agnoscebat.

Tale est, quod ex Eusebio refert Baronius ad annum 238. pag. mihi 235. Post Antheri mortem aiunt Fabianum vnà cùm alijs ex agro Romam commigrasse, ibique sua collocasse domicilia, vbi diuina, & cœlesti gratia largiente ad Cleri administrationem mirandum in modum euectus est, nam cùm omnes fratres causa diligendi eius, qui Episcopatum gereret in Ecclesia; conuenissent, & multi de multis illustribus, & præclaris viris ad illud munus obeundum idoneis cogitarent, quamquam Fabianus, qui tum fortè prętò erat, nemini in mentem venerat, de repente tamen columbam de sublimi deuolantem, quæ similitudinem Spiritus sancti in specie columbæ descendentis repræsentare vide-

videbatur, eius capiti insedisse, memorat, ac propterea Populum vniuersum pariter vno sancti spiritus instinctu commotum magna cum alacritate, & vno animorum consensu eum dignum eo dignitatis gradu acclamasse, & absque mora abreptum illum in Sede Pontificia collocasse.

Simile conspexisse indicium Romę licuit in Magno Gregorio à Clero, Senatu, ac Populo acclamato in Pontificem: quippe vir humilitatis studiosissimus omni contentione, ac industria studuit onus, ac honorem à se amolire; Cumque conatus omnes irritos expertus ad opem Mauritij Imperatoris confugisset literis à Germano Vrbis Præfecto interceptis, ne Constantinopolim mitterentur, ad astum adiecit animum,& mentito habitu, ne agnosceretur, exiuit in agrum, syluas quęsiuit, ac in obuiæ speluncæ latibulum abdidit se se haud facilè ab vllo mortalium detegendus, nisi immortalis cuiuspiam ministerio conflata columna radians, & spelæo incubans quærenti ipsum anxiæ multitudini, ceu lingua desuper missa simul id loci latere Gregorium indicasset; simul vniuersæ Ecclesiæ Pastorem Dei beneplacito constitutum declarauisset.

Verùm antiquioribus adhuc prodigijs Ecclesia Primitiua decorari à Deo meruit. Inter quæ.

Innocentius III. olim Ioannes Lotharius Card. Diaconus SS. Bacchi, & Sergij dictus, ea excelluit sapientia, ac probitate, vt Cœlestinus III. asseuerare non dubitaret cessurum se illi libenter Petri Cathedram, si suffragia electorum ad sua vota accederent; Ideoque iam iam diem obiturus in postrema ad Cardinales hortatione liberè suum sensum aperire non est veritus, vt sibi Lotharium subrogarent si bonum Ecclesiæ, & non propria commoda spectarent. Factum est, vt optauit, quamquam enim iuuenilis ætas remoram electioni factura videretur, tamen candida columba in conclaue Comitiorum aduolans, & humero dextro illius insidens omnem dubitationem de animis Patrum exsoluit.

Post Pauli IV. obitum conuenientibus in Aulam Patribus purpuratis pro successore subrogando Columba se visendam præbuit, quæ per aera circumuolans, tandem super Sedem Ioannis Angeli Cardinalis Medicei constitit, qui Pontifex creatus, Pius IV. appellatus est.

An reuocari ad hoc caput queat, quod mortuo Leone XI. Aquila è Palatio Altempsiorum auolans post varios circuitus tandem ad molem Hadriani perueniens, & insculpto Draconi gentilitio Gregorij XIII. insigni insidens stemma Burghesium conflauit, & Pauli V. ad Pontificatum assumptionem prænunciauit? Hadriani quoque II. & Leonis IX. exaltationes, vti nobilitatæ meritis ità, & cęlestibus visionibus comitatæ fuere,quas vitæ Pontificum,& annalium scriptores fusè describere sui duxere muneris, nostri eas innuisse sat fuerit.

Astilla simul lepida, simul ominosa,quę Gregorij VII. Pontificatui præluxit multo ante tempore, quàm inaugurraretur.

Assidebat infans ad parentis ligna dedolantis plantas, & ex segmentis reiectis elementa formabat elementorum inscius, quæ digesta ordine hemistichium Dauidicum expressum exhibebant, & dominabitur à mari; vsque ad mare. Quæ potestas à Deo filio communicata suo Vicario ad hæredes Pontificiæ dignitatis perennabit ad iudicij vsque magni postremam diem.

Nicolaum III. ex illustri Vrsinorum familia adhuc puellum S. Franciscus suaui amplexu dignatum prædixit Matthęo parenti à quo fuerat ad prandium inuitatus futurum opportunè Pontificem Summum, haud dubium quin prophetico spiritu reuelante, quo absentia tēporibus, ac locis præmonstrantur.

Certè ætas nostra gauisa est vidisse in throno Petri fulgentem Pium V. toti antiquitati inuidendum, & Summis Pontificibus æquandum, & hunc pariter habitu Pontificio ante creationem ornatum, per quietem vidit Genesius Lucensis cœnobij ad Mineruam Præses, singularis Vir probitatis, ac doctrinæ; Et non fuisse insomnium istud ex ijs, quæ ludentibus finguntur phantasmatibus, sed cælitus immissum declarauit exitus, præuisus pariter per reuelationem, ac prędictus à S. Philippo, sicut, & aliorum Pontificum creationes, vt narrat vitæ scriptor lib.3. cap. 6.

Persimile de Cardinali Francisco Gonzaga referunt, qui noctu experrectus improuisò pronunciauit super Cardinalem Alexandrinum casuram sortem, de qua in interregno Pij IV. non vnum erat inter Cardinales iudicium, & propensio animorum multiplex. Sed ne quæ desideraretur in electione laus euicit tandem S. Caroli Borromæi, & sequacium deliberatio de Cardinali Alexandrino euehendo, quo nullum agnoscebat in toto illo Patrum Conuentu gradu supremo digniorem, quicquid plerique obluctarentur, & rationibus humanis abducere ab hac sententia Virum diuinis fultum, adniterentur. Nimirum Frater Michael Ghislerius in Dominicana familia fæcunda Sanctorum,& Doctorum Matre educatus, & ad præcipuas munerum Ecclesiasticorum functiones promotus, vbique sapientiæ, & sanctitatis vestigia impressa reliquerat, quæ ad tam sublimis dignitatis fastigium iter etiam nolenti aperuerant. In procliui est coniectare suas habuisse in delectu partes Virginem Deiparam,quam impensè à teneris vsque annis coluerat Michael, & mutui amoris arrhas non paucas in vitæ decursu acceperat. Quippe Cœli Imperatrix à filio illuminatore didicerat, auctum iri honorem suum cum modis alijs, tum verò additione festi diei Beatæ Mariæ de Victoria nuncupati ad recolendam memoriam Victoriæ inter omnes memorandæ, quam Christianorum classes, Pio satagente, coalitæ de immani Tyranno Selymo Turcarum Imperatore retulere; Memorandę, inquam ob hostium multitudinem cæsam, captam, dissipatam; nam ad 30. millia perempta bellatorum, decem millia in captiuitatem ducta. Triremes centum octuaginta combustæ, nonaginta demersæ, quindecim millia christianorum à seruitute liberata,dante desuper animos Deo, & Vicario suo Pio precibus victoriam impetrante.

Quæ de Marcello II. sequitur historia est mille probara testibus, & signanter ab Horatio Tursellino in sua historia Lauretana lib. 3. cap. 20. in hunc qui sequitur modum descripta.

Marcellus Ceruinus Card. Vir doctrina pariter, & sanctitate clarus in oppido Lauretanæ domui satis vicino (Montem Fanum appellant) domicilium statuerat. Suum id natale solum ferebat, reuera locum interuisendæ natali Beatæ Virginis cellæ peropportunum elegerat. Inde Lauretum incenso studio ventitabat in augustissimo orbis terræ sacello sacris operaturus. Itaque sub Iulij III. Pontificis decessum Marcello rem diuinam in ibi de more facienti res euenit visu, euentuque mirabilis. Eximio candore, ac specie columba, multis inspectantibus, suprà eius caput placidè cum volitasset nunc in sacrificantis maniaus, nunc in ipso missali libro requiescebat. Ea res obiecta oculis adstantium plerosque animis immobiles stupore defixit. Sacerdos qui de more Cardinali sacrificanti præstò erat vulgarem aliquam columbam eò fortè delapsam ratus abigere eam conabarur. Ar Cardinalis haud parum memor candidę columbę inditio diuinirùs olim designatos nonnunquam esse Pontifices, inhibet abigenrem: Ipse cœlestem columbam quiescere finit; quoad sacrificio peracto, sua sponte auolaret. Exindè cœleste visum homini affirmat fidem, nuncio de morte Pontificis. Marcellus Romam reuocatus non sustinuit viæ prius, & Ponrificis comitijs committere se, quàm veteri suo instituto Lauretanam Virginem salutasset. Et aderat dies Annuntiaræ Virgini sacer, qui cæteroqui pium eius animum inuitabat: Venit ergo pridie Lauretum. Festo ipso die, exclusa incondita turba, sacrum in augustissima cella facere attentissimè cæpit. Inter sacrificandum post initium Canonis, Ecclesiam Pontifice orbam memorans, Deo, ac B. Virgini enixiùs commendabat effusè precanti Beata Maria cœlesti specie cœlitum septa comitatu se offert; animoque eius diuina luce, ac dulcedine delibuto, ipsum fore Pontificem indicat: Extemplo attonitæ mentis oculis subducit se.

Marcello tam nouæ rei, ac subitæ admiratio rantum repentè animi, corporisque totius incussit horrorem, vt ad Aram trepidans pedibus egrè subsisteret. Sensit Sacerdos eius administer aliquid profectò Cardinali obiectum diuinitùs, vtique cùm eius conspiceret faciem insolito quodam splendore fulgentem: mox etiam notaret totum eius corpus noua circumdatum luce. Ergo quod ipsemet viderat, deindè cum alijs multis, tum Raphaeli Rieræ, qui rem literis prodidit pro familiaritate narrauit. Quin etiam Cardinalis ipse necessariorum, qui spectaculo adfuerant, precibus fatigarus, enunciauit denique totam rem, vti gesta erat, ac simul adiecit tantum, vtique Pontificis munus longè altiùs esse fastigio suo: ac propterea Deum fortasse alium sibi Vicarium quęsiturum. Cæterum si Deo cordi esset talem in terris habere Vicarium: Enimuero sibi antiquissimum fore christianam Remp. conseruare sartam, tectamque, atque ædis Lauretanæ cultum longè, ac latè propagare. Itaque montem Fanum regressus accersito tabellione, publicis consignari literis iussit, quæ in B. Mariæ Lauretanæ gratiam destinarat animo: Nimirum, vt publicæ tabulæ suam Deiparæ obstringerent fidem, eædemque si fortè, quod accidit, mors interueniret, testes forent suæ erga illam egregię voluntatis: Vt Marcellus Romam attigit, facilè quidem euenit, quod Deo cordi erat, vt fieret Pontifex: Et extitit B. Virginis fides; Pontificis tamen extare non potuir. Is namque intra vigesimum secundum diem vix dum inito Pontificatu excessit è vita. Pontifex egregijs consilijs magis, quàm operibus memorandus.

Atque hæc pauca è pluribus per annales Ecclesiasticos sparsis collecta sufficiant.

Qui verò narrationes persimiles, aut suspectas habent, aut inualidas putant ad fidem de Primatu isto faciendam, vel temeritatis, vel hæresis laborant malo. Neque si plures congregantur, credent, Et nos Catholici purioris doctrinæ lacte pasti, & apostolicis imbuti documenris ijs minimè indigemus ad credendum exemplis, Dominicæ nixi auctoritati, quia Petro daras esse claues regni cœlorum cum absoluta super Ecclesiam potestate minimè ambigimus; & impleri promissiones eius in dandis successoribus experimur.

Audio obgannientem Nouatorem, vnde igitur tam multa schismata in sedium vacatione, si Pontificis Romani electio fructus diuinæ prouidenriæ est pacem peramantis? Audiat & ipse responsum meum. Haud piget adnumerasse superiùs portis Inferi Ecclesiam impetentibus schismatum impetus, & veritatem effati Saluatoris aduersùs illos victoriam promittentis, vt etiam ex malo hoc bonum eliceret, firmitaris scilicet petræ, super qua fundata est Ecclesia, & æternę durationis in intestinis etiam dissidijs securitatem. Deinde verò non ita laxare fræna libero arbitrio prauis affectionibus corrupto permisit, vt luce veritatis renebras contentionum non dispulerit, ac ambirionis ęstum non compresserit, vt sedata tandem tempestate tranquillitas optata redierit, & legitimè electus illegitimo pręualeret, clauumque Ecclesię regere perseuerarer. Etenim qui per ostium non intrauerant, sed intrusi violentia, vel astu Sedem Petri occupauerant interdum finem litibus naturali morte posuere, vt contigit Victori, Paschali, Callixto Antipapis aduersùs Alexandrum III. Aut diro functi fato pœnas ambitiosę affectationis dedere, quales expertus est Ioannis tempore Gregorij V. legitimi Pontificis, nam à Romanis, qui illum ad solium Apostolicum euexerant deturbatus, & crudeliter habitus naribus, auribusque pręcisis, oculis erutis, asino prępostere impositus per vrbem ductus est, quod occasionem obsidendi Romam Othoni III. dederit ex qua obsidione calamitate ingenti fuerit afflicta. Minùs atrociter punitus Petrus Leonis, Anacletum se vocitans, quid quod Innocentio II. vero Pontifici obsistere, perculsus à Domini Angelo post triduum impœnitentem expirauit animam, & corpus foueę miserabili pompa demandatum. Sed pręcesserat finem tragicum pia, ac feruens S. Bernardi Abbatis Clarauallensis solli-

sollicitudo in conciliandis principum Catholicorum animis Innocētio, qui tandē refulsit, vt sol in throno apostolico, depulsis tetris aduersitatum nebulis, & fæliciter gubernacula rexit Ecclesiæ. Breuiter omnes schismatum turbæ, quæ olim excitatæ, ad Eugenium vsque IV. identidem suboriebantur sedatæ sunt. Eugenio autem Antipapa in Basiliensi Concilio à plerisque Cardinalium datus nomine Felix qui, & ipse Pontificatui illegitimo sponte cessit, & ita semper amotis ab ouili Domini mercenarijs verus pastor citius, serius, à principe pastorum conseruatus, & plerumque in perplexa consiliorum agitatione mirabiliter demonstratus. Instar sit omnium, quos prodidere scriptores euentus mirificus, quem quoniam non eodem narratur modo, libet verbis eruditi recentioris Bozij signo 35. cap. 5. Septem auctorum testimonio confirmatum, capiti huic inserere pro clausula.

Petrus, inquit, Igneus, qui Alexandro II. sedente, cùm Florentini in duas essent partes diuisi, & altera schismaticis hæreticisque Petro Episcopo duce adhæreret, altera Alexandro II. vt ostenderet Alexandrum verum esse Pontificem: Christique Vicarium, missa celebrata, acceptaque ab Abbate Ioanne Gualberto benedictione, solo indusio tectus, nudisque pedibus inter duas strues ardentium lignorum longas decem brachia, altas prope, & latas quinque lento gradu flammis mediam viam, vndique cooperientibus illæsus, lætusque tota vrbe inspectante incessit, cunctisque obstupescentibus veritatem maximo miraculo comprobauit. Igneusque ob id vocatus &c.

Negatis factum Sectarij? Sed testium centum millium dixerim oculatorum linguæ affirmant factum. In Beelzebub Principe dæmoniorum vim retentam flammarum, ne ambulantem comburerent: Quid si vobis, nobisque catholicis respondeat Ethnicus, vim scilicet repressam fornacis Babyloniæ, ne Saraballa combureret, vel carnes læderet insontium trium puerorum? Resipiscite miseri, manus date veritati clamanti, *& porta inferi non præualebunt aduersùs eam &c.*

CAPVT X.

Fauor diuinus Pontificibus præstitus argumentum est Romani Primatus,

1 *Eluxit fauor diuinus erga Leonem Papam.*
2 *Vrbanum VI.*
3 *Leonem IV.*
4 *Alexandrum III.*
5 *Leonem III.*
6 *Formosum.*
7 *Victorem II.*
8 *Pium V.*
9 *Vrbanum II.*

STatim perstringit mentis oculos fulgor immensus diuinæ protectionis in præclaro sui Vicarij Leonis Magni facinore elucentis. Attila Rex Hunnorum, Germania, Trachia, Macedonia, Illyrio, Achaia deuastatis, multas iam præcipuas Italiæ vrbes sub sua iuga redegerat: Aquileiam triennali obsidione captam diripuerat, ac incenderat, & minarum, ac cædium spirans ad Romam diruendam copias dirigebat. Timor animos ciuium occupauerat non nescios, quantas in alijs ciuitatibus strages edidisset, quàm diræ crudelitatis vestigia, vbique reliquisset. Quò fugeret tanta multitudo populi? quin se defenderet à tam immani tyranno innumerabilis exercitus victorijs insolentis ductore? Ipse solus Leo pectore intrepido diuina fretus ope obuiam procedere tyranno irruenti statuit, & paucis è Senatu, populoque comitatus quà Mincius in Padum influit occurrens, mirificæ vi eloquentia feroces spiritus deliniuit, atque vt inibi militem sisteret, ac regrederetur persuasit. Defixit stupore insperata mutatio stipatorum Ducum in primis, ac primipilorum ad prædam Romanam inhiantium mentes. Cumque ab Attila sciscitarentur cur tam facilè præter morem sacerdotis inermis cessisset eloquio, respondit adstantem Leoni Sacerdotem alium habitu, ac ore verendum à se conspectum, sibi stricto gladio mortem minitantem, ni Leoni obtemperaret reditum in Pannoniam, suadenti.

Signum alterum diuinæ adsistentiæ Leoni Pontifici protulimus supra cap. 9. 1. p.

Et aureis quidem eloquentiæ laqueis ex ore Leonis tentis placasse libuit diuinæ prouidentiæ monstrum Hunnicum, at ferreis illigauit feram minùs validam, sed non minùs ferocem in Bonifacium VIII. Anagniæ commoranrem. Nimirum Philippus Rex Galliarum Pulcher dictus, miserat ad eum capiendum Guglielmum Nogaretum, qui capta Vrbe, ac palatio Pontificio terrorem incussit incolis, & adeò animos aulicorum consternauit, vt omnes propè, relicto Pontifice, fugæ se dederint. Ast ipse non est territus, sed Pontificijs indutus vestibus in Pontificia confidens Sella hostem præstolabatur, quo adueniente, & illiberaliter verbis minacibus Pontificem excipiente, is intrepidè respondit stulto iuxta stultitiam suam, & perterrefecit, fregitque audaciam militum ad eum capiendum promptorum. Ita relictus in custodia, à ciuibus tantam indignitatem ægrè ferentibus libertati redditus est Pontifex, & aduersarij conatus irriti cecidere. Haud dubium, quin Maiestas habitus pontificalis, & generositas loquentis momentum in ausu infausto habuerint; Sed vim addidit præsentia Numinis, & protectio, in audacia sacrilegi Du- Boz. sign. 44.
cis comprimenda.

Vrbanus item VI. duobus retudit verbis populi in palatium irrumpentis furibundam turbam; sumptis quippe Pontificijs ornamentis obuiam processit tumultuariæ turbæ, & interrogatione Domini Saluatoris pronunciata. Quem quæritis? temerè irruentes exterruit, & rebellionem extinxit. Quis hic intus agentis vim Numinis non aduertat? Multum profectò valuit oris grauitas, ornamentorum sacrorum maiestas, loquentis cum potestate dignitas. Sed ad cæcum multitudinis sistendum impetum non erant satis, nisi vigor accesserat diuinæ virtutis suum Vicarium protegentis.

Alter etiam eiusdem nominis, & non disparis sanctitatis à primo, Leo IV. quàm

charus esset Altissimo miracula ab eo patrata declarauere, inter quæ peremptus, aut fugatus Basiliscus veneno Vrbem inficiens, & ciues enecans, ac extinctum crucis signo in Vico Saxonum incendium à periculo templum Apostolorum liberauit. Huius Pontificis Sanctitatis fama excitus Adulphus Rex Angliæ Romam venit, & exemplo Inæ, & Offæ suam ditionem B. Petri vectigalem fecit. Baron. an. 847.

Quicumque in historia Sacra, profanaue peregrinus non est, vouit dissidia inter Fridericum I. & Alexandrum III. & inter Honorium III. ac Fridericum II. & scandala inde secuta: Boni ingemuere primùm, deindè verò lætati sunt, quod, protegente Deo personas, & acta Pontificum fracti sunt improborum impetus, & cedere potestati superiori sunt coacti.

In Leonem III. adeò immanes fuere Paschalis primicerius Hadriani, & Capulus Secrerarius, vt facinus execrabile ausi sint, quod calamus scribere, & aures audire reformidant; Cum enim consanguinei essent Adriani prædecessoris, inuidiæ, ac odij æstu abrepti sacris operantem scelerato stipati Satellirio ab aris abstraxerunt, & excisa lingua oculisque effossis semimortuum reliquerunt, militibus custodiendum. Bar an. 799. Sed enim cœlestis Medicus nusquam sui Vicarij oblitus, pristinæ Sanitati mutum, ac cæcum infandi crudelitate redditum, prædicanda benignitate restituit: atque vt suorum amicorum opera à custodia inimicorum liberaretur effecit: itaque incolumis, ac liber in Galliam, atque Germaniam profectus reuerentiam, obsequium, & opem Caroli Francorum Regis expertus, eiusdem comitatu copiarum Romam reuertitur, & suæ Sedi restituitur, ad quam non diu post accedens Carolus vicem recepit beneficiorum, & à Pontifice Imperator creatus, primus in Occidentem imperialem inuexit dignitatem.

In simili crudelitatis genere non dissimilis eluxit diuinæ prouidentiæ erga suum verum Pontificem amoris significatio. Stephanus enim dictus VII. Formosi antecessoris cadauer effodi, Pontificalibus exui vestibus, tres digitos, quibus benedicere solebat populo abscindi, in Tyberis profluentem proijci imperat, & omnia eius Acta rescindit, ac Synodi coactæ auctoritate, quæ patrarat impia probari curàuit, proh ditum nefas! Sed non inultum. Stephanus de Sede per vim occupata deturbatur, custodiæ traditur, strangulatur. Formosi verò corpus repertum à piscatoribus ad Vaticanam Basilicam sepultura honorandum defertur, in qua priusquam conderetur à Sacris imaginibus humili inclinatione salutatum testimonium ab illis retulit Pontificatus sui, & Innocentiæ à Cœlitibus, quin & tellus detestari visa est nefandum scelus, corruit quippe Lateranensis Basilica, ceu fundamentalem Petram dirutam ingemisceret, sine qua stare non posset. Bar. an. 900.

Affine miraculo est diuinæ prouidentiæ in Alexandri III. protectione signum. Hic post Adrianum IV. legitimè Pontifex creatus aduersarium habuit acerrimum Octauianum S. Ceciliæ Cardinalem, qui ad Pontificale solium ardenter inhians, adeo impotenter abripi se iracundia ex ambitione orta permisit, vt amictum Pontificium (Mantum vocant) Alexandro detraxerit, & Friderici fultus auxilio nouus Antipapa conciliabula coegerit pro Pontifice nomine Victoris, & pro tali à quinquaginta, qui conuenerant, Episcopis sit agnitus in Friderici gratiam, qui nec amicum, neque superstitem Alexandrum volebat. Eà propter multis cum molestijs vexare non destitit, nam & functo Victore alium substituit, qui Paschalem se nominauit, & rursus cogi Concilia contra Alexandrum procurauit, & armis Vrbem; ac Italiam turbauit, & fuga in Galliam, ac Germaniam; saluti suæ consulere adegit; Et ne quid persecutionis atrocitati deesset, Senatus, populique Romani accessit contumacia, non omnium quidem, sed aliquorum potentiorum Friderico adhærentium, qui reditum Alexandri in Vrbem impediuere, & rebelles suo se Principi, ac Pastori gerere non erubuere. Itaque standum Alexandro in acie aduersùs quatuor hostes fuit, quorum primus, ac parens cæterorum Fridericus. Secundus Antipapæ aliquot præcipuè Victor, & Paschalis illius opera euecti. Tertius conuenticula Episcoporum ab illo seductorum. Quartus Populus Romanus, qui ex Magistratu gratiam Friderici aucupabatur. Sed deuicit istos omnes manus Domini suum Vicarium sustentans, & pro eo pugnans: Etenim Imperatorem tandem resipiscentem, ac pacem petentem vidit Venetijs ad suos pedes prouoiutum, etiam præstantem obsequia, quæ præstira in Gallia, à Ludouico Rege, & Henrico Anglo inaudierat, & Pseudopapas ternos morte sublatos superstite se ad XXII. Pontificatus annum penè expletum. Conciliabulis opposuit vera Concilia, Turonense in primis, ac Lateranense, cui trecenti Episcopi præter alios Prælatos interfuere. Populus autem, ac Senatus Romanus errorum pertæsi, perspecta mutatione Friderici, & assumpta erga Pontificem reuerentia Legatos Anagniæ commoranti misere, qui Romam suppliciter inuitarent, atque vt rediret conditiones, quas ipse per suos Legatos postulabat, admisere, & iure iurando seruaturos se promisere. Aduertere nimirum Fridericus, & Romani Cœlum pro Pontifice contra se ipsos dimicare, illum esse verum, ac legitimum Pastorem, ac Dominum, cui fasces ex diuino Imperio Imperatores, ac Reges submittant.

In tanta negotiorum mole, ac varietate Alexandri prudentia, animi fortitudo, Principum fauor suas habuere partes, quibus diuinum Numen vsum est ad Christi tuendum Vicarium, & eius acta fœlici exitu terminanda. In hoc quod sequitur humani nihil inuenies præter hominum nequitiam, & Diaboli dolum. Reliquum totum sibi vendicat Dei protectio ab illis malis suum Vicarium defendentis, & malignantium consilia eludentis. Victor huius nominis II. ex Geberardo Episcopo Estitense creatus Pontifex, Romam delatus cum alijs virtutum exemplis dignum se eo gradu probaret, tum verò religionis, ac pietatis erga Deum splendore aulæ, & Vrbis oculos ad se trahebat: Hoc iniquè ferens hostis humani generis, & Pontificatus, immisit in cor Subdiaconi Sacro ministrantis, vt veneno calicem inficeret, & vini potu Antistitem

tem immolantem interficeret. Non tulit flagitium infandum diuina bonitas, sed nefarium hominem Dæmonis permisit potestati, qui correptum miris modis torquere cœpit, & adstantes admiratione, ac timore fixos detinere, quoad crimen fassus à lethali sumptione abstinendum Victorem monuit, haud nescium, quæ ratio consumandi sacrificij esset ineunda, & minimè segnem in gratijs pro beneficio Deo reddendis.

Haud vltimus Victor fuit, cui veneno mortem pararint improbi. Patrum nostrorum ætas simul audijt malum renouatum facinus à scelesto nonnemine aulæ Pontificiæ familiari; simul iteratam in Pio V. Pontifice Maximo defendendo diuinam beneuolentiam. In more habebat Vir Sanctus secundùm prolixas precationes ante Christi Crucifixi effigiem sacris pedum vulneribus os admouere, eaque summa cum reuerentia exosculari. Contigit autem mane quodam res mirabilis hinc insonti timorem incutiens occultæ cuiuspiam culpæ, quæ indignum redderet osculo; indè spei, & confidentiæ stimulum, quod miraculi aspectu dignum redderet Christus paucis admodum amicis suis talia indulgentis. Fidem famæ publicæ facit diligentia in sancto illo Simulacro asseruando, quod hactenus in cœnobio Dominicano propè Boscum à Pio magnificè constructo inter sacra lipsana numeratum magna veneratione colitur prompta narratio est ex actis Canonizationis Apostolica auctoritate confectis, quibus R. P. Abraham Bzouius suum Romanum Pontificem locupletauit, & tot tamque grauibus in cap. 39. congestis testimonijs firmata demonstrat, vt sperare nos iuuet opportunè expediendam apotheosim sanctissimi Pontificis ad Ecclesiæ Romanæ gloriam, & Religionis Dominicanæ decus, quæ illi tales Præsules in suis claustris educatos subindè suppeditat.

Interim quod initio proposuimus, non ne singularis hæc Dei cura in Pontificum protectione elucens charos, sibi illos ostendit, & amicos esse, quales profectò non essent, si ius vsurparent indebitum in Ecclesiam vniuersam, si Pastores non essent, quos Christus Dominus constituit super gregem suum. Numquid iniquus est Deus, vt foueat iniquitatem, & Petri Cathedram tam validè oppugnatam potenter sustentet, ne expugnetur, aut corruat, in eaque sedentes à prima institutione ad nostra; vsque tempora tueri perseueret? Certè si Imperator, aut Prorex quispiam Proregis positi à se personam, & intra sarta tecta velit, in compertο est verum illum habendum esse proregem, & præstandam ipsi obedientiam, tamquam Regem, vel Imperatorem repræsentanti; Cur ergò legitimus Christi Vicarius non censeatur is, cui Deus tam multa suæ beneuolentiæ demonstrat signa, quem à periculis, & à morte liberat, nec miraculis parcit, vbi necessaria peruidit, ad vitam seruandam, & in munere Pontificio perseuerandum? Quibus Primatus Petri stomachum mouet, aut euentus id generis negant, eosque à narrantibus historicis, vel fictos, vel à fingentibus acceptos asserunt suis se confodiunt gladijs, arma ab ijs aduersùs Catholicos mutuantes: Vel casui tribuunt, prorsus aduersari etiam pueri intelligunt: Vel ad Belzebub facta gloriosa referunt, & peiores Pharisæis sunt in Principe dæmoniorum eijci Dœmonia à Christo blasphemantibus. Quantò consultiùs agerent si à veritate doceri se paterentur, clamante Deum nusquam suæ Ecclesiæ obliuisci, & tam in electione, quàm in conseruatione Romani Pontificis mirabilia, plerumque facere, quæ Primatus eius euidentissima sunt argumenta.

Verùm, quia in Victoria ad Echinadas insulas per Pium V. relata opera, ac precibus micantem vidimus diuinæ protectionis radium.

Non impetro à me, vt taceam admirabile prorsùs persimilis fauoris exemplum in Vrbani II. magnanimitate se pandentis. Potiebatur Germaniæ imperio Henricus III. in quem iaculari fulmen anathematis ob enormia scelera non est veritus Pontifex, vt suo satisfaceret muneri. Ille iratus in Italiam descendit, indèque Vrbanum exegit. Pulsus Italia in Galliam se recepit, & vbi solatium sperabat desolationis inuenit materiem ob incæstas Philippi Regis nuptias, quem cùm sanare nequiret salutaribus monitis, feriuit anathemate, paruipendens Principum inuidiam, quibus pœna isthæc mirùm, quàm displicuerat. Quippe Philippus legitima vxore eiecta consanguineam suam Fulconis Andegauensis vxorem, sibi sociauerat, haud sine graui populorum scandalo, & Episcoporum offensione, qui Concilium coegere indicente Hugone Lugduuensi Antistite, & Anathema Regi dixere. Quem non terruissent Imperatoris odia, & Regis, ac Principum iræ? Stetit nihilominùs impauidus Vrbanus, & non despondit in medio tribulationis animum, sed erexit, quia confortauit illum Dominus omni potentatui dominans, & direxit vias eius ne deficeret. Cogit ad Claremontem Concilium, & ceù cuncta prosperè succederent, de recuperatione Terræ Sanctæ à Saracenorum dominatu consilia agitat, Legationes instituit ad Principes per viros ita idoneos, vt Occidentem penè totum commouerit ad arma capienda, euentu sanè quàm fœlici, nam trecenta peditum, & equitum centum millia in vnum coaluere exercitum, cuius potentiæ Asia, & Palestina succubuere, & Christi Saluatoris Sepulchrum in manus Christianorum redijt, æternum mansurum, ni eorumdem peccata rursus eripuissent. Hìc si circumstantias temporum, personarum, infortuniorum cum Pontificis ausu, industria, generositate, prudentia, negotij granditate, fœlicitate Victoriȩ conferas, manum Dei omnia dirigentem, & suo fauentem Vicario, vel ipsis oculis intuebere.

Boz. Sig 32 cap. 3.

Baron. ann. Christi: 1094.

CAPVT XI.

Confirmantur dicta de Primatu Romani Pontificis ex miraculis in Ecclesia Romana.

1 *Miracula ab hominibus Dei virtute fiunt, & quare.*
2 *Initio nascentis Ecclesiæ fuere necessaria.*
3 *Continuata à Deo sunt præsertim hæresibus suborientibus.*
4 *Et recenti memoria innumera per sanctum Franciscum Xauerium Indiarum Apostolum.*
5 *Numerantur eorum aliqua.*
6 *Inter hæc sanitas P. Marcello Mastrillo reddita.*
7 *Huius narratur historia valdè mirabilis.*
8 *Et profectis in Iaponiam.*
9 *Tormenta atrocia ibi tolerata.*
10 *Mors tandem pro Christi fide obita miris euentibus comitata.*

QVia Primatus hic inter fide credenda numeratur miracula, quæ fiunt ad fidem corroborandam à filijs obedientiæ Summi Pontificis, consequenter eius Primatum esse à Deo confirmant, vt notat Suar. in Apolog. l. 5. cap. 19. num. 20. Et quia miracula vera naturæ vires excedunt, auctorem sui principalem superiorem exposcunt totius facultate naturæ, qualis solus est Deus, *qui facit mirabilia magna solus*. Propria videlicet auctoritate. Cæterùm & Angeli, & homines communicata à Deo virtute patrare miracula in comperto est. Operatur autem illa Deus, vel per se, vel per illos ob fines multiplices, quales sunt ad pariendam fidem in cordibus illa videntium quomodo Christus Dominus patre exorato pro Lazari suscitatione dixit, *vt credant, quia tu me misisti.* Deindè ad eam iam partam corroborandam, qualia fiebant ab Apostolis, de quibus scriptum est: *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe:* vt inducerentur infideles ad fidem, & fideles in ea confirmarentur. Aliàs per ea honorare Deus vult seruos suos, & latentes gratiæ diuitias hominibus ostentare ad conciliandam apud ipsos opinionem sanctitatis, ac reuerentiam, vt in testamento veteri Moysi, Iosue, Eliæ, Eliseo miraculorum gratiam indulsit, & alijs; de quibus Hebreorum 11. dicitur. *Sancti per fidem vicerunt regna &c.* Sed & plura in nouo sunt, quæ inductione per cuncta Euangelij sæcula à Bellar. l. 4. de notis Ecclesiæ cap. 15. fusè numerantur. Semper autem miracula: sicut & cætera omnia propter semetipsum operatur Dominus, & illa potissimùm ob cultum, & gloriam suam, quæ est finis operum eius. [Deus, inquit, S. August. l. 10. Ciu. cap. 12. qui fecit visibilia cœlum, & terram, non dedignatur facere visibilia in cœlo, vel in terra, quibus ad se inuisibilem colendum excitet animam adhuc visibilibus deditam: vbi verò, & quando faciat, incommutabile consilium penès ipsum est, in cuius dispositione iam tempora facta sunt, quæcumque futura sunt &c.] Qui quidem finis, ac modus, vt sublimis est dignitate, comesque perpetuus miraculorum, ita & ratio sufficiens, ac honorifica censeri debet, ne vllo vnquam, tempore, locoue superuacanea, aut inopportuna videantur. Fuisse necessarium initio nascentis Ecclesiæ miraculis agi suadet; & mysteriorum à sensibus remotissimum altitudo, & legis introducendæ nouitas, & aduersariorum ipsam impugnantium acerbitas, & præceptorum carni, sensuique repugnantium obseruatio, quæ præter prædicationem, doctrinamque ab Apostolis, Apostolicisque viris traditam, nì prodigia, & signa comitabantur, quæ credendi difficultatem, vel tollerent, vel mollirent, ægrè Gentiles ab Idolorum cultu, ægriùs Iudæos à cæremonijs veteribus abstractos Christo adiunxissent.

Nihilominùs imbuto iam orbe terrarum lege Euangelij; continuare placuit diuinæ bonitati Ecclesiam suam mirabilium operatione decorare, solarique, & quidem per homines Romanæ Sedi, Summisque Pontificibus addictissimos, nusquam per alienos, & inimicos, nì fortè aliquando, & ijs vsus sit Sathanas ad præstigias, quæ miracula mentirentur, vti olim Ægyptij Magorum superstitione abusus est ad Populum decipiendum.

In quo, & admirabilis ordo, ac dispositio diuinæ prouidentiæ enituit, quæ sicut miraculorum vinculis Ethnicorum, ac Hebræorum gentem traxit ad Christi fidem, & cultum, ita quia permittere voluit hæresum vepres in Ecclesiæ campo subindè oriri ob inscrutabilia, & semper iustissima sua iudicia suscitare non destitit operarios indefessos, qui verbi prædicatione, scriptioneque veluti falce excinderent, & miraculorum dono, patrationeque aliquos ex fidelium cœtu insigniuit, qui & gratia polleant sanitatum, & operatione virtutum præstent, & prophetici luminis splendore clarescant, & alia ornamenta desuper accipiant, quæ à sancto Paulo commemorantur, & tamquam stellæ cœlum Ecclesię in nocte infidelitatis exornent.

Horum mihi syluam immensam antiquitas suppeditat, cuius nullum est sęculum istiusmodi vacuum syderibus; sed si ad hoc vltimum stylum reuocauero, & prolixitati parcam, & animis ingenuis etiam acatholicis ostendam, quod illa sit vera Ecclesia sub eodem Pastore, ac Duce militans Imperatori supremo, in qua perennat miraculorum cursus idem, qui à prima fuit origine, quando à Christo Domino, & Apostolis fundata est; & acriùs mouebunt hæc recentia oculis penè subiecta, quàm quæ lectione dumtaxat, veracissima licet, excipiuntur. Laxauit autem Deus suæ liberalitatis, ac misericordiæ vbera postremis hisce temporibus ad pascendos fidei lacte gregis sui agnos, & Pastores suppeditauit, qui à luporum dentibus defenderent, quos copiosos, & rabidos per ouile Christi Aquilonaris ora dispersit, & vbique terrarum innouauit mirabilia ad infestas nouitates reprimendas. Sed ego si numerandis pluribus viris, ac mulieribus sanctis miraculis claris insistam, quos Italia, Hispania, Gallia, India, & aliæ Prouinciæ videre illuminatos cæcos, mutos, claudos, paralyticos persanatos,

natos, quinimò, & mortuos vitæ restitutos, longior fuero, quàm mei consilij ratio postulet, cui & vnus illorum satis esset, ad probandum Ecclesiam illam Primatu gaudere, quem Christus in Sancto Petro constituit, quemque gloriosi isti heroes cęlitus electi agnoscunt, ac venerantur, vt veram, reliquorum cętus, Satanæ Synagogas detestantur.

Hæc meditanti occurrit magnus ille, & prorsus admirabilis Franciscus Xauerius, quem ob vitæ Apostolicæ sanctitatem, & renouatum in ipso miraculorum donum Apostolis concessum, illustri Apostoli cognomento Sancta Romana Sedes illustrandum censuit. Hic, inquam, à Paulo III. Pontifice cum amplo Nuncij Pontificij, diplomate ad Indias Orientales missus, simul Euangelium per vastas illas, incultasque regiones spargere aggressus, simul coruscare miraculis cœpit, quibus Deus serui sui sermonem confirmare luculentissimè dignatus est. Et fuere illa tam præclara, tamque frequentia, vt calamum, & patientiam fatigarent Episcopi Malacensis numerum adnotare volentis, & extasi, ac stupore complerent Populos barbaros vix oculis suis credentes, cum cernerent quotidianas sanitates, mortuorum suscitationes, futurorum prædictiones, absentium locorum distantia, tamquam si essent in conspectu enunciationes; intimorum secretorum cordium Deo vni notorum reuelationes; eodem tempore pluribus in locis præsentiam corporis exhibere, linguis barbaris, ac ignotis loqui, loquentem ab exteris intelligi, non secus, ac si proprio ipsorum idiomate conciones texeret, & id generis alia, tam sæpe facere, vt nulla iam dies ijs abiret vacua, nulla rediret nox, nisi proximæ diei miraculorum præstabilium testis, ac terminus, adeò vt non prophetiæ modò spiritus, quod sapientum non nemo affirmabat stabilem; permanentemque in eo sedem fixisse: sed & gratia sanitatum, & operatio virtutum, & alia precellentia gratiæ gratis datæ dona adeò familiaria apparebant in eo, vt subdita viderentur voluntati, & nutui ipsius numquam non obsequi parata. Idcircò apud gentes illas in admiratione erat, & passim Sancti Patris appellatione non proprio nomine nuncupabatur, tamque latè diffundebatur fama mirabilium eius, vt non defuerint, qui desiderio videndi peregrinum virum exciti relicto patrio solo sex millium milliariorum iter tam alacriter subierint, quàm frugiferè confecerint, siquidem maiora facta oculis conspicati, quàm auribus perceperant, exuta gentilitia superstitione Christum induere, & sacro lustrati baptismate adiumento fuere Xauerio ad fidem per Orientem propagandam. Cæterùm aperta per crebra miracula ad Euangelium via, non requiem spiritui suo dedit, non pepercit peregrinationibus longis, asperis, laboriosis, vt itinera eius terra, marique confecta metiri studentes curiosi quidam vitę eius inuestigatores centies centum millia passuum emensa repererint. In quo tam amplo spatio peragrando incredibile dictu est, quot, quantasque ærumnas sit perpessus ab hostibus fidei Ethnicis, Saracenis, diuersarum sectarum Barbaris, prædonibus, falsis fratribus, improbis spiritibus ad eius excidium coniuratis, lædoria in plateis, irrisiones in aulis Regijs; maledicta in congressibus inter ludicra computanda, lapidibus appetitus est, verberibus concussus est, venenis ad necem petitus, sagittis vix non confixus, ter naufragium passus, præter ea, quæ volens, libensque subibat, & exsorbebat dura, amara, aspera, mortificationi carnis iam rationi subditæ, & laboribus attritæ idonea, Ieiunia tam rigidè seruata quotidiè, vt pugillum obrisæ, & aquæ poculum totus esset, & quotidianus cibus, & aliquando hebdomadarius ad artus debilitatos reficiendos paratus, cilicia, flagella, humicubationes, vigiliæ in plures noctis horas orando productæ, seruitus, & misericordia impensa ægrotantibus, conciones, cathecheses, sollicitudo in excolendis nouellis christianis, industria in reducendis ad fidem Ethnicis tam feliciter posita, vt nationes integras, Principes, ac Reges ad Christi vexilla traduxerit millena millium sua manu baptismo lustrauerit. Tantus ergo vir electus à Deo, vt nomen suũ nouo mundo portaret, primùm Christi passionem portauit in suo corpore, prȩter quod nihil quodãmodò habuit terrenum reliquũ, neque hoc terrenum totum, in quo resplenduit fulgor quidam communicatarum dotum beatarum, quibus spirituale redditum videbatur, vt iam audiret in populis homo quasi cœlestis; & augebant, confirmabantque opinionem crebra miracula magnitudine planè tam præclara, vt mortuos ad vitam reuocatos aliquot decuriæ à Sacræ Rotæ auditores examinandæ sint delatæ, numero verò tam multa, vt integrum volumen eorum deposcat narratio, si recensenda essent, sed non est instituti nostri singillatim illa enumerare, neque verò necessarium ad probandum, quod intendimus, nimirum argumentum ex illis validè sumi, quod Ecclesia vera sit, in qua miraculorum perseuerat operatio, ac proindè quòd Primatus in ea positus sit Pastoris, à quo dirigitur, & in suas classes, ac status ordinatissima dispositione dispertitur. Cœlum suscipe, & per subiecta elementa discurre, nullum reperies, in quo diuinæ huius virtutis, ac electionis luculenta aliqua vestigia non reluxerint. Cœlum luce radiantem crucem demisit in terram, quę in obuiam descendens foueam, adeo firmiter illi adhæsit, vt frustra conati sint Ethnici crucis hostes illam effodere, ac diffindere. Portentum id fuit imminentis persecutionis à Cillanæ Insulæ Rege in nouellos Christianos paratæ, quorum sexcentos trucidari iussit, quod hortatore Francisco cõuersi essent ad fidem. At solari non tardauit diuina bonitas famulum suum; plures enim Crucis prodigio conspectu, quæ immota, ac inscissibilis ad impetus, insultusque impiorum stabat, nomina dedere Christo, quos inter filius Regis natu minor exemplum maioris secutus, qui particeps martyrij cum illis sexcentis effectus nequicquam fremente Patre Regnum terrenum cœlesti posthabuit, & animos non modò fratri, sed & sobrino, & alijs Regijs aulicis dedit, vt contemptis Idolis veri Dei cultum amplecterentur.

Vim quoque eamdem expertus est ignis, à cuius incendio, & flammis grassantibus domus

domus liberatæ fuere. Aer perpluit cineris acernos pumicibus accensis mistos super Tolensem Ciuitatem ad vindictam defectionis eius à Christo, & à Lusitanis mulctandam. Idem adblandiri Diuo visus est non semel cum spiritu eleuante rapiebatur in sublime, & liquidum præbebat iter, vt si menti incorporeæ præbuisset.

Quàm verò frequenter per lata Oceani spatia se se fudit potentia hæc cęlestis? siue sedarentur tempestates eius imperio, & naufragijs propinquis nauigia subtraherentur, siue salsedine exueretut vnda, vt pręsenti sitientium nautarum; & vectorum necessitati succurreretur; siue naufragum post tridui iactationem fluctibus circumactum terrę incolumen redderet mare; siue amati Crucifixi ęnei effigiem improuiso abreptam per vortices, ac spumantes fluctus deuolutam, Cancri chelis apprehensam insperatò restitueret, siue prophetico Spiritu de salute absentium sociorum per vndas dispersorum, & penè absorptorum, non dubia pręmonitione certos faceret pręsentem, siue nauis audiret versa iam in theatrum, & officiorum charitatis erga malè habentes corpore, & animo, ac miraculorum multorum, quibus de cœlo Sanctum suum mirificabat.

Neque tu Terra clemenrorum infima inferiorum testis es prodigiorum, quę à viuente, functoque tui, ne dicam emensore, an dominatore in te facta sunt. Quot cadauera mox in saniem, tabemque vertenda de tuo erepta sinu amissę luci, ac vitę sunt restituta, quod omnium mirabilium mirabilissimum est, & inter summa diuinę potentię opera numerandum? Sed & illud inauditum à sęculo, & vix credendum, nisi assensum certum à videntibus extorqueret facti euidentia, à non videntibus fidem deposceret orbis terrarum testimonium, & hactenus perseuerans exuuiarum sacrarum integritas: Quippe tellus, quę tributariam corruptelam; tanquam triburum morti debitum exigit ab Adami posteris, & corporum dissoluta compage carnes in puluerem resoluit, non est permissa in Francisci cadauere malignari. Sed ptimùm in calce viua sepultum statim ab obitu post menses quatuor illęsum, integrumque seruatum exploratoribus pręsentauit. Deinde verò fossa profunda mersum, obtectumque post menses sexdecim exhumatum, ne modicè quidem violatum paruit; sed viuido colore nitentes, & succo flagrans odorata est, natura stupente, & virginitate conditum suum domicilium seruare gratia gestiente.

Sensit autem Malacensis Vrbs beneficium Diui, dum à Sanciano portu Goam deferretur; etenim peste grassante, & plura capita in dies conficiente, vbi primùm intra sua męnia excepit depositum illud à Lusitanis sedulò custoditum, liberata à contagio est, & reuerentiam auxit erga mortuum, quem incolumem irreuerenter malo acta spiritu eiecerat, ac in exilium expulerat.

Quod sequitur, ad terram ne, vel ad Tartara pertineat, an ad vtraque non est difficilè iudicare. Vix pedem in Mauri insulam Franciscus intulerat, & primo sermone inuitare indigenas ad audiendam Euangelij legem occœperat, cum tremore terra concuti, & hiatus veluti infortunij alicuius pręnuncios edere visa est, simul inconditi audití stridores, ac eiulatus conquerentium spirituum, simul mœroris pleni clamores apertè pronunciantium; Tu nos Francisce, aduris, & de Regni nostri possessione deturbas. Neque segniùs irritabant animos spectra flammis conuestita per aerem volitantia formę aspectu horrifica, & diras euomentia, quibus nil aliud effecere, quàm vt testatam redderent aduenæ præliatoris sanctitatem, & suam ipsorum improbitatem, ac paucorum expulsionis à regione illa, & à pluribus, quæ obsidebant habitorum corporibus. Quid ni vociferarentur, cum de Regnis, ac Prouincijs tàm multis, quibus diuturna possessione præerant, fugere cogerentur; cùm templa suo dicata cultui dirui, & Idola comminui, conspicui, conculcari aduerterent, cum Reges, Reginasque, & copiosam nobilitatem cum suis Populis eripi de potestate impiæ dominationis, & transire in libertatem, & adoptionem filiorum Dei cernerent, nec tanti auctorem dispendij vlcisci, aut amoueri à generosis quirent inceptis, permissum quidem illis cælitus est suam ostentare rabiem, sed nunquam explere, & sæuire baculis, ac flagellis in nocturno silentio, dum feruenter orationi incumberet, sed viri dumtaxat patientiam exercuere, perdere vitam prædicationi necessariam, aut membra frangere nequaquam valuere.

Neque verò suorum Clientum obliuiscitur in cœlo Diuus, quos ad suam opem implorandam sollicitos videt in terra. & in mari, & iu dies liberari ægros à disperatis morborum periculis, & naues à submersione incolumes ad portus appellare eius intercessione manifestant libelli, qui subinde vulgantur, procul omni suspicione leuitatis, cui occursum volunt per legitimas discussiones viri graues, ac probi, quibus examinandi, & probandi libros illos incombit cura. Innumera sunt, quæ in varijs orbis partibus id generis mira contingunt, vnum si attigero, demonstrasse, me, putabo, veram esse Ecclesiam, quam diuina potentia miraculorum continuatione dignatur, vnum verùm esse Pastorem, cui supremam illius curam demandauit, qui mittit operarios in vineam suam referentes fructus in patienria, in laboribus, in persecurionibus, in miraculis prædicatam veritatem attestantibus, in reductione ouium errantium, ad ouile Christi, cui præesse Romanum Pręsulem Petri successorem credendum docent, & in fide hac, & charitate non ficta mirabilia operantur. Est autem miraculum tam recens, ac patens non vni, aut alteri Ciuitati, sed Europæ pene vniuersæ, vt de illo dubitare hominis sit iudicio carentis, inficiari verò sit, vel Dæmonis mendaciorum fabri, vel Dęmoniaci ab illo acti audacia delirantis. Non alia ratione meliùs probatam iri Lectori rem certissimam arbitror, quàm si historiam ipsam facti, qualis tunc ab oculato teste conscripta est, & per orbem terrarum typorum beneficio sparsa, ne apice quidem mutato, hìc attexo, & commodum legendi pario pluribus, ad quorum manus non peruenit libellus ipsam continens recudi dignus,

dignus, & perlegi à Catholicis ad animarum solamen, ab acatholicis ad confusionem cęcitatis, qui ad tantam, tamque apertam lucem cæcutiunt,& quia eam negare nequeunt, si prorsus non sunt stolidi, lucem dicunt esse tenebras, quod tenebrium est.

CAPVT XII.

Miraculi à sancto Francisco Xauerio Indiarum Apostolo in Collegio Neapolitano Societatis Iesu patrati die 3. Ianuarij, Anno Domini 1634.

Narratio ex Archiepiscopalis Curiæ tabulis deprompta.

SI quis vnquam minùs, quàm oporteret credulus ab Histotico præter ius, fasque iuratores exegit, vltro mihi fidem habeat miraculum scripturo, quod proximis superioribus diebus à Diuo Francisco Xauerio domi nostræ patratum non modò meis ipse oculis vsurpaui, sed Sacramento etiam apud Eminentissimi Card. Archiepiscopi Auditorem testaturus accessi. Rem omnem aliquantò altiùs mihi arbitror repetendam, vt seriem vniuersam vnico sub aspectu suspiciēdam potius, quàm cognoscēdam proponam.

Explicabo etiam paulò fusiùs, vel minima prosecutus, si quid tamen minimum in re, tam maxima nequidquam cognitio desideret, vbi abundè admirationi satisfactum. Ea igitur ita se habet.

Iusserat elapso anno 1633. Neapolitani Regni Prorex regijs planè honoribus ipsa in Regia Conceptæ Virginis memoriam consecrari. In diem igitur Dominicum à festo proximum, hoc est in diem tertium Idus Decembris quatuor aræ in amplissimi peristylij ambulationibus magnificentissimè excitatæ, quarum excolendarum prouincia totidem nobilissimis viris fuerat demandata. Eos inter Carolus Brancatius Eminentiss. Card. germanus frater adlectus: Is muneris sui curam cum Patre Marcello Mastrillo è nostra Societate Iesu, non acris modò diligentiæ, ac sedulitatis homine, sed affini etiam, ac familiarissimo communicarat. Vbi verò peractis diei solemnijs sub alteram noctis horam Marcellus pro ea, quæ illi incumbebat, curat, nescio quid artificem aulæa refigentem monet, ex illius seu cinctu, seu manibus, quo in opus vtebatur, bilibris ferè malleus, per in curiam ad triginta palmos altè prolapsus, ita ipsum perculit, vt à festo die nox illi penè funesta extiterit; affixit certè paulò post humi, ac nonnihil vomitum mouit, quod vtrumque inter grauioribus ictus effecta censetur. Animaduersum illico ab omnibus cruentato, vndique capite, dextro tempori, atque adeo ipsi musculo, vt vocant, temporali vulnus inflictum. Ille dolorem quoquo modo dissimulans, & grauissimum ictum eleuans verbis domum rheda vectus decumbit. Hic vulnus extima quidem specie satis exiguum deprehenditur, at intestinum malum longè grauius indicabant post alterum, aut tertium diem certa febriculæ initia, oculorum torpor, capitis qua parte præcipuè vulneri opponebatur, acerbæ subindè punctiunculæ, grauedo perpetua, stupor corporis, mentis delirationes, adeo vt Neapolitano in Cœlo id genus plagis infestissimo propinqua mors timeretur. Huc accedebat plagam, quod angusto nimis orificio, si quid sanguinis extra venas transfusi, si quid aeris ictu contusi, iam iamque suppurantis intus lateret, transmittere minùs posse, quod in tenerrima, & spasmo obnoxia temporis parte dilatari non licere. Indicitur Medicorum collegium, visa omnibus ægri salus, si minùs deploratæ ancipitis certè, ac nimium periculosæ curationis, nulloque pacto fieri posse, vt periculo ante quadragesimum diem planè defungeretur. Decretum hìc inter cætera obductam antea inconsultò plagam refricandam, vt si qua succresceret sanies, augusto saltem aditu eijceretur, nec cerebrum vitiaret. Quod ipsum aliaque adhibita sapienter remedia paulatim salutaria sensit ægrotus, ac post octauam à morbo diem lentè conualuit. Febris omnino nulla, mitigatus magna ex parte dolor, viuidiora lumina, vultus omni hilarior. Hic licèt maxima Medicis spes iniecta, magnum adhuc faciebat timorem vigesima prima ab ictu dies, quam vti ordine fermè postremam, ita potestate numerant primam eas inter dies, quas quòd de morbi euentu decernant, decreatorias nuncupant, nec temerè metus animo obiectus. Languescit ex inopinato ægrotus sub huius diei initium, qua & nouus annus est initus, stomachi graues dolores causatur, creditum primò afflictum inedia, & aqua cinnamomina, qua per id tempus morbo cauerat, at vbi nec eo ipso, nec altero die quidquam vesci valuit pridiè etiam ferè impastus, imo ne os quidem nisi parcè admodum ad cibum excipiendum recludere, animaduersum morbi vim interea loci, dum fœdus, vel pacem etiam conciliatam credimus intestino bello facultatem animalem perdidisse, ac resolutis, laxatisque maxillaribus neruis, & reliquis, quibus vorando vtimur, mortem ex propinquo intentare; existere enim verò illico indicia illa omnia, vnde Hippocratis schola intimam ossis lesionem, aut transfusum intra cerebri membranas cruorem arguit, & imminens ex infortunio, vt appellant, seu calamitate, cui prę cauerit non possit, lethum præsagit, ea fermè erant neruorum, qua parte est vulnus inflictum *paralysis*, seu resolutio qua vulnus opponebatur conuulsio, atque contractio sinistri præsertim brachij, stupor capitis, mentis deliramenta, corporis totius inordinati rigores. Itaque plures magni nominis Medici semel, ac sæpius apertè pronunciare (quod idem postea iureiurando testari) de Marcelli vita iactam esse iam aleam, & vnius Dei præpotentis virtute sanari posse, hominum ope non posse; familiares, quà tam acerbum carissimi capitis interitum, seu lachrymis deplorare, seu precibus à Deo deprecari, quà insertis per vim in os minimis eduliorum frustulis vitam ad horas perducere,

tanta

tanta autem erat, tamque obfirmata oris compressio, vt altera huius anni die geminis inter se obuersis cochlearibus vi maxima os illi Chirurgus sensim adaperuerit, ligneumque cuneolum inter dentes iniecerit, vt aperturæ assuesceret, mox etiam trioncialem è cera candelam ad stomachum, vsque dimiserit, vt nisi essent deglutitionis nerui omninò laxati, & obstructæ solùm pituita fauces aditum aliquem patefaceret cibo; ille verò non cibum, sed tantummodò dolorem hausit; tanta porro erat deglutiendi difficultas, tantum edulij fastidium, vt spectare identidem, & dolere simul liceret vehementiam incredibilem, quam sibi ipse, seu è sociorum consilio, seu è moderatorum imperio inferebat, non dicam, vt solidum, aut durum cibum manderet, sed vt aquę stillas sanè perpaucas hauriret. Vnam, aut alteram semel eius liquoris guttam, quo Diui Nicolai ossa Barij scatent, facilè hausit, quod licèt in admirabili, vsquequaque humore minus mirandum admirati tamen sumus. Igitur 4. Non. Ianuarij nuncupauit primò, quod postea innotuit, coram Patre Carolo Sangrio Prouinciç totius moderatore votum de Indica profectione, si vita suppeteret, quo pietati solùm non vitę, vel spei, vel desiderio, quę nulla erant, indultum. Deinde sacro infirmorum oleo sub noctem inunctus, ob pertinacem faucium compressionem Eucharistia interdictus. Mox pictam D. Francisci Xauerij tabulam aliquam cubilis lateri admoueri exoptauit, & cùm nulla prę manibus promptior haberetur, quę Diuum peregrinantis in speciem exhibebat, consilio, si exitum spectes, humano maiori aliunde accersita suspenditur Diuum ęger (cui ea tabula expressò identidem supplicabat) adhibuit internuncium apud Deum, ne sacratissimo viatico de solemni decedentium more muniri prohiberetur, idque impetrauit, exoraturus etiam per eumdem alio non pręter consuetudinem modo, sed & pręter naturam. Ea igitur, quę subsequuta est, nocte, admotis identidem gutturi Xauerij reliquijs, vnde vires glutiendo sibi faceret, sex, aut septem ęsculenti buccellas magna astantium lętitia non ita difficulter exsorbuit, ijs tamen non nisi cœlesti cibo aditum expediuit, mox iterum ad scitamenta alia omnia interclusum simul, atque primo mane periculo antea facto in hostia non consecrata, sacro ferculo recreatus est, die, scilicet huius anni tertia, quam totam inter vitę mortisque confinia traduxit. Instabat iam quarta à solis occasu hora, atque ęgrè sibi quartam horę partem superesse quin occideret ęger existimabat; ita è molestissimo screatu, quem eluctari iam solidum quadrantem horarium inaniter nitebatur, fauces paulatim obstrui sentiebat. Miscebantur tunc temporis pijs de rebus colloquia, cum ex improuiso admirabundus ille, hei mihi minus clarè exaudio, indicitque manu silentium, quod simul ac factum, hinc hinc vocor, & ad alteram lectuli spondam, vbi S. Francisci Xauerij, quę nuper, vt retuli, apposita pendebat icuncula, momento conuersus, cum antea sinistrum brachium nullo modo, corpus reliquum non nisi aliorum ope loco mouere posset, hic tenui quidem, sed distincta, singulisque quasi verbis hęrente voce pronunciare à nonnullis auditus est, quę mox subijciam, ea specie, vt astantium alij obiectis animo à Dei numine visis, alij perturbatis rationis infirmitate rerum simulacris à sensu mentis abstractum planè existimarent, cum pręsertim ne interpellatus quidem vllum responsum dederit, Sed continenti verborum tractu solemnem Societatis hominibus votorum formulam quibusdam additis hunc in modum sit prosequutus, nec suo quidem sensu, sed præeuntis verba Sancti Francisci Xauerij, vt infra fusius.

Omnipotens sempiterne Deus, ego Marcellus Mastrillus licèt vndecumque diuino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen pietate, ac misericordia tua infinita, & impulsus tibi seruiendi desiderio, voueo coram sacratissima Virgine Maria, & Te S. P. Francisco Xauerio, & Curia cœlesti vniuersa, diuinæ maiestati tuæ paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam in Societate Iesu, & pręcipuè Apostolicam missionem Indicam, quam heri pariter voui coram meo Patre Prouinciali, & promitto eamdem Societatem me ingressurum, vt vitam in ea perpetuò degam, omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutiones, & decreta Sancti Patris Francisci Xauerij de Indica expeditione edita. A tua ergo immensa bonitate, & clementia per Iesu Christi sanguinem, & merita Sancti Patris Francisci Xauerij peto suppliciter, vt hoc holocaustum, & votum à me indignissimè nuncupatum in odorem suauitatis admittere digneris, & vt largitus es ad hoc desiderandum, offerendum, & vouendum, sic etiam ad explendum, & sanguinem pro tuo amore fundendum, gratiam vberem largiaris.

His absolutis, Christi è cruce pendentis (quem præ manibus perpetuò habebat) vulnera exosculatus est suauissimè, tum subductam ceruicali Lipsanothecam; vbi inter cœteras, & Sanctæ Crucis, & D. Francisci Xaueri reliquiæ asseruabantur, primo vulneris loco, mox imò occipiti admouet, nec dimouit, quousque subdidit.

Aue lignum Crucis, aue Crux pretiosissima, me totum tibi dedico in perpetuum, & oro suppliciter, vt gratiam fundendi pro te sanguinem, quam Indiarum Apostolus Franciscus Xauerius post tot exantlatos labores consequi non meruit, mihi licèt indignissimo largiaris, & paulò post.

Abrenuncio parentibus, proprię domui, amicis, Italiæ, & omnibus, quæ mihi retardare possent Indicam missionem, & me totum in animarum salutem, apud Indos, dico coram Sancto Patre Francisco Xauerio, meo patre.

Vix ea cum exporrecta repentè fronte ad valetudinarij Præfectum, mi Pater, inquit, esurio, præbe aliquid quod comedam, vel pinsitum gallinæ pullum (id erat escæ genus illi, vel ipso pharmaco detestabilius) perculsi ex inopinata voce animi accurritur extemplo huc illuc, vt aliquid pulmenti deferatur, iubet ille primitus solemnem dicti Sancti Patris Francisci Xauerij precatiunculam clarè pronunciari ab astantibus, voluitque ter repeti illud, *ora pro nobis S. Francisce Xaueri*, cui inuersa paulisper consueta orandi formula, subdidit ipse, *vt dignus efficiar promissionibus*

tuis;

tuis; id vbi factum, delatumque nonnihil cibi, trepidare primò astantes, ac minutissimas in buccas concidere, quas faciliùs vorare; at ille erecto, alacrique vultu, eo ipso scilicet, quem paulò ante mortis pallor infecerat, ridere assidentium trepidationem, lectulo nullo fulcimento insidere, suaque sponte se ad comedendum componere, os expeditissimè adaperire, glutiendi facultatem neruis, iugulo sorbendi restitutam asseuerare, atque vltrò periculum facere in solidiori cibo, quem facillimè mandebat, se denique Diui Francisci Xauerij ope valentem omnino, ac sanum prędicare, imò ita viribus, inquit, polleo, vt mox surgere valeam postridiè cùm primùm licuerit, litaturus.. Acclamare hìc astantes portentum, prodigium, miraculum, euolare cubiculo, sociosque vt quisque fortè obuius fiebat, ad iucundissimum spectaculum à Diuo Francisco Xauerio datum accire. Confluxere illico omnes, vt celerrimè fama percrebuit; gratulaturi ęgroto, vitam eò ęstimandam magis, quò minus à morte abfuerat, tantumque insueti prodigij gaudium incesserat, vt vix euentus fidem caperent, & quæ erant oculis subiecta fidelibus libentissimè per aures demittebant, mutuoque alloquio, & assensu quasi dubia firmabant; vbi verò oculorum consuetudine animi assueuerunt, & portenti admiratio religioni fuit, itum in preces, ac solemni Sanctorum Ambrosij, atque Augustini carmine ab adstantibus gratiæ Deo actę, celebrata singularis D. Francisci potentia, eiusque Iconculam in fortuito abaco collocatam ardentibus cereis facibus venerati sunt; mox quinta iam noctis hora alij aliò extra domum dimissi, qui optatissimos Nuncios deferrent. Interim Marcellus nihil obualentissimo voce, colore, vultu dissimilis accisus quatuor ferè dierum inedia vires pastu, & potione reficit, nihil inconditis lętantium clamoribus saucio modo, afflictoque capiti cauendum (vt nonnulli censebant) ratus cœlestibus iam vocibus confirmato: Mox dum cubile de more insternitur, surgit nullius ope, vestem induit, incedit tantisper, & venerabundus ad Sancti tabellam in genua prouolutus grates agit; tum fascias, & emplastra vltrò temporibus abijciens Diuo erigit in trophæum. Dilapsis tandem à cubiculo arbitris omnibus coram Patre Rectore Vincentio Carrafa, cui rem omnem primò aperuerat, & valetudinarij Pręfecto propria manu euentus rationem, lectuli puluino innixus satis fusè conscribit, vbi præter allata à nobis huc vsque ea addidit ipsi vni cognita, quæ iuratus postea confirmauit apud Cardinalis Auditorem, qui tanto prodigio post accuratam rei totius disquisitionem publicam fidem adiunxit. Ego verò illa iisdem ferè verbis latinè reddam. Refert igitur, se tunc temporis, cùm silentium imposuit, vocem exaudisse, Marcello, Marcelle, inclamantem, & nescium vnde tandem sonus ad aures accideret, mox silentibus cunctis eadem repetita voce, animaduertisse, ex altero lecti latere se acciri, vbi D. Francisci Xauerij pendebat effigies, eò simul, atque conuersus è cuniculi sociorum rerum omnium conspectu subduci, alioque repentè auocari visus est, oculisque in eam partem defixis, in qua sacra tabella affixa fuerat, ad tabellæ imaginem, vultu tamen augustiori expressum hominem vidit, quem corporis vestitus, & habitus peregrinum cœli ciuem oris maiestas, & decor indicabat: ipsissimum esse Franciscum Xauerium nullo aperiente ægro statim innotuit, is hilari ad eum ore, serenaque fronte, Marcelle, ait, ecquid agitur? Mori ne mauis, an Indos petere? ac respondente eo, illud vnum sibi in votis, quod imperaret Deus; tenes nè memoria, subdit, vouisse te heri coram Patre tuo Prouinciali ad Indiam profecturum? teneo, inquit, ille: eia igitur, addit Xauerius, in concepta à me verba te deuoue, præiuitque statim verba, quæ cùm à Marcello repetuntur (exaudita narraui) quin etiam cum bis, aut ter ea minus clarè excepisset Pater, subridens sanctus iteratò suggessit.

Ac principio absoluta votorum formula, quàm supra apposui, sanitati eum restitutum nunciauit, iussitque quòd de accepta vita gratias ageret, emortui Christi vulnera deosculari, quod ab eo præstitum memoraui suo loco. Post hæc quæsiuit ex eo, num tibi est mei lipsanum? ait ille, id tibi sit, inquit Diuus, cordi, nonne, & Sanctæ Crucis fragmentum? fatenti rursus, age ait, admoue ea morbo, admouit confestim æger tempori saucio, verùm Diuus capite abnuit, reiectoque in læuam, quem peregrinantium ritu gestabat bacillo, admota sui ipsius extremo occipiti dextera, inibi morbi vim delitescere, eo sacram lipsanothecam applicandam indicauit: paruit æger, statimque Xauerius Sanctæ Crucis adorationem suorum omnium abdicationem, suique addictionem, Indice expeditioni ex formulis supra relatis nuncupare illum præcepit, & verba ipse præiuit; nihil enim de suo addidit Pater præter extrema illa, meo Patre, quibus leniter Sanctus arrisit.

Ab his erecto, inquit, ac bono animo in posterum esto, atque has preces in diem exsolue (diceres pro integra valetudine vectigal impositum) simulque ex oculis euanuit, euanescente & morbo, vitaque iam penè dimissa eo discedente reuocata, notatumque in tam subita morbi permutatione nihil omninò suæ excretionis, aut immiscere ausam naturam, ne deberet ille naturæ quidquam vel vitæ, vel virium, quas ab vno Indorum Apostolo traditas eidem apud Indos sit redditurus, & sanè fidem non tam meretur, quàm extorquet euentus.

Die postera anni scilicet quarta in templo ad aram Sancti Francisci Xauerij religiosè litauit, & Eucharisticam dapem nonnullis impertijt, plurimis vndique ad celeberrimi prodigij spectaculum confluentibus vbi verò portenti modus, & ratio innotuit compositis coniectantium diffidijs, in eam sententiam vniuersi abiere, Sancto Indiarum Apostolo sua Regna plus nimio cordi fuisse, quippe qui prodigia ferme omnia, vel apud Indos, vel pro Indis patrarit, & vnum quidem miraculo deuouerit, plurimos certè exemplo ad eius gentis subsidium aduocarit.

Si quis ergo rem omnium percenseat, ad prodigium triduò gradatim deuentum animaduertet; prima enim die sacro infirmorum oleo æger perunctus, altera imminente iam morte, cœlesti cibo munitus, tertia verò

ad aram ipse fecit Diuo Francisco operatus, cuius precibus vim omnem, facultatemque debebat, quin etiam plura in vno miracula. Puta æger per quatriduum fame confectus instanti letho repente subductus, restitutis esui mandibulis, corpus sanguine sæpius emisso, pluribusque exhaustum pharmacis, maxima virium præstantia pollens non vti à morbo in vigesimum quartum producto diem recens, & conualescens, sed tanquam aduersa valetudine nunquam planè tentatum; quæ è robustioribus aliquem delassassent solidare Marcellum potius, ac stabilire, præesse de prodigio relationibus transcribendis in excipienda frequentissima salutantium turba ex vniuersa fere Vrbe accedentium dies integros versari, sanciatum modò caput frigoribus, atque hyemi tutò obiectare, commune triclinium adire, cæteraque reliquorum omnium munia sustinere, domo excedere excessurum pridie è vita, & perpetuis laboribus penè atteri, quatriduo etiam post, cùm mater, quæ vna superstes erat è parentibus grauissimo morbo, ex quo decessit, laboraret. Nolam vbi decumbebat, accurrit, & dum eidem maxima sedulitate assidet, atque ad superos euolanti iam iamq; animo bene precatur, vt inibi suam ad Indiam profectionem precibus apud Deum expediat, cui hìc materno fortasse sensu impedimento fuisset, ne forensem quidem vestem exuitur, plurimisque in laboribus se se frangit. Valet tamen, dum hæc scribimus proximè scilicet à morbo, ijs viribus quibus validioribus numquam est vsus, tanti fuit afflictas antea proximæ mortis vehementia vires non infirmo naturæ præsidio, quæ rei cuiusque perfectionem diuinis incrementis debet, sed præpotentis Dei virtute, & Diui Francisci precibus reparari; vnde quæ emanant opera dum vix inchoata credimus omnibus numeris absoluta suspicimus.

Hæc miraculi series vniuersa, effectus verò inter cæteros illi; iniecta sociorum animis ferme omnium cupiditas incredibilis ad Barbararum Orientis Nationum subsidium aduolandi, & quasi D. Francisci voces classicum cecinissent, Indicæ expeditioni suum plurimi nomen deuouerunt. Aucta mirificè in Neapolitanis Ciuibus ergaDiuum pietas vsque eò, vt illius ope, ac patrocinio miracula alia in plurimorum commodum patrata constans fama vulgauerit, quæ cum non adhunc sint publica fide, rite firmata, reticeo.

CAPVT XIII.

1 *Marcelli consilio, & precibus exiguus Hispanorum exercitus ingentes barbarorum copias expugnat.*

2 *Mira diuinæ protectionis signa in ipso armorum conflictu.*

3 *Marcellus in Iaponiam appellit, capitur, carceratur.*

4 *Octo tormentorum genera à Barbaris illata incredibili constantia patitur Marcellus.*

5 *Parænesis ad sectarios, vt ex comparatione veterum martyriorum, cum recentibus discant, vbi sit vera Ecclesia sub vno Pastore.*

Postulat locus iste, vt aliquid de præclarissimo mortis genere, quam in odium Christianæ fidei Marcellus sustinuit, fortitudine planè memoranda dicamus; Nam cætera, quæ illam in tota vita antecessere nonne à testibus eius fidelibus viris grauibus scripta sunt, & iuris communis facta, vt non sit opus illa huc transferre ex eorum libris passim obuijs, & mirabilium narratione refertis? Inter quæ numeranda passionum genera dira, longa, immania; plerisque veterum insignioribus exequanda. Sed monitum te lector velim, additum à me parergon narrationis profectionis Iaponicæ, & obitus Marcelli pro tuenda catholica fide, non tamquam argumentum, Primatum Romani Pontificis directè probans, sed vt complementum Xaueriauæ prædictionis, qua Sanctus Indiarum Apostolus simul sospitem reddidit, simul certiorem fecit clientem suum, earum, quas in itinere, ac Iaponia toleraturus erat, passionum. Protestamur autem huic de Marcello narrationi non plus fidei à nobis exigi, quam humana historia postulat, non autem Ecclesia Romana post exactam disquisitionem concedit, adhiberi. Et Martyrem Marcellum nominare abstinemus, quoad à sacris Romæ Tribunalibus Martyrem fastis adscriptum gaudeamus.

Insignis Victoriæ Marcelli consilio, & precibus obtenta. Mindanaum vna Philippinarum Insularum amplissima est; eam barbari quà vi, quà dolo Duce Correlato celebri olim Pyrata; tum tyranno potiùs quàm Rege occupauerant, & freti arce munitissima excursionibus adiacentia freta frequentibus infestabant, non sine graui Hispanorum portuum dispendio, à quibus ne appellerent nauigia arcebant cædibus, ac rapinis in vectores sæuientes. Neque spes reparandi damni id quidem temporis affulgebat vlla, cùm Hispanorum exiguus esset militum numerus, & aduersariorum longè copiosior, & arx videretur inexpugnabilis. Nihilominus Prouinciæ gubernator vir non magis bellica gloria, quàm Christianarum virtutum opulentia clarus, vt extremis malis extrema remedia adhiberet, habito suorum consilio, disertè pronunciauit fore paulò post, vt pulso Hispano tota regio sub iugum Collorati redigeretur, ni maturè conatibus eius occurratur, & aut pellatur Mindanao, aut potentia eius in dies augescens comprimatur. Rogata primorum sententia Ducum, non defuere, qui plenum te-

temeritatis facinus pronunciarent in manifestum excidij periculum conijci exiguas Hispanorum copias contra numerosas hostium turmas, supersedendum id temporis ab aggressione, quoad nouæ suppetiæ adueniant, viresque, & animos addant ad eam prudenter, ac fortiter inchoandam, ac perficiendam. Admissus ad conuentum Marcellus, & quid sentiret, aperire rogatus illico respondit. Si regulis humanæ prudentiæ rem metiamur, omnia alia tentanda potiùs, quàm in apertum discrimen, certumque exitium conijcenda Hispana legio, numero & viribus longè impar, si cum exercitu barbarico descendat in prælium, & arcem expugnare speret in edito, ac prærupto colle positam, & suo cacumine secundam aeris regionem propè attingentem. Ast ego, inquit, altiùs specto, in diuino videlicet auxilio confidendum, cui facile est paucis victoriam, aduersùs multos concedere, & concessurum nobis non tam præsagit spiritus, quàm prænidet, & absque hæsitatione vos, meque sperare iubet, si Gubernatori nostro iam iam ad arma parato morem geramus. Non sunt texendæ moræ, neque diutiùs præstolandus auxiliarium copiarum aduentus, quæ vt vis numerosæ fuerint, nunquam dimidiam hostilium partem æquabunt, & licèt æquarent, locorum quibus dimicandum est, inæqualitas inuincibilem reddit hostem, & imperuium nostris accessum. Sed in Domino est fortitudo nostra, & S. Franciscus Xauerius, cuius mirabilia olim vidit Mindanensis Insula sanctis eius calcata vestigijs, & prædicatione instructa Dux nobis erit, ac fautor, & tyrannum quantumuis sub iuga Hispana, arce, & milite munitum redigemus. Quæ talia tanto cum ardore, ac asseueratione proloquens non tam suadere, quàm felicem belli exitum certò polliceri videbatur; vt creditum propterea sit, & non ex vano à S. Francisco, qui eum sæpiùs familiari suo aspectu, & alloquio dignabatur, didicisse priuatim, quæ palam de arduo hoc; ac perplexo negotio loquebatur. Persuasit igitur, vt quantocyùs expeditio, & militaris apparatus instrueretur, & terra, marique inuaderetur hostis, & arx illa editissima obsidione cingeretur. Quis credidisset, nisi factum vidisset? exercitus Corrolati ex Ethnicis, & Mauris conflatus quadraginta millium militum constabat, Hispani vix ad sexcentos pertingebant, ad arcem non erat aditus, nisi per rupes abruptas, & præcipitio potiùs quàm vias, & hæc tribus instructa propugnaculis bombardarum, & aliorum bellicorum instrumentorum apparatu refertis; Et tamen expugnantur hæc ambo tandem post diram dimicationem, & catholici sanguinis effusionem, dumque ad tertiam omnium munitissimum moliuntur accessum, en tibi improuiso globus æneus è bombarda explosus in Marcelli latus vexillum S. Francisci Xauerij imagine distinctum præferentis, & voce, gestuque ad pugnandum animantis tanto impetu corruit, vt difractum in frustra corpus pugiles strenuè arbitrantes vehementer indoluerint, quoad propiùs facti incolumem, lætumque repererint, & leuiter tantùm foratam vestem aduerterint, iacente ad pedes ignita pila, ne fortè locus esset dubitandi, an in latus, an aliò collimauerit; & migrante in admirationem dolore, Deum laudauerint, & pro fausto victoriæ omine miraculum habuerint, quam paulò post consecuti, qui reliqui in arce manserant, quà deturbati, quà perempti. quà præcipitio se damnantes cum Regina, & puello filio liberam stationem victoribus reliquere plenam diuitijs auri, argenti, armorum, vasorum elegantium, denique thesauro opulento, & gaza, quam Pyrata, & vorax Dominator Corrolatus depredatione longa congesserat: Taceo alia, quæ tota illo tempore euenere mira, hoc vnum tam insigne innuisse contentus, quod si neges, hæreticè, factum, proclamabunt te reum non temeritatis modò, sed insaniæ centena capita illius conscia exercitus vtriusque; sin malitiæ dæmonum, & præstigijs adscribis maleficorum, vel ab ipso arguere Sathana, qui sæpiùs de Marcello conquestus, quod se de sua possessione Mindauensi expelleret, minatus est vindictam opportunè capturum. Sed mirabilissimum miraculorum, quæ totius vitæ decursum illustrasse narrant historiæ illius Scriptores Passio, & mors Marcelli censenda est, in qua Infernus vetera Christianorum tormenta sub Nerone, Diocletiano, Decio, cæterisque Tyrannis illata superare contendit, & cœlum heroum suorum, qui illis restitere, fortitudinem, ac robur inuictum renouare gaudet. Triumpho de Correlato reportato ab Hispanis ad ampliores palmas properans Marcellus in portum Cusi dictum in Iaponia non infelici nauigatione vix appulit, cùm fama peregrini aduenæ per oras propinquas, remotasque spargitur, & gubernatores excitat ad illum capiendum. Expediuntur 150. satellites, cum sufficerent decem, & ceu venatici canes non inuenta in littore præda, accurrunt ad proximam syluam, in quam secesserat Marcellus ad orandum. Inueniunt flexum in genua, oculis in cœlum supinis, manibus ante pectus in crucem conformatis, vultu radijs coruscante; stant attonitis similes, nec piæ reuerentiæ manus inijciunt, donec ille ab extasi ad se reuersus blandè compellat, & lubentem se capi protestatur. Comprehenditur, funibus ligatus Nangasachum Vrbem Regiam aliquot dierum itinere deducitur, sistitur in Tribunali Iudicum, interrogatur de Patria, professione; Sine profectionis ad Iapones modo eò peruadendi, quò per Imperatorium Edictum nefas est extero Sacerdoti inferre pedem, capitali constituta ijs pœna, qui violare fuerint ausi. Respondet, ex Italia se venisse S. Francisci Xauerij iussu, qui multos annos in Iaponia Christi fidem prædicauerat, & plurimos ad eam conuerterat, atque adeò ipsum Bungi Regem, ac Optimates non paucos, qui Viri virtutes, & frequentia miracula admirati manus Euangelio, & capita Baptismo dederant. Atque ne fabulas à se fingi existimarent, ægritudinem, & liberationem ab illa explicauit breui compendio; quod stylo fusiore conscriptum paulò supra Lectori obiectum est. Veritas ex ore loquentis prodiens, fulgor quidem è fronte coruscans facilè persuasere Iudicibus, innocentem illum esse, & nihil mali contra Iapones moliri; sed ne viderentur legum Imperatoris contemptores, si impunitum relinquerent

rent earum violatorem aqua, igne, fouea, harundine, gladio in eum aduerti succedanea excruciatione imperant.

Primum Tormentum.

ERigitur furca, & capite inuerso deorsum Marcellus ea suspenditur cruribus diuaricatis. Subtus paratur doliare labrum aqua plenum, in qua caput narium tenùs immergitur, tum pedum vinculum magna vi torquetur, ac repente laxatur; interim caput, & totum corpus rapida vertigine rotatur, & mirè cruciatur; & quia reciproca rotatione, & immersione spiritus intercluditur, plerumque circumactus suffocatur; sed euasit his omnibus triumphator Marcellus, quia ad maiora supplicia reseruatus.

Secundum Tormentum.

DIrius hoc est priore. Scala oblonga construitur, in ea arctissimè circumligantur artus, libera tantùm relicta læua, si fortè cruciatus acerbitate victus reus eam pectori admoueat in signum eiuratæ religionis: caput extra omnes scalæ gradus eminens extat, in faciem vrnas aqua plenas sine intermissione ingerunt, & vim respirandi adimunt, ac sæpè vitam. Ad quadringentas in os patientis exoneratæ motu omni, ac sensu intercepto, mortuo similem reliquere: sibi à laniena restiturus in defectu, ac infirmitate carnis spiritum esse promptum, & ad acerbiora paratum palam testatus est. Interim in carcerem vinctus funibus, & catenis detruditur, & nouum examen, ac nouum tormentum ab iniquis Iudicibus excogitatur,

Tertium Tormentum.

HOc verò ob ingenui pudoris florem, & verecundiam castissimi pectoris custodem adeò male habuit Athletam fortissimum Christi, vt cùm cætera tormenta ardenter sitiret, & lætabiliter sustineret, huius indignitatem, & probrum non sit veritus exprobrare. Eductus è carcere in frequentissimo populi affluentis theatro sistitur, vbi accenso rogo gladij præacuti, & vnci ferrei inflammantur, despoliatur omni prorsus vestimento, cùm ignita isthæc ferramenta adiguntur in viscera per eas partes, quas natura etiam in belluis conctectas voluit. Non se continuit vir pudicissimus, quin impudentiæ, & immanitatis lictores argueret. Et vos, inquit, inter mortales omnes ciuilitatem, & vrbanitatem iactatis vestram, & non erubescitis Soli propalare humana membra, quæ sol ipse suis radijs obtegeret, si polleret sensu, & cùm vniuersum corpus vestræ crudelitati pateat, in eius arcana desæuire pergitis, vt inauditum sæculis facinus horridum, detestabile, barbarum exerceatis? Vapulauere ijs vocibus aures adstantium, lictorum etiam, qui pudefacti iussu Iudicum negantium se id pænæ genus statuisse nudum vtcumque velare permittunt, ast finem carnificinæ non imponunt. Recurrunt ab igne ad aquam, & duplicem illam affusionem instaurant, à qua excruciationem inchoauerant: atque ita iam quinquies tortus Marcellus adhuc spirat, & ad maiora tormenta suspirat.

Quinquies excruciatum vidit turba Gentilium haud absque dolore, & indignatione multorum crudelitatem detestantium. His accessit.

Sextum Tormentum.

AB aquis rursus feriari tantisper iubetur in carcere, vbi corpus constrictum vinculis iacet, animus alis orationis conscendit in cœlum. Adest lictor, & sententiam mortis à Iudicibus latam denunciat, ad cuius primum sonum exultauit Christi vinctus, & lætitiæ signa vultu, oculis, voce præbuit, & inter gaudia, ac preces sublimis ab humo tollitur, & splendore cingitur iam tertiò facies eius, non sine lictorum, & Iudicum stupore. Addunt Lusitani in ea vrbe commorantes, visam à se lucem vberem de cœlo descendentem carceri incubuisse, & tractum illum totum oræ propinquæ in noctis tenebris illuminasse. Mane facto dextera pars capitis abraditur, sinistra rubro colore inficitur, vtrumque ad ludibrium, & risum effusæ multitudinis, quæ confertim ad spectaculum accurrerat, sed irrito inuento: In tanta etenim turba, non sibilus, non cachinnus auditus est, sed mirum præter suspiria silentium commiserationis, & commendationis hominis insontis index. Ibat hic gaudens à laromijs ad fossam lacerna ad genua promissa nigri coloris tectus, equo impositus, vinculis constrictus, lamina ferrea aculeata obstructo ore, ne fari in via posset, nisi quod vultus hilaritate in cœlum conuersis luminibus, & patientiæ inuictæ documento eloquens erat ad persuadendum etiam Ethnicis sanctam esse legem, quæ eximios heroicæ virtutis fructus pareret, & sui sectatoribus robur daret, ad tam dira tormenta cum gaudio toleranda. Tergo Epigraphe grandioribus literis exarata appenditur, qua causa damnationis explicatur. Quòd videlicet contra Imperatoris Edictum in Iaponiam venisset, vt Christi fidem suis Dijs aduersariam prædicaret &c. Tandem ad supplicij locum ventum est, fouea hæc erit duobus cubitis circiter profunda, binis vtrinque tigillis, & tertio transuersali illa nectente præcincta, ac tabulis communita; in hanc Marcellum equo desilire iussum genuum tenus demittunt inuerso corpore, & plantis ad transuersum alligatis, hac vsi humanitate, vt præter morem purgatam sordibus scrobem indulserint, & pectus, ventremque obligarint, ad impediendam sanguinis in caput fluxionem, & viscerum pondus, vt lentiùs, & leniùs periret. Ita suspensum custodiunt milites Iudicum mandato, illique post quatriduanas excubias libratum, ac semisepultum, vel obijsse, vel extra se abijsse pro cruciatus immanitate existimantes, an ita sit, explorant: ast

aſt opinione falſi reperiunt vegetum, hilarem, & abſque vllo ſanguinis defluxu Deum laudantem, quippe non in fouea, ſed in paradiſi delicijs totum quatriduum exegit, animo ſemper in cœlum erecto, aut in vulneribus Saluatoris verſante, vnde vigor, & robur in corpus ipſum redundabat. Nunciatur à Lictoribus admirabundis inopinatus caſus Iudicibus, qui ne dies craſtinus Pagodo vni dicatus honori morte vlla fœdaretur, illam anteuertentes, cui foſſa parcebat, fauebatque decollationem decreuere.

Septimum Tormentum.

HAud ſemel prædixerat Marcellus diuinitus, non aquam, non ignem, non foſſam, ſed gladium carnificis ſibi vitam ademptarum, & fruſtra fatigari Iudices, lictoreſque in aggerendis tormentis, quoad è patibulo riuos ſanguinis ex abſciſſis ceruicibus fluentes aſpiciant.

A ſpecu igitur lethali extrahunt illudentem morti, & illuſionibus. Hic vultu hilari, ac interrito flectit humi genua, oculos in altum tollit, vt qui ad nuptias properaret, feſtinauit ad metam diù optatam, & intimis votis expetitam. Adeſt carnifex non minus lacertorum firmitate robuſtus, quàm artis ſanguinariæ exercitatione callidus, & exertam dexteram totis viribus concitans in Marcelli ceruicem impauidam librat. Mirum dictu, lethalis mucro Iaponica acie ſilices diſcindere valens ad primum carnis molliſſimæ tactum ſtat immobilis, & circa venas torpet innoxias. Obſtupet effuſa multitudo, & ignauiæ, aut imperitiæ carnificis inſolentiam facti minimè adſcribendam rata, innocentiæ tribuebat rei. Auxit opinionem ſecundus ictus eò languidiùs iterum in colli tenera plana delapſus, quò validiùs à percuſſoris brachio fuerat incuſſus; etenim leuiter tantum extimam perſtrinxit cutem, & raſuræ modicæ ſignatorius fuit, non inflictor vulneris. Hic attonita turba circumſtans, quàm libens fugato carnifice innocentem vindicaſſet, quem ferrum lædere recuſabat, certè tacitis votis impensè liberationem depoſcebat, ſed pœnarum metu à crudeli Imperatore infligendarum, violentiæ pepercit, & carnifex ipſe pudefactus, horroreque miraculi percuſſus hærebat anxius, ac dubius, an victa dextera intorqueret impetum, irritum tertiò caſurum, niſi à Marcello certior factus vim ſuam mucroni, & manui redituram, ad perficienda Iudicum mandata animaſſet; qua facta hortatione, inter ſanctiſſima Ieſu, ac Mariæ nomina repetitum excipit ictum, & in cœlum auolat. O diuinæ potentiæ ſublimanda poteſtas, libet exclamare cum Hieronymo, qui priùs fuerat ſecundò percuſſus, nec læſus, ideò poſt paululum permiſſus eſt mori, vt prædictio ſancti Apoſtoli Franciſci de morte ſanguinea impleretur, & adimpleret diſcipulus, quæ deerat Magiſtro mortis in odium Chriſti tyranno ſæuiente paſſio vehementer optata, & Marcello reſeruata.

Indicauit dolorem ſuum ſpectatrix barbaries vultus mœſtitudine, ſuſpirijs, lachrymis. Ipſi etiam ſatellites eorum teſtes, quæ per dies carceris, ac ſuppliciorum in dictis factiſque, ac mira Marcelli patientia aduertebant, palam dictabant, ſi quando liberà fandi facultas daretur, ea ſe manifeſtaturos, quę admirationem orbi parerent, & iudicibus pudorem, ac pœnitudinem incuterent.

Octauum Tormentum.

HAud fuiſſe iſtud poſtremum in comperto eſt, ſed loco poſtremo ponitur, tùm quia quem ordinem inter numerata teneat, incertum; tùm quia quale id fuerit, Luſitanorum Literæ Nangaſachi degentium non explicuere, cùm tamen explicatione egeret, ad tollendam, quæ in nominibus latet, æquiuocationem. Scripſere videlicet Marcelli tormentis reliquis additum illud eſſe, quo arundinibus plerumque damnati torquentur, quod vtrouis ex duobus modis inferatur, eò crudelius eſt, quò debilius inſtrumentum eſt crudelitatis. Vel enim arundines exacutæ ſummis digitis inſeruntur, & acutiſſimis veluti ſpiculis carnem ab vnguibus ſeparantes ſpaſmi cruciatum creant: vel reſina, pice, ac ſulphure oppletæ in fumiſtigium lethale euadunt, quod naribus adhibitum olidiſſimo ſuffitu reſpirationem impedit, cerebrum inuertit, & plerumque ſuffocat animam, & ab artubus ſeiungit. Et in hoc ſibi ſimilis Marcellus gaudens exultat, ac Deum benedictione compellat, qui vires dat ad patiendum fortiter arundines, aquam, ignem, deſiderium acuit ad ſanguinem fundendum pro ſui amore, & gloria, & Iaponum conuerſionem aliquando futuram.

Huc ades cæca hæreſis, & mentem ad priora tempora conuerte Martyrum coronis glorioſa, quos impia perſecutio quæſitiſſimis tormentis excruciatos victimas Deo acceptabiles effecit, & renouata in Iaponia fateare, ſiue multitudinem eorum ſpectes, qui pro fide catholica generoſè certantes palmas retulere, ſiuè ſæuitiam recolas tyrannorum, qui eam abolitam à ſuis Regnis voluere, ſiuè multiplices torquendi modos, quos Dirę, & Erebi furiæ ſuggeſſere; ſiuè conditionem fortiſſimorum Athletarum, quos vndæ ſuffocarunt, vel rogi ardentes, & flammæ concremauere, vel lento, ac acerbo funere abſorbuere, vel carcer, pedor, pedicæ, inedia, fames, colluuies confecere; vel acinaces, mucrones, gladij peremere; neque debiles modò ſenes cum iunioribus numerabis inter illos; ſed & imbelles fœminas, ſed & ab earum vberibus vix auulſos infantes triennes, quinquennes, ſeptennes, quos tam alacres currere ad ſupplicia cum parentibus vidit Gentilitas, vt pertinaciæ ſit intolerandæ inficiari, à ſpiritu, ſexu, ætate humanitate ſuperiore impulſos fuiſſe, & impietatis ſtultiſſimæ ad confirmandam falſitatem iniectum illis robur celitus ſubminiſtratum ab eo, qui ſumma bonitas eſt, & pares antiquis per omnia recentes facit martyres, vt hoc etiam teſtimonium euincat, eamdem eſſe Eccleſiam, quæ hodièque ſanguine Martyrum purpuratur, cum illa, quam in ſui exortu priſca ſæcula in mortibus frequentibus triumphantem cernere meruere. Quòd ſi illam veram fuiſſe

Eccle-

Ecclesiam affirmare cogaris, & hanc omninò similem veram esse concedas oportet;& quod est consequens verum, legitimumque vnum esse Pastorem, qui ipsi præsidet, & pro cuius Primatu decertant,qui pro fide tota,ac diuisa moriuntur; præsertim cùm sint viri pij à vitiorum inquinamentis alieni, ad Euangelij normam vitam ducentes, & Christi amore feruentes, pro quo sanguinem profundere felicitati ducunt ipsis pœnè cœlitibus inuidendæ. Profectò si hoc argumentum fallax est, dicere quis non vereatur, decepisti me Domine. & deceptus sum, quæ nemo sanæ mentis vsurpet de illo,qui est summa bonitas, primaque, & indeficiens Veritas, quæ nec decipere potest, nec decipi, etsi iustissimo iudicio à deceptorio spiritu illudi permittat eos,quibus volupe est viuidæ fidei, ac morum regulæ refragari.

CAPVT XIV.

Multitudine insignium nostri sæculi Sanctorum probauit Deus Primatum Pontificum Romanorum.

1 *Prouidentia diuina erga suam Ecclesiam elucet in sanctis hominibus,quos excitare non cessat ad fidei confirmationem.*

2 *Talis fuit S.Carolus Borromæus, cuius vita ad Euangelij amussim traducta censura fuit vitæ Nouatorum, & ducis eorum.*

3 *Illa argumentum est veræ religionis,& Primatus Pontificij ab ipso culti, præsertim additis miraculis innumeris.*

4 *Similis ei fuit Cardinalis Franciscus Rupificaldensis Episcopus, & Magnus Franciæ Eleemosynarius.*

5 *Accedunt S. Philippus Nerius Fundator Congregationis Oratorij Romæ; Camillus, de Lellis fundator Religionis Clericorum Regul. ferrientium infirmis.*

6 *Numerantur alij, qui post hæreses nostro sæculo exortas sanctitate floruere.*

QVæ talia persequentem stylum reuocat ad sui considerationem,Psalmistę Sancti Hemistichium *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Magna sanè misericordia, quæ sedentibus in tenebris, & vmbra mortis Gentilium populis lucis suæ effudit radios, & Euangelio imbuendos virorum Euangelicorum prædicationi, curæque commisit. Iudicium porrò exercere Summæ Bonitati libitum est cùm Satanæ permisit in partes Aquilonares frigore torpentes irruere, & diù in sinu parentis Ecclesiæ Catholicæ enutritas auellere, & Orco fœdissima fœderatione conglutinare. Verùm & in æquissima miserendi; iudicandique libratione superexaltat Misericordia Iudicium, quod damna per inferi emissarios Septentrioni illata non modò per viros Apostolicos in vastissimis Indiarum Orientalium, & Occidentalium regionibus compensata sunt, sed & Europa abundè Domini miserationes expedita canere cum eodem diuino vate potest *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Nimirùm integræ eius prouinciæ non paucæ, neque deteriores ab hac peste præseruatæ sunt, & quæ attactę miserè fuerant, paulatim sanitati pristinæ restituendas speramus virorum sanctorum opera, quos hæresi, & eius patronis opposuit Dominus, haud absimiles Athanasijs, Basilijs, Nazianzenis, Hilarijs, qui castra vetterunt Arianorum, & fortes in bello facti in faciem Imperatorum hæresiarchis fauentium restiterunt; Qui modus fidei catholicæ defendendæ opportunus cum sit, concertationes tamen, contentionesque mutuas secum fert, & victorias plenas laborum reportat. Ille sine verborum strepitu facundus est,absque rixarum amaritudine quietus,persuadendi facultate efficax, quo diuina prouidentia vsa est in suæ Ecclesiæ causa aduersùs hæreticos defendenda, cùm non modò Doctores, qui scriptorum, & disputationum pugnent armis ei prouidet; Sed & homines excitat sanctitate insignes, qui virtutum heroicarum actis, & rerum admirabilium effectione probent non falli credendo, qui tam potentes sunt operando, nec attestandæ fidei eorum Deus adsisteret,si falsa esset.Tales videre nostra sæcula, quos Gallia, quos Germania, & copiosè Hispania, ac Italia protulere, quorum vitam, mortemque gloriosam intuentes, vel oculis, vel relatione minimè dubia percipientes Sectarij, aduertere deberent fidem, quam tam illustres comitantur virtutes, quam tot miraculorum confirmant operationes esse antiquam, veram, ab Apostolis prædicatam; falsam quam ipsi prædicant.

Prolixioris esset operis per Ecclesię campos excurrere, & in singulorum insistere commemoratione, quos illi concessit Deus excelsos homines, qui velut arbores fructuosæ eximios Sanctitatis flores, fructusque protulere, ex quorum comparatione cum ijs, qui noualia, sibi Sectarum noua ferucre, constet, quæ sint arbores fructiferæ, æstiuales, plantatæ secus decursus aquarum, quæque Autumnales; bis mortuæ in terra deserta, & inaquosa humore carentes, infœcundæ.

Prætermitto multos, qui Europæ, imò & Mundi totius nati bono, vbi vera regnat religio à Nouatoribus impugnata, vbi legitimus eius sedet Pastor, ac Princeps dictis,& facinorum admirabilitate declarauere, vnus satis esset S.Carolus Borromæus Mediolanensis Archiepiscopus, cuius vel sola appellatio Primatus Pontificis Romani, & totius Ecclesiasticæ disciplinæ confirmationem sonat. Hic à pueritiæ, & adolescentiæ aurora ad perfectam, vsque diem virtutum splendore fulgens, in viuum migrauit solem, & orbem totum sua luce collustrauit.

Nam priscos Episcopos æmulatus, qui sua castigauere corpora, & in seruitutem redegere, vt regnanti spiritui locum darent, adeò seuerè ieiunia coluit, vt panis, & aquæ exiguo dimenso contentus, nihil præterea obsonij, etiam vilioris à pauperculis gustari soliti adhiberet, cumque per annum integrum ita victitaret, diebus sanctioribus modicum hoc minuebat, & cum paucis caricis, vel lupinis, vnda maceratis commutabat. Conferte Nouatores mensas Magistri vestri, & vestrarum sectarum antesignani, & iudicate, quæ nam magis consormes Sanctorum men-

mensis sint symposiaca ne illius conniuia, & in hauriendis plenis vino crateribus certamina, an huius Diui exigua frigidæ pocula? Huic pro lecto nudi seruiebant asseres, vel quando hortatione vehementi Episcoporum, ac Pontificis iussu mollire oportuit, vile tantùm stramentum supposuit palearum, in quo fessa labore membra per horas pauculas reclinabat; Cilicium setis asperum erat indumentum intimum, nusquam exutum, eisque puncturis acutis cutim fodicantibus ærei flagelli flagra dira carnem lacerātia superaddebat. Vobis tormenta istiusmodi risui sunt, in mollibus cubilibus stertitis ad multam diem, & exemplum sequimini ducis, doctorisque vestri, qui cum Borana sua post hilarem potationem Cypridi se litare gloriari non erubescebat; saccus, flagella, humi cubationes, & id genus carnis afflictationes, Sanctis familiares, ita vobis exosæ, vt ne audire quidem nomen sustineatis, quia animas vestras amatis in hoc mundo, in vitam æternam perdituri. Oratio Diuo Carolo cibus electus erat, & pabulum suaue, quo mentem insatiabiliter saginabat, noctes integras in ea traducere haud raro consueuerat, neque ab ea per dies cessabat; nisi officij pastoralis necessitas, aut proximorū charitas actionem interserere contemplationi cogere, nunquam tamen à cœlestium cogitatione diuulsam. Materias illi meditandi Christi passio potissimùm subministrabat, quam neque corporalis refectio illa modica interrumperet, sed iuuaret. Obseruabant curiosi quidam domestici eius in hunc modum prandere solitum. Aperti erant sacrorum Bibliorum codices in mensa, non edulijs alijs, quàm pane hinc, & aquæ amphora onusta, Inde Crucifixi Christi Domini effigie honestata sumebat panis bucellam, & sententiam è libro perlegebat, ac identidem pendenti Crucifixo oscula libabat, & frigidæ potum cum fletu miscebat: Et quòd se inobseruabilem in hac scena putaret, post mensæ lautitias istiusmodi se dabat in preces, aut potiùs eas continuabat, aut lectioni incumbebat, quoad aures præbendæ ijs, qui negotiorum ad ipsum adibant.

Tantus illi pudicitiæ amor, vt cùm mortuo Friderico fratre ablata esset propagandæ spes familiæ, & affinium, plerique etiam, atque etiam suaderent, vt purpuram nondum inauguratam sacris, cum honesto coniugio commutaret, & ipse Pontifex auunculum ad hanc mutationem maximoperè propendens curaret per idoneos hortatores constantem in cœlibatu nepotis animum flectere, sparsere illi in ventos verba nihil præter sæcularia sonantia, & ad hæc surdo occinebant, quia audiebat meliora loquentem in se Dominum Deum, & castimoniam ab adolescentia adamatam, & cultam gemmam reputabat Euangelicam cunctis diuitijs, & voluptatibus anteponendam.

Sed quæ oratio charitatem eius in proximos exæquet? pro salute animarum suæ curæ commissarum non pepercit laboribus intolerandis, non vigilijs, non itineribus, non periculis, pro incolumitate corporum, amplissima vendidit patrimonia, & egentibus distribuit; domesticam quin etiam supellectilem distraxit, & pretium indè contractum eleemosynæ addixit egenorum: in eamdem annuos redditus, detractis ad familiæ sustentationem necessarijs, totos insumpsit adeò liberaliter, vt diceret decens esse Mediolanensem Episcopum, aliquot etiam millia æris alieni contrahere singulis annis, vt pauperum necessitatibus subueniret. Sed nullo aliàs tempore hic pastoralis amor, ac sollicitudo se luculentiùs in gregem suum prodidit, quàm cùm pestis truculenta Vrbem Mediolanensem infanda mortalitate inuoluit, ac pœnè deleuit; tunc enim ad paupertatem fermè redactus ipse, modum inuenit, quo septuaginta millibus capitum, ne fame, morboque extinguerentur, prouideretur, & ne vllum inexpiatum sacramentis mors abriperet: vnum se fecit ex ministris, quia illa conferrent opportunè, vitæ contempto discrimine, & retrahentium à tam manifesto mortis periculo amicorum consilio posthabito, excellentiori Saluatoris asserentis, quod *bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis*, & exemplo suo pro mundo moriendo confirmantis.

Reliquæ Diui virtutes cùm à scriptoribus eximijs posteritati sunt commendatæ, tum verò in ore plurimorum versantur, vel qui testes oculati fuere eorum, quæ scribuntur; vel ab illis accepere, qui interfuere cum admiratione narrantibus, & vno ore fatentibus iubar hoc illuxisse Mundo, vt intelligeret oppositum à Deo tenebrionibus aquilonaribus Carolo dissimilibus, ac infensis, vel ob id maximè, quod acerrimus propugnator, & cultor Primatus Romani Pontificis fuit, & Tridentini Concilij hæresum expugnatoris promotor, vnde religionis incrementum Ecclesiasticorum, vbi opus erat reformatio, ac pestifera damnata Nouatorum deformatio.

Et ne quid ad discrimen hoc veræ à falsa religione cognoscendum desideraretur; virtutes, quibus affatim serui sui ditauerat animum miraculis in vita, & post mortem innumerabilibus decorauit Deus. Indices sunt tabellæ, & anathemata templi maximi parietibus appensa tam multa, & grandia argento, auroque cusa, vt prodigiosum apparatum præferant, cùm certis festis exponuntur. Tu quidem Sectari deludis pompam adeò magnificam, vt censeri queat vnum ex Mundi mirabilibus, eò quod redditas sanitates ope Caroli tam copiosas inficiris, aut Dæmonum arte præstitas ad decipiendos homines mentiaris: sed quàm multi superstites eorum, qui in desperatis malis persanati sunt mendacij te, aut stultitiæ coarguant, qui negas ea, quæ ipsi in suis experti sunt corporibus, & amici, ac propinqui oculis vsurpauere? Nam quod præstigijs Dæmonum hęc mira adscribas egregiam irrogas diuino Numini ipsi iniuriam, quod suum implorantibus auxilium per Sancti intercessionē fucum faciat, & suæ reddat participem potentiæ Diabolum in ijs præstandi, quæ vim omnem naturæ excedunt, quod addi oportet ad discriminandas operationes magicas, quibus Dæmones vel applicando actiua passiuis, vel illudendo sensibus decipiunt humanum genus, dum quædam operantur, quæ insolita vt sint, & mira appareant, ad miracula tamen non pertingant, de quibus in Ps. dici-

dicitur, *qui facit mirabilia magna solus*, quia videlicet solus est naturæ auctor, Dominus potens de illa, & per illam, & super illam facere quicquid vult, quod priuilegium est Omnipotentiæ illius nulli concessum. Cum igitur in tanta effectuum admirandorum S. Caroli multitudine plura numerentur naturæ etiam Angelicæ viribus superiora, causam ipsorum inquirentibus recurrendum ad Increatam est, quæ cum infinitæ virtutis sit, ad omne possibile se extendit; & cum infinitæ bonitatis homines ad se, & Sanctos suos recurrentes minimè decipit, neque mendacibus spiritibus permittit, vt tanta mirabilium operationum frequentia in errorem inducant, vel confirment in superstitione fidelium cœtus, vt proinde intolerandæ sit amentiæ, ac improbitatis effugium Pharisaicum à Nouatoribus innouatum *in Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*, cum negare nequeant, & Dæmonum ab obsessis expulsiones, & cœcorum illuminationes, & mortuorum suscitationes, & similia, quæ Sanctorum impetratione Deus in Ecclesia sua operari non desinit ad eorum declarandam Sanctitatem, & fidem in suo vigore, & Sede Apostolica confirmandam. Hæc innuisse libuit, vt constet qualia Primatus Romani testimonia suppeditare perseueret Ecclesiæ suæ fundator illius Deus, quæ irrefragabilia cum sint, mirum est, qua fronte refragentur Acatholici, præsertim, qui præditi iudicio, & aliqua literatura sunt, quibus facilè esset, vtpotè in sacris literis non peregrinis ideam quamdam Euangelij in Sancti Caroli vita expressam agnoscere, atque inde conficere; Non potuit hæc signa facere homo, nisi Deus esset cum illo, & vera fides, ac charitas habitassent in corde eius, fuit hic defensor principatus Romanorum Pontificum, hostes igitur, & destructores eius vera fide, & charitate carent, quia fidei articulum pernegant.

Persimilem Sancto Carolo Cardinalem peperit Gallia nostro æuo Franciscum Rupificaldensem Episcopum priùs Claramontanum, deinde Seluadinensem Magnum Franciæ Eleemosinarium, cuius vita, & gesta mirabilia scripta sunt à P. Petro Royerio Societatis Iesu, & à R. P. Moriniere Canonico Regulari S. Augustini. Valida in pacis id generis argumenta abundè ministrant Roma, cuius vt obscurent nomen inimici eius morum corruptelas amplificant, sanctitatem dissimulant, aut inficiantur; quia vti talpæ ad immensam cæcutiunt lucem, & præposterè vbi de fide, & Pontificatu agitur, argumentantur; nam & fidei dogmatum inuiolata Sedes est, ac æternum domicilium doctrinæ ab Apostolis proseminatæ; & quod ad mores attinet, & etsi fallax argumentatio est à moribus veram fidem dimetiri; tamen Roma perpetua parens est insignium sanctitate virorum, qui suo nitore obruere maculas possent, si quas habet cum tota humanitate communes, aut etiam singulares. Missos facio antiquos, & recentes plures, quos in suo sinu complexa fouit, & celebres orbi fecit. Vnus Philippus Nerius est Pontificum amator, & à Pontificibus amatus ad hæreticorum confusionem, & Catholicorum consolationem Vrbi donatus, & Orbi ob virtutum decora, quæ illorum vitijs maximè aduersantur, quorum pauca attingo breuiter, cætera, quæ plurima sunt, & maxima nosse cupidos ad vitæ scriptores amando.

Hic à teneris vnguiculis ad extremum vsque senium virginitatem impensè adamauit, vt de mortali contagione liber in Angelicam migrasse naturam videretur. Ideòque Angelorum Reginæ tantopere carus fuit, vt præter reliqua cęlestium gratiarum dona ipsi collata, aspectabili specie se ipsam visendam sæpè exhiberet, & familiari colloquio dignaretur. Diligentia autem in huius custodia thesauri posita quæsitissima fuit. Ieiunium fermè perpetuum, & cibus semel in die degustatus ita moderatus, vt vix vitæ sustentandæ esset satis, & ipsi medicinæ periti affirmare non dubitarent haud minimè suffecturum, ni diuina virtute alimenti parsimonia compensaretur, præsertim cùm triduum in abstinentia ab omni esca traduceretur, & à labore proximos iuuandi nulla esset cessatio, & oratio nusquam interrupta, quia mens perpetuò affixa cœlestibus erat, etiam cum ad terrena tractanda charitas à contemplatione auocaret. Sed statuta huic tempora dabantur, diurnæ videlicet horæ quotquot subducere se ab hominum conuersatione, ac seruitio honestè poterat; & nocturnæ quot quot modicus somnus naturæ necessitati cōcessus, liberas relinquebat, vel insomnis, quod frequenter fiebat integras in sacra meditatione, & diuinis colloquijs domi, aut foris in Martyrum cryptis consumebat. Quæ quàm mellita, quàm suauia, quàm feruida essent, ipse, qui experiebatur explicare poterat, cæteri ex eo coniectare, quod longa in illis traducta tempora breuis oranti mora videbantur. Sed est argumentum certius ardoris, & intimæ cum Deo, qui ignis consumens est, coniunctionis, quod flamma interiora depascens adeò cor accenderat, vt pręcordia dilatarentur, vt adiacentes costæ loco motæ extuberarent. Crescebat hoc incendium in pectore sacrificij tempore, antè cuius absumptionem binarum, ternarumue spatio horarum solus ex condicto cum administro in clauso sacello relictus, iam non vt homo, sed vt Seraphinus alter, amoris alis in sinum auolabat Trinitatis, & audiebat arcana verba, quæ non licet homini loqui, nisi quod ex vultu, ex incessu, ex locutione mirabantur domestici, veluti de cœlo reuersum totum cœlestem apparere; prædicabant externi virum esse inter mortales mortalitate maiorem.

Resipiscite Nouatores, & intendite si sapitis oculos in tantam lucem, quæ de cœlo illuxit Mundo. Excellens vitæ sanctimonia Philippi nota est Angelis, & hominibus, nec nisi à phanaticis negari potest, hanc secuta sunt miracula, quorum numerum testantur, & appensæ in templo tabellæ, & homines, qui proximo sæculo familiariter cum ipso conuersati sunt, atque oculis perspexere, quæ in publicis canonizationis Actis descripta, diligenter à sacris Iudicibus excussa sunt, & à vitæ scriptoribus accuratè, fideliterque ad posteros sunt transmissa. Et hæc pariter argumenta sunt veræ fidei, & Primatus Romanorum Pontificum, de quibus ille cum

alijs nominibus benè est meritus, tum hoc maximè, quod Cœsari Baronio ex suo alumno, Cardinali creatus, auctor fuit, & impulsor vehemens, vt ad excelsum Annalium Ecclesiasticorum opus animum, & manum admoueret, quo nihil fieri poterat aptius ad antiquæ fidei, & Primatus Romani Pontificis firmitatem stabiliendam, quæ maxima ex parte ab historiarum narratione pendet, quibus Christi institutioni demonstratur esse tribuendam.

Sub idem tempus suppar Philippo Sydus videre meruit Romanum Cœlum Camillum de Lelijs Ord. Clericorum Regularium infirmis Ministrantium fundatorem, cuius vocatio à solutioris vitæ libertate ad Euangelicæ sequenda consilia Pauli, ac Augustini conuersionem præfert; progressio in pietate, & operum salutarium frequentia indefessa magnis illis heroibus adsocianda, de quibus Ecclesiasticus, *sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt*; finis omnino gloriosus, siue animæ sedes spectetur, quam inter Seraphinos ipsi designaram cum viris sapientissimis arbitramur, siue corporis sepulchrum, quod incorruptum illud depositum, & nulla parte violatum seruauit pluribus annis, vt testis est Roma, & populus affluenter accurrens ad D. Magdalenæ, vbi in die obitus anniuersario exponi consueuerat spectandum, tangendumque, ceu si pridie spiritus à tabernaculo illo suo auolasset: Inde concursus ad eius implorandam opem innumerabilium omnis sexus, & conditionis hominum; quos variæ morborum species vexabant, aut aliæ necessitates eò impellebant, vbi præsens auxilium à sui Patroni benignitate referebant. Vixit is ætate nostra, & nos à parentibus nostris mira, quæ de illo nobiles prodidere scriptores tamquam à testibus oculatis accepimus. Prima quidem, quod adolescens non modò literarum ignarus, ac rudis; sed moribus etiam dissolutus, ac vagus, ita se formandum, regendumque à Spiritu Sancto crediderit, vt de pumilione factus gygas Institutum religiosorum virorum fundauerit, propagaritque, qui vitam, ac vires Infirmorum obsequio deuoueant, ac tribus consuetis, quartum professionis suæ votum hoc adiungant: In cuius molitione operis, & difficultates omnes superauit, & sapientum mundi aduersantium iudicia elusit, quia manus Domini erat cum illo, & propitios Summos Pontifices habuit, quibus licet improbaretur religionum multiplicitas; hæc tamen non probari non potuit, cuius vtilitatem, imò & necessitatem in Christiana Republica peruidebant. Deinde non legibus solùm, & ordinationibus nascentem suorum cœtum stabiliuit, & seipsum formam gregis exhibens exemplo sodales præsentes animauit, & posteros erudiuit, quomodo exhibenda sit infirmis seruitus, charitas benè valentibus. In quo mihi probabile nobilis vitæ Scriptoris vnius visum est effatum. Non reperiri videlicet in Ecclesiæ castris vnum quempiam clarum misericordiæ laude illo superiorem, quod argumentis non tam ad laudandum excogitatis, quàm ad probandum ductis probè demonstrat. Laborabat ipse quinque infirmitatibus, quas Domini misericordias quinas nuncupare solitus erat, & egebat earum quælibet curatione, & quiete; nihilominus medicamen ipsi, & cura contemptus erat corporis peius hoste tractati; pro quiete laborem assiduum, asperumque tolerabat, durum, acerbum, ac vix humanis viribus tolerabilem, alieno iudicio, non suo, qui se militem aquæ dulcis, ac delicatum vocitabat: quam epithetorum congeriem à vero sensu humilitatis profectam consentientia comitabantur facta, victus parcus, afflictatio carnis, vigiliæ, flagella, cilicia, perpetua sollicitudo infirmorum tam in Nosocomijs, quàm in domibus proprijs decumbentium, à quibus inuisendis, solandisque non arcebant noctis tenebræ, non imber, non venti, non dolores intimi, præsertim cruris plaga insanabili cruenrati incessum præpedientis; ob quæ fortiter, & indomita patientia tolerata, non asello, vt ioco se conferebat; sed viuo Martyri, vt viri prudentes censebant, conferendus erat, quippe qui se hostiam viuentem per assiduam corporis, animique mortificationem exhiberet.

Deindè verò adeò se Misericordiæ possidendum dederat, vt miseros omnes, egenos, ægrotos, vlcerosos, elephantiacos, leprosos, & quauis alia infirmitate horridos, vel studio quæsitos, vel casu obuios amore complecteretur, foueret ope, manu curaret, calida ablueret, cibo recrearet, quæque similia præstaret, quæ parentes tenero erga filios languentes affectu præstare solent. Dicam maius aliquid, & vix credibile, quia nimis insolitum. Viri misericordes, quos vrget charitas, & ad subueniendum alienis infirmitatibus impellit, eò maximè laudantur, quòd nauseante natura ad aspectum fœdum, tetrumque odorem iacentium ægrorum, seipsos generosè vincunt, & olentia membra attrectant, absterguntur, purgant, osculantur, & quod Sancta Catharina Senensis, & S. Franciscus Xauerius aliquando aggressi sunt, saniem exsugunt. Et hanc excellentem victoriam, & dignam admiratione, ad sydera vsque extollimus. Admirabilior est Camilli in hoc genere gratia, ipsum supra culmina virtutum heroicarum euehens. Etenim ex vsu perpetuo victoriarum id generis ita adaucta est, vt in naturam versa, vel potius naturam in se ipsam conuertens, in fœtidum quemlibet, ac purulentum incurrens impetu valido ad eum fouendum impelleretur, & intima cum iucunditate præstò illi esse, ac exquisitè deseruire. Visus est haud rarò blandiri præsertim in Nosocomijs vlcerosis, ac lepra infectis, eos amplecti, osculari, & quorum valetudinarij seruitia halitum ferre non poterant, & præsentiam horrebant, ipse illis adsistere, lectos sternere, cibum ministrare, dulcibus solari alloquijs in summa ponebat voluptate, quod in ijs speciem sibi animo fingeret eius, quem præuidere Vates sacri in spiritu quasi leprosum, despectum, ac virorum nouissimum. Cum tamen non nescirent Primum esse hominum, & Angelorum, quem instituerat Deus in suo decreto hæredem vniuersorum, per quem factus erat, & sæcula. Ad huius repræsentationem extra se in illum raptus audiebatur ab obseruatoribus inter oscula, & amplexus leprosi cuiuspiam ita proloqui: O mi frater, meum cor, meum delicium, mi Christe, mi dilecte Saluator,

M quia

quia videlicet, totius humanitatis nostræ oblitus, & sui impotens solum Christum non habentem speciem, neque decorem in illa fœditate contemplabatur, & deliciabatur. Quò vlterius misericordia, & miseratio in miseros progredi poterat? At in eleemosynis erogandis liberalitas eius non aptiùs exprimatur, quàm si dixeris, plus illum fecisse, quàm posset, quod nimirum pauperrimus sine pecunia, sine patrimonio, sine censu, plurimos pauit fame pereuntes; vagis per Vrbem tecto, veste, omni humano subsidio carentibus hospitium prouidit, tempore pestilentiæ, & caritatis annonæ turbæ innumeræ egenorum Romam confluentium industria, labore, sollicitudine, plusquàm dici potest exquisitissima diu, noctuque adesse mirata est ciuitas, obstupuere ipsimet peregrini maxima parte per suum hospitatorem à morte liberati. Corrogabat ille quidem à diuitibus, & ab amicis pecunias, alimenta, medicamenta; sed si hæc non sufficerent, exhauriebat officinas domesticas cibarijs, pannis, supellectili, & qua erat opinione probi hominis, & Deo chari facilè inueniebat, qui mutuò darent, & inuentus tandem est debitor triginta millium aureorum ob æs alienum contractum non alia spe soluendi, quàm confidentia in Deum, cui se dicebat fœnerari miserendo pauperum.

Non inueniret oratio finem, si cunctorum numerandis virtutibus, ac miraculis insisteret eorum, quos Deus, qui permisit lapsus hæreticorum nostrorum temporum, erexit ad solium sanctitatis eximiæ, vt inde lucerent Ecclesiæ tamquam luminaria, quorum aspectu recrearentur fideles, & in fide confirmarentur cognita perfidia eorum longè dissimilium, quos ab eorum diuulsit cœtu, superbia, intemperantia, amor sæculi, vno verbo Princeps tenebrarum, hostis capitalis Romani Pontificatus. Tales fuere, vt breuiter nominentur Franciscus de Sales Episcopus Gebennensis Institutor Monialium Visitationis Beatissimæ Virginis, cuius vita admirabilis, & scripta doctrinæ, & pietatis plenissima digna visa sunt, quæ in publicas relata tabulas, Romanis tribunalibus discutienda proponerentur ea gratia, vt Beatorum albo tantus vir adscribatur.

B. Thomas de Villanoua priùs Augustinianus Monachus, tum Episcopus Valentinus imitator Episcoporum, quos Ecclesia colit vt sanctos, & nullum habens in distribuendis eleemosynis superiorem.

B. Saulus è præclara Religione Clericorum S. Pauli, qui euectus ad Episcopatum Papiensem, virtutibus, & miraculis inclaruit.

Quid de religiosorum Ordinum fundatoribus S. Ignatio Societatis Iesu, B. Caietano Clericorum Regularium Theatinorum, Beato Hieronymo Æmiliano Congregationis Somaschæ, & quod mirum, ac mirabile in fœminis est S. Teresia Carmelitani Instituti ad pristinum rigorem reductrix, cui viri, ac mulieres spectatissimi adeò multi se addixere, vt orbis plures prouincias, & numero, & gloriæ doctrinæ, ac pietatis oppleuerint.

Adde Confessorum Catalogum, qui corporibus in terra ambulantes in cœlo mente fixi cœnobia sacrauere, mundum in sui admirationem rapuere. B. Ludouicus Bertrandus ex clarissimo Ordine Prædicatorum Sanctis Hyacinto, & Raymundo, Vincentio Ferrerio, Petro Martyri, & alijs pluribus gloriosissimi eiusdem Ordinis filijs adnumerandus, B. Aloysius Gonzaga, B. Franciscus Borgia è Gandiæ Duce tertius Generalis Soc. Iesu, B. Stanislaus Kostka Poloniæ decus, flos adolescentum puriorum, delicium Virginis Beatissimæ, & Angelorum, B. Andreas Auellinus, B. Petrus de Alcantara clarum lumen Franciscanorum de Obseruantia, B. Felix de Cantalicio primus Capuccinorum declaratus Beatus ex millenis alijs hoc honore dignis, eiusdem Sanctissimi Ordinis alumnis.

Et ij quidem cum alijs multis à Bozio signo 57. numeratis, & pluribus innominatis, ac Deo notis non aliam secuti sunt regulam, quàm quæ in Euangelio traditur Christum propiùs sequi volentibus, & ij omnes fuere homines pleni fide, ac diuino lumine collustrati, qui Romano Pontifici ceruices inclinauere, atque vt totius Ecclesiæ Patrem, ac Pastorem coluere. Proferant Sectarij ex suis gregibus ijs pares, qui ingem in suis corporibus Christi mortificationem, tulerint; qui dierum, noctiumque plures horas in oratione consumpserint; qui sæculi pompis, ac voluptatibus valedixerint, qui omnia quæ habebant pauperibus erogauerit; qui ad ægrorum, & egenorum seruitutem suas animas, & corpora dedicauerint; breuiter qui consilia Christi sectantes apicem perfectionis attigerint. Non inuenitur huiusmodi thesaurus in agro hæreticorum, neque talis sapientia in terra suauiter viuentium, requiescit, quam seruat Ecclesia, nec doctrina morum, libertati carnis, quam illi adamare docti sunt, aduersaria inibi floret: Et respondeant, si possunt, argumento minimè solubili. Isti abnegarunt semetipsos, oderunt animas suas, reliquerunt quæ possidebant, portauere crucem, arctam viam ingressi sunt, secuti sunt Christum, & consilia eius seruauere, Nouatores verò vnica fide contenti hæc omnia, quà irrident in Catholicis, quà non necessaria, vel superflua, vel mala esse asserunt. Igitur Euangelio renunciant, & Apostolorum epistolis carnis mortificationem, & vsum Crucis continuò inculcantibus repugnant. Quibus igitur credendum, illis ne, qui Primatum Romanum vtì Sacrosanctum principatum venerantur, an istis inimicis Crucis Christi illum abolere tentantibus?

OPVS DEI ADMIRABILE

PARS TERTIA.

Primatus Romani Pontificis, honor ab Imperatoribus, alijsque Principibus Ecclesiæ Romanæ, & Summis Pontificibus delatus.

PRÆFATIO.

VT nulla inter sæculares præstantior est Dignitas, quàm Imperatoria, ac Regia, ità nullus Honor maior est, quàm qui ab Imperatoribus defertur, ac Regibus; sicut enim offensa vilitate offendentis augescit, ita honoratio dignitate honorantis incrementum, splendoremque recipit. Quo ex capite liquidò constat, nostro Maximo nil superesse quod addatur, cùm summum attigisse honoris apicem ostenderimus, qui à summis est honorantibus ea gratia, vt inferiores se honorato fateantur, quem vices Dei in terris agere non ignorant. Quàm sublimem animi æstimationem cùm dictis, factisque prodiderint, operæ pretium fecero, si per illa lento excurram stylo, & ex immenso historiarum campo flores colligam, quibus Romanam Cathedram, atque illam insidentes Pontifices inspergere dignatæ sunt linguæ, calamique Potentum, & manus Principales sceptra tractantes, cæteroqui tam dominationis auidæ, quàm demissionis, ac subiectionis nesciæ. Ad tria verò capita ordinis gratia Honor hic facilè reducatur: Ad verba videlicet honorifica: Ad exteriora reuerentiæ signa, & ad munificentiam, qua Imperatores, Reges, ac Principes alij suam erga Christi Vicarium deuotionem, fidemque patefacere additamentum suorum sceptrorum gloriæ existimauere.

Summa Capitum.

CAPVT I.

Honor verbis delatus Romano Pontifici ab Imperatoribus, & alijs Principibus.

1 *Tituli ab Imperatoribus, & Regibus, Pontifici Romano dati.*
2 *A Constantino Magno.*
3 *A Iustiniano seniore.*
4 *A Theodoro.*
5 *Ab Andronico.*
6 *A Carolo Magno.*
7 *A Valentiniano.*
8 *A Ludouico.*
9 *A Constantino Palæologo.*
10 *Ab Henrico.*
11 *A Carolo V, & alijs.*

Continetur hic speciosis titulis, ac laudibus eximiis, quibus declarare pietatem, ac venerationem aduersos Christi Vicarios delectati sunt.

Constantinus Magnus, in Edicto Donationis de qua paulò post sermo redibit, Romanum Pontificem sacerdotum appellat Principem, & vniuersalem Pontificem.

Verba eiusdem sunt apud Eusebium in vita Constantini. Sicut B. Petrus Vicarius Dei constitutus est, sic etiam Pontifices, & successores eius Principatus potestatem ampliùs, quàm Imperialis nostra mansuetudo, habere videntur.

Iustinianus senior Ioannem Pontificem appellat caput omnium Ecclesiarum l. inter Claras, C, de Sum. Trin. & fid. Cath. Idem in epist. ad Epiph. Epis. Constantin. Nec enim patimur, vt quidquam eorum, quæ ad Ecclesiæ spectant statum, non etiam ad eiusdem (Io. Papæ) beatitudinem referatur, cùm ea sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum, vel eo maxime quod quoties in his locis hæretici pullularunt, sententia & iudicio illius venerabilis sedis coerciti sint.

Basilius Imperator vocat Ecclesiam Romanam columnam incorruptam in Encyclica post octauam Synodum.

Theodor. Epist. ad Leonem Papam, si Paulus inquit, præco veritatis, tuba Sancti Spiritus ad magnum Petrum concurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legibus instituti contendebant ab ipso afferret solutionem: multò magis nos, qui obiecti sumus, & pusilli ad Apostolicam Sedem vestram currimus, vt Ecclesiarum vulneribus medicinam à vobis accipiamus. Vobis enim per omnia primos esse conuenit.

Andronicus Imperator in Epist. ad Ioan. 21. cuius exemplar in Bibliotheca Vaticana asseruatur, & exhibetur græcum, ac latinum ab Eugubino l. 2. de donatione Cōstantini pag. mihi 284. Hæc sacrosancta, inquit, Romana Ecclesia supremum, atque absolutum principatum, potestatemque super vniuersam catholicam Ecclesiam habet; quamquidem potestatem in seipsa verè, & humiliter agnoscit esse, atque accepisse cum plena auctoritate ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum Principe, & vertice, cuius Romanus Pontifex est successor.

Carolus Magnus reuerentiam erga Sedem Apostolicam verbis honorificis ostendens ait: In memoriam Beati Petri honoramus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis sacerdotalis est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiæ rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus. (Refert Gratian. in cap. 3. distinct. 19. ex Capitulis Carolinis, & receptum est in Concil. Triburiensi can. 30.

Valentinianus Imperator in Epist. ad Theodosium sic loquitur. Fidem à Maioribus vestris traditam debemus cum omni competenti deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare, quatenus Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, ac sacerdotibus iudicare.

Ludouicus II. Imperator Ioanni Episcopo Rauennati aduersùs Nicolaum I. auxilium imploranti renunciari iussit in hæc verba. Vadat elationis fastu deposito, tanto se humiliet Pontifici, cui, & nos, & omnis Ecclesiæ generalitas inclinatur, & obedientiæ, ac subiectionis colla submittit. Anastasius in Nicolao I.

A Constantino Palæologo in Epist. ad Greg. XI. vocatur princeps communis omnium Christianorum.

S. Henricus Imperator in Edicto Confirmationis donationum Ecclesiæ Romanæ à præcessoribus factæ. Spondeo, inquit, atque promitto per hoc pactum confirmationis nostræ Tibi B. Petro Principi Apostolorum, & clauigero regni cælorum, & per Te Vicario tuo D. Benedicto Summo Pontifici, & vniuersali Papæ &c.

Carolus V. iurauit se Iesu Christo, Romano Pontifici, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subiectum, & honorem ipsi Romano Pontifici exhibere, & donata Ecclesijs conseruare, vt refert Sandoual. in vita ipsius Caroli, & Hieron. Caninus in discursu super Bulla aurea Caroli IV. Imperatoris.

Carolus Rex Franciæ epist. ad Adrian. II. Sanctissimo Patri Adriano, & vniuersali Pontifici Carolus Dei gratia Rex, & spiritualis filius vester.

Hugo Rex Franciæ ad Ioannem Papam XV. Hoc ex intimo affectu dicimus, vt intelligatis, & cognoscatis, nos, & nostros vestra nolle declinare iudicia.

Ludouicus Rex Galliæ ad Pium II. Te Vicarium Dei viuentis ea veneratione prosequimur, vt sacra tua monita, præsertim in Ecclesiasticis rebus, velut vocem Pastoris audire, illisque parere prompta mente velimus. Te dominici gregis Pastorem profitemur, & scimus, teque iubentem sequimur.

Sanctus Ludouicus Rex Franciæ monet Philippum filium ante mortem in scriptis documentis. Sis deuotus, & obediens matri Ro-

Romanæ Ecclesiæ, eiusque Pontifici tamquam spirituali Patri te morigerum præbeas.

Alphonsus Rex Aragoniæ in suis legibus p.11.tit.5.à lege 2. & vltra profitetur Romanum Pontificem esse Christi Domini Vicarium, & successorem Petri, & ideò antonomasticè vocari Apostolicum, & Papam, quia Pater Patrum, & Caput Episcoporum, & aliorum Prælatorum est, & propterea, inquit, omnes Christiani totius Orbis, quando ad ipsum accedunt, pedem eius osculantur. Et in fine Legis 4. addit. negantem Pontificem habere hanc potestatem, & esse Caput Ecclesiæ, non solùm excommunicatum esse, sed & hæreticum.

Ferdinandus item Rex Hispaniarum, vt habetur in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 2. Profitemur, inquit, nos filium Romanæ Ecclesiæ matris nostræ deditissimum, proque eius honore, atque statu animam ponere paratissimum &c. Testaturque se Legatum mittere, vt Concilio intersit, ibique obedientiam debitam beatissimo Papæ, toties quoties opportunum fuerit, præstet.

Rex Regum, & vnicus Christianorum Princeps nominatur à Ladislao Hungariæ Rege,

Meruit item Anglia habere Reges Sedi Apostolicæ addictissimos; de quibus tertio capite fusiùs, interim.

Henricus II. ita Alexandrum III. affatur Sanctissimo Domino suo Alexandro Dei gratia Catholicę Ecclesię Summo Pontifici Henricus Rex Angliæ. Dux Northmaniæ, & Aquitaniæ. Comes Andegauensis, & Cænomanensis salutem, & deuotæ subiectionis obsequium. Et mox infra. Vestræ subiectionis est Angliæ Regnum, quantum ad feudatarij iuris obligationem, vobis dumtaxat obnoxius teneor; & obstringor, experiatur Anglia, quid possit Romanus Pontifex &c.

Eduardus Rex in epist. ad Nicolaum II. circa annum 1060. incipit. Summo vniuersalis Ecclesiæ Patri Nicolao. Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam subiectionem, & obedientiam.

Eleonora Regina Angliæ sanguinis Aragonici in Epist. ad Cœlestinum Papam. Non Rex, inquit, non Imperator à iugo vestræ iurisdictionis eximitur &c. & mox gladius Petri gladio Constantini, & Apostolica Sedes, Imperatoriæ præiudicat potestati.

CAPVT II.

Summa Reuerentia Imperatorum, & aliorum Principum exteriùs exhibita Summis Pontificibus.

1 *Insignia sunt Exempla Constantini Magni erga S. Syluestrum.*
2 *Iustini erga S. Ioannem.*
3 *Iustiniani erga Constantinum.*
4 *Pipini erga Stephanum II.*
5 *Caroli Magni erga Adrianum.*
6 *Ludouici Pij erga Sergium.*
7 *Ludouici, & Henrici erga Alexandrum Tertium.*
8 *Carolorum duorum, erga Cœlestinum V.*
9 *Friderici I. erga Alexandrum III.*

PRæiuit exemplo cœteris Constantinus Magnus, cuius illa sunt verba. Phrygium candido nitore resurrectionem Dominicam designans eius S. Syluestri Sanctissimo vertici imposuimus, & tenentes frænum equi ipsius pro reuerentia B. Petri Stratoris officium illi exhibuimus.

Iustinus Imper. (vt loquitur Anastasius) humiliauit se in terram, & beatissimum Ioannem Papam adorauit &c.

Nimirùm Iustinus Imperator Ioanni Papæ Constantinopolim, instante Theodorico Rege Ariano, profecto, obuiam cum toto populo occurrit, & eo inspectante ad eius pedes venerabundus procidit, in templum princeps deduxit, ad sui dexteram latus collocauit, nec coram illo imperatoria ornamenta retinere sustinuit, ni deposita de manu Pontificis reciperet, vt minora taceantur, quibus declarare pijssimo Imperatori libuit, S. Petri imò Christi Domini personam in suo Vicario colere, & inferiorem imperatoriam dignitatem Pontificia profiteri, (Anastas. in Ioan. I. & Marcellinus in Chronico.)

Iustinianus II. Imperator Rhinometus appellatus Constantino Pontifici Nicęa Nicomediam obuiam præfectus de more coronatus procidit ante pedes, & osculatus illos est spectante Populi multitudine innumera non minùs, quàm cum Constantinopoli Tiberij filij, & totius nobilitatis honoribus fuerat exceptus. (An. 709.)

Pipinus Rex Franciæ Stephano II. in Galliam proficiscenti Carolum postmodum magnum appellatum, misit obuiam ad centum milliaria stipatum nobilitate. Sequutus est ipsum cum Vxore, ad eius aspectum equo desiliens, genua flexit, & per aliquot spatium stratoris officium exhibens, in Pontegonis regiam cum hymnis, & canticis musicorum deduxit. (An 754.)

Carolus Magnus Romam adueniens, & ad D. Petri templum se conferens, vbi conspexit ante valuas Adrianum se præstolantem, illico equo descendens humi procubuit: tum ad scalarum gradus accedens singulos in ascensu exosculatus, tandem Summum Pontificem adorauit, & charis amplexibus ab ipso dignatus est.

Persimili veneratione Ludouicus Pius Sergio II. ipsum in eodem loco expectanti oscula pedi dedit.

Idem aliquot post annos Nicolao ad se venienti occurrit, & pedes per aliquantum viæ spatium frænum equitantis tenuit, & abeuntem prosequutus iterum ad frænum accessit, & pedem petiuit osculo.

Ludouicus Franciæ, & Henricus Anglię Reges Alexandrum III. ad se venientem ad Ligerim occurrentes venerabundi excepere, & equitantem dextera, læuaque frænum tenentes ad præparatum regali magnificentia hospitium deduxere.

Idem honoris genus exhibuêre Carolus Siciliæ, & Carolus Martellus Hungariæ Reges Cœlestino asello insidenti, & equum respuenti, dum Aquilam ingrederetur nimio humilitatis studio.

Fridericus I. olim ab Alexandro III. excom-

communicatus ob sua scelera, postea resipiscens, Pontificem eumdem Venetijs commorantem conuenit, & præ foribus S. Marci ipsum expectans chlamide deposita humi abiectus summa cum reuerentia ad pedum osculа accessit.

Prolixa nimis enumeratio foret aliorum Regum, ac Principum non absimili demissione Romanos Pontifices colentium, & Caput Ecclesiæ testantium, neque silentio præterire fas est Anglos, vt inuitentur. Proceres Regni nobilissimi ad aperiendum oculos, & videndum, quàm dispari dominio dominentur ab eo, quo florentissimi Reges sapientia, sanctitate, victorijs clari filios se Romanæ Ecclesiæ, & Pontificum profitebantur.

CAPVT III.

Angliæ Regum in Romanum Pontificem veneratio, & obsequium.

1 *Rex Salomon.*
2 *Osuuius.*
3 *Ceduallа.*
4 *Ina, aliàs Num.*
5 *Riccardus.*
6 *Offa.*
7 *Chimilphus.*
8 *Ethenolphus.*
9 *Canutus.*
10 *Eduardus.*
11 *Henricus, & alij.*
Ex quibus plures sanctitate, & miraculis clari.

RESeruatur eorum numero, ac nobilitati singulare Caput honorem dictis & factis exhibitum continens, vel hoc nomine, vt intelligat Anglia aurea veterum Catholicorum sæcula in ferrea recentiorum Hæreticorum degenerasse, & doleat, eò se miseram esse, quòd miseriam suam, fœlicitatis antiquæ oblita non agnoscit. Numerat longa serie Regum Anglicanorum gesta, Sanctitatem, erga Romanos Pontifices venerationem, & obsequia Richardus Smitheus Episcopus Chalcedonensis in libro, quem nuper inscripsit, florum Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Anglorum, & in Epistola ad Iacobum Regem Magnæ Britanniæ ei adnexa. Ille verò tam multiplici, tamque graui scriptorum auctoritate munitus prodijt, vt eum, vel semel nominasse, perinde sit, ac decades auctorum citasse, è quorum vbere narrationum sylua aliqua dumtaxat libauimus; quæ instituto nostro potissimùm deseruiunt, & Pontificium honorem attingunt. Namque cuncta percurrere tentanti timendum esset nè digredi potiùs ad historici minus videretur, quàm argumentum vrgere veræ fidei apud priscos Anglos florentis, & à recentibus exultantis. Vt enim verbis vtar à Smitheo relatis sect. 4. 5. Iamque ventum cap. 10. ex historico Nouatore veridicoque ferunt plus minùs triginta reges, & reginas intra ducentorum annorum spatium deposito mundani Regni fastigio, vt vi cœlum caperent, in religiosorum abijsse solitudinem; quindecim reges, vel plures monachos factos fuisse; reginas vndecim moniales, duodecim etiam reges martyrio coronati memorantur, & decem pro eximia sanctitate inter Diuos redacti: adeo vt (quidam ait) mirum, tum fuerit regem videre non sanctum &c. Libet autem Regum Anglorum numerationi præmittere Angliæ nomine eas nationes à nobis comprehendi, quæ Insulæ, ita nuncupatur reges subministrauere, non secus, ac Hispaniæ, & Galliæ Reges vulgò dicimus, quibus nationes plures obtemperant, ac tributa soluunt, non intra Galliæ, vel Hispaniæ containes; sed exteræ etiam pareant, è quibus reges suppeditantur.

Ordior à Rege Salomone, qui in minori Britannia imperauit: Is Hadriano II. scribens, ita epistolam inchoauit. Domino, ac beatissimo Apostolicæ Sedis Romanæ Hadriano Salomon Britannorum Rex flexis genibus, inclinatoque capite, &c. Insuper misit munera, & inter hęc statuam suam auream, & pecuniæ summam non contemnendam; Annuam pensionem pollicitus est, ac soluit: Titulum Regium à Sancta Sede conferri sibi gauisus est.

Osuuius Rex (ait Beda) cum intellexisset, quia Romana esset Catholica, & Apostolica Ecclesia, ita eò presbyterum venerabilem misit, vt creatus Archiepiscopus per totam Britanniam Episcopos consecraret: Idem exorta inter Episcopos Angliæ, & Scotiæ controuersia de Paschatis obseruatione, cum inaudisset Claues Regni Cœlorum à Christo Domino traditas esse Petro, & ego (inquit) vobis dico, quia hic est Ostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum noui, vel valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis, nè fortè me adueniente ad fores regni cœlorum, non sit qui reseret, infenso illo, qui claues tenere probatur. Beda l.3. hist. Eccl. Angl. cap. 26.

Ecclesiam regente Sergio Papa, Cedualla Rex florente adhuc ætate relicto Regno Romam venit; hoc sibi gloriæ (verba sunt Bedæ) singularis desiderans adipisci, vt ad limina Beatorum Apostolorum fonte baptismatis ablueretur; Simul etiam sperans, quia mox baptizatus, carne solutus ad æterna gaudia, iam mundus transiret. Nec falsus voto est, post paucos etenim à baptismo suscepto dies; naturæ concessit, & ad gaudia volauit æterna. Sepulchrum illi insigne conditum eodem Sergio mandante in D. Petri Templo, vbi Gregorio XIII. regnante repertum cadauer est.

Ceduallæ successit Ina, aliàs Nun apud Bedam dictus, cuius in Summum Pontificem affectus eximius in eo se prodidit, quòd tributum annuum ipsi soluendum ab vniuerso regno constituit, onere familijs cunctis imposito singulis annis contribuendum, quod Romam mitteret partim in vsum Pontificis consumendum, partim alendo Seminario Anglorum Adolescentum à se in Vrbe erecto applicandum. Sanè quantoperè esset erga Pontificem Romanum propensus haud obscuris indicijs patefactum Orbi voluit, siquidem post consumptos in admiratione Regni annos 37. Romam venit ad sacra limina, & pedum oscula, ibique regia potentia, ac

fallu

fastu in Christianam humilitatem commutata, Monachus factus, reliquum vitæ cursum Sanctissimè peregit.

Sanctus Richardus II. filijs duobus S. Bonifatij Germanorum Apostoli curæ commendatis itineri se Romano dedit, sed ægritudine præpeditus Lucæ in Hetruria subsistere coactus peregrinationis finem fecit migratione in Cœlestem Patriam, & sui corporis deposito Vrbem nobilissimam decorauit. Fuisse autem Regem probat auctor initio citatus l. 2. cap. 8. sect. contra Baron. qui in Append. tom. vlt. retractans dictum tom. 9. ad an. 750. id neget. Vt nominis, ita, & pietatis consortes habuit Richardum I. & III. Ecclesiæ Romanæ addictissimos, & Romanis Pontificibus obsequentissimos.

Martyrol. Rom. 7. Februarij.

Offa post acceptos honorificentissimè legatos Hadriani, & eius literas, Romam venit, Pontificem humili reuerentia veneratus habitum suscepit monachi, & sanctissimè vixit, benemeritus de Ecclesia Romana, quod regnum suum ipsius fecit tributarium.

Chinulfus Offæ, ac Præcessorem regum virtutum æmulator literis omni humanitate plenissimis ita Summum Pontificem affatur Leonem Tertium.

Hanc Benedictionem omnes, qui ante me Sceptro præfuere Merciorum, meruerunt ab antecessoribus tuis adipisci: Hanc ipse humilis peto, & à Vobis, Sanctissime, impetrare cupio, quatenus in primis adoptionis sorte me filium suscipias, sicut te in Patris Persona diligo, & totis obedientiæ viribus semper amplector &c. & facta protestatione, quòd se saluti, & commodis eius etiam cum vitæ dispendio sit paratus impendere, concludit quia illius sublimitas nostra est salus, illius prosperitas nobis perennis exaltatio.

Etheluolfus rebus in regno compositis nil habuit antiquius, quàm, vt Summum Pontificem Leonem coram veneraretur; Romam ergo proficisci statuit cum maiori filio Alfredo medullitùs dilecto, vt Leonis moribus, & religione informaretur; commoratus Romæ est per anni spatium, neque priùs abire sustinuit, quàm natum Corona insignitum, & adoptatum viderit. Donationes præcessorum Inæ, & Offæ confirmauit, & potissimum annuum vectigal à singulis collectum familijs annuatim soluendum Summo Pontifici à tota Anglia constituit, quod ad miseram, vsque Henrici VIII. defectionem pensitatum Anglicæ pietatis antiquæ testimonium est.

His adnumerandus Canutus Rex, qui Romam deuotionis ergo profectus, idem S. Petri tributum confirmauit, atque, vt penderetur, studiosè curauit, præter alia reuerentiæ signa, quibus Summum Pontificem Ioannem, vt verum Christi Vicarium, Petri Successorem veneratus est.

Sanctus verò Eduardus cognomento Confessor Ethelredi filius, quoniam imminentibus belli periculis à Danis inferendi præpeditus Romam, vti optabat, contendere non valuit, Legatis ad Summum Pontificem missis, erat is Nicolaus II. Iura cuncta à suis præcessoribus illi concessa rata voluit, & amplorum munerum largitione Legationem ditauit, ac honorificis titulis epistolam à se scriptam inaurauit. Hic postmodum miraculis clarus inter sanctos relatus est Omonimes, & virtute similes habuit Eduardos alios 2. 3. 4. &c.

Neque superari se permisere in veneratione Apostolicę Sedis Henrici Reges inclyti, Primus per Nuncios illustres Paschali II. testatum voluit agnoscere se iura illius in Angliam, vtpotè vectigalem diù à regibus Romanæ Ecclesiæ redditam. Secundus Alexandro III. Papæ equitanti frenum tenere, vnà cum Ludouico Gallo Pietati, ac decori Regio deputauit. Tertius in Legato ad se à Pontifice misso personam mittentis honorificè coluit, & in conuiuio medium inter se, & Eboracensem Archiepiscopum locum illi designauit, ac abeuntem cum magnifica pompa, & nobilium turba comitatus est. Quarti extant ad Summum Pontificem Alexandrum III. literæ, quorum est exordium Beatissime Pater, filiali amore ante omnia Beatitudini tuæ nos metipsos commendatos habemus.

Quinti Henrici filij pientissima erga Sedem Romanam propensio Concilio Constantiensi innotuit, quò missi ab eo Legati rogauerunt Patres, vt ipsorum decreto Anglia nomen Nationis obtineret, essetque vna ex quinque, quæ deuotionem suam Ecclesiæ Romanæ debent.

Successit Henrico V. Henricus VI. adhuc infans in Cunabulis, cuius virtutes plusquàm regiæ Summi Pontificis erga ipsum conciliarunt animum. Ideò Eugenius auream Rosam solemni Legatione ad ipsum misit. Quod officij Pontificij regale munus non modò amplissimè gratiarum actione, sed pretiosorum donorum largitione compensare festinauit.

Henricus VII. aliorum vestigijs Henricorum insistens Oratores Romam destinauit, qui suo nomine Iulio II. Pontifici Maximo obedientiam præstarunt, ac viceuersa Iulius per eosdem pileo honoris, & ense benedicto redonauit. Fuit hic vltimus Henricus Catholicus abauus VIII. qui primus ab Ecclesia Romana, quàm antea defenderat, rebellauit, & à SS. Richardis, Edmundis, Eduardis, cæterisque Regibus Ecclesiæ Romanæ deditissimis declinauit ad semitas Baal, quæ reges successores ad interitus foueam duxisse ingemit Ecclesia, & exauditum iri suos gemitus à diuina clementia regni captiuitatem Babylonicam miserante confidit.

CA-

CAPVT IV.

Munificentia Imperatorum, & aliorum Principum in Romanam Ecclesiam.

1 *Magnificentia erga Sedem Apostolicam primùm in Constantini donationibus eluxit, tùm in Carolo Magno.*
2 *Aliorum donationum catalogus ex Vaticana decerptus describitur.*
3 *Diploma donationis sancti Henrici Imperatoris.*
4 *Item, & Comitissæ Mathildis.*

PRimus debetur locus Constantinianæ tam liberali, ac prodigæ, vt ficta, ac prodigiosa visa sit plerisque iniquiùs illam ferentibus; alijs non paucis admiratione quidem digna, sed vera non leuibus argumentis asserta.

Primò. Quia in Bibliothecis celeberrimis inuenta sunt exemplaria peruetusta Græca, & latina, quibus acta Syluestri, & Constantini fusè exarantur, & singillatim donationis huius fit mentio; recitant illa verbatim recentiores aliqui, & in primis Augustinus Steuchus Eugubinus in opere de donatione Constantini par. 1. fol. mihi 124. contra Laurentium Vallam aduersùs donationem Constantini plus æquo exardescentem.

Secundò. Quia in iure Pontificio plures sunt Canones illam approbantes. Ille insignis, & vulgatissimus decreti par. 1. dist. 97. cap. 2. Constantinus dignus hic referri, & cedro dignus. Beato Syluestro Summo Pontifici, & vniuersali Vrbis Romæ Papæ, & omnibus eius successoribus Pontificibus, qui vsque ad finem mundi in Sede B. Petri erunt sessuri, de præsenti contradimus palatium Imperij nostri Lateranense; deindè diadema, videlicèt coronam capitis nostri, simulque phrygium, necnon & superhumerale, videlicèt lorum, quod imperiale circumdare assolet collum, verùm etiam, & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta. Sed & dignitatem Imperialium præsidentium equitum conferentes etiam, & imperialia sceptra, simulque cuncta signa, atque banda, & diuersa ornamenta imperialia, & omnem possessionem imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Et paulò post. Decernimus, & hoc, vt ipse, & successores eius diademate, videlicèt corona, quam ex capite nostro illi concessimus ex auro purissimo, & gemmis pretiosis vri debeant, & in capite ad laudem Dei pro honore B. Petri gestare. Ipse verò Beatissimus Papa, quia super coronam Clericatus, quam gerit, ad gloriam B. Petri omninò ipsa ex auro non est passus vti corona, nos phrygium candido nitore splendidum resurrectionem dominicam designans eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus; Et tenentes frænum equi ipsius pro reuerentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus &c. Vndè vt Pontificalis apex non vilescat, sed magis, quàm terreni imperij dignitas, gloria, & potentia decoretur; ecce tam palatium nostrum, vt prædictum est, quàm Romanam Vrbem, & Italiæ, seù Occidentalium regionum prouincias, loca, & ciuitates præfato Beatissimo Pontifici nostro Syluestro vniuersali Papæ contradimus, atque relinquimus, vt ab eo, & à successoribus eius per hanc diualem nostram, & pragmaticum constitutum decernimus disponenda, atque iuri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ concedimus permansura, vndè congruum perspeximus nostrum imperium, & regni potestatem in Orientalibus transferri regionibus, & in Bizantiæ prouinciç optimo loco nomine nostro ciuitatem ædificari, & nostrum ibi constitui imperium, quoniam vbi principatus sacerdotum, & christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem &c.

Oppone illuminati per veram fidei lucem Imperatoris confessionem, & plenissimũ pietatis encomium obfuscatam infidelitatis caligine admirationem regiam. Iacobi supra nominati, nescire se fatentis, Quibus artibus Pontifices Romani facti sint Vicarij Christi; imò verò Dij in terra triplici corona insigniri; cœli nimirum, terræque, ac inferiorum Reges, totius orbis iudices, & ipsi à nemine iudicandi. Atqui Serenissimus discere poterat à ter Augusti Imperatoris exemplo, qui & à Syluestro in schola veritatis edoctus, & lumine desuper immisso à Magistro cathedram in cœlo tenente illustratus planè didicit sensum verborum Christi, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum*, neque dubitare potuit, illum esse, quem ab Apostolis traditum per sæcula tercenta fidelium cœtus sine ambiguitate tenuerat, tutatusque aduersùs hæreses fuerat. Et quia cœlestis lucis præsertim, vbi affluentissimè illabitur, ea proprietas est, vt simul intellectum affundat, simul affectum percellat, & ad facinora præclara impellat, Constantinus illa perfusus præcellentis dignitatis excelsitatem agnouit, & tantum inter ipsam, & Imperatoriam discrimen interesse vidit, quantum est inter humana, ac diuina, quæ diuersi ordinis cùm sint, infinito propemodum interuallo distant, nec vllum obsequij genus exhiberi à se posse, quod meritum exæquet eius, quem Christus Dominus abiturus in cœlum sui Vicarium constituit in terra. Nullæ hìc artes, nullius actus Pontificis, nulla honorum procuratio, qui ne sperari quidem ab Imperatore orbis Domino, nec fingi mente poterant, antequam exhiberentur, ni ad exhibendum spiritus intus agens impulisset. Hunc quippè auctorem fassi sunt non Catholici modò, sed infideles etiam viri graues, ac sapientes, qui iudiciorum statera appendentes hinc Constantini in rebus agendis prudentiam, in consilijs capiendis maturitatem, in victorijs reportandis fœlicitatem, in dignitate tuenda maiestatem, indè profusam in donatione liberalitatem, in officijs præstandis obsequiorum demissionem, ac alacritatem, liquidò perspexere, mira hæc, & à sæculis inaudita in altius, quàm humanum referenda esse principium, hoc est in Deum suis opportunè

tunc vtentem creaturis ad fines æternùm decretos, qualis in proposito est sui Vicarij honor Pontificali Primatui debitus, & à Constantino exhibitus exemplo sanè illustri, & à posteris Imperatoribus, ac Regibus imitando.

Prolixioris esset operis Principum singulorum donationes Ecclesiæ factas historicam texere narrationem, satius fuerit breuem catalogum hic apponere, quem ex Archiuio Vaticano desumpsit Bzouius in libro, Romani Pontif. cap. 41. Pauli V. iussu editum, & imaginibus graphicè pictis ornatum collata diligenter opera cum viris doctis, & in historia sacra, profanaque versatis hoc ordine dispositum, exposuit.

CAPVT V.

Cathalogus Imperatorum, Regum, aliorumque Principum erga Romanam Ecclesiam munificorum.

I. IOanne VI. Pontifice Maximo Aripertus Longobardorum Rex Alpes Cottias à maioribus suis iniustè occupatas Apostolicæ Sedi restituit.

Notatio.

Sic Paulus Diaconus l. 6. hist. Longobardorum cap. 10. Addit Anastasius biblioth. in Io. VI. missam schedulam donationis Romam aureis literis exaratam idem habet Addo Vien. in suo chronico, & alij. Quinta Prouincia Alpes Cottiæ sunt ait Paulus l. 2. cap. 11. quæ sic à Cottio rege, qui Neronis tempore fuit, sunt appellatæ. Hæc prouincia à Liguria in Eurum versùs, vsque ad mare Tyrrhenum extenditur ab occiduo verò Gallorum finibus copulatur in aquis. Hanc donationem confirmauit Luithprandus Longobardorum Rex. Baron. an. 912.

II. Pipinus Francorum Rex Exarchatum, & Pentapolim Prouincias ex Aistulphi Longobardorum Regis manibus ereptas per Fuldradum Abbatem Stephano III. Pontif. Max. donat.

Notatio.

Cùm Franci Gallias occupassent, & Clodoueus eorum Rex nomen Christo dedisset, professus est, se Regnum Galliarum de potestate Hormisdæ accipere, & institutum in posterum: vt Reges Galliarum ab Archiepiscopo Rhemensi inungerentur, vt tradit Papyrius Massonus in vita Henrici primi. Boz. sign. 76. l. 17. pag. 205.

III. Hadriano I. Pont. Max. Carolus Magnus Francorum Rex Pipini patris donationem Romanæ Ecclesiæ factam confirmat, nouisque donationibus cumulat.

Notatio.

In Edicto Ludouici filij Caroli Imperatoris, hæc habentur. Necnon Exarchatum Rauennensem sub integritate cum Vrbibus, & Ciuitatibus, oppidis, & castellis, quæ piæ recordationis Dominus Pipinus Rex, ac bonæ mem. genitor noster, & Carolus Imperator beato Petro Apostolo cum prædecessoribus nostris iam dudum per ordinationis paginam restituerunt. Eugub. ibidem.

IV. Gregorio VI. Pont. Max. Casimirus Poloniæ Rex debellatis hostibus regnum suum B. Petro vectigale fecit.

Notatio.

Dubrauius lib. 10. Cromerus lib. 4. Boz. sign. 76. lib. 17. pag. 211.

V. Nicolao II. Pont. Max. Specienus Bohemiæ regali corona à Pontifice per Legatum donatus centum argenti libras singulis annis Apostolicæ Sedi soluere promittit. Boz. sign. 76. l. 17. par. 210. ibid.

Notatio.

Spitigneus Bohemiæ Dux Boriuorij filius ab alijs dictus Specienus ab alijs Specionemus, vt constant ex biblioth. Lateran.

VI. Stephanus I. Hungariæ Dux à Syluestro II. Pont. Max. Regia Corona, & Cruce per legatum insignitus Regnum Hungariæ Sedi Apostolicæ donat.

Notatio.

Gregorius VII. in registro.

Gregorius Episcopus Seruus seruorum Dei Dilecto filio Salomoni Regi Hungariæ salutem. Sicut à maiorib. patriæ tuæ cognoscere potes, regnum Hungariæ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ proprium est, à Rege Stephano olim B. Petro cum omni iure, & potestate sua oblatum, & deuotè traditum &c. Et sæpius in eodem libro de hoc Dominio Ecclesiæ in Regnum Hungariæ meminit.

VII. Demetrius Croatiæ, & Dalmatiæ Dux à Gregorio VII. per Legatum Regali titulo auctus annuum censum B. Petro se soluturum promittit.

Notatio.

Legatus iste vocabatur Gebizo, de quo idem Rex Demetrius, qui, & Suinumir dictus. Regnum autem, quod mihi per manum tuam Domine Gebizo traditur. fideliter retinebo, & illud, suumque ius Apostolicæ Sedi aliquo ingenio aliquando non subtraham &c. Et paulò ante dixerat. Ducentorum quoque Byzantiorum tributum meorum omnium consultorum, consensu S. Petro per singulos annos in resurrectione Domini de mihi concesso Regno persoluendum statuo &c. ex biblioth. Lateran.

VIII. Gregorio VII. Pont. Max. Mathildis fœmina præclarissima patrimonium suum in Thuscia, & Longobardia Apostolicę Sedi donat &c.

Notatio.

Liguriam, ac Thusciam contineri hac donatione, affirmat Leo Hostiensis eius temporis scriptor. Et maxima Italiæ pars tunc Mathildi parebat, vt Lambertus Schafnanburgensis, tùm viuens asserit.

IX. Vrbano II. Pont. Max. Petrus I. Aragonum Rex per Legatum Aragoniæ Regnum B. Petro vectigale fecit.

Notationes.

Anno 3. Innocentij III, Petrus Rex Aragoniæ Romam venit, obtulit sponte totum Regnum B. Petro, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ibique accepit in feudum prædictum Regnum. Itemque pro Regno Sardiniæ certam pecuniæ summam constituit se daturum, Vide Eugub. de donat. Const. l. 2. fol. mihi 138.

X. Innocentius II. Rogerium Siciliæ, Comitem Regio titulo ornat, & Apostolicæ Sedis feudatarium facit.

Notationes.

Dignum est quod legatur diploma Innocentij II. quod ex codice Vaticano recitat Baron. tit. 12. ann. 1139. ex quo excepta est sequens particula. Et vt ad amorem, atque obsequium B. Petri Apostolorum Principis, & nostram, ac successorum nostrorum vehementiùs adstringaris, hæc ipsa, idest Regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, Principatum Capuæ hæredibus tuis, qui nobis, & successoribus nostris (nisi per nos, & successores nostros remanserit) ligium homagium fecerint, & fidelitatem, quam tu iurasti, iurauerint, tempore, videlicèt competenti, & loco non suspecto, sed tuto nobis, & ipsis, atque salubri duximus concedenda; eosque super his, quæ concessa sunt Deo propitio, manutenebimus &c. Et mox. Censu autem sic, vt statutum est; idest sexcentorum schifatorum, à te, tuisque hæredibus, nobis, nostrisque successoribus, singulis annis reddatur &c. Et ita Rogerius se facturum promisit.

XI. Alexander III. Pont. Max. Regiam Coronam mittit Alphonso Portugalliæ Duci, qui Lucio II. Pont. Max. Ducatum suum Romanæ Ecclesiæ vectigalem fecerat.

Notatio.

Hildelphonsus Dux Portugalliæ Regnum obtulit, & vectigal Romanæ Ecclesiæ ab Alexandro III. Pont. Rex est appellatus, & duas auri marcas singulis annis persoluit, Refert Eug. de donat. Constan. leg. 2. folio 238. Bar. anno 1144.

XII. Hadrianus IV. Pontifex Maximus Henrico II. Angliæ Regi Hiberniæ Regnum sub annuo censu concedit.

Notatio.

Henricus II. in epist. ad Alex. III. Vestræ (inquit) iurisdictionis est Angliæ Regnum, & quantum ad Feudatarij iuris obligationem vobis dumtaxat obnoxius teneor, & adstringor, vide Petrum Blesensem ad epist. 136.

XIII. Innocentio III. Pont. Max. Ioannes Angliæ Rex coram Legato Sedis Apostolicæ regnum suum B. Petro vectigale constituit.

Notatio.

In Registro Alexandri III. hæc habet ad Guglielmum Regem. Vt bene nosti Angli fideles erant piæ deuotionis respectu, ac cognitione religionis annualem pensionem Apostolicæ Sedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, quæ vocatur schola Anglorum, in vsum fratrum afferebatur.

XIV. Honorio VII. Pont. Max. Reginaldus Rex Insulę Monæ in Hibernico mari coram Legato Pontificio regnum suum Apostolicæ Sedi donat.

Notatio.

Polydor. Virg. l. 4. historiæ Anglicanæ, ait Ioannem Regem fuisse primum, qui Regnum Angliæ tributarium fuit Pontifici circa annum 740. confirmarunt deindè Offa, ac Atulphus.

Circa annum 851. aut secundum alios 47. Adelolphus Angliæ regnum tributarium fecit Ecclesiæ, & constituit certi numeri pensionem annuam à singulis domibus soluendam Boz. sign. 76. cap. 4. ex Polid. Virg.

XV. Vrbano VI. Pont. Max. Henricus Lantgrauius Hassiæ per legatum suum castra diuersa Maguntinensis, Treuerensis, & Herbipolensis Diœcesis Apostolicæ Sedi donat.

XVI. Syluestro I. Pont. Max. Constantinus Magnus Imperator Romanam Ecclesiam ingentibus donis locupletat; Pontifici varia ornamenta largitur.

XVII. Ludouicus Pius Imperator diploma ad Paschalem I. Pontif. Max. mittit; in quo patris, auique donationes Romanæ Ecclesiæ factas comprobat, cap.

Notatio.

Nominat Romam Ciuitatem cum suo Ducatu, seù cunctis Ciuitatibus, castellis, villis in Tusciæ partibus, Campaniam, Exarchatum Rauennæ integrum, Ducatum Beneuentanum, & Spoletanum, Neapolim, Calabriam, Corsicam, Sardiniam, Siciliam.

XVIII. Ioanne XII. Pont. Max. Otho I. Imperator superiorum Principum B. Petro factas confirmat, donationes, eiusque patrimonia, quæ Tyranni occupauerant, illi restituit.

Notatio.

Baron. ad ann. 962. extare ait, diplomata confirmantia donationem Papini, Caroli, ac Ludouici, & Autographum aureis literis exaratum asseruari in castro S. Angeli, & duo exemplaria in bibliotheca Vaticana reperiri ex quibus exscriptum annalibus inseruit.

Be-

XIX. Benedictio VIII. Pont.Max.Henricus I. Imperator donationes à superioribus suis Sedi Apostolicæ factas confirmat, easque nouis donationibus auget.

Notatio.

*Eius diploma supra retulimus ex antiquis monumentis descriptum à Baronio ann.*1014.

XX. Innocentio III.Pontif.Max.Otho IV. Imperator apud Spiram in conuentu Principum donationes Romanæ Ecclesiæ ab alijs Imperatoribus factas manu sua confirmat.

XXI. Honorio III. Pontif. Max. Fridericus II. Romæ per Legatum Apostolicum Imperator coronatus superiorum Imperatorum donationes Sedi Apostolicæ factas tueri iureiurando promittit.

XXII. Gulielmus Romanorum Rex ad Innocentium IV. Pontif. Max. diploma mittit, in quo donationes Sedi Apostolicæ à superioribus Imperatoribus factas confirmat.

XXIII. Rodulphus Romanorum Rex per Corradum Ordinis Minorum Nicolao III. Pont. Max. solita iuramenta præstat,& donationes S.R.E. factas confirmat.

XXIV. Clemente V. Pontifice Maximo. Henricus VII. Romæ per Legatos Apostolicos Imperatoris corona ornatus donationes Sedi Apostolicæ, à prædecessoribus factas probat.

XXV. Bonifacio VII.Pontif.Max.Alberti Romanorum Regis Legatus Sedis Apostolicę iura confirmat, ius eligendi Imperatorem septem Electoribus ab eo concessum esse fatetur.

XXVI. Innocentio VI. Pontif. Max. Carolus IV. cum vxore à Legatis Apostolicis Romæ Imperator coronatus donationes à veteribus Imperatoribus Ecclesiæ Romanæ factas confirmat.

Notatio.

*Eugub.*1.*p. de Donat. Constantini fol.* 238.

*Suecia quoque, & Noruergia soluunt Romanæ Ecclesiæ Vectigal. Ex Biblioth. Later. Eugub. p.*1. *de Donat. Const.*

Item, & regnum Daciæ, vt apparet ex registro Paschalis.

Ex Bibliotheca Lateranensi translatus est Codex, hæc habens, apud Eugub. par. 2. Donat.

Alexander Episcopus Seruus seruorum Dei. Dilecto filio, Sueui Regi Danorum sal. & Apostolicam benedictionem.

Prudentiam tuam monemus, vt censum regni tui, quem antecessores tui sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ persoluere soliti sunt nobis, & successoribus nostris transmittere studeas, ita tamen, vt non sicut oblatio super altare ponatur, sed vt supra diximus, tam nobis, quàm successoribus nostris, vt certiùs approbetur, præsentialiter offeratur.

In registro Alexandri Tertij.

Gregorius VII. Regi, ac Reginæ Ruscię scribens Dilectis filijs Domino Regi Ruscorum, & Reginæ vxori eius sal. & Apost. benedict.

Filius vester limina Apostolorum visitans ad nos venit, & quòd regnum illud de manu Sancti Petri, per manus nostras vellet obtinere, eidem B. Petro Apostolo debita fidelitate exhibita, deuotis precib. postulauit, indubitanter asserens illam suam petitionem nostro consensu ratam fore, ac stabilem, si Apostolicæ donationis gratia,ac munimine dominaretur. Cuius petitionibus, quia iustæ videbantur tum ex nostro consensu, tum ex donatione poscentis, tandem assensum præbuimus, & regni nostri gubernacula ex parte Beati illi tradidimus, ea videlicet intentione charitatis, vt Beatus Petrus, vos & regnum vestrum sua apud Deum intercessione defendat.

Idem Gregorius VII.in vetustissimo registro, seu codice epistolarum, ac sanctionum hæc habet.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Regibus, Comitibus, cæterisque Hispaniæ Principibus salutem.

Notum fieri vobis volumus, quod nobis quidem tacere non est liberum, vobis autem ad præsentem, futuram gloriam valde necessarium; videlicet Regnum Hispaniæ ex antiquis constitutionibus B. Petro, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ in ius, & proprietatem traditum esse. Quod nimirum hactenus, & prę teritorum ipsorum incommoda, & antecessorum nostrorum tacuit negligentia. Nam postquam regnum illud à Saracenis peruasum est, & seruitium, quod B. Petro inde solebat fieri propter infidelitatem eorum, & tyrannidem detenrum ab vsu nostrorum tot annis interceptum est,pariter etiam rerum, & proprietatis memoria dilabi cœpit, Verùm quia diuina clementia concessa vobis in hostes illos, semperque concedenda, terram in manus vestras tradidit, vlteriùs vos causam hanc ignorare noluimus, ne quod supernus arbiter, legum ac iustitiæ conditor de recuperanda iustitia, & honore sancti Petri, eiusque sanctæ & Apostolicæ Sedis gloria nostræ humilitati ad bene merendum contulit, aut nobis ex taciturnitate in negligentię culpam, aut vobis ex ignorantia (quod absit) ad detrimentum propositæ, & diuinitùs oblatæ retributionis obueniat &c.

Prædixisse visus est diuinus Vates Isaias cap. 60. hanc Ecclesiæ opulentiam, & gloriam verbis illis cap.60.Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis, & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.

Non permisit se superari Sanctus Henricus Imperator ab vllo Principum præcessorum, vt constat ex amplissimo diplomate Benedicto VIII. concesso, cuius autographum in Ælia arce seruari dicitur à Baronio supra citato, & eius exemplar dignum est, quod hic inseratur ob eximiam Imperatoris sanctitatem, & piam erga Romanum Pontificem liberalitatem.

CAPVT VI.

Donatio S. Henrici Imperatoris, & Comitissæ Mathildis.

IN nomine Domini Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego Henricus Dei gratia Imperator Augustus spondeo, atque promitto per hoc pactum confirmationis Nostræ Tibi B. Petro Principi Apostolorum, & Clauigero regni cœlorum, & per Te Vicario Tuo Domino Benedicto Summo Pontifici, & vniuersali Papæ, sicut à Prædecessoribus vestris vsque nunc in potestate vestra & ditione retinuistis, & disposuistis Ciuitatem Romanam cum Ducatu suo, & suburbanis, & vinculis omnibus, & Territorijs eius montanis; ac maritimis littoribus, ac Portubus, seu cunctis Ciuitatibus, Castellis, Oppidis, ac Vinculis Tuscię partibus, id est Portum Centumcellas, Ceram, Bledam, Maturanum, Sutrium, Nepem, Castellum Gallesium, Northen, Polymartium, Ameriam, Tudam, Perusiam, cum Insulis suis, id est Maiorem, & Minorem, Puluensem, & lacum, Narniam, & Vtriculum, cum omnibus finibus, & Territorijs ad supradictas Ciuitates pertinentibus, necnon & Exarchatum Rauennatem sub integritate Vrbibus, & Ciuitatibus Oppidis, & Castellis, quæ pię record: D. Pipinus, & D. Carolus, & D. Ludouicus, & Otto, Prædecessores videlicet nostri, Beato Petro Apostolo, & Prædecessoribus vestris iam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc est Ciuitatem Rauennam, & Ameliam, Bobium, Cesenam, Forum Pompilij, Forum Liuij, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comiachum, atque Gabellum, cum omnibus finibus, Territorijs, atque Insulis terra, marique ad supradictas Ciuitates pertinentibus; simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Auximum, Numan, Æsim, Forum Sempronij, Montem Feretri, Vrbinum, & Territorium Baluense, Callem, Luculos, & Eugubium, cum omnibus finibus, ac Territorijs ad easdem Ciuitates pertinentibus. Eodem modo Territorium Sabinense, sicut à prædictis Imperatoribus Antecessoribus nostris B. Petro Apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate, & est in partibus Tusciæ Longobardorum Castellum fælicitatis; Vrbem veterem, Balneum, Viterbium, Nortem, Martam, Bledam: Tuscanam, Populonium, Rosellas cum suburbanis, atque Viculis, & omnibus Territorijs, ac maritimis oppidis, seu finibus omnibus; Itemque Almum cum Insula Corsica in Suriano: deinde in Montem Bardonij, deinde in Verceto, exindè in Parma, deindè in Regium, exinde in Mantua, atque in Monte Silicis, atque Prouincia Venetiarum, & Istria, necnon & cunctum Spoletanum Ducatum, ac Beneuentanum, vnà cum Ecclesia Sanctæ Christinæ posita propè Paduam iuxta Padum quarto milliario. Item cum Campaniæ partibus, Soræ Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam, necnon & Patrimonium ad potestatem, & ditionem vestram pertinentia, sicut est Patrimonium Beneuentanum, & Neapolitanum, atque Patrimonium Calabriæ superioris, & inferioris. Ciuitatem autem Neapolitanam cum Castellis, & Territorijs, ac finibus & insulis sibi pertinentibus, necnon & Patrimonium Siciliæ, si Deus nostris illud tradiderit manibus, simili modo Ciuitatem Caietanam, & Fundum cum omnibus earum pertinentijs super hoc vobis Fuldense Monasterium, & Abbatis eius consecrationem, atque omnia Monasteria, Vrbes, & Villas, quas in Vltramontanis partibus S. Petrus habere dignoscitur absque Arerna, Vumiteringa, siue Wilmbach, aliàs Wilombruch, quæ à S. Petri Ecclesia per conuentionis paginam Episcopo nostro Bambergensi collata sunt, pro quibus prædictæ Ecclesiæ S. Petri transcribimus, concedimus, & confirmamus omnem illam Terram, quæ inter Narniam, & Spoletum ex Regni nostri partibus habuimus subiectione. Præterea S. Petri, & Vestra, vestrorumque Successorum, præsenratum Episcopum Bambergerg offerimus, vnde sub pensionis nostræ equum vnum Album phaleratum, ex eiusdem loci Episcopo vos annualiter suscepturos sancimus; offerimus insuper, firmamus, & corroboramus Tibi B. Petro, ac Vicario Tuo D. Bonifacio, & successoribus eius, prout bon. mem. Papæ Ioanni, suisque successoribus à Prædecessoribus Nostris Ottonibus factum, Ciuitates, & Oppida cum Piscarijs suis Reatem; Amiternum, Furcorum, Nursiam, Baluam, & Marsiam, & alibi Ciuitatem Teramnem cum pertinentijs suis has omnes supradictas Prouincias, Vrbes, & Ciuitates, Oppida, atque Castella, Viculos & Territoria, simulque Patrimonia pro statu Regni nostri, cunctoque Christianorum Populo conseruando iam dictæ Ecclesiæ Tuæ, B. Petro, Vicarioque tuo Bonifacio, ac successoribus eius vsque in finem sęculi eo modo confirmamus Donationes, quas piæ record. Pipinus Rex, postea D. Carolus Excellentissimus Imperator, ac deinceps Ottones pijssimi B. Petro Christi Apostolo spontanea voluntate contulerunt, necnon & censum, vel pensionem, seu cæteras donationes, quę annuatim in Palatio Regis Longobardorum inferri solebant, sicut de Thuscia, siue Ducatu Spoletano, sicut in suprascriptis donationibus continetur, & inter sanctę mem. Adrianum Papam, & D. Carolum Imperatorem conuenit, quando idem Pontifex eidem de supradictis Ducatibus, id est Tuscano, & Spoletano suę auctoritatis pręceptum confirmauit, eo scilicet modo, vt annis singulis prædictus Census ad partem Ecclesiæ B. Petri persoluatur, salua super eisdem Ducatibus nostra in omnibus donatione, & illorum ad nostram partem subiectione. Cæterùm sicuti diximus, omnes suprascriptas donationes ita ad vestram partem per hoc nostrum confirmationis pactum corroborauimus, vt in vestro permaneant Iure, Principatu, atque Ditione, sine machinatione in quacumque parte vestra potestas imminuatur, aut à vobis inde aliquid subtrahatur. De supradictis verò vrbibus, ciuitatibus, oppidis, Castris, vinculis, Territorijs, ac Patrimonijs nec

necnon & Pensionib. atque censibus, ita vt nec nos facturi simus, necque quibuslibet ea facere volentibus consentiamus; sed potiùs omnia, quæ superiùs leguntur, id est Prouinciæ, & ciuitates, vrbes, Castella, Oppida, Terræ, Patrimonia, atque Insulæ, & pensiones ad partem B. Petri Apostoli, ac Pontificum in sacratissima Sede illius residentium nos inquantum possumus defensores esse teneamur, ad hoc vt eam Ditionem ad vtendum, atque disponendum firmiter valeant obtinere, Hæc Henricus. Subiungit alia circa electionem liberam Pontificis, quæ referri hic opus non est.

Et habetur Bulla subscripta cum sigilli impressione ab ipso Imperatore Henrico, & subscripti habentur Archiepiscoporum, & Episcoporum, Abbatum, Ducum, Comitum, & aliorum nomina triginta, & plurimum, qui sigillatim in Diplomate numerantur.

Confirmantur igitur omnes donationes Pipini, Caroli, & Ludouici prædecessorum iteratæ; insuper & ab Ottonibus, obligatio verò pensionis Equi phalerati ab Episcopo Bambergensi singulis annis Summo Pontifici offerendi commutata est cum donatione Beneuenti; de qua Baron. ad an. 1053.

Debetur huic loco mentio donationis Comitissæ Mathildis factæ Ecclesiæ, tum quia in ipsa splendet luculenter liberalitas donatricis magna Italiæ parte fruentis, vt Lambertus eius temporis scriptor habet; tum quia insignis eius pietas, & erga Pontificem Romanum obseruantia dignissima est, quę sæpius commemoretur. Egit vitam in terris æmulam cœlestibus, & hominibus admirandam, vel ex hoc præter alia diuina munera, quòd in cõiugio cum maritis binis Principibus, de ipsorum consensu, illibatum seruauit virginitatis florem, vt refert Baron. ad an. 1089. ex probatis testibus, Porro affectionis erga Sedem Apostolicam amplum testimonium est diploma, quod primò confectum, & deinceps, vel incuria, vel malitia suppressum renouauit ita Exemplari infra adscribendo, sed & ad commendationem tantæ heroinæ, & dictorum confirmationem Epitaphium Vrbani VIII. tumulo in D. Petri inscriptum libet præponere.

VRBANVS VIII. P. M.

Comitissæ Mathildi, virilis animi fœminæ
Sedis Apostolicæ Propugnatrici,
Pietate insigni, liberalitate celeberrimæ
Huc ex Mantuano S. Benedicti cœnobio
Translatis ossibus. Gratus æternæ laudis
Promeritum Mon. Pos.

Comitissæ Mathildæ Donatio Sedi Apost. facta.

In nomine S. & indiuiduæ Trinitatis anno ab Incarnationis D. N. Iesu Christi 1102. quintodecimo die Kal. Decembris Indict. 10. tempore D. Gregorij VII. Papæ in Lateranensi Palatio in Capella S. Crucis in præsentia Cincij Francipani, Gratiani Cincij, Francolini, & Alberici de Petro Leone, & Benincasa fratris eius, & Alberti de Tuscio, & aliorum plurium. Ego Mathilda Dei gratia Comitissa pro remedio animæ meæ, & Parentum meorum dedi, & obtuli Ecclesiæ Sancti Petri per interuentum D. Gregorij Papæ VII. omnia bona mea iure proprietario, tam quæ nunc habueram, quàm ea quæ ante acquisitura eram, siue iure successionis, siue alio quocumque iure ad me pertinentia, tam ea, quæ in hac parte montium habebam, quàm illa, quæ in Vltramontanis partibus ad me pertinere videbantur, omnia, sicut est, per manum D. Gregorij VII. Papæ Romanæ Ecclesiæ dedi, & tradidi, & chartulam inde fieri rogaui; sed quia chartula nusquam apparet, & timeo, ne Donatio, & Oblatio mea in dubium reuocetur, ideo ego quæ supradicta Comitissa Mathilda idem à præsenti die dono, & offero eidem R. E. sicut in illo tempore per manum D. Gregorij omnia bona mea, tam quæ nunc habeo, quàm quæ in posterum Deo propitio acquisitura sum alio quocumque iure, Pro mercede animæ meæ, & Parentum meorum. Et alia subiungit ad maiorem stabilitatem Donationis. Actum Canusij feliciter; Et sequuntur subscriptiones Mathildis, & aliorum qui interuenerunt, quas recitat Baronius ex codice Vaticano tomo 12. ad an. 1102.

Anno autem Christi 1133. Innocentius Papa II. Lothario Imperatori concessit allodium, vt apparet ex Diplomate ipsius.

Innocentius Papa II. Lothario Imperatori Augusto, & Reginæ Imperatrici.

Si auctoritas sacra Pontificum, & potestas Imperialis verè glutino charitatis ad inuicem complecteretur, vt pluribus relatis infra, hoc nimirum, intuitu allodium bon. memor. Comitissæ Mathildæ, quod vbique ab B. Petro constat esse collatum vobis committimus, & ex Apostolicæ Sedis dispensatione concedimus, atque in præsentia fratrum nostrorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, nec non Principum, & Baronum per Annulum inuestimus, ita videlicet, vt centum libras argenti singulis annis Nobis, & successoribus nostris exsoluas, & post tuum obitum proprietas ad Ius, & dominium S. R. E. cum integritate, absque dominatione. & molestia reuertatur &c. Et alia ad eamdem rem pertinentia, & stabilitatem Iuris, & Dominij Ecclesiæ Romanæ subduntur. Datum in Lateranensi Basilica 6. Idus Iunij.

Fructus ij sunt pietatis istorum Principum erga Romanam Ecclesiam, quos præcessere flores donationum supra numeratarum; sed ex radice omnes processere Constantinianæ, cuius mentio facta est in superioribus ex Decreto, cui similia exemplaria è Græcis codicibus in bibliothecis Græcorum olim seruatis refert Eugub. p. 1. Donat. Constan. sed quia à multis impugnatur talis donatio respondendum est præcipuis argumentis ipsorum, vt valida maneat probatio Primatus Rom. Pont. ab honore Imperatorum petita.

CA-

CAPVT VII.

Responsio ad Argumenta donationem Constantini impugnantia.

1 *Soluuntur Argumenta contra Constantini donationem, quorum primum est, quia historici illius temporis non meminere Donationis huius, cum suis confirmationibus, ac responsionibus.*
2 *Constantinus diem obiturus diuisit imperium tribus filijs, & confirmatur tripliciter, ac respondetur.*
3 *Quia ex verbis formulæ redditur suspecta, sicut & ex varietate aliarum formularum.*
4 *Multi viri docti fictam, vel inualidam censent donationem istam, ac proinde dubia est, in dubijs autem non præsumitur donatio.*
5 *Improbabilis videtur ex parte donantis, quia prodigalitas est cum multa regna contineat, & ex parte recipientis cuius spirituali curæ officit eorum administratio.*
6 *Non est certa de fide hæc Donatio quicquid aliqui notent, vt affinem hæresi sententiam negantem.*

Cardinalis Baronius tom. 3. Annalium ad ann. 324. quamquam abstinere velle profitetur à tractatione de celebri hac donatione tot controuersijs agitata, argumentum tamen profert pro parte affirmatiua, quam sequimur, in quo magnam vim putat inesse, in reliquis Lectorem ad scriptores remittens, quibus libitum fuit stylum in splendida materia exercere. Nos hìc, vbi disertè fatemur hærere auctoribus, qui Canonum Sacrorum auctoritate ducti, & scriptorum fidei dignissimorum relatione persuasi veram, validamque donationem Constantini Ecclesiæ Romanæ factam tuentur, ne contrariæ sententiæ cedere difficultatum soluendarum dissimulatione videamur, præcipuas earum proponamus, ex quarum solutione reliquarum imbecillitas apparebit. Illas ad quatuor, & quadraginta recenset Henricus Buccellius Lucensis Iureconsultus in lib. de donatione Constant. part. p. soluitque in vltima, & Gherardus Bosellus l. de eadem donatione Italicè scripto par. 4. vbi 47. argument. contra illam respondit, nobis pauca attigisse fuerit, quarum solutio secum ferat sententiæ communis confirmationem.

Primum Argumentum est.

Quia illius temporis historici donationis huius alioqui silentio non prætermittendæ nullibi meminere, & Eusebius in primis Constantini familiaris in eius vita conuersionem ad Christianam fidem refert in apparitionem Crucis de cœlo, & victoriam de Maxentio, non autem in sanationem à lepra per baptismum collata, à qua opinio aduersa asserit motum, vt conuerteretur, & donaret. Imò Theodoretus, Sozomenus, Orosius non Romæ, sed Nicomediæ in suburbijs Constantinum baptizatum referunt, ac proindè nutat historiæ fides asserentis donationem quatuor post dies à baptismo Romæ factam Syluestro.

Confirmatur primò, quia idem Eusebius lib. 4. à cap. 61. eiusdem vitæ, vbi de Constantini morbo, & obitu agit. tunc quoque baptismo initiatum asserit, & quod maius momentum habet S. Ambrosius in oratione funebri Theodosij de Constantino ita loquitur. [Cui licèt baptismi gratia in vltimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit &c. quam eamdem variationem habet S. Hieronymus in Chronico.

Imò S. Augustinus epist. 162. agetur in illum inducit in causa Cæciliani Episcopi Carthaginensis à Donatistis depositi tanquam christianum Imperatorem cum Melchiade Papa antecessore Syluestri. Verba S. Augustini sunt. Neque enim ausus est christianus Imperator sic eorum tumultuosas, & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse iudicaret &c. Igitur ante Syluestrum Constantinus iam christianus erat, & sic ruit narratio de conuersione eius in Actis Syluestri contenta, & de donatione eam secuta. Valla etiam refert ex Eusebio, Constantinum cum suo patre Constantino fuisse christianum à pueritia.

Confirmatur secundò argumento, quod fortissimum indicat Baron. quia Patres Ariminum à Constantij edicto compulsi in epistola synodica ad ipsum testantur Constantinum post acceptum baptismum vita functum. Recitant eam epistolam Theodoretus, Socrates, Sozom. apud eumdem Baron.

Ad Argumentum respondeo negando antecedens, in actis enim antiquissimis S. Syluestri à S. Damaso scriptis continetur historia conuersionis, & donationis, Constantini: Illa verò sunt approbata in Concilio Nicæno, & in Concil. 7. contra Iconomach. confirmata ab Adriano Papa, qui misit Legatos ad illud, & in literis Act. 2. recitatis repetit historiam baptismi, & donationis Constantini. Affirmat Adrianus Papa in epistola ad Constantinum Imperat. & Leo IX. in epist. 1. contra inauditas Præsumpt. &c. Nicolaus I. in epist. ad Michael. Imper. Meminit etiam Clemens VI. in extrau. Vnigenitus, & alij, vt infra.

Eusebium esse in hac narratione mendacem affirmat Baronius ibidem ad an. 324. tom. 3. alioqui fatendum esset, Constantinum rebaptizatum in extremo vitæ more Arianorum, qui à fide catholica recedentes baptizari rursus volebant, quo admisso, consequens esset; Constantinum Arianum decessisse contra communem sensum Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ pro sancto illum habentium, aut mentitum esse Eusebium in gratiam Constantij Ariani Imperatoris ægrè ferentis narrationem in actis Syluestri contentam, quod magis est credibile; nam baptismus Constantini patris Romæ à S. Syluestro suscepti censura erat Constantio filio tanquam degeneri à paterna fide ad Arianismum, & ideò Eusebius Panphili, Cæsareæ Palestinæ Episcopus Arianorum signifer, ei adulatus fixit totam illam fabulam, cui reclamant, & Concilia, & baptisterium hactenus Romæ perdurans, & an-

antique imagines, & fama ab antiquitate per sæcula ad posteros transmissa, & rationes subindè in consequentibus adducendæ.

Dices, rebaptizatum in fine vitæ ab Ariano Episcopo existimante rebaptizandos, qui à catholicis baptismo essent abluti.

At hoc est inferre iniuriam catholico Imperatori in fide Catholica defuncto, & pro Sancto miris encomijs celebrato in Ecclesia Orientali, & Occidentali, adeò vt Apostolis supparem vocare non dubitauerint. Deinde non ausus est ipse Eusebius mentionem de rebaptizatione facere, quæ gratis, & absque fundamento fingitur, & torrenti auctoritatum aduersatur, quæ pro S. Syluestri actis tanquam veris, ac legitimis pugnant, & sacris Ecclesiæ Dyptichy; in quibus nomen eius recitari solitum narrat Baron. & Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem de illo honorificè meminit; imò & Concilium Chalcedonense Marcianum laudans religiosissimum Imperatorem nouum Constantinum nominat, non comparatutum, nisi similem in excellenti pietate reputasset.

Ad auctoritatem S. Ambrosij fatetur Baronius ibidem in historia facti secutum esse Eusebium, & sicut contra communem sententiam tribuentem miraculo agnitionem Crucis Christi ibi insertam errauit, illam titulo superposito concedens, quo aliæ duæ Cruces carebant, ita & in proposito baptismi Constantiniani. Certè aliæ interpretationes contextui Ambrosiano violentæ videntur, ideò in quæstione nondum id temporis agitata factum credidit Sanctus Episcopus, vt narratum ab Episcopo non sancto fuerat. Et idem esto de Hieronymi sententia in Chronico in addition ad Chronic. 339. nisi mauis additum illi esse ab extraneo, non autem ab auctore assertum, qui in contrarium citatur in epistola vna ad Eustochium, vbi de vinculis Petri tom. 2. ait. Qui postquam dignatione superna per Sanctos Apost. Petrum, & Paulum visitatus, ac per Syluestrum Papam baptizatus est, & ex persecutore fidei defensor, & mandatorum Christi custoditor assiduus factus est. Qui respondent, S. Ambrosium loqui de Constantino filio amandandi sunt ad textum clarissimè de Constantino filio Helenæ loquentem, qui Constantini, & Constantij fuit Pater. Ad Augustinum, quis neget ante baptismi receptionem Constantinum erga christianam religionem affectum fuisse post visum videlicet signum Crucis in cœlo, & audita voce; in hoc signo vince, qua roboratus, victoriam de Maxentio reportauit? Hoc autem contigit anno 2. Melchiadis qui fuit 322. Christi & 7. Constantini, vt ibi Baron. sed nondum tamen tunc ad baptismum accesserat, neque plenè in lege Euangelica eruditus, reseruante Deo perfectionem hanc ad Syluestri tempora, quæ illum lepra laborantem, & postmodum baptismo sanatum, & plenè Christianum videre.

Ad secundam confirmationem respondeo, mendum irrepsisse in textum, & pro Constantino legendum esse Constantem, qui post baptismum diem obijt à Maxentio Tyranno necatus. Ita legit S. Athanasius epist. ad Constantium libro de Synodis, & patet ex discursu epistolæ, in, qua Patres inducuntur pro catholica fide tuenda duplici vtentes exemplo, Constantini videlicet patris in Nicæna, & Constantis in Sardicensi Synodis protegendis; in hac enim Nicænæ confirmabantur decreta. Ita Baron.

Secundum Argumentum.

Secundò objiciunt, quòd Constantinus diem obiturus diuisit Imperium tribus filijs nimirum iuxta Zonaram, Constanti obtigit Italia, & Roma ipsa, Africa, Sicilia, quibus adde Illyrium, Macedoniam, Achaiam, Peloponnesum: Constantino tributæ Alpes Cottiæ cum Gallijs, & tractus Pyrenei, vsque ad Mauritaniam Oceani angusto freto direptam ab Hispanijs Constantio ea obuenere, quæ in Orientali parte Romanæ ditionis erant, & Thracia cum Vrbe paterna. Sic ille, à quo licèt alij Scriptores dissentiant, & inter se in ennmerandis prouincijs à Constantino. Patre distributis, aut proprio consensu post illius obitum diuisis: omnes tamen conueniunt in asserendo, quod totum Imperium pro sua cuiusque parte occupatum est, ac proinde occidentale à nullo Pontifice possessum; quod argumento est, neque fuisse donatum, aut donari potuisse in præiudicium filiorum, quod si de facto donatum fuisset, reuocari donatio poterat à successoribus tamqua m redundans in magnum præiudicium, & diminutionem Imperij, quo casu non valet dicere, quod donatio transierit in vim contractus ob benemerita, & ideo esse irreuocabilem, quia non potest transire cum damno tertij, quod hìc est notabile ob imperij diminutionem.

Confirmatur, quia Romani, & eorum Imperatores per vim aliena regna præsertim Occidentis inuaserant, & tyrannicè retinebant contra ius, & voluntatem dominorum legitimè possidentium, igitur eorum donatio erat inualida, nec admittenda à Christi Vicario.

Neque valet dicere, quod restituit Ecclesiæ, & Christo, quod retinere non poterat, vtpotè alienum tyrannicè vsurpatum; quia non Ecclesiæ, neque Christo, cuius sunt omnia tam licitè; quàm illicitè detenta, & ideo restitutione non egenti restitutio facienda, sed vero Domino, à quo ablata bona sunt; idque adeò verum est, vt Ecclesia non accipiat, quæ vero Domino sunt restituenda.

Multò minùs probabilis responsio totius mundi dominium Christo tribuentium, quod omnem sibi potestatem in cœlo, & in terra datam fateatur Matth. vltimo, ex quo inferunt eius etiam Vicario illud competere idem dominium; nam Christus dixit, regnum meum non est de hoc mundo, & eius in terris Vicarium non habere tale dominium temporale directum communis est sententia apud Bellarminum lib. 5. de Rom. Pont. cap. 4. vt idcirco probatio desideretur dicti Pelagij de planctu Ecclesię lib. 1. cap. 43. & aliorum quorumdam, quod Constantinus prius renuncians omnem Monarchiam temporalem receperit à Syluestro Imperium Orientale, & illi cesserit Occidentale, & quòd Constantinus non dederit Syluestro potestatem, & iurisdictio-

ctionem; quam priùs habebat, sed cesserit cap. 56.

Neque fauet illis testimonium ex Matth. vlt. nam ibi non est sermo de dominio temporali, sed de potestate spirituali, vt Bellar. lib. 5. de Rom. Pont. cap. 6. ex S. Hieronym. & Anselm. hæc est potestas summa in omnes Creaturas diuinæ similis, vt Theophylactus addit non communicabilis puræ Creaturæ, quæ à Suario dicitur excellentiæ.

Confirmatur secundò, quia Iulianus Apostata filius fratris Constantini tenuit Imperium Orientale, & Occidentale, vt Eutropius, & alij Historici, & ante illum diuisim tenebant Constantinus, Constantius, & Constans, vt dictum est: non igitur erat Pontificis Romani, neque illi ereptum ab illis est.

Tertiò de facto Papæ in rebus temporalibus non subiacent Reges, ac Principes, qui in diuersis Imperij Occidentalis partibus dominantur, neque Pontifices Romani ius vllum circa temporalia prætendunt, aut prætendisse leguntur ex vi donationis Constantini; imò ex donationibus varijs Regum, & Principum Christianorum Pipini, Caroli, Ludouici &c. Factis Ecclesiæ constat illos Dominos fuisse regnorum suorum, & Ciuitatum, quas donarunt, ac prouinciarum, quas vectigales fecerunt S. Petro, quibus indicatur carentia iurisdictionis Pontificum Romanorum in illas.

Ad 2. Argumentum. Aliqui negant factam illam diuisionem à Constantino. Sed reclamant auctores citati supra quibus fides adhibenda. Igitur respondeo: De testamento Constantini non constare, & ideo distinctim locutum esse Zonaram, inter tres illius filios diuisum Imperium, vel ab ipso Constantino, vt quidam scribunt, vel eo defuncto ipsorum consensu &c. Sed esto restatus fuerit Constantinus nomine cunsentiente Pontifice, hoc facere potuit, quem libenter consensisse par est existimare, quòd videret difficile esse, imò impossibile in tanta Regnorum distantia ab Ethnicis occupatorum regimen administrare politicum; & satius esse relicta temporali hac cura, & armorum tractatione, spirituali seriò intendere, & populorum ad religionem conuersioni Imperatorum Christianorum ope procurandæ? Quid si spontè Syluester experientia doctus difficultatum in dies emergentium Constantino persuaserit, vt aliter de Imperio Occidentali disponeret, quod administrari à se, aut successoribus in illis circumstantijs minimè posse aduerterent? Neque à nullo eorum missos Præfectos in Prouincias, aut designatos Prætores, vel Consules audiuere Maiores nostri, aut prodidere Scriptores, quia tam Syluester, quàm cœteri ab hac administratione abstinuere, quam inanem fore contradicentibus populis sat videbant. Quæ deinceps causa fuit, vt Imperatores regimen continuarent, nullo reclamante Pontificum, vel Ius suum repetente: neque tamen illud dissimulabant, vbi se dabat occasio, & necessitas commemorandi, vt patet ex registris Gregorij VII. ad Reges varios. [Scitis enim regna vestra ex antiquissimis Constitutionibus B. Petro, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tradita in ius, & proprietatem, vt paulò post dicam.]

Posito autem, quòd solemniter facta esset donatio consentiente Senatu, ac populo, vt ex eius constat formula, erat irreuocabilis à succedentibus in Imperio, ad quod nulli mortalium ius erat ante electionem, & ideo nulli inferebatur iniuria, sed bene ab occupantibus inferri dicenda erat, si per vim impediuissent, ne illa potirentur.

Et quod successores Imperatores minus haberent, quàm præcessores, per accidens est, posito quod licita fuerit donatio ex diuina inspiratione ad gloriam Christi in suo Vicario augendam, vt Card. Turrecr. in cap. Constantinus.

Ad confirmationem respondeo, regna etiam per vim occupata successu temporis legitimè possideri, adeo vt inuasores sint verè domini, & subditi teneantur illis obtemperare. Patet ex Matth. 22. vbi Christus Dominus reddite, ait, quæ sunt Cœsaris, Cœsari, supponens licitè reddi posse, & debere, vt Bellarm. lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 9. Et quamquam ex eo responso vniuersaliter inferri nequeat præscribi regna iniustè ablata, quia vt notat ibi Cornelius à Lapide, Pompeius legitimè possessionemHierosolymę ante centum circiter annos adiuerat, & ad Romanos Imperatores transmiserat; tamen ob alias rationes Constantinus Imperium Occidentale siue iustè, siue iniustè à Romanis acquisitum Christo in persona sui Vicarij resignare poterat. Sed illa potissima ex S. August. lib. 5. de Ciuit. cap. 12. quod Deus istud Romanis concesserit ad domanda grauia mala multarum gentium, & multa vitia comprimenda propriæ amore laudis, cuius erant auidissimi. Et vniuersim ille vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deserit genus humanum, quando voluit, & quantum voluit Romanis regnum dedit, qui dedit Assyrijs, vel etiam Persis &c. Et 5. lib. 5. cap. 21. non ergo aliena dedit Syluestro Constantinus, sed armorum vi facta Romanorum propria volente Deo.

Ad secundam Confirmationem patet ex dictis: Cœsar enim à Constantio Ariano creatus Imperium legitimè Iulianus accepit primum, quod postmodum tyrannicè rexit, & per vim, ac fraudes augere coactus cum vita amisit, non amittente ius semel acquisitum ad Occidentale Romano Pontifice, licèt acquisitionem possessionis tamquam rei impossibilis non tentaret.

Cardin. Alexandrinus super cap. Constantinus dist. 96. cit. docet neque violentia Imperatorum, neque temporum calamitate deperditum ius Pontifici Romano in donata à Constantino, quod alij multi Doctores mordicus affirmant: ob rationes particulares in donationibus Ecclesiæ factis.

Ad tertiam: Etiamsi de donatione Constantini non constaret respectu totius imperij occidentalis, tamen de donationibus, seu restitutionibus Caroli Magni, Pipini, Ludouici Pij, Henrici, & aliorum Regum, ac Imperatorum, qui omnes fermè Italiæ, & Insularum adiacentium terras Ecclesiæ Romanæ donauere, dubitare non sinunt amplissima diplomata in Vaticana, & alijs Regijs Bibliothecis, ac Principum Archiuijs asseruata, quorum exemplaria aliquot publici iuris facta

ità suprà describere licuit; & tamen de facto Principes earum Pontificem Romanum, vt dominum temporalem non agnoscunt, quicquid deindè sit de iure ex varijs bellorum casibus, & regnorum inuasionibus non deperdito, neque translato, igitur non est valida consecutio; nullus fermè Occidentalium Principum pendet in temporalibus à Romano Pontifice, igitur nunquam ex donatione Constantini, vel aliorum acquisiuit ius in Imperium Occidentale, vel in Italiam, quæ pars eius est. Quod sufficit ad Argumenti solutionem. Cœterùm de potestate Pontificis in Regna disputatio altioris est negotij ab Instituto nostro alieni. Illud dissimulandum non est, prædictos Reges non tam donare, quàm restituere Ecclesiæ Romanæ oblata ab eius hostibus profiteri; vt propterea hinc probetur donatio Constantini, & dominium in Ecclesiam translatum, quod aliunde in eam non deuenit, nisi ex donatione.

Tertium Argumentum.

HOc petunt ex ipsa forma donationis relata in cap. Constantinus supra citato, quia in ea fit mentio Constantinopolis, & honoris Patriarchatus eius; & tamen si Constantinus edictum donationis fecit post dies 4. à recepto baptismo, adhuc non erat Constantinopolis altera Roma, nec proindè Patriarchatus eius.

Confirmatur primò, quia in antiquis Codicibus non repetitur cap. Constantinus, neque pagina donationis est in decreto à Gratiano exarato. Deinde sermo cap. Constantinus scatet Barbarismis; alia verò Edicta, quæ certò constat, à Constantino facta, elegantia sunt, & vitij immunia. Palea item, Satrapæ permanenda idest permansura, & similia minus latina sunt &c.

Confirmatur secundò; quia exemplaria huius donationis non sunt eadem apud Collectores, constat enim particulas aliquas esse in cap. Constantinus, quæ desunt in edicto relato à Iuone.

Respondent aliqui, locutum esse Constantinum de Vrbe, quam erigere deliberauerat, & de honore Patriarchatus, quem animo meditabatur tamquam de re certa, & facta.

Non videtur satisfacere responsio hæc, quia Constantinus tentauit alibi nouam Vrbem erigere, sed cum non succederet, & minus placeret situs, tamdem animum adiecit Bizantio, illudque amplificauit, & Regiam fecit Imperij, quam à suo nomine Constantinopolim appellauit. Nisi mauis dicere Constantinum iam tum apud se animo statuisse Constantinopolim aliquam condere, cuius honor Patriarchatus proximus esset à Romano ob Imperij, ac Imperatoris ibi commorantis Maiestatem, licèt de loco nihil deliberasset, eum postmodum delecturus, qui magis arrideret, in Thraciam profecto.

Sed quid si particula illa, Constantinopolis Patriarchatus adiecta dicatur vetustis exemplaribus à Græcorum aliquo studioso nimis honoris illius. Nec displicet Steuchi responsio donationem quidem factam post Baptismum die quarta, sed edictum post aliquot annos cum iam ideam quamdam sibi formauit Constantinus eorum, quæ in edicto exarauit.

Ad primam confirmationem concedo, in peruetustis Gratiani codicibus desiderari caput illud Constantinus, sed additum illi esse tamquam rem exploratam, & contentam in antiquis exemplaribus Græcis, ac Latinis per varias Bibliothecas Græciæ, & Italiæ, præsertim Lateranensem, & Vaticanam, vt infra dicturus sum: Interim quod attinet ad Argumentum, Paleæ vocabulum præmittitur capiti ad indicandam adiunctionem hanc, quæ in originalibus Decretorum Gratiani deerat. Palea enim quamquam aliquandò ad res leues significandas translatè adhibeatur, vix vmquam capitibus Decretorum significatio talis quadrat, & nullo modo præsenti, in quo res maximi momenti, id est donatio Constantini continetur, sed potiùs additionem denotat ad antiquos textus illa carentes, vt aduertunt Iuris vocabularia à viris doctis conscripta, & explicatur in Præfatione præfixa Decretorum Gratiani, iussu Greg. XIII. emendato, & collatione cum antiquissimis codicibus summo studio, ac diligentia amplificato. Notant etiam Auctores isti Paleam nomen esse à Græco *palaia* sumptum, idest antiqua; quasi hæc addita non à collatoribus inuenta; sed ab antiquioribus exemplaribus in Decretum translata sint, & suis locis aptè disposita, vt proindè vana coniectura sit negantium donationem Constantini, & irridentium caput istud Constantinus, vt fictitium, eò quod voces quędam in illo sint non latinę, & eruditioni Imperatoris minimè respondentes: sicut enim Paleæ vocabulum non est Constantini, sed Collectorum ad placitum illud vsurpantium, vt additionem significarent; ita & totus contextus dici potest alicuius, vel Episcopi, vel alterius familiaris ad compositiones istiusmodi Imperatori seruientis, qui respiciens ad eius sensum sollicitior esset in eo exprimendo, quàm in nitore orationis, quæ cœteroqui grauis est, & ijs verbis exarata, quæ in communi vsu adhibebantur ad eas res, & actiones significandas, quas significari in Edicto Constantinus volebat, qualis est vox, Satrapæ, ad denotandas Pręfecturas non sacris literis dumtaxat familiares, sed & prophanis apud vocabularia sacrorum, & prophanorū vocabulorum, de quo S. Thom. opusc. de regim. Princ. cap. 22. vox Satrapæ, quasi satis parati, & à Persis translata est ad Latinos, ad denotandam promptitudinem, & fidelitatem, quam iurant suo Principi.

Ad secundam Confirmationem Gratianus apposuit in cap. Constantinus particulas mutuatus ab Isidoro, qui secutus est vetustissima exemplaria diplomatis Constantini, & nihil eorum, quæ in ipsis continebantur, omisit, contulit cum ea Constitutione suam Boetius Epo lib. heroicas, & Ecclesiast. quæstion. de iurisd. Eccl. quæst. 3. extat tom. 1. Conc. Surij pag. 319. donationis Constantinianæ. Sunt, & alia exemplaria donationis apud Steuchum lib. citat. Castaldum in tract. de Imperatoribus, quæ licèt in accidentalibus differant, eadem tamen sunt, quoad substantialia

tialis donationis; quæ vniformitas assertionem probat. Gratis autem Bodinus lib.1. de Republ. cap.10. asserit formulam donationis à Steucho Græcè redditam ad fucum faciendum, & veram non esse; gratis, inquam, nam hoc decretum conuenit cum alijs quoad substantialia, & est conforme ijs, quæ apud Græcos, & Latinos in præcipuis Bibliothecis asseruantur; quorum exemplaria versare commodum fuit sapienti, & probo viro Steucho Apostolico Bibliothecario.

Quartum Argumentum.

MVlti viri docti vel fictam, vel inualidam censent hanc donationem, ergo est dubia. At in dubijs non præsumitur donatio, sed potiùs error, eo quod donatio sit vt quædam deperditio, l. filius familias ff. de donationibus; imò probatio dubia facit contra producentem cap. in præsentia de Probationibus. Primum Antecedens patet, quia præter Hæreticos huic infensos donationi; & præter Laurentium Vallam acrem impugnatorem, ac derisorem Molinæum, & similis genij aduersarios, improbant illam Æneas Syluius, postea Pius II. in Dialog. Bald. de Coron. Imper. Igneus Caguolus Belfius, & alij apud recentiores, præsertim Dianam par. octaua resolution. moral. tract. 6. resolution. 126. de donatione Constantini. Ex Theologis dubitat Sot. in 4. senten. dist.25. quæst.2. art. 1. Vict. de potest. Eccles. commentitiam iudicat. Can. lib. 11. de loc. cap. 5. Sanctus Antonin. 1. par. hist. tit.8. §.8. putat dubiam, quia cap. Constantinus non habetur in antiquis Decretis. Cuius auctoritatem refert Volaterranus in historia sua de vita Constantini, & ijs intensus Nicolaus de Cusa Card. in libello ad Concilium Basileense conscripto de Concordia Cathol. lib.3. cap, 2.

Respondeo etiamsi esset dubia, tamen in dubijs fauendum est Ecclesiæ l. Personæ ff. de religion. de quo inter alios Decius cons.426.

Deinde vt certam suadent rationes validæ, & fermè demonstratiuæ in morali materia.

Missa facio Scripturæ sacræ testimonia, in quibus vim magnam reponunt plerique huius auctores sententiæ, quia varias habent interpretationes; & earum nulla efficaciter probat intentum, vt infra sum ostensurus. Aliunde igitur probanda responsio est; & quidem argumenta 45. afferuntur ab Henrico Luccellio supra citato, sed quæ facilè ad pauciora è solidioribus reuocari possunt.

Primò ex varijs Decretis, quæ super donationem hanc cadunt, præsertim ex relato supra cap. Constantinus distin. 96. non parui æstimando ob diligentiam, quæsitissimam adhibitam à reuisoribus, & correctoribus libri Decretorum Gratiani iussu Greg. XIII. vt omnes Canones emendatissimi prodirent, & nihil continerent quod non graue, & iudicij, ac eruditionis lima purgatum. Huic similes sunt variæ formulæ donationis, & quoad substantiam prorsus eædem, licèt in paucis accidentalibus diuersæ.

Accedunt alij Canones eamdem confirmantes, vt cap. Sancta Romana dist. 15. vbi probantur acta S. Syluestri, ac proinde item donatio Constantini in illis contenta cap. fundamenta de elect. in 6. vbi miraculo tribuitur, quod occasione baptismi quarta post eius receptionem die donationem faceret, de qua in cap. Constantinus fusiùs agitur.

Deinde Adrianus Papa in Literis ad septimam Synodum generalem Niceæ collectam contra Iconomachos tempore Constantini, & Iren: commemorantur Act. 2. Sancti Syluestri Acta lepra Constantini, sanatio post apparitionem Sanctorum Apostolorum. Non est autem probabile, à Summo Pontifice insertam literis narrationem à 350. Patribus ibi præsentibus audiendam, si vel apocrypha, vel dubia fuisset præsertim cum per annos 400. à morte Constantini perseueraret fama ad tempus vsque illud, quo Concilium celebrabatur. Exemplar illud literarum Adriani in Bibliotheca Palatina seruatur, & à Steucho refertur lib. 2. donationis Constantini è Græco in Latinum versum. Et literæ quidem directæ ad Constantinum fuere, sed lectæ in publico conuentu nullo Episcoporum refragante.

Recitantur ab eodem Steucho Literæ Pontificum diuersorum ad plures Reges, & seruantur registra in Vaticana, vt Innoc. VII. ad Hispanos, & Hungaros, Alexandri III. ad Anglos, Danos, &c. quibus non verentur fateri, regna eorum Romanæ esse Ecclesiæ, quo alio titulo, quàm donationis Constantini.

Gelasius item de ea meminit in Concilio 70. Episcoporum Romæ, Sancti item Isidorus, Iuo Carnotensis, S. Anselmus, apud quos extant paginæ donationis Rupert. in cap. 3. Ionæ ijsdem penè verbis, quæ sunt in cap. Constantinus.

Referuntur alij Pontifices, Historici, Doctores grauissimi donationem Constantini approbantes etiam ex Græcis, vt videre est apud Photium Patriarcham Constantinopolitanum in suo Nomocanone, & apud Theodorum Balsamonem in octauo titulo eiusdem Nomocanonis, & apud alios relatos à Bzouio de Pontif. Rom. cap. 41. licèt ob metum offensionis Imperatorum Constantini successorum ægrè ferentium hanc donationem parci fuerint scriptores illorum temporum in ea commemoranda, vt proinde mirum sit à Cardinali Cusano constanter asseri apud nullum antiquorum vestigium donationis huius se reperisse, & cùm plures de donationibus factis Ecclesijs Sanctorum Petri, & Pauli mentionem faciant. de hac quæ principalis est, omnes sileant; E contra verò Steuchus fateatur, se multa vetera, & noua exemplaria latina, & græca lustrasse, ijsque abundare Bibliothecas, quibus disertè historia donationis Constantinianæ narratur; nec posse de narratione hac dubitari ab antiquitatis scrutatoribus. Difficilius videtur, quod opponit ex c. Ecclesiæ dist 97. vbi Honorio Imperatori testatur Bonifacius Papa, se ad regendum sacerdotium destinatum: Imperatorem verò ad res humanas administrandas, & Vrbem Romam suæ esse mansuetudinis; quod idem Agatho Papa scribit Constantino Imperatori, sub quo sexta Synodus celebrata est.

Re-

Respondeo inferiùs ad similem difficultatem ex Nicolao.

Quartò probatur Assertio, quia Imperatores in libris Canonum sacrorum, quos colligi, & ordine disponi curabant, de rerum hoc Constantini inter primos constituebant, vt constat ex Libro cui titulus est *Nomocanon* tit. præsertim 23.

Profectò si de illa donatione dubitassent, vel eradi iussissent, vel omisissent, vt sibi non commodam. Ex Latinis aduertit Hieronymus Albanus Eques, & Doctor vtriusque Iuris l. defensionis dignitatis Pontificis, & de donatione Constantini 3. p. pag. 46. nullum contra illam edictum fecisse, plures confirmasse Carolum I. Henricum II. Fridericum II. Carolum IV. Othonem III.

Quintò Auctores longè plures, & grauiores habet affirmatiua sententia, quàm negatiua: numerantur illi ad centurias à recentioribus, vniuersim fermè omnes, qui prædicta capita Constantinus, Sancta Romana: fundamenta scholijs illustrarunt, quibus præiuere Collectores Canonum Isidorus Hispalensis Episcopus, Burchardus Wormatiensis Episcopus, Iuo Carnotensis Episcopus, Anselmus, Deusdedit Cardinalis, Gratianus post illos, & alij.

Sextò fauet Publica fama ex historijs multis, ex libris Græcis, ac Latinis in varijs Bibliothecis Orientis, & non solùm in Vaticana literis etiam Longobardicis exaratum Edictum, vt notat Steuch. l. 1. de donatione Constantini...

Quintum Argumentum.

IMprobabilem dicunt hanc Donationem, quia excedit limites liberalitatis, & arguit prodigalitatem in donante Imperio se abdicante, quod multa, & ampla regna continet, alijque de facto plures Reges potentissimos, & imprudentiam in recipiente Siluestro, ad quem pertinet regimen spirituale, & cura animarum, cui impedimentum est administratio temporalis innumeras secum ferens turbationes; non belli modò tempore; sed & pacis. Nec valet dicere factam esse Ecclesiæ, & ideo validè, quia debet acceptari ab aliquo donatio, qua transfertur dominium.

Ob similes rationes putant aliqui non fuisse factam donationem, vel translationem dominij temporalis, sed collatam solùm nudam concessionem in vsus Ecclesiæ ad tuendam Sedis Apostolicæ dignitatem, quę est potestas quædam spiritualis, de qua verba Decreti interpretantur, nec dari à Constantino dicente, Teneat, iure diuino scilicet competentem. Sic Franciscus Turrianus lib. 3. pro Canonibus cap, 8. Boetius Epo. hæreticor. qq. de iurisdict. Ecclesiast. temporali quæst. 5. num. 10.

Sed edictum ita apertè loquitur de donatione dominij temporalis, vt ne violenta quidem interpretatio de sola concessione in vsus Ecclesiæ, vel de spirituali dominio quadret textui, & contra illam est manifesta ratio, quod hoc non potest dari, nec auferri ab Imperatore, cum sit à Christo datum, ideo.

Respondeo primùm, si licuit olim Augusto tradere Senatui Africam, Numidiam, Asiam, Epyrum, Græciam, Dalmatiam, Macedoniam, Bythiniam, Cyrenem, Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, Bæticam, quamuis ijsdem posteriores Imperatores vsi sint, vt ex Dione hist. lib. 93. refert Baron. ad annum Christi 324. Syluestri 11. num. 117. cur non licuerit etiam Constantino tradere Imperium Occidentale Ecclesiæ ob singularia à Deo accepta beneficia apparitionis Crucis, & Victoriæ per eam contra Maxentium, sanationis à lepra per baptismi lauacrum præuia Apostolorum visitatione &c.? quæ cùm nota essent senatoribus, & populo facilè inducti sunt, vt donationi assensum præberent, præsertim cum transferretur Imperij ius in Romanum Pontificem tamquam perennem Romæ incolam, absque periculo transitus ad alienigenam, quomodo non alienari, sed in meliorem vsum mutari dicebantur bona donata, vt aduertit Card. Turrecr. in cap. Constantinus d. 96. & in cap, fundamenta de elect.

Deinde respondeo impulsum hunc fuisse diuinum miraculo non carentem, vt in Edicto Donationis dicitur; proinde neque prodigalitatis in dante, neque temeritatis vitio in recipiente affinem fuisse, sed summopere laudabilem, & admirandum. Et alioqui refutari non poterat, absque præiudicio Ecclesiæ.

Neque obstat, quòd in argumento assumitur regimen temporale impedimento esse spirituali, neque auctoritas Nicolai I. epistola ad Michaelem, quòd post aduentum Christi, nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum vsurpauit, ad differentiam legis antiquæ habentis eosdem Reges simul, & Pontifices, quales fuere Moyses, Melchisedech, Heli, Iudas Machabæus, & alij, vt Bellarm. l. 5. de Rom. Pont. cap. 10.

Non obstat, inquam, quia vnum regimen non impedit, sed iuuat alterum, & ipse Nicolaus possidebat bona temporalia, & Vrbes restitutas Ecclesiæ à Carolo Magno, Pipino, & alijs; & plures Pontifices Sancti, & clari miraculis fuere etiam Principes politici; sed solùm intendit, distinctas esse Dignitates, & munia Imperatoris, & Pontificis, & vnum indigere ope alterius in illis administrandis, nimirum Pontificem protectione Imperatoris in temporalibus, & Imperatorem directione Pontificis in spiritualibus, cum quo non repugnat dominium temporale, vt Bellarm. ibid. Neque est impedimento curæ spirituali, quia non exequitur Pontifex personaliter; sed committit, & iubet Officialibus, quæ agenda sunt in administratione Regni: Et tantum abest, vt hæc cura, & dominium officiat regimini spirituali, vt maximo etiam sit adiumento ad illud conseruandum, & defendendum à fidei hostibus. Alias rationes affert Sot. de iust. & iure l. X. quæst, 4. art. 5.

Confirmatur exemplo aliorum Sanctorum Pontificum miraculis insignium, qui vtrumque dominium temporale, ac spirituale exercuere, quales fuere Leo IV. Leo IX. Gregorius VII. Adrianus I. Leo III. Innocentius III. & alij apud Bellarm. l. 5. de Pont. Rom. cap. 11.

Citantur etiam Sancti Patres Ambrosius, Hieron. Bern. sed nullus eorum de hac donatione Imperij Occidentalis clarè loquitur, præter supra relatos.

Si instes, quia S. Paulus 2. Tim. 2. vetat Episcopum implicare se negotijs sæcularibus.

Resp. primò ex S. Chrysost. sententiam hanc esse generalem ad quosuis milites pertinentem, quia in Græco non est, Deo, sed absolutè militans, ex qua deindè infertur, quòd multò minùs militans Deo implicat se negotijs sæcularibus; atque adeò non Episcopis dumtaxat conuenit, sed cuicumque Christi militi, quales sunt sacerdotes, & similes diuino cultui mancipati, sed tunc.

Secundò respondeo, ex vi verbi græci tu siu pragmaticas prohiberi occupationes, & negotiationes, quibus ad victum, vestitum &c. necessaria comparantur, vt mercatura, agricultura, artes mechanicæ, & similia militiæ impedimenta, quæ vitari à Patribus familias, & vxoratis non possunt; vnde vetitum olim militibus coniugium, refert Cornelius hìc ex Cornelio Tacito, Dione, Tertulliano, vt vel hinc tandem intelligant Lutherani, Caluinistæ Prædicantes, & eorum soboles ex albo militantium Deo se expunctos, qui inuxorati degere renuunt, & liberi à negotijs, & domesticæ sollicitudinis occupationibus esse nequeunt, si vxorem, si filios, si famulos alendi cura illis incumbit, non quod damnatæ sint nuptiæ, sed quia distrahunt animum ad sæcularia negotia minus congrua Ecclesiasticis, & verbi Dei ministris, & iuxta Pauli Apostoli effatum. Qui cum vxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Ab ijs vilioribus officijs abstinere monetur Episcopus, sed non interdicitur pastoralis cura, & regimen politicum in altiorib. occupatum. Vacuum, (inquit D. Bernard. l.4.consid.versùs finem) prorsùs à sollicitudine rerum, minorum, & vilium oportet esse animum tam magnis, & tam multis intentum rebus &c. non quòd earum quoq; dispositio contemnenda sit; sed per inferiores ministros procurari oporteat, & isti quærendi, qui sint fideles, prudentes, graues, vt de eo vice versa dici queat; fidelis seruus, & prudens. quem constituit Dominus super familiam suam.

Si quæras, quàm certa sit sententia affirmans validam fuisse donàtionem factam à Constantino Ecclesiæ in persona S. Syluestri.

Respondent plures Canonistæ, ac Legistæ contrariam esse affinem hæresi. Vide Franc. Borsat.consf.124.longam seriem auctorum pro affirmatiua recitantem, Dianam part. 8. tract. 6. de Donat. cap.136. item plurimos pro ea recensentem, adeò seuerè in aduersam inuehentem, vt deferendos Inquisitoribus sacris censeat eam docentes, quod ægrè illis suadebit. Abstinent à notis Molina tom. 1. de Iust. & Iure tract. 2. disp. 25. Azor.tom.2. lib.4.cap.34. Gretser. de Imper. Reg.munif.cap.5. & alij simpliciter asserentes esse veram, & validam donationem, pro qua stat auctoritas copiosa Auctorum grauissimorum, & rationum vis, non tamen censura aliqua dignam ostendentium contrariam. At inquiès, qui affinem fidei certitudinem sententiæ pro donatione Constantini pugnanti tribuunt, Ecclesiæ sensum sequi se profitentur in varijs canonum sacrorum decretis expressum, Pontificum, & Conciliorum auctoritate firmatum.

Respondeo, in Canonum decretis nihil de fide credendum quoad donationem determinari, neque vllam afferri vel in scriptura, vel in Concilijs determinationem, sed simpliciter afferri, quæ ex antiquis donationis formulis, ac decretis, ac historijs, quæ in varijs codicibus, & bibliothecis tam Latinorum, quàm Græcorum asseruabantur, & per viros eruditos, ac probos collecta sunt, & Canonibus inserta donationem moraliter certam reddidere; non tamen per illa sententiæ neganti nota vlla inusta, sed potiùs relicta disputationi libertas, ex qua probabilitas maior opinioni affirmanti accederet; & in particulari idem asserendum de Actis S. Siluestrj in septima Synodo recitatis; quamuis enim Card. Cusanus supra citatus caput hoc probationis infirmum putet, quia acta S. Siluestri sunt varia, & in nonnullis mentio donationis non fiat, sicut nec in quinta Synodo, vbi approbati numerantur libri, nec in Martini Papæ Synodo contra Monothelitas: tamen quicquid sit de varietate Siluestri Actorum, quæ lecta sunt in septima Synodo, & approbata, continet narrationem baptismi Constantini, & donationis eius, cuius repetendæ in quinta Synodo, nulla fuit necessitas, & ideò à negatione non valet argumentum. Porrò S. Syluestti acta, præter dicta inde etiam fidem habent maximam, quòd Romæ à Catholicis, & in alijs Ecclesijs legerentur, vt ex Gelasio refert Baron. an. 324. p.237.ea videlicet, quæ narrationem baptismi, & donationis continebant. Quo loci aduertere necessarium est, minus iuuari sententiam communem auctoritate Sripturæ Christum prædicantis Regem, ac Principem vniuersorum, non solùm quà Deus est, sed quà homo, ex quo inferunt dominium orbis temporale in B. Petrum esse translatum, vt Christi Vicarium, & inde in eius successores Pontifices Romanos deriuatum. Etenim necessaria non est sequela, quòd si Christus habuit tale dominium, etiam S. Petro communicauerit; nec vlla valida ratione probari potest, quod cum clauibus regni cælorum, & cura pascendi oues suas simul dominium temporalem totius orbis constituerit; sed solùm, quòd summum Pastorem, & Caput Ecclesiæ præfecerit, cui fideles omnes tamquam membra subderentur.

Deinde controuersia est inter Theologos, an Christus quatenus homo fuerit dominus totius orbis in temporalibus, vt ex ea deduci possit translatum dominium hoc in Petrum; quam quæstionem exactè inter recentiores discutiunt Suar. cap. 1. de Incarn. disp. 48. & Vasq.disp.87. Ille quippe triplex dominium distinguit supremum videlicet, quod Deo conuenit Creatori, & creaturæ est incommunicabile, cum dicat independentiam absolutam, quæ solius est Dei. Alterum huic extremè oppositum, quod à voluntate humana pendet, sicut & iurisdictio, & potestas ab hominibus introducta, ad tuendam Rempublicam, iustitiam, ac pacem.

Tertium super omnia regna à Deo pendens, sed Christo communicatum in ea excellentia, vt se extendat ad omnes recreatas, etiam ad Angelorum actiones. Addit alias auctoritates Vasq. cap. 3. sed eas interpretari posse, ait, de regno spirituali Christi, non de temporali, concedit ipse quidem, habuisse Christum Regiam dignitatem, & ius regnandi, ita vt posset Regibus imperare, ferre leges &c. sed nunquam tamen actu eam exercuisse; & in hoc sensu dictum ab ipso; regnum meum non est de hoc mundo Io. 10. Rationem petit ab vnione, ratione cuius deificata humanitas digna reddita est, cui mundi Principes obtemperarent, si iubere voluisset in politica gubernatione, quod non fecit quia eius instituto, & fini Incarnationis non conueniebat. Distinguit autem Vasqu. c. 6. Ius regni, & potestatem sui Imperij in omnia regna mundi à dominio, & admittit illud in Christo, non autem hoc, etiam illud excellens admissum à Suario, & Nauarro, quod reijcit vt fictum, quia non potest dominium in solidum eiusdem rei in plures cadere, & ob alias rationes, quæ si valerent etiam contra ius regium, imperatorium, quod Christo tribuit, militarent, ideo probabilius est, Christum Dominum per se, & directè habuisse excellens dominium in res omnes creatas, & super omnes hominum & Angelorum actiones distinctum, & non impeditiuum dominij infimi competentis hominibus in res proprias, etiam principibus terræ in sua regna, quæ possident, vel iure hæreditario, vel electione, vel iure belli, &c. hæc enim Christus regna terrena non eripuit Dominis suis, qui cœlestia dat electis; & huic potestati quadraut, data est mihi omnis potestas Matth. vltim. Et quia omnia dedit ei Pater in manus Io. 13. Ego autem constitutus Rex ps. 2. & similes. Et vniuersim quidem non est vsus hac potestate, sed aliquando vti se posse ostendit: vt cum ficulneam sterilem maledictione arefecit Matth. 21. cùm Dæmones eiectos ab obsessis immisit in porcos, cùm iussit adduci pullum asinæ dicens, Dominus his opus habet &c. noluit tamen nisi rarissimè vti, quia non expedirent fini Incarnationis, sed benè conuenirent dignitati humanitatis deificatæ per vnionem hypostaticam.

Atque ita conciliantur inter se loca scripturæ, quibus regia potestas, & principatus extollitur Christi ex vna parte, & ex altera prædicatur paupertas, egestas, infirmitas. Filius hominis non habet vbi caput reclinet Matth. 8. Egenus pro nobis factus est, Et alia huiusmodi, quia videlicet vti noluit iure regnandi, potestate temporali, sed exempla præbere humilitatis, paupertatis, ac patientiæ. Non venit ministrari, sed ministrare Matth. 8.

At ex nulla auctoritate probari potest, quod dominium istud excellentiæ, aut aliud in totum terrarū orbem tradiderit S. Petro, & successoribus, sed tantùm quòd spirituale ad Ecclesiæ regimen necessarium, in ordine ad quod dicitur Dominus indirectè tantùm; & hac indirecta potestate explicandus S. Thomas, quando l. 3. de regimine Principum cap. 10. & 19. lib. 13. affirmat, Summum Pontificem habere potestatem spiritualem, & temporalem in toto orbe; nisi mauis de potestate excellentiæ explicare S. Thomam, quæ stat cum dominio altero rerum particularium, vt Suar. supra. Quamquam Bellarm. l. 3. de Rom. Pont. cap. 5. refert addubitari à viris doctis, ac opusculum de regimine Principum sit S. Thomę nam l. 3. cap. 20. dicit auctor suo tempore accidisse, vt Adulphus Imperator successerit Rodulpho, & Albertus Adulpho; sed hic excessit anno 1299. Adulphus autem successit Rodulpho an. 1292. quando iam S. Thom. diem obierat, nimirum anno 1274. De successoribus autem istis consentiunt omnes Historici, ac proinde non potest adscribi S. Thomæ, tum defuncto opusculum illud. Sed quicquid sit de opusculi auctore, non plus probat, quàm quòd Pontifex succedat Sancto Petro in dignitate, ac primatu in spirituali dominio, & auctoritate in Ecclesia vniuersa, non autem quod in dominio temporali mundi totius, nisi indirectè, in ordine videlicet ad finem spiritualem, & salutem animarum. Ex quibus etiam constat, Donationem Constantini non fuisse cessionem, vt Canonistæ quidam contendunt, quasi non dederit Imperium Occidentale Syluestro, sed solùm cesserit quod suum erat Christo, qui habuit quidem potestatem, & dominium excellentiæ ratione vnionis hypostaticæ, sed incommunicabile puro homini. Et licèt illo vti noluerit, non vetuit tamen, ne Ecclesia tertio dominio potiretur, aut acciperet ab Imperatoribus, de qua scriptum à Propheta fuerat. Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.

Congeruntur alia multa argumenta ab auctoribus citatis, sed vel facilè soluuntur ex dictis; vel continent controuersias de iurisdictione temporali, & potestate Pontificis in leges, ac Principes, à quarum tractatione aliena est propositi nostri ratio eo contenta vt ex honore, & obsequio eorum erga Sedem Apostolicam palàm ostendat quam altè, quamque magnificè de illa sentirent, tamquam de re diuina, cuius præcellentiæ nulla in terris dignitas æquetur, omnis obseruantia, ac reuerentia illi exhibita impar exstimetur. Et approbasse videri voluit pios hosce sensus principum sæculi Rex æternus sæculorum; cùm largum benedictionis imbrem in eos effudit, quos in hoc cultus officio constantes reperit; & clausit cœlos ne pluerent super eorum campos, qui vel hęresi dementati, vel alia quapiam impellente malignitate, adacti confregere iugum, & ab obedientia Summi Pastoris ad sinistram declinauere contumaciæ, vt supra vtriusque generis exemplorum commemoratione commonstratum est.

CA-

CAPVT VIII.

Fauores diuini in Principes Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ fauentes.

1 *Fauores diuini facti Constantino Magno, & Theodosio.*
2 *Et Iustino seniori Imp.*
3 *Et Duci Gotifredo Bullionio.*
4 *Et Pipino Francorum Regi.*
5 *Et Carolo Magno eius filio.*
6 *Et Ludouico Pio.*
7 *Et S. Henrico Imperatori.*

LOngum nimis esset eorum texere cathalogum;sicut opportunum insigniores aliquot numerare, quibus visus est Deus vicem rependere voluisse etiam in hac vita obsequiorum, quibus Romanam Ecclesiam, & Pontificem eius caput venerati sunt, vt ostenderet, vnicam illam esse dilectam sponsam, quam Petro, & eius successoribus abiens in cœlum commendauit.

Coriphęus eorum meritò Constantinus Magnus habendus, de cuius felicibus euentis S. Aug. lib. 5. Ciu. cap. 25. Constantinum, inquit, Imperatorem, non supplicantem Dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem tãtis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet, cui etiam condere Ciuitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo Dæmonum templo, simulacroque concessit. Diù imperauit,vniuersum orbem Romanum, vnus Augustinus tenuit, & defendit in administrandis, & gerendis bellis victoriosissimus fuit in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est &c. Et cap. 26. similia habet de Theodosio seniore verè pio, qui post insignes victorias in bona pace Deo animam reddidit. Et cap. 23. de Honorij prospero successu ait, cum Rhadagisus Rex Gotthorum agmine ingenti, & immani in vrbes vicinas constitutus Romanis ceruicibus immineret; vno die tanta celeritate victus est, vt ne vno quidem non dicam extincto, sed nec vulnerato Romanorum, multò amplius, quàm centum millium prosternerentur eius exercitus, atque ipse cum filijs mox captus pęna debita necaretur &c. fuit hic Imperator Romano Pontifici addictissimus, vt constat ex eius epistolis ad Bonifacium Papam. Redeo ad Constantinum, & aduerto ex vitæ scriptoribus. Numquam victus ab hostibus, quos habuit potentissimos, quod nulli Imperatorum, qui tanto tempore regnauit, contigisse proditum est ab ann. 306. ad 337. Nullus Dux exercitus toto hoc tempore superatus. Tres Imperatores scelestissimos, sibique infensissimos Maximum, Maxentium, Licinium miserè obijsse videre meruit. Primus imperium reassumere tentans ab ipso fugatus cum Marsiliam peruenisset, desperatione adactus laqueo sibi vitam ademit. Secundus cum suis satellitibus in flumen Tyberim prolapsus, & vndis absorptus immanium criminum pœnas dedit. Tertius, hoc est Licinius multoties rebellis, & semper deuictus, ac ad pacem in priuata vita admissus, diù illa frui nescius necem subire coactus est Thessalonicę, nequicquam valent intercessione Constantiæ Augustæ eius Coniugis, & Constantini sororis; fortè quod Barbaros contra Romanum Imperium occultè sollicitaret.

Reliquos fortunatissimos Constantini successus, & gesta præclarissima encomijs persequuntur Panegyristæ, & inter hos Nazarius plura narrans, quæ illi ex diuino fauore cœlitus contigere, quæ soli eius imperatoriæ virtuti, ac fortunæ non tam tribui debent, quàm pietati, ac religioni, quam tum cępit ostendere, cùm anno sui imperij septimo Palatium Lateranense Melchiadi Papæ donauit, quod ipse & successores gloriosè incolerent aucturus munificentiam post baptismum Imperij, occidentalis donatione. Verùm cum ante illius susceptionem(quo dementante Fausta ne vxore, an Ariolo quopiam) ad consulendos Aruspices reuertisset, mutatus est etiam fortunæ cursus in infortunia,quorum illud maximum lepræ percussio, quę Baptismi lauacro persanata, occasio fuit sanitatis menti restituendæ, & confirmatæ in Christiana Religione fidei ipsius pristinæ felicitatis recuperatio consecuta est, tùm maximè declarata, cum prope vitæ finem celeberrimam de Persis victoriam reportauit.

Iustinus Imperator, ille videlicet senior, quem Deus à stabulo ad solium euexit Imperij, quanta reuerentia, & amore Apostolicam Sedem sit prosecutus, non honore solùm quo Ioannem Pontificem Constantinopolim proficiscentem excepisse diximus, declaratum est; sed frequens ad Hormisdam Papam literæ, legationes, munera planè regia, atque magnifica confirmauere. Promouit hic rem catholicam in Oriente aduersùs hæreticos multiplicium sectarum ad normam, & consilium Pontificium, & Deus partes imperij, & exercitus aduersùs instructas Persarum acies, tutatus est, quas profligauit, & triumpho suam victoriam decorauit: cuius pietatem si Iustinus iunior ex filia Nepos fuisset imitatus, neque insignem cladem ab ijsdem Persis accepisset, neque magnam Italiæ partem à Longobardis ereptam amisisset. Denique Iustinus post nouem annos regnando feliciter traductos, feliciùs diem obijt, & æternitati viuere cępit, creato successore Iustiniano ex sorore Nepote, cui & diadema imponere gestijt, & consilia saluberrima dedit reuerentiæ in primis Apostolicæ Sedi debitæ, & fidei catholicæ in illa hæresum Orientalium colluuie defendendæ: quæ dum seruare meminit, numen suis rebus propitium expertus est; Wandalos enim tota Africa deturbauit, Italiam ab externorum Regum tyrannide vindicauit, innumeras, ipse fatetur, Prouincias sub iuga Romani Imperij redegit. Vt verò eorum oblitus à recta semita deflexit, & Syluerio,atque Vigilio Pontificibus contemptis, suo sensui conformia, illorum verò sanæ doctrinæ repugnantia dogmata inuehere conatus est, Imperij ruina in dies augescente in delirium lapsus vita excessit.

Missos facio alios fœlicissimos Principum Romano Pontifici deuotorum; vnus pro sua admirabilitate prætermitti se non pati-

patitur. Sub annum 1098. Vrbanus II. bellum sacrum indixerat, & Principes ad conflandum exercitum induxerat ad recuperandam Hierosolymam: coegerat etiam Rex Turcarum suum propè infinitum: morabantur christianę copię Antiochiæ longè inferiores numero; & defectu annonæ fame laborantes, & fermè enectæ; carebant insuper armamentis, & equis, ita vt Godifredus Bullonius vix commodato vti posset. Reuelauit Deus locum, vbi latebat lancea, quæ latus sanctum crucifixi perforauerat cecidit reos diuinitùs, quo recreata sunt corpora valde debilia: quibus signis animati milites non adeo multi descenderunt in prælium contra Turcas prælata lancea, & eorum ad centum millia cecidere, ita Paulus Æmilius l. 4. histor. Franc. & alij relati à Corn. à Lap. in cap. 60. Isaiæ. Visi sunt autem tres viri Sancti de cœlo pugnantes pro christianis, vt referunt illi ijdem historici.

Aistulpho sancti Petri patrimonium, & alias Italiæ vrbes vastante Stephanus II. in Gallias proficisci statuit, opem à Pipino Francorum Rege petiturus, quas & copiosam continuit, & summis honoribus à Pio Rege est oneratus; venienti namque præmisit Euiradum Abbatem, & Rhotaldum Ducem, qui deducerent; Imò & Carolum filium postea Magnum appellatum ad centum passuum millia obuiam cum Optimatum comitatu misit, & ipsemet ad tria milliaria obuiam egressus, vt in conspectum venit de equo descendens, humique prostratus, vnà cum vxore filijs, & Primoribus, Sanctissimum Papam venerabundus excepit, & per aliquod viæ spatium stratoris officium exhibere gestit, cunctisque ex Clero, & populo in lætitiæ cantica se fundentibus, ad Regiam deductus est Ponti Conis, vbi Rex iureiurando suam fidem obstrinxit præstandi quęcumque peteret, quæ & abundè præstitit, ductoque in Italiam exercitu, omnia quæ abstulerat Aistulphus Ecclesiæ reddidit. Narrant historiam Anastasius Iuo Carnotensis, Auctor historiæ Francorum, qui censetur esse vnus è domesticis Ludouici Regis, Baron. ad an. 755. Balduinus Iunius in Cron. Morali par. 3. ad annum Christi 754. Vniuersum ita Apostolicæ Sedi, & eius doctrinę fuit affectus, vt quibusdam in Concilio Francford. contra cultum imaginum dubia ptoponentibus responderit in hęc verba: Apostolicę Ecclesię, & antiquis ab initio nascentis Ecclesię, & catholicę traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungor.

Propterea concessit ei Deus victorias plures contra hostes suos, prosperitatem in pace, propagationem Regni in suis posteris non dissimili modo de Romana Sede benemeritis.

Inter hos Carolus Magnus, quòd Adrianum Pontificem, & Leonem ab iniurijs vindicasset, & Romanę Sedi à Pipino donata, siuè restituta confirmasset, amplissimo diplomate, & alia plura adiunxisset, mirum est, quàm feliciter bella gesserit, quantas victorias reportarit. Himuldum Aquitanorum Regem in deditionem accepit. Desiderium Longobardorum Regem captiuum fecit, Saxones non semel rebelles bello triennali vicit, & ad Christianę pietatis cultum induxit, Saraeenos Hispanię oras latè vastantes compressit, & in illis christianorum hostes perdomuit; Danos, Bauaros, Boemos tumultus cientes sub suę ditionis iuga redegit. Taxilonem Bauarię Ducem sola legatione pacatum quiescere coegit. Aragisum Ducem Beneuentanum Longobardorum reliquias fouentem ad officium adegit. Hunnorum bellum octauo post anno fęliciter confecit, & eorum expugnata Regia, thesaurum opulentissimum asportauit. Godefredum Normannorum Ducem Francis fœderatos vexantem armis domuit. Longobardos per Italiam dispersos depulit, & totius Europę rebus compositis victor gloriosus triumphauit; Ecclesiarum fundator, Academiarum institutor, catholicę religionis defensor acerrimus ad meliores euolauit, relicta sanctitatis fama, ob quam diuinis honoribus dignus est habitus Aquisgrani, vbi sepultus coli cœperat, & auctus honor fuisset, si concessus à legitimo Papa fuisset, & non à Paschali Pseudopapa; cuius tamen diploma numquam reuocatum, vt Rar. an. 814....

Imitatus paternam pietatem Ludouicus Pius, & ipse Imperator quantum detulerit Apostolicę Sedi, Diploma amplissimę donationis, seu confirmationis olim factę ab Ano Pipino, & Parente Carolo amplè declarat. Exemplar, & diploma donationis habes apud Steucham, Baron. ex Biblioth. Vaticana, sed hìc moneo à pietate hoc illi cognomen inditum, quam in totius vitę cursu non vno modo exercuit, tum verò mirificè in extremo morbo, in quo per dies quadraginta omni cibo abstinuit sola Eucharistię quotidiana sumptione recreatus, vt ex eius vitę scriptore, qui adfuit, refert Bozius.

In hunc pietatis fructum referenda prosperitas rerum domi, forisque gestarum, & felix post varias aduersitates euentus, quo Deus grata, sibi fuisse sui Clientis obsequia, & erga Pontifices Romanos officia demonstrauit. Quippe Dacicum bellum fęliciter confecit, Hispanię infestos Tyrannos compressit; Dalmatiam, Pannoniam, Dardaniam, in Imperio continuit, & alia plura gessit, quę Scriptores vitæ eius Regino Leo Ostiensis, & alij posteris tradidere.

Excederet caput hoc limites capitis, & in volumen excresceret, si se in latissimos effunderet campos christianorum Principum, qui se Apostolicæ Sedi deuotos exhibuere, & singulari cultu, ac veneratione Pontifices pro tempore illam insidentes prosecuti sint, & dignos se reddidere, quibus illius institutor Deus propitium se ostenderet in aduersis patronum, in prosperis fautorem, & adiutorem. Eapropter pauca dumtaxat eorum exempla libasse placuit, qui non modò externa demissione, & obsequio Pontificiæ dignitatis celsitudinem testificari honori duxere, sed & fortunæ quod ampla patrimonia, vel donare, vel restituere illis contigerit, & fidem piæ liberalitatis principalibus diplomatibus confirmare.

Idcircò sit prætermitti nefas Henricum I. aliàs II. Imperatorem sanctum, & vel hoc nomine memorandum, quòd primus, & vnicus inter Occidentales Imperatores cum

Chune-

Chunegunda vxore paris sanctitatis fœmina coniugalem thorum æmulum cœlitum choris, & admirandum cunctis terrarum incolis virginitate reddiderit. Hic Benedicto Octauo rerum potienti obsequentissimum se exhibuit, Gregorium Pseudopapam de thrno turbauit, & legitimo Pastori Benedicto restituit. Quo rogante exercitum instruxit aduersùs Grœcos Appuliæ finibus, atque adeò Romanis infestos, & Capuanum Ducem pro Basilio Constantinopolitano stantem potenter domuit, ac pacem Italiæ, & Ecclesiæ tranquillitatem restituit. Designauit annuum censum ab Ecclesia Laubergensi Summo Pontifici perpetuò soluendum, & mentio singillatim facta equi albi phalerati ad eius loci Episcopo offerendi centum marcharum argentearum; & durauit donationis huiusmodi consuetudo ad Leonem, vsque IX. qui pacta cum Henrico Conradi Imperatoris filio conuentione, pensionem illam commutauit cum Beneuenti dominio, quo hactenus potiuntur Pontifices. Sed potissima illius liberalitas enituit in diplomate, quo prædecessorum donationes Pipini, Caroli, Ottonis confirmatas voluit, quod exscriptum hìc tibi exhibere consultò voluimus ad refricandam dicti Imperatoris pietatis memoriam.

CAPVT IX.

Exitus infœlices Imperatorum, & aliorum Summis Pontificibus infestorum.

1 *Gentiles Imperatores Ecclesiæ, & Pontificum inimici, fines infœlices sortiti sunt.*

2 *Horum primus Nero, tum Titus, Vespasianus, Domitianus Traianus de cuius salute fabula est, quæ narratur; Hadrianus Vitellius. Commodus, Decius Aurelianus.*

3 *Pontifices ab Imp. martyrio affecti.*

4 *Imperatores Orientales Pontificibus infensi Constantinus. Valens, Heraclius, & alij triginta circiter.*

5 *Vltimus fuit Constantinus Paleologus sub quo Constantinopolis expugnata à Turcis.*

6 *Imperatores Occidentales persecutores Pontificum Henricus III. Fridericus II. Othones III. & IV.*

Qvemadmodum obsequentes Summis Pontificibus Imperatores Diuina bonitas suis fauoribus prosecuta est, vt capite præcedenti ostensum fuit; ita qui contumaces, vel iniurij in ipsos extitere, derelicti ab illa sunt, & infœlices vitæ progressiones infœliciori morte sceleribus debita conclusere. Et quidem plerique eorum ante Constantinum, vel à familiaribus, vel ab exteris, quà veneno, quà ferro sunt interempti; sed à nobis pauci dumtaxat numerandi ne historiam potius texere videamur, quàm promere argumentum ex historia ad probandum exitus istiusmodi miserabiles à diuina prouidentia eò directos, vt ostenderet amorem in Pontifices, quos martyrij corona Christo passo adsimilabat; & odium in persecutores, quorum æternas pęnas à temporalibus inchoabat.

Primi, à quibus persecutionis in Summos Pontifices, atque adeò in Catholicam Religionem sumpsit exordium, fuere Imperatores Gentiles, quibus præiuit exemplo Nero Sanctos Apostolorum Principes morti adiudicans, quos imitati Imperatores reliqui ducentorum quinquaginta circiter annorum spatio viginti quatuor Pontifices Romanos vario suppliciorum genere peremere. Ipse autem crudelis? Nero matricida, vxoricida, incendiarius Vrbis, flagitiorum inuentor; persecutor Christianorum, desertus tandem à suis ducibus Iulio Vindice Gallico exercitui præfecto, à Galba Hispanicas copias regente, à Rubrio Gallo misso contra rebelles, insuper, & à Prætorianis, vili veste indutus clam se abscondit in spelunca Prædij Phaontis Liberti inter viam Salariam, & Nomentanam, cumque ad necem se ab equitibus quæri cognouisset, vulnere sibi inflicto capturam anteuertit, ac animam in angustijs trahentem Epaphroditus, & ipse libertus confecit V. Idus Iunias, quo die Octauiam coniugem ipse interemerat.

Sub Tito, licèt alij sentiant sub Vespasiano cum Bar. an. 80. aliàs longè mitiore, quàm Nero fuerat, martyrio est affectus sanctus Linus Petri successor, sed ille quoque impius pœnas luit impietatis; nam post duos imperij annos propinato, vt creditum est, à Domitiano fratre veneno, extinctus est.

S. Cletus Lino suffectus in Pontificatu sub Domitiano fęliciter mortem pro Christo subijt, Domitianus miserè interfectus est: siquidem Stephanus Procurator Domitillæ illius Neptis in exilium pulsæ, quòd christiana esset, curauit ad tyranni colloquium admitti, & voti compos factus, porrexit libellum, quo coniurationis seriem scriptam simulabat, & auidè legenti exerto gladiolo, quem brachio ad collum appenso, vulneratæ manus simulatione adiunctum tegebat, confodit inguina, & alij coniurati repente ingressi, septem vulneribus contrucidarunt. Miseri autem cadauer per Vespillones exportatum ignobiliter sepultum est.

Traiani quoque odium, & persecutio christianorum non solùm in Summos Pontifices Euaristum, & Alexandrum; sed & in Clementis dignum syderibus caput desæuijt, quod speraret eo preciso membra reliqua Romæ collapsura, ciuiumque Romanorum conuersionem ad fidem impeditum iri. Hunc vt mitius videretur agere, in Cimmerium Bosphorum trans mare Ponticum relegauit, vbi diuturnius quidem, sed gloriosius, ac fœcundiùs martyrium passus est: nam & christianos ad lapidicinas damnatos mirificè consolatos verbo Dei, & Sacramentis recreauit, & miraculorum splendore latè per illas oras coruscante innumeram Gentilium multitudinem ad Christi fidem traduxit, quod ægerrimè ferens tyrannus apud Tauricam Chersonesum anchora prægrauante ad collum suspensa iussit in profundum demergi, escam piscibus futurum; ni Deus meliori sorti reseruasset; recedente namque mari ad

tria

tria milliaria antecedentes christiani ædiculam marmoream in templi formam reperere, in eaque ędiculam lapideam corporis conditorium, haud dubio angelico Magisterio fabrefactam, & iuxta illam anchoram, qua cum mersus fuerat iacentem videre incredibili, cum gaudio, & admiratione. Et Martyri quidem inclyto tàm superstiti, quàm vita functo cœlum, tellus, fretum, Angeli fauisse; Contra verò tyrannum perfidum exosum habuisse, haud obscuris indicijs prodidere. Nam post insignes victorias, quibus prouincias remotissimas Romano imperio adiunxerat, versa in aduersum fortunæ Rota, rebellantes quos subegerat populos, ac passim in Romanos milites desæuientes, quos comprimere non valuit, tolerare coactus est; & ad tonitrua insuper, ac fulgura, & miræ magnitudinis grandinem, terræmotus, inundationes, incendia pauere; insuper & muscarum venenatarum agmina, quarum contactu cibaria inficiebantur, & humana corpora ineuitabilibus morsiunculis feriebantur. Ad hæc Iudæorum natio in diuersis imperij partibus coniuratione facta, præsertim in Cyrene, Ægypto, ac Cypro furore, rapinis, cædibus populos vexabat, nec eorum premendæ immanitati modus prius inuentus, quàm malorum tam multorum vndique irruentium turba Tyranni cor dominandi auidum opprimeret, angustijs lancinatum morti præpararet, quèm apud Salinuntem Ciliciæ vrbem, diuerterat venenum ex probabili suspicione, attulit; angor animi, & exercitæ in christianos crudelitatis memoria accelerauit; ventris profluuium irretentum exasperauit. Et mens quidem sanior Traiano paulò ante reddita in causa fuerat, vt Præfectis mandaret seueritatem in christianos remitterent; sed serò factum non adeò placauit Numinis iram, vt verosimile sit eius animam post annos 300. ab inferis sancti Gregorij precibus excitatam, vel suspensam vsque ad iudicij diem sententiam salutis, aut damnationis decretoriam, vt nonnulli autumant, ne historiæ circumforaneæ, nec omninò auctoritate destitutæ refragari videantur potiùs narrationem illam inter fabulosas numerandam censuerim, vt Bellarm. tom. 1. l. 2. de Purgat. cap. 8. secutus sententiam Cani, & Soti varias rationes ad illam improbandam adducentium, quibus alias addit Baron. ad annum Christi 604.

Hadrianus substitutus in Imperio Traiano, carnifex ipse suæ vitæ fuit, cuius tædio mortem sibi conscire, haud semel tentauit, & seruos, ac medicos, vt quod sibi non successerat ad votum, veneno, aut ferro ipsi conficerent, recusantes malè habuit, & cibi abstinentiæ hydropi finem imposuit, ac ad pœnas atrociores immigrauit reddita Orco anima multis inquinata sceleribus, & præsertim parricidio Euaristi, & Alexandri Pontificum eo imperante necatorum, & indigno Antinoi formosissimi pueri facinore, quem vita functum defleuit, ac inter Deos relato magnificum templum extruxit. O insaniam, vel ridendam, vel deplorandam.

Vitellius omnibus vitijs contaminatus, & in christianos ferus vitæ finem sortitus est duplo cæteris antecessoribus miseriorem. Inuentus à militibus extrahitur è cellula, in qua se abdiderat, & religatis post tergum manibus, iniecto ceruicibus laqueo (ait Suetonius) veste discissa seminudus in forum tractus est inter magna rerum, verborumque ludibria, per totum viç sacrç spatium reducta coma à capite, ceù noxij solent, atque etiam mento mucrone gladij subiecto, vt visendam prçberet faciem, neue submitteret, quibusdam stercore, & cœno incessentibus, alijs incendiarium, & patinarium vociferantibus, vulgo etiam vitia corporis exprobrante, erat enim in eo enormis proceritas, facies rubida plerumque ex vinolentia, venter obesus, alterum femur subdebile, impulsu olim quadrigę, cum aurigante Caio ministratorem exhiberet, tandem apud gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, atque confectus est, & de vnco tractus in Tyberim.

De Commodo Antonino scribit Egnatius ex antiquis historicis. His incitati licèt nimis serò Quintus Ælius lętus Pręf. & Martia concubina inierunt coniurationem ad occidendum eum. Primùm ei venenum dederunt, quod cum minus operaretur, per athletam, cum quo exerceri solebat, eum strangularunt, & mox corpus eius, vt vnco traheretur, atque in Tyberim mitteretur Senatus, & populus postulauit. Sed postea iussu Pertinacis in monumentum Hadriani translatum est: præcesserant pestilentia, incendia, & alię calamitates in Vrbe, & per imperij fines.

Decij crudelitatem in Christianos, & ipsorum Pastorem Fabianum Papam vltapalus est, quę ipsum fugatum à Gothis Thraciam inuadentibus, nec cogitantem exhausit, suffocauitque.

Aurelianus occiditur serui sui fraude accusantis ipsum apud milites aliquos, quòd ipsos occidere pararet, & ostendentis ad hoc probandum literas manu illius falsò adnotatas; itaque ab ipsis interfectus est, in itinere medio inter Constantinopolim, & Heracleam.

Denique, vt compendio dicam vltra 54. Imperatores ab Augusto ad Constantinum, vsque numerantur, quorum Primipilus persecutor Christianæ religionis, & Pontificum Romanorum Nero exemplum, animumque reliquis si paucos exceperis, dedit, vt in eorumdem sçuirent sanguinem; atque adeò ad 27. Sanctissimos Petri successores illorum dira persecutio de medio sustulit, & cœlo reddidit; Et si plures ab alijs censeantur.

Anno Christi 69.

Hi fuere S. Petrus sub Nerone.

Bar. 16. oct. pœnit. sub Traiano in comp. sub Hadriano.

80	Linus sub Vespasiano	23. Septemb.
93	Clerus sub Domitiano.	26. April.
102	Clemens sub Traiano	23. Nouemb. Vt Bar. an. 112.
112	Anacletus sub Traiano	13. Iulij.
121	Euaristus sub Hadriano	26. Octob.
131	Alexander sub Hadriano	3. Maij.
142	Sixtus sub Antonino	6. Aprilis.
153	Sanctus Hyginus sub Antonino	11. Ianuarij.
154	Telesphorus sub Antonino Pio	5. Ianuarij.
167	Pius sub Marco Aurelio Antonino, & Lucio Vero	11. Iulij.
175	Anicetus sub eisdem	17. Aprilis.
179	Sanctus Soterus sub eodem Marco Aurelio	22. Aprilis.
226	Callistus sub Alexandro	14. Octob.
233	Vrbanus sub Alexandro	25. Maij.
237	Pontianus sub Alexandro	19. Nouemb.
238	Antherus sub Iulio Maximino	3. Iunij.
253	Fabianus sub Decio	14. Septemb.
255	Cornelius sub Decio	14. Septemb.
253	Lucius sub Valeriano	4. Martij.
260	Stephanus sub Valeriano	2. Augusti.
262	Sixtus Secundus sub Valeriano	6. Augusti.
275	Felix Primus sub Aureliano	30. Maij.
275	Eutychianus sub Numeriano	8. Decemb.
296	Caius sub Diocletiano	22. Aprilis.
	Marcellinus sub Diocletiano	26. Aprilis.
304	Marcellus sub Maxentio	16. Ian.

Præter eos, qui in exilium pulsi, & alijs ærumnis vexati longiori Martyrio sunt affecti.

Imperatores Orientales.

TRanslata imperij Sede in Orientem cessauit in Occidente persecutio in Pontifices, fauente illis Constantino nuper ad fidem conuerso, sed eo vita functo illa reuixit, nam Successores Constantini plerique hæresum aliquam sunt amplexi, & ij consequenter Romano Pontifici aduersarios sese præstitere, & infœlices fuere.

Dedit initium infaustum Constantinus Constantini Patris optimi filius pessimus, atque vt in perfidia malo fuit omini cœteris, ita & in obitu terrori esse debuerat, si aduertere animo causam infœlicitatis voluissent. Quippe accepto nuncio, quòd Iulianus à militibus Augustus esset proclamatus, & cum exercitu aduersùm se tenderet, dolore correptus cruciari cœpit adeò immaniter, vt carnes eius instar foculi arderent (ait Ammianus) neq; manus illi possent admoueri; atq; ita à corporis ardoribus ad animæ incendia properauit.

Valens item, & ipse hæreticus, vel à Gothis profligatus, & concrematus est in tugurio, non reperto deinceps cadauere; vel à suis peremptus, ne in manus veniret hostium, & exutus, nihilo fœlicius finem fecit imperandi cum mercede iniquitatis in inficiendis hæresi Ariana Gothis, quos deindè contra se armatos tam victores, quàm sui carnifices expertus est ditus ipse carnifex bonorum, & hostis catholicorum, quos vexare miris modis voluptati duxit.

Alter huius nominis Valens à primo Valente Nonus imperio, Theodosium fratrem interfecit, & vicem recepit ab Andrea suo intimo familiari, à quo in Sicilia necatus est.

Heraclius dum catholicus fuit, & erga Rom. Pontif. benè affectus, fœliciter regnauit, & Victoriam de Persis tulit celeberrimam; factus Monothelita aduersam expertus est fortunam, & inaudito morbi genere extinctus est, ait Zonaras tom. 3. Annal. Byzan.

Iustinianus Imperator impium decretum fecit, ne Pontifex Roman. crearetur sine sua approbatione paulò post victus ab Hunnis eorum tributarius fieri coactus est, in plures incidit hæreses morte subitanea extinctus fuit, vt Baron. ad ann. Christi 565. ex Euagrio, in S. Martinum impius Constans Heraclæ nepos pœnas impietatis luit. Etenim Monothelitarum sectator, & cum illis à S. Pontifice excommunicatus ita ira excanduit, vt vinctum Domini captiuum Constantinopolim adduci curauerit, & pessimè in itinere à militibus tractatum, ægrum, ac fatigatum in carcerem coniecerit, & catenis collum, lateraque circumdederit, post semestre afflictatum, in Chersonesum Ponti relegauit cum hac ignominia, vt seminudum, ac seminecem populo in medio foro ridendum exposuerit. In eo exilio ærumnis confectus ad æternam fœlicitatem migrauit anno Domini 654. quo tempore turpiter à Saracenis victus fuit, & Imperator Theodosium Diaconum fratrem suum vita priuauit, qui aliquoties ei quiescenti visendum se præbuit plenum sanguine craterem ostentans, ac dicens Bibe frater. Tandem illata internecione viuere desijt.

In promptu est ad triginta Imperatores Con-

Constantinopolitanos hæresi infectos, & Summis Pontificibus infestos appellare, qui omnes infœlici gubernatione, & multis calamitatibus vexatum imperium administrarunt, fato perfuncti sunt, vel ab externis, vel à domesticis, etiam propinquis perempti, vel miserabilibus, & diris confecti morbis; quorum seriem conclusit Constantinus Paleologus, quem Turcarum Imperator Mahometes Solio, regnoque deiecit anno 1453. vt communis fert sententia contra asserentes quòd anno 1452. In quo tragico casu notasse libuit scriptoribus infortunia quædam singularia. Primò, quod Barbarus Mahometes ardore gloriæ flagrans immissam cogitationem facinoris ardui, & primo aspectu impossibilis de expugnanda Constantinopoli omni murorum, vallorum, armorum, militum, munitione propemodum inexpugnabili, tam strenuè, ac sagaciter executioni mandarit, vt tandem nondum expleto ab initio obsidionis bimestri tormentis prægrandibus quassatam expugnarit. Deindè mysterium in hac expugnatione aduertunt, quod vigesimanona Maij feria tertia, quæ erat tunc Pentecostes contigerit; & fuerit iudicium iræ diuinæ castigantis Schisma Græcorum, & errorem negantium Spiritum sanctum à filio procedere; quamuis enim in Florentino Concilio vnio facta fuisset Græcorum cum Latinis; tamen decretum illius non legebatur, quòd pro argumento fictæ vnionis accipiebatur dissimulante Imperatore, & Gregorio Patriarcha. Tertiò, paulò ante hoc excidium lux magna de cœlo supra Constantinopolim dilapsa subitò euanuit. An ad significandam temporis breuitatem, qua lux veritatis de processione Spiritus sancti, & alijs dogmatibus fidei ad Græcos à Synodo Florentina deriuata non diù durauerat, & ideò pœna defectionis, & inconstantiæ impendebat? Quartò, inuenta est Columna, seù tabula, in qua distinctis cellulis Leo Imperator descripserat nomina Imperatorum, & Patriarcharum, & vltimus erat Constantinus respondens Constantino Magno fundatori Vrbis filio Helenæ, sicut & vltimi Claudentis agmen mater fuerat Helena. At summa fuit mors in conflictu istius inter cadauera reperti, & agniti ex Aquilarum figuris in ocreis renitentium. Fama fuit abscissum ipsi caput, & hastæ impositum per vias publicas circulatum, siuè ad opprobrium, siuè ad agminum solamen gaudentium, sibi securitatem, & quietem in posterum à nullo turbandam, & bono illi fortuna vertit, quod pugnando occubuerit, alioqui ipsi viuenti truncandæ ceruices fuerant à Mahomete, qui totam nobilitatem astu in Vrbe deprehensam obtruncauit.

Imperatores Occidentales.

PAucos ex ijs inuenies, vel hæreticos, vel aliàs Summis Pontificibus inobedientes; sed in illos paucos diuinæ vindictæ signa apparuere, tùm in alijs, tùm infœlici mortis genere.

Primus se offert Henricus Tertius pro hæretico habitus, qui ab Henrico IV. filio in bello captus regno spoliatur, in vincula conijcitur, & in ijs ab omnibus destitutus miserrimè diem claudit. Hic Alexandrum II. Sede expulerat, & alijs modis in Papas desæuierat.

Huic non absimilis, imò peior Fridericus Secundus Henricum filium coniecit in vincula; & inedia extinxit, & non diù post ipse à Manfredo filio notho strangulatus est, cum in Apuliam se recepisset à Parmensibus quos obsederat, profligatus; præter alia enormia scelera ab ipso patrata hoc fuit enormissimum, quòd Pontificiam potestatem excindere conaretur, & excisurum vana vaticinatione gloriaretur: Maleficij pœna strangulatio à filio perpessa, cui adiunxit Conradi, & Henrici fratrum necem veneno illatam. Vterque diris ob infanda scelera olim deuotus, in quibus patrem filius superasse videretur, nisi quod iste saracenum potius prætulit, quàm Christianum, nam vt Crantzius l. 8. Saxon. cap. 9. Maluit ille vir malignus Fridericus Ecclesiam lacerare, quàm amplificare; maluit rodere viscera eius, quàm fidem Christi propagare: malignitatem eius, vel in vna re euidenter est videre Fratrem regis Tunitij Saracenum baptizari, & sacris christianis initiari properantem auertit &c. tum pergit narrare fauores, ac honores Saracenis præstitos, & Christianis denegatos ab homine omnis libidinis fœditate coóperto, & sanguinario.

Ante istum Otho IV. ob suam contumaciam, ac scelera ab Honorio III. anathemate perculsus post varios casus, & infortunia à suis derelictus, fugatus mærore contabuit, & diem clausit.

Otho verò III. damnatus in Romano Concilio ob execrandum iudicium à conciliabulo Romano ab ipso coacto in Ioannem XII. repentino interitu in Saxonia peremptus, nec Othoni IV. eius nepoti diù imperio potiri licuit, etenim Romæ à Crescentij vxore ab ipso adamata veneno sublatus est.

Longum esset Reges alios, & Principes numerare, quibus infortunia euenere plurima, & interitus miserandi, quod malè affecti erga Sedem Apostolicam Pontificibus in ea sedentibus, vel irreuerentes fuerint, vel iniuriosi; vniuersim hoc aduerterim nullū eorum talem fuisse, qui vel hæretica prauitate, vel flagitiorum turpitudine contaminatus fuerit, & maximas calamitates in populos non inuexerit irato numine, & per elementa, per sydera, per homines ipsos, Principum scelera castigante.

Erudimini qui sceptra geritis, & paludamenta induitis. Christum in suo Vicario venerari, & ei, quem parentem, & caput Deus vobis dedit reuerentiam, obsequium præstare, vnde vestris Regni fœlicitatem, vestris familijs fœcunditatem, vestris bellis victoriam prouenturam speretis?

OPVS DEI ADMIRABILE

CONTINENS.

PARS QVARTA.

Fragmenta epistolarum aliquot Summorum Pontificum ad varios Principes, & vice versa istorum ad illos.

QVod in optatis habuisse fatetur Baronius tom. 9. Annal. ad ann. 767. vt epistolas Pauli, & Hadriani Pontif. Romanorum ad Carolum Magnum, & ad Pipinum Francorum Reges adipisceretur, & voto se fraudatum indolet post exactam in illis perquirendis diligentiam, bibliothecam Vaticanam, vbi asseruari dicebantur volutando, Id assecutum se gaudet Iacobus Gretserus insignis Societatis Iesu scriptor, non tam casu, atque studio, quàm diuinæ Prouidentiæ munere in libro, quem istiusmodi epistolis Gregorij III. Stephani III. Zachariæ I. Pauli I. Stephani IV. Hadriani I. Pseudopapæ Constantini ad Carolum Martellum, Pipinum, & Carolum Magnum conscriptis Sebastianus Tingnagelus Cæsareæ Bibliothecæ Viennæ Præfectus inuenta in Cariosis membranis illarum epistolarum exemplaria Gretsero de Republica literaria benemerito, communicare duxit esset ingenui, ac sinceri amici, aque hinc de Ecclesiasticis historicis benemerendi occasionem offerri sibi arbitratus est, si occultum thesaurum panderet, & publici iuris faceret opera Gretseri eiusdem, qui edendis in lucem libris, & egregijs commentarijs destinebatur. Cusus est Ingolstadij liber, vbi venerabilis ille Pater morabatur, Indeque per orbem sparsus commodum mihi peperit ex integris epistolis plagulas decerpere, quibus confirmarentur, quæ superiùs dicta sunt de Romano Primatu, quem splendida testificatione agnouere Mundi Principes non verborum modò titulis honorificis; sed & externis reuerentiæ, ac donationum amplissimarum muneribus, vt ibidem ostendere conati sumus.

Et quia præter enumeratas, tam multæ id generis epistolarum è celeberrimis bibliothecis, Vaticana præsertim, ac Laterana, à nobilibus script. histor. Eccles. exscripta sunt, vt in vnum collectæ in magnum volumen excrescerent, visum est operæ pretium plagulas insigniorum aliquot ab ipsis mutuatas iucundè iuxtà, ac frugiferè perlegendas lectori obijcere, non modò quia ornamenta sunt opus Admirabile decorantia; sed etiam quia loco argumentorum deseruiunt ad probandum Primatum Romani Pontificis, siue istius spectetur auctoritas in illorum instructione, & correctione eluceus; siue Principum ipsorum submissio, ac reuerentia, quam spirant epistolæ, quàm gesta prædicant, quam obsequia, donationesque testantur. Reiectæ sunt autem in hanc partem, quæ admisceri potuissent probationibus superiorum, nisi earum prolixitas intertubare syllogismorum, vel enthimatum breuitatem visa esset, quòd longis narrationibus historiæ affinibus constet, non omittendis citra disputationis dispendium, ideoque peculiarem locum reposcentibus, ne quid absolutæ tractationi desit, quod ad plenissimam Primatus Romani cognitionem desideretur, cui fasces, cui sceptra, cui diademata submisere Imperatores, cæterique sæculi principes; cui iura, ac possessionem Pontifices ipsi Christi hæreditatis defensores aduersùs tenebrarum rectores strenuè contutati sunt; in bina autem capita hæc pars distincta est. Primum continet epistolas Summorum Pontificum ad varios Principes; secundum epistolas Principum, ad eosdem Pontifices Romanos.

CAPVT PRIMVM.

Ex Epistolis Summorum Pontificum ad Principes.

Epistola Papæ Adriani ad Carolum Regem directa &c.

DOmno Excellentissimo filio Carolo, & Regi Francorum, & Longobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Recordari vos credimus, Excellentissime, & à Deo protecte fili, & magne Rex, quomodo disposuisti vestros prudentissimos, ac fidelissimos Missos, vt cum nostris pariter Missis pergerent ad suscipiendum in integro patrimonium nostrum Rauennense, quod pro vestræ animæ mercede, & venia delictorum B. Petro, protectori Vestro concedi iussistis. Dum verò nostri, vestrique illuc pergerent Missi, inuenti sunt ibidem fidelissimi, atque seniores testes, annorum plus minus centum, qui testificantes super altare, intus Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in loco quidem Forobono coram Sanctis Euangelijs, in præsentia fidelissimorum, ac nobilissimorum vestrorum Missorum, scilicet Itherij, & Monegarij Cent. Machinarij Magnarij tantummodo vestri Missi, absque præsentia nostrorum Missorum, adfirmantes dixerunt: quod & ipsi vestri Misi Vobis suppliciter, sicut testes illi iurati patefecerunt, referre possunt, quomodo antiquitus ipse Beatus Petrus, Sanctaque nostra Romana Ecclesia idem detinuit patrimonium, nec nostris Missis contradictum est. sicut isti testes adfirmantes, coram Sanctis Christi Euangelijs testificantes dixerunt.

Sed petimus te, Excellentissime fili, & magne Rex, atque spiritualis compater, vt vestram apprehendere debeant dexteram, & iurantes dicant ipsi Vestri nobilissimi, quid de eodem patrimonio Sauinensi Beati Petri præuiderunt, atque cognouerunt, testem enim inuoco Deum, quia nullorum fines irrationabiliter appeto, sed sicut ex antiquis quæsitum fuit, ipsum iam fatum patrimonium, & id in integro Beato Petro Apostolo concessistis, ita suscipere optamus. Videtur redundare, aut aliquid deest, cum quo cohæreat. Quatenus petimus Vestram regalem potentiam, vt pro amore eiusdem Dei, Apostoli, atque nostro, ipsos iam fatos fidelissimos Missos Vestros, aut vnum ex illis, cum alia persona, quæ vobis placuerit, dirigere iubeatis, vt ipsum patrimonium Sauinense; sicut cœpistis, in integro iustitia annuente, nobis concedatur. Quapropter vsque in finem perseuerare debeat Vestra regalis potentia, sicut idem patrimonium in integro eidem Dei Apostolo pro vestræ animæ mercede, concessistis, atque tradidistis, vt hic & in futuro, à Domino Deo Nostro, & ab ipso claui gero regni Cœlorum retributionem bonis, suscipere mereamini, vnà cum Excellenti filia nostra, domna regina, nostraque spiritali commatre, & Vestra nobilissima prole, atque memoriale vestrum in Ecclesia eiusdem Dei Apostoli opinarissimè in æternum permaneat. Incolumem Excellenriam Vestram gratia superna custodiat.

Ex Epistola eiusdem Papæ ad eumdem &c.

SED recordari te credimus, dulcissime, atque amantissime fili; qualiter nos benignissimo Vestro ore affari estis, dum ad limina Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli properati estis, quia non aurum, neque gemmas, aut argentum, ad literas, & homines conquirentes tantum fastidium cum vniuerso à Deo protecto vestro Francorum exercitu sustinuissetis, nisi pro iustitijs B. Petri exigendis, & exaltatione Sanctæ Dei Ecclesiæ perficienda. & nostram securitatem ampliare certantes; sed tamquam præsentialirer coram vestris mellifluis regalibus obtutibus assistentes, obsecrantes petimus Vestram à Deo fundatam regalem potenriam, vt de tanta, & tali tribularione, in qua nos ipsi Vestri dereliquerunt Missi, velocirer per fidelissimos, & benignissimos vestros Missos, nos consolari, & lætificari iubeatis, quia & ipsum Spoletinum Ducatum vos præsentialiter obrulistis protectori vestro B. Petro, Principi Apostolorum per nostram mediocriratem pro animæ vestræ mercede, & ita obnixè quæsumus, præexcellentissime fili, vt nostram deprecationem de prædicta afflictione, & prænominato Spoletino Ducatu celeriùs effectui mancipetis, quatenus dignā à misericordiosissimo Deo nostro intercedente B. Petro Apostolorum Principe, pro cuius amore, & reuerentia aurem nostris petitionibus accommodare inspiratus fueris, suscipias mercedem quia, Deo reste, dicimus, vel nisi Vestram cupimus exalrationem, & læritiam, dum, annuente Deo, magna inter nos, atque insolubilis charitatis concordia corroborata est, permanenres in his, quæ mutuò inter nos asserentes confirmauimus Incolumem Excellentiam Vestram gratia superna custodiat.

Epistola eiusdem Papæ Adriani ad eumdem Domnum Carolum Regem &c.

DOmno Excellentissimo filio, nostroque spirituali Compatri Carolo Regi Francorum, & Longobardorum, atque Patricio Romanorum, Adrianus Papa. Ad aures clementissimæ regalis Excellentiæ Vestræ intimantes innotescimus, quia dum vestra regalis in triumphis Victoria præcipiendum emisit, vt à partibus Rauennæ, seu Pentapoleos expellerentur Venetici ad negotiandum, nos illico in partibus illis omisimus, Vestram adimplentes regalem voluntatem, insuper & ad Archiepiscopum præceptum direximus, vt in quolibet territorio nostro, & iure Sanctæ Rauennatis Ecclesiæ, ipsi Venetici præsidia, atque possessiones haberent, omnino eos exinde expelleret, & sic Ecclesiæ suæ iura manibus suis teneret.

Quid autem contigit de Garamanno Duce, qui subitò irruit super prædia, & possessiones Sanctæ Rauennatis Ecclesiæ in nostris

ſtris territorijs ſitas, & non ſolùm eas occupauit, ſed & omnes fruges à prædicta abſtulit Eccleſia, & de alijs pijs locis? Nos quidem ſtatim eum adhortari ſtuduimus, vt ſi fidelis Veſter exiſteret, ipſas poſſeſſiones piorum locorum reddere prorsùs non omitteret, quia & iuris Eccleſiæ Rauennatium, ſiue talium locorum piorum eſſe videntur, & in noſtris territorijs ſitæ ſint. Ille verò nullo modo recordatus eſt, neque ipſas poſſeſſiones reddere voluit, ſed illicitè eas detinere conatur. Quapropter poſcentes, veſtram in triumphis regalem potentiam quæſumus, vt pro amore fautoris Beati Petri Apoſtolorum Principis, noſtraque paterna dilectione talia illi agere non ſinatis, ſed per Veſtram Clementiſſimam regalem præceptionem eum exinde expellere omnino dignemini, vt & noſtra territoria per veſtram regalem tuitionem intacta permaneant, & quæcumque infra ipſa territoria eſſe noſcuntur, irrefragabiliter eorumdem locorum poſſeſſione, & iure fruamur, quemadmodum veſtra in triumphi Victoria, vnà cum Domna Regina; Veſtraque nobiliſſima prole hìc, & in futuro ſine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam Veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Ex Epiſtola eiuſdem Papæ ad eumdem Carolum Regem &c.

REperimus etiam in ipſis Veſtris apicibus embolum de Ciuitatibus in partibus Beneuentanis, quas B. Petro Apoſtolo, & nobis, deuota obtuliſtis mente de Roſellis, & de populonio, Aruino duci iuſſiſtis, qualiter cum cæteris fidelibus veſtris Miſſis, ita omnia complere debeat, ſicut Deo placeat, & B. Petro Apoſtolo, & nos propterea in his, pro veſtra beneuola excellentia, non deſinimus diuinam exorare clementiam. Sed quid Miſsis Veſtris contigit, veſtra noluerunt adimplere huiuſmodi iuſſa, neque de Roſellis, & Populonio, neque partibus Beneuentanis. Vnde Creſcentem, & Adrianum Duces, cum fideliſſimis Miſſis Veſtris in partibus Beneuentanis direximus, Veſtra regalia ſuſcipientes Vota, ſed nulla alia illis tradere voluerunt, niſi Epiſcopia, Monaſteria, & Curtes publicas, ſimul claues de ciuitatibus ſine hominibus, & ipſi homines in eorum poteſtate introeuntes, & exeuntes manent, & quomodo nos Ciuitates illas habere potuerimus, ſi habitatores earum aduersùs eas machinarentur? Nos quippe in eorum libertate permanentes, ſicut cæteras Ciuitates in partibus Tuſciæ donis Veſtris regere, & gubernare eos cupimus omnem eorum habentem legem, &c.

Ex Epiſtolis eiuſdem Papæ Adriani ad eumdem Carolum Regem &c.

SED Veſtra à Deo promota præreçtiſſima regalis Excellentia à Deo inſpirata taliter pertractare debet, vt ſuam, & noſtram in omnibus ſecuritatem procuret, & nullius hominis inanes fabulas attendat: neque muneribus ſuadere quiſpiam eam valeat, ſed tantummodo pro exaltatione Spiritualis Matris Suæ Sanctæ noſtræ Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, ſuæque regalis Excellentiæ, & noſtræ decertare nitatur, quia vt arbitramur, ipſi Beneuentani iſtud tempus Vernum tranſire patientur, vt æſtiuo tempore Deo illis contrario, Vobis in periurij reatum incurrant: Sed Veſtra regalis potentia, ſic illis in triumphis præire ſatagat, vt & illorum proteruiam procul dubio imminentem pedibus ſuis conculcet, & ſua exaltatione in toto profametur mundo, tam de ſua prudentiſſima regali Victoria, quamque de ſacratiſſima oblatione, quam in partibus ipſis Beneuentanis B. Petro fautori ſuo puro corde, ob nimium amorem, atque ſempiternam memoriam, condonauit, vt dum ipſe clauiger regni cœlorum B. Petrus Apoſtolus, fautor & protector Veſter in integro veſtram ſuſceperit ſacram donationis oblationem, dignè valeamus in eius alma Confeſsione tam pro Vobis quàmque ſpiritali filia noſtra Domna Regina, Veſtraque nobiliſſima ſobole, fundere preces, vt per multorum annorum curricula in hoc mundo regni gubernacula fruentes in æthereis arcibus ſine fine regnare mereamini. Incolumem Excellentiam Veſtram gratia ſuperna cuſtodiat.

Ex Epiſt. Adriani ad Carolum Regem, &c.

ET ſicut temporibus B. Silueſtri, Romani Pontificis, à Sanctæ recordationis pijſſimo Conſtantino, Magno Imperatore, per eius largitatem, Sancta Dei Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia eleuata, atque exaltata eſt, & poteſtatem in his Heſperiæ partibus largiri dignatus eſt, ita in his veſtris feliciſſimis temporibus, atque noſtris Sancta Dei Eccleſia, ideſt B. Petri Apoſtoli, germinet atque exultet, & ampliùs, atque ampliùs exaltata permaneat, vt omnes gentes, quæ hæc audierint, edicere valeant. Domine ſaluum fac regem, & exaudi nos in die, in qua inuocauerimus te: quia ecce nouus Chriſtianiſsimus Dei Conſtantinus Imperator, his temporibus ſurrexit, per quem omnia Deus Sanctæ Suæ Eccleſiæ B. Apoſtolorum Principis Petri, largiri dignatus eſt. Sed & cuncta alia, quæ per diuerſos Imperatores, Patricios, etiam & alios Deum timentes, pro eorum animæ mercede, & venia delictorum in partibus Tuſciæ, Spoleto, ſeu Beneuento, atque Corſica, ſimul Sauinenſi patrimonio, B. Petro Apoſtolo, Sanctæque Dei, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ conceſſa ſunt, & per nefandam gentem Longobardorum, per annorum ſpatia abſtracta, atque oblata ſunt, veſtris temporibus reſtituantur. Vnde & plures donationes in ſacro noſtro Scrinio Lateranenſi reconditas habemus, tamen & pro ſatisfactione Chriſtianiſsimi regni veſtri, per iam ſatos viros ad demonſtrandum eas vobis direximus, & per hoc petimus eximiam præcellentiam veſtram, vt in integro ipſa patrimonia B. Petro, & nobis reſtituere iubeatis, & dum omnia per veſtrum congruum diſpoſitum, Sancta Dei Eccleſia effectum ſuſceperit, ipſe Princeps Apoſtolorum B. Petrus, ante tribunal Omnipotentis clementiam pro veſtra ſoſpitate, atque longæuitate, & exultatione à Deo confortati regni veſtri deprecetur &c.

Ex

Ex Epistolis eiusdem ad eumdem &c.

NOn tibi placeat bone, & Excellentissime fili, vt in tantum despectum; atque humilitatis deminorationem Sancta Dei Ecclesia Romana, spiritalis mater tua, quæ caput est omnium Ecclesiarum Dei, veniat, sed magis peto te coram Deo Omnipotente, vt ita disponere iubeas, eumdemque Archiepiscopum sub nostra potestate contradere digneris, vt à nobis cunctus Exarchatus disponatur, sicut sæpefatus Dominus Stephanus Beatissimus Papa, temporibus Sanctæ memoriæ, genitoris Vestri Domini Pipini disponere visus est, quatenus vestris fœlicissimis temporibus, ipsa Sancta Vniuersalis Dei Ecclesia exaltata permaneat, & ex hoc in præsenti vita suffragij Apostolorum B. Petri, & Pauli, regni gubernacula longo senio, cum immensis Victorijs possidere etiam, & in futura beatitudine cœlestia regna adipisci mereamini. Ecce enim magnopere direximus ad vestra regalia vestigia præsentem Anastasium, fidelissimum nostrum cubicularium, cui & in ore posuimus, quæ nostra vice, Vestræ Excellentiæ enarrare debeat, quem in omnibus vobis commendantes cuncta illi credere; & ad nos cum prospero Nuntio, & affectu causæ absoluere iubeatis. Incolumem Excellentiam Vestram gratia superna custodiat.

Ex Epistola Stephani Papæ ad Pipinum Regem, &c.

DOmnis Excellentissimis filijs Pipino Regi, & nostro spirituali compatri, Carolo, & Carolomanno item Regibus, & vtrisque patritijs Romanorum. Stephanus Papa. Dum regni nostri nomen inter cæteras gentes erga sinceram fidem B. Petri Principis Apostolorum lucidissimè fulserit, valde studendum est, vt vnde gloriosiores cæteris gentibus, in seruitio B. Petri vos omnes Christiani asserunt, inde Omnipotenti Domino, qui dat salutem regibus pro defensione Sanctæ Suæ Ecclesiæ perfectiùs placeatis, vt fidem, quam erga eumdem Principem Apostolorum colitis, adiutricem in omnibus habeatis: Optaueramus quidem, præcellentissimi filij, ampliùs protelando nostram locutionem dilatare, sed quia pro multis ab iniquo Haistulfo Rege Longobardorum nobis ingestis tribulationibus, cor nostrum omnino atteritur dolore, & tædet Spiritus noster, ideò à multorum sermonum prolixitate declinauimus, & vnum quod est necessarium, Excellentissimæ Christianitati Vestræ innotescere studuimus, à Deo protecte, nosterque spiritalis Compater, & Vos dulcissimi filij, pro mercede animarum vestrarum, quemadmodum Misericors Deus noster cœlitùs victorias vobis largiri dignatus: iustitiam B. Petri, in quantum potuistis, exigere studuistis, & per donationis paginam restituendum confirmauit bonitas Vestra &c.

Ex Epistola eiusdem ad eumdem, &c.

ETenim tyrannus ille, sequax Diaboli, Haistulfus deuorator sanguinis Christianorum, Ecclesiarum Dei destructor, diuino ictu percussus est, & in inferni voraginem demersus, ipsis quippe diebus, quibus ad hanc Romanam vrbem deuastandam profectus est, post annui spatij circulum ita diuino mucrone percussus est, vt profectò in eo tempore, quo fidem suam tentans diuersa piaculi scelera perpetratus est, in eo & suam impiam finiret vitam. Nunc autem Dei prouidentia per manus sui principis Apostolorum B. Petri simul, & per tuum fortissimum brachium præcurrente industria Deo amabilis viri Folradi tui fidelis nostri dilecti filij, ordinatus est Rex super gentem Longobardorum Desiderius, vir mitissimus, & in præsentia ipsius Folradi sub iure iurando pollicitus est, restituendum B. Petro ciuitates reliquas, Fauentiam, Imolam, & Ferrariam cum eorum finibus simul, & iam, & Saltora, & omnia territoria. Nec non & Ausimum, Anconam, & Humanam ciuitates, cum eorum territorijs, & postmodum per Garinodum Ducem, & Grimoaldum nobis reddendum spopondit ciuitatem bonam cum finibus eius se in pacis quiete cum eadem Dei Ecclesia, & nostro populo semper mansurum professus est, atque fidelem erga à Deo protectum Regnum vestrum esse testatus est: & petijt nos, quatenus bonitatem tuam deprecaremur, vt cum eo, & cuncta gente Longobardorum magnam pacis concordiam confirmare iubeas.

Nam & Spoletini Ducatus Generalitas per manus Beati Petri, & tuum fortissimum brachium, constituerunt sibi Ducem, & tam ipsi Spoletani, quàmque etiam Beneuentani, omnes se commendare per nos à Deo seruatæ excellentiæ tuæ cupiunt, & imminent anhelantiùs in hoc deprecando bonitatem tuam. Vnde petimus te, Excellentissime fili, & spiritalis Compater, vt si prædictus Desiderius, quemadmodum spopondit, iustitiam Sanctæ Dei Ecclesiæ suæ, Reipublicæ Romanorum, B. Petro protectori tuo pleniùs restituere, & in pacis quiete cum Ecclesia Dei, & nostro populo sicut in pactibus, à tua bonitate confirmatis continetur, permanserit cum vniuersa sua gente, iubeas in id, quod petijt, tuas à Deo inspiratas aures inclinare; hoc interea anhelantiùs, vt nimis velociter eidem Desiderio Regi, obtestando: admonendo etiam, & præcipiendo dirigere iubeas, vt reliquas ciuitates, loca, fines, & territoria, atque patrimonia, & saltora in integro suæ Ecclesiæ reddere debeat, & tale fundamentum & optimum finem in causa eius imponere iubeas, vt auxiliante Domino ipsa sancta Dei Ecclesia secura maneat vsque in finem sæculi, vt plenaria iustitia à iusto iudice, Domino Deo, & memoriale nomen tibi in sæcula maneat, vel etiam cunctæ Christo protectæ genti vestræ Francorum, &c.

Ex Epistola Pauli Papæ ad Pipinum Regem, &c.

VNde petimus te, Excellentissime Fili, & spiritalis Compater, & obnixè deprecamur à Deo inspiratam eximietatem tuam, vt iubeas perfectam liberationem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & eius peculiaris populi exercere, & ita id, quod magna animæ tuæ mercede B. Petro pollicitus es, firmiter permanere; ipsumque Desiderium Longobardorum Regem fortiter constringere digneris, vt prolatam à Deo promissionem B. Petro protectori vestro, restituere debeat, atque in omnibus adimplere, tuique studij sit bene, potentissimè Rex, sicut cœpisti, perfectiùs hanc Sanctam Dei Ecclesiam, & eius peculiarem populum de hostium incursione eruere; vt annuente Deo, certamen benignæ operationis tuæ, vberrimè fœcundetur, quatenus in die aduentus Domini Dei, & Saluatoris Nostri Iesu Christi, luceas, sicut radiantissimus Sol, inter vniuersos reges, & potentes, atque merearis ipsam Sanctam Dei Ecclesiam, & eius populum, tuo adminiculo ereptum, diuinæ Maiestati, absque vlla læsionis sæuitia, offerre, & tunc centuplum remunerationis ab eodem Domino Deo Nostro, iusto iudice, percipere, & vitam æternam possidere merearis?

Coniuro te, fili excellentissime per Omnipotentem Deum, & eius Principem Apostolorum B. Petrum, vt benigno intuitu, & libentissimo animo nostras preces audire iubeas, vt & Deus tibi Omnipotens, in his, quæ eius potentiam deprecatus fueris, suæ diuinitatis aures inclinet,& victorem te super omnes barbaras nationes faciat. Omnes enim gentes, quæ super faciem vniuersæ terræ consistunt, compertum habent tuum certamen, quod ad defensionem Sanctæ Dei Ecclesiæ adhibuisti, & magnum te, ac præcipuum Regem laudabiliter asserunt. Sed & nos bonam tuam famam longè, lateque protelare, atque dilatare non desistimus in eo, quod certè post Deum, sicut murum inexpugnabilem, tuam firmissimam fidem in nostro pectore conserimus, magnam in te post Dei præsidium, possidentes spei fiduciam, quod & plerumque ob tam tuæ immaculatæ promissionis, fideique meritum consecuti sumus; etenim magnopere præsentes nostros Missos, idest, Reuerendissimum, & Sanctissimum fratrem, & Coepiscopum nostrum Georgium, atque dilectum filium nostrum Stephanum Presbyterum, ad vestram à Deo custoditam excellentiam misimus: dumque vestris Deo amicabilibus vestigijs fuerint, vna cum Radberto, fidelissimo Vestro misso præsentati, cuncta viua voce Christianissimæ Excellentiæ tuæ, quæ acta sunt, & rei exigit meritum, nobisque necessaria existentia intimabunt, maximo namque desiderio nostro anhelabat animus, Apostolicas Excellentiæ vestræ dirigere literas Salutationis, ac Visitationis ob causam rerum euentus significandam, & minimè quiuimus imminentibus, circumquaque Longobardorum Regis insidijs? &c.

Ex Epistola eiusdem ad eumdem Pipinum, &c.

DIrexisti, siquidem nobis per eadem vestra scripta significantes, quEd nulla suasionum blandimenta, vel promissionum copia vos possit auellere ab amore, & fidei promissione, quam B. Petro Principi Apostolorum, & eius Vicario, prædecessori, & germano nostro Sanctę recordationis Domno Stephano Papæ, polliciti estis, sed in ea ipsa vos charitate, & sponsionis fide fine tenus fore permansuras, & quidem nos, præcellentissime Regum, experimento comperimus, & operibus comprobauimus, vos firma, atque robustissima constantia, in ea ipsa sponsione in finem permanere, & in vobis confidimus, quòd si vniuersi mundi thesaurorum copia in conspectu vestro offeratur,ac tribuatur, nullo modo in aliam partem vestram firmam, & à Deo impulsam mentem declinare, inflectereque valebit; quoniam vos omnipotens Dominus præ cunctis regibus sæculi, elegit, & in vobis complacuit, vt vestro certamine sancta vniuersalis Dei Romana Ecclesia, & caput omnium Ecclesiarum, ac firmamentum fidei Christianæ ab impugnatorum insidijs liberata extitisset, & illud, quod à constitutione sæculi, Dominus per vos perfici decreuit, ecce mirabiliter operatum est, &c.

A Gregorio VII. lib. 1. Epist. 7. Extant tom. 3. Epist. Rom. Pont. & in Vatic. m. s. Gregorij Papæ VII. Epistola.

NOn latere vos credimus, regnum Hispaniæ ab antiquo proprij iuris Sancti Petri fuisse, & adhuc (licèt diù à Paganis sit occupatum) lege tamen iustitiæ non euacuata, nulli mortalium, sed soli Apostolicæ Sedi ex æquo pertinere. Quod enim auctore Deo semel in proprietates Ecclesiarum iustè peruenerit, manente eo ab vsu quidem, sed ab earum iure, occasione transeuntis temporis, sine legitima concessione diuelli non poterit. Itaque Comes Euulus de Roccio; cuius famam apud vos haud obscuram esse putamus, terram illam ad honorem S. Petri ingredi, & à Paganorum manibus eripere cupiens, hanc concessionem ab Apostolica Sede obtinuit, vt partem illam, vnde Paganos suo studio, & adiuncto sibi aliorum auxilio expellere posset, sub conditione inter nos factæ pactionis, ex parte S.Petri possideret.

Qua in re, & labore quicumque vestrum sibi adhærere voluerit, omni charitatis affectu communitus,erga honorem S.Petri talem animum gerat, vt ab eo, & munitionis auxilia in periculis, & merita fidelitatis præmia securus accipiat. Si autem aliqui ex vobis seorsum ab illo proprijs copijs eamdem terram aliqua in parte intrare parauerint: decet vt militiæ causam ex animi deuotione, quam iustissimam sibi proponant, iam nunc omni voto concipientes, & ex corde statuentes, ne capta terra, eadem, quas illi, qui nunc Deum ignorantes eam occupant, iniurias S. Petro faciant.

faciant. Hoc enim neminem vestrum ignorare volumus, quoniam nisi æqua pactione persoluendi iuris S. Petri in regnum illud animaduertere statueritis, potiùs vobis Apostolica auctoritate, ne illuc tendatis, interdicendo, contra feremur, quàm sancta, & vniuersalis mater Ecclesia, idem à filijs suis, quod ab hostibus patiendo, non iam proprietatis suæ, sed filiorum detrimento saucietur. Quamobrem hunc dilectum filium Hugonem, & Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum in partes illas misimus, in cuius ore nostra ad vos consilia, & decreta pleniùs apertiùsque differenda, ac vice nostra disponenda posuimus. Data Romæ 2. Kalendas Maij, Indictione 11. Hæc Gregor.(vt dictum est) sui Pontificatus exordio.

Innocentius Papa IV. Potestati, Consilio, & Communit. Neapolit.

NOs igitur præmissis omnibus diligenti consideratione pensatis, volentes propterea eiusdem Neapolitanæ Ciuitatis honorem prædictæ Sedis donis sublimibus, & perpetuis ampliare, vestris in hoc desiderijs assensu beneuolo concurrendo; personas vestras, & Ciuitatem ipsam in deuotionem Sedis persistentes eiusdem, cum omnibus bonis &c. Vsque communimus; de fratrum nostrorum consilio statuentes, vt eadem Ciuitas perpetuò præfatæ Sedis remaneat; ita quod Romana Ecclesia semper absque vllo medio retinens illam sibi, sicuti terram Campaniæ, vel Maritimæ, numquam eam à suo excludat gremio, neque aliquando ipsam, vel Ius quodcumque in ea, seu pertinentijs, aut in Territorio eius, cuiquam siue Imperatori, siue Regi, sui Duci, aut Principi, vel Comiti, seu cuicumque alij personæ concedat. Sanè vt ex effluentia beneficiorum Sedis eiusdem exultet, ipsa Ciuitas gaudio pleniori, vobis illam omninò libertatem in assumendis potestatibus, dummodò fideles, vel deuotos Ecclesiæ assumatis; & in statutis edendis, ita tamen quod nihil in eis contra præfatam Romanam Ecclesiam, & libertatem Ecclesiasticam præsumatis; ac alijs Apostolica auctoritate concedimus, quam fideles de patrimonio D. Petri habere noscuntur: Porrò rationabiles consuetudines approbatas dudum in Ciuitate ipsa, & pacificè obseruatas, vsque ad tempus, quo iam dictus Fred. suas Constitutiones in Regno edidit memorato; nec non, & ordinationes post ipsius F. obitum inter Milites, & Populares Ciuitatis eiusdem, & pio bono, & pacifico ipsius Ciuitatis statu ad honorem Ecclesiæ factis super quibus Instrumenta dicuntur esse confecta: Vobis de speciali gratia confirmamus.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1251. Innocent. Papa IV. tom. 13. fol. 677.

Charissimo in Christo filio Illustri Regi Luthauuiæ.

MVlta cor nostrum est super eo iucunditate perfusum, quod Dei, & Redemptoris nostri Iesu Christi benigniras, super re faciem tuam illustrando, ribi misericorditer inspirauit, quod te olim in tenebris positum cum numerosa multitudine Paganorum ad gloriam Diuini nominis regenerari fecit per vndæ gratiam Baptismalis; personam, regnum, & omnia bona iurisdictioni, ac protectioni Sedis Apostolicæ toraliter submittendo. Quia verò per solemnes, ac speciales Nuntios Nobis humiliter supplicasti, vt te admittere in specialem filium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac paterna beneuolentia prosequi deberemus; nos tuis iustis desiderijs, quæ digna fauore plenissimo reputamus affectu beneuolo annuentes, regnum Luthauuiæ, ac terras omnes, quas per diuinæ virtutis auxilium iam eripuisti de Infidelium manibus, vel eripere poteris in futurum, in Ius, & Beati Petri proprietatem suscipimus; & ea cum vxore, filijs, & familia tuis sub protectione, ac deuotione Sedis Apostolicæ permanere facimus districtiùs inhibentes, ne quis te in fide, ac Sedis Apostolicæ persistente super præfatis Regno, & terris temerè impedire, seu molestare præsumas. Nulli ergo &c. Datum Mediolani 17. 1251. Kal. Augusti Anno IX.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1253. Innocentius Papa IV. tom. 13. fol. 700.

Innocentius Papa IV. Seruus Seruorum Dei Omnibus Christi fidelibus præsentes literas inspecturis.

Inspeximus literas felicis recordationis Lucij Papæ II. Prædecessoris nostri formam huiusmodi continentes.

LVcius Episcopus Seruus Seruorum Dei, dilecto in Christo filio Alphonso Illustri Portugallensi Duci salutem &c. Deuotioni tuæ dilecte in Domino fili Maxime congaudemus, quod temetipsum de illis omnibus recognoscens, quibus Dominus Noster Iesus Christus Beati Petri custodiæ commendauit, cum ad expugnationem Paganorum intentus, multisque Negotijs sæcularibus occupatus, Apostolorum limina visitare non posses, per manum dilecti filij nostri G. Diaconi Cardinalis tunc in partibus illis Apostolicæ Sedis Legati, Prædecessori nostro fel. mem. Papæ Innocentio hominum laudabili deuotione fecisti, & Terram tibi à Deo commissam B. Petro Apostolorum Principi contulisti, atque personam tuam, & terram ipsam ipsius

patrocinio humiliter commisisti. Postmodum verò tam per literas tuas, quàm per Venerabilem fratrem Nostrum I. Bracharensem Archiepiscopum, nobis etiam promisisti, vt tam tu, quàm Hæredes tui de terra ipsa quatuor vncias auri annis singulis Rom. Pontifici persoluatis. Nos itaque, qui licèt indigni, B. Petri loco residere conspicimur, tam te, quàm filios tuos, & successores vestros inter hæredes ipsius Apostolorum Principis ipso adiuuante suscipimus, vt in eius semper benedictione, & protectione tam Animarum, quàm Corporum maneatis, per quam ab Hostium visibilium, & inuisibilium expugnatione defensi ad Cœlestia Regna peruenire, largiente Domino, valeatis. Dat. Lateran. Kal. Maij. Quarum literarum tenor de verbo ad verbum præsentibus inseri fecimus ad memoriam futurorum. Dat. Perusij 11. non. Ian. 1253. Anno X.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1273. Gregor. II. X. tom. 14.

Illustri Regi Francorum Philippo.

Libenter audiuimus, quòd beneuole susceperis, & accepraueris mansuetè nostrum, & Apostolicæ Sedis, verbum, & per dilectum filium Magistrum Guillelmum de Matiscona Capellanum nostrum, ac generalem causarum nostri Palatij Auditorem ex parte nostra, & sedis eiusdem regiæ Serenitati expositum, de terra Venesina, quam quondam Alphonsus Comes Tolosæ, ac Pictauiæ Patruus tuus obtinuit, & ad manus tuas peruenit: Romanæ Ecclesiæ cuius est propria, liberè dimittenda. Sicut enim idem Capellanus, cuius dictis fidem adhiberi scripsisti, Nobis, & fratribus nostris exposuit, tu eodem verbo suscepto, & deliberatione habita super isto disposuisti, & ordinasti consultè, prædictam terram extra manus tuas totaliter ponere, & ab ipsa prorsus omnes illos, qui eam tuo nomine obtinent, per Nuntios tuos, ad hoc speciale mandatum habentes nostris præsentibus Nuntijs amouere, vt sic ijsdem nostri nuntij prædictæ Sedis, & nostro nomine, & auctoritate possessionem ipsius Terræ expeditam, & vacuam apprehendant.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1275. Gregor. X. Papa to. 14. Constitutio. 1. defens. Præsulum ab Alphonso Rege Lusitan. oppressorum.

Gregorius Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

De Regno Portugalliæ contra dudum, & nunc propter peccata forsan Populi, regnantes in ipso, ab olim ingens clamor ascendens, in gentes, & regna illorum diffudit infamiam; exclamans in eo sancta prosterni, Ecclesias, personas Ecclesiasticas, & libertatem ipsam non conculcari tantummodo, sed quasi omnino subuerti; regnum ipsum cum suis habitatoribus per regnantes eosdem non regi, vel dirigi, sed velut datum in prædam ab ipsis, & suis tanquàm à Prædonibus inhumanè tractari, vndique diripi, totaliterque consumi; diuersorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & nostras aures perculit, & ad prædictorum correctionem, ipsiusque Regni directionem eò specialis illorum, & nostrorum excitauit officium, affecit animos, prouocauit affectus, quod idem regnum, quod est Romanæ Ecclesiæ censuale, ipsi Ecclesiæ specialiori Iure tenetur.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1278. Nicolai Papa III. tom. 14.

Nicolaus Episcopus Seruus Seruorum Dei Charissimo in Christo filio Rodulpho Regi Romanorum Illustri Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad tuæ deuotionis augmentum, & Iurium Romanæ Ecclesiæ claritatem, quod Ciuitas Rauennæ, & Aemilia, Bobium, Caesana, Forumpoli, Forliuium, Fauentia, Imola, Bononia, Ferraria, Comaclum, Adria, atque Gabellum, Ariminum, Vrbinum, Montisferetrum, Territorium Balnense cum omnibus iuribus, territorijs, atque Insulis in terra, marique ad Ciuitates, & loca prædicta quoquo modo pertinentibus àd Nos, & Romanam Ecclesiam pleno iure pertineant; per alias nostras literas à te, fili charissime, cum expressione nominum prædictorum, Ciuitatum, Castrorum, villarum, atque locorum sub certa forma petimus declarari; & nihilominùs vt erga eandem Romanam Ecclesiam Matrem tuam sinceritatis tuæ deuotio ampliùs elucescat, omnia, & singula de nouo donari.

Nè autem per hæc Nos aliquod nouum petere, vel à tuis Prædecessoribus Imperatoribus Romanis in solidum existimes postulare, ad tuam conscientiam pleniùs serenandam, qualitèr illa certi Prædecessores tui Romani Imperatores expresserunt, qualitèr illa ad Romanam Ecclesiam pertinere sub expressis Terrarum distinctionibus declararunt, Tibi de verbo ad verbum tenores Priuilegiorum ipsorum Imperatorum, sicut in Archiuijs Romanæ Ecclesiæ reperimus, sub Bulla nostra transmittimus; quorum etiam priuilegiorum aliqua origiualia, in quibus prædictorum, quæ petimus, habetur plena distinctio, dilecto filio fratri Conrado Nuncio tuo inspicienda commisimus, & quoad hunc articulum exemplanda concessimus, quatenùs super his notæ sibi veritatis fidelis Assertor declarationis per eum visæ relator, omni nube de mente tua caliginosæ dubitationis exclusa, te possit clariùs informare.

Hoc eodem anno Alphonsus primus Dux Portugalliæ ab Alexandro Papa titulum Regis accepit ob res aduersùs Arabes præclarè gestas: quæ cuncta accepta ferens Diuinæ gratiæ, gratus Deo ipse obtulit regnum illud S. R. E. sub cuius iugiter protectione consisteret, persoluturus annis singulis loco census duas auri marchas. Extat de his diploma eiusdem Alexandri Papæ in Turri de Tombo dicta, in qua asseruantur monimenta Re-

Regum, idemque datum hoc Redemptionis anno, & Pontificis ipsius. Est de his mentio in Epistolis Innocentij Tertij, quas hic tibi ex scripto codice Vaticano describendas curauimus: sic enim se habent.

Innocentius &c. Sancio Illustri Regi Portugalliæ Serenitatem Regiam volumus non latere, nos in registris bonæ me: Lucij Secundi Romani Pontificis reperisse, quod recolendæ memoriæ Alphonsus Pater tuus quatuor auri vncias annuatim Romanæ Ecclesiæ constituit censuales, ad quarum solutionem se, & hæredes suos in posterum obligauit. Cæterum cùm idem Pater tuus vsque ad tempora felicis mem. Alexandri Papæ Prædecessoris nostri Ducis esset nomine appellatus; ab eodem meruit obtinere, vt tam ipse, quàm Hæredes Regis nomine vocarentur. Vt autem idem Pater tuus Sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem suam honore debito præueniret, vt deuotionem, quam circa ipsam habebat, ostenderet in effectu, centum baptizatos annuatim Romanæ Ecclesiæ constituit censuales: quos post susceptionem Regij nominis, nec ipse soluit, nec tu postmodum soluere curasti. Cumque id fel. recordationis Clementi Papæ Prædecessori nostro relatum fuisset, Magistro Michaeli tunc Ecclesiæ Romanæ Notario, quem ad partes Hispaniæ destinauerat; per suas dedit literas in mandatis, vt te ad soluendum Censum annuum monere diligentiùs, & inducere procuraret, & si opus esset, auctoritate fretus Apostolica compellere non differret. Tu autem eidem, prout tibi placuit, respondisti, quod dictus Pater tuus præfato Alexandro antecessori nostro pro annuali Censu decem annorum mille aureos miserat: & cum nondum illi decem anni essent impleti, ipsos centum aureos iterum soluere minimè tenebaris, licèt illa eidem Prædecessori nostro non pro Censu, sed ex deuotione, quam ad eum habebat, liberaliter donauisset. Rogamus igitur Regiam Serenitatem, monemus, consulimus, & hortamur, per Apostolica scripta mandantes quatenus prædictum censum dilecto filio Fratri Zainerio persoluere non postponas: alioquin noueris, nos eidem dedisse firmiter in mandatis, vt te ad solutionem illius diligenter moneat, & inducat, & sicut expedire viderit, appellatione remota compellat. Datæ Romæ apud S.Petrum VIII. Kal. Maij Pontificatus nostri anno I. Extant aliæ itidem Innocentij Papæ III. eiusdem argumenti datæ Epistolæ in eiusdem Pontificis curso Epistolarum codice, Nec non alia postremo loco data in scripto codice extat, quam hic ponendam duximus; sic se habet.

Innocentius &c. A. Illustri Regi Portugallen. & hæredibus eius in perpetuum.

Manifestis probatum est argumentis, quod inclytæ recordationis Alphonsus auus tuus per Successores bellicos, & certamina militaria inimicorum Christiani nominis intrepidus extirpator, & propagator diligens fidei orthodoxæ, sicut deuotus filius, & Princeps Catholicus multimoda obsequia impendit Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri suæ, dignum nomen, & exemplum imitabile posteris derelinquens. Æquum est autem, vt quos ad Populi Regimen, & salutem dispensatio cœlestis elegit, Apostolica Sedes sincero prosequatur affectu, & in iustis postulationibus studeat efficaciter exaudire. Proinde nos attendentes tuam personam, ornatam prudentia, iustitia præditam, atque ad Regni gubernationem idoneam, eam sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & Regnum Portugallense cum integritate honoris Regni, & dignitate, quæ ad Reges pertinet, nec non, & alia loca, quæ cum auxilio cœlestis gratiæ de Saracenorum manibus eripueris, in quibus ius sibi non possunt Christiani Principes circumpositi vendicare, ad exemplar felicis memoriæ Alexandri Papæ Prædecessoris nostri, qui hæc præfato auo tuo per priuilegij paginam concessisse dignoscitur, tuæ sublimitati concedimus, & auctoritate Apostolica confirmamus. Vt autem ad deuotionem, & obsequium B. Petri Apostolorum Principis, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ vehementiùs accendaris, hæc ipsa hæredibus tuis duximus concedenda, eosque super ijs, quæ concessa sunt, Deo propitio pro iniuncto nobis Apostolatus officio defendimus. Tua itaque intererit, fili charissime, ita circa honorem, & obsequium matris tuæ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ humilem, & deuotum existere, & sic te ipsum in eius opportunitatibus, & dilatandis Christianæ fidei finibus exercere, vt de tam deuoto, & glorioso filio Sedes Apostolica gratuletur, & in eius amore quiescat.

Ad indicium autem, quod præscriptum Regnum Beati Petri iuris existat pro amplioris reuerentiæ argumento Progenitorum tuorum vestigijs inhærendo, statuisti duas marchas auri annis singulis nobis, nostrisque Successoribus persoluendas, quem vtique censum ad vtilitatem nostram, & successorum nostrorum Bracharēsi Archiepiscopo, qui pro tempore fuerit, tu, & successores tui curabitis assignare. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat personam tuam, aut hæredum tuorum, vel etiam præfatum regnum temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare. Si quis igitur &c. districtæ vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem Regno, & Regi sua iura seruantibus &c. quousque præmia æternæ pacis inueniat. Amen. Datum Laterani per manum Ioannis Sanctę Marię in Cosmedin Diaconi Cardinalis S. R. E. Cancellarij, 17. Kalend. Maij, Indictione decimaquarta Incarnationis Dominicæ 1212. Pontificatus verò Domini Innocent. Papæ III. anno quintodecimo. Aliud insuper extat eiusdem generis, & totidem fermè verbis, paucis additis, vel mutatis diploma Honorij Papæ III. ad Alphonsum itidem dictum Portugalliæ Regem, quod, ne nimio afficiamus Lectorem tędio, hic describere prætermisimus, asseruatur in Vaticanis monimentis, sed ad res Orientis tandem Orationem conuertamus.

Q 2 Ex

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1291. Nicolai Papę IV. tom. 14.

Venerabili fratri Ioanni Episcopo Aesino.

NVper ad nostrum peruenit auditum, quod cum quondam Latizlaus Rex Vngariæ rebus sit humanis exemptus, turbationes pericula, & scandala grauia in regno Vngariæ sunt exorta; diuersis aspirantibus ad solium dicti regni, cum itaque Regnum ipsum ad Apostolicam Sedem multipliciter pertinere noscatur, te ad partes illas pro certis inibi exequendis negotijs fiducialiter destinamus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus cum ad partes illas te contigerit peruenire coram Charissimo in Christo filio nostro Rodulpho Rege Romanorum Illustri, & dilecto filio nobili Viro, Duce Austriæ in simul, & disiunctim per te, vel per alium, seù alios ex parte nostra expressè, manifestèque denunties prædictum regnum ad Nos, & Romanam Ecclesiam ex causa multiplici pertinere; apertè, & publicè nostro, & ipsius Ecclesiæ nomine protestando, vt nullus cuiuscumque sit præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status. Iura qualibet in eodem Regno ad Nos, & Ecclesiam spectantia quomodolibet inuadere occupare, vel vsurpare sumat, aut in nostrum, & eiusdem Ecclesiæ præiudicium, & grauamen aliquod attentare. Alioquin contra præsumptores huiusmodi, prout qualitas facti suaserit, & expedire viderimus, procedemus. Datum apud Vrbem veterem IV. Non. Ianuar. 1291. anno III.

Ex Oderic. Raynald. ad ann. Christi 1292. Sed. Vac. tom. 14. Nicol. Papa IV.

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ Illustri salutem &c.

OBlata nuper Nobis per dilectos filios Nobiles viros Ioannem de Sancto Ioanne, ac Rogerium dictum Lestrange Nuncios Regios tua petitio continebat, quod missionem, vt dicitur in te factam à quibusdam, qui in Regno Scotiæ se vendicant ius habere, confirmare auctoritate Apostolica dignaremur. Sanè, fili Charissime quantumcumque satisfaciamus libenter, in quibus cum Deo possumus, & Tibi expedire cognoscimus, votis tuis; attendentes tamen huiusmodi arduitatem negotij, & quod negotium ipsum multas contingit ecclesiasticas, & sæculares, tàm in generalitate, quàm specialitate personas; ac dubitantes quod per hoc, si sic à nobis inconsultè procederetur, posset Tibi, & eis magna scandali prouenire materia, nolentes quoque aliquorum Iuri, & specialiter Iuri, quod in regno ipso Romana habet Ecclesia derogari, super ijs cum fratribus nostris deliberatione præhabita diligenti; petitioni Regiæ in hac parte non duximus annuendum. Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem Kal. Martij anno 5.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1295. Bonifacij PP. VIII. tom. 14.

Rogerio de Lauria.

EX tuorum strenuitate actuum super laudabiles nuper prouenisse percipimus, qui apud Deum, & Sedem Apostolicam grati redduntur multipliciter, & accepti: Et proindè grandibus attolli laudibus promereris. Sicut enim ex serie tuæ Nuntiationis, & petiones accepimus, Tu diebus istis marinis nauigationibus versùs Africam ob reuerentiam Crucifixi, non absque potenti manu progrediens, Gerbi & Karkim insulas Prouinciæ Africæ, seu Ciuitatis Tunisij conterminas, vel vicinas, diuino fretus auxilio, eripuisti potenter de manibus Hostium fidei Christianæ, ac in eis proponis ædificari facere Ecclesias, & Altaria, & Christo Domino deseruiri. Quæ quidem Insulæ, prout asseris, non sunt de Regno Siciliæ, nec ad Regem pertinent dicti Regni; quodque ab eo tempore, cuius memoria non existit detentæ non fuerunt per aliquem Christianum, quousque ad manus, & posse tuum, vt prædicitur, deuenerunt. Cum autem nobis duxeris humiliter supplicandum, vt præfatas Insulas tibi, tuisque hæredibus concederemus in feudum sub annuo censu de gratia speciali à nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, & Romana Ecclesia perpetuò à te, ac ipsis hæredibus retinendas; Nos attendentes, quod tu easdem insulas eripuisti potenter, vt prædicitur, de manibus hostium Crucis Christi, ac pium, & laudabile propositum, quod habere te asseris, vt in Insulis, ipsis orthodoxa fides propagetur, vigeat, cultusque seruetur inibi diuinorum, quamplurimum in Domino commendantes, gaudentes etiam quod per ministerium tuum Christianitatis termini dilatentur, tuis supplicationibus inclinati ad laudem Dei, tuæque salutis augumentum, memoratas insulas, & earum quamlibet cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, in merum, & mixtum imperium, & iurisdictionem plenariam, temporalem, videlicet in eisdem, auctoritate Apostolica, & de Apostolicæ plenitudine potestatis nomine nostro, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum, & ipsius Ecclesiæ Romanæ tibi, & tuis hæredibus Catholicis, atque legitimis, & in deuotione ipsius Romanæ Ecclesiæ persistentibus, in fœudum perpetuum concedimus sub annuo censu quinquaginta vnciarum auri ad pondus dicti Siciliæ Regni, nobis, & successoribus ipsis, ac eidem Ecclesiæ annis singulis infra octauas Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli in Romana Curia persoluendo.

Ex

Ex Oderic. Raynald. ad ann. Christi 1299. Bonifacij Papæ VIII. tom. 14.

Bonifacius Seruus Seruorum Dei.

Eduardo Regi Angliæ Illustri.

SCimus fili, & longi iam temporis spatio magistra nos rerum experientia docuit, qualiter erga Romanam Matrem Ecclesiam, quæ te gerit in visceribus charitatis, regiæ deuotionis affectus exuberat, reuerentiæ zelus viget, quodque promptus, & sedis eius votis obtemperans, beneplacitis acquiescis: quamobrem firmam spem gerimus, plenamque fiduciam obtinemus, quod regalis sublimitas verba nostra benignè recipiat, diligenter intelligat, efficaciter prosequatur. Sanè ad Celsitudinem Regiam peruenisse, & in tuæ libro memoriæ nequaquam ambigimus contineri, qualiter ab antiquis temporibus Regnum Scotię pleno Iure pertinuit, & adhuc pertinere dignoscitur ad Ecclesiam supradictam, quodque illud, sicut accepimus tuis Regni Angliæ Regibus siue tibi feudale non extitit, nec existit; qualiter etiam claræ memoriæ Henricus Rex Angliæ Pater tuus tempore discordiæ, siuè Guerræ inter ipsum, & quondam Simonem de Monteforti, suosque fautores, & complices suscitatæ à recolendæ memoriæ Alexandro eiusdem Scotiæ Rege, ac ipsius Henrici Genero auxilium sibi petijt exhiberi, & ne huiusmodi auxilium iure cuiuslibet subiectionis, aut debiti petitum, seù præstitum notaretur, præfatus Henricus eidem Regi Scotiæ suas patentes duxit literas concedendas per eas firmiter recognoscens, prædictum auxilium se recepisse, vel recepturum dumtaxat de gratia speciali.

Ex Oderic. Raynald. ad an. Christi 1300. Bonifacij Papæ VIII. tom. 14.

Regi Franciæ Illustri.

REcordare, Rex inclyte, Progenitorum tuorum actus strenuos, meritaque pręclara intuere, ac respice quod Deus regnantium honor, & gloria, Beatum Ludouicum Auum tuum Regibus dedit in speculum, & Populis in Exemplum, quæ ipsius Nepos, quasi charissimus filius imiteris, prudenter attendens, quod tantam habebat conscientiæ puritatem, quod non solùm scienter, sed nec ignoranter dispendium alijs volebat inferre, causam, quam ignorabat ad instar Sancti Iob diligentiùs inuestigans; Vnde cum super Comitatu Mergulij Magalonensis Diœcesis non nulla auribus instillarentur ipsius, iutantum, vt ad quem pertineret Comitatus huiusmodi hæsitaret; nolens ex abrupto procedere, vel incerto, fel. record. Clementis Papæ IV. prædecessoris nostri, quem super hoc putabat habere notitiam, requisiuit consilium, tàm humiliter quàm prudenter, sicut ex tenore literarum prædecessoris eiusdem, quem præsentibus tibi mittimus interclusum, colligere poteris euidenter. Post cuius Prædecessoris Clementis responsum Magalonensis Ecclesia à Regalium exactionibus conquieuit, quæ ab olim tenuit, & tenet in feudum ab Apostolica Sede Comitatum eundem, prout constat ex vetustissimis documentis, & ex ijs, quæ in eiusdem Sedis conseruantur archiuio, ac ex prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum literis, quæ de dicto Comitatu faciunt mentionem. Quapropter dolemus non immeritò, & turbamur, si relatibus facta respondeant, quod sicut accepimus, officiales tui Venerabilem fratrem nostrum Gerardum Episcopum, & dilectum filium Capitulum Magalonense super Comitatu prędicto, & Hominibus Comitatus, immò nos, & Apostolicam Sedem grauant, impetunt, & molestant.

Ex Oderic. Raynald. ad ann. Christi 1301. Bonifacij Papæ VIII. tomo 14.

Bonifacius Seruus Seruorum Dei.

Nicolao Ostiensi, & Velletrensi Episcopo Apostolicæ Sedis Legato.

AD hæc nolumus te latere, aut in dubium reuocari, quod memoratum Vngariæ Regnum Sacrosanctę Romanę Ecclesię à Beato Stephano; primo Rege Vngariæ Christiano, cum omni eius Iure, ac potestate deuotè oblatum fuit, & traditum reuerenter: qui etiam ad ipsius regni solium noluit auctoritate propria sublimari, sciens quod nemo sibi sumere debet honorem, nisi qui vocatur à Deo, & ideò non à quolibet, sed à Vicario Iesu Christi, & Successore Petri assumpsit regium diadema. Fuerat quidem diuinitùs reuelatum, quod ei primùm in gente Vngarica corona debebatur, & regnum, sicuti hæc pleniùs documēta, quę seruantur in Archiuio memoratæ Ecclesiæ Romanæ testantur, & ad ipsius Archiepiscopi potuerunt notitiam peruenisse. Vndè cùm supradictus Archiepiscopus culpabilior fuerit in hac parte, est amplius puniendus.

CAPVT II.

Ex Epistolis Principum ad Summos Pontifices.

Sanctissimo Domino suo Alexandro Dei gratia Catholicæ Ecclesiæ Summo Pontifici, Henricus Rex Angliæ, Dux Northmanniæ, Aquitaniæ, Comes Andegauensis, & Cenomanensis salutem, & deuotæ subiectionis obsequium.

IN magnorum discriminum angustijs, vbi domestica consilia remedium non inueniunt, eorum suffragia implorantur, quorum prudentiam in altioribus negotijs experientia diuturnior approbauit. Longè, latè diuul-

diuulgata est filiorum meorum malitia, quos ita in exitium Patris, Spiritus iniquitatis armauit, vt gloriam reputent, & triumphum, Patrem persequi, & filialem affectum in omnibus diffiteri, preueniente meorum exigentia dilectorum. Vbi pleniorem voluptatem contulerat mihi Dominus, ibi grauiùs me flagellat. Et quod fine lachrymis non dico contra sanguinem meum, & viscera mea cogor odium mortale concipere, & extraneos mihi quærere successores. Illud præterea sub silentio præterire non possum, quod amici recesserunt à me, & domestici mei quærunt animam meam. Sic enim familiarium meorum animos intoxicauit clandestina coniuratio, vt obseruantiæ proditoriæ conspirationis vniuersa posthabeant. Malunt namque meis adhærere filijs contra me transfugis, & mendacibus, quàm regnare mecum, & in amplissimis dignitatibus præfulgere.

Quoniam ergò vos extulit Deus in eminentiam officij Pastoralis ad dandam scientiam salutis plebi eius, licèt absens corpore, præsens tamen animo me vestris aduoluo genibus, consilium salutare deposcens. Vestræ Iurisdictionis est Regnum Angliæ, quantum ad feudatarij Iuris obligationem, vobis dumtaxat obnoxius teneor, & astringor. Experiatur Anglia, quid possit Romanus Pontifex, & quia materialibus armis non vtitur, patrimonium B. Petri spirituali gladio tuetur. Contumeliam filiorum poteram armis rebellibus propulsare, sed Patrem non possum exuere. Nam & Hieremia testante nudauerunt Lamię mammas suas, lactauerunt Catulos suos, Et licèt enarrata eorum quasi mentis efferatæ me fecerint, retineo paternos affectus, & quamdam violentiam diligendi eos mihi conditio naturalis importat. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Lactant filios meos domestici Hostes, & occasione malignandi non desistunt, quousque redigatur virtus eorum in puluerem; & conuerso capite in caudam, serui eorum dominentur eis, iuxta illud verbum Salomonis. Seruus astutus filio dominabitur imprudenti. Excitet ergo prudentiam vestram spiritus consilij, vt conuertatis corda filiorum ad Patrem. Cor enim Patris pro beneplacito vestro conuertetur ad filios, & in fide illius, per quem Reges regnant, vestræ magnitudini promitto, me dispositioni vestræ in omnibus pariturum. Vos Ecclesiæ suæ Pater Sancte, diu Christus seruet incolumem, hæc Rex Henricus ad Alexandrum Papam.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1198. Innocent. Papæ III. tom. 13. fol. 15.

Sanctissimo in Christo Patri Innocentio Dei gratia Summo Pontifici Richardus eadem gratia Rex Angliæ Dux Normanniæ Aquitaniæ, & Comes Andegauiæ, salutem, & sinceram semper deuotionem.

SAnctitatem vestram credimus non latere, totius, & Curiæ Romanæ sicut credimus, tenet memoria, quanta non minùs antecessorum nostrorum, quàm nostri deuotio Sanctæ Sedi Apostolicæ, & Romanæ præceptis Ecclesiæ affectu semper benignissimo fuerit alligata: illud & paternitatis Vestræ nouit discretio, quanta Ducis Saxoniæ pridem sublati de medio Romanæ fuit Ecclesiæ semper deuoto studio dilectionis astricta; E contrario verò Imperatoris vltimi Antecessorum suorum sequentis vestigia, & in vexationibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non minori, quàm Pater suus repugnantia; Patrissantis cura fuit, sicut & Antecessorum suorum præcepta Apostolica non curare, & iura ipsius Curiæ non seruare. Indè est, quòd in sanctitatis vestrę conspectu deuotionis nostræ spiritum totum supplicationibus exhaurimus quatenus Othoni Nepoti nostro prælibato Ducis filio, quem ad Regnum Alemanniæ celebris eorum vocauit electio, quorum interest Regem eligere, & quem eorumdem consensus in loco adhoc debito sublimauit in Regem, fauore velitis Apostolico consentire, & Regnum sibi Alemanniæ auctoritatis vestræ munimine confirmare, electionem; & coronationem approbantes, & propositum Ducis Sueuiæ, & sequentium suorum super hoc reprobantes.

Velit itaque sanctitas vestra omnes, qui eidem Duci in hac proteruia sua consenserint, anathematis si placet, vinculo innodare, & terræ magnates Apostolica commonitione ad hoc inducere, vt ei tamquam Domino sine difficultate adhæreant, quem electio debita in loco debito coronauit, hoc si quidem vobis in spiritu, quo vestri sumus, pollicemur, & Nos super hoc fideiussores statuimus, quod idem Nepos noster, dum nostro consilio requiescet, non solùm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iura conseruabit præsentialiter possessa, sed in præterito habita ad statum debitum reuocabit, Teste me ipso apud Barneiull. 18. die Augusti 1198.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1201. Innocent. Papa III. tomo 13. fol. 69.

Reuerendissimo in Christo Patri, & Domino Charissimo Innocent. Dei gratia Summo Pontifici, & vniuersali Papæ Otho eadem gratia Romanorum Rex, & semper Augustus debitam deuotionem, & fidelem subiectionem.

PRimitias nostræ promotionis, & beneficia paternitatis vestræ mente solicita recolentes, & attribuentes benignitatis vestræ beneficio totum, quod dignitati, aut viribus accreuit, vel in posterum accrescere poterit, tàm deuotas, quàm vberes sanctitati vestræ gratiarum referimus actiones, quia in boni principij proposito perseuerare dignati estis, & illud per Venerabilem Patrem nostrum Prænestinum Episcopum laudabiliter consumare, quod ad Deum tantùm, & ad prosecutionem mandati vestri, suo respectu habito, ità prudenter, & circumspectè in ijs, quæ legationis suæ ministerio expedienda erant, se gessit; quod licèt factum nostrum nimis implicitum in suo ingressu repererit, Deo, & orationum vestrarum suffragio sic per opera studiorum suorum effecit, quòd promotionem nostram ex parte maxima solidauit.

Ex Oderic, Rayn. ad ann. Christi 1202. Innocent. Papa III. tom. 13. fol. 90.

Venerabili, & Sanctissimo Patri Summo Pontifici, Ego Calo Ioannes Imperator Bulgarorum, & Blacorum, gaudium, & salutem mando tibi.

NOtum facimus Sanctitati vestræ, quod nos recepimus vestras sacrosanctas literas, quas nobis portauit Religiosus Archipresbyter Brundusinus, & nos reputauimus eas charas super omne aurum, & quemlibet lapidem pretiosum. Vndè multas egimus gratias Omnipotenti Deo, qui visitauit nos seruos suos indignos secundùm suam ineffabilem bonitatem, & respexit humilitatem nostram, & reduxit nos ad memoriam sanguinis, & patriæ nostræ, à qua descendimus. Et nunc Sancte Pater, tamquam bonus Pastor, & caput omnium fidelium Christianorum filios Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Sedis congregare volens in vnum, requisiuisti nos remotos secundùm corpus, & infra. Sanctissime Pater significasti nobis per sacras literas vestras, quod nos significaremus vobis, quid ab Ecclesia Romana petamus; hoc autem petit Imperium nostrum ab Apostolica Sede, vt nos simus in Ecclesia Romana, sicut Matre filialitate firmari. In primis petimus ab Ecclesia Romana Matre nostra coronam, & honorem; tamquam dilectus filius, secundùm quod Imperatores nostri veteres habuerunt. Vnus fuit Petrus, alius fuit Samuel, & alij, qui eos Imperio præcesserunt, sicut in libris nostris inuenimus esse scriptum. Nunc autem, si placitum est sanctitati vestræ nobis istud implere, quicquid imperio nostro duxeritis iniungendum, illud ad honorem Dei, & Ecclesiæ Romanæ complebirur; Et infra: Verùm, si placet vobis sanctissime Pater, mittite nobis magnos Nuncios, de quibus uobis per vestras literas intimastis, & istum destinare cum eis, & tunc certificabimur de prima missione pariter, & secunda. Det vobis Dominus multos annos; Hactenùs ad Pontificem Bulgarorum Rex.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1203. Innocent. Papa III. tom. 13. fol. 99.

Sanctissimo Patri, & Domino Innocentio Dei gratia Summo Pontifici Alexius fidelis in Christo Imperator à Deo coronatus, Romanorum Moderator, & semper Augustus, reuerentiæ filialis deuotum obsequium.

QVanta mihi fecerit Dominus his diebus secundùm misericordiam suam, Beatitudini vestræ potissimùm credidi breuiter explicandum, quam locum eius in terris noscitur obtinere, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum, tàm Deo, & sanctitati vestræ in gratiarum actione deuotus, quàm merito teneor, & in perpetuum tenebor obnoxius. Nouit pleniùs sanctitatis vestra parricidio in fratrem commisso occupatum diutiùs, & pollutum Imperium, meque ipsum felici exilio detestabilem euasisse tyrannidem, in quo, & mihi celitùs datum est vestram Apostolicam videre personam.

Sed nec illud vestrum effugit auditum, quod Peregrinorum Beata societas credulitatem abominata sceleris inauditi, amore fraterno, seù potiùs miseratione paterna exilium meum, & causam iustissimam quidem, sed apud homines desperatam tàm misericorditer, quàm viriliter adorsa fuerit subleuare. Et tunc qualiter in manibus eorum tam mea, quàm Patris à Domino prosperata sit salus, subleuatum de carcere eiusdem Illustris Patris mei caput ostendit Imperialibus, vt decet, insignibus decoratum, & restitutum capiti meo cum solemnitate debita Imperij diadema, noctu elapso per fugam detestabili parricidio, qui fasces Imperij inauditæ tyrannidis incubatione polluerat. Hic profectò suspirantem ad nos Vrbem Regiam sermonibus adeò infecerat venenatis, vt ad subuersionem libertatis antiquæ publicè latinos asserere aduenraret, qui Apostolatui vestro locum, & gentem restituere laborarent, meque in odium traherent Amicorum, cuius occasione, & studio opus tàm insperatum latinitas inchoasset. Hæc fateor causa potissimum ad subsidium nostrum Peregrinorum animos inclinauit, quod promissione

sione spontanea sub iurisiurandi religione, Christiana sumus deuotione solliciti totius Christianitatis Ecclesiasticum caput, Romanum videlicèt Pontificem Apostolorum Principis, Petri Catholicum Successorem nos humiliter agnituros, & ad hoc ipsam Orientalem Ecclesiam pro viribus inducturos, si debitum nobis diuina miseratio restituisset Imperium, intelligentes profectò, quod accedere debeat plurimum honoris, & vtilitatis Imperio, & nomini nostro decus æternum, si tunicaDomino inconsutilis suam nostris temporibus, & operibus recipiat vnitatem. Ex hoc quidem, vt dictum est, tàm peregrinis vestris sub iuramento promisimus, quàm Paternitati vestræ exhibere pleniùs præoptamus, omnem vobis, & successoribus vestris canonicè substituendis deuotionem per præsentes literas promittentes, quam antecessores nostri Imperatores Catholici Prædecessoribus vestris Patribus Orthodoxis Romanis Pontificibus antiquitus exhibuisse noscuntur. Illud pariter promittentes, quod opportunitate nobis à Domino præstita salutem, ad idem Orientalem Ecclesiam tàm prudenterincliuabimus, quàm potenter, super quo prudentiæ vestræ consilio desideramus inniti, ad hæc prædicta inducti præcipuè consilijs salutaribus, & monitis venerabilium Patrum C... Nalbest, & G... Trecen. & N... Suenionen. Episcoporum, Abbatis de Luced. & Magistri Ioannis Mouionen. Dat. in Vrbe Regia 8. kal. Septembr. 1203.

Ex Oderic: Rayn. ad ann. Christi 1203. Innocent. Papa III. tom. 13. fol. 100.

Calo Ioannes Imperator Bulgarorum Sanctissimo Domino fidei Christianorum ab Oriente, vsque ad Occidentem Patriarchæ Papæ Romano.

EGo chartam mitto tibi gaudens si Nuncius meus inueniet te sanum, & lætum cum omnibus, qui sunt tecum, & omnibus consanguineis, & amicis tuis. Ego sanus sum per virtutem Domini, & Beatæ Virginis, & per orationes Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, & per sanctas orationes tuas. Intelligo Ego Calo Ioannes Imperator Bulgarorum, quod tu habes potestatem à Deo ligandi, & soluendi, sicut habuit Beatus Petrus Apostolus, cui dixit Dominus. Quodcumque ligaueris super terram &c. & sic tibi contulit Deus gratiam istam; Vndè quem ligaueris, ligatus est, & quem solueris, solutus: Notum facio sanctitati tuæ, quod elapsi sunt sex anni, quod ego semel, secundò, & tertiò missi ad vos, sed Nuncij mei non potuerunt ad Sanctitatem tuam accedere, & proponere verbum meum, & referre mihi consolationem tuam. Inspirauit Dominus sanctitatem tuam, vt mitteret mihi Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, per quem intellexi, quòd non es oblitus mei serui tui, quem honoraui, sicut hominem tuum, & dedi ei literas, quas tuę Sanctitati deferret, quas vtrùm attulerit, vel non attulerit, Deus nouit. Ex quo sciuerunt istud Græci, miserunt mihi Patriarcha, & Imperator: Veni ad Nos, coronabimus te Imperatorem, & faciemus tibi Patriarcham, quia Imperium sine Patriarcha non staret: Sed ego volo esse seruus Sancti Petri, & tuæ Sanctitatis, & sciat sanctitas tua, quod ego misi ad te Archiepiscopum meum cum omni ordinatione, & pecunia, & pannis sericis, cera, & argento, equis, & mulis, vt adoret Sanctitatem tuam pro me seruo tuo. Et rogo per orationes Beati Apostoli Petri, & per sanctas orationes tuas, vt tu mittas Cardinales, quibus præcipiat Sanctitas tua, vt me coronent in Imperatorem, & in terra mea faciant Patriarcham, vt sim seruus tuus tempore vitæ meæ &c.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1204. Innocent. Papa III. tom. 13. fol. 122.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Cùm placuit Domino Nostro Iesu Christo, me Dominum, & Imperatorem totius Bulgariæ, & Blachiæ facere, inquisiui antiquorum nostrorum scripturas, & libros, & bonæ memoriæ Imperatorum nostrorum prædecessorum leges, vndè ipsi sumpserunt Regnum Bulgarorum, & firmamentum Imperiale, coronam super caput eorum, & Patriarchalem Benedictionem, & diligenter perscrutantes in eorum inuenimus scripturis, quod bonæ memoriæ illi Imperatores Bulgarorum, & Blachorum, Simeon, Petrus, & Samuel nostri Prædecessores coronam Imperij eorum, & Patriarchalem Benedictionem acceperint à summa Dei Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede, Principe Apostolorum Petro, sed Imperium nostrum voluit benedictionem, & Imperiale firmamentum coronæ capitis imperij sui suscipere, & patriarchalem benedictionem ab Ecclesia Romana, & ab Apostolica Sede, Principe Apostolorum Petro, & à Sanctissimo Patre Nostro, & vniuersali Papæ Tertio Innocentio, & à quocumque Patriarchalis Benedictio, & mandatum in Ciuitate Imperij mei Trinoni data, & concessa fuerit à Domino Papa faciendi, & consecrandi Archiepiscopos, Metropolitas, & Episcopos, & reliquas Ecclesiasticas obseruationes Sacramentales concedit Imperium nostrum, vt plenissimam in omni Tenimento, & Imperij mei pertinentijs ipsi habeant potestatem. Ecce etiam omnes totius Imperij mei tenimenti, & Patriarcha meus Metropolitanus, Archiepiscopi, Episcopi, & cuncti sacerdotes Romanæ subsint Ecclesiæ, & teneant legem, consuetudinem, & obseruationem, quas tennerunt beatæ memoriæ Imperatores totius Bulgariæ, & Blachiæ primi illi nostri Prædecessores, & nos eodem modo vestigia eorum imitantes. Subsignat autem Imperium meum ad securitatem Chrysobolum suum, quod nunquam ab Ecclesia Romana, & Apostolica Sede, Principe Apostolorum Petro ipsum videlicet Imperium discedet, neque alij mei Imperij Principes disgregabuntur, sed vt vocatus dilectus filius Sacrosanctæ, & Apostolicæ Romanæ Sedis Principis Apostolorum Petri ero, & deinceps quascumque Terras Christianorum, seù Paganorum

rum meum acquisiuerit Imperium, sub potestate, & mandato eiusdem Sacrosanctæ, & Apostolicæ Sedis Romanæ erunt, & vt præsens Chrysobolum Imperij mei ratum, & firmum habeatur, dedi Imperium meum in manibus Reuerendissimi Viri Ioannis Sacrosanctæ Romanæ Sedis Legati, & Domini Papæ Capellani, in quo; & nostrum pium, & Deo promotum subiugauit Imperium anno sexmillesimo, septingentesimo duodecimo, Indictione septima, &c.

Ex Oderic. Raynald. ad ann. Christi 1290. Innocent. Papa III. tom. 13. fol. 138.

IN nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Otho Quartus diuina fauente clementia Romanorum Rex, & semper Augustus recognoscentes, ab eo nostræ promotionis donum misericorditer processisse, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, ipsum, eiusque Vicarium, & sponsam eius Sanctam Ecclesiam dispofuimus, & decreuimus magnificè honorare, vt qui nobis in præsenti temporale contulit Regnum, in futuro quoque tribuat sempiternum. Proindè vobis Reuerendissime Pater, & Domine Summe Pontifex Innocenti, quem pro multis beneficijs nobis impensis sincerissimo veneramur affectu, vestrisque catholicis successoribus, & Ecclesiæ Romanæ omnem obedientiam, honorificentiam, & reuerentiam semper simili corde, ac deuoto spiritu impendemus, quam Prædecessores nostri Reges, & Imperatores Catholici Vestris Antecessoribus impendisse noscuntur, nihil ex eis volentes diminui, sed magis augeri, vt nostra deuotio clariùs enitescat. Illum igitur abolere volentes abusum, quem interdum quidam Prędecessorum nostrorum exercuisse dicuntur, in electionibus Prælatorum concedimus, & Sancimus, vt electiones Prælatorum liberè, & canonicè fiant quatenùs ille præficiatur Ecclesiæ Viduatæ, quem totum capitulum, vel maior, & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodò ei nihil obstet de Canonicis institutis: Appellationes autem in negocijs, & causis ecclesiasticis ad Apostolicam Sedem liberè fiant, eorumque prosecutionem, siuè processum nullus impedire præsumat. Illum quoque dimittimus, & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueuerunt Antecessores committere, pro motu propriæ voluntatis; Omnia verò spiritualia vobis, & aliarum Ecclesiarum Prælatis relinquimus liberè disponenda, vt quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo recta distributione reddantur. Supereradicando autem hæreticæ prauitatis errore auxilium dabimus, & operam efficacem.

Possessiones etiam, quas Romana Ecclesia recuperauit ab antecessoribus nostris, seù quibuslibet alijs ante detentas, liberas, & quietas sibi dimittimus, & ipsam ad eas retinendas bona fide promittimus adiuuare. Quas verò nondum recuperauit, ad recuperandum pro viribus erimus adiutores, & quęcumque ad manus nostras deuenient, sine difficultate ei restituere satagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ est à Radicofano, vsque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Britennori, Exarchatus Rauennæ Pentapolis, cum alijs adiacentibus terris, expressis in multis priuilegijs Imperatorum, & Regum à tempore Ludouici, vt eas habeat Romana Ecclesia in perpetuum cum omni iurisdictione, districtu, & honore suo: Verumtamem cum ad recipiendam coronam Imperij, vel pro necessitatibus Ecclesiæ ab Apostolica Sede vocati venerimus, de mandato Summi Pontificis recipiemus procurationes, siuè fodrum ab illis. Adiutores etiam erimus ad retinendum, & defendendum Ecclesiæ Romanæ, Regnum Siciliæ, ac cætera iura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tamquam deuotus filius, & catholicus princeps.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1213. Innocen. Papa III. tom. 13. fol. 232.

Ioannes Dei gratia Rex Angliæ Dominus Hyberniæ; Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, Comes Andegauiæ, omnibus Christi fidelibus præsentem Cartham Inspecturis salutem.

VNiuersitati vestrę per hanc chartam nostram sigillo nostro munitam volumus esse notum, quòd cùm Deum, & Matrem nostram Sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, & proindè diuina misericordia plurimùm indigere noscamur; nec quid dignè offerre possumus pro satisfactione Deo, & Ecclesiæ debita facienda, nisi nos ipsos habeamus, & regna nostra, volentes nos ipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliauit, vsque ad mortem gratia sancti Spiritus inspirante, non vi inducti, nec timore coacti, sed nostra bona, spontaneaque voluntate, ac communi consilio Baronorum nostrorum offerimus, & liberè concedimus Deo, & Sanctis Apostolis eius Petro, & Paulo, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Matri nostræ, ac Domino nostro Papæ Innocentio, eiusque Catholicis successoribus, totum Regnum Angliæ. & totum Regnum Hyberniæ cum omni Iure, & pertinentijs suis pro remissione peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tàm pro viuis, quàm defunctis: & amodo illa à Deo, & Ecclesia Romana tamquam feudatarius recipientes, & retinentes, in præsentia prudentis viri Pandulphi Domini Papæ Subdiaconi, & familiaris; fidelitatem exindè prædicto Domino Nostro Papæ Innocentio, eiusque catholicis successoribus, & Ecclesiæ Romanæ secundùm subterscriptam formam faciemus, & iuramus, & homagium Ligium in præsentia Domini Papæ, si coram eo esse poterimus, eidem faciemus, successores nostros, & Hæredes de Vxore nostra in perpetuum obligantes, vt simili modo Summo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ sine contradictione debeant fidelitatem præstare, & homagium recognoscere.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1219. Honor. Pap. III. tom. 13. fol. 297.

Sanctissimo Patri, & Domino Honorio Dei gatia Summo Pontifici Reginaldus Rex Insularum commendationem, cum osculo pedum.

NOuerit Sancta Paternitas vestra, quòd nos vt participes simus bonorum, quæ fiunt in Ecclesia Romana, ad monitionem, & exhortationem dilecti Patris P. Noruuicen. electi Camerarij, & Legati vestri dedimus, obtulimus ei nomine Ecclesiæ Romanæ, & vestro, & catholicorum vestrorum successorum Insulam nostram de Mari, quæ ad nos iure hæreditario pertinet, & de qua nullibi tenemur, aliquod seruitium facere; & deinceps nos, & hæredes nostri in perpetuum tenebimus in feudum dictam Insulam ab Ecclesia Romana, & faciemus ei per hoc homagium, & fidelitatem, & in recognitionem dominij nomine census, nos, & hæredes nostri in perpetuum annuatim soluemus Ecclesiæ Romanæ duodecim Marchas Sterlingorum in Anglia, apud Abbatiam de Furnis Cistercien. Ordinis in festo Purificationis Beatæ Mariæ. Et si non esset ibi aliquis ex parte vestra, vel successorum vestrorum, deponentur dictæ duodecim Marchæ per nos, & Hæredes nostros penes Abbatem, & Conuentum Ecclesiæ Romanæ nomine. Hanc donationem, & oblationem dictus Dominus Legatus recepit ad voluntatem, & beneplacitum vestrum & post receptionem factam ab eo, sic ipse Dominus Legatus dictam Insulam dedit mihi, & hæredibus meis in feudum perpetuò possidendam, & tenendam nomine Ecclesiæ Romanæ, & me inde per anulum aureum inuestiuit &c. Actum Lond. in Domo Militiæ Templi 10. Kal. Octobris anno Domini millesimo, ducentesimo, decimo nono. Et nè super his aliquando possit dubitari, has literas fieri fecimus, & sigillo nostro muniri.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1219. Honorij Papa III. tomo 13. fol. 299.

Sanctissimo in Christo Patri, & Permaximo Benefactori suo Domino Honorio Dei gratia Sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Summo Pontifici Fridericus eadem, & sui gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ commendationem, & reuerentiam, tàm debitam, quàm deuotam.

EXhibitam nobis in nostris negocijs, petitionibus, & necessitatibus vniuersis vestræ gratiæ plenitudinem deuotè recognoscimus, & recognoscentes Apostolicæ Sanctitatis pedibus humiliter inclinamus, vt potè qui per Romanæ Ecclesiæ, & Vestræ Paternitatis grata subsidia, & fauorem reminiscimur nos adeptos, quidquid honoris, & gloriæ possidemus. Verùm si ad tot beneficia, & tantorum cumulum meritorum nostra, prout cupimus, & debemus deuotio non respondet, non minùs feruet interiùs voluntatis affectus, quem vtique quoties expedit, libenter producimus in effectum. Sanè petitionibus, & præceptis vestris, quæ per Magistrum Alatrinum Subdiaconum, & Capellanum vestrum nostræ Celsitudini direxistis, sicut promisimus per Magistrum Bonum Hominem de Gaieta, Messanensem Decanum, Notarium, & fidelem nostrum incontinenti post reditum eius promptum, & beneuolum curauimus impertiri assensum, excepta innouatione priuilegij de Regno Siciliæ, quam nobis sub spe obtinendi à Vestra Paternitate ipsius Regni in vita nostra dominium reseruantes per Tarentinum electum vestræ supplicauimus sanctitati. Sed postquàm nouimus vestram exinde voluntatem, priuilegium ipsum duximus innouandum; addito tamen, quòd si charissimum filium nostrum absque Hærede, & germano mori contingat, succedamus eidem in tenendo in vita nostra ab Ecclesia Regnum ipsum, quod per ejusdem electi literas intelleximus à vestra nobis benignitate concessum.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1232. Gregorij Papę IX. tom. 13. fol. 435.

Sanctissimo, & Excellentissimo Papa Veteris Romæ, & Apostolicæ Sedis decori, Germanus miseratione diuina Archiepiscopus Constantinopolitanus nouæ Romæ.

O Domine saluum me fac, O Domine benè prosperate. Te enim lapidem Angularem, honorificatum, pretiosum, electum in fundamentum pono huiusmodi negotiationis toti Orbi salutiferæ. Didici enim per prophetam tuum Isaiam, quòd omnis, qui credit in te talem lapidem existentem, nullatenùs confundetur, neque à suæ spei base moueri poterit. Et ità se habet veritas, & nullus contradicere audet, nisi Patris mendacij discipulus fuerit, opus autem tuum est, qui lapis angularis ex istis, coniungere quæ procul sunt, vel quæ inter se distant, & ea, quæ diuisa sunt, in vnitate fidei congregare. Tu enim es, qui & procul, & propè existentibus pacem euangelizasti, & fines Orbis terrarum per tuarum super crucem extensionem manuum ad Eusebiam conuocati, & paterno amore in humeros eleuasti. Tuæ igitur inæstimabili clementiæ supplico desuper verbum prosperare, qui Patris es verbum Omnipotens, consubstantialis sapientia Dei, ædifica in me huius rei, & tu sis eius, & fundamentum, & tectum, qui iuxta theologicam vocem Ioannis, Alpha, & Omega diceris tanquam omnium principium, & finis incircumscriptus. Ac in primis oculos eleuantes ad montes cælestes, vnde venire nobis auxilium orauimus, deindè ad te Sanctissimum Papam, qui Apostolicæ Sedis primatum sortitus es, sermonis mutamus exordium, vt velis descendere aliquantulum ab altitudine glo-

gloriæ, & intendere verbis meis, qui miser sum, & vita, & sermone: Si tu, inquam, assimilaris ei, qui in altis habitat, & humilia respicit Deus.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1246. Innocent. Pap. IV. tom. 13. fol. 623.

Præsentiæ Papæ Nobilis, Magni, spiritualis, Affectuosi, Sancti, Tertijdecimi Apostolorum, Vniuersalis loquelæ Christianorum manutenentis, Adoratoris Crucis, Iudicis Populi Christiani filiorum Baptismatis, Summi Pontificis Christianorum. Confirmet eum Deus: & det sibi felicitatem A Soldano potentissimè regnante super colla nationum, continente duas virtutes gladij, & calami, possidente duo præcellentia, scilicet doctrinam, & Iudicium Regem duorum Marium, Dominatorem Austri, & Septentrionis Reges Regionis Aegypti, & Syriæ & Mesopotamiæ, & Mediæ; & Idumeæ, & Ophir; Rege Salech Belset, Aio, filio Soldani Regis Hadel Robere filij Ayb; cuius regnum Deus diligit.

IN Nomine Dei Misericordis, & Miseratoris præsentatæ sunt scripturæ Papæ Nobilis, Magni, Spiritualis, Affectuosi, Sancti Tertij decimi Apostolorum, vniuersalis loquelæ Christianorum manutenentis, Adoratoris Crucis Indicis populi Christiani, Summi Pontificis filiorum Baptismatis. Faciat eum Deus de affectantibus bonum, & facientibus illud, & volentibus pacem, & perseuerantibus in cautis eius; & adiuuet eum Deus in his, quæ decentia sunt ad illos, qui sunt sui cultus, siuè Ritus, & ad alios. Respeximus illas scripturas studiosè, & intelleximus capitula, quæ in eis inserta erant; & eorum continentia nobis placuit, & delectatus est auditus noster in relatu eorum. Et Nuncius venit ad nos, quem misit Sanctus Papa, & ipsum præuenimus cum honore, & dilectione, cum deuotione, & reuerentia. Ipsumque conuocauimus ad conspectum nostrum, sibi inclinantes, intendimus aurem verbis eius, & fidem abhibuimus ei, nunciantì nobis de Christo, super quem sit salus.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1247. Innoc. Papam IV. tom. 14. fol. 639.

Præsentiæ Excelsæ Sanctæ Dominatrici, Apostolicæ, Venerabili, Honorabili, Dominanti Ceruicibus Francorum, Ductori Capitaneorum legis Christianæ, Munificatori Sectæ Christianitatis. Prolonget Deus vitam eius, & protegat Seruus Dei confessor gratiæ eius, Ismael filius Elibecre filij Iob.

IN Nomine Dei miserantis, misericordis. Hoc est rescriptum nostrum procedens ad sanctam præsentiam Domini Papæ Venerabilis, Honorati, Dominantis ceruicibus nationum Francorum, Gubernatoris Capitaneorum Legis Christianæ, Munificatoris Sectæ Christianorum; quem possidere faciat Deus colla ducum eius, & præceptum eius in eorum Iudicia faciat penetrare, & omnes nationes Crucem adorantes in ipsius seruitium, & obedientiam congreget, & adunet, offerens ei dulcedines salutationis perfectæ, & expandens ornatum volæ multiplicis, & Deum excelsum glorificans creantem omnia, qui potenti adinuentione sua sponsam fecit Hominis imaginem, & ipsius speciei contulit prærogatiuam rationis super Animalium species vniuersas, & inseruit in eo viam directiuam, per quam ad viam rectitudinis dirigatur, & eum, qui non erat, inueniri fecit in esse impositione duplici, temporis videlicet, atque loci, & misit Prophetam nostrum Mahometum, & infra, vbi nonnulla in Mahometi, & superstitionis ipsius, quam nullis alijs argumentis, quā illius Imperatoris figmentis confirmat; laudem congessit; adijcit.

Postquam autem peruenit epistola à præsentia Sancta Apostolica, inuenimus eam complectentem talia, qualia continet mittentis præsentia, & dirigentem intentionem ad procurandum ea, in quibus sit sufficientia communiter Humano Generi, & administrandum congruè regimen humanæ speciei. Nec mirum si procedant talia à prouidentia Sanctitatis eius, & exeant à magnificentia prærogatiuæ eius, & deriuentur à laudabili proposito eius, & proueniant à fronte studiorum eius.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1247. Innoc. Pap. IV. tom. 13. fol. 632.

Literæ missæ ad Dominum Papam ex parte Catholicon Iacobitarum.

Illi Generi supremo constitutiuo omnium specierum, quod ita vocatur genus, quod non contingit ipsum vocari speciem; Patri Patrum, Sanctissimo Innocentio tenenti Sedem B. Petri Principis Apostolorum glorificato à Christo Deo, qui credidit B. Petro Claues Regni Cælorum, et posuit eum fundamentum Ecclesiæ, Seruus Seruorum Christi Ignatius debilis, cui creditum est; Spiritu sancto, vt sit Pastor Syriæ, et totius Orientis Populo Iacobitarum, adorationem sinceram in spiritu, et corpore.

INnotescat Sanctitati Patris communis post Patrem Cœlestem, & Domini communis post Deum Cœlestem, quod peruenit ad nos epistola vestra sancta per manum Fratris Sancti, sapientis, omnibus virtutibus ornati Andreæ; & leuaui eam super capita nostra, & benedictionem recepimus ab ipsa, sicut à similitudine Imaginis Iesu Christi. Quod autem mandastis de pace, & charitate communi, & qui est, qui non gaudeat de concordia. Cum autem simus paci perfectæ obedientes. Primò ostendamus veritatem fidei nostræ, quam cōfitemur, & Deus Testis est nobis, quòd illud quod credimus corde, confitemur ore, & exaramus scriptura?

Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1247. Innocent. PP. IV. tom. 13. fol. 637.

Sancto, illustri, Puro, Excellenti, temporalium contemptorli. Dei Cultori, Venerabili, Sublimi, Scienti, Magno capiti Secta Christiana, & Duci filiorum Baptismatis, sedenti super sedem Simonis, ornatum habenti intellectum sanctis Theologicis, Papa Roma, cuius Deus perpetuet prosperitatem Salebinus I. ex parte Desabel Soldani Ægypti, Rex Victoriosus, Protector Hundi, & legis, cognomento Vbutaber, quod interpretatur Pater Puri, nomine Abraham, filius Regis Propugnatoris, cognomento Leonis legis nomine Serlxoab filij Mahometi, Adiutor Emar elemumemin, idest Imperatoris fidelium, qui est Calipha.

POstquam autem ad nos peruenit epistola Sancti, Nobilis, Puri, eminentis, temporalia contemnentis, cultoris Dei, Venerabilis, sublimis, scientis, magnifici, capitis Populi Christiani, & Ducis filiorum Baptismatis; sedentis super sedem Simonis, cuius intellectus ornatus est scientijs theologicis, & perlegimus, quod continebat, & intelleximus ex eius consideratione, quod prætendebat. Inuenimus eam plenā demonstrationibus ducentibus ad propositum. De quo diù diuersa senserunt rerum Inquisitores continentem talia, quæ capere non sufficiunt intellectus, & res, super quibus locuti sunt Prophetæ præcedētes, & radices ex legibus, quarum veritatem non cōprehenderunt, nisi certissimi sapientes.

Ex Oderic. Raynald. ad ann. Christi 1247. Innocent. Pap. IV. tom. fol. 631.

Literæ transmissæ ad Romanum Papam ex parte Catholicon.

Ad præsentiam Papa Magnifici ex parte illius, qui petit orationes eius in subsidium debilitatis sua, Rabam Ara Vicarij Orientis adorantis inter manus eius, Patri Patrum, decori Pastorum, Misericordia Vita, fonti Pietatis, & indulgentia; intercedenti pro Populo Domini, perfecto in Diuinis, excellenti in spiritualibus, soli Iustitia, cui lex oritur super quatuor mundi climata, qui lucet, & splendet in Ecclesijs Catholicis Sanctis; Cherubin Corporeo, & Seraphin carneo, tenent Sedem Beati Petri; Domino meo Sanctissimo Papa Vrbis Roma, omnium climatum Mundi coram Deo: sit vita eius temporibus longis quousque cesset Mundus iste admiratione sua, Orationibus Prophetarum, & Apostolorum Sociorum eius, & nos confidimus orationibus adiuuari Amen.

PEruenit ad nos epistola vestra elegans, quæ ex ore vestro excelso conscripta est, & suscepimus eam manibus nostris debilibus, & eam super oculos nostros posuimus. Et sicut Simon Senex, qui portauit Dominum nostrum Iesum Christum in vlnis, sic diximus. Quia viderunt oculi nostri pietatem vestram immensam. Nunc igitur Domine mi dimitte seruo vestro peccata sua, sicut posita est in manibus vestris potestas ligandi, atque soluendi, & omnium mysteriorum. Legimus eam siquidem cum lætitia, & intelleximus, quod in ea scriptum est cum gaudio; & mandatum vestrum attendimus, & habemus os, quod sufficiat ad commendationem vestram, neque linguam, quæ possit exprimere gloriam vestram, & nos contremiscimus excellentiam vestram, quia Dominus magnificauit vos?

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1235. Gregor. PP. IX. tom. 13. fol. 472.

Sanctissime, & Angelis æqualis Archiepiscope magne Roma, & magne Papa omnium per orbem terrarum Christianorum, Alatinus magnus Suldanus Iconis, & potestas omnium terrarum per Orientem, & Septentrionalem plagam existentium, & magna Cappadocia cum salute.

NOtifico Sanctitati tuæ, quod iam dudum disposueram vnum magnatem Vassallum meum ad vestram mittere sanctitatem ad exponendum vobis affectionem nostram, quam erga vestram gerimus Sanctitatem, & ad tractandum inter ambos amicitiam, & pacem, & ad disperdendum inimicum; Sed propter longam viam, guerrarumq; discrimina, & quia non pauca regna adiacent inter vos, & nos, non vidimus esse tutum aliquem magnatem hominem destinare, nè à malis, & inuidis hominibus, qui sunt in medio, vasalli mei malum paterentur, & amitterem eosdem homines meos. Ac per hoc ab anno tertiæ indictionis, vsq; ad sextam personas sub habitu monacali, tamquàm humiles homines, qui votum habent, & accedunt de partibus istis adorandum limina Sancti Petri, & Sancti Iacobi, ad vestram Sanctitatem direxi, nè fortè cognoscerentur, & ab inimicis impedirentur. De ipsis autem duo reuersi sunt, reliqui verò quatuor, quare non fuere reuersi nescio, & sicut reor, nec ipsi duo monachi, qui fuerunt reuersi potuerunt exponere sanctitati vestræ nuntiationes meas, quas sanctitati vestræ mittebam, nec etiam literas reportauerunt mihi ad certitudinem.

Quamobrem necessarium duxi vnum magnum hominem meum fidelem mittere ad exponendum tibi voluntatem meam, meditansque in memetipso, atque considerans aliud non inueni ingenium, vt posset homo meus peruenire ad vos, nisi istum hominem meum, quem ad Imperatorem Theutonicorum Fridericum transmitto, vt ipse associato homine meo, homini suo, ipsum ad Vestram Sanctitatem transmittat. Nunc itaque mihi fidelissimum, & propitium Soldanicæ potestati meæ Hominem Christianorum, nomine

Ioan-

Ioannem de Gabra, ad Sanctitatem Vestram cum literis meis, & quodam paruo negotio, quod esset occasio literarum ad fidem: Sed priùs quidem misi eum ad Imperatorem, & rogaui eumdem, vt cum ordinatione sua ipsum ad Vestram dirigat Sanctitatem,& spero quod ipse non erit negligens, & pro eo quod ipsum ad Imperatorem direxi, nullam causam, vel nullum negotium in literis annotaui, sed totam voluntatem meam, & mandata mea eidem fideli meo Ioanni Gabra commisi, vt ipse viua voce Sanctitati tuæ loquatur, & quidquid ipse vobis locutus fuerit, tamquàm ab ore meo recipiatur à Sanctitate Vestra; ac præter literas istas, habet etiam alias literas à Nobis Syro sermone sub Bulla similiter aurea sigillatas. Perlectis autem literis, & auditis ab eodem quamcumque voluntatem habuerit Vestra Sanctitas, mittat Nuntium suum ad implendam voluntatem vtriusque partis.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1275. Gregor. Papæ X. tom. 14.

In Nomine Sancta, & Indiuiduæ Trinitatis, Ego Rodulphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus Vobis Domino meo Sanctissimo, & Petri Charissimo Gregorio diuina prouidentia Papa Decimo, vestrisque successoribus.

PRæsentibus subscriptis Prælatis, Principibus, & Nobilibus Imperij, spondeo, polliceor, & promitto, & Iuro, quòd omnes possessiones, honores, & Iura Romanæ Ecclesiæ pro posse meo bona fide protegam, & seruabo. Possessiones autem, quas Ecclesia Romana recuperauit, liberas, & quietas sibi dimittam, & ipsam ad eas retinendas bona fide iuuabo. Quas autem nondum recuperauit, adiutor ero ad recuperandum, & recuperatarum secundùm posse meum ero sine fraude defensor; & quæcumque ad manus meas deuenient, sine difficultate restituere procurabo. Ad has pertinet tota terra, quæ est à Radicophano vsque Ceperanum, Exarchatus Rauennæ, Pentapolis, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, Terra Comitissæ Mathildis, Comitatus Brittenorij cum adiacentibus terris expressis in multis priuilegijs Imperatorum à tempore Ludouici. Has omnes pro posse meo restituam, & quiete dimittam cum omni iurisdictione, districtu, & honore suo.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1277. Ioannis Papæ XXI. tom. 14.

Litera Patriarchæ Constantinopolitani, & Concilij cum professione fidei, & recognitione Primatus.

SAnctissimo, & Beatissimo Summo Pontifici, Apostolicæ Sedis Veteris Romæ, & Vniuersali Papæ Domino Ioanni, Ioannes miseratione diuina Patriarcha Constantinopolitanus Romæ nouæ cum omni nostra Sacrosancta Synodo, debitam reuerentiam nostræ obedientiæ, ac inclinationem, & orationum postulationem.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1277. Gregor. X. Pap. tom. 14.

Sanctissimo, & Beatissimo Primo, & Summo Pontifici Apostolicæ Sedi Veteris Romæ, Vniuersali Papæ, Communi Patri omnium Christianorum, & Reuerendissimo Patri nostro Imperij Domino Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Somnenus, Paleologus, Specialis filius Magnæ Sanctitatis vestræ, conuenientiam cum sincera, & pura affectione, ac orationum postulatione.

SVmmæ Supereminentiæ Apostolicæ Sanctitatis, cui fidelis quilibet in Christo subesse non debet ambigere, spe certa, & fide præclara me totum confidenter exponens illius imperio, cui seruire perpetuo est regnare, non sustinui, Deum testor, dies, & annos meos in vacuum consumare: sed tantò prouide adieci studia studijs, & vigilias continuis laboribus addidi, vt acceptabile opus Orthodoxæ fidei germinatum in Domino, viuificè progrediens ad optata, beatum finem susciperet, glorioso diuino lumine illustratum, quantò, vt luminare maius præesset hæsitantibus, & veluti accensa candelabra in toto vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ corpore radiaret, ac in remissione peccatorum meorum, & laudum obsequio Deo Glorioso huiusmodi dignum fieret, & acceptum.

Ex Oderic. Rayn. ad ann. Christi 1279. Nicol. Papa III. tom. 14.

Sanctissimo in Christo Patri, et Domino, Domino Nicolao Papa Tertio, Rodulphus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Ad perpetuam rei memoriam.

ET quia decet regales actus in omni claritate procedere, vt omnem obscuritatem, quam frequenter generalitas consueuit inducere, nostra tollit regalis expressio; ac Iura ipsius Matris Ecclesiæ per nostram declarationem, quam decernimus esse perpetuam, plenariè solidentur; recognoscimus, fatemur, & oraculo præsentis edicti ad æternam memoriam declaramus Ciuitatem Rauennatem, & Æmiliam, Bobium, Cæsenam, Forumpopuli, Forliuium, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Ferrariam, Comaclum, Adriam, atque Gabellum, Ariminum, Vrbinum, Montemferetrum, Territorium Balnense; suprascriptasque Prouincias, Ciuitates, & Territoria, nec non, & omnia supradicta cum omnibus finibus Territorijs, atque Insulis in terra, marique ad Prouincias, Ciuitates, Territoria, & loca prædicta quoquo modo pertinentibus; ad Beatum Petrum Cœlesti Regni Clauigerum,& ad Vos Patrem

Bea-

Beatissimum Dominum Nicolaum Papam Tertium, & ad Successores Vestros Romanos Pontifices, & ad ipsam Ecclesiam Romanam pleno Iure, ac integrè, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus in solidum pertinere: ac vestri, & ipsius Romanæ Ecclesiæ pleni iuris, ditionis, ac Principatus existere.

Ex Oderic. Rayn. ad. ann. Christi 1283. Martin. Papa IV. tom. 14.

AC Demum Rex ipse cum multo tripudio, & applausu coronatus, iuxta eumdem Prædecessorem Innocentium ad Beati Petri Apostolorum Principis Basilicam rediens, super illius Altare Scéptrum, & Diadema deposuit, & militarem ensem de manu eiusdem Prædecessoris accepit, dictumque Regnum suum antea Censuale à suis Prædecessoribus eidem Ecclesiæ Constitutum, cupiens principali post Deum ipsius Beati Petri, & Apostolicæ Sedis protectione muneri, præfato Innocentio prædecessori, & per eum ipsi Sacrosancto Apostolicæ Sedi obtulit, illudque sibi, & successoribus eius in perpetuum Diuini Amoris intuitu, & pro suæ, suorumq; Progenitorum remedio animarum, nouo adiecto censu, constituit Censuale; pollicendo adijciens, & adijciendo pollicens, quod ipse, ac successores sui specialitèr eidem Sedi fideles, & obnoxij teneantur.

FR.

FR. DOMINICI SOTO SEGOBIENSIS

Theologi Ordinis Prædicatorum Cæsareæ Maiestati quondam à Sacris confessionis, publici apud Salmaticenses Professoris, in quartum sententiarum.

QVÆSTIO SECVNDA.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA, Et exemptione Clericorum.

Dominicus Soto Segobiensis Francisci à Victoria Auditor, & in Cathedra Salmaticensi successor, cui nomen primò Franciscus post Grammaticæ studium Complutum se contulit, vbi familiaritate Ferdinandi Saauedræ Betici Benalcazarensis est vsus. In Collegio Ildephonsio Præceptorem habuit per id tempus Thomam de Villanoua, qui deinde fuit Augustinianus, Archiepiscopus Valentinus, & hodie relatus est inter Sanctos; sub quo operam dedit Philosophiæ paulò post perrexit in Parisiensem Academiam, in qua post aliquot annos artium factus Magister vnà cum Saauedra perpetuo studiorum suorum comite ad patriam, Complutumque remeauit. Breue post tempus in ea Academia præceptor Philosophiæ electus in Sancti Ildephonsi Collegio sex, & viginti natus annos toga cohonestatur. Literis cumulatè imbutus de altioris vitæ statu cœpit cogitare. Vt ergo pietatem doctrinæ associaret Burgos venit, vbi ardentissimo desiderio nomen dedit Sacræ Prædicatorum familiæ. Habuit primò religiosos docendi prouinciam, deinde accersitus Salmanticam vt cathedram Theologiæ vespertinam regeret, vbi non illius tantùm Academiæ, sed & totius Hispaniæ eruditos admiratores, & clientes habuit. Anno 1545. ad nutum Caroli V. Imperatoris vnà cum Bartholomæo Carranza Mirandensi Tridentum ad Synodum Oecumenicam, ad quam doctissimus quisque è toto ferè Christiano orbe ascendebat, ibique doctrinæ profunditate se illustrissimum reddidit. Insuper in absentia Reuerendiss. Patris Generalis Ordinis cum maximo Religionis illius decore, ac ornamento vices gessit eiusdem. Dominica prima Aduentus facundam habuit in Concilio ad Patres orationem. Synodo absoluta perrexit in Germaniam, deinde reuersus Salmanticam aulæ pertęsus, iussusque à Cęsare cui à Sacris Confessionibus erat Gasparem Sunicam Mirandensis prolis morum integritate sibi notum

notum appellauit in vicem suam. Obijt die 15. Nouembris anno 1560. Eius amissi desiderium, & existimationem pompa funeris ostendit, quod vnà cum Patribus tota Academia, populo sex primarij Professores feretrum humeris succollantes deduxerunt. Edidit autem tres libros de natura, & gratia, obtulitque Sacræ Tridentinæ Synodo. Antuerpiæ post primam editionem vnà cum alijs eius operibus 1550. in folio Salmanticæ 1570. & 1577. Medinæ 1579. in folio. hunc honorem adeptus est ex hoc opere, vt in posterum ferret pro symbolo duas manus in se complicatas ignis flammam euomentes, & è regione cum hac inscriptione desumpta ex Paulo ad Galatas fides quæ per charitatem operatur. In his tribus libris multa displicuerunt Ambrosio Catharino, vnde protulit Apologiam aduersùs Sotum. Hac coactus Sotus edidit opus aduersùs Catharinum de certitudine gratiæ, & decretis Concilij Tridentini. Antuerpiæ 1556. in fol. Salmanticæ 1574. in fol. Venetijs apud Florauantem à Prato 1584. in 4. Anno 1548. Scripsit in epist. ad Romanos Commentarios stylo, ac præsertim methodo valdè probandos. Scripsit duo magna volumina super quartum librum sententiarum, siue de Sacramentis primùm Salmanticæ 1557. Alterum apud Andream de Portonarijs 1560. in fol. Venetijs 1579. in 4. Louanij 1573. in folio Duaci, & Coloniæ, Medinæ Campi 1581. in fol. Iterum Venetijs 1598. in 4. Conceperat omnes Sotus, sed incubuit quarto propter vtilitatem. De Iustitia, & iure libros septem ad Carolum Hispaniarum Regem Salmanticæ 1556. in folio, vbi exponit ea, quæ S. Thomas tractat in 2, 2. Inde ab ipso Auctore restituti sæpiùs, & vberiores sunt redditi. Editioni Salmantinæ anni 1569. adiunctus fuit liber VII. de Iuramento, & adiuratione. Anno autem 1580. ibidem in folio prodierunt duo alij libri de ratione tegendi Secretum, libros tres Salmanticæ 1552. & 1574. in fol. Brixiæ 1582. in 8. Duaci 1623. in 8. De iuramento, & periurio, siue de cauendo iuramentorum abusu Salmanticæ 1552. Idem Hispanè ex latino translatum, atque ita inscriptum Como se à da euitar el vso de los iuramentos. Toleti 1551. in 8. Latinè iterum Antuerpiæ anno 1567. Scripsit vlteriùs de liberationem in causa Pauperum Latinè, atque Hispanicè ad Philippum Principem, hoc est de non inhibendo secundùm misericordiæ præscriptum publico mendicabulo, Salmanticæ apud Ioannem Iuntam 1545. Quod à Rege sententiæ suæ acquiescente obtinuit. Expositionem in Matthæum, vt notant Chronographi Ordinis Prædicatorum. Item annotationes in Commentaria Ioannis Feri Teutonici super Ioannem ostendens loca 67. cautè in eo esse legenda. Cui Michael Medina Belariensis Franciscanus edens pro defensione dictorum locorum volumen Apologeticum respondit. At dicta Apologia damnata postea fuit in Indice ad Concilium Tridentinum. Einsegrenius asserit Sotum scripsisse super epistolas omnes Pauli, Posseuinus negat. Concio habita Tridenti Louanij 1567. nuperque Parisijs Labbei cura 1667. in noua editione Concilij Tridentini. Declamauit in eodem loco pro aptitudine, & necessitate styli Theologici, quem Scholasticum appellamus, ita ipse in prooemio librorum de natura, & gratia. Ex commissione Sacri Concilij latino, facilique sermone ordinauit sacra sessionum illius temporis decreta. Composuit etiam pro festo die S. Hieronymi officium, quod in comitijs Fratrum Hieronymianorum Lupuanensibus anno 1543. admissum fuit, & iussum persolui. Item officium Sancti Thomæ Aquinatis, quod recitari refert Ioannes Marieta in Conuentu S. Stephani Salmantino. Hispanicè composuit Summam hoc titulo Catechismo, ò Dottrina Christiana Salmanticæ 1563. in 12. quæ summa fortasse est eadem cum illa, quam Soti nomine Didacus Ximenes edidit ibidem 1567. in 8. Summulas Salmanticæ 1539. & 1575. in fol. In Dialecticam Aristotelis commentarij 1580. in folio. Super Prædicabilia, & cathegorias Aristotelis 1583. in 4. Venetijs. In libros Posteriorum Venetijs 1574. in 8. super octo Phys. Salmant. 1572. Quæstiones super animam, item super artem nouam, & veterem Aristotelis. In Aristotelis libros de Anima, commentarios. Item tractionem de ratione promulgandi Euangelij primum in obsequium fidei, deinde in gratiam Principum Hispanorum. Ita Ferdinandus Mencacha lib. 1. quæst. Illustr. cap. 10. In prima parte D. Thomæ, & in 2. 2. vtramque Commentarij in Bibliotheca Altempsiana Romæ. Tractatum pro Iustificatione Concilij Tridentini. Ità Ioannes Marieta lib. 14. de Script. Hispanis Dominicanis. Si quis autem Soti Elogia, & Auctores Sotum nominantes referre vellet longiorem tractatu faceret Synopsim. Vide Bibliothecam Hisp. Dominicanam

canam Antonium Senenſem Poſſeuinum, Bellarm. & de eius laudibus ſufficiat illud vulgatum, qui ſcit Sotum, ſcit Sotum, & Teſtimonium tum veterum, tum Recentiorum etiam contrariorum, eſſe poſt Aquinatem Solem, primæ magnitudinis aſtrum. Obijt 15. Nouembris 1560. præſente morti eius Bannez.

ARTICVLVS I.

Vtrùm poteſtas Eccleſiaſtica ſit hac ratione ſuprema, vt ciuilis ab ea, tanquam eius delegata, pendeat.

Operæ pretium duximus in calce huius materiæ ordinum de poteſtate Eccleſiaſtica reſpectu ciuilis quæſtionem adhibere in duos articulos diſtinctam. Quorum primus ſit vtrùm poteſtas Eccleſiaſtica ſit hac ratione ſuprema, vt ciuilis ab illa tamquam eius delegata dependeat. Arguitur enim à parte affirmatiua, Chriſtus Eccleſiam, ceu optimam rempublicam inſtituit, optima verò ea reſpublica eſt, quæ inſtar regni vnico ſummo capite gubernatur, vt 3. Politic. auctor eſt Philoſophus: ſummum verò caput eſſe non poteſt in Eccleſia, niſi poteſtas ciuilis ſit prorſus Eccleſiaſticæ ſubiecta, vt Papa ſit, Dominus omnium tam temporalium, quàm ſpiritualium, alioqui duo eſſent capita, quod 12. Meta. idem reprobat Philoſophus. Et confirmatur ex illo ad Rom. 12. & 1. Cor. 12. vbi Paulus ait Chriſtianos omnes eſſe vnum corpus ex diuerſis membris conſtans: vnius namque corporis, ne ſit monſtrum, vnicum debet eſſe caput. Quod exemplo apum Hieronymus declarat canon. In apibus 7. quæſt. 1.

Secundò arguitur. Chriſtus illam poteſtatem ſuo Vicario reliquit, quam ipſe habuit: ipſe autem etiam in quantum homo non ſolùm fuit Dominus regni cœlorum in ſpiritualibus, verùm etiam rex temporalium: ait quippe Ioan. vlt. Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra: quare in Apocalypſi cap. 18. pronunciatur Rex regum, & Dominus dominantium.

Tertiò id è iure canonico colligitur: nam à quocumque iudice ſæculari in quacumque cauſa poteſt ad Sedem Apoſtolicam appellari 11. quæſt. can. Quicumque litem, & poteſt Papa deponere reges: nam Zacharias Papa Regem Francorum tamquam regno inutilem depoſuit 15. quæſt. 6. cano. Alius, & Innocentius Federicum, diſt. 96. can. Duo ſunt.

In contrarium autem eſt auctoritas Pelagij Papæ eodem citato can. Duo ſunt: vbi ait, Duo ſunt, Imperator Auguſte, quibus hic regitur mundus, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas.

De hac lite, vt lib. 2. cap. 113. ait Turrecremata, duæ ſunt è diametro diſtantes opiniones, inter quas media eſt tamquàm Catholica conſtituenda. Sunt etenim, qui eo ſtudio, & (vt putant) religionis zelo, extollere contendunt dignitatem Apoſtolicam, vt arbitrarentur Romanum Pontificem ſummum iudicem tam in temporalibus, quàm ſpiritualibus, atque adeò, ad ipſum pertinere reges, ac principes ſæculares inſtituere, qui ideo ſunt ſicut eius Vicarij delegati. Hanc opinionem ebibit Auguſtinus de Ancona in tract. de poteſtate Eccleſiaſt. quem Syluester verb. Papa §. 2. ſecutus eſt. Cuius etiam patronus fuit Panormitanus, atque alij iuriſperitorum complures: Alij in alterum extremum collapſi omnem prorſus temporalem poteſtatem ſummo Pontifici detrahunt. Imò in temporalibus ciuili omnino poteſtati ſubijciunt, neque vllam clericorum exemptionem iure diuino permittunt. De qua hæreſi ſequenti artic. copioſiùs dicturi ſumus.

Ad quæſtionem ergo præſentem quinque concluſionibus reſpondetur. Prima. Poteſtas Eccleſiaſtica, & ciuilis ſunt duæ diſtinctæ. Aſſertio eſt Pelagij citato can. Duo ſunt. At quia materia hæc ad ius diuinum attinet, ex teſtimonijs Scripturæ ſacræ eſt colligenda. Nam quia (vt bona venia dixerim) interpretibus ſacrorum canonum non datum eſt de iure diuino, & naturali adamuſſim tractare, nil mirum, ſi impræſentiarum hallucinentur Canones enim ſacri, qui hac de re loquuntur, per ſacram Scripturam, ex qua collecti ſunt, veniunt elucidandi. Probatur ergo concluſio, potentiæ, & artes, vt 2. Ethic. auctor eſt Philoſophus, per actiones differunt, & actiones per obiecta, & fines, quò actiones diriguntur: ſed in corpore myſtico Chriſtiano ſunt duo fines vnus naturalis, quo ciuilis adminiſtratio tendit: nempe, pax & tranquillitas reipublicæ: & alter ſupranaturalis, qui in diuino conſpectu poſſidetur, quem vti ait Paulus, neque oculus vidit, neque auris audiuit: ergo ſunt poteſtates diuerſæ ad illos conſequendos. Ratio eſt Hugonis par. 2. de ſacramen. vbi ait, quòd cùm duæ ſint vitæ, & vna terrena, & altera ſpiritualis, vt vtraque in iuſtitia ſeruetur, & vtilitas proueniat, neceſſaria eſt duplex poteſtas ad conſeruationem iuſtitiæ: vna, quæ præſit terrenis ad gubernandam ciuilem vitam, atque altera, quæ præſit ſpiritualibus ad componendam vitam ſpiritualem. Eadem autem veritas ſecundò probatur. Poteſtas Eccleſiaſtica eſt facultas clauium regni cœlorum, vt patet Matth. 16. & 18. ac perinde remiſſionis peccatorum, vt habetur Ioann. 20. & inſuper poteſtas conſecrandi corpus Chriſti verum, & ſanguinem: hæc autem facultas non eſt poteſtati ciuili conceſſa: duæ ſunt ergo poteſtates. Tertiò, quia ad promouendos homines ad huiuſmodi fines diuerſæ ſunt leges, reſpectu, ſcilicet temporalis finis, leges prorſus humanæ, & ciuiles, ſed reſpectu ſupernaturalis adhibita etiam ſunt ſupranaturalia mandata ſacramentorum: item & diuerſi ſunt gladij: ſcilicet, diuerſa ſupplicia: nam ſupplicia ciuilia gladio temporali, nempe corporis morte conſummantur, neque vlteriùs protenduntur: poteſtas autem Eccleſiaſtica gladio inſuper

spirituali vtitur; videlicet, excommunicatione, atque alijs censuris. Quartò denique, Potestas spiritualis ad animas proximè refertur, cui & diuinas leges scrutari, & consulere incumbit, & circa diuinum cultum versatur, atque adeò Pontifices,& Sacerdotes instituit, quæ quidem munera regibus non competunt, sed iura Imperatorum tractare, creare prætores, atque alios magistratus, sunt ergo hierarchiæ diuersæ, atque adeo diuersæ potestates. Adde quòd non solùm in lege Mosaica, verùm & in lege naturæ diuersi erant sacerdotes ab alijs magistratibus, penès quos summa religionis, ac diuini cultus posita erat. Nam vt dist.1.quæst.2. monstrauimus, in omni lege fuit semper aliqua reuelatio fidei supranaturali necessaria, quæ cultum Dei necessarium monstrabat. Quin verò, & in statu naturæ integræ istæ duæ potestates floruissent,tametsi illic nulla fuissent sacramenta necessaria. At non est præsentis loci fusiùs hoc deducere.

Sed arguat quis forsan in contrarium, finis ciuilis reipublicæ est, vt eodem loco auctor est Aristot. bonos facere ciues, ac bene institutos: bonus autem non est, nisi qui Dei erit amicus, quæ quidem amicitia sufficit ad vitam æternam: vnde colligitur iura ciuilia sufficere ad consecutionem vitæ æternæ. Et confirmatur ex illo Matth.22. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, vbi sermo fiebat de mandatis naturæ, non occides, non furtum facies, &c. quod si verum habet non plures, sed vnus est finis ciuilis, & Ecclesiasticæ potestatis, atque adeo vna potestas. Atqui hinc hæretici huius tempestatis colligunt penès Reges, & ciuilem rempublicam spiritualem potestatem vnà cum ciuili sitam esse, Quæ quidem hæresis, vt est inter omnes nuperrima nunquam, vsque ad nostra sæcula audita, ita est pestilentissima.

Respondetur ergo, quòd etsi mandata iuris naturalis, & ciuilis ad consecutionem æternæ fœlicitatis referantur,non tamen sunt ad illam assequendam sufficientia: nam vbi ait Aristoteles, principis propositum esse facere ciues bonos de bonitate dumtaxat morali loquebatur, officia verò moralia non sufficiũt ad amicitiam Dei sine charitate infusa, sine qua scilicet nullus dicitur, aut est bonus, neque vllum opus bonum. Quare supra legem naturalem, & ciuilem requiritur cum primis auxilium speciale Dei, & sacramentorum leges, quæ sunt supranaturales; nam nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei;& nisi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis,& biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Hæc ergo potestas excelsior est ciuili, quam Christus Dominus suo cum primis Vicario, ac per ipsum Ecclesiæ concredidit.

Quòd si rursus scisciteris, numquid Deus per vnicam potestatem, perque vnicum caput poterat ambas comprehendere, vt scilicet Rex(quemadmodum apud Anglos nuper opinatum est) vniuersa tam ad diuinum cultum, quàm ad ciuilem rempublicam spectantia administraret, vel Papa solus vtrumque faceret? Respondetur de potestate absoluta Dei nihil nos disputare, tamen quia, vt Sapientia 7. legitur; disponit omnia suauiter; & sapientiæ; vt Metaphysic. ait Aristot. est omnia secundùm suos fines dispositè, & appositè ordinare, & gubernare, non fuit condecens tam diuersa officia vni soli potestati committere: sunt enim Ecclesiastica, & ciuilis administrationes perquàm variæ: quippe quarum vna per magistratus sæculares, qui vxores habent, & liberos, administratur: altera verò non est, nisi viris ab onere vxorio liberis consentanea; nam vt ait, 1. Corin. 7. Apostolus,qui vxorem habet, quærit quomodo placeat vxori, & qui absque vxore sunt, quomodo placeant Deo. Si ergo eadem potestas penes eumdem esset supremum gubernatorem,non possent non omnia esse confusa, atque adeò multis periculis subiecta. Quare fuit vtique necessarium, vt rebus tam diuersis diuersa capita decernerentur, & esset Ecclesia sicut regina à dextris principis sedens circumamicta varietate, & corpus Christi mysticum, vt 1. Corin. 10. ait Paulus, ex varijs membris compactum.

Secunda conclusio. Potestas spiritualis præstantior est ciuili. Conclusionem hanc nomina per se ipsa declarant, vt cap. Solitæ de maiorit. & obed. auctor est Innocentius. Reprehendit enim illic Pontifex Constantinopolitanum Imperatorem, qui propter illud testimonium, 1. Petri 2. Subiecti estote omnium humanæ creaturæ propter Deum, siue regi tamquam præcellenti, siue ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam &c. opinabatur regiam potestatem cæteris præcellere, reprehendit, inquam, obijciens, illic Apostolum solùm significare præcellentiam Regum in temporalibus respectu ducum,& aliorum, qui ab illis illa recipiunt. Sed nihilominus Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori. Itaque sicut anima corporis est viuificatrix, & spiritus corporis dux: ita & spiritualis potestas debet temporalibus præeminere. Cui & aliam similitudinem aptissimam subiecit, quòd Deus Pontificalem, & regalem auctoritates instituit, veluti duo luminaria magna: nempe, Solem,& Lunam; & sicut enim sol præest diei, ita & Pontifex spiritualibus,& sicut luna præest nocti, ita & Rex temporalibus, quę noctis imaginem pręferunt. Adde quòd sicut luna à sole, ita & ab spirituali potestate ciuilis recipit lumen: nam sic Rex temporalia regere debet, & gubernare, vt spirituali subseruiant.

Secundò id probatur ex fine vtriusque potestatis: nam vt 1. Ethic. auctor est Philosophus, qualis est ordo inter fines, talis est inter facultates,& artes,quę illos habent propositos fines. Ob id enim equestris ars prętantior est frenifactiua, & nautica superior arte extruendarum nauium, quòd fines illorum sint finibus istarum superiores: & ideo equestris pręcipit frenifactiuę,qualiter debeat frenum fabrefacere, & nautica nauiumfactiuæ qualiter debeat nauim conficere:cùm ergo finis spiritualis potestatis sit, vt diximus, sempiterna beatitudo, & finis potestatis sæcularis sit tranquillus status reipublicę, qui ad illam supernam beatitudinem refertur, fit vt Ecclesiastica potestas sublimior sit. Exemplo id pręterea confirmatur Pauli ad Hebr. 7. vbi probat, quòd sacerdos Melchisedech superior

perior

perior fuit, quàm ſecularis Abraham, propterea quod, vt legitur Gen.14. Melchiſedech Abrahamum benedixit, & ſine dubio maior, inquit, eſt qui benedixit, quàm qui benedicitur.

Tertia concluſio. Excellentia poteſtatis eccleſiaſticæ reſpectu ciuilis non eſt huius rationis, vt Papa ſit Dominus totius orbis in temporalibus. Non loquimur de peculiari Regno, ſi Pontifex Maximus earum vrbium, & prouinciarum, quarum habet in temporalibus ſupremum dominium, verè ſit Rex temporalis, cùm in illis nullum in terris ſuperiorem agnoſcat. Hoc enim adeò non inficiamur, vt fateamur, ad eius munimen, & ſplendorem pertinere. Sed de vniuerſali regno orbis, aut totius, aut Chriſtiani. Concluſio hæc ex prima conſequitur; nam ſi Papa eſſet ſupremus Dominus omnium, non eſſent duæ poteſtates, ſed vna: tunc enim ſicut Antiſtites omnes ſubduntur Pontifici Summo, & Duces Regi, eadem ratione, & forma Reges ſubderentur Pontifici Maximo, ab illoque prorſus eodem modo penderent: quare ſicut tota poteſtas eccleſiaſtica eſt vna, & tota ciuilis vna pari modo, tunc ambæ ſimul eſſent vna.

Quò autem concluſio hæc, & ſubſequenter per primum earum fundamentum elucеſcant, adnotandum eſt, non aliam Chriſtum ſuo Vicario reliquiſſe poteſtatem, quàm ipſe in quantum homo, orbiſque redemptor accepit: nullum tamen regnum temporale aſſumpſit, ſed illud rerum temporalium præciſum dominium, quod ad finem redemptionis erat neceſſarium. Dixerim, in quantum homo: nam quatenus Deus erat vniuerſis mortalibus nedum Chriſtianis, confeſſimum eſt, & receptiſſimum, iure creationis abſolutum eſſe orbis dominum, & Regem. Domini enim, vt eſt in pſalmo, eſt terra, & plenitudo eius, & vt legitur Sapientiæ 8. per ipſum Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Quare Ioan. Faber, qui ſuper legem cunctos populos. C. de Summa Trinitate, adſtruere contendit Chriſtum fuiſſe Regem, quia erat Deus, nihil ad rem attulit. Diſputamus enim de ipſo, qua ratione homo erat. Atqui in quantum homo poterat quidem, ſi voluiſſet vniuerſale dominium orbis etiam ſæculare accipere. Sed tamen, quod nos aſſerimus eſt, non accepiſſe eiuſmodi dominium & regnum, ſed ſolùm ſpirituale, & de temporalibus quantum ad illud erat neceſſarium. Eſt enim ſpirituale regnum illud, quod ſupra diximus habere pro fine proximo vitam æternam, & temporale illud, quod circa pacificum Reipublicæ ſtatum verſatur. Probatur ergo prima concluſio. In toto Euangelio nulla ſit mentio regni Chriſti temporalis, igitur vanum eſt, ne dicam temerarium, illud aſſerere, quoniam rem tanti momenti, ſi vera eſſet, nunquàm Euangeliſtæ ſiluiſſent: ſolùm autem meminerunt de ſpirituali, quod appellatur Regnum cęlorũ. Quare pro thema prædicationis Ioannis, ac ſubinde Chriſti fuit Matth.4. Pęnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cœlor. & Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Atque id genus plura.

Secundò id plana ratione confirmatur. Chriſtus, qui cùm Deus eſſet, vt ait Dauid, bonorum noſtrorum non egebat, humanitatem noſtram ſola ea ratione, & ſine induit, vt noſtram redemptionem perficeret, hac enim ratione, & fidem nobis prædicauit, & leges inſtituit, & Apoſtolos, ac Pontifices creauit, qui noſtri eſſent paſtores, vt ad illam nos beatitudinem perducerent, hęc enim eſt regni cęlorum facultas, ergo cùm Chriſtus nihil ſuperfluum aſſumpſerit, & poteſtas temporalis regni, quàm latè, & abſolutè patet in Regibus ſæcularibus, ad illum finem non fuerit illi neceſſaria, conſequens fit, vt neutiquam illam aſſumpſerit.

Sed aiunt patroni contrariæ ſententiæ, poteſtatem regiam totius orbis Chriſtum propter ſuam eximiam excellentiam, & dignitatem vſurpaſſe. Verumtamen in contrarium ſtat ratio, quòd hoc minimè ad eamdem eius excellentiam pertinebat. Quæ etenim, rogo, honoris acceſſio fieret Chriſto, cùm per ſe ipſe Deus eſſet, & in quantum homo Rex, etiam regni cœlorum, ſi temporalia dominia, & regna, hoc eſt eorũ poteſtatem aſſumpſiſſet? Profectò nulla. Quin verò longè altiùs eius maieſtas inde commendatur, quòd præter id, quod ad ſuũ ipſius munus erat neceſſarium, totum mundum deſpectui habuit; nam in paupertate vixit, & humiles, abiectoſque in Apoſtolos elegit, & contra mundi gloriam, & pompam ſemper prædicauit: paupertatemque, humilitatem, & mundi abrenunciationem, tum docuit, tum & laudibus extulit. Quæ quidem vita poſt lapſum Adæ optima eſt, & paucioribus periculis peruia, Vnde Paul. ad Philippen. 3. Hæc omnia tamquam ſtercora arbitratur.

Tertiò arguitur numquam Chriſtus munere hoc regiæ poteſtatis functus eſt, imò ſemper ſe ab huiuſmodi vſu ſubtraxit, quod contrariæ opinionis fautores fatentur, quoniam diffiteri nequeunt: nam vt ipſe de ſe ait Ioan.3. Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Et quando adultera illa ei delata fuit, cuius cauſam iudicaret, nullam ſententiam, vt iudex tulit; qua illam, vel condemnaret, vel abſolueret, ſed tantum ius naturale, ac diuinum explicuit, qui ſine peccato eſt veſtrum, primùm in eam lapidem mittat. Et quando numiſma cenſus illi oblatum fuit, noluit ſe iudicem exhibere, deberetur ne Cæſari tributum, nec ne, ſed illud eorum iudicio reliquit: ius dumtaxat naturale, & diuinum commendans, vt ſi quod Cęſari deberetur, ei ſolueretur, ſicut & Deo quod ſuum eſt. Et quando alij eum conuenerunt, vt inter ipſos iudex ſederet, munus illud detrectauit dicens, Quiſme conſtituit iudicem inter vos? igitur ſi numquam regis munere functus fuit, fit vt neque talem poteſtatem aſſumpſerit: nam ſuperuacanea eſt, & vana poteſtas, quæ numquam reducitur in actum. Oculus enim, vel auditus vllam dignitatem homini adiungeret, niſi propter vſum. Quare ſi Chriſtus numquam illa poteſtate erat vſurus, nulla ei inde accreſcebat dignitas. Adde quòd cùm potentia per actus innoteſcat, ſi euangelium nos docet nullum habuiſſe, vel vſum, vel ſplendorem regiæ poteſtatis, abſque fundamento, aſſeritur illam

assumpsisse. Nam si propter suam dignitatem illam accepisset, debuisset illam per vsum hominibus propalare. Id quod ab eius proposito tantùm absuit, vt quando eum turbæ in regem eligentes adornabant, se eorum conatui subduxerit. Futile ergo commentum est lepida illa quorumdam cogitatio dicentium in Christo fuisse potentiam regiam, non autem vsum.

Quartò & iamnum euidentiùs arguitur. Christus, vt euangelico testimonio docemur, non fuit nisi Rex iudæorum; Rex autem Iudæorum non erat futurus Rex temporalium bonorum, sed spiritualis, sempiternæque hæreditatis, ergo non fuit Rex in temporalibus, vt sunt sæculares Reges. Hoc planè confirmatur ex illo Ioan. 18. vbi cùm de hoc ipsum coram Pilato accusassent, quòd Regem se fecisset, interrogatus à præside, an rex esset, sciscitatus est viciſsim eum, vtrùm à se ipso id diceret, an verò alij id dixissent de illo, ac si quæreret, de quonam regno id intelligeret, de illo ne sæculari, quo Romani, & ceteri gentium regnant, an de alio altiori? Et cum Pilatus respondisset, non à se, sed relatione gentis Iudaicę id dixisse, concedens Christus illum ipsum se esse regem, quem illi expectabant, adiecit, regnum suum non esse de hoc mundo, hoc est, illius generis, cuius sunt temporalia, & caduca. Quapropter Præses mysterium illud non intelligens eum ab obiecto crimine absoluit. Et postmodum quasi spiritu prophetico epitaphium illud cruci affixit, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Quòd si prisca prophetarum vaticinia consulamus, id palam manifestant. Ait enim ipse per Prophetam Psalm. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo (hoc est, à Deo) super Sion montem sanctum eius (nempe, super Ecclesiam) prædicans præceptum eius. Ecce regnum eius in sola fidei prædicatione constitisse regni cęlestis. Cui & ipse Matth. 28. consonat vbi ait, Data est mihi omnis potestas in cęlo, & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c. vbi potestatem non aliam sibi datam affirmat, quàm quæ ad regnum cęleste pertinebat. Et Hieremiæ 23. Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit. In diebus illis saluabitur Iuda; hoc est, solùm erit Rex ad saluandum Iuda. Et Esaiæ 9. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud amodò in sempiternum. Sic enim ait Dauid de sua prole Psal. 144. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum: quia non finitur, vt seculare per elapsum mortalis vitæ, sed absque interpolatione durat in æternum. Atqui hoc ipsum exposuit Angelus ad Mariam dicens, Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Quòd autem alij fingunt fuisse regem iure paterno, quia Ioseph descendit à Dauide per Salomonem, & beata virgo per Natham, nihil ad rem. Primò, quia illud non erat regnum, nisi peculiare illius prouinciæ: loquimur autem de regno vniuersali totius Orbis. Deinde, quòd regnum illud temporale Dauidis in Sedechia prorsus extinctum fuit iuxta prophetiam Hieremiæ 22. vt 4. Reg. 24. scriptum est. Vnde Ambrosius lib. 3. super Lucam ait, quòd licèt Christus Rex à Ieconia descenderit, cui comminatum est per Prophetam, neminem suæ sobolis futurum regem, nulla tamen, inquit, est contradictio, quia non regnauit sæculari honore, neque sedit in Sede Ieconiæ, sed in sede Dauid. Imò licèt Ieconias sederit in sede Dauid, non tamen in eadem, qua Christus: quippe qui regnum habuit æternum, quale neque Dauid ipse habuit.

Postremò denique eadem veritas omnium sanctorum Patrum testimonio confirmatur, quibus res fuit semper indubitata, non aliud Christum assumpsisse regnum, quàm spirituale cœlorum. Vnde Aug. lib. 83. quæstio 61. & vbilibet de hac re disserit, non ait nisi quòd Iesus Christus fuerit Rex noster, eo quòd nobis pugnandi, & vincendi monstrauit exemplum, cuius ducatu ab Ægypto liberamur, & in cœlestem Hierusalem, tamquàm in terram promissionis, introducimur.

Quòd si quispiam nobis D. Thom. obiecerit opusculo 20. lib. 3. cap. 3. vbi contrariam nonnullis apparet docuisse opinionem, respondetur, quòd nemini eum attentè inspicienti talis fuisse opinionis apparebit. Id enim tantùm illic constituit, quòd Christus fuerit monarcha totius vniuersi. Id quod ex illo psalm. 8. deduxit. Omnia subiecisti sub pedibus eius, & ex illo Malachiæ, Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen eius. Hæc autem testimonia solùm de regno suo cœlesti intelliguntur, cuius respectu omnia sunt illi subiecta. Quod ipse S. Thom. fatetur subdens dominium illud, & regnum Christi ad salutem animæ ordinari, & ad spiritualia bona, licèt à temporalibus, inquit, non excludatur eo modo, quo ad spiritualia ordinantur. Non ergo affirmat fuisse Regem in temporalibus, nisi præcisè in ordine ad spiritualia, & ita sunt intelligenda postrema eius verba in 2. sententiarum.

Burgensis verò additione 3. super primum cap. Matth. contrariam comminiscit opinionem: nempe fuisse regem in temporalibus. Tametsi fateatur ex prophetarum vaticinijs minimè colligi: quippè qui non nisi regnum æternum illi adscribant, eum fore regem etiam temporalem, ordinauit Deus vt eàdem quoque Christus haberet dignitatem. est autem coniectura hæc adeò tenuis, vt potiùs nostram confirmet sententiam. Existimatio enim illa Iudæorum falsa erat, & erronea: nam præter testimonia citata habebant illud clarum Zachariæ, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam, quo docebantur absque regia pompa venturum. Non ergo docuit, vt propter illum errorem Christus regnum assumeret temporale.

Boni cõsulat lector, si hoc veritatis fundamentum tam multis confirmauerim. Ex quo iam ad confirmationem tertiæ conclusionis positæ reuertamur. Enim verò quamuis Christus regnum temporale simpliciter assumpsisset, non tamen indè fieret protinùs consequens, vt parem potestatem suo Vicario commisisset: nam dicere possemus illud ad potestatem eius excellentiæ attinuisse, vt sacramenta instituere, & absque illis gratiam conferre, quod minus Papæ non commisit.

At cùm neque ipse huiusmodi regiam potestatem assumpserit, planissimum est, neque illam suo contulisse vicario.

Sed præterea eadem ex illo veritas elucescit, quòd Christus ait Matthæi 20. & Lucæ 22. Scitis, quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos: non ita erit inter nos. Sed quia maior est inter vos (nempè Petrus, qui futurus erat Ecclesiæ caput) sit sicut minister vester. Filius enim hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam dare in redemptionem pro multis. Quem locum Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium inducens ait. Nam quid tibi aliud dimisit Apostolus? Quod autem, inquit, habeo, hoc tibi do. Quid illud? vnum scio, non est aurum, nec argentum. Esto vt alia quacumque ratione hoc tibi vendices, sed non Apostolico iure; nec enim ille tibi dare, quod non habuit, potuit; quod habuit dedit, sollicitudinem, vt dixit, super Ecclesiam, Numquid dominationem mundi? Ipsum audi. Nec dominantes, inquit, in clero, sed forma facti gregis. Et ne fortè putes sola humilitate dictum, non etiam in veritate, vox Domini in euangelio est, Principes gentium dominantur, &c. Planè Apostolis interdicitur dominatus. Quomodo tu, & tibi vsurpare audes, aut dominans Apostolatum: aut Apostolatus dominatum? planè ab alterutro prohiberis. Si vtrumque simul habere voles, perdes vtrumque, alioqui non te exceptum illorum numero putes. Ipsi regnauerut, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui. Forma Apostolica hæc est. Dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Et infra, Exi in agrum, ager mundus est, exi, non tamquam Dominus, sed tamquam villicus. Hæc ille. Non potuit Christus, Bernardo interprete, luculentiùs hoc temporale dominium ab Apostolis lienare. Quare figmentum est dicere Papam habere potentiam huius dominij, absque vsu. Multò enim efficaciùs de illo, quàm de Christo arguitur, frustraneam esse potentiam, quæ non potest reduci ad actum.

Item. Si talem potentiam haberet, posset etiam Papa citra iniuriam principum iurisdictionem vsurpare, atque reges, etiam extra causas fidei amouere, & instituere: quòd certè sanctissimi Pontifices, quicquid assentatores eius affirmauerint, numquam attentare audebunt. Agnoscit enim Innocen. citato can. Duo sunt, duas esse potestates distinctas Imperatoris, & Papæ. Neque aliam tribuit Papæ super Reges, quàm Pastoris, vt illos possit excommunicare, & causa fidei amouere. Et can. Si Imperator. ait, Imperatorem priuilegia habere suæ potestatis, quę administrandis legibus publicis diuinitùs consecutus est cap. Per venerabilem, qui filij sint legitimi, ingenuè fatetur, se non habere potestatem in temporalibus super Regem Franciæ. Et quicquid alij somnient, id de omnibus Regibus intelligit. Et can. Cùm ad verum. Nicolaus expressè ait, quod nec Imperator iura Pontificatus vmquam arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum vsurpauit: quoniam mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus actibus proprijs, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit,

Hæc præterea patentiùs confirmantur. Administrationes reipublicæ Ecclesiasticæ, & ciuilis adeò sunt diuersæ, vt Ecclesiastica per negotia sæcularia maximè impediatur: quapropter omnia canonica iura clericalem ordinem, ne se negotijs sęcularibus implicet, instanter admonent. Quamobrem iustissimum fuit, vt à re vxoria essent alienissimi: nam, vt ait Pau. qui vxores habent, quærunt quomodo placeant vxori. Qua vtique de causa eodem can. Nicolaus ait, quòd sicut Imperator non debet se diuinis negotijs immiscere, ita nec Papa, Deo militans, sęcularibus negotijs implicari, ne non diuinis rebus, sed sęcularibus præsidere videatur.

Sed vt patentiora etiamnum hæc fiant, rursus arguitur. Potestas tam ciuilis, quàm Ecclesiastica diuinitùs est instituta: non est enim potestas, vt ad Rom. 3. ait Apostolus, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt, & ideò qui potestati resistit, siuè ciuili, siuè Ecclesiasticæ, ordinationi Dei resistit. Diuersimodè tamen Deus sapienter eas disposuit: ciuilem enim potestatem per ius naturæ, cuius ipse Author est, vnicuique Reipublicæ concessit, vt lib. 4. de iusti. & iure quæst. 4. art. 1. copiosè monstrauimus: cuicumque enim reipublicæ sua ipsius gubernatio competit, veluti rebus vniuersis sua ipsarum conseruatio: videlicet, vt se, vel optimatum potentia, vel populari regat, aut regali: quare suapte sponte in principem omne suum imperium, & potestatem transtulit, vt leg. Quod principi de constitution. principū, ff. legitur. Ecclesiasticam verò potestatem Christus per se suo Vicario contulit: Regia ergo potestas à Deo per rempublicam deriuatur. in quo sensu illud Sap. 8. intelligitur. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: sed potestas Ecclesiastica, & Euangelica à Christo est Petro collata: non ergo aut Petro, aut eius successoribus sęcularia regnorum dominia simpliciter commissa sunt.

Ad hæc deinde manifestè arguitur. Lex fidei legem naturæ non destruit, sed perficit: lege autem naturæ, & gentium, quæ ab æterna Dei lege deriuantur, ante aduentum Christi dominabantur reges: vndè Daniel. 2. legitur, Deum cœli imperium, & regnum Nabuchodonosor tradidisse, & Pilato respondit Christus, Nullam in me haberes potestatem, nisi tibi data esset desuper, ergo Christus non mutauit, vndè eodem loco ad Rom. Apostolus vniuersim de potentatibus etiam infidelium loquens, Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit: quibus & tributa præstare admonet: & 1. Petr. 2. iubet Christianis vniuersis Petrus, vt subiecti sint omni humanæ creaturæ propter Dominum, siuè regi, inquit, tamquam præcellenti. Et infra. Serui subditi estote in omni timore Dominis non solùm bonis, & modestis, sed etiam discolis: vndè colligetur, quòd etiam infideiibus regibus, quamdiù absque periculo fidei, & iniuria saluatoris regnant, parere debeant Christiani: multò ergo liberiùs Christianorum Reges per se suis funguntur potentatibus independenter à Papa, quamdiù

nul-

nullam fidei iniuriam irrogant.

Est ergo merum commentum sic Papam Dominum constituere ordinarium regnorum temporalium, & regum, vti est supremus Iudex rerum, prælatorumque Ecclesiæ, aut sicut secularis Rex suorum est ducum, & comitum, & aliorum magnatum iudex. Quare neque omnes iurisprudentes illa intincti sunt opinione. Nam Ioan. Andr. Hugo, atque alij nobiscum sentiunt. Neque Syluester contrariæ debuisset adhærere sententiæ, cùm Diuus Thomas (cuius ille discipulum agit) quamuis fuerit Sedis Apostolicæ studiosissimus protector, nullibi tale commentum reliquerit.

Ea propter minori etiam probabilitatis argumento adstruunt præfati patroni illius opinionis, donationem factam Syluestro à Constantino (si qua fuit) vel à Philippo Cęsare, non fuisse donationem, sed restitutionem, Qui verò viceuersa Syluestrum bono pacis, Orientale imperium Constantino donasse. Item quòd Papa, si non vtitur administratione bonorum temporalium in toto Orbe Christiano, non est ex defectu potestatis, qua reuera pollet, sed propter confirmandam eum filijs suis tranquillitatem, & pacem. Nil ergo mirum, si alij cordatiores, ceù nugamenta hæc respuant. Si enim simpliciter, & absolutè ius haberet omnium temporalium, citra iniuriam posset habere vsum, quod nemo illorum fateri audet.

Quarta conclusio. Non solùm Papa non est Dominus temporalium regnorum, imò nec sic superior, vt reges possit instituere: dicere enim quispiam fortè posset, quòd quamuis non sit Dominus simpliciter temporalium regnorum, potest tamen via ordinaria reges vbique instituere, sicut instituit Episcopos, licèt non sit Episcopatuum simplipliciter Dominus, vel sicut Rex instituit duces, & magnates, quamuis non sit illorum patrimoniorum simpliciter Dominus: contrarium autem asserit hæc nostra conclusio. Quare neque potest inter Reges via ordinaria citra causas fidei iudicare, sicut inter Ecclesiæ Pręsules, vel sicut inter duces. Nisi fortè eorum diffidia in detrimentum fidei, aut in religionis perniciem vrgerent: tunc enim optimè posset, non tantùm per viam correctionis fraternæ, vt cap. Nouit. de iudic. ait Innocentius, verùm, & coactiuo iudicio. Hæc ex superiori colligitur: quoniam vtraque potestatum per se est sufficiens, & diuersimodè diuinitùs instituta, ita vt Regum quisque in regno suo sit in temporalibus supremus Iudex à sua republica creatus. Quo circa eodem cap. idem Pontifex protestatur se non intromittere ad vsurpandum iudicium regium. Et Alexander 3. cap. causam in 2. qui filij sint legitimi fatetur non ad Ecclesiam de possessionibus iudicium pertinere, sed ad Regem.

Ex ijs denique fit consequens, quod quamuis Rex in tyrannidem prorumperet: citra iniuriam fidei, non Pontifici, sed reipublicæ incumberet illum regno depellere.

In summa, vt cuncta complectamur, in Papa nulla est potestas merè temporalis, vt in regibus, præterquam in terris, sibi secula riter subditis. Id quod Caietanus, fidus eius Sedis defensor in apologia de potestate Papæ cap.6. adstruxit. Et ratio est, quia huiusmodi potestas merè temporalis non est ad regimen Ecclesiæ necessaria.

Ad horum tamen tum maiorem claritatem, tum & firmitatem adhibetur quinta, eademque catholica conclusio contra eorum hæresim, qui omnem abdicant Pontifici temporalem potestatem. Potestas quæcumque ciuilis eatenus est Ecclesiasticæ subiecta in ordine ad spiritualia, vt Papa possit per suam spiritualem potestatem, quoties ratio fidei, & religionis exegerit, non solùm Ecclesiasticarũ censurarum fulminibus aduersùs Reges agere, eosque cogere: verùm, & cunctos Christianos Principes temporalibus bonis priuare, & vsque ad eorum depositionem procedere. Dixerim, per suam potestatem spiritualem, quia potestas Pontificis, quatenus Pontifex est, non merè temporalis, sed temporali vtitur, vt spiritualis ministra. Atqui conclusio hæc non est eadem, quæ fuit secunda: illa quippe id dumtaxat asserebat, quòd Ecclesiastica sit superior. Vndè forsan quispiam id dumtaxat colligeret, quòd tenetur princeps secularis suas leges, & acta fini spirituali admetiri, & obedire Pontifici in censuris spiritualibus. Hæc autem asserit prætetea, quòd potest Papa, vti bonis temporalibus ad suum ipsius finem, & spirituale propositum, & per temporales pœnas principes coercere. Ad cuius elucidationem notandum: quòd potestas Ecclesiastica non solum est præstantior ciuili, eo quòd eius finis, qui est æterna beatitudo, est perfectior, & sublimior fœlicitate ciuili, sed ea insuper ratione, quòd fœlicitas ciuilis non est satis in se perfecta, atque adeò per se est ordinata, & relata ad cœlestem beatitudinem, Volo dicere, non esse, ceù duas respublicas omnino distinctas, & diuersas, quarum nulla pendet ex altera, quales sunt Gallorum, & Hispanorum, vel quales erant Romana, & Atheniensis, nam ex his, quamuis vna esset præstantior, & perfectior altera, tamen neutra tenebatur alteri inseruire. Non sic inquam, conferendę sunt potestates spiritualis, & ciuilis, sed ciuilis, quæcumque sit, refertur ad spiritualem, quę vnica est omnium christianorum, eo quòd humana fœlicitas per se est ad diuinam ordinata. Neque sunt, vt duæ artes prorsum diuersæ, scilicet, vt ferraria, & lignaria, sed sicut ars armorum fabrifactiua ordinatur ad militarem, & nauium structoria ad artem nauigandi, quarum inferior tenetur arma, & naues taliter fabricare, vt non deuient à fine artis superioris, atque adeò vt ait 1. Ethico. Philosophus, superior artifex præcedit inferioribus qualiter debeant operari, quia ipse est iudex inferiorum artium. Pari enim modo ciuilis respublica ad spiritualem refertur, ambæ enim simul in vnum corpus mysticum compinguntur, quod ex ambabus constat, vt ad Rom.12.& 1. Corin.12. luculenter declarat Paulus in vno autem corpore omnia membra debent ad vnum caput referri, non autem spiritualia ad temporalia ordinantur, quæ minus perfecta sunt, ergò è diuerso temralia debent spiritualium iudicio subesse. Vndè idem Apostolus 1. Corinth. secundo comparando temporalem facultatem ad spiritualem ait, quòd animalis homo non percipit

cipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, sed spiritualis iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur. Neque verò obstat, quod supra diximus: scilicet, Regem in temporalibus supremam habere potestatem, quia cum hoc stat sic subordinatam esse spirituali, vt ab illa deuiare non debeat.

Hoc ergo subiecto fundamento arguitur sic. Ad debitum regimen, & administrationem Reipublicæ spiritualis necessarium est, vt secularis omnis potestas illi obtemperet: ergo & necessaria subinde est in præsidente spirituali facultas vtendi temporalibus, quatenùs ad eius finem sunt necessaria, atque adeò cogendi Principes, dum oportuerit, etiam vsque ad eorum depositionem, tamquam membrorum, quę iam sunt putrida, & pestifera. Christus autem non defuit in ijs, quæ suæ Ecclesiæ erant operæ pretium: ergo eiusmodi temporalem potestatem ad spiritualem relatam, tum ipse in se assumpsit, tum subinde Vicario suo concredidit.

Secundò ad eamdem veritatem arguitur. Pontifex Maximus, Pastor summus, atque vniuersalis à Christo constitutus est totius Christiani gregis: Pastoris autem officium est errantes oues, cuiuscumq; sint ordinis, & dignitatis in viam reuocare, & quacumque ratione compellere: ergo per illam pastoralem potestatem potest, dum opus illi fuerit, temporalibus vti. Atque hac se ratione aduersùs Imperatorem Constantinopolitanum coarmauit Innocentius in capitu. Solitæ, de maior, & obedient. ad illum coercẽdum. Nobis enim, inquit, in beato sunt oues Christi commissæ, nullo discrimine inter has, & illas interiecto: & quod ad Petrum Christus dixit, in ipso ad eius successores dixit, quodcumque ligaueris super terram. &c. nihil excipiens. Atqui in eodem sensu intelligendus est Nicolaus Pontifex capit. Omnes 22. distinctione, vbi ait: quòd Christus Beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cœlestis imperij iura commisit. Per iura enim terreni imperij intellexit potestatem terrenam bonorum, & principum temporalium, non absolutè, vt falsò putant supra citati authores, sed in ordine ad spiritualia. Et sic intelligenda est Glossa, vt veritati sit consentanea, quæ inde illic colligit, Papam habere vtrumque gladium: quia deponere potest Reges, vt 15. quæstione 6. canon. Alius, & 96. distinctione, canon Duo sunt. Et eodem moderamine audiendus est textus Bonifacij in Extrauag. Vnam sanctam, de maiorit. & obedien. vbi ait in potestate Romani Pontificis duos esse gladios, spiritualem scilicet, & temporalem. Tametsi dum hunc sensum illo verbo Apostolorum adscribit Lucæ. 22. Ecce duo gladij hic non intelligit talem sensum facere articulum fidei: nam fortasse illic Christus dum dixit, Qui non habet gladium, emat illum, non aliud significare voluit, quàm calamitatem, quæ illis imminebat. Quare Petrus, qui de gladio materiali, illud intelligens auriculam Malchi amputauit, culpatus fuit. Nihilominus probè etiam ad propositum adaptatur. Quare nunquam, nisi causa fidei Regna per Pontificem mutata sunt: hac enim de causa Stephanus Papa transtulit imperium à Græcis ad Germanos, vt patet, cap. Venerabilem, de electione, & capitulo licèt de foro competenti. Et Innocentius IV. Regi Portugalliæ Regni administrationem interdixit, vt in capitu. Grandi, de supplenda negligentia prælatorum, libro sexto.

Oportet autem discrimen inter hanc, & duas præcedentes conclusiones exemplis aperire. Quamuis enim Rex alijs iniuriarum generibus, citra periculum fidei, regni gubernacula administret, nihil ad Papam, nisi per viam correctionis fraternæ. Si verò, vt verbi gratia dicamus, aut leges in detrimentum fidei Rex Christianus conderet: scilicet, sacramentis, vel quomodolibet Religionis Christianæ aduersas. Aut si Papa Concilium indiceret, quod rex contra ius, & fas impediret, inter si hæreticis, infidelibus, vt fidem nostram oppugnantibus, aut schismaticis suppetias iret, aut aliam quamuis perniciem, vel Sedi Apostolicæ, vel Ecclesiæ obmoliretur, tunc Papa posset non solùm spirituali, verùm etiam temporali gladio aduersùs eum agere.

Sed arguas primò contra, nonne satis esset, gladio spirituali: nempe, Anathematis, aliarumque censurarum fulmina in illos iaculare: videtur enim non alia habere arma, nam vt Paulus I. Corinth. 10. ait Arma militiæ nostræ non carnalia, sed spiritualia sunt. Respondetur quòd non satisfuisset Ecclesiæ consultum, nisi rebus eius per potentatus seculares afflictis, dum arma spiritualia non sufficiunt, temporali quoque gladio posset illos vrgere, quia tunc non haberet vim prorsus coercitiuam, qualis est illi necessaria.

Sed rursus quis forsan sciscitetur, vtrùm in eiusmodi euentibus posset Pada illicò, prætermisso spirituali gladio, temporalem exercere, videtur enim posse, quia vtrumque habet, ex æquo respondetur, id nec decere, nec licere, nisi præsentaneum esset in mora periculum, quoniam via ordinaria Pontificis est Pastorale baculum: gladius verò secularis est extraordinarius. Debet autem via ordinaria antecedere, neque gladio vti temporali, nisi ingruente, exigenteque necessitate: videlicet, dum vires spirituales expertus, cognoscit illas non esse ad rem satis. Imò verò nisi esset in terris proprijs, quantum est temporalibus dominus, ad illas defendendum in reliquis non condecet Papam per se bella gerere, sed quando vnus Princeps est Ecclesiæ, aut fidei rebellis, & iniurius; alteri debet Principi armorum negotium exhibere. Eatenus enim verum est, quod ait Paulus, arma militiæ Christianæ non esse carnalia. Quamuis legitimus sensus sit de bellis, quæ quisque aduersùs Dæmones, & propriam carnem sustinet.

Quia verò diximus, leges, quæ fidei essent noxiæ, posse Papam abrogare, intelligendum est, quando apertam afferrent pestem. Nam illa lex principum, vt testamentum, nisi quinque testibus confirmatum non valeat, non prorsus verò Scripturæ Sacræ Matthæi. 18. & Ioan. 8. contradicit. In ore duorum, vel trium stat omne verbum, illud namque intelligitur, vbi synceritas humani generis efflorerer, quoniam vbi adeò est corrupta humana fides, nil illi verbo repugnat, plures exigere testes: quia lex illa Euangelica, illud non vetat. Idem, lex, quæ in deceptione in-

intra dimidiam iusti pretij non permittit actionem, vt leg. 2. C. de rescind. venditio. & capitu. Cùm dilecti. & capit. Cùm causam de emptione, & venditione, non est iustitiæ contraria, quia non absoluit deceptum in foro conscientiæ, sed solùm intendit sopire lites. At verò si Rex legem ferret, vt possessor malæ fidei præscriberet, illa esset tùm contra conscientiam, tùm plurium fraudum dolorumque nutrix, quæ ideo esset per Pontificem abroganda, sicuti meritò abrogata legitur, cap. Vigilanti. & cap. fin. de præscriptionibus. Atque idem de alijs id genus, quas conderet pestilentes.

Primi ergo argumenti solutio ex superioribus facilè colligitur. Potestas enim ciuilis, & Ecclesiastica duæ sunt distinctæ, vt dictum est. Christus autem solam Ecclesiasticam instituit sub vno capite vniuersi orbis, ciuilem verò à iure diuino, & naturali deriuatam reliquit, vt vnicuique regno suum esset caput, sed voluit ciuilem sic subordinatam esse Ecclesiasticæ, vt eius iura non aduersarentur fidei, & legi, quam ipse prædicauit, atque hac ratione Pontifex, est vnicum caput omnium Christianorum Regum. Et ille est sensus Pauli dicentis omnes Christianos esse vnum Corpus Christi mysticum. Nam de infidelibus, nihil amplius ad Papam spectat, quàm fidei concionatores ad ipsos mittere, qui eis more, & ordine legitimo fidem persuadeant. Sed de hoc nihil ad locum præsentem, neque de Imperatore, an sit vnus totius orbis, quod libro quarto de iustitiâ, & iure copiosè tractauimus.

Ad secundum verò satis responsum est, Christum non assumpsisse Regnum nisi spirituale, & de temporalibus, quantum ad illud erat necessarium. Et hoc est, quod citata testimonia sacra docent.

Ad tertium denique respondetur, quòd canon ille. Quicumque litem 11. quæstione prima, abrogatus est, vt bene ait Glossa, quod multis decretis probat, cap. si duobus, de appellationibus, & 2. quæstione sexta cano. Non ita, ac pluribus alijs. Est enim ille textus non sacra determinatio Ecclesiæ, sed Theodosij Imperatoris, qui voluit se erga Sedem Apostolicam pientissimum exhibere. Iam ergo nunc temporis in causis ciuilibus nulla est appellandi necessitas ad Ecclesiam.

Quòd si arguas, omnium peccatorum Papam esse iudicem, respondetur, hoc esse verum in foro spirituali, sed in foro exteriori non nisi causarum Ecclesiasticarum, ciuiles autem per iura ciuilia sunt iudicandæ, nisi dum inter Reges iuribus omnibus ciuilibus consultis conueniri non posset, tunc enim Papa per viam correctionis fraternæ, posset se in medium inducere, iuxta tenorem capit. Nouit. extra de iudicijs.

FR. DOMINICI
DE S. THOMA
VLYSSEI

Sacri Ordinis Prædicatorum, Prædicatoris Regij, & in Academia S. Dominici Olysiponensis, Scholarum Regentis.

MANVALIS THOMISTICI Totius Theologiæ, & Speculatricis, & Moralis volumen quartum, quod est ad verba Io.17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum viuum, & verum, & quem misisti Iesum Christum. Vbi agitur de Ecclesia Christi, de Papa.*

Dominicus à S. Thoma, vel de S. Thoma, & ex Ordine Prædicatorum Theologus & Hispanus. Extant autem in Bibliotheca Hispanica gemini Dominici à S. Thoma, ambo Dominicanæ Familiæ, ambo Theologiam docentes. Vnus Olyssiponensis Dominicanorum sodalis in cænobio S. Dominici celeberrimæ illius Vrbis Studijs præfuit, imò & cænobio ipsi regij concionatoris mactus honore scripsit in S. Thomam volumen vnum, continuaturus (sunt verba ipsius Bibliothecæ) commentaria in totam summam, aliaque editurus in Sacram Scripturam. Alter in Collegio S. Thomæ Hispalensis Vrbis, olim sodalis, Sacræ Theologiæ Magister, apud Indos Occidentales edidit Grammaticam, ò arte de la lengua general de los Indios de los Reinos, del Pirù Pinciæ, apud Franciscum Fernandez à Corduba anno 1568. Item vocabulario de la misma lengua lamada Quichua. Hic Theologiam docuit in Collegio Rosarij Vrbis Limensis, eiusque Prouinciæ præfuit, tandemque primus Archiepiscopus de Hos Charcas creatus obijt. Quisnam autem fuerit Auctor istius Controuersiæ de Ecclesia, & de alijs, quæ pertinent ad Ecclesiam, nulla est dubitatio fuisse primum, cùm in frontispitio voluminis manuscripti, se inscribat Vlyssum Prædicatorem Regium, & in Academia S. Dominici Olysiponensi Scholarum Regentem. Edidit ergo Auctor iste manuale Thomisticum, ità dictum quasi ad manus Auditorum suorum, vt ibi explicat in studentium facile commodum, & frequentem vsum totam Theologiam tùm speculatricem, tùm moralem complectens in folio. & magnis voluminibus conscriptam; Et hic præsens tractatus est Controuersia 237. voluminis quarti, quod est volumen tertium secundi membri, & appellatur tertium secundi. Item diuiserat sapiens iste Author Manuale suum pro feliciori Tironum captu in duo volumina, in primo agebat de omni eo, quod spectat ad Deum Vnum, & Trinum, in secundo de omni eo, quod spectat ad Christum Saluatorem, & ad illius Incarnationem, ad Sacramenta Ecclesiæ, & ad Ecclesiam, quæ Incarnationis sunt effectus, & ità Theologiam totam, vel potiùs Theologiæ compen-

dium perficere. Verùm fatetur in Præloquio sibi euenisse, quod ædificantibus, qui leui impendio, & dispendio inchoatum opus metiuntur, & paucis perficiunt, coronantque. Accedunt Amici rogati, quid sentiant ingenuè exponere, & liberè coarguere, & exclamant. Eia quam pectore geris magnitudinem manu exere. Cur te contrahis? Cur altitudinem tuam deprimis? Cur palatijs tuguria substituis? Perfecerat ipse summam, cùm amici ipsi acriter coarguerent, quòd spatiosissimus tractus coangustaret, quòd aliger spatia immensa transuolaret, & tandem consilio, & prece eò violentiori, quò suauiori victus de duobus membris sex integra volumina confecit. Primum membrum vnico tantùm clausit tomo. Secundum in quinque volumina diuisit, & hisce notulis inscripsit, primum secundi, secundum secundi, tertium secundi, quartum secundi, & sic de cœteris. Non ordinaria autem est methodus huius Theologiæ, quippe tota fundata super illa sola verba Ioannis 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum vnum, & verum, & quem misisti Iesum Christum, & in his habetur integra Theologiæ tractatio. Diuidit ergo totam Theologiam in duo membra, in primo agit de Deo Vno, & Trino, in secundo de Christo, quia verò tractatio de Christo innumera includit, & speculatiua, & moralia, necesse habuit membrum hoc diuidere in 5. volumina. In primo volumine secundi membri agit de verbi Incarnatione, de vita Christi, de Sacramentis in genere. In secundo volumine secundi membri agit de singulis Sacramentis in specie. In tertio volumine secundi, quod est quartum, agit de alio effectu Incarnationis, qualis est Ecclesia Christi, sic agit de illius natura, capite, membris, & sic cùm de capite agit de Papa, de Concilijs, de Cardinalibus, de Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Legatis, Delegatis, fidelibus, infidelibus, de illorum criminibus, & Iudicibus, idest Inquisitore: Agit deinde de Thesauro Ecclesiæ, idest indulgentijs, quòd cum fiat mediantibus clauibus, agit de clauibus, de Purgatorio, & tandem de censuris in genere. In 5. & 6. agit de censuris in particulari, & de moralibus. Doctrina & ex debito, & ex inclinatione est Thomista, laudatque in Præloquio meritò D. Thomam, comparando eius doctrinam fundæ Dauidis, & sapientiæ Salomonis; media via procedit, nec nimis extensè, nec nimis strictè, ne illud tyrones defatigaret, istud confunderet. Theologis, & Canonistis satis cognitus, vtrosque in suis scriptis coniungens. Vixit autem principio huius sæculi, & paucos annos vidit alterius, post quinquaginta annos prædicationis; & plurimos ferè totidem Lecturæ celeberrimus.

CONTROVERSIA CCXXXVII.

De alio effectu Incarnationis Christi Domini, qui est illius Ecclesia, & de alijs, quæ pertinent ad Ecclesiam.

AGimus de Verbo Incarnato prout est causa; fuit autem causa Sacramentorum, & Ecclesiæ Catholicæ, & aliorum omnium, quæ in illa continentur; quare cùm hucusque actum sit de Sacramentis, quæ reliquit tam in genere, quàm in specie, agendum modò superest de Ecclesia, quam reliquit, quam fundauit, cuius caput, iuxta illud ad Ephes. 1. [Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.] Videnda igitur sunt illa, quæ diximus in principio tractatus de Incarnatione, vbi direximus ordinem exinde obseruandum.

SECTIO PRIMA.

De nomine, definitione, & diuisione Ecclesiæ.

SVpponimus iuxta fidem modò dari Ecclesiam, quod nemo ambigit, & passim clamitant sacrę literę; ad Ephesios 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.] & ad Colossi. 1. [Ipse est caput corporis Ecclesiæ,] & Matth. 13. [dic Ecclesiæ. Cum enim etiam nunc celebrentur matrimonia, etiam nunc Christus sit caput non truncatum, sed vnitum corpori, etiam nunc debeant fieri denunciationes Ecclesię, manifestè sequitur etiam nunc dari Ecclesiam. Quibus positis.

Quæres primò. Quid significet hoc nomen [Ecclesia?] Respondetur, multis omissis, quòd est nomen Græcum, quod idem valet, atque [Conuocatio:] vnde Ecclesia significat conuocationem; Ita Syluester verbo Ecclesia. 1. Canus lib. 4. de locis cap. 2. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 4. & alij. Dicitur autem conuocatio, tum quia omnes populos ad se vocat, tum quia omnes quotquot in eam conueniunt, non ex proprijs meritis, sed ex misericordia Dei vocati sunt iuxta illud ad Roman. 1. [Vos vocati estis Iesu Christi, omnibus, qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis Sanctis.] Quia omnes vocantur ad Ecclesiam ex misericordia Dei.

Hinc prouenit alia deriuatio, dicitur enim Ecclesia ab Ecclcis, quod græcè idem sonat, atque miserans, tum quia omnes qui sunt intra Ecclesiam vocati sunt per misericordiam Dei; tum quia ipsa Ecclesia est plena omni misericordia, & nunquam claudit sinum ad se redeuntibus, cap. Super eo de Hæreticis in 6. vbi etiam relapsis in hæresim, licèt tradantur curię sęculari, si tamen sint pænitentes admittuntur ad pęnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta. Imò Farinacius de hæresi qu. 93. §. 2. num. 35. ait quòd his hęreticus, qui recipitur ad gremium Ecclesiæ dicitur recipi ad pænitentiam; is verò qui recipitur ad perceptionem Sacramentorum, dicitur recipi ad misericordiam; prout illum citat ex alijs Augustin. Barbosa dicto cap. super eo in Collectaneis.

Hinc iterum prouenit quòd populus Iudaicus in veteri testamento, licèt aliquando diceretur Ecclesia frequentiùs dicebatur Synagoga, quod nomen significat congregationem; at verò populus in nouo testamento non dicitur Synagoga, sed semper dicitur Ecclesia, quæ significat conuocationem, quod nomen nobilius est, soli enim rationales conuocantur, pecora autem congregantur, quod obseruat Augustinus tom. 8. in Psal. 81. ad illa verba: [Deus stetit in Synagoga Deorum.] Et aduertunt Canus, & Bellarminus citati.

Ex his colligitur, quòd Ecclesia generaliter sumitur pro cætu, vel conuocatione populorum, in qua secundùm aliquam additionem potest dici [Ecclesia malignantium, vel Ecclesia iustorum] Psal. 87. Vt habetur ex Glossa in cap. [Querelam, ne prælati.] Attamen absolutè posito hoc nomine secundùm communem omnium vsurpationem accipitur pro Ecclesia Christi; Excipit Bellarminus citatus illum locum Actor. 19. Vbi de Ethnicis dicitur; & erat Ecclesia confusa. Sed immeritò; nam ibi non ponitur Ecclesia absolutè, sed cum addito confusionis, & ex hoc addito non sumitur pro Ecclesia Christi. Hæc de nomine; nunc de re.

Quæres secundò. Quid sit Ecclesia? Bellarminus lib. de Ecclesia cap. 2. quinque affert definitiones ex hæreticis, quæ hæreticę sunt, plurimisque erroribus, ac deliramentis implicatæ, & ex dicendis refutandæ sunt. Veram ergo, & breuissimam Ecclesiæ definitionem tradit Theologus 3. part. qu. 3. art. 4. ad secundum, hisce verbis:

[Ecclesia secundùm statum viæ est congregatio fidelium; sed secundùm statum patriæ est congregatio comprehendentium.] In quibus verbis continetur vna diuisio Ecclesiæ, quæ est in Ecclesiam militantem, & in Ecclesiam triumphantem; illa est in via, ista est in patria; continetur etiam duplex definitio altera militantis, quæ dicitur congregatio fidelium; altera triumphantis, quæ dicitur congregatio comprehendentium.

Oppones tamen; quia vt modò vidimus, ideo Ecclesia Christi non dicitur Synagoga, quia hoc nomen significat congregationem, sicut hoc nomen Ecclesia significat conuocationem; ergo Ecclesia Christi non potest dici congregatio fidelium, sed conuocatio fidelium, aliter poterit dici Synagoga. Respondetur, quòd potest dici conuocatio, quia omnes ad illam vocantur, effectus autem huius vocationis est, quod ibi fideles congregentur, vocantur enim vt ibi congregentur; vnde conuocatio dicit actum, & congregatio dicit effectum huius actus; & sic loquuntur Sancti Patres. Sit vnus Chrysostomus in Psal. 14. ad illa verba [benedixit filijs tuis in te; hoc est, ait, non diuisos, sed in te congregatos.] Non potest autem dici Synagoga, quia hoc nomen cum sit ignobilius, applicatum est ignobiliori statui Iudæorum.

Quæres tertiò. Quomodo diuidatur Ecclesia? Respondetur quòd diuidatur primò in triumphantem, & militantem; de illa dicemus (Deo dante) in tractatu de Visione beata; nunc verò agimus de militante. Diuiditur secundò in generalem, & specialem; Generalis Ecclesia est ista, quæ per totum orbem diffusa est; specialis est illa, quæ in speciali aliqua prouincia consistit; sicut dicitur Ecclesia Bracharensis &c. Imò Ecclesia Romana dupliciter sumi potest; primo pro illa speciali Ecclesia, quæ Romæ est; Secundò pro Ecclesia generali subiecta Summo Pontifici Romano, quæ hac ratione dicitur generaliter Ecclesia Romana, vt aduertit Becanus de Ecclesia cap. 5. conclus. 5. Diuiditur tertiò in Ecclesiam generalem formaliter, & in Ecclesiam generalem repræsentatiuè. Ecclesia generalis formaliter est tota conuocatio, & congregatio fidelium, Ecclesia generalis repræsentatiuè est Concilium generale; est Collegium Cardinalium simul cum suo capite

Summo Pontifice, vt ex D. Antonino tenet Syluester verbo Ecclesia.1. num. 4. Diuiditur Ecclesia multis modis, de quibus glossa ad cap. [Querelam ne prælati vices &c.] præcipui sunt, quia Ecclesia diuiditur contra populum sæcularem; & aliquando sumitur materialiter pro ipso templo materiali. Nunc agimus de Ecclesia generaliter.

Igitur Ecclesia generalis est congregatio fidelium, qui subijciuntur Summo Pontifici Romano; ac proinde Ecclesia generalis est Ecclesia Romana, prout diffusa est, vel diffundibilis per totum orbem. Probatur, quia soli Romanę Ecclesię conueniunt omnes proprietates, quæ requiruntur ad veram, & legitimam Ecclesiam generalem: ergo sola Romana est legitima, vera, & generalis Ecclesia. Antecedens probabitur in sequenti sectione; in qua agemus de proprietatibus veræ, & legitimæ Ecclesiæ.

SECTIO II.

De proprietatibus, & notis veræ Ecclesiæ Christi.

RES quælibet probatur, & cognoscitur talis per proprietates, quas habet, & per aliquas notas, idest per aliqua specialia signa, quæ dicuntur notæ, quia per illas fit nota res, quæ erat ignota; vt igitur cognoscamus, quæ sit Ecclesia Christi, videndæ sunt illius proprietates, & notæ.

Igitur prima proprietas, siue nota Ecclesiæ, est visibilitas, quòd scilicet sit Ecclesia visibilis; patet ex Matthęi 17. [Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & publicanus.] Nemo autem potest dicere aliquit Ecclesiæ, nec Ecclesiam audire, nisi Ecclesia sit visibilis. Et Act. 15. Cum venissent Hierosolymam suscepti sunt ab Ecclesia. Et Act.17. Ascendit Paulus, & salutauit Ecclesiam, quam non posset salutare, nec ab ipsa posset suscipi, si Ecclesia esset inuisibilis.

Et ratio patet, quia in Ecclesia celebrantur Concilia à tempore Apostolorum. Actor. 15. [Visum est Spiritui sancto, & nobis.] Sunt prælati, sunt leges, & gubernia, quæ omnia visibilia, & sensibilia sunt. Cum ergo Ecclesia Romana sit visibilis in suis prælatis, legibus, subditis, Concilijs, ritibus, Sacramentis, conuenit Romanæ Ecclesiæ prima proprietas, quæ est visibilitas.

Secunda proprietas, siue nota veræ Ecclesiæ est, quòd sit vna, tum quia profitetur vnam fidem, iuxta illud ad Ephesios 4. [Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma:] tum quia gubernatur vno Pastore iuxta illud Ioannis 10. [Et fiet vnum ouile, & vnus pastor.] Hæc autem reperiuntur in Ecclesia Romana: ergo est vera Ecclesia.

Tertia proprietas, siue nota, est quòd vera Ecclesia est sancta, tum quia Sacramentis Ecclesiæ homines sanctificantur, & sanctis ritibus, ac cæremonijs instituuntur, tum etiam quia caput Ecclesiæ est Christus, qui sanctissimus est, Cum ergo Romana Ecclesia Sacramenta ministret, sanctos ritus habeat, & Christo capite viuificetur; sequitur manifestè esse sanctam.

Quarta proprietas, siue nota est quòd vera Ecclesia sit Catholica, idest vniuersalis iuxta illud Marci 16. [Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.] Iam verò Ecclesia Romana est Catholica, siue vniuersalis, & propter locum, ad omnia enim loca, & regiones extenditur, iuxta cap. 16. Marci citati; Et est etiam vniuersalis, & Catholica ratione temporum; quia ab eius institutione, vsque ad finem sæculorum durabit, imò sine fine continuabitur cum Ecclesia triumphante iuxta illud Lucæ 1. Et regni eius non erit finis.] Quod habet Ecclesia Romana, per omnes enim orbis regiones diffusa est, & à Christo, & à Petro durabit vsque ad finem sæculi, continuabiturque cum triumphante.

Quinta proprietas, siue nota est, quòd vera Ecclesia sit Apostolica, tum quia ab Apostolis Christi per omnem ferè orbem propagata est. Psal. 17. [In omnem terram exiuit sonus eorum:] quod iam suo tempore significat adimpletum Apostolus ad Roman. 10. [Sed dico numquid non audierunt? At quidem in omnem terram exiuit sonus eorum &c.] Iam verò Ecclesia Romana ab Apostolis fuit propagata, & Romæ à Petro Apostolorum principe fundata; fuit enim Petrus Romæ, ibique fidem primus prædicauit, ibi episcopatum gessit, ibi martyrium obtinuit, vt constat ex Epiphanio hęres.27. ex Irenęo lib. 3. cap. 3. Ex D. Hieronymo de viris illustribus, & latè probat Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice, cap. 2. 3. & 4. ergo Ecclesia Romana est Apostolica. Adde, quòd non solus Petrus ibi, sed etiam Paulus post Petrum, & simul cum Petro fidem prædicauit, & martyrium obtinuit, vt refert Irenæus citatus, & omnes ecclesiasticæ historiæ; cum ergo Romana Ecclesia à duobus præcipuis Apostolis fundata sit, verè dicitur Apostolica.

Sexta proprietas, sicut nota veræ Ecclesiæ est quòd sit domus Dei, & quod sit columna, & firmamentum veritatis. In Ecclesia enim Deus specialiter habitat, & illi specialiter assistit. Genes. [Non est hìc aliud, nisi domus Dei, & porta cœli 1.] ad Timoth. 3. [Hoc scribo tibi fili Timothee, vt scias quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, quę est in Ecclesia.) Et itē in Ecclesia veritates catholicę adeo firmiter sustinentur, vt tamquam in firmissima Columna, & solidissimo fundamen- in neutram partem deflectant 1. ad Timoth. 3. Hoc autem habet Romana Ecclesia, in illa enim Deus specialiter habitat, ex cuius speciali assistentia, & habitatione, ita roboratur, vt nequaquam labatur. aut declinet; quod tot sæculorum experimento comprobatum est.

Septima proprietas, siuè nota veræ Ecclesiæ est miraculorum ingens multitudo, ab Apostolis initio facta, & à viris Sanctis continuata post tot sęcula, vt constat ex historijs Ecclesiasticis, & ex alijs sæcularibus, quæ miracula Christus Dominus præuidit, & prædixit futura; Ioannis 14. [Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maio-

maiora horum faciet.] Cùm ergo in Romana Ecclesia tot sint facta miracula, planè constat ipsam esse veram Christi Ecclesiam.

Octaua proprietas, siuè nota est successio Summorum Pontificum à Sancto Petro continuata, & numquam per longum tempus interrupta, quod aduertit [Tertullianus lib. de præscrip. aduersùs hæretic. & Augustinus contra Epistolam Manichæi cap. 4. & Epistola 165.] cùm enim Sectæ aliorum non habeant tam miraculosam successionem, bene sequitur solam Romanam Ecclesiam esse veram Ecclesiam.

Nona proprietas, siuè nota veræ Ecclesiæ est illius, & fidelium temporalis fœlicitas, & aliorum infidelium infœlicitas. Nam christiani Principes gloriosissimas victorias reportarunt, & amplissima imperia euexerunt. Sic antiqui Theodosij, vt scribit Augustinus lib. 5. de ciuatate cap. 26. & Magnus Constantinus, vt ibidem ait cap. Sic Honorius ibidem cap. 23. Sic Galliæ, Castellæ, & Lusitaniæ Reges Africanas, & Asianas regiones domarunt, tranaruntque Oceani maria, numquam antea tentata; quo sibi, suoque regno immensam gloriam inuexerunt. Testantur hoc illa carmina in Christi Regis Emmanuelis Lusitani Sepulchro inscripta.

Littore ab occiduo, qui primi ad lumina solis
Extendit cultum, notitiamque Dei,
Tot reges domiti, cui submisère tiaras,
Conditur hoc tumulo, Maximus Emmanuel.

Quod iam præcinerat Regius Phidicen. Psal. 67. [Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem.] Quæ verba etiam explicat Genebrardus ibi de fide, & Ecclesia catholica iam recepta in regionibus Orientalibus, & ibi inuecta per Lusitanos. Cui mysterio, inquit, [Portugallenses, & Hispani in suis ad illos populos nauigationibus, & conuersionibus iam ab anno 1500. inseruiunt.

Nec longè abest Vaticinium Isaiæ cap. 18. vbi alloquitur Lusitanos concionatores, & milites. [Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem, & conculcatam &c.] ex Hebræo legitur iuxta Forerium, & alios, ad gentem lineæ lineæ, in quo prouidetur Indicana Lusitanorum nauigatio, in qua bis æquinoctialem lineam pertranseunt, Primò dum in austrum progrediuntur, Secundò dum in Aquilonem redeunt, vt Promontorum illud bonæ spei inflectere possint; ratione igitur huius duplicis transitus æquinoctialis lineæ, dicitur Indicanus populus lineæ lineæ; & ratione Lusitanæ fœlicitatis, appellantur Lusitani, Angeli veloces, neque enim videntur, sibi ex hac nauigatione humanam, sed angelicam velocitatem, & fœlicitatem comparasse.

Ita interpretantur Debello. 2. par. de obligat. iustitiæ lib. 18. quæst. 23. lect. 3. & Mendoca tomo 1. in lib. Reg. cap. 2. Annot. 15. circa literam à num. 15. quamuis enim Pater Ioannes de Puente tomo 1. de vtraque Monarchia lib. 3. à c. 1. intelligat hoc vaticinium non de Apostolis missis in Hispaniam, quod ibi latissimè, & eruditissimè prosequitur, & corroborat hoc non tollit quominus simpliciter idem scripturæ locus explicetur primò de Apostolis missis in Hispaniam; deindè de Lusitanis missis in Indiam, omnes enim fidem prædicarunt, & catholicam Ecclesiam; imò exindè conspicitur maxima Lusitanorum fœlicitas, vt quod dicitur Apostolis dicatur, & Lusitanis. De qua re latè scribit Bosius tomo 1. de signis Ecclesiæ lib. 6. cap. 3. & tomo 2. lib. 20. cap. Item 5.

Igitur Lusitani principes post susceptum christianismum, Ecclesiam, quam amplexi sunt, in Orientales plagas inuexerunt, ob cuius prædicationem immortalem sibi gloriam, & opulentiam compararunt, meritò comparandi cum opulentioribus, & gloriosioribus orbis principibus. Vndè 3. Reg. 10. dicitur de Salomone [excepto quod afferebant viri, qui super vectigalia erant, & negotiatores] iuxta Gebrardum habetur, [& à negotiatione aromatariorum.] Quæ verba sic explicat Caietanus ibi. [Quemadmodum Salomon misit in Ophir pro auro, ita mittebat ad insulas Aromatum putata prophanam, Callecut, & quemadmodum Sultanus Ægypti faciebat ætate nostra, & modò facit Rex Portugalliæ, & hæc appellatur negotiatio Aromatariorum] hac Lusitanorum principum classes, & opulentia non comparata solùm; sed prælata maximis Orbis principibus Salomoni, & Sultano, vtpotè qui cùm à remotioribus oris nauigent gloriosiorem formam reportent sibi. Ex quibus tandem constat quomodo illi, qui Romanam Ecclesiam amplectuntur, fœlicitates temporales obtinent, & consequuntur.

Hæc de proprietatibus, & notis Ecclesiæ, omittimus alias, quas prosequitur Bellarminus lib. 4. per 18. capita. Hæc tamen principaliores sunt, & ad illas aliæ facilè reducuntur; præsertim, quia Augustinus lib. contra Epistol. fundamenti cap. 4. Sex tantùm Expenderit notas, & D. Hieronymus contra Luciferianos in fine duas agnoscat. In istas coincidunt illæ, quas affert Bannes 2. 2. q. 1. art. 10.

SECTIO III.

Proponuntur, & soluuntur argumenta hæreticorum contra præcedentem doctrinam.

OMittimus plures hæreticos antiquiores recentiores, quales sunt Lutherani, & Caluinistæ: multa opponunt contra Romanam, & veram Ecclesiam Christi, quæ iuxta notas, & proprietates præcedenti sectione numeratas proponenda, & soluenda sunt.

Opponunt ergo primò contra primam, & intendunt probare Ecclesiam Christi non esse visibilem, sed inuisibilem; nam in Symbolo dicitur: [Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.] Quod autem creditur est inuisibile; præcipuè, quia Ecclesia Christi est spiritualis Lucæ 17. [Regnum Dei non venit cum obseruatio-

uatione, neque dicent ecce hic, aut ecce illic, ecce regnum Dei intra vos est,] & 1. Petri 2. [& ipsi tamquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, Sacerdotium sanctum offerentes spirituales hostias.]

Respondetur, quod sicut dicimus [confiteor, & credo in vnum Baptisma,] non tamen Baptismus sit visibilis, quia tamen significat gratiam inuisibilem; ita dicimus [credo Ecclesiam,] quæ licèt sit visibilis, tamen significat gratiam inuisibilem, & spiritualem doctrinam, & habet à Deo specialia, & spiritualia auxilia, quæ sunt intra nos, nec veniunt cum obseruatione, & ideò 1. ad Corinth. 15. etiam appellatur domus spiritualis, vndè in Symbolo non solùm dicimus [credo Ecclesiam; sed credo sanctam Ecclesiam;] Sanctitas enim Ecclesiæ, quę est per gratiam non est visibilis, sed inuisibilis, & credibilis, licèt fideles, externæ cęremoniæ, ritus, & gubernia, sint visibilia.

Opponunt secundò contra secundam notam, quia si Ecclesia esset vna, esset vnum corpus, ac proindè haberet vnum caput; iam verò Ecclesia habet duplex caput, nam Christus est caput Ecclesię, ad Ephes. 5. & catholici dicunt, quòd Papa est caput Ecclesiæ: ergo cùm habeat duplex caput non est vna, vel est monstruosa. Becanus tom. 2. Opuscul. tit. 1. quæst. 7. num. 112. Respondet, quòd hęc similitudo non tenet in omnibus, nam Ecclesia est corpus mysticum, & non naturale; in corpore autem naturali monstruosa essent duo capita, non verò in mystico. Et patet, quia Ecclesia habet plures oculos, quàm duos, scilicet plures prælatos, plures linguas, scilicet plures prædicatores; plures manus, scilicet plures dispensatores; plures pedes, scilicet Apostolos discurrentes per orbem; plura brachia; scilicet plures protectores, quamuis ergo tot habeat membra, non est monstruosa, quamuis habeat duo capita. Addit quòd etiam Caluinistæ concedunt Christum esse caput Ecclesiæ, & contendunt Regem Angliæ esse caput Ecclesiæ Anglicanæ, quam non dicunt monstruosam. Quæ solutio bona est.

Respondetur tamen ex Theologo 3. par. quæstione 8. articulo 1. ad secundum, quòd corpus naturale, vt sit vnum, debet habere vnum tantùm caput, quia est corpus in se; at verò corpus mysticum quale est Ecclesia, potest esse membrum alterius maioris corporis; sic vnus ciuis Paterfamilias est caput mysticum suæ domus, & princeps est etiam caput mysticum ipsius ciuis, & ipsius domus. Vndè sicut non est aliquid monstruosum, quòd Christus sit caput Ecclesiæ, & Deus sit caput ipsius Christi iuxta illud 1. Corinth. 11. Caput Christi Deus. Ita non est inconueniens, quod Papa sit caput Ecclesiæ, & quod Deus sit caput ipsius Papę, & totius Ecclesiæ.

Adde quòd Christus etiam potest dici caput naturale, vt vidimus controuersia 172. lect. 1. quæst. 2. Papa autem solùm est caput mysticum, Christus est caput vtriusque Ecclesiæ militantis, & triumphantis, & Papa est caput solius militantis; Christus est caput vnum permanenter, Papa est caput vnum successione, hæc autem diuersitas, nec constituit monstruositatem, nec tollit vnitatem Ecclesiæ.

Opponunt tertiò contra tertiam notam, quia in Ecclesia sunt plurimi peccatores: ergo Ecclesia non potest dici sancta. Respondetur, quòd dicitur sancta ratione sanctitatis, quam habet, & quam causeat sanctificando ipsos peccatores medijs Sacramentis, quæ illis applicat. Addè quòd fides, quæ est in peccatoribus, sanctitas quędam est, si non formaliter, saltem dispositiuè, quia motus fidei est dispositio ad gratiam, quæ est formaliter sanctitas. Sic dicitur exercitus fortis, licèt habeat aliquos ignauos; Sic dicitur ciuitas opulenta, licèt in illa sint plures pauperes, dummodò sint aliqui diuites.

Opponunt quartò contra quartam notam, quia Ecclesia Romana non est catholica, idest vniuersalis, neque enim vniuersaliter diffusa est per totum orbem, multę enim sunt gentes, ad quas non peruenit doctrina Christi. Respondetur quòd est catholica, quia iam in omnibus orbis partibus Euangelium Christi prædicatum est, & iam per omnem terram habitatam, vel habitabilem est disseminatum, & iam ex præcipuis nationibus plurimæ gentes amplexatæ sunt Ecclesiam. Vnde D. Hieronymus in cap. 47. Ezechielis ait intra retia collegisse omnes ferè piscium species ad lacum Galileæ; est ergo catholica, quia eius omnes obligat, & omnes eam recipiunt successiuè.

Opponunt quintò contra quintam notam, quia Apostoli non docuerunt omnem Ecclesiam, nec ad omnes orbis partes peruenerunt prædicando: ergo non potest Ecclesia dici Apostolica. Respondetur quòd dicitur Apostolica, quia Apostoli fuerunt illius primi, & principales magistri, & pastores, & præcipuas orbis partes peragrarunt, & saltem per suos discipulos, & per alios exinde prouenientes homines circa fidem docuerunt, vt latè, & eruditè probat Frater Ioannes de Puente tom. 1. de dupl. Monarch. lib. 2. à c. 34. & 35. Adde quòd Ecclesia etiam dicitur Apostolica non solùm quia per Apostolos prædicatum est Euangelium, sed etiam, quia per Christum fuit instituta, qui etiam est, & dicitur Apostolus ad Hebræos 3. [Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostrę Iesum.] Cum enim hoc nomen [Apostolus] significet, & missum, & legatum; vtrumque habuit Christus, fuit missus Ioannis 6. [Sicut misit me Pater;] fuit legatus Ieremiæ 49. [Auditum audiui à Domino, & legatus ad gentes missus sum.] Ita Bannes 2. 2. quæst. 1. art. 10. concl. 4.

Opponunt sextò contra sextam notam; quia domus Dei est sancta. Psalm. 92. [Domum tuam decet sanctitudo;] at vero Ecclesia cum habeat plures peccatores non est sancta, nec potest dici prædestinata, sed damnata, quia plures fideles damnandi sunt. Respondetur quòd Ecclesiam Christi decet sanctitudo, & licèt habeat plures damnatos, quàm prædestinatos (quod liberè damus, oppositum enim docuimus in tractatu de prædestinatione) attamen dicenda est prædestinata, & non damnata, quia prædestinati sunt partes principaliores Ecclesiæ, damnati sunt par-

partes minus principales. Ita Bannes 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 2. ad 4. Addo quòd potest dici prædestinata, quia prædestinatio respicit vtramque Ecclesiam militantem, & triumphantem; vnde militans Ecclesia ordinetur ad triumphantem propter prædestinatos, potest dici prædestinata ratione finis, vel ordinationis; non potest autem dici damnata, quia non ordinatur, nec ordinat fideles ad æternam damnationem, neque infernus damnatorum est Ecclesia, ad quam ordinetur Ecclesia militans.

Opponunt septimò contra septimam notam; quia licèt aliquando in Ecclesia fuerint miracula, modò aut nulla sunt, aut rarissima, imò nec omnibus est fides adhibenda, cum de illis non constet authenticè. Respondetur quòd in Ecclesia fuerunt miracula, quæ constant ex Euangelijs, & ex actibus Apostolorum, & ex alijs authenticis historijs, & euidenti ratione, vt demonstrat Theologus 1. contra gentes cap. 6. vbi ait: [Hæc tam mirabilis mundi conuersio ad fidem Christianam, indicium certissimum est præteritorum signorum, vt ea vlteriùs iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant euidenter. Esset autem omnibus signis mirabilius, si ad credendum tam ardua, ad operandum tam difficilia, ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus, & ignobilibus hominibus; quamuis non cesset Deus etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei per Sanctos suos miracula operari.

Opponunt octauò contra octauam notam, quia ex pluribus historijs constat per aliquot annos Ecclesiam Romanam vacasse, & in schismata procisam fuisse. Respondetur quòd eo tempore, quo vacabat Sedes Romana de eligendo capite tractabatur, quod erat quædam successio inchoata, & tempore schismatis aliquis erat verus Pontifex, licèt non esset facilè illum cognoscere.

Opponunt nonò contra nonam notam, quia etiam Lutherani, & Caluinistæ sunt felicissimi temporaliter, imò ex quo mundus amplexus est Christi fidem, statim bellis, & vastitatibus diuexatus est, & Romanum Imperium à prima illa, & summa fœlicitate declinauit, quasi Deus mundum puniuerit propter peccatum receptæ fidei Christianæ. Respondetur quòd multò maiores, & atrociores vastitates passus est mundus, quando pro maiore sui parte idolatriæ inseruiebat, quod latissimè probat Augustinus in libris de ciuitate, & Horosius, qui breui historia ostendit hanc eamdem veritatem. Quare in cap. Sancta Romana dist. 15. sic dicitur. [Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia valde nobis necessariam aduersùs paganorum calumnias ordinauit historiam.] Neque Romanum Imperium ea de causa declinauit, sed vt imperio Christi cederet, & Romana Vrbs per Sacram B. Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præsideret religione diuina, quàm dominatione terrena; vt eleganter dixit S. Leo Papa in sermone 55. Apostolorum Petri, & Pauli. Nec Hæretici, & Pagani pro maiori parte felicitate gaudent temporali, sed funestissimis mortibus diem claudunt extremum; & innumeri infideles à paucissimis Christianis superantur; quos tamen Deus aliquando punit propter peccata, quæ committunt; sicut puniuit Constantinopolitanum Imperium, quia deserta fide recepit Arianismum.

Opponunt adhuc decimò contra sextam notam, quia in Ecclesia sunt, vel saltem esse possunt plurimi, vel aliqui errores; ergo Ecclesia nec est, nec potest dici columna veritatis. Ad solutionem huius argumenti instituimus sequentem Sectionem.

SECTIO IV.

Ostenditur quod Ecclesia Catholica nullo modo potest errare, aut decipi, aut deficere.

Qværes primò. Vtrùm hæc Ecclesia visibilis Romana, de qua hucusque diximus, possit errare in rebus pertinentibus ad fidem, vel ad bonos mores? Respondetur, omissis hæreticorum blasphemijs, negatiuè.

Itaque neque tota Ecclesia, neque omnes Doctores Ecclesiæ, neque omnes Doctores Scholastici, neque omnes homines simplices, qui actu sunt, & prout actu sunt intra Ecclesiam possunt incidere in aliquem errorem contra fidem, vel contra bonos mores. Ita Bannes 2. 2. quæst. 1. artic. 10. dub. 3. per sex conclusiones. Cabezudo in addit. quæst. 20. art. 3. difficul. 3. à tertia vsque ad septimam conclusionem. Cano lib. 4. de locis concl. 2. 5. At reuera; licèt Azor. lib. 5. de quarto præcepto dicat Canum citare Theologum in 4. dub. 6. q. 1. art. 3. q. 2. ad 3. & Glossam interlinealem super illud Matth. 16. [Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam:] qui dicunt etiam in Ecclesia errorem esse posse; sed re vera Canus id non ait assertiuè, sed quod videtur dictum prima facie, & re vera nec prima facie dictum videtur, vt constabit legenti. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia militante c. 14. & alij.

Probatur itaque conclusio quoad omnes partes, quia Ecclesiæ promittitur specialis assistentia Spiritus sancti Ioan. 15. [Spiritus sanctus apud vos manebit.] Ad Ephesios 4: dicitur Christum dedisse Doctores suæ Ecclesiæ: ergo neque Ecclesia potest errare, neque decipere, neque decipi. Confirmatur ex Plinio in Panegyr. ad Traianum;] nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.] Deinde, quia Ecclesia habet se sicut totum Etherogeneum, quod habet partes diuersæ rationis; ergo cùm aliqui sint magistri, & aliqui discipuli in Ecclesia, nec magistri, nec discipuli possunt decipi, aut errare.

Opponunt hæretici vulgarem inductionem, hic homo potest errare, & decipi, & hic prout homo potest decipi, & errare, & sic de singulis: ergo omnes, qui sunt in Ecclesia possunt errare, & decipi. Respondetur concedendo de omnibus diuisiuè, & negando de omnibus collectiuè, neque enim valet argumentum à diuisiuo ad collectiuum, prout est collectiuum; vt patet in hoc paralogismo: Petrus potest comedere hoc prunum, & hoc prunum, & hoc prunum: ergo potest comedere

dere canistrum prunorum simul; non sequitur consequentia; nam antecedens est verum diuisiuè, & consequens est falsum collectiuè. Ex his.

Colliges primò, quod Summus Pontifex, qui est caput Ecclesiæ non potest errare in ijs, quæ pertinent ad communem gubernationem Ecclesiæ, neque potest promulgare aliquam legem nociuam, & quæ contineat errorem pro illo tempore, quo intimatur, licèt mutatis temporum circumstantijs postea videatur superflua, proindeque vel mitigetur, vel abrogetur. Et licèt gubernatio totius Ecclesię pertineat ad prudentiam Summi Pontificis, quæ absolutè potest deficere, non tamen potest deficere in capitis prudentia, quæ habet specialem assistentiam Spiritus sancti, iuxta illud Matth. 16. [Portæ inferi non prę-ualebunt aduersùs eam.] Præualerent autem, si aliquis error in Ecclesia introduceretur.

Colliges secundò, quod neque Ecclesia neque Summus Pontifex potest errare in Canonizatione alicuius Sancti, neque in confirmatione alicuius religionis, nam vtrumque postulat soliditatem Ecclesiæ, quæ adorat Sanctum, qui reuera est adorandus, & quæ habeat in se homines, qui tendunt ad perfectionem virtutis per regulas, & constitutiones diligentes ad perfectionem.

Opponunt primò, quia licèt Ecclesia veneretur aliquem tamquam Sanctum, qui re vera non est Sanctus illa veneratio, & adoratio esset materialis, quæ contingere potest in Ecclesia, verbi gratia si aliquis adoret hostiam, quam credit consecratam, & re vera non est consecrata. Respondetur primò latum esse discrimen, nam particularis sacerdos potest non consecrare, quia non habet specialem assistentiam Spiritus sancti, quam habet Papa ad iudicandum de virtutibus, & miraculis Sanctorum. Respondetur secundò, quòd non est definitum à Papa hanc hostiam in particulari esse consecratam, sicut est definitum à Papa hunc hominem in particulari esse Sanctum. Et licèt Theologus quodlibet 9. dicat quòd piè credendum est Summum Pontificem non posse errare in canonizatione Sanctorum: Respondet Cabezudo citatus, quod intelligitur de pietate necessitatis, non de pietate conuenientiæ. Respondeo intelligendum de illa pietate, quæ includit omnimodam certitudinem, sicut dicimus quòd piè creditur Christum crucifixum fuisse pro nobis, quo nihil est magis certum, nihil est magis pium.

Opponunt secundò, quia Ecclesia Moysaica de facto errauit: ergo Ecclesia Romana potest errare, eadem enim est Ecclesia, quæ modò est, & tunc fuit. Probatur antecedens primò, quia de facto omnis populus adorauit vitulum Exod. 32. tempore Moysi, & tempore Heliæ. Omnis populus dereliquit Dominum 3. Reg. 9. [Altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt, & relictus sum ego solus.] Respondetur negando antecedens, tum quia filij Leui non consenserunt adorationi vituli, & postea simul cum Moyse idolatras occiderunt; tum quia etiam tempore Heliæ plurimi extiterunt fideles. 3. Regum 19. [Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal.] Adde quòd Ecclesiæ, & non Synagogæ dictum est [portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.]

Opponunt tertiò, quia tota Ecclesia errauit recipiens Arianismum, vt colligitur ex D. Hieronymo Dialogo contra Luciferanos, vbi ait: [Ingemuit orbis, & se esse Arianum miratus est.] Respondetur quòd loquitur Hieronymus de magna orbis parte, quæ in illam hæresim incidit, attamen plures erant catholici, qui retinentes veram fidem, contra illam hæresim strenuè pugnarunt. Alia argumenta, quæ opponi possunt, ex dictis soluuntur.

Quæres secundò. Vtrùm Ecclesia Romana possit deficere? Lutherani impudenter mentiuntur Ecclesiam durasse tantummodo primis quingentis annis post Christum, & statim defecisse, seu perijsse vsque ad tempora Lutheri, qui illam restituit. Non quòd perierint homines, sed quòd recta fides apud illos perijt. Est autem hoc hæreticale mendacium, & delirans insania.

Respondetur ergo quòd Ecclesia Romana nec defecit, nec potest deficere. Quæ resolutio est de fide, & constat ex Matth. 16. [Portæ inferi non prę-ualebunt aduersùs eam: præualerent autem si defecit, vel si posset deficere. Matthæi 28. [Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi;] ergo non poterit deficere vsque ad consummationem sæculi; imò nec postea deficiet, quia continuabitur cum Ecclesia triumphante; iuxta illud ad Ephesios 4. [Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum, ad opus ministerij in ædificationem corporis Christi donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ioannis 15. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum Spiritus veritatis. Oseæ 2. Sponsabo te mihi in sempiternum.

Et ratione patet; quia vt vidimus Ecclesia Romana est vera, & legitima Ecclesia: sed vera, & legitima Ecclesia non potest errare, nec deficere, deficientia enim esset in erroribus circa fidem: ergo nec Romana Ecclesia potest deficere; ergo nunquam defecit.

Opponunt illud, 2. ad Thessal. 2 [Nisi venerit discessio priorum, & reuelatus fuerit homo peccati. Vbi discessio] est defectus, siue deficientia. Et Danielis 9. dicitur: [deficiet Hostia, & Sacrificium.] Et quia Ecclesia comparatur Lunæ Psal. 103. [Fecit Lunam in tempora] iuxta Augustinum, ibi, [Luna] autem Sæpè deficit amittendo lumen. Respondetur ad primum, quòd non intelligitur] de discessione à fide, sed à Romano Imperio, à quo plurimæ gentes defecerunt; vel si intelligitur, de discessione à fide, non intelligitur de omnibus fidelibus, sed de multis, multi enim discedent, non omnes: Respondetur ad secundum, quòd ille locus intelligitur de Synagoga pro magna sui parte, vt ostendimus in tractatu de Incarnatione agendo de aduentu Messiæ. Respondetur ad tertium, quòd Ecclesia dicitur Luna, non quia defe-

defecit, sed quia, vel crescit de minimo, vt ibi explicat Augustinus, vel illuminat noctes. & tenebras peccatorum.

Opponunt, adhuc quia Ecclesia Romana modò obseruat aliqua, quæ antiquitus non obseruabat, & quæ antiquis obseruationibus omnino sunt contraria: ergo cùm illa antiqua esset vera Ecclesia bene sequitur, quòd ista noua non sit vera, & quòd antiqua defecit. Probatur antecedens, nam quondam Ecclesia non habuit pro canonicis libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici; & habebat pro canonico librum tertium Machabæorum, vt patet ex Canone Apostolorum 84. quem modò non reputat canonicum. Quondam in feria quarta non edebat carnes, quas edebat in Sabbato, quod modò è contra obseruat. Quondam in vigilijs Martyrum populus excubabat in templis, quod modò non fit. Modò recipit vulgatam Bibliæ editionem, quæ mille continet errores contra Hebraicam literam, & veritatem.

Respondetur negando antecedens, quatenus ait modò aliqua esse antiquis contraria. Et respondetur ad primam probationem, quòd Ecclesia potest declarare tamquam canonicos aliquos libros, qui antea non reputabantur canonici, sicut potest declarare aliquas veritates tamquam de fide, quæ antea non vt tales putabantur, in quo nulla est contrarietas, quia est noua explicatio, & est noua veritas fidei quoad nos; nec ille tertius liber Machabæorum fuit receptus tamquam canonicus pro tota Ecclesia, & illum canonem 84. esse vniuersaliter receptum, sed reputari apocryphum. Ita Asor. in 4. præcept. cap. 23. §. 3.

Ad secundam respondetur, quòd esus carnium permissus quondam in Sabbato erat propter Hebræos, qui adhuc venerabantur Sabbatum, ne illis fieret difficilis conuersio ad fidem, si viderent Ecclesiam abominari illorum præcipuam solemnitatem, quæ ratio à multis retro sæculis cessauit, & modò cessat.

Ad tertiam respondetur, quòd illa obseruantia permanendi per noctes in templis ablata est propter inconuenientia, & abusus, qui paulatim increscebant.

Ad quartam respondetur, quòd vulgatæ Bibliæ editio legitima est, neque habet aliquid contrarium Hebraicæ veritati, quoad sensum, idem enim vtrobique est sensus, licèt verba aliter vertantur. Ex quo colligitur hanc esse legitimam interpretationem, nam vt ait, & docet D. Hieronymus in tractatu de optimo genere interpretandi, si Homeri carmina, vt iacent, in Latinum idioma transferantur, [videbis ordinem ridiculum, & Poetam eloquentissimum, vix loquentem.]

Quæres tertiò. Vtrùm vniuersa Ecclesia possit decipi? Respondetur negatiuè, quod est de fide, si enim non potest errare, si non potest deficere, vt vidimus, planè sequitur, quòd non potest decipi, nam omnis deceptio continet errorem, vel deficientiam.

Opponunt primò Lutherani, & Caluinistæ, quia Ecclesia iam decepta est vniuersaliter, nam tempore mortis Christi omnes discipuli amiserunt fidem, siquidem omnes fugerunt, & significatur hoc in illa cæremonia hebdomadæ maioris, vbi omnes candelæ paulatim extinguuntur, & sola vna absconditur, quo innuitur omnes discipulos, vel Apostolos Christi fuisse extinctos quoad fidem, & solam Virginem Mariam fidem conseruasse.

Respondetur primò, quòd non omnes Apostoli eo tempore fidem amiserunt, licèt ferè omnes aufugerint timore perterriti, nec illa cæremonia illud significat, sed significat omnes Prophetas priores à Iudæis extinctos, & occisos: ille autem cereus, qui absconditur, significat Christum, cuius vera mors fuit quædam absconsio, cùm post tres dies resurrexerit. Ita ferè Rupertus de diuinis offic. lib. 5. & Canus lib. 4. de locis cap. §. 4. ex Augustino in fine.

Respondetur secundò ex eodem Cano, ibi: quòd illa cæremonia intelligitur de Apostolis, antequam essent Prælati, & Pastores Ecclesiæ, quando de illis non adhuc verificatum erat illud Psal. 114. [Ego confirmaui columnas eius.] Respondetur tertiò, quòd Apostoli defecerunt in confessione fidei, quia fugerunt, & hoc significatur in illa cæremonia, non autem in fide, quam ferè omnes retinuerunt, licèt non viuam. Ita Cano ibi.

Bellarminus lib. 3. de Ecclesia cap. 17. ait ex Abulensi, quæst. 14. in prol. Matth. quòd in Apostolis tunc non fuit fides explicita resurrectionis, quæ non erat adhuc sufficienter promulgata. Sed cùm Christus iam discipulis dixisset, Matthæi. 26. [Filius hominis crucifigetur, & tertia die resurget.] Et Matthæi. 26. [Postquam resurrexero, præcedam vos:] Difficilis est hæc solutio respectu Apostolorum, &c.

Addi potest, quòd illa extinctio cereorum non significat extinctionem fidei in Apostolis, sed illorum fugam, quæ scandalum videbatur, iuxta illud Christi Domini Matthæi 26. [Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista, scriptum est enim, percutiam pastorem, & dispergentur oues.] Quæ verba sic explicat Theologus, ibi: [Prænuntiat scandalum, & dispergentur oues. Quasi dicat quòd scandalum fuit Apostolorum dispersio; hæc ergo significatur per extinctionem cereorum, non verò amissio fidei.

Opponunt secundò, quia circulus in arguendo, & respondendo est deceptio, vt patet; sed Catholici Romani committunt circulum in respondendo: ergo decipiuntur cum Ecclesia Romana. Probatur minor, quia si aliquis quærat à Catholico, vnde scis Scripturam esse Sacram, & Diuinam? Respondet, quia hoc dicit Ecclesia authoritate infallibili; Si vlteriùs quærat; & vnde scis, quod authoritas Ecclesiæ est infallibilis? Respondet, quia Scriptura hoc dicit: ergo Catholicus probat authoritatem Ecclesiæ per Scripturam, & authoritatem Scripturæ per Ecclesiam, quod est circulus nugatorius, & deceptorius. Veluti si aliquis dicat, mater est bona, quia filius dicit verum, & filius est bonus, quia mater dicit, & Turcica Ecclesia est vera, quia Alcoranus dicit verum, & Alcoranus est verus, quia Ecclesia Turcica illud dicit.

Respondetur primò Caluinistas committere circulum, non Catholicos. Probatur primùm, quia si quæram à Caluinista, vnde

scis Scripturam esse veram; respondet quia spiritus priuatus hoc mihi dicit; & si vlterius quæram, & vnde scis spiritum priuatum esse verum? Respondet quia Scriptura hoc mihi dicit.

Probatur secundum, quia Catholici procedunt in diuerso genere causæ, in quo processu, non committitur circulus deceptorius; nam Catholici probant Scripturam per Ecclesiam, tamquam per causam finalem, est enim Ecclesia finis Scripturæ, quæ ordinatur ad eruditionem Ecclesiæ, iuxta illud 1. ad Timoth. 10. [In figura contingebant illis, scripta sunt autem hęc ad nostrā doctrinam.] Et probant Ecclesiam per Scripturam, tamquam per causam, Seu quasi causam efficientem, Scriptura enim est ipsum Verbum Dei scriptum, quod fundauit, & effecit Ecclesiam.

Quòd autem circulus in diuerso genere causæ non sit deceptorius docuimus ex communi sententia in Logica; vt patet ex Philosopho, qui definiuit scientiam per demonstrationem sic; [Scientia est habitus acquisitus per demonstrationem] Et definiunt demonstrationem per scientiam. [Sic demonstratio est Syllogismus faciens scire.] Prima est in genere causæ finalis, quia scientia est finis demonstrationis: & secunda est in genere causæ efficientis, quia demonstratio efficit scientiam. Hoc autem non procedit in circulo Caluinistarum, quia scriptura non est propter spiritum priuatum, nam ipsi dicunt, quòd internè illuminantur à suo priuato spiritu; nec spiritus priuatus efficit scripturam, committunt ergo circulum in eodem genere, & ordine, ac proinde deceptorium.

Aliam solutionem tradit Becanus opuscul. 10. de Circulo Caluinistico per totum; vbi ostendit illas probationes, & responsiones esse quoad nos, verbi gratia, si quis admittat Ecclesiam, & neget Scripturam, probatur contra illum Scriptura per Ecclesiam, & si aliquis admittat Scripturam, & neget Ecclesiam, probabitur contra illum Ecclesia per Scripturam.

Vel dicendum, quòd Ecclesia probet authoritatem Scripturæ, præsuppositiuè, affirmando illam esse Sacram; at verò Scriptura præbet authoritatem Ecclesiæ formaliter, quia formaliter, & expresè dicit definitiones Ecclesiæ esse infallibiles.

Vel tandem dicas, quòd Ecclesia præbet authoritatem Scripturæ quasi conditio, requiritur enim quasi conditio, quòd Ecclesia approbet illum librum, & dicat esse canonicum; at verò Scriptura præbet authoritatem Ecclesiæ, tamquam regula formalis infallibilis; vnde Scriptura pendet, secundùm quid ab authoritate Ecclesiæ, & Ecclesia pendet simpliciter ab authoritate Scripturæ. Videatur Cabezudo in addit. quæst. 20. art. 3. difficult. 3. ad primum. Vbi adhibet hoc exemplum; Si ciues alicuius ciuitatis essent Barbari, & non intelligerent literas Summi Pontificis, & ille constitueret aliquem Episcopum, qui literas explicaret, tunc explicatio, & testimonium Episcopi esset conditio, vt ciues crederent esse illas literas Summi Pontificis; & nihilominus testimonium Summi Pontificis esset maius. Videatur Azor. lib. 5. de quarto præcepto capit. 24.

SECTIO V.

De membris Ecclesiæ in generali, & in speciali.

VIdimus illa, quæ pertinent ad proprietates, notas, & veritatem Ecclesiæ; videnda supersunt illa, quæ pertinent ad illius membra, & caput; cum enim supradictum sit, quòd Ecclesia personalis est quædam conuocatio, collectio, siue congregatio fidelium sub vno capite, inde colligitur, quòd Ecclesia constat membris, & capite, & cum sit quoddam corpus mysticum, eius membra sunt mystica, sicut & ipsum caput. Quamuis autem caput sit pars principalior, tamen quia multa agenda sunt de capite, & pauca de membris, priùs de mēbris agimus, quo expeditius ad tractationem capitis properemus.

Quæres, igitur primò. Quænam sint membra Ecclesiæ militantis? Respondetur ex dictis supra Controuersia 172. sect. 2. §. multa; vbi diximus membra Ecclesiæ, vel esse actu membra, vel tantùm potentia. Membra actu sunt illi, qui per veram fidem Christo vniuntur; membra in potentia sunt illi, quibus deest vera fides. De quo Nazarius 3. parte, quæst. 8. art. 3. possunt veram fidem recipere, per quod possunt fieri actu membra Ecclesiæ. De membris in potentia nulla potest esse difficultas. De membris actu multa agitant Doctores, quæ hîc singillatim, sed breuissimè tractanda sunt, quæ tamen latissimè tractant Bannes 2.2. quest. 1. art. 10. Bellarminus lib. 3. de Ecclesia milit. à cap. 3. Bordonus cap. 4. Sacri Tribunalis à num. 45. Canus lib. 4. de locis, & alij. Igitur ad huius rei clariorem distinctionem.

Quæres secundò vtrùm soli iusti sint membra Ecclesiæ actu? Respondetur negatiuè, nam peccatores baptizati, & fideles sunt membra Ecclesiæ, & sunt intra Ecclesiam, & in Ecclesia, quia per Baptismum ingressi sunt intra Ecclesiam, & per veram fidem actu in illa sunt subiecti Summo Pontifici. Ita omnes Doctores Catholici contra Lutherum.

Quæres tertiò. Vtrùm excommunicati fideles sint membra Ecclesiæ, & sint in Ecclesia? Respondetur affirmatiuè, quia verè sunt fideles baptizati, & subiecti Summo Pontifici; quod requiritur, & sufficit, sint in Ecclesia. Nec obstat, quòd capit. per tuas de Sent. excommunic, dicitur excommunicatus separatus ab Ecclesia; Respondetur enim, quòd est separatus ab Ecclesia quantùm ad suffragia, & communicationem Ecclesiæ fidelium, non verò quantùm ad fidem. Et ita intelligitur Catechismus Romanus in expositione Symboli. Imò D. Augustinus lib. contra Donatistas cap. 20. ait; [Neque à populo Dei separamus, quod vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendo locum redigimus.] Ita Bannes citatus dub. 1. ad 3. Bordonus citatus num. 53. contra Bellarminum citatum cap. 6. quamuis enim

enim Matthæi. 23. dicatur quòd inobediens Ecclesiæ sit tibi tamquam Ethnicus; Ethnicus enim est extra Ecclesiam; tamen hoc dicitur similitudinariè, nam sicut Ethnicus non participat suffragia Ecclesiæ, sic nec excommunicatus.

Quæres quartò. Vtrùm Hæretici sint actu membra Ecclesiæ, & sint actu in Ecclesia? Respondetur negatiuè, quia per hæresim amiserunt fidem, per quam fit prima vnio cum Christo, & cum Ecclesia Christi. Et sic dicitur 1. Ioannis 2. de Hæreticis: [Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.] Si ergo exierunt, extra sunt. Et in Concilio Nicæno cap. 4. dicitur, quòd si hæretici redire velint, recipientur in Ecclesia: ergo non erant in Ecclesia, si in illa recipiendi sunt. Ita omnes: Canus lib. 4. de locis: Bannes citatus ad. 5. Bellarminus cap. 4. & alij. Contra Castro lib. 2. de iust. punit. cap. 24.

Oppones tamen primò, quia hæretici habent charactèrem baptismi; Sunt Zizania, quæ simul erat cum tritico. Matthæi 13. puniuntur ab Ecclesia, quæ non punit nisi illos, qui sunt in illa iuxta illud 1. ad Corint. 5. [Quid mihi est de his, qui foris sunt iudicare? Respondetur, quòd character Baptismi sine vera fide non sufficit, vt aliquis sit membrum Ecclesiæ, & sit in Ecclesia, vt patet in damnatis baptizatis, fuit autem Zizania simul cum tritico in mundo, non in Ecclesia. Potest etiam Ecclesia punire, & iudicare hæreticos, qui licèt non sint, fuerunt in Ecclesia; & illi promiserunt obedientiam, & fidem veram, ac proinde tenentur illam seruare, & tenentur stare intra Ecclesiam, punit ergo illos non quasi sint intra Ecclesiam, sed ex eo quòd tenentur esse in illa; sic pastor errantes oues ad ouile reducit.

Oppones secundò, quia 2. ad Timoth. 2. dicitur; [Sermo eorum, vt cancer serpit, ex quibus est Hymenęus, & Philetus, qui à veritate exciderunt dicentes resurrectionem esse iam factam.] Ecce Apostolus numerat istos duos hæreticos, & statim addit. [In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia.]. Quasi dicat, quòd illi duo hæretici erant in Ecclesia, sed tamquam vasa fictilia, & non aurea.

Respondetur primò (multis omissis) quòd isti hæretici dicuntur esse in domo magna, quæ vel est mundus, & sic nihil infertur contra nos; vel est Ecclesia, non sumpta pro solis catholicis, & fidelibus, sed sumpta pro omnibus Christianis, qui licèt re vera non habeant fidem, tamen vulgariter dicuntur Christiani, & hoc modo Ecclesia dicitur christianitas, sic enim est magna, & maior domus, quàm solummodo sumpta pro fidelium collectione: Ita D. Ambrosius.

Respondetur secundò, quòd illa verba: [in magna domo non solùm sunt vasa aurea, sed etiam fictilia.] Non intelliguntur, nec referuntur ad illos hæreticos Hymenęum, & Philetum; sed ad aliquos fideles, qui cum essent adhuc fideles, tamen erant infirmi, & poterant cadere à vera fide faciliùs, quàm alij, qui erant fortiores, ait ergo Apostolus, quòd isti fortes sunt vasa aurea, & argentea, & illi fideles infirmi sunt vasa lignea, & fictilia, & omnes fideles fortes, & infirmi, sunt in Ecclesia, illi tamquam vasa aurea, isti tamquam vasa fictilia in magna domo. Ita videtur sentire D. Cyprianus lib. 4. epist. 2. ad Antonianum; quamuis etiam ibi videatur tenere primam explicationem, verba enim illius obscura sunt, & in hoc secundo sensu intelliguntur ab August. lib. 4. de Baptismo cap. 12. videatur Bannes citatus ad 5. Canus lib. 4. de locis cap. 2. §. At Papa. Bellarminus lib. 4. de Ecclesia cap. 4. §. 2.

Quæres quintò. Vtrùm saltem hæretici, & infideles occulti, qui tantùm in corde amiserunt fidem, exteriùs tamen illam profitentur, sint in Ecclesia, & sint membra illius? Negat Turrecremata lib. 4. de Eccles. part. 2. cap. 20. & Bordonus citatus num. 58. Respondetur tamen cum communi sententia, quòd isti hæretici, vel infideles sic occulti sunt membra visibilia visibilis Ecclesię, attamen sunt membra arida; quia interiùs, nec vniuntur Christo, nec Ecclesiæ, sicut membrum aridum licèt visibiliter sit membrum, at interiùs non informatur forma secundùm gradum sensibilitatis. Ita Petrus Soto in confessione Cathol. cap. de Eccles. Bellarmin. citatus cap. 10. Canus lib. 4. de locis cap. vltimo ad 12.

Et probatur primò, quia ex 1. Ioann. 2. [Nunc antichristi multi facti sunt, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. Quasi dicat illi, qui per declarationem, & manifestationem suæ hæresis exierunt ex nobis, quamuis enim non essent ex nobis, quia occultè à fide defecerant, tamen erant in nobis, erant intra Ecclesiam, & in Ecclesia, à qua exierunt, neque enim ab illa possent exire, si non essent in illa illimet, qui non erant ex illa. Ita videtur explicare Augustinus tract. 3. in epistol. Ioannis & alibi.

Probatur secundò, quia Ecclesia vt vidimus est visibilis: ergo, qui profitetur, & amplectitur Ecclesiam visibilem est in Ecclesia visibili; hoc autem habent hæretici, & infideles occulti; quia tamen illis deest fides inuisibilis, sunt membra arida, quæ etsi videantur exteriùs vnita, tamen interiùs sunt recisa, & discontinuata. Et quamquis communiter Doctores dicant huiusmodi hæreticos, esse membra arida; non minùs explicantur alio exemplo; Sunt ergo isti hæretici, & infideles occulti veluti oculus argenteus, qui loco naturalis oculi inseritur foramini visorio; vel sunt tamquam pes ligneus, vel brachium ligneum, quæ desuper vestiuntur, & videntur naturalia brachia, & membra; attamen sunt tantummodo apparenter membra in corpore, quia deest illi vitalitas, & sensibilitas. Quare videntur pertinere ad corpus Ecclesiæ; non verò ad animam Ecclesiæ.

Ex quo colligitur, quòd huiusmodi hęretici, & infideles occulti possunt retinere iurisdictionem, quam habebant, & accipere, quam nō habebant, cum enim ista iurisdictio recipiatur in illis, qui sunt intra Ecclesiam, isti hæretici, & infideles omnino occulti illam possunt conseruare, vel obtinere. Vt communiter docent Doctores citati, imò Cano citatus ait oppositum non esse probabile.

Oppones primò, quia vt supra vidimus membra Ecclesiæ actu sunt illi, qui per ve-

ram fidem Christo vniuntur: sed infideles occulti non vniuntur Christo per veram fidem, cum non illam habeant: ergo non sunt actu membra Ecclesiæ. Respondetur primò, quòd maior intelligitur de membris viuis, infideles autem occulti sunt membra arida, & externa. Respondetur secundò, quòd hæretici, & infideles omnino occulti, non habent veram fidem in corde; attamen simulant habere illam inuisibiliter, quod sufficit vt sint membra visibilis Ecclesiæ.

Oppones secundò ex Bordono citato, quia ad Titum cap. 3. [dicitur, hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita, sciens, quia subuersus est &c.] Respondetur hunc locum nihil probare, apertè enim loquitur de hæretico manifesto, manifestus est enim ille hæreticus, qui primò, & secundò ab alijs corripitur; Nos verò loquimur de occulto. Ex quo facilè solues alia argumenta, quæ ferè omnia probant non esse membrum inuisibile, quod damus, attamen est membrum visibile, quia visibiliter profitetur fidem, licèt simulatè.

Illud tandem aduertendum, quòd Doctores Catholici citati affirmantes infidelem occultum non esse membrum Ecclesiæ, non conueniunt cum Caluinistis, nam Caluinistę hoc dicunt, vt negent Ecclesiam esse visibilem, at verò Catholici hoc dicunt, quia ad membrum viuum requirunt illam vnionem internam per fidem.

Quæres sextò. Vtrùm Schismatici sint membra Ecclesiæ, & sint in illa? Respondetur negatiuè. Ita communiter Doctores, Farinacius qu. 184. de hæres num. 45. Bellarminus citatus cap. 5. Bordonus citatus num.60. & alij. Probatur, quia Ecclesia est vna: ergo non est in Ecclesia, qui scindit illius vnitatem, iam verò schismaticus scindit vnitatem Ecclesię; Schisma enim est scissura significata in illa scissione retis Luc. 5. Et schismaticus ille est, qui discedit ab obedientia Papæ, qui est caput Ecclesiæ; ista autem vnitas Ecclesiæ est dupliciter, vel fidelium inter se, vel fidelium ad vnum caput, & hanc vnitatem proscindunt schismatici, vt docet Theologus 2.2. qu. 39. art. 1. & etiam tollit aliam, quia proscindit se ab alijs fidelibus. Quæ opponi possunt ex dictis facilè soluuntur. Adde quod schisma frequenter, imò semper coniungitur cum hæresi, vt tenet D. Heronymus prout habetur cap. Inter 24. qu. 3. hæreticus autem est extra Ecclesiam.

Quæres septimò. Vtrùm Cathecumeni sint intra Ecclesiam, & sint membra illius? Canus, & Bellarminus citati cap. 3. dicunt Cathecumenos non esse actu membra Ecclesiæ. Respondeo breuiter, quòd non sunt actu membra Ecclesiæ actualitate possessionis, quasi vel illi possideant sacramenta Ecclesiæ, vel Ecclesia illos possideat; sunt tamen actu membra Ecclesiæ actualitate voti, quia actu desiderant recipi in Ecclesia per sacramentum Baptismi; vnde si actu moriuntur; possunt saluari cum vera contritione, quia iam voto sunt intra Ecclesiam, extra quam nemo saluatur. Ex qua doctrina explicari possunt plura loca Patrum, quæ pro vtraque parte afferuntur.

Quæres octauò, Vtrùm præsciti baptizati, & etiam prædestinati sint membra Ecclesiæ? Respondetur affirmatiuè contra Lutherum dummodo habeant fidem, & subiectionem ad Pontificem. Ita 2. ad Timoth. 2. [In magna domo sunt vasa aurea, & argentea, lignea, & fictilia, alia quidem in honorem, & alia in contumeliam.] Et in Arca Noe, quæ significauit Ecclesiam erant animalia munda, & immunda.

Opponit Lutherus, quia in illa arca omnes salui facti sunt; ergo omnes quotquot sunt in Ecclesia salui fient, ac proinde soli prædestinati sunt in Ecclesia, & non præsciti. Respondetur quòd similitudo Arcæ ad Ecclesiam stat in exclusiua; omnes enim exclusi ab ara perierunt, sic peribunt omnes exclusi ab Ecclesia; non tamen stat in inclusiua, quia filius Noe, qui ingressus est arcam, postea ab ipso Noe maledictus est. Ex his solues alia argumenta.

Quæres nonò. Vtrùm fideles defuncti sint membra Ecclesiæ, & sint in illa? Respondetur negatiuè de Ecclesia militante, quia iam in illa non militant. Nec obstat quòd Ecclesia excommunicat, vel absoluit defunctos, vt colligitur ex cap. sanc. 24. qu. 2. quod solùm exercet in sua membra. Respondetur enim, quòd Ecclesia nec illos absoluit, nec excommunicat, sed tantùm declarat in vita fuisse excommunicatos, vel iam posse pro illis fieri suffragia Ecclesiæ. Potestas enim Ecclesiæ tantùm est super illos, qui sunt super terram iuxta illud Matth. 16. [quodcumque solueris super terram;] at defuncti non sunt super terram, sed sub terra. De quo Bordonus citatus à num.63. & Asor. lib. 5. de 4. præcepto cap. 27. & alij. Hæc breuiter de membris Ecclesiæ in particulari.

Habet tamen Ecclesia alia membra principaliora, alia minùs principalia, principaliora sunt Episcopi Doctores, & alij, qui habent speciales dignitates religiosi: minùs principalia sunt fideles populi, quas dignitates, & officia Ecclesię recenset Apostolus ad Ephes. 4. [Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.] De dignitate Apostolica infra dicemus; de prophetia iam diximus agendo de prophetia Christi, circa pastores deinceps dicecemus, nunc de Doctoribus Ecclesiæ.

Quæres igitur decimò. Vtrùm quilibet homo catholicus, qui formatur Doctor in aliqua Academia approbata possit dici Doctor Ecclesiæ? Affirmant aliqui. Respondetur tamen negatiuè, ex illis, quæ doctè scripsit Frater Alphonsus Baptista in Apologia Sanctorum Patrum edita Siracusis anno 1628. conclus. 3. num. 18. Probatur, quia Doctor Ecclesiæ ille est, qui simul, & vitæ sanctitate, & scientiæ eminentia docet iuxta illud Matthæi 5. [Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.] & statim, [qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines minimus vocabitur in regno cœlorum.] Hoc autem non reperitur in omnibus.

Illi ergo tantummodo reputantur Doctores Ecclesiæ; qui ab Ecclesia, vt conspicui virtutibus, & clari in scientia censentur; alij autem, qui vel in Theologia, vel in iure

cano-

canonico graduantur Doctores; dicendi sunt Doctores in Ecclesia; non Doctores Ecclesiæ; hoc enim nomen ab Ecclesia specialiter conceditur, & concessum fuit à Pio V. Sancto Thomæ, & à Xisto V. Sancto Bonauenturæ. His positis agendum est de capite Ecclesiæ.

SECTIO VI.

De capite Ecclesiæ, quod est Summus Pontifex Romanus.

EGimus præcedenti Sectione de membris Ecclesiæ, nunc agendum est de capite; quia verò caput est Summus Pontifex Romanus, qui eligitur, gubernat, etsi incidat in hæresim, deponitur; de his tribus breuiter agendum est. Primò ergo agendum de illius electione, secundò de illius regimine; tandem de illius depositione si incidat in hæresim, quod Deus nunquam ex sua benignitate permisit, nec permittet ex sua promissione. Priùs tamen aliquæ resolutiones, quasi generales præmittendæ sunt.

Quæres igitur primò. Vtrùm Ecclesia habeat vnum tantùm caput? Respondetur, quòd non loquimur modò de Christo Domino, de quo iam ostendimus esse caput hominum, & Angelorum, & modum, quo est caput controuersia 172. ferè per totam. Quomodo autem militans Ecclesia non sit monstruosa, quamuis illius caput sit Christus, & Pôtifex explicauimus hic sect.3.§.Oppones 2. loquendo igitur præcisè de Ecclesia militante, negant Lutherani, & Caluinistæ, & Donatistæ; vt refert Augustinus epist. 43. & 50.

Respondetur iuxta fidem affirmatiuè; itaque in Ecclesia Catholica est vnum caput supremum. Et probatur primò, quia Ecclesia est vnum ouile. Ioannis 10. ergo habet vnum pastorem;est vna nauis:ergo habet vnũ Nauclerũ:est vnum corpus:ergo habet vnum caput. Probantur hæc omnia antecedentia ex illo Cantic.6.[Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suę, electa genitris suę.] Probatur secundò, quia ecclesia est perfecta, quia instituta est ab vno Christo, qui est perfectissimus: ergo est vna, illud enim quod vnum est, perfectum est; & patet ex citato loco cantic. 6. [Vna est columba mea perfecta mea:] ergo debet habere vnum caput, neque enim est perfectum illud vnum, quod habet duplex caput; præcipuè quia, vt vidimus ex Theologo 2. 2. quæst. 39. art. 1. Vnitas Ecclesiæ est duplex, prima fidelium inter se, Secunda est fidelium ad vnum caput, vnde si essent plura capita iam deficeret hæc vnitas.

Probatur tertiò, quia Ecclesia est perfecta: ergò debet habere regimen perfectum: sed regimen perfectum est sub vno capite, & ab vno capite: ergò in Ecclesia est vnum tantummodò caput. Probatur minor ex Philosopho lib.3. Polit. cap.5.& lib.8. Et hic cap. 10. vbi distinguit tres species simplicis regiminis; prima est Monarchia, quando vnus tantùm est princeps, & caput. Secunda est Aristocratia, quando scilicet optimates regunt rempublicam. Tertia est Democratia, quando scilicet populus ipse regit. Ex his perfectius regimen est Monarchicum, siuè Monarchia, quidquid in contrarium dicat Caluinus lib.6. instit. cap. 6. & patet, quia omne regimen ordinatur ad pacem,& vnitatem, pax enim, & vnitas subditorum est finis regentis. Iam verò paci,& vnitati congruentior est vnus, quàm multi: ergo in Ecclesia est vnum tantùm caput supremum, & non multa capita. De quo Bannes. 2. 2. quæst. 1. art.10. dub.4.conclus.2.& latè Bellarm.lib.1. de Romano Pontifice cap.2. 4. & 9. Videatur Theologus 4. contra gentes cap.66.& 1. part. quæst. 103. articulo 3. & 1. 2. quæstione 95. articulo 4.

Quod & frequenter docent Sancti Patres. D.Gregor. lib.4. Epist. 51. & Homil. 34. in Euangel. & lib.32. Moral. cap. 24. & lib. 32. capitulo 25. & alij, & probant ex eo, quòd sicut inter Angelos ante ruinam Luciferi, ipse Lucifer erat omnium caput, & post ruinam Michael factus caput vnum omnium Angelorum iuxta illud Apocalyps. 22. Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius; ita inter homines fideles vnum est caput, & princeps.

Probatur quartò, quia apud fideles oriuntur controuersiæ, & difficultates circa mysteria fidei, circa bonos mores: ergò requiritur in Ecclesia vnus iudex, ex cuius definitione, hæc omnia pendeant, & cuius authoritate omnes lites sopiantur, ne Ecclesia in varias, & contrarias simultates discindatur, qui iudex vnus, est vnum caput. Optimè dixit Seneca lib.2. de Clement. cap. 2. de capite naturali. [A capite omnia vegeta sunt, atque erecta, aut languore dimissa:] Si ergò essent plura capita, dum vnum esset sanum, & aliud infirmum, corpus ipsum multipliciter vexaretur.

Oppones primò; quia nullibi in sacris Scripturis legitur, quòd Ecclesia habet caput. Respondetur primò, quod legitur Ecclesiam esse vnum corpus 1. ad Corinth. 12. [Sicut corpus vnum est, & membra habet multa, omnia enim membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus,] & statim: [Vos estis corpus Christi, & membra de membro.] Quod autem est vnum corpus habet vnum caput. Respondetur secundò, quòd ad Ephes. 1. Christus dicitur caput totius Ecclesiæ. [Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius:] ergò cùm modò Christus sit caput inuisibile, quia iam assumptus in cœlum non videtur, & Ecclesia modò sit visibilis,vt iam ostendimus,sequitur quod modò habeat caput visibile, quod debet esse illud, cui Christus suam potestatem delegauit. Respondetur tertiò, quòd Summus Pontifex Romanus est successor Petri, de quo habetur in scripturis fuisse caput Ecclesiæ. Cantic.5. [Caput eius aurum optimum:] vbi legunt septuaginta interpretes; [caput eius aurum Cepham;] legit Aquila, [Caput eius aurum Petrum.] Vbi Petrus, qui appellatus fuit Cephas à Christo Ioannis 1. [Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.] Cephas autem, & Petrus significant saxum, siuè petram. Addè quod Matthæi 16.Petrus dicitur fun-

fundamentum, supra quod ædificata est Ecclesia, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;] fundamentum autem, licèt in temporalibus sit petra infima, attamen in spiritualibus est petra summa, quæ potest dici caput ædificij iuxta illud ad Ephes. 2. [Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso Summo, & angulari lapide Christo Iesu.] Vbi Iesus dicitur lapis fundamentalis, & lapis summus. Videatur Bannes 2.2. quæst. 1. art. 10. dub. 4. §. Pro cuius ad finem.

Oppones secundò, quia Pastor est rector, & caput gregis; sed in Ecclesia sunt plures pastores iuxta illud ad Ephes. 4. [Alios autem Pastores, & Doctores:] ergò in Ecclesia sunt plura capita. Respondetur, quòd in Ecclesia sunt plures Pastores, attamen est vnum tantùm caput. Discrimen est, quia Pastor respicit gregem, & caput respicit corpus, possunt autem plures Pastores pascere eumdem gregem, quia non implicat, quòd sint plures Pastores minùs principales, & sit vnus Pastor Supremus; at verò non possunt esse plura capita, quia hoc esset monstruosum saltem in corpore naturali. Igitur Episcopi sunt Pastores, sed Papa est Pastor, siuè princeps Pastorum, quod etiam dicitur de Christo 1. Petri 5. [cùm apparuerit princeps Pastorum.]

Instabis. Quilibet Episcopus est caput in sua Ecclesia: ergo cùm Episcopi sunt plures, plura sunt capita in Ecclesia. Respondetur, quòd Episcopi sunt capita Ecclesiarum, cuius sunt Episcopi; attamen non sunt suprema capita, nam etiam ipsarummet Ecclesiarum Summus Pontifex est supremum caput. Numquam ergo concedas, quòd sunt plura capita in Ecclesia, vel quòd sint plura capita Ecclesiæ; poteris tamen dicere, quod sunt plura capita in Ecclesijs, vel quod sunt plura capita Ecclesiæ. Sic enim dicitur Apocalyp. 1. [Ioannes septem Ecclesijs, quæ sunt in Asia.] Si ergo in Ecclesia catholica distinguuntur plures Ecclesiæ partiales, & nationales, etiam plura capita possunt numerari, non Ecclesiæ, sed Ecclesiarum; attamen quando dicitur Ecclesia, sumitur ibi pro vniuersali, in qua est vnum tantummodò caput. Sic enim Rex est vnum caput in regno, & vnum caput regni; & tamen in qualibet domo est vnum caput, iuxta illud Amos 6. [Vt qui opulenti estis in Sion, & confiditis in Monte Samariæ, optimates capita populorum.] Vbi non dicuntur capita populi, sed populorum, populus enim habet vnum tantùm caput, at populi habent plura capita cum præesse potest vnum caput supremum.

Instabis adhuc, quia Actor. 20. ait Paulus; [attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.] Hæc Apostolus ait, quòd Episcopi, qui sunt capita, regunt Ecclesiam, & sunt in vniuerso grege, dum ait (in quo) & dum ait (Ecclesiam Dei) & non Ecclesias Dei. Respondetur, quòd Episcopi sunt Pastores, non ergo negamus, quòd in Ecclesia sunt plures Pastores, & plures Episcopi, qui illam regunt diuisiuè, quilibet pro sua Ecclesia, & omnes sub vno supremo, & vniuersali Episcopo Pontifice Romano; sed tantùm dicimus, quòd non possunt dici plura capita Ecclesiæ, vel in ecclesia, quia hoc esset monstruosum, cum vnius corporis, prout vnum est, vnum tantummodò detur caput; nec Apostolus ibi illos nominat capita, sed episcopos.

Oppones tertiò, quia non sufficit vnus Monarcha sæcularis pro toto Orbe: ergò à paritate rationis non sufficit vnus Pontifex, nec vnum caput pro tota ecclesia. Confirmatur, quia regimen Monarchiæ licèt absolutè sit nobilius, attamen pensatis circumstantijs temporis, & humanæ fragilitatis, nobilius est regimen aristrocatiæ, in qua proceres, & optimates gubernant.

Respondetur primò, quod forsan sufficeret vnus Monarcha pro toto Orbe, qui tamen per inferiores principes, & dynnastas regeret prouincias. Hoc tamen solum Deus instituit, & disposuit in sua Ecclesia, vt summa illius omnipotentia omnibus constaret, & summa vnitas haberetur in spiritualibus, Respondetur secundò latum esse discrimen, quia Monarcha temporalis non habet specialem assistentiam Spiritus sancti, quam tamen habet Summus Pontifex.

Ad confirmationem respondetur, quod regimen Ecclesiæ est simpliciter Monarchicum, attamen habet admixtionem Aristocratiæ; quia particulares Ecclesiæ etiam per Episcopos gubernantur, qui non sunt Vicarij Summi Pontificis, sed Pastores ad illum subordinati, illi subiecti, & sub illo ordinati.

Oppones quartò, quia non requiritur vnum caput ad definiendas res fidei; ergò Ecclesia non habet vnum caput. Probatur antecedens, quia res fidei accipiuntur à priuato Spiritu cuiuscumque personæ; ad solutionem huius argumenti negatur antecedens, quod sequenti quæsito amplius expendetur. Igitur,

Quæres secundò. Vtrùm priuatus, & particularis Spiritus cuiuscumque personæ debeat illi determinare res fidei ab illo credendas? Affirmant Lutherani, & Caluinistæ, qui proteruè contendunt vnumquemque debere credere eo modo, & illas res, quas suus priuatus Spiritus illi dictauerit credendas. Respondetur, quòd est aperta hæresis, & manifestus error contra sacram Scripturam SS. Ioannis 4. [Nolite omni Spiritui credere, sed probate an ex Deo sit.] Hæc autem probatio Spirituum debet fieri per os, & decreta vnius, qui sit caput, iuxta illud Malachiæ 2. [Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem Dei requires de ore eius. Et 3. Reg. cap. 22. dicitur diabolus; [Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omnium prophetarum.] Quod in prædicatoribus Caluinistis modò videtur, & ratione patet, quia cùm Ecclesia Dei sit vna, ab vno ore debet pendere, & ab illo accipere oracula fidei, non verò à priuato Spiritu cuiuscumque personæ, nam cùm Spiritus diuersorum sint varij, & contrarij, esset Ecclesia varia, & contraria.

Probatur deindè, quia in veteri Ecclesia in dubijs, & controuersijs recurrebant hæbræi ad vnum iudicem, vel aliquos authoritate illius iudicis constitutos, qui omnes controuersias definiebant; Et qui illius, vel illorum

rum iudicio non stabant, morte plectebantur. Deuter. 17. [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari: Surge, & ascende ad locum, veniesque ad Sacerdotes, qui fuerint leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit, quæresque ab eis, & facies quæcumque dixerint iuxta legem, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram, qui autem superbierit uolens obedire Sacerdotis imperio, decreto iudicis morietur;] ergo idem dicendum, & faciendum est in Ecclesia Christiana, vt omnes controuersiæ sopiantur.

Respondent Caluinistæ, Hebræos quæsiuisse à Iudice controuersias legales, non verò controuersias, & decisiones circa fidem. Sed contra, quia ad Summum Sacerdotem recurrebant etiam pro oraculis fidei, vt colligitur ex 1. Paralip. 19. Vbi Rex Iosaphat restituens supremum Concilium ait: [Vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus, ostendite eis. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester in his, quæ ad Deum, pertinent, præsidebit.] Vbi illa distinctio de lege, & cæremonijs, apertè indicat etiam ad Pontificem pertinere declarationem circa fidei oracula, quæ dicuntur lex, vel de lege, quia erant declaranda iuxta legem. Et illa verba, [in his, quæ sunt apud Deum] clarè indicant fidei oracula, quæ maximè sunt apud Deum. Et tempore Herodis orta controuersia circa patriam Messiæ sedata est ex dicto Pontificum. Matth. 2.

Opponunt primò illud Isaiæ 54. [Dabo vniuersos filios tuos doctos à Domino.] Quod citatur Ioannis 6. Sic: [Erunt omnes docibiles Dei:] ergò Deus ipse vnumquemque docet per internam illuminationem, & priuatum Spiritum. Respondetur, quod ista loca intelliguntur de Christo, qui cum esset verus Deus per se ipsum docuit homines; cùm enim prius loqueretur Deus [per prophetas, in diebus istis locutus est nobis in filio ad Hebr. 1.] Sic etiam intelligitur illud Ieremiæ, [non docebit vir vltra proximum suum, omnes enim cognoscent à minimo, vsque ad maximum.]

Opponunt secundò illud [1. Ioannis 1. Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus manete in eo. Respondetur, quod loquitur de hæreticis, scilicet Pseudoprophetis, qui non debent docere fideles, quos docet vnctio, siuè gratia, quæ est in Ecclesia, quam debent audire, ibi enim præmittitur, [quod audistis ab initio, in vobis permaneat.

Opponunt tertiò illud 1. Ioannis 1. [Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.] Et infra; [Qui credit in filium Dei habet testimonium Dei in se.] Respondetur, quod nomine testimonij intelligitur fides, quæ testificatur Christum esse Deum, & cætera mysteria: hæc autem fides debet esse proposita ab Ecclesia, vt sit catholica, vt iam diximus in tractatu de fide. Sed dicunt Caluinistæ, quòd ad sopiendas omnes controuersias fidei, quando sint aliquæ discordię debemus recurrere ad sacras Scripturas, non verò ad aliquod caput Ecclesiæ; ad huius resolutionem.

Quæres tertiò. Vtrùm sola Scriptura Sacra sufficiat, vt quilibet fidelis ex illa possit definire res fidei, sine alia Ecclesię authoritate? Affirmant Caluinistæ. Respondetur tamen negatiuè. Itaque Scriptura Sacra est regula, & norma rerum, quæ pertinent ad fidem; attamen, vt hæc regula explicetur, requiritur approbatio, & declaratio vnius capitis Ecclesiæ, vel aliquorum eius authoritate, & approbatione. Ita Catholici omnes contra Caluinistas.

Probatur 1. quia vt modò vidimus in veteri Ecclesia controuersiæ circa legem, quæ continetur in Scriptura sacra definiebantur per Sacerdotem, ergo idem dicendum, & faciendum est in Ecclesia. Secundò, quia etiam in ciuilibus datur lex, & datur iudex, nec sola lex dirimit lites sine iudice: ergo proportionaliter, & analogicè, in Ecclesia debet esse Scriptura, quæ est lex, & norma, & simul debet esse vnicus iudex, qui controuersias definiat iuxta illam regulam. Tertiò, quia in Scriptura sunt multa loca difficilia, & præcipuè illis, qui proteruè illam interpretantur iuxtà illud 2. ad Corinth. 3. [Vsque in hodiernum diem dum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum:] ergo requiritur vnus Doctor, vnus iudex, vnum caput, ex cuius ore istæ declarationes pendeant. Quartò, quia nemo potest declarare, & definire id, quod non intelligit, sed sola Ecclesia, prout subiecta vnico capiti intelligit Scripturas, vt patet Lucæ 24. [Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas] (ex speciali beneficio Christi) ergo ex sola definitione Ecclesiæ Scripturæ declarandæ sunt.

Opponunt primò illud Ioannis 5. [Scrutamini Scripturas; illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Et Isaiæ 8. Numquid non populus à Deo suo requiret pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium;] Quasi dicat quidquid requiritis, requirite à lege, & à testimonio, idest à Scripturis. Respondetur, quòd Scripturæ perhibent testimonium Dei media interpretatione Ecclesiæ sub capite, vbi res est dubia iuxta illud Lucæ 22. [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Et Lucæ 10. Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. Et illud Matth. 28. Euntes docete omnes gentes.] Hæc autem Scripturarum declaratio non accipitur ab homine, prout homo est præcisè, sed ab homine prout habet assistentiam Spiritus sancti, qui loquitur ore Pontificis ad definiendas res fidei iuxta illud act. [Visum est Spiritui sancto, & nobis.] Vaticinium Isaiæ nihil probat, dicitur enim quòd recurrant ad legem, & testimonium, & non ad Pythones, excludit ergo recursum ad Pythones, qui excitabant mortuos, vt responderent 1. Reg. 28. non ergo ad istos recurrere debebant, sed ad legem explicandam per summum sacerdotem, vt patet Deut. 17.

Opponunt secundò, quia Act. 17. dicitur de Beroensibus, [quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent:] ergo cùm Paulus ibi prædicaret Christum, illi scrutabantur Scripturas: ergo non recurrebant ad Paulum vt explicaret Scripturas; sed recurrebant

bant ad Scripturas, vt crederent Paulo; ac proinde scriptura est vltimus iudex fidei. Respondetur quod Beroenses recurrebant ad scrutinium scripturarum audito Paulo tamquam ad regulam, & stabant dictis Pauli tamquam iudicis, vnde à scripturis ad Paulum, & à Paulo ad scripturas recurrebant in diuerso genere causæ. Quomodo hic non detur circulus, iam vidimus.

SECTIO VII.

Ostenditur supremum caput Ecclesiæ Catholicæ esse Romanum Pontificem.

Vidimus Ecclesiam Catholicam habere vnum tantummodo supremum caput; videndum modò superest, quodnam illud sit?

Quæres igitur primò. Quodnam sit Ecclesiæ Catholicæ caput? Respondetur esse Summum Pontificem Romanum. Est de fide. Et probatur primò, quia Summus Pontifex Romanus est Vicarius Christi: ergo est caput vniuersæ Ecclesiæ. Patet antecedens, quia est successor Petri, qui fuit Vicarius Christi. Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Iam enim supra diximus, quòd in spiritalibus caput, & fundamentum sunt idem: & licèt aliqui interpretentur illa verba de ipso Christo, quòd scilicet ipse Christus sit petra, attamen etiam principaliùs intelliguntur de Petro, cui impositum fuerat nomen Cephas, idest petra; deinde quia Christus supra se iam ædificauerat Ecclesiam, quam ædificaturus erat supra Petrum: ergo dum ait [ædificabo Ecclesiam meam,] non loquitur de se, de se enim diceret ædificaui, vel ædifico; sed loquitur de Petro. Adde, quòd Petro dixit Luc. 22. [& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, & Ioannis 21. Pasce agnos meos, pasce oues meas. Et ita docent, & interpretantur communiter Sancti Patres. Ita D. August. lib. 1. retract. c. 21. D. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. Cyprian. in epistola ad Quintinum. D. Leo serm. 2. de Petro, & Paulo, & alij.

Probatur secundò, quia Pontifex Romanus est successor D. Petri: sed Petrus fuit caput vniuersalis Ecclesiæ: ergo Pontifex Romanus est caput Ecclesiæ. Probatur consequentia, quia Ecclesia etiam modò debet habere caput; nam ideò Christus constituit Petrum caput Ecclesię, ne portæ inferi præualerent aduersùs illam, illis temporibus; ergo ne præualeant his temporibus, in quibus est magis diffusa, eget capite, ne sit truncum illud corpus mysticum; si ergo Pontifex Romanus succedit Petro, succedit ei in ratione vnius, & supremi capitis.

Probatur tertiò, quia ad caput Ecclesiæ pertinet, congregare, & approbare concilia, definire res fidei, iudicare causas Ecclesiæ, quæ omnia fiunt, & semper facta sunt à Summo Pontifice Romano, vt patet experimento, & ex historijs, & Sanctis Patribus. Nam in Concilio Chalcedonensi Act. 10. damnatum est Concilium Ephesinum 2. eo quod non esset congregatum auctoritate Apostolica Romani Pontificis. Et S. Maximus epist. ad Orientales ait [omnes fines orbis, qui dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in Ecclesiam Romanorum tamquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt.] Et habetur cap. 2. d. 12. & cap. In primis 2. q. 1. & cap. Rogamus 24. q. 1. & cap. Sacrosancta d. 22. & cap. Ad Romanam 2. q. 6. Vbi Romana Ecclesia appellatur caput, & cardo omnium Ecclesiarum; & Romanus Pontifex caput omnium Episcoporum. Videatur Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 4. concl. 2. & 3. Arauioibi. q. 1. dub. 2. §. Dico quarto. Bellar. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 12.

Opponunt primò, quia Christus Dominus dedit æqualem auctoritatem, & iurisdictionem omnibus Apostolis. Nam quòd Petro dicitur Matth. 16. [quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cęlis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Idem dicitur cæteris Apostolis Matth. 23. Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cęlo, ergo Romanus Pontifex non est supremum caput ex eo quod succedit Petro, sed omnes alij, qui succedunt reliquis Apostolis sunt æqualiter capita.

Respondetur, quòd multa alia dixit Christus soli Petro, quæ non dixit alijs, ex quibus non illis tribuit esse caput totius Ecclesiæ. Soli Petro dixit, [Beatus es Simon Bar-Iona, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claues regni cœlorum. Matth. 16. & soli Petro dixit Luc. 22. Petre tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Soli Petro dixit Io. 21. Pasce oues meas. De his videatur latè Caiet. opusc. de Rom. Pont. à cap. 5. & deinceps.

Opponunt secundò, quia Petrus numquam fuit Romæ. vel si fuit, non ibi mortuus est, sed abijt exinde expulsus à Claudio, & Nerone, quibus obediuit, & obedire debuit, cum in sua canonica dicat; quod fideles sint subditi dominis suis etiam discolis. Confirmant, quia Petrus etiam habuit suam Sedem Antiochiæ; ergo Episcopus, vel Patriarcha Antiochenus est successor Petri.

Respondetur, quòd Petrus fuit Romæ, & ibi martyrium pertulit, vt iam supra tetigimus, & latè probat Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. à c. 2. & deinceps, venit ergo Romam, & ibi Sedem suam constituit, inde pulsus est à Claudio, & redijt tempore Neronis, quo tempore non erat Iudęis prohibitus ingressus vrbis, vt patet Act. vlt. nam Paulus ibi prædicabat Iudęis (neque Caluinus negat Petrum venisse Romam lib. 4. Instit. cap. 6.) ibique passus est sub Nerone. Neque Episcopus Antiochenus est successor Petri in primatu Ecclesiæ, quia illa fuit prima Sedes Petri, & Romana Sedes fuit, secunda & vltima, & principalis, quam sibi principaliter elegit; & constat ex cap. Rogamus 24. q. 21. De quo Bannes cit. §. Nec Motiua.

Opponunt tertiò, quia Romanus Pontifex est Antichristus: ergo non est caput Ecclesiæ Christianæ, sed Ecclesiæ Antichristianæ. Probant primò, quia hoc nomen Antichristus significat Vicarium Christi; iam verò Ponti-

fex Romanus appellatur Vicarius Christi. Secundò, quia Antichristus erit impudentissimus Daniel. 8. & talis est Romanus Pontifex. Tertiò, quia Antichristus extollit se supra omne, quod dicitur Deus 2. ad Thessal. 2. & talis est Pontifex Romanus, qui mutat, & innouat sacramenta pro sua libidine. Quartò negabit Antichristus Christum 1. Ioannis 2. & hoc facit Romanus Pontifex. His, & alijs similibus deliramentis Lutherus, Caluinus, Illyricus, & alij petulantes hæretici barbarizant.

Respondetur hæc omnia calumniosa esse, & inuerecunda, neque enim Romanus Pontifex est, aut esse potest Antichristus. Primò, quia Antichristus erit vnus tantùm homo; ita 2. ad Thessal. 2. [Reuelatus fuerit homo peccati filius perditionis.] Et Apocal. 13.] Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est.] Iam verò Summus Pontifex non est vnus tantùm, sed plures successiuè, quamuis Caluinus dicat impudenter nomen Antichristi non esse nomen vnius hominis, sed tyrannidis, & esse multò iuxta illud 1. Ioannis 2. [Audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt.] Hìc tamen loquitur de Antichristis, idest de omnibus hæreticis, non de illo Antichristo in fine mundi.

Secundò, quia Antichristus erit ex tribu Dan iuxta illud Genes. 49. [fiat Dan coluber in via, & Cerastes in Semita mordens vngulas equi,] & illud Ieremiæ 8. [A Dan auditus est fremitus equorum eius.] Quæ loca allegoricè interpretantur de Antichristo D. Hieronymus, & alij Patres, quos sequitur Maluenda lib. 2. de Antichristo cap. 14. licèt alij Doctores, dicant non posse id constare certò. Iam verò Romanus Pontifex non est ex Tribu Dan, vt clarè patet.

Tertiò, quia Imperium Antichristi per paucum tempus durabit. Danielis 11. [Stabit in loco eius vilissimus, & indignus decore regio, in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.] Et cap. 12. dicitur de regno eius, quod erit in tempus, & tempora, & dimidium temporis.] Vt enim D. Hieronymus interpretatur, per tempus intelligitur annus, per tempora duo anni, per dimidium temporis medietas vnius anni, proindeque Imperium Antichristi durabit per annum, per duos annos, & medietatem anni, scilicet per tres annos, & dimidium; Iam verò Romanorum Pontificum Imperium regnat, & durat per mille, & sexcentos, & vsque ad mundi finem perdurabit. Ex quibus breuissimè constat Summum Pontificem Romanum non esse Antichristum, & quæ contra illum objiciuntur mendacia esse procacissima, & hæreticales calumnias. Hæc breuiter de Antichristo; de quo iterum Deo dante, quãdo tractabimus de vltimo iudicio.

Ad deliramenta, quæ opponunt hæretici respondetur, quòd hoc nomen Antichristus non significat Vicarium Christi, sed contrarium Christi; [Anti] enim græcè significat contrarietatem, sic dicitur [Antipatia,] quasi contrarius affectus, nam inter duo contraria dicitur esse [antipatiam.] Adde quòd etiam si Antichristus significet Vicarium Christi, non sequitur Romanum Pontificem esse Antichristum, quia Antichristus sic appellaretur; sed non esset Vicarius Christi: at verò Romanus Pontifex sic appellatur, quia verè est Christi Vicarius, vtpote Petri successor, de quo nec ipsi hæretici dubitant fuisse Christi Vicarium. Neque Romanus Pontifex est impudentissimus, neque Sacramenta immutat, aut immutare potest, nec noua instituere, vt vidimus in tractatu de Sacramentis, neque negat Christum, imò negantes Christum post Baptismum, ferit censuris, & ante baptismum, missis prædicatoribus ad Christum adducere conatur. De his videatur latè Bellarminus citatus, & Arauio breuiter, Secunda secundæ q.1.art.10.dub.2.ad.3.

Quæres secundò. Vtrùm Summo Pontifici Romano conueniat de iure diuino esse caput Ecclesiæ Catholicæ? Suppono Summum Pontificatum esse de iure diuino, quod est de fide, constat enim Christum dedisse Petro Summum Pontificatum, & esse caput totius Ecclesiæ, illis verbis Matthæi 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et alijs citatis, vt modò vidimus, quia verò Petrus Romæ passus est, & ibi suam Sedem collocauit, in qua Pontifex Romanus ei succedit, & etiam ei succedit in Summo Pontificatu totius Ecclesiæ, quærimus modò vtrùm, vtrumque simul sit de iure diuino. Ad cuius maiorem explicationem.

Nota quòd D. Petrus habuit duo. Primò fuit Episcopus Orbis. Secundò fuit Episcopus Vrbis, scilicet Romanæ. Itaque Romanæ Ciuitatis fuit Episcopus, & Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ fuit etiam Episcopus, & caput supremum. Romanus Pontifex succedit Petro in vtroque, proindeque habet hæc duo coniunctim: Est Episcopus Orbis, & est Episcopus Vrbis. Quærimus ergo vtrùm hoc coniunctum, siue hæc coniunctio Episcopatuum sit de iure diuino in Pontifice Romano?

Bannes 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 4. §. pro meæ, & §. Ad primum, ad quod ista coniunctio non est de iure diuino, & solùm est de iure diuino, quòd sit caput, & Episcopus Orbis, non verò, quòd sit Episcopus Vrbis, quare ista duo coniunguntur accidentaliter: sic enim verificatur ista propositio [Episcopus Romanus est caput totius Ecclesiæ:] quomodo verificatur ista [album ædificat,] aut ista [coloratum citharizat.] Idem tenet Soto in 4. dist. 24. q.2. art.5.§. Vtrum.

Respondetur tamen hanc coniunctionem esse essentialem moraliter, & esse de iure diuino. Ita tenet Cano lib.6. de locis cap. 4. Driedo lib.4.de dogmat.& lib.Apocriph.c.3. p.2.Bordonus c.5. de Romano Pontifice, q.4. numer. 11. Caietan. tract. 3. de Summo Pontifice cap. 13. & probabilem putat Bellarminus citandus Arauio 2. 2.q.1. art. 10. q. item 1.dub.3.§.Probatur primò.

Habet hæc resolutio duas partes. Probatur prima, quia illa sunt essentialiter connexa, quorum vnum non potest sine alio intelligi, & multò minùs non potest ab alio separari: sed moraliter non potest intelligi Episcopus Vrbis sine Episcopo Orbis, nec Episcopus Orbis sine Episcopo Vrbis: ergo ista duo essentialiter moraliter sunt connexa.

Probatur maior, quia verbi gratia, character est de essentia Sacerdotis, quia non potest Sacerdos separari à charactere, nec character Sacerdotalis à Sacerdote, nec vnum intelligi sine altero. Ideo ius ad regnandum est essentialiter moraliter annexum Regi, quia nec potest ius separari à Rege, nec Rex à iure. Minor autem patet, quia qui audit Romanum Pontificem, statim intelligit, esse Episcopum Romæ, & Mundi: Romæ ex ipso nomine, mundi ex iurisdictione. Quare Clemens V. qui cum anteà esset Archiepiscopus Burdagalensis electus fuit in Summum Pontificem Romanum, & transtulit curiam in Galliam, non amisit Episcopatum Romanum, sed simul vtrumq; fuit, & Episcopus Vrbis, & Orbis, de mutationibus Apostolicæ Sedis ab Vrbe, videatur Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 4. à §. quod nihil.

Probatur secundò, quia illud est de iure diuino, quod à Deo donatum est: sed Christus, qui est verus Deus vtrumque dedit Petro, & Episcopatum Vrbis, & Orbis, ergo in Petro, & in eius successoribus, vtrumque est de iure diuino. Patet minor, quoad Episcopatum Orbis Matthæi 16. [tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Et ex alijs textibus, quos citauimus supra. Patet etiam eadem minor, quoad Episcopatum Vrbis. Ex [cap. Rogamus 24. quæst. 1.] Marcellus Papa scribens ad Antiochenos Episcopos sic loquitur de Sancto Petro: [Eius Sedes apud vos fuit, quæ postea iubente Domino Romam translata est.] Ergo si iubente Domino translata est Romam, de iure diuino, Romanus Pontifex est Episcopus Orbis. Et cap. Sacrosancta dist. 22. vbi dicitur [Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino, & Saluatore nostro primatũ obtinuit.]

Et cap. [Per venerabilem, qui filij sint legitimi] sic dicitur: [locus, quem elegit Dominus Apostolica Sedes esse cognoscitur: cum enim Petrus Vrbe fugiens exiuisset, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat reuocare, interrogatus ab eo, Domine quò vadis? Respondit venio Romam iterum, quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reuersus.] Ergo Sedes, & Episcopatus Vrbis collatus est Petro à Christo, proindeque illum obtinent successores Petri de iure diuino.

Oppones primò contra primam partem, quia D. Petrus priùs fuit Episcopus Orbis, quàm Vrbis: nam vbi primùm Christus ascendit in Cœlum, ipse remansit Episcopus Orbis, & post aliquot annos quando iniit Romam, & ibi suam Sedem constituit, cæpit esse Episcopus Vrbis: ergo bene datur, & intelligitur in Petro esse Episcopum Orbis, sine eo quod esset Episcopus Vrbis: ergo idem dicendum de successoribus, proindeque ista coniunctio in illis est accidentalis. Respondetur negando consequentiam. Discrimen est, quia ista coniunctio facta fuit ex voluntate Christi, qui priùs dedit Petro Episcopatum Orbis, quàm Vrbis, ac proinde in Petro bene intelligitur primum sine secundo, at verò successores Petri, habent istam coniunctionem ex voluntate Christi media successione: cum verò illi succedant Petro iam habenti illam coniunctionem, non possunt illam disiungere, nec dari, nec intelligi sine illa.

Non tamen negauerim, quòd ista coniunctio licèt sit essentialis moraliter, quo ad actum, quia actu non datur vnum sine alio: attamen quoad possibilitatem est accidentalis, quia potuit dari vnum sine alio, si verbi gratia, Christus Petro aliam ciuitatem assignaret pro sua Sede, vel nullam ei specialem assignaret, sed generale quoddam regimen ei tribueret, [Ita Caietanus Opuscul. de Romano Pontifice tract. 3. cap. 13. §. Ad huius.] Et hæc videtur sententia [Bannes citati] dum ait, quòd ista coniunctio ex suppositione est de iure diuino, non absolutè ita dicit, §. Dico secundò.

Oppones secundò. Petrus Antiochiæ Sedit, & postea Romam se contulit: ergo quilibet suorum successorum, nullo vetante diuino iure, videtur Sedem posse mutare. Ita arguit Soto citatus, addit tamen. [Hæc sic à me dicta sint, vt tamen semper Romanis pedibus meum submittam caput.] Respondetur, quòd Summus Pontifex potest mutare Sedem à Romana Ecclesia de facto, non de iure. De facto illam mutauit Clemens Secundus, & si Vrbs Romana (quod auertat Deus) ab hostibus fidei caperetur, de facto Pontifex mutaret illam Sedem: attamen non illam mutaret, nec posset mutare de iure, quia ius est diuinum, vt vidimus, proindeque quòcumque pergat secum defert ius illius Ecclesiæ.

Oppones tertiò contra secundam partem, quia illa historia Christi apparentis Petro, non habet tantam authoritatem, nec illo cap. per [Venerabilem] refertur vt Sacra, & quamuis esset vera, non exinde colligitur illam coniunctionem non posse seiungi. Respondetur, quòd illa historia habet magnam authoritatem, illam refert Ambrosius lib. 5. epistola. Ægesyppus lib. 3. de excidio. Et refertur dict. cap. per venerabilem tamquam vera, & ex illa manifestè colligitur datam fuisse Petro Sedem Romanam à Christo, ac proinde esse de iure diuino, ac proinde non posse Romanum Pontificem seiungere illam coniunctionem. Præcipuè, quia cap. Rogamus citato dicitur, quòd iubente Domino, Sedes Petri Romam translata est. Hæc iuxta communiorem sententiam, quæ tamen non est de fide, quia cap. per venerabilem, non definit, sed tantùm narrat, ita Bellarminus.

Caietanus tamen Opuscul de Romano Pontifice tractat. 3. cap. 13. Subtiliter ait in Episcopatu Orbis, & Vrbis non dari coniunctionem, sed identitatem, neque enim Episcopatus Orbis est coniũctus cum Episcopatu Vrbis quasi duo: sed idem Episcopatus Orbis, & Vrbis est vnus, & idem Pontificatus. Et probat primò, quia Petrus Romanam Ecclesiam euexit in Pontificatum, non alium, sed suum, quem secum vehebat, quia verò illam euexit in Pontificatum suum, Christo iubente, quando illi apparuit, hæc identitas est de iure diuino. Secundò, quia hæc identitas, & vnitas maximè congruit identitati Ecclesiæ Catholicæ. Tertiò, quia Pontifici Romano non dantur duo pallia, sed vnum tantùm: darentur autem duo, si haberet duos episcopatus, sicut dantur habentibus duos pontificatus, quibus debentur pallia. Hæc

opi-

opinio subtilissima est, & forsan verior.

Quæres tertiò. Vtrùm aliqui Episcopatus habeant sibi annexum Summum Pontificatum, siuè iurisdictionem supra totum Orbem? Ratio dubitandi est, quia ideo Episcopatus Vrbis habet annexum pontificatum supra totum Orbem, quia illa Sedes Romana fuit Sedes Apostoli Petri, qui fuit Pontifex supra totum Orbem: sed etiam episcopatus Hierosolymitanus, verbi gratia, fuit Sedes Apostoli Iacobi, qui cum esset Apostolus, habuit etiam pontificatum supra totum Orbem, omnes enim Apostoli habebant potestatem supra totum Orbem, iuxta illud Matthæi vltimo. [Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ:] ergo Episcopus Hierosolymitanus, cum succedat in Sede Apostoli, est Pontifex totius orbis: Eadem enim ratio in successione Pontificis Romani, & Hierosolymitani, & idem dicendum de alijs pontificibus, qui succedunt alijs Apostolis in suis sedibus.

Respondetur ad quæstionem nullam sedem præter Romanam habere annexum secum Summum Pontificatum totius Orbis, quia sola Romana fuit vltima Sedes Petri, cui Christus annexuit, vel quam Petrus euexit ad Summum Pontificatum ex mandato Christi.

Ad rationem dubitandi respondetur ex Caietano Opusculo de auth. Papę tract. 1. c, 3. [§. Et vt clariùs,] latum esse discrimen inter Sedem Romanam, in qua sedit Petrus, & Sedem Hierosolymitanam, verbi gratia, in qua sedit Iacobus. Nam Petrus accepit potestatem à Christo super vniuersum orbem, & in sua persona, & in suis successoribus: Iacobus verò, & alij Apostoli acceperunt potestatem in vniuersum orbem, tantùm in persona cuiuscumque Apostoli, proindeque Episcopus, qui est successor Iacobi, non est pastor vniuersalis, at verò successor Petri est vniuersalis pastor, & caput supremum. Adde ex Caietano eodem Opusculo tract. 13. cap. 14. [§. Adhuius] in fine, quia ex hac causa Sedes Romana solùm dicitur Sedes Apostolica, & Sedes Hierosolymitana non dicitur Sedes Apostolica: quamuis in illa sederit Iacobus Apostolus, quia verò hæc quæstio inuoluit tractatum de primatu Petri Apostoli supra cæteros Apostolos, de hac materia tractandum est sequenti Sectione.

SECTIO VIII.

De Primatu Petri inter cæteros Apostolos, & de modo, quo fuit illorum caput.

DVo præcipuè indaganda sunt. Primum est vtrùm Petrus fuerit caput Apostolorum, & inter illos habuerit primatum? Secundum est quomodo fuerit caput omnium Apostolorum? Quæ breuissimè tractabimus. De his latè Diana parte 9. de primatu Petri.

Quæres igitur primò. Vtrùm S. Petrus non solùm fuerit caput omnium hominum, sed etiam fuerit caput omnium Apostolorũ, & inter illos habuerit primatum? Negant Lutherani, & Caluinistæ. Et Rex Angliæ Henricus pagina 60. præfationis ait Petrum fuisse vnum ex primarijs Apostolis, & principem ordine, quia Petrum primum elegit Christus.

Respondetur ergo iuxta fidem, quòd Petrus fuit caput omnium hominum, & etiam omnium Apostolorum, & inter illos habuit primatum. Pro cuius rei declaratione notandum est ex Caietano, opusculo de Papa tract. 1. cap. 3. quod Apostoli dupliciter sumuntur; vel præcisè, prout sunt Apostoli, vel prout sunt oues Christi. His breuissimè prænotatis sit.

Prima Conclusio. Omnes Apostoli, in quantum Apostoli, fuerunt æquales inter se simpliciter; licèt aliqui essent principaliores secundùm quid, sicut Petrus fuit in ratione Apostolatus principalior, quia primò electus. Paulus quia electus à Christo iam immortali. Habet hæc conclusio duas partes; prima est quòd omnes Apostoli, vt Apostoli fuerunt simpliciter inter se æquales. Secunda est, quòd aliqui ex Apostolis habuerunt apostolatum digniorem secundùm quid. Vtramque docet Caietanus citatus. Latè, & doctè Diana part. 9. tract. de primatu Petri Act. 2.

Probatur prima pars; quia dignitas apostolatus consistit in missione, Apostolus enim est idem, atque missus: sed omnes Apostoli æqualiter fuerunt missi à Christo: ergo omnes sunt æquales vt Apostoli, & in dignitate apostolatus. Probatur minor, nam omnes fuerunt missi immediatè à Christo Luc. 9. [Conuocatis Iesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent, & misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.] Matthæi 28. Christus dixit Apostolis, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.] Et 1. ad Corinth. 12. Quosdam posuit Deus, primùm Apostolos, &c. & cap. Quorum vices] dist. 68. dicitur quòd Patres constituti sunt Apostoli. Videatur Theologus ad 1. Corinth. 12. Item idem confirmatur Matthæi 10. Marci 3. & Lucæ 6. Ioannis 20. [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.]

Probatur secunda pars, quòd scilicet, aliqui ex Apostolis fuerunt digniores secundùm quid, quia ad Galat. 1. dicitur, [Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis.] Vbi glossa interlinearis loquens in persona Pauli, [Digniùs me constituit per immortalem Christum, quàm alios per mortalem.] Et hæc est ratio, quare in bullis Pontificijs Paulus ad dexteram, & Petrus ad sinistram collocatur. Videatur Theologus citato loco ad Galat. 1. omissis alijs videatur Suarez lib. 3. de primatu Summi Pontificis cap. 11.

Secunda Conclusio. Apostoli omnes, prout erant oues, omnes erant subiecti Petro; ita vt Petrus esset omnium caput, Pontifex, & Pastor. Sic Caietanus citatus §. Si autem. Probatur, quia Ecclesia est vnum ouile Ioannis 10. ergo quotquot sunt in Ecclesia, sunt oues, excepto vno pastore Petro, cui soli di-

ctum est à Christo: [Pasce oues meas:] Ioannis 21. sed omnes Apostoli erant in ouili: ergo erant oues: ergo Petrus respectu Apostolorum erat pastor, & illorum caput. Soli enim Petro dictum fuit [tibi dabo claues regni cœlorum.] Matth. 16.

Oppones contra primam conclusionem; quia sicut ordo episcopatus fuit institutus à Christo, & tamen Episcopi accipiunt potestatem iurisdictionis à Papa, ita ordo Apostolorum institutus fuit à Christo, & tamen Apostoli acceperunt iurisdictionem à Petro, & ita tenet Turrecremata lib. 2. cap. 55. de Ecclesia. Respondetur, quòd ita potuit esse, sed re vera non fuit de facto, nam Christus de facto anticipate præueniendo id, quod Petrus postea facturus erat, si ordinario modo procederetur, dedit immediatè ipsis Apostolis iurisdictionem, quam acceperunt omnes immediatè ab ipso Christo. Hinc est, quòd deficiente Iuda, Petrus non elegit Matthiam, sed ab ipso Christo electus est, & per sortem, & ab ipso Christo accepit potestatem Actor. 1.

Oppones contra secundam, quia omnes Apostoli dicuntur Vicarij Christi in præfatione Missæ de Apostolis, [quos operis tui Vicarios eisdem contulisti præesse pastores:] ergo non sunt oues respectu Petri. Respondetur, quòd Apostoli sunt Vicarij, & æquales Petro in executione, non in authoritate regiminis, poterant enim exequi quidquid Petrus; sed non habebant æqualem authoritatem Petro, vt statim videbimus. Quare vt acutè aduertit Caietanus citatus, Apostoli dicuntur Vicarij operis, quasi Vicarij executionis; poterant enim erigere Ecclesias, excommunicare, docere sicut Petrus in toto orbe.

Oppones adhuc contra vtramque conclusionem, quia videntur pugnare inter se; nam si omnes Apostoli, vt Apostoli, sunt æquales, quomodo Petrus est omnium Apostolorum caput, & pastor? Quamuis enim Christus diceret Petro. [Pasce oues meas.] Matth. 16. hoc ipsum Ioannis 21. dixit alijs Apostolis, quod probatur, quia pascere tripliciter fit; primò doctrina; secundò vita; tertiò correctione. Hæc autem tria omnibus Apostolis dicta sunt. Primum Matthæi vltimo. [Docete omnes gentes.] secundum, Matth. 15. [Vos estis lux mundi.] tertium, Ioannis vltimo, [Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.]

Respondetur nullam esse repugnantiam inter vtramque conclusionem; nam omnes Apostoli erant æquales Petro, prout Apostoli simpliciter; at verò, prout oues, erant illi subiecti, & inferiores. Et quamuis alijs Apostolis dictum sit, quod sint pastores, non tamen illis dictum est sub illa generalitate, qua dictum est Petro; alij enim Apostoli erant pastores omnium, sed non erant pastores ad inuicem, neque enim Iacobus erat pastor Simonis, vel vice versa; at verò Petrus erat pastor omnium Apostolorum prout erant oues Christi, qui dixit Petro: [Pasce oues meas.] Vnde, inquit Caietanus [plus datum est per hæc verba Petro, quàm per quæcumque alia simul congregata cæteris.] Ex his. Colligit Caietanus citatus quinque differentias inter potestatem Petri, & aliorum Apostolorum. Prima est in modo dandi, & accipiendi, quia Petro data est ordinariè, quasi Vicario Christi ordinario; alijs autem ex speciali gratia, sicut, verbi gratia, Episcopo habent officium prædicandi, & fratres ordinis Prædicatorum habent etiam officium prædicandi, cum ad hoc instituti sint, sed est discrimen, quia Episcopi ex propria authoritate hoc faciunt; fratres verò prædicatores authoritate Papæ delegantis eis hoc officium, & exercitium prædicationis.

Secunda est in officio; quia Petrus factus est Vicarius Generalis Christi, alij verò facti sunt velut legati, & delegati iuxta illud 2. ad Corinth. 5. [Legatione pro Christo fungimur.

Tertia, quia potestas aliorum non erat adinuicem supra se ipsos, sed supra alios; potestas verò Petri erat super omnes alios, & etiam supra ipsos Apostolos, prout erant oues, iuxta illud Ioan. 21. [Pasce oues meas.] vbi ait Chrysostomus; [loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum.]

Quarta est in perpetuitate potestatis, quia aliorum potestas finienda erat cum ipsorum vita; quia data est eis pro personis proprijs, & non successoribus; at verò potestas Petri perseuerat semper, quia data est ei, non solùm in persona propria, sed etiam successorum.

Quinta est, quia alijs Apostolis data est potentia, siue authoritas exequutiua, vt scilicet exequerentur; at verò soli Petro data est authoritas præceptiua, siue dispositiua, vt posset præcipere, & disponere pro tota Ecclesia. Hæc ferè Caietanus.

Oppones vlteriùs, quia Paulus reprehendit Petrum, & in faciem ei restitit, ad Galat. 2. Reprehensio autem, vel est inter æquales, vel est superioris respectu inferiorum: Cum ergo Paulus non esset superior Petro, sequitur, quòd esset illi æqualis. Respondetur primò, quod erat illi æqualis, vt Apostolus, & erat ili subditus, vt ouis. Respondetur secundò, quòd Paulus tamquam par, & æqualis reprehendit Petrum, non in iurisdictione, aut potestate; sed in defensione fidei, & in hoc erat Paulus aliquo modo æqualis Petro, vt docet Theologus 2. 2. quæst. 33. art. 4. ad secundum. Respondetur tertiò, quòd illa resistentia Pauli ad Petrum non procedebat ex superioritate, sed ex familiaritate, vt eleganter dixit Tertullian. lib. de præscripr. contra hæretic. vbi ait; [cæterùm, si reprehensus est Petrus, conuersationis fuit vitium, non prædicationis.] Quare bene ait Suarez lib. 3. de defensione cap. 11. num. 20. si aliquis subditus, & familiaris Regis Angliæ ipsum reprehenderet, non ideo ille esset superior; sed amicus, sed familiaris, sed consiliarius; citatque locum citatum secundæ secundæ. Ex his patent, quæ obijci possunt. De hoc dicemus Deo dante in tractatu de legibus.

Quæres secundò. Quomodo Petrus fuerit caput omnium Apostolorum? Respondetur ex dictis, quòd erat caput institutum à Christo super omnes oues, inter quas præcipuè erant Apostoli, qui licèt etiam essent pastores, & patres Ecclesiæ, erant tamen oues Christi. Quare D. Hieronymus lib. 1. con-

contra Iouinianum; vocat Petrum caput Apostolorum. Et Eusebius Emissenus serm. de Sancto Ioanne Euangelista, ait: [Petrus est Pater pastorum, quia regit subditos, & prælatos; omnium igitur pastor est, quia præter agnos, & oues in Ecclesia nihil est.]

Quæres tertiò. Vtrùm omnes Apostoli acceperint potestatem immediatè à Christo, vel ab ipso Petro? Suppono, quòd duplex est potestas. Prima est potestas ordinis. Secunda est potestas iurisdictionis; hæc autem vel est solùm in foro interno, qualis est iurisdictio confessorum; vel in foro externo, qualis est iurisdictio iudicum, & prælatorum.

Respondetur ergo, quòd Apostoli omnes acceperunt vtramque potestatem immediatè à Christo Domino, & non à Petro. Probatur de potestate ordinis, quia omnes ordinati sunt Sacerdotes à Christo in cæna; & ibidem etiam in Episcopos; quod probatur, quia Iudas post cænam suspensus est, & iam erat Episcopus iuxta illud Actor. 1. ex Ps. 108. de Iuda; [Et episcopatum eius accipiat alter:] ergo in cæna, quando ordinatus est Sacerdos, ordinatus est Episcopus, & similiter alij Apostoli.

Probatur de potestate iurisdictionis, quia, vt vidimus, omnes Apostoli immediatè à Christo acceperunt potestatem docendi. Matth 15. potestatem illuminandi. Matth. 5. potestatem excommunicandi, & absoluendi Ioannis 21. In his autem habetur potestas iurisdictionis. Et colligitur ex Ioannis 20. vbi Christus dixit Apostolis, [Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.] Misit enim Pater Filium cum summa iurisdictionis potestate; Vnde D. Cyprianus lib. de vnitat. Ecclesiæ ait. [Apostolis omnibus post Resurrectionem suam, parem potestatem tribuit, & dicit sicut misit me Pater, & ego mitto vos.] De quo Caietanus citatus, & Bellarminus lib. 6. de Roman. Pontifice cap. 23. Victoria relect. 2. à num. 8.

Oppones contra primam partem; quia cap. Porro, dist. 66. dicit Anacletus sic. [Hierosolymitarum primus Archiepiscopus Beatus Iacobus, qui iustus dicebatur; à Petro, Iacobo, & Ioanne Apostolis est ordinatus: ergo Iacobus, & alij Apostoli acceperunt potestatem ordinis episcopalem, non in cæna immediatè ab ipso Christo, sed postea à Petro. Respondetur primò. Iacobus iam fuerat ordinatus à Christo inuisibili ordinatione, & consecratione in cæna; & postea fuit ordinatus à Petro, & alijs duobus vnctione, & sacratione visibili. Respondetur secundò, quòd illi tres Apostoli non ordinauerunt Iacobum, quasi ipse egeret illa ordinatione, quia iam erat ordinatus à Christo, sed ostenderunt alijs formam ordinandi Episcopum, quæ debet fieri per tres Episcopos, vt diximus agendo de ordine, & colligitur ex eodem textu vbi additur, [successoribus suis dantibus formam, vt non minùs, quàm à tribus Episcopis ordinatio celebretur.

Respondetur tertiò, quòd non ordinauerunt Iacobum in Episcopum, sed in Archiepiscopum, vt constat ex Textu. Respondetur quartò, quòd ordinauerunt, idest intronizauerunt Iacobum ad administrationem certi loci, priùs enim erat Episcopus sine titulo. Ita glossa ad citatum cap. Porro.

Oppones contra secundam partem, quia Petrus erat pastor, & caput omnium Apostolorum: ergo à Petro acceperunt potestates iurisdictionis, aliter læderetur authoritas Petri, nam à capite omnia dimanant. Respondetur, quòd in aliqua republica possunt fieri dispositiones dupliciter. Primo modo, ordinariè; secundo modo de speciali gratia principis; princeps autem in Ecclesia fuit Christus Iesus, qui ex speciali gratia, & beneficio anticipatè contulit suis Apostolis iurisdictionem, quam illis conferret Petrus via ordinaria; in illa autem præuentione, & gratia, non læsit Christus summam authoritatem Petri, quia Christus erat supremus princeps Ecclesiæ, & præcipuum caput illius; sicut non læsit Christus summam authoritatem Petri, dum ipse Christus per se ipsum alios Apostolos fecit Sacerdotes in cæna, & confessores post resurrectionem, & Sacramentum Confirmationis in die Pentecostes. Ita Caietanus opuscul. de authoritat. Papæ; tract. 1. cap. 3. §. Si autem.

Aduertit autem Victoria relect. 2. de potestate Ecclesiæ nu. 10. conclus. 4. quòd Apostoli non habuerunt potestatem ad omnes illos actus, qui specialiter spectant ad solum Pontificem, vt est congregatio generalis Concilij.

Quæres quartò. Vtrùm septuaginta discipuli acceperint immediatè potestatem à Christo, sicut cæteri Apostoli? Respondetur negatiuè, sed illam acceperunt à Petro immediatè. Ita Victoria relect. 2. de potest. Ecclesiæ conclus. 6. num. 12. Et probatur quia in omnibus locis, in quibus data est hæc potestas à Christo, non erant ibi septuaginta discipuli, imò & in cæna, vbi omnes Apostoli fuerunt ordinati Sacerdotes, & Episcopi, non erant discipuli: ergo non acceperunt immediatè à Christo, nec potestatem ordinis, nec iurisdictionis. Deinde quia ille Philippus, qui prædicauit Lamatanis Act. 8. & qui baptizauit Eunuchum, non fuit Philippus Apostolus, vt communiter tenent omnes cum Theologo in 4. dist. 2. quæst. 2. art. 4. ad. 1. licèt videatur docere oppositum in Ioannem cap. 12. lect. 3. sed fuit Diaconus, & videtur fuisse ex discipulis Christi; & tamen à Christo non acceperat potestatem episcopalem. Et septem Diaconi, qui electi sunt ad ministrandum mensis Actor. 6. creduntur fuisse de numero discipulorum, neque enim ad hoc eligebantur neophyti. Ex quibus colligitur, quòd tantummodo Apostoli immediatè acceperunt à Christo iurisdictionem, & ordines, vt vidimus.

Quæres quintò. Vtrùm Papa Successor Petri, mortuo Petro, fuerit superior ad Apostolos adhuc viuentes? Suppono primò, quòd Diuus Petrus mortuus est sub Nerone Imperatore, cui successit, vel Clemens, vel Linus, vel Cletus. De quo modò non disputamus, sed supponimus esse Clementem. Suppono secundò, quòd D. Ioannes Euangelista viuebat adhuc sub Domitiano Imperatore. Vnde viuebat Ioannes Apostolus, quando viuebat Clemens Papa, qui non erat Apostolus sed erat successor Petri; Quærimus modò vtrùm verbi gratia Clemens, qui erat tunc Papa, &

non Apostolus; esset maioris authoritatis, quàm Ioannes, qui erat Apostolus, & non Papa, vel vice versa?

Respondetur breuiter ex Caietano opuscul. de author. Papæ, cap. 4. §. ad authoritates, quòd habebant se sicut excedens, & excessum; nam Clemens excedebat Ioannem in authoritate regiminis Ecclesiæ, cum esset Vicarius Christi, vtpote successor Petri; at verò Ioannes excedebat Clementem in dignitate Apostolatus, & in authoritate scribendi libros canonicos, quòd non poterat Clemens; erant tamen pares in potestate executiua regiminis Ecclesiæ, quia Ioannes ex Apostolatu poterat exequi, quidquid poterat Papa. Ex his.

Colliges primò, quòd omnes Apostoli habebant authoritatem componendi sacros, & canonicos libros, & D. Petrus, qui erat Apostolus simul, & Papa maiorem authoritatem, & infallibilitatem saltem radicaliter, & fundamentaliter habuit, vt Apostolus in suis epistolis canonicis, quas scribebat vt Apostolus, quàm in suis definitionibus, quas statuebat vt Pontifex.

Colliges secundò, hanc potestatem scribendi libros canonicos modò non esse in Ecclesia, quæ nunc tantummodo habet authoritatem explicandi libros Canonicos iam compositos ab Apostolis.

Colligitur tertiò, non bene existimasse Gratianum cap. in canonicis dist. 19. decretales Pontificum esse libros canonicos, contra quem disputat Arauio, secunda secundæ quæst. 1. art. 10. qu. 3. dub. 2. §. [Hinc colligitur,] vbi etiam aduertit symbolum Apostolorum non esse scripturam Canonicam, quia non fuit scripta ab Apostolis tamquam à sacris scriptoribus.

SECTIO IX.

De electione Summi Pontificis Romani, qui est caput Ecclesiæ, &c.

IVxta datum ordinem hìc lect. 6. in principio tria agenda sunt precipuè. Primum, de illius electione; Secundum, de illius regimine; Tertium, de illius depositione, si incidat in hæresim, quod Deus numquam permittet. Præmissis igitur illis, quæ pertinent ad Summum Pontificem Romanum in generali, in hac sectione agimus de illius electione.

Quæres igitur primò. Vtrùm Summus Pontifex creaetur per electionem? Respondetur affirmatiuè, de quo extant plurima iura statim citanda; & constat, quia ab initio nascentis Ecclesiæ, ita factum est; & ratio suadet, quia cùm Summus Pontificatus non habeatur iure hæreditario, cùm Diuina, & sacra non traducantur per carnem, & sanguinem iuxta illud Matthæi 16. [Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis;] necesse est, vt ista creatio noui Pontificis fiat, vel per nominationem, vel per electionem, vel per miraculum: Sicut fuit electio Matthiæ. Actor. 1. Iam verò non debet ordinario modo fieri per miraculum, nam Deus non facit ordinariò miracula, quando est alia via ad eumdem effectum; nec potest fieri per nominationem, quia nominatio, vel fit à superiore, iam verò Papa non habet superiorem cap. vbi periculum, de elect. in 6. vel fit ab æquali, Papa autem licèt sit æqualis alteri Pontifici, non potest illum nominare, vt statim videbimus: ergo necesse est, quòd creatio Pontificis fiat per electionem.

Oppones, quia Reges semper nominant Episcopos; ita Rex Portugalliæ, & Rex Castellæ, & alij; & tamen isti Reges, neque sunt superiores, neque æquales Episcopis: ergò non est necesse, quòd nominatio fiat, vel à superioribus, vel ab æqualibus; sed sufficit quòd fiat ab inferioribus; in spiritualibus autem Reges sunt inferiores Episcopis. Resp. quòd duplex est nominatio. Prima est, quando ex ipsa nominatione statim datur iurisdictio nominato; & hæc nominatio, neque datur Principibus Portugalliæ, neque Castellæ; quamuis enim isti principes ratione iurispatronatus, & ex permissione, siuè ex concessione Summorum Pontificum possint nominare Episcopos in suis Regnis. Hæc tamen nominatio nihil valet, nisi à Summis Pontificibus confirmetur; omnis autem iurisdictio procedit ex confirmatione, & institutione Summi Pontificis, & nulla ex nominatione Regum. Itaque ista nominatio, quæ fit à Regibus respectu Episcoporum est designatiua, & propriè est præsentatio, præsentant enim, & designant Reges talem personam tamquam capacem talis Episcopatus; nominatio autem, quæ fit à Pontifice est collatiua; Nam Summus Pontifex nominando confirmat, & confirmando nominat, & nominando, ac confirmando confert tali nominato iurisdictionem, & illum instituit, & creat Episcopum. Quando autem dicimus quòd nominatio, vel est à superiore, vel ab æquali; loquimur de nominatione collatiua; non autem de nominatione designatiua; hoc enim potest fieri ab inferiori; & sic fit à Regibus, tamquam ab inferioribus dignitati Episcopali, quantùm ad spiritualia.

Quæres secundò. Vtrùm electio Summi Pontificis Romani pendeat ex confirmatione, vt sit valida? Respondetur negatiuè. Itaque vbi primùm Summus Pontifex Romanus canonicè est electus, nulla eget confirmatione, vt iurisdictionem suam exerceat supra totam Ecclesiam; absque aliqua confirmatione. Probatur, quia iurisdictio Summi Pontificis fit immediatè à Christo, vt supra vidimus; nam facta fuit immediatè à Christo, Petro, & eius successoribus: ergo vbi primùm talis persona electa est in Pontificem, iurisdictio ei confertur à Christo, ac proindè non eget alia confirmatione.

Oppones, quia quondam Summi Pontifices Romani non exercebant iurisdictionem in Ecclesiam, nisi essent confirmati à Romano Imperatore, vt constat ex antiquis historijs: ergò electio Summi Pontificis eget confirmatione. Respondetur (multis omissis) quòd hoc vsurpatum fuit tyrannicè, non iuridicè, & videtur hunc abusum traxisse originem ex schisinate, ad quod expellendum Romani Imperatoris auxilium, & brachium adducebatur, vt lites, & scandala electionum tolleret, & compesceret, sicut compescuit

sciuit Valentinianus inter Damasum, & Vrsicinum, & Honorius inter Bonifacium, & Eulalium, quorum authoritate Damasus, & Bonifacius confirmati sunt, & oppositores exclusi; quod tandem per aliquod tempus durauit absque vllo iure; quam Ecclesiæ captiuitatem deplorat D.Gregorius in Psalm.5. Pœnitentiali ad illa verba: [tota die exprobrauerunt mihi inimici mei.] Sed tandem libera semper fuit Ecclesia, quantùm ad ius in electione Pontificis absque aliqua dependentia ab Imperatoribus, aut Regibus.

Quod probatur euidenti ratione, nam electio Summi Pontificis est merè spiritualis, vt patet: ergò non potest confirmari à principibus sæcularibus. Nec dicas, quòd licèt non confirmetur, prout est Vicarius Christi, confirmabitur quatenus est Dominus temporalis, in illa parte Italiæ. Respondetur enim, quòd etiam est Dominus temporalis supremus, & princeps absolutus, proindeque nullius confirmatione eget. [Cap. Nullus laicorum dist.63.] Videatur Vasquez tom.3. in 3. partem disput.244. cap.3. §.Postremò.

Quæres tertiò. Quænam personæ quondam elegerint Summum Pontificem? Respondetur, quòd ex antiquis historijs constat Romanum Pontificem fuisse electum quondam à Clero, & populo; & colligitur ex cap. Nosse dist. 63. quod etiam obseruabatur in electione Episcoporum cap. Episcopos dist. 63. Non itaque populus eligebat, sed designabat aliquem, & forsan aliquos, ex quibus Clerus eligeret, quem reputant digniorem, vt colligitur ex citatis capitibus, & ex cap. cùm longè dist.63.

Oppones, quia cap. Adrianus 2. dist.63. Papa Adrianus concessit Carolo Magno ius, & potestatem eligendi Summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem: ergo electio Summi Pontificis ex concessione Adriani pertinet etiam ad Romanum Imperatorem; præcipuè, quia Adrianus ibi ait se concedere istam potestatem Imperatori, cum vniuersa Synodo. Respondetur primò (multis omissis, de quibus Azor. lib.4. Decalogi cap.2. §.Certè) Quòd istud caput Adrianus non habet integram auctoritatem, est enim desumptum à Sigiberto, qui Imperatorum partes agebat; de quo Baronius anno Domini 526. & 555. & præcipuè 774. à num.10. & 964. à num.22. Respondetur secundò, quòd etiamsi illa concessio esset vera, & legitima, illam tamen non acceptauit Carolus Magnus Imperator, vt ait, & arguit Albanus de Cardinalibus quæst. 11. ex eo quòd Stephanus Papa, qui post Leonem successit ab ipso Imperatore electus fuisset, quod tamen non constat: videatur Barbosa in collectaneis ad citatum cap. Adrianus. Adde, quòd Ludouicus filius Caroli huic concessioni renuntiauit. Cap. Ego Ludouicus, eadem distinctione, quòd si post ipsum aliqui Imperatores hanc potestatem eligendi Summum Pontificem, sibi vendicarunt, hoc fuit violenter, vel aliquo fucato prætextu, à quo non potuerunt sibi acquirere ius quantumcumque longissimi temporis.

Quæres quartò. Quænam personæ modò eligant, & habeant ius eligendi Summum Pontificem Romanum? Respondetur, quòd modò ius eligendi Summum Pontificem Romanum remanet apud Eminentissimos Cardinales, vt patet ex cap. in nomine dist. 23. & ex cap. licèt de vitanda de elect. & ex cap. vbi periculum, de elect. in 6. In istis enim capitibus datur forma Cardinalibus eligendi Summum Pontificem Romanum, circa quam formam electionis alij Summi Pontifices plura addiderunt; de qua re videatur Barbosa ad citatum cap. licèt de vitanda de elect. vbi affert omnia diplomata nouorum Pontificum circa Romani Pontificis electionem. In dicto autem cap. licèt de vitanda statuitur, vt electio Romani Pontificis fiat à duabus partibus Cardinalium, & in dicto cap. vbi periculum de elect. in 6. Statuitur locus, & tempus, in quibus dicta electio debet, & potest fieri; quòd postea à Summis Pontificibus declaratum est, & vt antiquiora omittamus, Paulus IV. protulit Bullam, quæ incipit cùm secundum anno salutis 1558. contra tractantes de elect. Summi Pontificis eo viuente, & inconsulto. Et Pius IV. in Bulla, quæ incipit in eligendis anno 1562. agit de exequijs defuncti Pontificis, & de potestate Sacri Collegij, & Officialium Romanæ Curiæ Sede vacante, & Gregorius XV. in Bulla, quæ incipit æterni Patris, anno salutis 1621. & Vrbanus VIII. Bulla, quæ incipit ad Romanum anno salutis 1625. circa electionem Romani Pontificis aliqua disponunt, quæ ibi videri possunt.

Quæres quintò. Vtrùm contra Summum Pontificem electum à duabus partibus Cardinalium, aliquid possit opponi? Respondetur negatiuè ex cap. licet de vitanda, de elect. vbi sic dicitur: [ille absque vlla exceptione ab vniuersali Ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus concordantibus electus fuerit, & receptus.] His tamen non obstantibus, potest contra illius electionem opponi crimen hæresis, vel simoniæ ex constitutione Iulij II. in Concilio Lateranensi sess.5. anno 1505. potest etiam contra illam opponi, quòd aliqui ex electoribus non essent Cardinales. Ita Abbas citato cap. licèt, & quod fuit per metum grauem facta electio, vt statuitur in Concilio Constantiensi sess.9.

Quare illa verba, quæ habentur in cap. licèt citato, vbi dicitur absque vlla exceptione; intelliguntur de illis, quæ ex iure canonico impedirent electionem verbi gratia, non potest excipi, nec opponi, quòd electus à duabus partibus Cardinalium sit laicus, sit excommunicatus, sit promotus per saltum ad sacros ordines; ista enim, & similia sunt impedimenta de iure canonico, quæ tolluntur per illud cap. licèt; at verò citata impedimenta hæresis, & violentiæ sunt de iure diuino, & naturali, & impedimentum simoniæ fuit de nouo appositum per præfatam constitutionem Iulij II. ac proindè possunt opponi.

Quæres sextò. Vtrùm electio Summi Pontificis possit fieri per sortem? Respondetur quòd loquendo de iure canonico non potest fieri per sortem, cum in cap. licèt de elect. & in cap. vbi periculum de elect. in 6. & in varijs Bullis præscribatur forma, & modus talis electionis, quæ debet fieri saltem à duabus partibus Cardinalium, & in cap. Ecclesia

sia de Sortilegijs prohibetur vsus sortium in electionibus ad dignitates spirituales.

Tota quæstio videtur esse. Vtrùm electio per sortem sit prohibita iure naturali, vel diuino? Azor in 4. præceptorum cap.5. lib.4. §. Exploratum, ait quòd ratio naturalis videtur præscribere ne electio Romani Pontificis fiat sorte, quia sors est ceca, incerta, & periculosa, ex qua indignus posset eligi. Si autem Cardinales eligerent tres Idoneos, adhuc non posset ex istis tribus vnus eligi per sortem, non ex eo, quòd ex ista electione orirentur simultates, vt ait Azor. sed ex eo quòd electio per sortem ex sua natura videtur potiùs per fortunam, quàm per prudentiam duci.

Et licèt Actor. 1. Matthias electus esset per sortem hoc fuit ex speciali miraculo, & reuelatione, posset tamen lis inter duos dirimi per sortem, de quo Sanchez lib.2.moral. cap.38. num.80.

SECTIO X.

De authoritate, quam habet Summus Pontifex super electionem Romani Pontificis.

QVæres primò. Vtrùm Summus Pontifex habeat authoritatem supra electionem futuri Summi Pontificis? Respondetur (multis omissis) quòd Summus Pontifex habet potestatem supra electionem futuri Summi Pontificis, Architectonicè, & regulatiuè; nam potest illam regulare, & eidem certas regulas quasi supremus Architectus præscribere, itaut talis electio irrita sit, & nulla, si illas regulas transgrediatur.

Probatur [ex Caietano tract. 2. de authoritate Papæ cap.22. §. Quoad secundam] vbi sic ait: [Papa ex eminentia potestatis curiæ, ac regiminis vniuersalis, potest de electiua potestate decernere, ipsamque sic dirigere, & ordinare, vt contrario modo faciendo, irrita sit in suo opere; & subiecto, vt patet in gestis ipsorum Pontificum, & obseruatione Ecclesiæ.] Et probari vlteriùs potest ex cap. [licèt de elect. & ex cap. vbi periculum de elect. in 6. & Clementina ne Romani de elect. & ex Bullis aliorum Summorum Pontificum, quas affert [Augustinus sect. præcedenti quæst. 4. de quo nulla potest esse dubitatio.

Tandem probatur, quia Christus constituit Ecclesiam tamquam corpus visibile: ergo eget capite visibili, quod est Papa: ergo cùm Papa sit mortalis, requiritur in Ecclesia potestas ad eligendum successorem; neque enim aliter prouideri potest de successore Petri humano modo, nisi per electionem, cùm hoc non debeat fieri per continuum miraculum, quod non fit ordinariè in illis rebus, quæ possunt alia via obtineri: Sed Papa est caput Ecclesiæ, & supra totam Ecclesiam; ergo architectonicè potest disponere, & regulare electionem, quam Ecclesia facit de Summo Pontifice, vel addendo, vel restringendo, vel prout sibi visum fuerit disponendo iuxta regulas prudentiæ, & iustitiæ.

Oppones: ergo si Papa moriatur, & nihil determinet, aut disponat circa electionem futuri Pontificis, non poterit Ecclesia eligere Summum Pontificem. Et confirmatur, quia supposito, quòd modò Cardinales sint electores Summi Pontificis, potest dari casus, in quo moriatur Papa, & simul moriantur omnes Cardinales grassante lue verbi gratia; ergo in isto casu cum deficiant electores, non poterit fieri electio, deficit enim architectura, & regulatio facta à Papa.

Respondetur, quòd in illo casu, potest Ecclesia eligere Papam quomodo sibi visum fuerit; ad hoc enim habet auctoritatem à Papa moriente, qui in hoc casu reliquit negatiuè auctoritatem Ecclesiæ eligendi Papam, non positiuè; supponimus enim, quòd Papa nihil positiuè disposuit circa istam electionem. Ita Caietanus opusc. apologetico de auctoritate Papæ cap.22. §. Quoad tertium.

Ad confirmationem respondetur, quòd in eo casu potestas eligendi Papam est in Ecclesia per viam deuolutionis, ad Ecclesiam enim deuoluitur illa potestas regulatiua, quæ est in Papa, & per quam Papa designauit Cardinales electores; vnde illis mortuis, Ecclesia designabit electores pro prima electione sequente. Ita Caietanus opusc. de auctor. Papę c.13. §. in casu. Quod optimè explicat idem Caietanus in apologia de auctor. Papę c. 22. §. quoad tertium. Videatur Vasquez tom.3. in 3.part. disp.244. cap.3. §. verùm, & Syluester verb. excommunic. 9. n. 2. vbi eligendus esset à Concilio, vel in periculo morę à Clero Romano, quod videtur desumi ex cap. si transitus dist. 79. non itaque deuoluitur potestas eligendi ad omnes personas Ecclesiæ, vt videtur imponere; Suarez de fide disp. 10. sect. 4. §. secunda. Sed ad Episcopos congregatos, vel si hoc esset moraliter impossibile ad Clerum Romanum.

Aduertendum tamen est, quòd si Papa aliter disponat de electione, non potest Ecclesia mortuo Papa diuerso modo disponere; verbi gratia Papa disponit, vt electio fiat à duabus partibus, non potest Ecclesia disponere quòd fiat ab vna, vel à tribus partibus. Ex quibus omnibus habetur, quòd potestas electiua est in Ecclesia secluso Papa, Ecclesia enim quando non datur Papa, eligit Papam; at verò potestas regulatiua, & architectonica est in Papa, ex cuius architectura, & regulatione dependet electio Papæ.

Quæres secundò. Vtrùm Summus Pontifex moriens possit nominare, & eligere suum successorem? Grauissima est hæc quæstio, in qua affirmant Victoria relect. de potest. Eccl. q.2. n.23. Martinus de Ledesma 2. 4. qu. 20. art.4. conclus.2. Vasquez tom.3. in 3. partem disp.244. cap.3. §. postremò, quod etiam tenet Suarez de fide tract.1. sect.4. num.16. non simpliciter, sed in aliqua vrgenti, & graui necessitate.

Negatiua tamen sententia, est longè probabilior, quam tenet Caietanus opuscul. de apologia Papæ cap.22. §. Quoad primum, & quoad secundum. Turrecremata de auctoritate Papæ tract.1. cap.13. & tract.2. cap. 21. Syluester verbo excommunic.9.n.3. Tiraquel. de constit. par.3. limit. 2. num.4. Azor lib.4. circa quartum preceptum cap.5. q. 3. Lauor.

varia-

variarum tom.1. fol.4.cap.3. Barbosa ad cap. si Petrus 8.q.1.& alij. Diana p. 10. resol. 4.

Probant Azor. & Suarez ex pluribus Canonistis, quia Papa non habet potestatem in perniciem Ecclesię; posse autem nominare, & eligere successorem in vita esset in perniciem Ecclesię, quia nominaret indignos, & consanguineos, & facilè eueniret, vt hereditate possideretur Sanctuarium Dei. Psal. 82. n.13. Hęc tamen ratio mihi displicet, certum enim est Summum Pontificem non posse errare in ijs, quę pertinent ad vniuersale regimen Ecclesię; iam verò nominare sibi successorem pertinet ad vniuersale regimen Ecclesię; successor enim esset vniuersalis rector Ecclesię; ergo in hac nominatione non potest Pontifex errare: sed per solum errorem inducitur pernicies Ecclesię;ergo ex hac nominatione nulla sequitur pernicies; proindeque corruit tota illa probatio.

Probatur ergo primò ex Caietano citato, quia electio Papę est factiua Papę, electio enim facit Papam; sed si Papa viuens nominaret Papam, illa nominatio esset in vi electionis; ergo faceret Papam: ergo essent duo Papę alter nominans, alter nominatus; sed hoc est impossibile, & contra ius diuinum, quod tantummodo constituit vnum caput, & contra ius naturale, quod etiam in vno corpore tantummodo constituit vnum caput: ergo Papa viuens non potest nominare, nec eligere sibi successorem. Aduerte tamen, quòd ista propositio; electio Papę est factiua Papę, non intelligitur efficienter quasi ipsa electio efficienter prębeat iurisdictionem Papę, quę illi confertur à Christo, sed intelligitur pręsuppositiuè, & dispositiuè, pręsupponitur enim illa electio, vt statim à Christo conferatur iurisdictio.

Confirmatur, quia si viuente Papa Cardinales eligerent futurum Papam; ista electio esset nulla ex iure diuino, & naturali, quia ex vna parte ista electio constitueret Papam; & ex alia parte non constitueret nouum Papam viuente adhuc Papa; sed nominatio facta à Papa viuente haberet vim istius electionis; ergo sicut ista electio Cardinalium esset nulla, ita etiam ista nominatio facta à Papa viuente, est nulla.

Respondet Suarez citatus §.contrariam, hanc rationem non esse efficacem, constat enim Christum Dominum potuisse potestatem Pontifici concedere, vt ipse designet personam, cui immediatè post mortem suam Christus ipse iurisdictionem Pontificiam concedat. Vnde verò non ita concessisse probabitur. Sed contra; & vnde probabitur ita concessisse? Non itaque negamus ita potuisse concedere; sed negamus ita concessisse, quod ipse Suarez non probat, nec potest probare. Et confirmatur, quia non potest negare Suarez, quòd electio facta à Cardinalibus, viuente Summo Pontifice esset nulla; & tamen neque nos possumus negare, quòd si Christus hanc potestatem tribueret electoribus, vt ipsi viuente Papa eligerent, & electus solùm esset Papa post mortem præcedentis, & viuentis Papæ, hanc electionem esse validam, quia hoc potuit Christus concedere;quia verò non constat hanc potestatem concessisse,ideo dicimus hanc electionem esse nullam: ergo idem dicendum de electione, & nominatione facta à Papa viuente.

Probatur secundò, quia Papa,& Episcopus habent se ad Ecclesiam, sicut vir ad eius vxorem cap.inter,& cap.licèt de transl.Episc. sed vir quamuis sit caput vxoris 1. ad Cor. 6. non potest alium virum nominare vxori suæ, quia mortuo marito illa soluta est à lege viri 1. ad Cor. 8. ergo nec Papa potest nominare sibi successorem.

Probatur tertiò, quia à tempore Christi vsque ad hæc nostra tempora nullus vnquam Pontifex sibi successorem nominauit, ex quo non leue sumitur argumentum hoc esse illicitum. Quare Paulus III. noluit sibi successorem nominare, quantumuis ad hanc nominationem illum induceret Card. S. Marci, qui tunc fuit Franciscus Pisanus Venetus Episc. Patauinus,ita refert Syluester Aldobrandinus in addit. ad cap.licèt de elect. & Barbosa cit.

Opponunt primò, quia D.Petrus adhuc viuens nominauit Clementem in suum successorem in Pontificatu, vt constat ex cap. si Petrus 8.qu.1.& testatur Ioannes 3. in epist. ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ cap. 2. ergo cùm reliqui Summi Pontifices habeant æqualem iurisdictionem Petro, poterunt, & ipsi nominare sibi successores,quod etiam constat ex cap. vnde; ibidem.

Respondetur primò, quòd de ista historia est maximum dubium, de quo Baronius to.1.annal.anno Christi 69. fol.680. & Caiet. cit. affert versum glossę dicentis de Clemente.

Disputat hoc mundus, quartus fuerit-ne secundus.

PRimus enim Papa fuit Petrus, & dubium est an Clemens fuerit secundus post Petrum, vel ante illum præcesserit Linus, & Cletus; nec dissentit, quod in canone Missæ dicitur: Lini, Cleti, Clementis. Sed dato hanc historiam esse veram.

Respondetur secundò, quòd D. Petrus elegit, & nominauit Linum, & Cletum, non in Pontifices, sed in suos adiutores, vt colligitur ex citato capite si Petrus,vbi sic dicitur; [Linus, & Cletus ministrabant exteriora; princeps autem Apostolorum Petrus verbo,& orationi insistebat.] At verò Clementem nominauit in successorem, non quasi nominatio Petri illum efficeret Papam, sed quia coram electoribus tractauit de Clementis futura electione, & testatus est Clementem esse dignissimum pontificatu, quod videtur colligi ex cap. vnde 8.q.1. vbi sic dicitur: [Petrus in ipsis diebus, quibus vitæ finem sibi præsentit, apprehensa manu mea (Clemens loquitur) repentè consurgens in auribus totius Ecclesię, hæc protulit verba; Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado, quem prę cæteris expertus sum Deum colentem, hominem diligentem &c.] Ecce quomodo D.Petrus in auribus totius Ecclesiæ testimonium perhibuit de Clemente, non quasi ipsum eligens in futurum pontificem, sed quasi testificans ipsum esse dignum tali electione, facienda postea per electores.

Neque obstat, quod ibi dicit Petrus

[Clementem vobis ordino, cui Cathedram trado.] Neque item obstat, quod dicitur cit. cap. si Petrus 8.q.1. vbi dicitur. [Petrus successori suo Clementi &c. qui potestatem pontificalem tradente sibi Petro tenere promeruit.] Non inquam obstat. Respondetur enim, quòd illa traditio Petri ad Clementem fuit mediata, scilicet media electione post mortem Petri. Quod probatur, quia si traditio esset actualis, & actualiter, sequeretur, vel quod Petrus viuens non esset Papa, tradita enim potestate Clementi ipse Petrus maneret sine potestate, ac proinde non esset Papa; vel quòd simul Petrus, & Clemens essent Papa, quod est impossibile, Ecclesia enim vnum tantùm potest habere Papam, sicut vnum caput. Necesse est ergo, quòd illa traditio non sit immediata, & actualis, sed mediata, scilicet mediante morte Petri; mediante autem morte debuit mediare electio. Omitto illud, quod aliqui dicunt Clementem renunciasse papatui, quia hoc exemplum esset perniciosum, iam enim dixi ex hoc nullam sequi perniciem Ecclesiæ, cum nec Petrus, nec eius successores in hac nominatione possent errare.

Opponunt secundò, quia Episcopus potest nominare sibi successorem, vt patet ex cap. petijsti 7.q.1. ergo idem dicendum est de Papa. Respondetur latum esse discrimen, damus enim antecedens dummodo à Papa non sit aliter dispositum, vt probat Martinus de Ledesma citatus, nam Episcopus habet iurisdictionem à Papa, & non fit Episcopus per electionem, aut nominationem, sed per confirmationem Papæ; hæc autem non datur nisi post mortem, vel renunciationem præcedentis Episcopi; iam verò electio, vel nominatio Papæ est factiua Papæ; proindeque implicat, quòd fiat vel à Papa viuo, vel viuo Papa. Imò sine licentia Papæ non potest fieri hæc nominatio, cap. Episcopo 8.q.1.

Opponunt tertiò, quia ista prohibitio est de iure Ecclesiastico, iam verò Papa est superior ad ius Ecclesiasticum, ac proinde potest in illo dispensare nominando successorem? Respondetur istam prohibitionem non solùm esse de iure Ecclesiastico, sed etiam de iure diuino, quòd vni Ecclesiæ constituit vnum tantùm pastorem, & de iure naturali, quòd vni tantùm corpori constituit vnum caput tantùm; essent autem duo pastores, & duo capita per istam nominationem, vt vidimus ex Caietano.

Opponunt quartò, quia Papa potest committere alicui, vt post mortem ipsius Papæ, illi eligat successorem, in hoc enim nulla est implicatio; & videtur iam concessum à Papa Adriano, Carolo Magno Imperatori, & à Papa Leone Othoni, vt colligitur ex cap. In Synodo d. 63. ergo etiam poterit nominare sibi successorem. Respondetur latum esse discrimen; nam in primo casu non est implicatio, quæ est in secundo, quia in primo non essent duo Summi Pontifices simul, quod esset in secundo; Papa enim concedendo alicui, vt post ipsius Papę mortem ipsi nominet successorem, nihil aliud facit nisi præbere ius, vt ille habeat suffragium circa electionem Pontificis.

Quæres quartò. An Papa possit papatui renuntiare? Respondetur quòd potest licitè, & validè, si se cognoscat tanto oneri minùs idoneum. Ita habetur cap. quoniam de renunt. in 6. Si tamen sit idoneus peccabit renuntiando, attamen valida erit renunciatio. Habet hæc conclusio duas partes. Probatur prima ex cit. cap. quoniam de renunt. in 6. Vbi dicitur, quòd Cœlestinus V. prædecessor Bonifacij VIII. decreuit posse fieri hanc renuntiationem, & ipse de facto papatui renuntiauit; imò & hoc creditur fecisse S. Clementem, & in vita S. Vrsulæ hoc refertur de Papa Cyriaco, de quo D. Antoninus 3.p. t. 22. c.4.§.2. & alij. & ratione patet, quia Papa habet supremam potestatem, neque cognoscit superiorem: ergo potest quidquid non repugnat supremæ potestati: sed ista renuntiatio non implicat vt patet, imò est illi conformis; ergo & validè, & licitè id potest, si adsit legitima causa. Probatur secunda pars, quia si non adsit causa, videtur quòd Papa renuntiando, vel refugeret onus quod poterat sustinere, vel se exhiberet mercenarium, & non pastorem: [Mercenarius autem, & qui non est pastor videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.] Ioan. 10.

Oppones 1. quia Papa habet se ad Ecclesiam, sicut vir ad eius vxorem; iam verò vir non potest dimittere vxorem dissoluendo matrimonium: ergo neque Papa potest renuntiare papatui dimittendo Ecclesiam. Respondetur quòd adhuc datur discrimen, quia vir, & vxor sunt æquales in vsu corporis, licèt vir sit caput mulieris 1. ad Cor. 6. iam verò Papa ita est vir, & caput, vt nullo modo Ecclesia sit æqualis Papæ, sed in omni sensu Papa semper est caput, & superior ad omnem Ecclesiam, habens supra illam omnem potestatem, ac proinde potest illam dimittere.

Oppones secundò, quia c. Admonet de renunt. habetur quòd renuntians debet renuntiare in manu superioris; iam verò Papa non habet superiorem; ergo non potest renuntiare. Respondetur quòd illud cap. intelligitur de renuntiantibus, qui habent superiorem; at verò Papa cum non habeat superiorem; potest renuntiare absolutè, neque necesse est, quòd renuntiet coram Cardinalibus, sed sufficit simplex declaratio voluntatis, ex qua constet ipsum esse priuatum administratione, ac dignitate. Ita Barbosa in collect. ad citatum cap. Quoniam de renunt. in 6. ex alijs.

Oppones 3. quia potestas Papæ est data à Christo; ergo à solo Christo potest tolli, & non à Papa per renuntiationem. Respondetur. Nego consequentiam, quia in naturalibus anima rationalis infunditur à solo Deo, & tamen tollitur ab homine per mortem, & gratia infunditur à solo Deo, & tamen perditur per peccatum.

Duo aduertenda sunt. Primum est, quòd etiamsi Papa ante iurasset se non renuntiaturum, poterat adhuc renuntiare, quia potest relaxare iuramentum. Secundum est, quòd per renuntiationem amittit iurisdictionem, non verò potestatem ordinis, verè enim remanet Episcopus, & conferet validè ordines &c. Ita communiter omnes, de quo Azor p.2. lib.4. cap.6. & Syluester verbo Papa n.3.

SE-

SECTIO XI.

De alijs pertinentibus ad electionem Summi Pontificis.

QVæres 1. Vtrùm si Cardinales electores compromittant, vt vnus illorum nominet summum Pontificem. Iste, in quo factum est compromissum possit nominare seipsum in Papam, & sit valida talis nominatio, siue electio? Respondetur (multis omissis) quòd si Cardinales electores in tali compromisso non excludant ipsammet personam, in qua factum est compromissum, tunc est valida talis nominatio, siue electio, sic Ioannes 22. se ipsum in summum Pontificem nominauit; si verò ex tali compromisso constet Cardinales electores in tali compromisso velle excludere ipsam personam, in qua fit compromissum, tunc talis nominatio, siue electio nulla foret. Et probatur, quia electio est apud Cardinales: ergo eo modo, quo ipsi faciant compromissum in electione, valebit electio; ergo si includant in electione ipsam personam, in qua factum est compromissum, valebit talis nominatio, & non valebit si illam excludant. Ita Azor p.2. lib.4. cap.5. qu.8. & alij, quod tamen intelligitur tantummodo de electione Papæ, nam in alijs electionibus, & nominationibus est nulla illa nominatio, qua aliquis nominat, siue eligit se ipsum. cap. qui episcopatum 8. qu. 1. semper enim debet esse distinctio inter dantem, & accipientem, vt colligitur ex cap. cùm ad nostrum de institut. & cap. ad nostras de iur. patronatus, & l. præter ff. de tutor. quare Ecclesiæ patronus non potest seipsum nominare. Et constat ex Seneca lib. de benefic.

Hæc autem intelliguntur, etiamsi ille, in quo factum est compromissum, iurasset se eligere digniorem in papam, & se intelligat meliorem; neque enim se ipsum debet eligere, nisi circa hoc sit expressa, vel saltem implicita electorum Cardinalium voluntas, vt colligitur ex Glossa cap. in iure de elect.

Quæres secundò. Vtrùm Papa necessario debeat eligi ex ipso collegio Cardinalium? Respondetur (multis omissis) quòd si in collegio sint digni, eligendus est ex collegio; si autem omnes essent indigni (quod numquam est credendum) eligendus esset extra collegium. Et probatur, quia semper eligendus est dignus. Et colligitur ex cap. in nomine d.23. & ex cap. oportebat d.79. & sic intelligendus est Soto lib.4. de iust. q.6. ar. 2. ad 5. & ita tenet Azor citatus q. 6. Suarez de fide disp.10. sect.4. num.19.

Oppones, quia semper eligendus est dignior; iam verò extra Collegium potest frequenter reperiri dignior. Respondetur quòd regulariter loquendo digniores sunt intra Collegium, tum quia habent maiorem experientiam circa regimen Ecclesiæ: tum quia in dignitatem Cardinalitiam assumpti sunt propter virtutum, & literarum notoria merita, proindeque semper Cardinales præcedunt, præcipuè si circa hoc est specialis aliqua dispositio.

Quæres tertiò. Vtrùm sit de fide hunc Papam numero, v. g. Alexandrum VII. esse verum, & legitimum Summum Pontificem, & caput Ecclesiæ. Suppono, quòd aliqua propositio, vel est de fide immediate, vel mediatè. Immediatè est de fide illa propositio, quæ vel habetur in Sacra Scriptura, vel est definita; Sic Deus est trinus: Christus est homo: Mediatè est de fide illa propositio, quæ colligitur tamquam conclusio Theologica ex aliqua propositione de fide. Sic se habet ista propositio: Christus est risibilis, quæ colligitur hoc modo; Omnis homo est visibilis. Christus est homo: ergo Christus est visibilis. Quærimus ergo vtrùm ista propositio Alexander VII. est Summus Pontifex sit de fide immediatè, sicut ista Christus est homo, an sit de fide mediatè, sicut ista Christus est visibilis.

Bannes 2.2. q.1. art.10. dub.2. §. Nihilominus Arauio, ibi Cano. 2. de locis cap.3. ad 10. Malderus disp. 5. de Summo Pontifice ad 4. tenent id esse de fide mediatè, & tamquam conclusio Theologica, ita vt oppositum sit temerarium, & erroneum.

Respondetur tamen, quòd ista propositio est immediatè de fide, ita vt qui illam negauerit cum pertinacia, manifestè sit hæreticus, postquam Papa pacificè acceptauit suam electionem, & ratione illius est acceptatus ab Ecclesia. Ita Cabezudo in addit. q.20. art.2. difficul.1. Valentia 2.2. punct.7. §. 38. Bellarminus tom. 1. lib.2. cap.12. Albertinus to.1. Corrol.3. ex 3. prim. Salmeiron lib.1. in epistol. Pauli disp. de Ecclesia, Suarez 1. 2. disp.5. sect.3. n.12. & alij, quæ est probabilior sententia.

Probatur quintò, quia Ecclesia ab isto Alexandro accipit oracula fidei, verbi gratia, Ecclesia credit aliquam propositionem esse de fide, quia est definita ab isto Alexandro: ergo de fide est illum esse Summum Pontificem, quomodo enim crederet illam esse de fide, si non crederet de fide illum esse Summum Pontificem?

Respondet Bannes citatus, [§. Quapropter; quod non est necesse, vt sit de fide hunc hominem esse Papam, quando definit, quia hoc se habet tamquam cōditio sine qua non, sicut quando aliquis prædicator fidem, prædicat apud barbaros, ipsi barbari possunt credere fide infusa Euangelium, & tamen non assentiunt ex fide infusa, quòd ille prædicator errare non potest.

Sed contra, quia illud est ratio formalis, quæ formalizat, siue dat formam rei; iam verò propositio de fide formalizatur, prout est de fide à definitione extrinsecè: ergo definitio ipsius est ratio formalis, & non tantùm conditio. Nec valet exemplum, nam prædicator non formalizat propositiones, quæ prædicantur, sicut definitio Papæ formalizat propositiones, quas definit. Et patet, quia ista propositio potest esse de fide, etiamsi non sit prædicata, attamen non est de fide nisi sit definita, vel à Sacro textu, vel à Papa, &c. saltem quoad nos.

Probatur secundò, quia ista propositio. Alexander VII. est Summus Pontifex est definita tamquam de fide; Sed propositio definita de fide est immediatè de fide: ergo ista est immediatè de fide. Probatur maior, quia Papa pacificè electus acceptat suam electionem: Sed per illam acceptationem ipso fa-

cto definit se esse Summum Pontificem; quid enim est acceptare pacificè Summum Pontificatum, nisi ipso facto dicere se esse Summum Pontificem? ergo illa propositio est definita. Huc pertinet D. Petrus Chrysologus serm. 74. ad illa verba Matthæi, [Angelus Domini reuoluit lapidem, & sedebat super eum.] Sic fatur Chrysologus, [& Angelo, quæ causa sedendi, cui nulla inerat lassitudo? Sedebat supra petram, vt soliditas Sedis daret credentibus firmitatem; ponebat Angelus supra petram fundamentum fidei, supra quam Christus erat Ecclesiam fundaturus, qui dixit tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] Hæc ille, ex quibus patet, quòd soliditas Apostolicæ Sedis dat credentibus firmitatem, vt ergo homines firmiter credant, necesse est, quòd etiam credant istum hominem solidè in petra sedere, & certò obtinere Pontificatum.

Potest tamen facilè conciliari vtraque sententia supponendo, quòd propositiones de fide, vel sunt de fide in se, vel sunt de fide quoad nos. Igitur ista propositio Alexander VII. est Papa, semper est de fide; attamen est immediatè de fide in se, & est de fide mediatè quoad nos. Habet hæc resolutio duas partes.

Probatur prima, quia illa est propositio de fide immediatè in se, quæ habet certitudinem infallibilem, & est in materia de fide: sed ita se habet ista propositio Alexãder VII. est Papa, ergo est de fide in se. Probatur minor, quia secundum se est infallibile illum esse Summum Pontificem, Deus enim hoc infallibiliter cognoscit, & ista materia est de fide, cũ sit definibilis, potest enim Papa hoc definire.

Probatur secunda pars, quia ista propositio deducitur per discursum Theologicum hoc modo; Est de fide quòd omnis, qui definit res fidei est Summus Pontifex: Sed Alexander III. definit, vel potest definire res fidei, ergo est de fide, quòd sit Summus Pontifex, ac proinde hæc propositio est mediatè de fide quoad nos, quia illo discursu eruitur à nobis confirmatur ex Theologo 2. 2. quæst. 1. art. 7. vbi ait quod articuli fidei temporis successione non creuerunt quoad substantiam, sed quoad maiorem explicationem, quasi dicat quoad nos.

Oppones primò, quia hęc propositio non est de fide; [Ista hostia continet Corpus Christi ostensa hostia, quæ reputatur consecrata: ergo nec similiter est de fide hæc propositio: Alexander VII. est Papa. Probatur consequentia à paritate rationis; nam ideo prima non est de fide, quia dependet à quadam propositione, quæ non est de fide, vt patet in hoc discursu, omnis hostia consecrata continet Corpus Christi: sed ista hostia est consecrata: ergo ista continet Corpus Christi, in quo discursu minor non est de fide, potuit enim Sacerdos habere intentionem non consecrandi, sed etiam secunda propositio dependet ab aliqua propositione, quæ non est de fide in hoc discursu, v.g. omnis, qui est legitimè electus est verus Papa: Sed Alexander VII. est legitimè electus: ergo est verus Papa. Ista minor non est de fide, quia possunt electores non esse legitimi, nec baptizati, potest ipse electus non esse baptizatus, nec est de fide illum, & illos esse baptizatos: ergo vtrobique eadem est ratio.

Respondetur primò, quòd ista propositio Alexander VII. est Papa, est de fide, secundùm se, & argumentum procedit quoad nos, neque necesse est, vt vtraque minor sit de fide, quia illa omnia non præsupponuntur, tamquam ratio formalis credibilitatis, sed tamquam conditio, sine qua non, sicut, v. g. non est de fide, quòd S. Dominicus fuerit homo, & tamen est de fide, quòd sit beatus, cum tamen solus homo, aut Angelus possint esse beati, non est de fide hunc libellum esse Bibliam Sacram, & tamen sunt de fide propositiones, quæ in illo continentur.

Respondetur secundò, latum esse discrimen, quia ista propositio, hæc hostia continet Corpus Christi non est definita, sicut est ista Alexander VII. est Papa, quam ipse Alexander definiuit pacificè acceptando papatum. Alij dicunt quòd Papa consequenter, vel concomitanter definit se esse Papam, quando exercet aliquam actionem, quæ est propria ipsius Papæ, v. g. quando canonizat aliquem Sanctum. Respondetur tertiò, quod nullum est inconueniens pro tota Ecclesia, quod ista hostia non contineat Corpus Christi, adoratio enim, quæ illi exhiberetur, esset idolatria materialis, non formalis; at verò ex eo quod iste non sit Papa, & hoc non sit de fide, sequuntur maxima inconuenientia pro tota Ecclesia, scilicet quòd propositiones, quas definit, non sint de fide, & quòd omnes Christiani sint dubij &c.

Oppones secundò, ergo si Papa non sit pacificè electus, nec pacificè acceptet suam electionem non erit de fide immediatè, quod sit Papa. Probatur sequi, nam ideo dicimus, quòd est immediatè de fide, quia ipse pacificè acceptauit: ergo si nõ pacificè acceptet nõ erit hoc de fide. Respondetur, quòd erit de fide in se immediatè, nõ verò quoad nos in illo casu.

Quæres quartò. Vtrùm hic num. Papa, scilicet Alexander VII. faciat quòd Ecclesia sit hæc numero Ecclesia? Sensus quæstionis est. Vtrùm quando Innocentius X. erat Papa, Ecclesia esset vna numero, & modò quando est Alexander VII. Ecclesia sit alia numero? Respondetur negatiuè. Itaq; Ecclesia semper eadem numero, quamuis militet sub hoc, vel illo Papa; quia indiuiduatur formaliter, ex hoc, quod est congregatio fidelium subdita successori Petri Romano Pontifici, quod autem sit hæc, vel illa persona, hoc materialiter se habet. Ita Bañes 2. 2. quæst. 10 dub. 2. [§. Verumtamen.] Et potest esse aliquale exemplum, fluuius, qui est idem numero, licèt fluentibus aquis.

Quæres quintò. Vtrùm aliquando generale Concilium possit Papam eligere? Respondetur, quòd potestas eligendi Papam est in solis Cardinalibus cap. licet de elect. & cap. Vbi periculum de elect. in 6. hoc tamen intelligitur, quando moritur Papa, & remanent Cardinales, sed extra istos terminos duplex est dubium.

Primum est, quòd si moriatur Papa, & non sint Cardinales, quia omnes mortui sunt? Respondetur, quòd si sit congregatum Concilium, vel facilè possit congregari, eligendus est à Concilio, scilicet ab Episcopis illius, Si autem nõ possit congregari, iam diximus sect. 10. q. 1. electionem posse fieri à Clero Romano.

Se-

Secundum est. Quid si Papa non moriatur, sed iudicetur hæreticus, & sicut hæreticus deponatur, & priuetur à Concilio, quis tunc eliget Papam, Concilium, an Cardinales? Respondetur (multis omissis; quòd Cardinales debent eligere Papam, nisi fortè essent suspecti de hæresi. Probatur, quia electio Papæ data est Cardinalibus; ergo si ibi adsunt Cardinales ipsi debent eligere. Ita tenet Albanus q. 35. Azor. p. 2. lib. 4. cap. 2. quæst. 13.

Oppones primò, quia cap. licèt, & cap. [vbi periculum] citata, quæ dant Cardinalibus potestatem eligendi Papam, loquuntur in casu mortis, vel renuntiationis, non verò in casu priuationis. Respondetur, quòd etiam priuatio est quædam mors ciuilis.

Oppones secundò, quod si duo contendant de papatu, vt dicitur in cap. si transitus, & cap. Si duo d. 79. ille præferatur, quem elegerit vniuersalis consensus. Respondetur, quod isti textus loquuntur de contendentibus post electionem, nos verò loquimur de illo, qui de nouo est eligendus in casu priuationis.

Oppones tertiò, quia Concilium deponit Papam hæreticum: ergo potest eligere Papam. Probatur consequentia, quia plus est deponere, quàm eligere; ergo si Concilium illud potest, potest, & istud, quia cui datur illud, quod est plus, datur etiam, quod est minus, [c. cui licet] de regul. iur. in 6. & [l. non debet] ff. eod. tit. & [l. nemo qui condemnare] ff. eod. tit. vbi permittitur potestas conferendi, cui datur potestas auferendi. Respondetur illa iura procedere, si potestas conferendi non sit in alijs; iam verò potestas eligendi, est in Cardinalibus, quia verò hæc res est dubia, & aliquibus videtur oppositum, ideo in Concilio Constantiensi, triginta ex Concilio, & simul omnes Cardinales elegerunt Martinum V.

SECTIO XII.

De regimine, & de illis, quæ pertinent ad regimen Summi Pontificis quantùm ad potestatem Spiritualem.

Post tractatum de electione Papæ agendum est de nomine. Igitur Summus Pontifex dicitur Papa, ab ista interiectione Papæ, quæ est administratiua. Debetur autem ei administratio, eo quod sit Vicarius Christi habens supremam potestatem. Cap. pro humani. de homic. in 6. & alibi, vel dicitur Papa, quasi Pater patrum. Ita Ioannes Andreas in prohemio Clement. de quo Siluester verbo Papa, quare dicitur ordinarius ordinariorum, Clement. 1. vt lite pendente, & cap. si à Sede de præbendis in 6. Et est Diœcesanus omnium exemptorum; de quo Tuschus lit. P. à conclus. 40. dicitur etiam Papa, quasi Pater patriæ. His positis.

Quæres primò. A quo die incipiat iurisdictio Papæ? Respondetur quòd illam habet à puncto completæ, & promulgatæ electionis, & patet quia habet iurisdictionem à Christo, quæ statim datur post electionem; Si verò electus non sit Episcopus, consecratur in Episcopum ab Episcopo Hostiensi, & ex tunc accipit potestatem ordinis; Vnde iuxta morem ante coronationem in literis ait, datis suscepti nostri apostolatus anno &c. & post coronationem ait datis &c. Pōtificatus nostri anno &c. Videatur Tuschus citatus cōclus. 67.

Quæres secundò, Quam potestatem habeat Papa ad exercitium sui regiminis? Respondetur, quòd habet plenitudinem potestatis. Cap. Qui se scit 11. q. 6. alij vero habent partem sollicitudinis ex Theologo in 2. d. 44. Vnde facit vnum Tribunal cum Deo. Abbas cap. licèt de elect. n. 9. Bordonus in Sacro Tribunali cap. 5. num. 7. & alij; quare Glossa cap. vnico de Sacrosanct. vnct. ait quod Papa non vtitur baculo, quia non habet ab homine potestatem.

Oppones, quia cap. [Ego Ludouicus, d. 63. dicitur Papa Vicarius Petri: ergo non est Vicarius Christi, ac proinde non habet plenitudinem potestatis. Respondetur, quòd dicitur Vicarius Petri, tantummodò in hoc sensu, qui gerit Vicariam, quam gessit Petrus. Ita Siluester verbo Papa num. 1. Ex hac ergo plenitudine potestatis prouenit, quòd omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac tandem omnibus superior sit, quod latè probat Azor. p. 2. lib. 4. cap. 14. & alij, & patet, quia cum sit successor Petri, Petro dedit Christus hanc potestatē super omnes, cùm omnes sint oues, & ipse solus supremus Pastor.

Quæres tertiò. Quotuplex sit potestas Papæ? Respondetur, quod generaliter est duplex, scilicet potestas Spiritualis, & potestas temporalis, quia cum potestas significatur nomine gladij iuxta illud ad Rom. 13. [Vis non timere potestatem bonum fac; si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat.] Ideo dicitur, quod Papa habet duplicē gladium. Ita cap. [Vnam Sanctam de maiorit. & obed. in extrauag. communibus. Et colligitur, quia ostendentibus Apostolis Christo duos gladios, non dixit ille nimis est, sed satis est, Matth. 26. & ratione patet, quia Ecclesia militans, & est spiritualis, & militat in tempore, & in mundo, vbi habet hostes: ergo eget duobus gladijs, altero ad spiritualia, altero vt se defendat ab hostibus temporalibus. Quare citata extrauag. [dicitur gladius materialis pro Ecclesia, & spiritualis ab Ecclesia exercendus.] Tuschus litera P. conclus. 48.

Opponit Caluinus lib. 4. instit. cap. 11. §. 8. quia Lucæ 20. dixit Christus Apostolis, [reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic.] Et Lucæ 12. [O homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos.] Et 2. ad Timot. 2. [Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus:] ergo implicat, quod eadem met persona Papæ sit simul princeps Ecclesiasticus, & temporalis, nec etiam in aliqua ciuitate, & multò minus, quod habeat vtrumq; gladium pro toto orbe.

Respondetur, quòd hoc non implicat, imò est necessarium, vt papa possit defendere Ecclesiam ab infestationibus temporalibus, quæ ob temporum peruersitatem, & hominum malitiam increscunt; necesse est ergo quòd Papa habeat etiam gladium materialem, non solùm pro toto orbe, medijs regibus, & principibus Catholicis, sed etiam sit rex, & prin-

ceps

ceps politicus immediatè pro aliquo statu orbis, quod etiam habent aliqui Episcopi, qui etiam sunt principes temporales pro aliqua ciuitate, vel ciuitatibus.

Neque loca adducta in contrarium aliquid probant, in illis enim tantummodo dicitur, quòd principes Ecclesiastici non sint Domini tyrannici, sed politici; Et ne ita vacent sæcularibus negotijs, vt spiritualia dimittant. Adde quòd in veteri lege principes politici erant Sacerdotes, & patet in Moyse, quia erat princeps, & iudex politicus, Exod. 18. & erat Sacerdos Leuitici. 8. consecrans Aaronem. Vnde D. Gregorius Nazian. in orat. ad Gregor. Nissenum ait; Moyses principum princeps, & sacerdotum sacerdos.

Sed ait Caluinus, quòd Moyses vtrumque habuit ad tempus, ac tandem dimisit Sacerdotium fratri suo Aaroni. Respondetur, quòd etiam simul cum Aarone erat Sacerdos, vt ait August. qu. 23. in Leuiticum. [Ambo Summi Sacerdotes erant Moyses, & Aaron.] Et patet, quia Moyses deposuit Aaronem, vt eius filium Eleazarum institueret Sacerdotem. Numer. 20. hoc autem faciebat, tamquam Sacerdos. Et patet etiam in Melchisedech, qui fuit Rex, & Sacerdos Genes. 14 in Heli 1. Reg. 1. & 4 in Machabæis. De quo Bellarminus lib. 5. cap. 8. de Rom. Pontific. cap. 9. & 10.

Cum ergo Papa habeat vtramque potestatem, siue vtrumque gladium spiritualem, & temporalem, de vtraque potestate regiminis hìc breuiter agendum est; & 1. de spirituali; 2. de temporali.

Quæres igitur tertiò. Ad quæ se extendat potestas spiritualis Papæ? Respondetur, quòd potestas spiritualis Papæ, vel est potestas ordinis, & hæc extenditur ad omnia illa, quæ sunt propria ordinis, scilicèt consecrare, ordinare &c. de qua nil est dicendum; vel est potestas iurisdictionis, & hæc cum in Papa sit plenissima ad multa extenditur. Extenditur ergo.

Primò, ad omnes illas dispensationes, & relaxationes, quæ non sunt contrariæ iuri diuino, aut naturali; de quo Syluester verbo Papa num. 16. vbi citat. & Tuschus citatus conclus. 69. Secundò, ad interpretandum, & explicandum ius diuinum. Tertiò, ad hoc vt ordinet fidei symbolum, ita Theologus 2. 2. quæst. 1. art. 10. Quartò, ad hoc vt congreget Concilium vniuersale. Quintò, ad hoc vt possit beatificare, & canonizare Sanctos, confirmare Religiones. Sextò, ad hoc vt possit condere nouas leges obligantes in conscientia, & etiam in foro exteriori, immutare imò, & tollere antiquas iuris Canonici, imò potest tollere totum ius positiuum. Tuschus liter. P. conclus. 49. Bald. consul. 447. Septimò, ad hoc vt possit abrogare, tollere, & corrigere ius ciuile; Syluester verbo Papa. n. 14. contra Ioannem Andream. Octauò, vt possit tollere; & immutare statuta Concilij generalis, ita Theologus opuscul. contra impugnantes relig. Nec obstat cap. contra 25. q. 1. Vbi dicitur, quòd Sedes Apostolica non potest aliquid immutare, aut condere contra statuta Patrum; intelligitur enim de illis statutis, quę decernunt aliquid esse de iure diuino, vt sunt articuli fidei &c. Adde alia eiusdem tenoris. Hæc breuiter circa leges. Nunc agendum de potestate Papæ, circa personas. Igitur circa personas.

Quæres quartò. Quid possit Papa, circa Paganos? Respondetur, quòd Pagani, vel possunt esse temporaliter subiecti Papæ, vel non; si sint illi subiecti temporaliter potest in illis, quidquid potest in reliquos vassallos temporaliter, exceptis eorum ritibus; si non sint subiecti, potest in illo exercere iurisdictionem, sicut Vicarius Christi, qui habet iurisdictionem in omnes, vnde si pagani habeant rerum iusta dominia, non potest Papa illa auferre sine causa spirituali, sicut ex iusta causa spirituali illa potest auferre à verè Christianis; nam ista dominia sunt quasi naturalia, quidam enim naturaliter sunt Domini, quidam naturaliter sunt serui 1. Polit. naturalia autem etiam apud Dæmones manserunt integra, vt supra vidimus. Vnde Papa poterit illos punire pœna pecuniaria, vel corporali (non spirituali) si delinquant in naturalibus. Ita Syluester verbo Papa. n. 7. Azor. citatus, & alij.

Quæres quintò. Vtrùm Papa possit cogere paganos, vt audiant prædicationem catholicæ fidei? Respondetur (multis omissis) quòd Papa tenetur mittere prædicatores ad omnes orbis partes, & prouincias iuxta illud Marci 16. [Euntes in mundum vniuersum predicate Euangelium omni creaturæ.] Si autem pagani principes expellant prædicatores, potest Papa illis indicere bellum, & illos impugnare, & expugnare, non vt fidem recipiant, sed vt fidei prædicatores non impediant, & illos audiant quotquot voluerint audire; illud enim esset cogere ad fidem, quod non potest fieri; istud esset dare exequutioni præceptum Christi Domini, qui ex eo quòd præcepit Apostolis, vt prædicarent vniuerso mundo Euangelium, ita ex consequenti præcepit omnibus, vt illud audirent.

Sed opponi Bannes 2. 2. qu. 10. art. 10. dub. 3. conclus. 3. & Suarez de fide disp. 18. lect. 2. num. 2. & 6. quia Papa non potest cogere infideles, vt credant: ergo neque vt audiant Euangelium, tum quia sequuntur inconuenientia in vtroque casu, orirentur enim maxima scandala; tum quia audientia est medium ad credendum; tum quia ipsi magis tenentur credere, quàm audire: ergo si non possunt cogi vt credant, neque vt audiant. Respondetur negando consequentiam concesso antecedente; latum enim est discrimen, nam Papa habet præceptum, vt pascat oues, & quòd prædicet Euangelium omnibus hominibus, vnde tenetur mittere prædicatores, qui non possunt prædicare nisi audiantur; non enim ait Christus. [Ite vt possitis prædicare;] Sed ait [euntes prædicate;] iubet ergo, vt de facto prædicent, & Papæ, de facto faciat illos prædicare, illi autem non possunt prædicare omnibus, si ab omnibus impediantur: ergo præcepit Christus Papæ, vt cogat omnes homines, vt non impediant illos, sed sinant illos prædicare, & audire, qui voluerint; non potest autem illos cogere, vt credant, quia fides debet esse voluntaria, & Papa non habet præceptum, vt faciat illos credere. De quo Thes. 2. 2. qu. 10. art. 8.

Sit

Sit exemplum, si aliquis Dominus præcipiat pastori vt pascat oues, pastor ex vi istius præcepti tenetur cogere, & compelle e oues, vt intrent in agrum, vbi sint herbæ, & pascua, & si nolint intrare tenetur baculo illas percutere vt intrent, quia hoc est illas pascere non tamen tenetur, nec potest facere, vt comedant, & satientur herbis, eodem ferè modo dicendum de Summo Pastore Pontifice Romano. Ex quibus cadunt, quæ opponuntur, & quæ opponi possunt. Videatur Theologus 2.2. qu.10. art.8. & omnes ibi, & sumitur ex cap. Qui sincera dist. 45. & cap. sicut iudæi, de Iudæis, & Saracenis.

Et vlteriùs probatur resolutio, quia omnes Doctores docent, quòd princeps sæcularis Christianus, potest cogere infideles sibi subditos, vt audiant Euangelium, sicut illos cogit, vt audiant leges politicas: sed omnes infideles sunt subditi respectu Papæ in ordine ad fidem: ergò Papa potest illos cogere, vt in suis prouincijs non impediant prædicationem fidei. Maiorem tenent Pesantius, Bannes citatus conclus.4. Suarez de fide disp. 18. sect.2. num.3.

Sed inquires quomodo debeat Papa mittere prædicatores ad infideles? Respondetur, quòd debet illos mittere, itaut prius inuitet, hortetur, & admoneat infideles, vel per se, vel per Christianos principes, vt prædicatoribus præbeant aditum, & tutam viam, nec impediant illorum prædicationem; quòd si infideles omnino nolint, & aliquem, vel aliquos prædicatores expellant violenter, & multò magis si illos percutiant, vel interficiant, potest Papa illis indicere bellum, & committere Christianis principibus, vt illos expugnent, & eorum prouincias, sibi subijciant in pœnam patrati sceleris, & ex eo, quòd prædicationem impediunt. De quo Suarez citatus sect.1. vt tamen inter Christianos principes conseruetur pax, potest Papa inter illos diuidere terras infidelium, quas subijciant sibi ob dictas causas, & ad illas ex suis regnis mittant prædicatores, quod & fecit Alexander VI. inter Reges Lusitaniæ, & Castellæ, quòd potuit facere, vt explicat Bellar. lib. 5. de Rom. Pontif. cap.26. §. vltimo.

Nec obstat, quòd Christus Dominus noluit punire Samaritanos, quia illum noluerunt recipere, Lucæ 9. & Apostolis suis dixit, [Si non receperint vos, neque audierint sermones vestros, excutite puluerem.] Matth.10. Respondetur enim, quòd initio nascentis Ecclesiæ voluit Christus omnia ex mansuetudine inducere, qua hominum animos alliceret, præcipuè, quia noluit Christus, vt tunc Apostoli exercerent temporalem potestatem puniendo; postea verò iussit, vt omnibus prædicarent, ac proindè, vt omnes facerent prædicationem non impedire.

Non tamen intelligo, quòd Papa potest compellere omnes, & singulas personas infidelium, vt audiant Euangelium; sicut videtur dixisse Ioannes Maior in 2. dist. 44. quæst. 2. Hoc enim non potest fieri, & in hoc sensu loquuntur Doctores oppositi, inter quos est Valentia tom. 3. disp. 1. quæst. 10. punct. 6. Sed sensus est quod Papa potest cogere infideles, vt dent locum prædicatoribus in suis Regionibus, & Territorijs; & vt illos liberè audiant quotquot voluerint audire. Si autem Vassalli principis infidelis velint audire prædicationem, & princeps infidelis illos impediat; vel si princeps infidelis velit audire, & vassalli impediant, impedientes possunt cogi; ita Suarez de fide disp.18. sect.2. num.8. licèt num. 6. dicat quod non possunt cogi ad audiendam prædicationem. Videatur Victoria relect. de Indis sect.3. num.12.

Quòd si adhuc opponas, quia infideles non sunt oues Christi, quia non sunt in ouili Ecclesiæ: ergò Papa non potest, nec tenetur illas pascere, cui solum dictum est: [Pasce oues meas] Ioannis 21. Respondetur, quòd infideles non sunt actu oues ex ouili Ecclesiæ; Sunt tamen, & debent in illud reuocari, sunt etiam oues Christi extra ouile, iuxta illud Ioannis 10. [Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.]

Quæres sextò. Quid possit Papa circa Iudæos? Respondetur, quòd potest circa illos, quidquid potest circa paganos, etsi sint vassalli potest illos cogere, vt obseruent, quæ canones disponunt circa Iudæos, nec censuris Ecclesiasticis, quibus non subjciuntur, sed pœnis corporalibus, imò potest cogere per censuras Principes Christianos, vt faciant seruare Iudæos illa, quæ circa illos disponit ius canonicum. Ita Syluester verbo Papa num.9.

Plura autem disponunt in iure circa Iudæos, quæ colligit Syluester verbo Iudæus. Breuiter. Primum inter Iudæos, & Christianos non debet esse nimia familiaritas. Cap. Nullus ex cap. omnes 28. quæst. 1. Nec simul frequentes comedere; ibi, nec simul lauari in balneo, ibi; nec Christianus vocet Iudæum ad medicinas; ibi. Secundum non potest Christianus relinquere in testamento aliquid Iudæis [Cap. sanè 2. quæst. 2. & cap. Si quis Episcopus de hæreticis, qui tamen textus solum loquitur de hæreticis, & paganis; & solùm intelligitur de communitate Iudæorum, non de singulis. Tertium non possunt Iudæi habere Christiana mancipia. [Cap. Iudæi 2. de Iudæus.] Quartum, non possunt mulieres Christianos nutrire filios Iudæorum in eorum domibus, nec illis ibi seruire. [Cap. Ad hæc de Iudæis.] Quintum, Iudæus potest esse Seruus Christiani, non viceuersa. [Cap. omnes 28. quæst. 1.] Sextum, possunt Iudæi, & Christiani communicare in mercimonijs. [Cap. Post miserabilem de vsuris.]

Prohibentur etiam Christiani multa facere Iudæis. Primò non debent illos cogere ad fidem. [Cap. Sicut de Iudæis.] Secundò non debent illos impedire ne celebrent suos ritus. [Cap. Qui sincera dist. 45.] de quo Theologus secunda secundæ quæst.10. art.11. dummodò nihil faciant in opprobrium Christi. Tertiò, non debent illos spoliare, nec mutilare, aut inuadere eorum cœmeteria sub excommunicatione. [Cap. Sicut, de Iudæis.] Quartò non debent in suis festiuitatibus trahi ad iudicia ibi, & l. die Sabbati, C. de Iudæis, & alia his similia, Souza lib. 1. Apho. cap.36. Sanchez lib.2. moral. cap.31.

Quæres septimò. Quid possit Summus Pon-

Pontifex circa Sacramenta? Respondetur ex dictis in tractatu de Sacramentis in specie agendo de singulis Sacramentis; non præsumitur, quòd vult derogare iuri alicuius tertij. Tuschus citatus conclus. 53.

Quæres octauò. Vtrùm Papa in aliquibus casibus habeat aliqua priuilegia, quæ illi soli sint reseruata in iure, itaut solus Papa, & nullus alius à Papa illa possit facere? Respondetur affirmatiuè. Ita cap. Ideò 2. q. 6. Speculator numerat octuaginta nouem priuilegia Summi Pontificis. Hostiensis numerat sexaginta, quæ inclusit viginti septem carminibus; illa affert, & explicat Azor. par. 2. lib. 4. cap. 20. Glossa cap. 1. & cap. [Quòd translationem, de translat. Episc. cap. & cap. Sicut vnire,] de excessibus prælatorum, numerat vndecim, quæ continentur hisce quatuor carminibus.

Restituit Papa solus deponit, & ipse
Diuidit, ac vnit, eximit, atque probat.
Articulos soluit, Synodumque facit generalem
Transfert, & mutat; appellat nullus ab ipso.

Quæ carmina sic explicat glossa ibi solus Papa restituit Episcopos depositos; Solus deponit Episcopos. Cap. accusatus 3. quæst. 6. Diuidit Episcopatus in duos [cap. præcipimus 16. quæst. 1.] Vnit duos in vnum. [cap. sicut vnire de excessib. prælat.] Eximit Episcopos, & Abbates, [cap. frater noster 16. quæst. 1.] Probat Concilia, & Scripturas aliorum, [cap. Damnamus de Summa Trinit, & cap. Sancta Romana dist. 16.] Soluit, idest explicat articulos fidei, [cap. quoties, & cap. quoniam vetus 24. quæst. 1.] facit Synodum generalem, [cap. 1. 2. & 3. distin. 17.] Transfert Sedem Episcopalem de loco ad locum, [cap. & temporis 7. quæst. 1.] Mutat Episcopos, [cap. mutationis 7. quæst. 1. & per totum titulum de translat. Episc.] Nullus appellat à Papa, [cap. cuncta 9. quæst. 3. & in Bulla cœnæ, Secunda excommunicatio imponitur appellantibus à Papa ad futurum Concilium, de qua [Souza in tract. de Bulla cœnæ disp. 20.] & deinceps. Hæc tamen omnia, & alia, quæ sibi reseruauit poterit committere alteri, vt dispenset ex commissione Papæ. Hæc breuiter de potestate spirituali Papæ; nunc agendum est de illius potestate temporali.

SECTIO XIII.

De potestate, siuè de gladio temporali Summi Pontificis Romani.

QVæres primò. Vtrùm Papa habeat iurisdictionem, potestatem, siuè gladium temporalem? Respondetur affirmatiuè, vt habetur ex cap. [vnam sanctam, de maiorit. & obed.] in extrauag. communibus, & docet D. Bernardus lib. 4. de consid.] quòd iam probauimus præcedenti sectione quæsito 3. Nec de hoc potest esse aliqua dubitatio, omnes enim Doctores id docent, licèt differant in modo talis potestatis, de quo statim. Hac autem potestas. Quartò non solùm in particulares terras ipsius Papæ, in quibus ipse est directè Dominus temporalis, sed etiam in totum Orbem, modo statim explicando.

Oppones, quia Clemens V. cap. [Meruit de priuilegijs in extrauaganti communibus;] reuocauit præcedentem constitutionem Bonifacij VIII. cap. vnam sanctam: ergò cum sit reprobata per illam nihil probatur. Respondetur, quòd non illam reuocauit; sed tantùm declarauit, quòd per illam non infertur præiudicium regibus (& præcipuè Regi Galliæ Philippo) qui verè sunt Domini in suis regnis, declarat ergo quod illa constitutio non subijcit reges, sed quod omnia sunt in pristino statu, modò statim explicando.

Quæres secundò. Quomodo Papa habeat istam potestatem temporalem? Duplex est sententia. Prima docet, quod Papa habet potestatem temporalem in omnem orbem, & est Dominus totius Orbis, & habet directè gladium temporalem tam in terras fidelium, quàm infidelium. Ita Hostiensis in cap. [quòd super his de voto, & voti redempt.] Panormitanus in cap. nouit de iudicijs, Syluester verbo Papa num. 10. & 11. vbi plura dicit de potestate Papæ in Imperatorem, & in Reges. Similiter verbo infidelitas, §. 7. & verbo legitimus, §. 4 de quibus ait Victoria relect. 5. de indis sect. 2. num. 2. §. Circa; esse vana, & absurda; ego à censura abstinerem.

Secunda sententia, quæ vera est, docet quod Papa habet potestatem, & gladium temporalem, & est Dominus ciuilis in vniuerso mundo, non quidem directè, sed indirectè in ordine ad spiritualia, idest quantum necesse sit ad administrationem rerum spiritualium. Itaque absolutè Papa non est Dominus totius Orbis per Dominum, & potestatem directam, sed indirectè in ordine ad spiritualia; quòd explicat Caietanus in tractat. de Apolog. Papa par. 2. cap. 13. ad 8. hisce verbis.

[Potestas Papæ (inquit Caietanus) directè est respectu spiritualium ad supremum simpliciter finem humani generis, ideò suæ potestati duo conueniunt; primò quod non est directè respectu temporalium. Secundò, quòd est respectu temporalium in ordine ad spiritualia; hoc enim habet ex eo, quòd ad supremum finem omnia ordinari debent, etiam temporalia, ab eo procul dubio, cuius interest ad illum finem omnes dirigere; vt est Christi Vicarius. Primum autem ex naturæ suæ potestatis consequitur, quòd vtrumque verè potest determinari de Papa, & quod habet supremam potestatem in temporalibus, & quod non habet supremam potestatem in temporalibus, quoniam vtrumque verum est ad sanum intellectum.] Hæc Caietanus, quæ verba optimè explicant modum huius potestatis.]

[Similia habet Victoria relect. de Indis sect. 2. §. Sed quia, & §. Tertia propositio, & relect. 1. de Ecclesia quæst. 6. Prima propositio;] & probat ex D. Bernardo lib. 2. de considerat. ad Eugenium Papam: vbi sic ait: [Dedit tibi sollicitudinem super Ecclesias, numquid dominationem mundi? ipsum audi

Pe-

Petrum non dominantes in clero, sed forma facti gregis &c. forma Apostolica hæc est; dominatio interdicitur, indicitur ministratio.] Hæc Bernardus. Libuit transcribere ista verba, vt de veritate nostræ sententiæ etiam per verba formalia apertè constet, est enim periculosa hæc materia, quæ nauigat inter potestatem Pontificiam, & regiam; & vt benè ait Azor. par.2. lib.4. cap.19. in principio. [In hac quæstione definienda, ità est cautè, & prudenter agendum, vt nec principibus christianis quidquam temerè derogetur; nec Pontificiæ authoritati à Christo Domino institutæ aliquid detrahatur.]

Igitur hanc sententiam tenet Theologus in 2. ad finem, vbi ait in Papa esse apicem vtriusque potestatis, & 2. 2. quæst.40. art.2. ait prælatos posse disponere de bellis solùm quatenus ordinantur ad bonum spirituale, quod est finis potestatis ipsorum. D. Bonau. lib. de Ecclesf.Hierarch.par.2.cap.1. Paludan. lib. de potest. Ecclesf. Soto in 4. dist. 25. q. 2. art.1. Bellar. lib.5. de Rom.Pont. à cap. 2. & deinceps, Bannes 2. 2. quæst.62. tract.de dominio quæst.4. dub.2. conclus.1.& 2.] & alij. Habet resolutio duas partes. Prima, quòd potestas temporalis Pontificis, non est directa; secunda quòd est indirecta.

Probatur prima, quia si Papa haberet hanc potestatem temporalem in totum mundum directè, vel illam haberet à Christo directè, & non constat, neque ex scriptura, neque ex traditione, quòd Christus illam tribuisset directè Petro; vel illam haberet ab ipsis populis, qui transferunt suam potestatem in Reges, & Principes, vt ab ipsis tamquam à supremis Dominis gubernentur; iam verò constat, quòd populi, nec fideles, nec infideles transtulerunt in Papam istam potestatem.

Deindè, quia principes non solùm christiani, sed & infideles sunt verè Domini, & habent potestatem in suos Vassallos, dominium enim fundatur in libero arbitrio, quod in illis inest, vt de Indis, barbaris probat Victoria relect. de Indis,& docuit Christus Dominus Luc. [Reges gentium dominantur eorum;] quę quidem potestas data est Regibus à Deo mediantibus populis, qui cùm sint liberi in illos transtulerunt dominium, iuxta illud Danielis 2. [Deus cœli dedit tibi regnum, & imperium.] Et Prouerb.8. [Per me Reges regnant. Sap.6. Audite Reges, quoniam data est à Domino potestas vobis.] (loquimur autem de principibus, & non de tyrannis infidelibus, qui absque iure occupant illas terras, quæ olim fuerunt christianorum) ergo isti habent directam potestatem temporalem in suis regnis: ergò cùm hæc potestas sit suprema, nullus alius habet super illos supremam potestatem directam. Quare cap. [duo sunt dist.96.] dicit Gelasius Papa; [duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.]

Tandem, quia si Papa haberet supremam, & directam potestatem supra totum Orbem: sequitur quòd Christus venit spoliare Reges à visis principatibus, & tribuere hanc potestatem Papę contra illud quod canit Ecclesia in Hymno Epiphaniæ.

Hostis Herodes impie!
Christum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cælestia.

Neque respondeas, quòd Papa habet hanc potestatem, tamen non illam exercet. Sed contra, quia in hoc quod illam haberet, licèt non exerceret, spoliaret Reges illisque inferret præiudicium in dominio directo suorum regnorum, quòd tamen negat Nicolaus in Epistola ad Michaelem, vbi ait: [Nolite præiudicium Ecclesiæ Dei irrogare; illa quippè nullum imperio vestro præiudicium infert. Et cap. per venerabilem; qui filij sint legitimi dicitur Rex superiorem in temporalibus neminem recognoscere.

Probatur secunda, quòd scilicet Papa habeat potestatem temporalem indirectam, & indirectam supra totū Orbem. Nam Papa habet supremam potestatem Spiritualem in ordine ad bonum Spirituale: ergo necesse est, quòd habeat omnem potestatem ad conseruandum, & promouendum bonum spirituale; sed aliquando Spiritualis boni conseruatio, & augumentum impeditur per res temporales, verbi gratia si aliquis Rex foueat hæreticos, & condat leges in fauorem vsuræ, vel simoniæ, vel furti: ergo necesse est, quòd Papa habeat potestatem, vt ista impediat non solùm per censuras, sed etiam procedendo contra Regem, vsque ad priuationem regni, & concedendo hoc ius alteri principi catholico, quæ temporalia sunt: ergò Papa habet hanc authoritatem temporalem indirectè, quia non dirigitur ad ipsum bonum temporale, sed dirigitur, & deducitur ad bonum Spirituale. Hæc autem potestas temporalis indirecta Papæ oritur ex potestate Spirituali directa; Sicut passio à subiecto, verbi gratia risibilitas ab homine.

Oppones primò contra primam partem, quia Psalm. 23. dicitur: [Domini est terra, & plenitudo eius;] Sed Christus reliquit Papæ hanc potestatem, & dominium super terram: ergo Papa est Dominus totius terræ. Respondetur, quòd Domini est terra, qui tamen non reliquit hoc dominium Papæ; de hoc enim non constat, nec per traditionem, nec per sacram Scripturam, tantummodò enim dixit Petro: [Pasce oues meas,] quod significat potestatem Spiritualem directè, & temporalem indirectè; pascuntur enim oues Christi per fidem, & per leges impedientes peccata, quod totum pertinet ad potestatem spiritualem directam; quia verò necesse est, vt hæc spiritualis potestas obfirmetur, & non impediatur per temporalia, ideò Christus ad firmandum, & non impediendum hæc spiritualia reliquit Petro hanc temporalem potestatem directam, & indirectè, qua spiritualis illa potestas conseruaretur, & incresceret.

Oppones secundò, contra secundam partem, in qua dicitur, quòd Papa habet in omnem Orbem potestatem indirectam: & probatur contra; nam si Papa habet potestatem directam Spiritualem, sequitur viceuersa, quòd Reges habeant potestatem directam temporalem, & potestatem indirectam spiritualem, eadem numero est ratio; sicut enim Papa ad conseruandam, & augendam pote-

statem spiritualem, in qua est Supremus Dominus, & quam habet directè, habet etiam potestatem temporalem indirectè; ità etiam Imperator, vel Rex, qui habent temporalem potestatem directè, ad illam conseruandam, & augendam habebunt potestatem spiritualem indirectè.

Respondetur primò latum esse discrimen, nam potestas temporalis cum sit inferior subijcitur, & dirigitur ad spiritualem, quæ est superior; & potestas spiritualis, quæ est superior non subijcitur, nec dirigitur ad temporalem, quæ est inferior; vnde Papa, qui habet directè potestatem spiritualem, ad illam conseruandam, & augendam necesse est, quòd habeat potestatem temporalem indirectè; Reges verò, qui habent directè potestatem temporalem, non habent, nec habere possunt potestatem spiritualem, nec indirectè, tùm quia sunt sæculares, quibus non competit iurisdictio spiritualis, tùm quia non debet ordinari, nec dirigi potestas spiritualis ad temporalem.

Neque vrgeas, quia sæpè fulminantur censuræ contra illos, qui furati sunt aliquam pecuniam, & Papa in Bulla cœnæ excommunicat, 20. excommunicat omnes, qui præsumunt occupare terras Ecclesiæ, in quibus ipse Papa est Dominus temporalis; censura autem est à potestate spirituali: ergò potestas spiritualis ordinatur ad conseruandam potestatem temporalem. Respondetur enim, quòd censuræ, quæ procedunt à potestate spirituali fulminantur contra furtum pecuniæ, & contra occupantes terras Ecclesiæ, quatenus ista furta sunt etiam peccata mortalia, quæ impediunt bonum spirituale, scilicet gratiam, & æternam salutem. Et vt aduertit Caietanus in summa verb. excomm. cap. 17. materia illius excommunicationis in Bulla cœnæ est sacrilegium, quo offenditur Sedes Apostolica in suis locis, ac terris. Vndè non ordinatur potestas spiritualis ad temporalem, sed ad bonum spirituale, quale est auferre peccata, & sacrilegia.

Respondetur secundò ad argumentum, quòd aliter habet Papa iurisdictionem, & potestatem, & aliter illam habent Reges; nam Papa habet iurisdictionem spiritualem immediatè à Christo in illis verbis Io. 21. [Pasce oues meas.] Christus autem cum sit verus Deus potuit Papæ conferre vtramque iurisdictionem spiritualem, & temporalem, & de facto vtramque illi contulit, illam directè, istam indirectè modo explicato; at verò Reges habent suam potestatem temporalem non collatam immediatè à Deo, sed à populo, & communitate, quæ in Regem transtulit potestatem, quam in se habebat, leg. 1. ff. de constit. princip. vbi sic dicitur de Imperatore; [quia lege regia, quæ de eius imperio lata est, populus ei, & in eum omne suum imperium, & potestatem transtulerit,] & l. 2. §. Nouissimè, ff. de origine iuris assignatur ratio sic; [euenit, vt necesse esset Reipublicę per vnum consuli,] & statim additur. [Igitur constituto principe datum est ei ius, vt quod constituisset ratum esset,] & docent communiter Doctores. Caietanus in apologia de Papa par. 2. cap. 10. Soto lib. 4. de iustit. q. 2. art. 1. & q. 4. art. 1. Molina tract. 2. de iust. disp. 21. Suares lib. defensionis cap. 1. num. 10. & desumitur ex Theolog. 1. 2. quæst. 90. art. 3. & quæst. 97. art. 3. & 2. 2. quæst. 10. art. 10. (De solo enim Dauid, & Saule tenent Soto citatus, & Nauarrus in cap. nouit., nota. 3. num. 33. accepisse potestatem immediatè à Deo; licèt Suario videatur cap. 3. citato lib. quòd fuerunt designati à Deo, & acceperunt potestatem à populo, iuxta illud Deuter. 28. [Regem tuum, quem constitueris super te] quidquid in contrarium scribat absque fundamento Rex Angliæ Iacobus.

Cum igitur Reges accipiant potestatem immediatè à populis, planè infertur, quòd tantùm ab illis possunt accipere potestatem temporalem directam, & nec indirectè spiritualem, hæc enim immediatè tribuitur à Deo, vt ab Authore spiritualitatis. Ex quibus patet solutio ad argumentum. Nec obstat, quòd in sacro textu sæpè dicitur, quòd Deus dat potestatem Regibus, Prouerb. 8. [Per me Reges regnant;] & alibi; intelligitur enim quod Deus dat potestatem Regibus, non immediatè per se ipsum, sed mediantibus populis, qui Reges eligunt, quòd apertè colligitur ex sacro textu Ioannis 19. dixit Christus Pilato; [Non haberes potestatem aduersùs me vllam, nisi tibi datum esset desuper.] Vbi ait, quòd potestas Pilati est illi data à Deo desuper, non tamen immediatè à Deo, sed mediante Cęsare, constat enim Cęsarem misisse Pilatum procuratorem Iudeæ Lucæ 3. Anno 15. imperij Tyberij Cęsaris procurante Pontio Pilato Iudæam.

Oppones tertiò, quia si Papa haberet aliquod dominium potestatiuum, vel potestatem dominatiuam maximè esset in Ecclesiasticos, sed hanc non habet, iuxta illud 1. Petri 5. [Pascite gregem Dei, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis:] ergo non habet potestatem dominatiuam. Respondetur, quòd Papa est Dominus, & habet potestatem dominatiuam non despoticam, siuè tyrannicam, sed politicam, & sic intelligendus est ille textus, quòd scilicet Prælati non sint Domini per tyrannidem, sed per mansuetudinem christianam. Caietanus autem ibi per cleros non intelligit illos, quos appellamus clericos, sed omnes christianos ad diuinam sortem ascitos, clerus enim significat sortem.

Ex his patet esse nefandam heresim Caluini lib. 4. inst. cap. 11. & aliorum hæreticorum, qui negant Pontifici omnem potestatem temporalem, & dicunt non illam posse exercere in reges, nec etiam in ordine ad spiritualia, & quod nec Prælati Ecclesiastici possunt habere temporale dominium super aliquas ciuitates. Ad cuius rei maiorem explicationem sit.

SECTIO XIV.

De alijs pertinentibus ad potestatem temporalem Summi Pontificis.

QVæres primò. Vtrùm Papa sit Dominus, & habeat potestatem temporalem directam,

ctam, & directè saltem supra Orbem christianum? Respondetur negatiuè, eadem enim ratio militat, quæ in præcedenti sectione respectu totius Orbis, & tenet Bellarm. lib. 5. de Roman. Pontifice cap. 3. & patet, quia in christiano Orbe extra patrimonium Ecclesiæ, non illam exercet Papa, nisi in aliquibus casibus, in quibus periclitatur bonum spirituale. Quod Innocentius III. loquens de Christianissimo Regno Franciæ dixit, in cap. [per venerabilem, qui filij, &c. Non solùm in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem) verùm etiam in alijs regionibus, certis causis inspectis temporalem iurisdictionem casualiter exercemus, non quòd alieno iuri præiudicare velimus.] Vbi glossa infert, quòd Papa non est ordinarius, quoad temporalia.

Opponcs, quia populi christianorum non possunt deponere Reges tyrannos vel ex intrusione, vel ex regimine, nisi ex consensu, & approbatione Papæ; ergo signum est quòd Papa habet directam potestatem in Regna Christianorum, quę dicuntur Orbis Christianus. Probatur antecedens ex cap. Alius 15. quęst. 6. vbi Proceres Galliæ abstulerunt à Childerico Regni administrationem, non nisi ex authoritate Papę Zachariæ, illam in Pipinum transtulerunt. Et cap Grandi, de supplend. negl. prælat. in 6. Populus Portugalliæ non deposuit Sancium Capellum, nisi ex authoritate Innocentij IV. qui ei in coadiutorem assignauit Alphonsum eius fratrem comitem Poloniæ, de quo etiam sunt alia exempla.

Respondetur, quòd populi Christiani possunt deponere Reges tyrannos, si ad hoc habeant opportunitatem, absque aliqua authoritate externa; & patet, quia quando transtulerunt in Reges dominium, gubernium, & potestatem actu; tamen in habitu saltem interpretatiuè illam sibi reliquerunt, vt illam possint reassumere quoties Rex esset tyrannus; quia verò in aliquibus casibus populi, & respublicæ non habent opportunitatem, nec vires, vt deponant Reges per se, ideo implorant fauorem, & censuras Pontificis, vt illos deponant; & sic intelliguntur textus allegati in contrarium, quòd præcipuè colligitur ex citato cap. Grandi, vbi regnum Portugalliæ, quia non habebat vires, vt deponeret dictum Regem Sancium Capellum, hoc à Papa postulauit, vt constat ex eodem cap. Grandi, proponens ei hoc negotium vergere in periculum, & dispendium spirituale, ibi [Ad defensionem Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum regni præfati, & personarum ecclesiasticarum tam religiosarum, quàm sæcularium, necnon viduarum, & orphanorum, &c.]

Igitur quatenus hoc negotium vergebat in dispendium spirituale, poterat, & debebat à Papa tractari, quatenus verò vergebat in detrimẽtum temporale poterat à solis populis disponi; quia verò populus Lusitaniæ, tũc non habebat vires cõtra Regem Sancium, qui plures sui regiminis habebat partiales, potuit, & debuit recurrere ad Papam, & illius sententiam flagitare, saltem propter causas spirituales, cum posset illum regem deponere propter causas temporales, imò propter istas non solùm Papæ, sed etiam cuiuslibet regis temporalis, possent protectionem, & auxilium inuocare. Ad cuius maiorem explicationem.

Quæres secundò. Vtrùm Principes Christiani subijciantur Papæ? Respondetur, quòd subijciuntur Papæ, non solùm quoad personas, sed etiam quoad regiam potestatem; idest non solùm prout sunt homines, sed etiam prout sunt Reges. Ita Suarez in defensione fidei lib. 3. cap. 22. quòd tamen debet intelligi sub distinctione; nam principes Christiani duo habent. Primò sunt oues Christi, & Ecclesiæ. Secundò sunt principes, & reges respectu populorum. Primo modo subijciuntur Papæ directè, qui habet directam potestatem in omnes oues Christi, & Ecclesiæ; Secundo modo subijciuntur Papæ indirectè, quia (vt vidimus) habet indirectè, & indirectam potestatem temporalem super Rreges christianos, scilicet in ordine ad spiritualia, modo explicato, quando ipsi Reges Christiani, vel leges condant contra spiritualia, vel in agendis, & conseruandis spiritualibus deficiant. Vnde sicut potestas temporalis Papæ respectu Regum est indirecta, ita subiecti Regum ad Papam prout sunt reges, & in eorum regimine est indirecta.

Hæc autem Christianorum principum subiectio ad Papam duplici exemplo explicatur; Primum est membrorum, quæ subijciuntur capiti in corpore; Sic in corpore Christiano principaliora membra, qualia sunt principes subijciuntur Papæ, prout membra sunt, sunt autem membra Christiani corporis, non solùm prout sunt homines, sed etiam prout sunt Reges. Secundum sicut in homine caro subijcitur spiritui, ita potestas carnalis, quæ est in regibus, subijcitur spirituali, quæ est in Papa. Vnde Theologus 2. 2. qu. 60. art. 6. ad 3. ait: [Potestas temporalis subditur spirituali, sicut corpus animæ, & ideo non est vsurpatum iudicium, si prælatus spiritualis se intromittat de temporalibus.]

Opponcs, quia in cap. Solitæ de maior. & obedien. vbi potestas spiritualis Papę comparatur soli, & potestas temporalis Regum, & Imperatoris comparatur Lunæ; Sed Luna accipit omnem splendorem, & lucem à sole, vt modò supponimus, & diximus in lib. de Cœlo: ergo reges omnem potestatem accipiunt à Papa; proindeque in illos habet Papa potestatem directam. Respondetur, quòd istæ duæ potestates comparantur soli, & lunę, non ex eo quòd regalis potestas proueniat à spirituali, sed ex eo quod spiritualis est maior, & temporalis est minor ibi. [Fecit Deus duo magna luminaria, idest duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis authoritas, & Regalis potestas; sed illa, quę preest diebus, idest spiritualibus, maior est, quæ verò carnalibus, minor; vt quanta est inter solem, & lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur.]

Quæres tertiò. Quid possit Papa, circa Reges Christianos, & quousque se extendat Papæ potestas circa illos? Respondetur, quòd si ita gubernent, vt finem spiritualem destruant, & hominum æternam salutem inducendo peccata mortalia impediant, & alia his similia, potest Papa illa in hac mate-

ria annullare, & circa ipsas personas Regum procedere, vsque ad priuationem regni, & excommunicationem, præcipuè si sint hæretici, aut schismatici. Ita omnes Doctores, & videri potest Suarez in defensione lib. 3. c. 23.

Probatur 1. ratione, quia, vt vidimus, Papa habet supra Reges potestatem temporalem indirectam in ordine ad bonum spirituale: ergo potest, & debet exercere hanc iurisdictionem, & potestatem in illos Reges, qui destruunt spirituale bonum, quo vsque bonum spirituale iterum stabiliatur: Sed aliquando, cùm reges sint rebelles, & contumaces, non potest bonum spirituale collapsum iterum restitui, & solidari, nisi Reges, qui resistunt, excommunicentur, & priuentur regno, vt patet: ergo potest, & debet Papa tales excommunicare, & priuare regnis; aliter erit inefficax illius potestas, si non consequatur suum finem adhibendo ad illum omnia media necessaria.

Quod sæpè factum à Summis Pontificibus patet: Excommunicauerunt Reges plurimi Pontifices. Innocentius I. excommunicauit Arcadium, & Eudoxiam, quia contra jus Sanctum Chrysostomum vexauerunt. Gregorius VII. excommunicauit Henricũ IV. Imperatorem in synodo Romana, vt habetur in eius epistolis lib. 3. epistol. 5. & 10. Alexander III. excommunicauit Federicum V. Imperatorem, vt refert Platina in eius vita. Innocentius III. excommunicauit Othonẽ V. vt item refert Platina in ipsius vita. Gregorius IX. excommunicauit Federicum II. Imperatorem, & habetur cap. Apostolicæ de sent. & re iudic. in 6. quę exempla affert Suarez citatus nu. 7. cum alijs; & probari etiam potest ex cap. Nouit de iudicijs, Videatur Bannes 2. 2. qu. 62. tract. de dominio q. 4. dub. 2. conclus. 2.

Sæpè etiam Summi Pontifices, cum non possent per solas censuras cohibere hereticos, schismaticos: & obstinatos Reges, illos suis regnis, & imperijs priuarunt. Ita Innocentius IV. priuauit imperio Secundum Federicum Imperatorem, vt habetur citato cap. [Ad Apostolicæ de sent. & re iudicata.] Zacharias transtulit regnum Galliæ à Childerico in Pipinum, cap. Alius 15. q. 9. & Romani Pontifices transtulerunt imperium à Græcis in Germanos, & Imperator ab eo coronatur. cap. Venerabilem de elect. Clement. I. de iure iur. Clement. Pastoralis ad fidem de re iudicata, quia apud Græcos plura erant schismata. Bonifacius VIII. priuauit regno Galliæ Philippum pulchrum; & hac occasione promulgauit illam constitutionem Extrauagan. [Vnam Sanctam de maior. & obed.] in communibus, in qua definit potestatem regiam esse subordinatam potestati pontificiæ; hæc autem constitutio (vt iam supra notauimus) non fuit abrogata à Clemente V. sed declarata in cap. [Meruit de priuilegijs in Extrauag. communibus. [Innocentius IV. priuauit administratione regni Portugalliæ Sancium Capellum, & tradidit illam Alphonso III. eius fratri cap. Grandi de Supplen. negl. prælat. in 6. licet hic textus parùm probet, quia hoc factum fuit ad instantiam & petitionem ipsius regni, & populorum. Hinc tamen assumitur argumentum.

Probatur secundò, quia potestas temporalis indirecta, quam habet Papa supra Reges, est maior, & nobilior, quàm illa, quam habent populi, & transferunt in Reges: sed populi possunt deponere, & priuare Reges suis regnis si sint tyranni: ergo à fortiori Pontifices illos priuare regnis possunt, si sint hæretici, aut schismatici. Probatur maior, quia potestas illa Papæ temporalis indirecta est data immediatè à Christo, & est in ordine ad finem supernaturalem; illa verò potestas, quam habent populi, est illis data à Deo per creationem, cum enim homo sit animal politicum, & sociabile ex sua natura, & creatione, necesse est, quòd societur alijs, & quòd faciat vnum corpus cum alijs, ac proindè quòd faciat vnum caput politicum, quod est Rex, vnde necesse est, quòd transferant potestatem capitis, & regiminis in Regem in ordine ad temporalia; illa autem potestas, quæ ordinatur ad spiritualia est nobilior illa, quæ ordinatur ad temporalia. Probatur autem minor, quia Respublica, & populus habent ius naturale ad suam conseruationem, quæ destruitur, per Regem tyrannum, vel ex intrusione, vel ex regimine: ergo potest illum iustè priuare regno. Videantur illa, quæ diximus hìc sect. 13. §. Respondetur secundò. Sic Romani priuarunt regno Tarquinium Superbum, & interfecerunt Iulium Cæsarem, quod factum excusat Theologus in 1. dist. 44. art. 2. ad 5. ratione tyrannidis, & intrusionis.

Probatur 3; quia Christus D. aliquo modo vsus est hac potestate, quando flagello iecit è templo ementes, & vendentes. Io. c. 2.

Oppones 1. ex Iacobo Serenissimo Rege Angliæ, quia si populi possent priuare Regem suo regno, sequerentur maximæ seditiones, & maleficia; imò hoc est impossibile, quia respublica, & regnum transtulit in Regem omnem potestatem: ergo nullam iam habent, vt Regem possint deponere. Respondetur, quòd nullæ sequuntur seditiones ex Theologo 2. 2. q. 42. art. 2. & 3. Bannes 2. 2. q. 64. ar. 3. dub. 1. Soto lib. 5. de iust. qu. 1. art. 3. quia hoc non debet fieri per seditiones, sed per acclamationem, & iuramentum prestitum non tumultuariè, sed iudicialiter à tota republica, quæ transtulit in regem totam potestatem actu, illam tamen sibi reliquit habitu, vt in casu tyrannidis illam reassumat ad deponendum tyrannum, de quo Suarez in defens. cap. 3. à n. 2. non est ergo hæc potestas reassumenda à populo in omnibus casibus, & pro libito, hoc enim non potest, nec debet facere, cum seruus sit regis, sed in casu tyrannidis. Ita Nauar. ad cap. Nouit de iudicijs. Azor lib. 11. c. 4. q. 9. Molin. tract. 2. de iustit. disp. 26. §. Ad primum ergo, & alij.

Oppones 2. ergo principes Christiani sunt peioris conditionis, quàm principes infideles. Probatur sequi, quia Papa non potest deponere, nec priuare principes infideles suo regno, si non recipiant fidem, & potest priuare principes Christianos suo regno, si non defendant fidem. Respondetur non esse peioris, sed melioris conditionis principes Christianos, tum quia sunt intra Ecclesiam, tum quia Ecclesia docet, vt subditi illis obediant, & in Concilio Constantiensi sess. 8. damnatur Wicleph, qui dicebat posse

popu-

populum punire Reges; & sess. 15. damnatur Ioannes Hus, qui dicebat Regem tyrannum posse occidi ante sententiam. Tum quia etiam si priuentur regno propter hæresim, id fit ob bonum spirituale totius regni, & ipsius Regis, [quid enim illi prodest si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur Matth. 16. & c. Matthæus de simonia. Imò, vt iam vidimus Papa etiam potest priuare regno reges infideles non ex eo quòd nolunt recipere fidem, sed si impediant prædicationem fidei.

Oppones tertiò, quia Imperator est Dominus totius Orbis, & in omnem orbem habet potestatem: ergo saltem supra Imperatorem non habet Papa istam potestatem coercitiuam, vt illum priuet suo imperio. Respondetur, transeat antecedens, tamquam falsum, de quo statim negatur consequentia, quia etiam si Imperator esset supremus in potestate temporali in toto Orbe, attamen Papa habet supra totum orbem potestatem spiritualem, & in ordine ad spirituale bonum, si præcisè sit necessarium, potest illum deponere, & de facto sæpe deposuit, vt vidimus. Ne verò illud antecedens maneat indecisum.

Quæres 4. Vtrùm Imperator sit Dominus, & habeat potestatem supremam in toto orbe? Quæstio ista grauissima est inter Iuristas imperiales, & Theologos; nam Iuristæ contendunt Imperatorem esse dominum, & habere supremam potestatem in toto orbe. Ita Angelus, Aretinus, Salicetus, Albericus l. 1. C. de quadrien. præscript. Abbas, Hostiensis ad cap. per venerabilem, qui filij sint legit. & alij. Addit Bartolus l. Hostes ff. de capt. & postlim. reuersis, quod forsan oppositum est hæresis.

Respondetur tamen Imperatorem non esse dominum totius orbis, nec in totum orbem habere potestatem, nec directam, nec indirectam, nec alios principes illi esse subiectos, nec de facto, nec de iure; ita communiter Theologi, Soto lib. 4. de iust. q. 4. art. 1. Bannes 2. 2. q. 62. de dominio quæst. 4. dub. 3. Azor lib. 10. instit. p. 2. cap. 8. q. 4. Victoria relect. de Indis sect. 2. num. 2. vbi ait contrariam opinionem esse absque aliquo fundamento, & Baldus licèt sit in contraria opinione, tamen cap. solitæ de maiorit. & obed. inuehitur in Bartolum, eo quod putauerit hæreticam hanc sententiam, quam etiam tenent plures Iuristæ, Petrus, & Ioannes Fabri l. 1. de Summa Trinit. Fulgosus, Alciatus citati à Castaldo lib. de Imperatore q. 52. & alij.

Probatur, quia si Imperator haberet potestatem, & dominium in vniuersum orbem: vel hoc esset ex iure naturali, vel ex iure diuino, vel ex iure gentium, vel ex iure belli, vel ex iure emptionis, hæc enim videntur præcipua capita, ad quæ reducuntur omnia iura: sed ex nullo capite ex istis habet hoc ius: ergo non habet potestatem super vniuersum orbem. Probatur minor per singula capita. Nam de iure naturali omnes homines nati sunt liberi, licèt ratione societatis politicæ debeant se subijcere alicui capiti, subiecerunt se autem homines varijs, & diuersis capitibus, quia dispersi sunt in varias communitates, & societates, vnde in orbe promanarunt plures Reges.

Nec de iure diuino est Imperator dominus totius orbis, neque enim vel in sacro textu, vel ex sacris traditionibus aliquid habetur, ex quo colligatur alicui homini post Adamum, & Noemum, commisisse, & tradidisse Deum dominium totius orbis.

Nec de iure gentium, quia post Adamum, & Noemum illorum filij diuisi sunt per varias regiones, & varia capita, & Reges sibi constituerunt, vnde plures Reges potiùs sunt de iure gentium, quàm vnus Imperator.

Nec de iure belli, nam hoc ius solùm est licitum, vel ad conseruationem illius principis, qui infert bellum, vel ad prædicandam fidem Christi. Victoria relect. de iure belli. Couaruuias regula peccatum 2. p. §. 6. n. 1. & alij; iam verò Imperator non habuit aliquem ex illis titulis, neque enim necesse erat inferre bellum toti orbi ad sui conseruationem, nec ad prædicandam fidem Christi.

Nec de iure emptionis, neque enim ab aliquo emit totum orbem, vt clarè constat; neque etiam iure hæreditario illum ab aliquo accepit. Adde quòd alij Reges habent in suis regnis supremam potestatem cap. per venerabilem, qui filij sint leg. quod non esset si Imperator esset supra omnes Reges, & principes.

Oppones 1. quia Lucæ 2. dicitur, exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis; ergo de iure diuino Imperator est dominus totius orbis. Respondetur, quòd illa verba non sunt Euangelistæ approbantis, sed referentis illud edictum; sicut ex eo quod in Psal. 13. dicitur: [Dixit insipiens in corde suo non est Deus: non rectè infertur quòd approbatur non esse Deum, in sacro textu. Ita Soto citatus. Vel dicas, quòd iussit describere vniuersum orbem, quia habebat potestatem supra maximam partem orbis. Sic Genes. 41. [Omnis terra venit ad Ægyptum,] idest magna pars terræ.

Oppones 2. quia plura iura docent Imperatorem esse dominum totius orbis. Nam l. deprecatio ff. ad legem Rhodiam, ait Imperator Antoninus: ego quidem mundi dominus, & l. rem nouam C. de iudic. dicitur in orbe terrarum, qui nostris gubernaculis regitur, & in authent. Vt omnes obediant iudicibus vers. hæc considerantes dicitur; omnibus in prouincijs iudicibus, quicumque nostris obediunt sceptris in vniuersa ditione, & quæ ascendentem videt, & descendentem Solem &c. & alibi sæpè. Et confirmatur, quia magnus Pompeius, qui Romanam potestatem tunc exercebat, sic alloquitur milites lib. 7. Pharsaliæ apud Lucanum.

Primo gentes oriente coactæ
Innumeræque vrbes, quantas in prælia numquam
Exciuere manus; toto simul vtimur orbe.

Respondetur ista iura, vel loqui ex nimia superbia, vel ex eo quòd magnam orbis partem occupabant Romani Imperatores; & in hoc sensu ista magna pars orbis dicitur totus orbis, qui in temporalibus non bene regeretur ab vno; ad hunc enim sensum ait Lucanus 1. Pharsaliæ.

In se magna ruunt, lætis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum; nec gentibus vllis
Commodat in populũ terræ, pelagiq; potentẽ
Inuidiam fortuna suam.

Ex

Ex quo soluuntur alia, quæ opponuntur de Monarchia, quæ est nobilius regimen. Respondetur enim, quòd est nobilius non pro toto orbe in temporalibus, sed in aliquibus orbis partibus. Aliud argumentum est de apibus, quæ habent vnum regem cap. in apibus 7.q.1. respondetur quòd sicut omnes apes non habent vnum regem tantùm, ita nec totus orbis vnum Imperatorem.

Oppones adhuc 3. quia Imperator Romanus exercebat potestatem in regnum Iudææ, Iudæisque iussit Christus, vt Cœsari redderent tributa Luc. 20. [Reddite quę sunt Cœsaris Cœsari. Et in regnum Lusitaniç l. in Lusitaniæ ff. de censibus, & in totam Hispaniam l. 2. §. & quia capta ff. de origine iuris, & sic de omnibus alijs. Respondetur, quòd in istis prouincijs Romani Imperatores fuerunt domini de facto, non de iure, quia nullum habuerunt ius, vt illas armis occuparent, vt iam vidimus; quapropter potuerunt se in libertatem vendicare; Christus autem iussit vt solueretur tributum Cęsari, quia de facto soluebatur, ne excitaretur scandalum. Imò non ait Christus: soluite Cœsari tributum, sed reddite, quæ sunt Cęsaris, Cęsari, quasi dicat quidquid est Cęsaris, & illi debitum, illi reddite.

Oppones 4. quia Christus est Monarcha, & Dominus totius orbis, sed Augustus Imperator gerebat vices Christi nati, vt docet Theologus opusc. de regim. princ. lib. 3. c. 13. ergo Imperator Augustus, & eius successores habent dominium in toto orbe. Respondetur quòd Augustus gerebat vices Christi pro illa parte orbis, cui præerat, sicut alij Reges pro alijs regionibus, quibus dominantur.

Quia verò hęc quæstio de dominio Christi in quantum homo passim occurrit, tam respectu Imperatoris, quàm respectu Pontificis, ex illa enim arguitur, quòd sicut Christus fuit temporalis Dominus, ita Pontifex, qui eius vices gerit, sit temporalis Dominus pro toto orbe, necesse est hanc quæstionem breuiter tractare sequenti sectione.

SECTIO XV.

De potestate temporali, & dominio Christi Domini, & de alijs pertinentibus ad potestatem temporalem Summi Pontificis.

QVæres primò. Vtrùm Christus Dominus fuerit pax temporalis, & habuerit reale, & verum dominium totius orbis? Hanc quæstionem breuissimè tetigimus controuersia 182. sect. 3. in fine, & controuersia 195. sect. 2. difficultate 3. Igitur sensus huius quæstionis est. Vtrùm Christus secundùm quod est homo, fuerit Rex, & Dominus temporalis vniuersi orbis, vel alicuius regni, itaut dominium formaliter subiectetur in eius natura humana? Sic explicat huius quęstionis sensum Bannes 2. 2. qu. 52. de dominio qu. 4. dub. 1. §. Notandum est secundò. Et licèt Almainus lib. de potest. Eccl. cap. 8. distinguat inter regnum, & dominium, & dicat hæc duo non esse necessariò coniuncta, nam quilibet Rex habet imperium, & regnum super bona ciuium, vt illa dirigat iuxta leges, & tamen super illa non habet dominium; neque enim illa potest pro libito dissipare, aut circa illa disponere; nihilominus regulariter ista duo coniunguntur; Rex enim est dominus saltem superiori dominio, sic enim sæpè in sacris literis appellatur Domine mi Rex: vnde claritatis causa hæc duo distinguenda sunt.

Igitur Christum Dominum non fuisse temporalem Regem totius orbis tenet Victoria relect. de Indis n. 25. & 76. & 77. Soto lib. 4. de iust. q. 4. ar. 1. & in 4. d. 25. q. 2. ar. 1. Abulensis in c. 21. Matthæi q. 3. Bellarm. lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 4. Valentia in 3. p. disp. 1. q. 22. punct. 6. Medina 3. p. q. 59. ar. 4. & alij, in quam inclinat Bannes citatus.

Affirmatiuam sententiam, scilicet Christum Dominum fuisse verè Regem temporalē totius orbis docent graues Theologi. D. Ant. p. 3. tit. 3. c. 2. in initio. Burgensis addit. 2. ad cap. 1. Matthæi. D. Bernardinus Senensis t. 3. ser. 1. de S. Ioseph, Cano, quem citat Bannes cit. & ex Canonistis Nauar. cap. Nouit de iudicijs, notab. 3. n. 8. & 130. Hostiensis cap. super his de voto, & alij. Hæ sunt duæ extremæ sententiæ, & vtraque salua fide potest sustineri, vt aduertit Bannes citatus.

Media sententia docet Christum Dominum verè fuisse Regem temporalem, sed superioris, & altioris ordinis, quàm sit regnum humanum, quod habent humani Reges. Pro hac citatur D. Anton. & Nauarr. cit. & illam videtur tenere Molina disp. 28. de iust. Suarez t. 1. in 3. p. disp. 48. Vasquez disp. 87. in 3. p. cap. 2. Mendoza in 1. lib. Reg. cap. 2. num. 10. Annot. 15. circa literam sect. 3. & alij.

Hęc tamen media sententia mihi videtur fugere terminos, & vim quæstionis, neque enim negamus, neque negare possumus Christum Dominum ratione humanitatis vnitæ verbo, habere excellentissimum, & altissimum dominium, & regnum super omnes Reges, regna, & res temporales, cum verè sit homo Deus, & Deus homo, cuius est omnis terra, & plenitudo eius; sed quæstio est, vtrùm sit verè Rex temporalis, & humanus eo modo, quo sunt Reges humani, vel quantùm ad ius, vel quantùm ad vsum?

Igitur affirmatiua sententia mihi videtur verior non absolutè, sed sub quadam limitatione. Dico ergo quòd Christus prout homo fuit verus Rex, & Dominus temporalis, non quoad vsum Regiæ potestatis, aut quoad regium apparatum, sed quoad regium dominium, & potestatem, quam habuit in toto orbe. Hæc sententia videtur conciliare vtramque illam negatiuam, & affirmatiuam, & facilè conciliat varia loca sacri textus, in quibus Christus sæpè dicitur Rex, & sæpè negatur Rex. Dicitur Rex Apoc. 19. [Rex regum, & Dominus dominantium. Psal. 21. Regnum ipsius omnibus dominabitur. Io. 13. Omnia dedit ei Pater in manus. Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Vbi illud (omnis) comprehendit etiam potestatem regiam in terra; Io. 5. Pater omne iudicium dedit filio, quia filius hominis est. Vbi illud (omne) comprehendit etiam regale iudicium, quare Theologus 3. p. q. 64. & Isa. 33. Dominus iudex noster, legifer noster, Dominus

nus Rex noster. Negatur Rex Io. 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Lucæ 12. dixit Christus homo quis me constituit iudicem, & diuisorem inter vos?& Ieremiæ 22. dicitur de Iechonia Rege: Scribe virum istum sterilem, & non erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda. Christus autem fuit de semine Iechoniæ Matthæi 1. Cum ergo Christus dicatur Rex, & negetur rex; & de facto constet, quòd non fuit Rex quantùm ad vsum exercitium, & apparatum regium, planè sequitur quòd affirmatur Rex quantùm ad dominium, & negatur Rex quantùm ad vsum.

Respondent aliqui, quia ille locus citatus Io. 13. non potest intelligi de Regno Christi, quoad vsum quasi in illis verbis: [Regnum meum non est de hoc mundo.] neget Christus vsum regiæ potestatis. Nam Pilatus interrogabat Christum, an esset Rex, & Christus respondit, quòd Regnum ipsius non erat ex hoc mundo; iam verò Pilatus videbat Christum non habere vsum Regiæ potestatis: ergo non interrogabat circa vsum, sed circa ius, & dominium; ergo quando Christus respondit. Regnum meum non est de hoc mundo, loquitur de dominio, quasi dicat, ego non sum Rex temporalis quoad dominium, de quo tu me interrogas. Sed contra, quia licèt Pilatus videret, quòd Christus non habebat actualem vsum, attamen nesciebat, an vellet se Regem facere, & vti Regia potestate, de hoc enim accusabatur à Iudæis, quòd scilicet se faceret Regem, & quod vtebatur, ac exercebat regiam potestatem sinendo, vt pueri illum regem inclamarent Io. 12. [Benedictus qui venit rex Israel.] & obiurgando obiurgantes: [Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.] Lucæ. 14. & Io. 19. Accusabant Christum Iudæi coram Pilato, quòd se faceret Regem; [si hunc dimittis non es amicus Cæsaris, omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari. Quasi Christus se faceret Regem commouendo populos, vt illum in Regem susciperent, quo posset vti regia potestate; præcipua ergo quæstio, & interrogatio Pilati erat de vsu, ac proinde respondet Christum se non esse Regem quantùm ad vsum, neq; enim vsus fuit regia potestate temporali, sed spirituali.

Probatur ergo hæc sententia primò, quia Christus habuit, quidquid erat debitum excellentiæ, & dignitati ipsius; sed dignitas, & potestas Regis temporalis erat debita dignitati ipsius, ergo illam habuit quoad ius, & dominium. Probatur minor, quia Christus erat Deus, & homo: ergo debebatur humanitati vnita, quidquid non repugnabat tali vnioni. Sed regale dominium non repugnabat tali vnioni; ergo illi fuit debitum; quia verò humilitati, & paupertati humanitatis Christi indecens erat apparatus regius, & vsus regiæ potestatis, ideo illum non habuit, neque exercuit.

Probatur secundò, quia licèt regnum Christi aliquando dicatur regnum cœlorum, quod est regnum spirituale, tamen Christus aliquando diciturRex absolutè, & vidimus citatis locis, ergo dicitur Rex secundùm communem significationem, iam verò hoc nomen (Rex) communiter significat Regem temporalem. Confirmatur, quia Apocalypsis 13. vocatur Christus Rex Regum; Sed illud nomen (Regum) significat Reges temporales, vt patet: ergo illud nomen Rex significat Christum esse Regem temporalem; præcipuè quia ibi ostenditur potestas Christi; iam verò potestas temporalis est maxima, si aliquis sit Rex temporalis Regum; & non est maxima, si aliquis sit Rex spiritualis Regũ in spiritualibus enim Reges non excedunt alios homines.

Probatur tertiò ex Opusculo 20. de regimine principum lib. 3. cap. 12. & 13. & 14. vbi explicat quatuor Imperia Mundi, Medorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, cui successit Imperium, & Regnum Christi, de quibus breuiter diximus supra controuersia 154. sect. 2. ergo sicut illa quatuor Imperia fuerunt in potestate temporali, ita & Imperium Christi fuit etiam tẽporale licèt sit etiam spirituale, & 3. parte, q. 13. art. 2. ad 5. tribuit animæ Christi omnẽ potestatem, quæ nõ implicat illi.

Oppones primò contra primam partem; quia in extrauagant. [Cùm nonnullos,] & extrauag. [quia quorumdam,] de verbor. signific. definitur, quòd Christus habuit dominium paucarum rerum: ergo non fuit Rex temporalis quoad dominium totius Orbis. Respondetur quòd illi textus non loquuntur de dominio regali, sed de dominio speciali, & specialis proprietatis, qua circa res per venditionem, vel alio modo transit de vno domino ad alium, & sic paucarum rerum habuit Christus dominium: Ita Molina citatus, [§. ad vltimum.]

Oppones secundò, quia nullus Rex habet dominium in bonis subditorum, neque enim de illis potest disponere ad libitum: ergo implicat dicere, quòd Christus fuit Rex temporalis quantùm ad dominium. Respondetur primò; quòd per dominium intelligitur ius. Respondetur secundò, quod Reges habent dominium regale, vt iuxta leges bona subditorum tractent; non tamen habent dominium proprietatis specialis, bona enim subditorum non sunt speciali proprietate ipsorum regum. Videatur Bartolus in prohemio veterum, ff. §. omnem à num. 3. Abbas cap. venerabilem, de elect. num. 19. Molina de iustit. tract. 2. disp. 25. initio, & alij.

Oppones tertiò, quia Christus fuit maximè pauper, & præbuit paupertatis exemplum: Sed vt aliquis sit pauper non sufficit, quòd non habeat vsum, sed requiritur ad perfectam paupertatem, quòd non habeat dominium rerum, hæc enim est paupertas religiosorum in particulari: ergo Christus non fuit Rex, quoad Dominium. Respondetur primò, quòd perfecta paupertas in hominibus, qui sunt imperfecti, excludit dominium propter periculum solicitudinis nimis in rebus temporalibus; at verò Christus, qui erat perfectissimus, potuit habere dominium cum perfectissima paupertate, quia neque ad vsum, neq; ad dominium rerum temporalium inclinabat animum; sicut Episcopi sunt in statu perfectionis, & tamen habent dominium rerum temporalium, & est probabilis sententia, quòd Religiosus assumptus ad Episcopatum efficitur Dominus temporalium ex Theologo secunda secundæ, q. 175. art. 3. Ita Bannes citatus, §. ad secundam. Et confirmatur ex illo ad Galat. 4. [Quanto tempore hæres paruulus

lus est nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium. Quasi dicat, quòd hæres paruulus quamuis habeat dominium hæreditatis, quia tamen non habet vsum, nec distributionem illius, perinde est, ac si esset seruus, qui nullum habet dominium. Imò maius exemplum paupertatis præbuit Christus; quia cum esse Dominus omnium, omnium vsum reliquit, quàm si relinqueret vsum, cum non haberet dominium. Respondetur secundò, quòd Christus non habuit dominium speciale, nisi in paucissimis rebus, v.g. in victu, & vestitu, habuit tamen regale, & supremum dominium totius Orbis.

Oppones quartò, quia si Christus esset Rex, quoad dominium teneretur impedire tyrannidem omnium Regum, quod tamen non fecit. Multi enim Reges erant tyranni, & in dominio, & in gubernio. Respondetur primò, quod sicut Deus, cum sit supremus omnium Dominus multa mala permittit, vt explicat Theologus secunda secundę q.10.ar.11. Ita Christus cum esset Rex temporalis; multa permisit mala, ne ex minoribus malis, quæ impedire maiora mala consurgerent, vel maxima bona saltem temporalia impedirentur. Respondetur secundò, quia cùm Christus esset Rex tantummodo, quoad dominium potestatis. & non quoad vsum illius non tenebatur illa mala. & tyrannides impedire, hæc enim obligatio pertinet ad illum Regem, qui obtinet vsum potestatis.

Oppones quintò, quia si Christus est Rex temporalis totius Orbis, quantùm ad dominium, sequitur, quòd omnes Reges saltem illi, qui viuebant, & regnabant in mundo Christo viuente, & regnante, essent Vicarij ipsius Christi, quod non est dicendum. Probatur sequi, quia duæ personæ non possunt habere adæquatũ dominiũ eiusdem rei; l.si vt certo 6.§.si duobus, ff.de acq.rer.dom.Surdus consil.179.n.27.& consil.517.n.80.consil.543. n.7. & alij. Respondetur negando sequi, nam sicut non impedit, quòd Deus sit supremus dominus, & tamen Rex sit supremus Dominus in temporalibus, quia ista dominia sunt subordinata, & non æqualiter inter se diuisa, ita non sequitur, quòd omnes Reges sint Vicarij Christi, quia potestas Christi, & Regum non est inter illos æqualiter diuisa, nec est eiusdem rationis, sed est subordinata in diuerso genere, potestas enim Christi est illi immediatè collata à Deo, potestas autem Regum est illis immediatè collata à populis. Quare potestas temporalis, quam Christus habet in omnem Orbem est longè nobilior potestate regum.

Oppones sextò. Summus Pontifex succedit Christo in potestate ipsius: ergo si Christus fuit temporalis Rex totius Orbis potestate directa, sequitur quòd Papa sit etiam temporalis Rex totius Orbis temporali potestate directa. Respondetur primò negando sequi, quia ista potestas Christi temporalis in omnem Orbem, vel fuit potestas excellentiæ illius, vel ex illa deriuata; iam verò Papa non successit Christo in potestate excellentiæ. Respondetur secundò, quod Christus habet hãc potestatem temporalem tribus titulis, qui non conueniunt Papæ, ac proinde Christus illam habuit directè, & Papa tantummodo illam habet indirectè, vt supra explicauimus.

De qua re optimè loquitur D. Bernardus lib.3.de consideratione ad Eugenium Papam, vbi sic ait: [Dispensatio tibi credita est non data possessio eius: Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris, possessionem, & dominium; tu cede huic, tu curam illius habe. Hæc Bernardus: Vnde cùm isti tres tituli non conueniant Papæ, non illi conuenit potestas tẽporalis directa in totũ Orbẽ.

Explicatur ampliùs hæc solutio ex illo Lucæ 22. vbi ortam contentionem inter Apostolos, [quis eorum videretur esse maior:] Christus hisce verbis sedauit. [Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur; vos autem non sic.] Vbi cum loqueretur de potestate regum ait; [vos autem non sic:] quasi dicat vos ò Apostoli non habetis istam Regum potestatem, neque quoad dominium, non tamen ait (nos autem non sic) nam hisce verbis seipsum comprehenderet, quod esse non poterat: ipse enim verè erat Rex tẽporalis quoad dominium, quod tamen Apostolis, nec Petro cõmunicauit directè, sed tantummodo indirectè in ordine ad spiritualia, modo explicat.

Oppones septimò contra secundam partem, quia Christus Dominus aliquoties exercuit actus potestatis temporalis regiæ: ergo non solùm illam habuit quoad dominium, sed etiam quoad vsum. Probatur antecedens, quia Christus maledixit, & arefecit ficulneam Matthæi 21. Misit dæmones in gregem porcorum, qui in mare præcipitati, & submersi sunt. Matthæi. 3. Hæc enim potestas licèt esset miraculosa, tamen etiam erat regia, & dominatiua, quatenùs aliorum bona destruebat: permisit, vt discipuli per aliena sata vellerent spicas. Matthæi 22. Iussit discipulis, vt sibi adducerent pullum asinæ alienum, addens, quia de se, quia [Dominus his opus habet. Matthæi. 21. Quasi illud iuberet potestate dominatiua. Eiecit de templo ementes, & vendentes, & illorum mensas subuertit. Io: 2. & alia huiusmodi fecit. Respondetur, quòd aliquoties exercuit Christus, & vsus est potestate regia, vt patet in istis, & alijs actibus, ne ista potestas esset frustranea, si nunquam reduceretur ad actum, quia tamen, Christus illam frequenter non exercebat, imò sæpius recusabat, dum noluit diuidere alienas possessiones Lucæ 12. dum noluit accipere regnum, exercitium sibi oblatum. Io.6. ideò dicimus, quia non habuit hanc potestatem quantùm ad vsum, præcipuè, quia nunquam illam exercuit cum regali apparatu.

Quæres secundò. Vtrùm Christus specialiter fuerit temporalis Rex Iudæorum? Respondetur negatiuè. Et probatur, quia non habuit specialiter illud regnum iure hæreditario, aliter B. Virgo esset Regina temporalis illius Regni; de quo non constat, neque enim constat, an essent alij cognati propinquiores, neque illud habuit iure belli, neque iure electionis, aut emptionis, vt patet. Ita Victoria, Soto, Bannes, Molina citati, & alij. Licèt Burgensis, & alij teneant oppositum.

Oppones, quia Lucæ 1. dixit Angelus Beatissimæ Virgini Mariæ de Christo eius filio. [Dabit ei Dominus Deus Sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æter-

æternum, & regni eius non erit finis.] Et Zachariæ 9. [Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator:] ergo Christus Dominus specialiter fuit Rex populi Iudaici. Respondetur, quod ille locus Lucæ 1. sic intelligitur, quod scilicet Christus regnabit spiritualiter in domo Dauid. Quare Caietanus, ibi sic ait. [Hæc de regno Iesu in domo Iacob, & super Sedem Dauidis non sunt adhuc adimpleta, sed inchoata fuerunt in resurrectione Christi implenda in secundo aduentu, tunc enim veniet rex, qui in primo venit subditus.] Hæc Caietanus, & alij, qui hoc regnum, & dominationem intelligunt de dominatione temporali. Ad alium locum ex Zachariæ 9. Respondetur, quod Christus dicitur specialiter Rex Iudæorum, [scilicet Rex tuus veniet tibi.] Quia licèt Christus venerit in omnium hominum libertatem spiritualem, tamen specialiter venit in libertatem populi Iudaici, vt illum populum solueret, & absolueret à legibus cæremonialibus, & iudicialibus specialiter, & tantummodo legibus moralibus subijcere, quæ tantummodo perseuerant, quales sunt leges, & præcepta Decalogi.

Quæres tertiò. Vtrùm ista potestas temporalis, quam Papa habet in totum orbem sit distincta à potestate spirituali, quam Papa habet in totum orbem? Respondetur (multis omissis) quòd illa potestas spiritualis, quam Papa habet in totum orbem, est etiam potestas temporalis, quam habet indirectè in totum orbem; Non itaque sunt duæ potestates distinctæ, sed illamet potestas spiritualis, quam Papa directè habet in totum orbem, est potestas temporalis, quam Papa habet indirectè in totum orbem. Hæc resolutio potiùs est, circa modùm loquendi, quam circa rem ipsam. Ita Couaruuias in regula peccatũ 2.p. §.9. num. 7. vers. Primum. Molina disp. 29. conclus. 3. & communiter Thomistæ. Itaque omnis potestas Papæ est spiritualis formaliter, attamen illa potestas indirecta cum formaliter sit spiritualis, dicitur temporalis materialiter; quia scilicet proxima materia, circa quam versatur est temporalis; potest etiam dici spiritualis ratione finis vltimi.

Quę omnia explicantur vnico exemplo. Papa concedit indulgentias, ista potestas, qua illas concedit, est omnino spiritualis, & formaliter, & materialiter. Papa videt quòd aliquis Rex Christianùs ex iniuria permittit, vt Ecclesiarum bona dissipentur, & diuinus cultus paulatim extinguatur; vt hisce malis remedium adhibeat illi præbet coadiutorem, vt patet ex cap. Grandi de supplen. neglig. prælat. in 6. Ista potestas est spiritualis formaliter, quia scilicèt ei collata est à Christo, & est spiritualis finalizatiuè, quia scilicet finis illius est spiritualis, ordinatur enim ad finem spiritualem, qualis est conseruatio diuini cultus; attamen est temporalis materialiter, quia materia, circa quam versatur est deponere regem temporalem à regimine, & alium coadiutorem in regimine constituere.

Quæres quartò. Quænam sit nobilior potestas temporalis, illa indirecta, quam habet Papa in toto orbe, modo explicato, vel illa directa, quam habent reges in suis regnis? Respondetur breuiter (multis omissis) quod potestas indirecta, & temporalis Papæ in totum orbem est multò nobilior, quàm potestas directa, & temporalis regum in suis regnis. Et probatur, quia potestas temporalis regum est collata illis à populo, vt vidimus, & potestas temporalis Papæ, licèt indirecta pro toto orbe, est illi collata à Christo, ac proinde ista est longè nobilior. Hæc breuiter de potestate temporali Papæ, circa totum orbem. Modò breuiter agendum superest de potestate Papæ temporali, & directa circa aliquam partem orbis, in qua Papa est directè Dominus temporalis.

Quæres igitur quintò. Vtrum Papa sit directè Dominus temporalis alicuius partis, & status in orbe? Respondetur affirmatiuè. Probatur quia aliqui principes temporales donarunt Papæ plurimas ciuitates, & territoria, ex quorum donatione Papa remansit princeps temporalis directè. Nam Constantinus Imperator donauit Ecclesię Vrbem Romæ, vt patet cap. Constantinus. Postea Arithpertus Rex Longobardor. donauit Rom. Ecclesię Exarchatum Rauennatem, in quo comprehenduntur multæ ciuitates, & alia quamplurima. Postea Pipinus, & eius filius Carolus Magnus alia multa Ecclesiæ Romanæ contulerunt propulsatis ab Italia Longobardis, & alia multa Ecclesiæ data sunt temporum decursu, quæ omnia in patrimonium, & territorium Ecclesiæ, & Sancti Petri computantur; de quo Genebrardus, & alij.

Oppones. Quia Constantinus, & alij principes donarunt Ecclesię, & Papæ ciuitates, & territoria, quæ erant imperij, & regni in graue præiudicium successorum cap. Intellecto de iureiurando: ergo illa donatio fuit nulla, ac proinde Papa, & Ecclesia non possident illa territoria iusto titulo. Respondetur, quòd illi principes donarunt illa territoria Papæ, & Ecclesiæ Romanæ in fauorem Ecclesiæ, & fidei, & in gratitudinem victoriarum, quas peculiari Dei munere reportarunt; cum autem habent causam huius donationis, fuit valida hæc donatio; neque enim hoc fuit in præiudicium, sed in vtilitatem imperij; & quamuis esset in præiudicium (quod negamus) non erat notabile, sed in minimum præiudicium attenta magnitudine Imperij, hoc autem posse fieri sub his terminis, colligitur ex cap. Abbate de sent. & re iudicata in 6. de quo Molina de iustit. disp. 25 §. Cum autem.

SECTIO XVI.

De regimine, & modo regiminis Summi Pontificis Romani sine errore.

AD regimen requiritur potestas; Vnde cum in præcedentibus actum sit de potestate Summi Pontificis, nunc agendum est de eius regimine; sicut ergo illius potestas est in totum orbem, ita illius regimen est in totum orbem: quia verò Papa diuerso modo habet potestatem in orbe Christiano, & in orbe infideli, vt vidimus, ita diuerso modo exercet regimen in vtroque orbe.

Quia verò præcipuum illius regimen est intra Ecclesiam, quæ dicitur orbis Christianus, de hoc præcipuè regimine agendum hic est. Regit autem Papa Ecclesiam per oracula, & definitiones circa fidem, per leges

circa mores, cætera enim ad hæc duo reduci possunt, quare de his duobus præcipuè agendum est.

Quæres igitur. Vtrùm Papa in suo regimine possit errare circa fidem scilicet definiendo, tanquam de fide aliquem errorem? Respondetur negatiuè iuxta dicta in hac controuersia sectione 4. Vbi docuimus quòd Ecclesia non potest errare, nec deficere, nec decipi; ergo neque Papa, qui est caput Ecclesiæ, & ex cuius ore Ecclesia accipit oracula fidei; Si enim Papa erraret in fide, erraret etiam Ecclesia in fide, quia tenetur credere definitiones Papæ, qui est regula viuens fidei. Ita Theologus 2.2. qu. 1. art. 10. q. 11. art. 1. & 4. contra gentes cap. 67. & opusculo 1. contra errores Græcorum à cap. 65. vsque ad 70. Caietanus de primatu Papæ c. 12. & 13. Cano lib. 6. de locis à cap. 3. Cabezudo in addit. qu. 20. art. 3. difficultat. 3. & ita docent Sancti Patres. Cyprianus lib. de simplicitate prælatorum, Hieronymus in Expositione symboli ad Damasum, Augustinus serm. 26. de Sanctis. Et habetur expressè in Cōcilio 6. generali in epist. Agathon. Papæ.

Probatur deinde, quia Petro, & eius successoribus dixit Christus Lucæ 22. [Simon ecce Satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ergo autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Vbi manifestè loquitur de Petro, tamquam de futuro Pontifice, & capite qui fratres confirmaret, & consolidaret membra: ergo cum adhuc in Ecclesia sint fratres, & sint membra adhuc Petrus in suis successoribus illos in fide confirmat, & illa consolidat, non posset autem confirmare in fide, qui circa fidem erraret. Quæ resolutio est de fide.

Opponunt tamen hæretici primò, quia Papa potest esse hæreticus, imò & de facto plures fuerunt hæretici; sed hæresis est error circa fidem; ergo Papa potest errare circa fidem. Maiorem probant quoad primam partem, quia Papa est liber quoad infidelitatem: ergo potest in illam incidere; & quoad secundam probant ex multis Pontificibus, qui habuerunt, & docuerunt errores contra fidē.

Respondetur negando maiorem, quoad secundam partem, neque enim hucusque (Deo ita disponente) aliquis Pontifex fuit hæreticus, neque docuit aliquid hæreticum, nec erroneum; si autem aliqua dixerunt, & scripserunt dubia; id non quasi Pontifices definiendo, sed tamquam particulares Doctores opinati sunt, & omnia ad sanum sensum possunt reduci. Singulorum dicta citat, & explicat Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontifice à cap. 8. vsque ad 14. inclusiuè. Illi autem Pontifices, qui vel consenserunt hæreticis, vel idolis sacrificarunt, quos breuiter refert Ghetius verbo canonizatio num. 1. id non ex corde fecerunt; sed tantùm extrinsecè simulauerunt.

Quoad primam partem, Vtrùm scilicet Pontifex possit esse hæreticus, probabilior est negatiua sententia; tot enim auxilijs Deus caput suæ Ecclesiæ corroborat, vt ab extrinseca manutenentia Dei peccare non possit peccato hæresis, licèt possit ab intrinseco, libero arbitrio defectibili, quo soluitur probatio maioris. Hæc autem extrinseca manutenentia Dei constat ex repetitis promissionibus factis Ecclesiæ, quòd non præualebunt contra illam portæ inferi, quòd sit fundata supra firmam petram, quòd Spiritus sanctus illa docebit omnem veritatem; hæc autem præcipuè conueniunt capiti. Videatur Bellarminus citatus, & Azor 2. par. lib. 5. cap. 5.

Neque opponas, quia c. Si Papa dist. 40. & alibi dicitur, quòd si Papa deuiat à fide, potest iudicari: ergo potest deuiare à fide. Respondetur, quòd conditio non ponit in esse, & potest esse impossibilis; Vnde qui diceret, si homo haberet alas, volaret; non ideo supponit, quòd potest volare, aut habere alas, ita textus, qui dicunt, quòd Papa hæreticus potest iudicari, intelliguntur de conditione impossibili.

Sed datæ, & non concesso, quòd Papa possit esse hæreticus, & de facto sit hæreticus. Respondetur, quòd ille error erit personalis, non iudicialis; potest enim Papa errare personali errore; non verò errore iudiciali, quia licèt in sua persona incidat in errorem, attamen non incidet in errorem, vt iudicet aliquid erroneum pro Ecclesia.

Opponunt secundò, quia D. Petrus in plura peccata, & errores incidit, primò prohibendo Christum ne vellet mori, Matth. 16. secundò; Nesciens quid diceret dicendo bonum est nos hic esse; Matth. 17. Tertiò ex arrogātia dicendo reliquimus omnia. Matt. 19. & dicendo, quòd erat paratus mori pro Christo Matth. 26. Quartò educendo gladium contra voluntatem Christi. Matth. 26. & dormiendo in horto, ac tandem negando Christum. Respondetur, quòd multa ex istis non sunt peccata, quia procedebant ex amore Petri, erga Christum, & licèt essent peccata nondum erat Papa actu, sed tantùm designatus. Imò quando negauit Christum, ille error non fuit iudicialis, sed personalis. Videatur Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 20.

Dicendum tamen est, quòd Petrus in illis negationibus peccauit non amittendo fidem, quam semper retinuit in corde, sed omittendo confessionem fidei, quam tenebatur publicè proferre. Quòd optimè obseruat Caietanus ad illum locum Luc. 22. [Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.] Sic ergo scribit Caietanus. [Non dicit, vt non deficiat charitas tua, non dicit, vt non deficiat confessio fidei tuæ, sed fides tua, quę est in corde; deficit siquidem Petri charitas, defecit & confessio fidei, cùm Christum ter negauit, sed nō defecit fides, quoniam timore negauit, non incredulitate.] Hęc Caietanus.

Instabis. Quia ad Galat. 2. Paulus reprehendit Petrum ex eo quòd ex conuersatione, quam habebat cum Iudæis conuersis ad fidem comedendo illorum cibos; Gentiles conuersi ad fidem, ad exemplum Petri etiam comedebant cibos iudaicos, & in hoc iudaizabant. Verba Pauli sunt: [In faciem Petro restiti, quia reprehensibilis erat &c. sed cum vidissent, quòd non rectè ambularet ad veritatem Euangelij; Dixi Cephæ coram omnibus, si tu, cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo cogis gentes iudaizare?] Ergo Petrus non ambulauit ad veritatem Euangelij, & verè fuit reprehensibilis, postea quam fuit Summus Pontifex.

Respondetur, quod circa istum locum grauis disputatio exorta est inter D. Hieronymum,

nymum, & Augustinum in epistolis, de quo (Deo dante) plura dicemus in tractatu de legibus. Interim breuiter dicimus, quod vel Petrus non peccauit, quia illa omnia fecit non ex animo, sed simulatè, vel si peccauit id fuit venialiter, cum lex vetus illo tempore licèt esset mortua, adhuc non erat mortifera, neque Iudæi, qui tunc cæremonialia exercebant peccabant mortaliter, quæ est sententia Augustini, peccauit autem Petrus, non quia illos cibos iudaicos tunc comedebat, sed quia forsan in hoc nimius erat, quod peccatum veniale fuit; cum enim Petrus esset iam in gratia confirmatus non poterat illam amittere per peccatum mortale? Videatur Theologus ibi, & 1. 2. q. 103. art. 4. vnde istud peccatum Petri fuit personale, quod non negamus posse dari in Papa. Ex his.

Colligitur primò, quod ad Papam pertinet declarare, qui nam sint libri canonici in Sacra Scriptura, neque hinc sequitur circulus, quòd Sacra Scriptura præbeat authoritatem Papæ, & quod papa præbeat authoritatem Sacræ Scripturæ, quod argumentum iam soluimus hìc sect. 4. q. 3. ad secundum. Videantur illa etiam, quæ docuimus hìc sect. 6. q. 2. vbi docuimus, quod res fidei non debent determinari à priuato Spiritu cuiuscumque personæ.

Colliges Secundò, quod optimè approbantur, & declarantur tamquam Canonici omnes illi libri, qui continentur in Sacra Biblia, à Tridentino sess. 4. Sunt autem Pentateuchus Moysi, Iosue, Iudices, Ruth. 4. libri Regum (quorum duo primi apud Hebræos dicuntur primus, & secundus Samuelis.) duo libri Paralipomenon duo Esdræ, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiastes; Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus. Quatuor Prophetæ maiores, duodecim minores, duo libri Machabæorum, primus, & secundus. Hæc pro veteri testamento.

Pro nouo testamento quatuor Euangelia; Actus Apostolorum, quatuordecim epistolæ Pauli, tres epistolæ Ioannis, duæ Petri, vna Iacobi, vna Iudæ; Apocalypsis Ioannis, quæ omnia desumpta sunt ex Florentino sub Eugenio, & ex Romano sub Gelasio, & à Carthaginensi, vt docet Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 3. & à Papa Innocentio V. epist. 3. ad Exuperium cap. 7. de quibus Carranza in summa concil.

Dicuntur autem isti libri canonici dupliciter iuxta duplicem significationem, quam habet hoc nomen (Canon) quod significat primò [regulam.] Ita [Tuschus litera C. conclus. 23.] Isti autem libri sunt regula fidei, significat secundò Cathalogum, isti autem libri sunt redacti in Sacrum Catalogum, & licèt aliqui ex istis libris, apud Hebræos non essent Canonici, hoc erat, quia non adhuc erant compositi, sic libri Machabæorum tempore Esdræ, vel quia nolebant, vt apud omnes essent in frequenti vsu propter imperitam plebeculam, quæ nescit sacra dogmata vulgariter scripta tractare. Et licèt plurimi ex Hæreticis reprobent aliquos libros canonicos, id absque vllo fundamento faciunt, quia omnes libri citati antiquissima, & Apostolica traditione approbati sunt, quare meritò tot Pontifices, tot Concilia illos, vt Canonicos receperunt, & approbarunt. Hæreticos oblatrantes latè refutat Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei per plura capita.

Quia verò libri Canonici scripti sunt Hæbraico, & Græco idiomate, idcirco variæ interpretationes, & editiones illorum promulgatæ sunt; omnium optima est vulgata, quam iam approbauit Tridentinum citatum, quisnam fuerit illius author variæ sunt opiniones; probabilior est fuisse D. Hieronymum, qui vel omnia transtulit, vel aliqua emendauit. Ita Xistus Senensis lib. 3. Bibliothecæ, & Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 9. Arauio 2. F. de regulis fidei, quæst. 4. & alij. Excipe Psalterium Dauidis, in quibus non D. Hieronymi trãslationem, sed antiquiorem sequimur in Vulgata. De varijs sensibus Sacræ Scripturæ diximus in prooemialibus.

Colligitur secundò, quod Papa non potest errare ordinando articulos fidei, quos solus pòtest ordinare, vt docet Theologus 2. 2. q. 1. ar. 11. & circa illos facere nouas editiones, non quod fides sit diuersa diuersis temporibus, semper enim est eadem, & vna, sed quia cum insurgant nouæ hæreses, necesse aliquid de nouo explicare. Quia verò Magnus Athanasius composuit manifestationem fidei per modum breuis doctrinæ, accepta est, & approbata à Summis Pontificibus tamquam regulo fidei, vt docet Theologus citatus ad 3.

Oppones si Papa definiret res fidei, absque errore obligaret Papam successorem, vt illas crederet, quod est impossibile, quia par in parem non habet imperium [cap. Denique d. 21. Et cap. Innotuit de elect. & tenent Surdus consil. 47. nu. 10. & consil. 106. num. 12. & consil. 167. num. 16. Menoch. de arbitr. lib. 2. casu 438. & communiter omnes.

Respondent aliqui, quod vnus Papa non obligat successorem, sed tantùm declarat id, ad quod successor obligatur. Non placet hæc solutio, quia tenera Papa definiens, & declarat, & obligat ad credendum. Respondet Cabezudo in addit. q. 20. ar. 3. difficult. 3. ad 6. quod Papa inquantum Pastor vniuersalis sicuti est superior ad se ipsum, prout est persona particularis, ita etiam est superior ad alium Papam successorem, in quantum successor est persona particularis, & sic illum obligat ad credendum, quia credere est actus personalis.

Quamuis hæc solutio sit acuta, mihi displicet, quia Papa non solùm credit, prout est persona particularis, sed etiam prout est Pastor vniuersalis, & caput totius Ecclesiæ; sicut enim est verum dicere, quod tota Ecclesia credit, ita est verum dicere, quod Papa prout est caput Ecclesiæ, credit. Quare

Respondetur primò hoc argumentum esse commune, & nihil afferre peculiare, sic enim probaret, quod Papa successor non teneretur ieiunare ieiunio instituto à prædecessore, quamuis possit suum dispensare. Dico ergo, quod Papa præcedens, dum declarat aliquid esse de fide non obligare successorem, qui obligatur immediatè à Christo, vt credat tamquam Vicarius illius. Potest Papa obligare personas in particulari, non verò successorem, qui immediatè obligatur à Christo.

Resp. 2. ex Caietano 2. 2. q. 1. ar. 10. §. Ad id, quod Papa dupliciter definit primò ex sola authoritate papatus, & de his procedit argumentum, & regula, quod par in parem non

habet imperium; Secundò ex authoritate papatus, vt subſtat diuinę aſſiſtentię, & vt ſic obligat ſe ipsū, & ſucceſſores; quia vt ſic excedit ſe ipſum, & ſucceſſores prout prçcisè habent authoritatē papatus, quæ ſolutio acutiſſima eſt.

Colligitur 3. quod ad ſolum Papam pertinet canonizare, vel beatificare ſanctos, c. 1. de reliquijs, & venerat. Sanctorum; licèt aliqui ex antiquis ſanctis ſint canonizati ex omnium Eccleſiarum acclamatione, accedente authoritate, & conſenſu Summorum Pontificum, ita canonizati ſunt Sancti, Silueſter, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, & alij antiquiores. Probatur reſolutio, quia Sanctus, qui canonizatur, proponitur, & decernitur colendus ab vniuerſali Eccleſia: ergo hoc debet fieri à paſtore vniuerſalis Eccleſiæ.

Nota tamen breue diſcrimen inter canonizationem, & beatificationem alicuius ſancti, quia Canonizatio fit per decretum, & definitionem Papæ: beatificatio autem fit per permiſſionem, & propoſitionem ſimplicem, qui ſimpliciter proponit, non tamen definit, aut decernit, vt obſeruat Arauio 2.2. q. 1. circa regulas fidei, q. 2. dub. 3. §. 3. propoſitio. Quare ita definitur canonizatio, [eſt canonicè, & regulariter inſtituere, quod aliquis pro ſancto honoretur, & quod pro eo fiat ſolemne officium ſicut pro alijs ſanctis eiuſdem cōditionis, officium martyris, ſi eſt martyr, & confeſſoris, ſi eſt confeſſor. Ita Silueſter verbo canonizatio. Sic definitur: [Canonizatio eſt reductio, vel annumeratio alicuius in Cathalogum Sanctorum,] de quo Tuſchus lit. C.

Colligitur 4. quod Papa non poteſt errare circa canonizationem Sanctorum, vt docet Theologus, quod lib. 9. ar. vltimo, quamuis enim dicat, quod hoc piè credendum eſt, iam explicauimus hic ſect. 4. quod intelligitur Theologus de pietate fidei. Et probatur, quia vt vidimus Papa non poteſt errare circa definitiones, & decreta, quæ conducunt ad fidem, & huiuſmodi ſunt canonizationes.

Colligitur 5. eſſe de fide, quod iſte ſanctus in particulari, v. g. Sanctus Dominicus ſit verè Sanctus regnans cum Deo, Ita Bannes 2.2. q. 1. art. 10. in 1. Commentario, dub. 7. concluſ. 2. Cabezudo in addit. q. 20. art. 3. difficult. 4. concluſ. 3. Valentia 2.2. punct. 7. Tuſchus lit. C. concluſ. 41. Vbi plures citat, quia tamen aliqui tenent hoc nō eſſe immediatè de fide, ſed ſe habere tāquam concluſionem Theologicam, quæ opinio eſt probabilis, quam tenent D. Antoninus part. 3. tit. 12. cap. 8. Arauio citatus, & alij: Ideo ferè omnes dicunt, quod ſi aliquis pertinaciter negauerit aliquem Sanctum ritè à Papa canonizatum, non eſſe in cœlo, non eſt puniendus tamquam hæreticus, quia probabile eſt, quod non negat propoſitionem immediatè de fide, ſed mediatè: ac proinde puniendus eſt tamquam temerarius, & errori proximus, & forſan tamquam erroneus.

Probatur ergo noſtra ſententia, quia Papa canonizando, & decernendo talem virum eſſe Sanctum regnantem, cum Deo immediatè definit hanc veritatem pertinentem ad fidem Eccleſiæ, & poteſt hoc facere: ergo hæc veritas eſt definita de fide, eſt enim propoſitio fidei credere gloriam Sanctorum. De quo Barboſa ad caput ſi Papa, diſt. 40.

Oppones primò, quia hæc veritas definitur medijs inſtrumentis teſtium, & informationum, in quibus poteſt ſubeſſe falſum. Reſpondetur, quod in illis poteſt ſub eſſe falſum abſolutè, ſi tamen Papa illas approbet, non eſt in illis falſum de facto, quia Deus non inducit, nec monet Papam, vt in materia conducente ad fidem Eccleſiæ approbet, quod falſum eſt: Vnde ſi ſunt falſæ, Deus mouebit Papam, vt illas reijciat, quare Theologus citatus, & citandus ad 2. ait, quod diuina prouidentia præſeruat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur. Videatur Ghetius verb. canonizatio num. 1. vbi refert quoſdam teſtes depoſuiſſe falſum, & retractaſſe teſtimonia. Ita Deo diſponente.

Oppones 2. quia Theologus citato quodlibet. 9. art. vltimo, ait quod canonizatio Sanctorum eſt medium inter iudicium infallibile de rebus fidei, & iudicium fallibile de rebus particularibus: ergo non eſt immediatè de fide. Reſpondetur, quod loquitur de canonizatione antecedenter, non formaliter: Suppone ergo quod canonizatio dupliciter poteſt ſumi, vel antecedenter pro informationibus, quæ illam antecedunt, vel formaliter pro ipſo decreto Pontificis declarantis talem virum eſſe ſanctum: ait ergo Theologus, quod canonizatio antecedenter, ſcilicet illæ præcedentes informationes, ſunt mediæ inter iudicium infallibile de rebus fidei, & iudicium fallibile circa culpas alicuius perſonæ: at verò canonizatio formaliter ſumpta pro ipſo decreto Papæ eſt iudicium infallibile.

Oppones 3. quia non eſt inconueniens, quod iſta hoſtia in particulari non ſit conſecrata: ergo nec eſt inconueniens, quod iſte vis non ſit in cœlo. Reſpondetur in primo pari errorem particularem, & in ſecundo daretur error vniuerſalis pro tota Eccleſia, quod eſt maximum inconueniens.

Oppones 4. quia cap. A nobis 2. de ſent. excommunicat. dicitur quod Papa, vel Eccleſia poteſt errare in canonizatione Sanctorum. Reſpondetur, quod non dicitur hoc, ſed tantùm dicitur, quod Eccleſia non erat pro aliquo excommunicatio in foro externo, qui apud Deum iam erit abſolutus. A fortiori

Colligitur 6. quod eſt apertè hæreticus, ille qui pertinaciter negat Papam poſſe Sanctos canonizare, & ad hoc deeſſe poteſtatem in Eccleſia. De quo Bannes 2.2. q. 1. art. 10. in primo Commentario dub. 7. concluſ. 1. Arauio, ibi: q. 2. de regula fidei dub. 3. §. ſecunda eſt, & alij. Et probatur, quia ex ſacris literis conſtat plurimos viros eſſe Sanctos cum Deo regnantes, quorum Catalogus habetur Eccleſiaſtici 44. & ad Hebr. 11. Sed hæc poteſtas relicta eſt à Chriſto in Eccleſia, & in Papa Summo Præſule Eccleſiæ: ergo qui hoc negaret, eſſe hæreticus. Probatur minor ex Concilio Florentino in decreto de vnione Armenorum, vbi illis præcipitatur, vt venerentur D. Leonem I. tamquam verè ſanctum, & habetur in multis capitulis, lib. 6. [Clementinis, & extrauagantibus de reliq. & vener. Sanctorum, & ratione patet, quia Chriſtus Deus eſt remunerator meritorum: ergo ad Eccleſiam Chriſti pertinet declarare merita, & præmia illis meritis collata in æterna beatitudine, vt fideles ad virtutem excitentur, & promoueantur, de ritu canoniza-

tionis

tionis agit Hostiensis, quem citat Siluester citatus, & Azor. citatus.

SECTIO XVII.

De regimine Summi Pontificis Romani circa confirmationem religionum, & circa alia, in quibus non potest esse error.

QVæres primò. Vtrùm Papa possit errare circa confirmationem, & approbationem religionum? Suppone quod religiones, quæ sunt status tendentium ad perfectionem, vt vidimus, agendo de statibus, sunt status iuxta consilia Euangelica, quæ perfectionem doceant. His breuissimè suppositis.

Respondetur, quòd Papa nullo modo potest errare circa confirmationem alicuius religionis. Ita omnes Theologi. Bannez 2.2. quæst.1. art. 10. in 1. commentario dubit. 8. conclus. 1. & 3. Cabezudo in addit. quæst. 20. art. 3. difficult. 4. à conclus. 4. Azor. 2. part. lib. 5. cap. 7. quæst. 2. & alij. Probatur, quia ex eo, quod Papa confirmat aliquam religionem, declarat illum modum viuendi esse conformem consilijs Euangelicis, & quantum ad vota essentialia, quæ sunt obedientiæ, castitatis, & paupertatis, & etiam quantum ad particulares fines; Verbi gratia quantum ad prædicationem fidei, quantum ad contemplationem diuinorum, quantum ad cohibitionem carnis, quantum ad captiuorum redemptionem, & quantum ad reliquas virtutes in particulari: sed circa ista non potest esse error, quia circa consilia Euangelica non est error: ergo Papa non potest errare circa confirmationem alicuius religionis. Bannes tamen 2. 2. quæst. 1. art. 10. in 1. commentario dub. 8. conclus. 5. & Azor. par. 2. lib. 5. cap. 7. §. argumenta, tenet quod Papa potest errare confirmando plures religiones, quod non probo.

Oppones, quia Papa potest confirmare aliquam religionem, quæ quanuis in se sit bona quantum ad modum vitæ, & tendentię ad perfectionem, tamen potest esse superflua; quia in Ecclesia sunt plurimæ religiones; ergo licèt non possit Papa errare confirmando religiones quantum ad illarum regulas, potest errare quantum ad illarum numerum superfluum. Respondetur, nullo modo potest errare Papa in confirmatione religionum, nec quoad illarum regulam, nec quantum ad illorum numerum, quidquid alij dicant. Non primùm, quia numquam potest esse error circa consilia Euangelica. Non secundùm, quia respectu illorum, qui in mundo tantummodò amplectuntur præcepta Euangelica, semper sunt parui illi, qui volunt amplecti consilia Euangelica: omnes igitur catholici amplectuntur præcepta, & religiosi volunt amplecti consilia, ac proindè, neque in illo, neque in hoc potest esse error, Christo dicente Matthæi 9. [Messis quidem multa, mercenarij autem pauci: rogate autem Dominum Messis, vt mittat mercenarios in messem suam.] Ex his soluitur quidquid opponit Cant. lib. 5. de locis cap. 5. ad finem, quod statim magis explicabimus sequenti quæst. ad 3. videatur [Miranda tomo 1. q. 2. art. 1. vbi probat plures religiones non esse contra perfectionem.

Quæres secundò. Vtrùm Papa possit errare extinguendo aliquam religionem à prædecessoribus confirmatam? Respondetur primò, quod non potest errare extinguendo illam quasi reprobando modum viuendi illius religionis; & patet, quia religio confirmata à Papa prædecessore est iuxta consilia Euangelica, in hoc autem non potest esse error; ergo cùm Papa non possit errare circa Euangelicam doctrinam etiam non potest errare extinguendo religionem approbatam, & confirmatam iuxta consilia Euangelica, imò neque extinguendo illam ex eo, quòd sunt plurimæ religiones: iam enim diximus hoc non sufficere, quia circa Euangelica consilia non datur nimietas.

Respondetur secundò, quòd si Papa extinguat aliquam religionem propter religiosorum crimina, & relaxationes, & claustralitates, in hoc potest esse error. Et probatur, quia testes. qui deponunt de criminibus religiosorum, possunt esse falsi, inuidi, suspecti, & inimici totius reformationis; ac proindè ex odio, & inuidia possunt falsa deponere; quòd expressis verbis ducet Theologus quod lib. 9. art. vltimo, vbi sic ait: [in sententijs, quæ ad particularia facta pertinent, vt cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de huiusmodi, possibile est iudicium Ecclesiæ errare propter falsos testes:] ergo si religio extinguatur ratione relaxationis, vel criminum, quæ committunt religiosi potest dari error in testibus deponentibus, quia verò hæc extinctio non pertinet ad vniuersale regimen, in quo non potest dari error, potest circa illam dari error.

Resp. tertiò, quòd illi Pontifices, qui aliquas religiones extinxerunt, scilicet Clemens V. qui extinxit religionem militum de templo. Et Pius V. qui extinxit religionem humiliatorũ cum nullum commiserunt errorem, quia non reprobarunt illorum regulas, quæ approbatæ erant, & confirmatæ à prædecessoribus, sed tantùm extinxerunt illos homines, de quibus constabat iuxta legata probata, & iuxta euidentiam, & notoreitatem factii esse criminosos, omnemque regularem disciplinam abiecisse.

Oppones primò, quia Papa non potest errare confirmando aliquam religionem, vt vidimus: ergo neque potest errare aliquam extinguendo. Respondetur, quòd non dicimus Papam posse errare extinguendo aliquam religionem, sed solùm dicimus, quod testes deponentes, vel informantes de criminibus religiosorum, & de illorum relaxationibus possunt falsò deponere, & procedere ex odio orto ex eo, quòd à religiosis propter crimina reprehendentur; vndè Papa non errat, licèt procedat ex hac informatione, quia procedit iuxta legata probata facta sufficienti diligentia. Sicut Iudex non errat proferendo sententiam etiamsi in testibus detur falsitas.

Oppones secundò: quia si informationes quas facit Papa per suos commissarios pro canonizatione alicuius Sancti, contineant aliquid falsum, Deus mouebit Papam, vt per illas non canonizet talem sanctum, vt expli-

explicauimus præcedente sectione; ergo si informationes, quæ dantur contra religiosos, sint falsæ, Deus mouebit Papam, ne propter illas extinguat illam religionem. Resp. 1. concedendo consequentiam, ita enim debemus piè credere. Resp. 2. latum esse discrimen, quia in primo casu daretur error pro tota, & vniuersali Ecclesia, quæ coleret tamquam sanctum illum, qui non esset Sanctus; at in secundo casu error tantùm esset in testibus, & damnum esset particulare, scilicet vnius particularis religionis, quæ extingueretur.

Oppones 3. quia cap. ne nimia de religiosis domibus prohibentur nouæ religiones, & cap. religionum eodem tit. in 6. extinguuntur aliquæ religiones, non ex alia causa, nisi, quia plures erant; ergo vel errauit, qui illas confirmauit propter nimietatem, vel errauit, qui illas extinxit; verba textus ita se habent. [Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret generale Concilium consulta prohibitione vetauit &c. professoribus eorumdem ordinum, ita liceat in illis remanere si velint; quòd nullum deinceps ad eorum professionem admittant.]

Resp. quòd aliqua res de se est bona, quę tamen hic, & nunc potest reddi superflua ratione alicuius accidentis, vel incidentis. Itaque quælibet religio semper est bona, cùm sit iuxta consilia Euangelica; attamen, quia ex magno numero religionum accidebant confusiones in vestibus, in ritibus, ideò aliquę, quæ erant in magno numero, reddebantur superfluæ. Non ergo errauit Papa, qui illas confirmauit, quia respexit bonum in se; nec errauit Papa, qui aliquas extinxit, quia respexit incidentem, & accidentalem confusionem, & superfluitatem.

Ex his habetur, quòd Papa dupliciter extinxit aliquas religiones, vel propter crimina religiosorum, vt patet in templarijs, & humiliatis, vel propter confusionem, & nimiam superfluitatem, & neutro modo potest esse error in Papa, licèt in primo possit esse error in testibus deponentibus circa crimina.

Quæres 3. Vtrùm solus Papa possit confirmare religiones? Resp. quòd olim illas confirmabant Episcopi, quia hoc nullo iure illis erat prohibitum; iam verò à tempore Concilij Lateranensis, illorum confirmatio ad solum Papam reseruatur, vt colligitur ex cap. Ne nimia de religiosis domibus sub Innocentio III. & cap. religionum eodem tit. in 6. Ita Bellarm. lib. 2. cap. 4. de Monachis. Miranda tom. 1. q. 3. art. 6. Rodriguez tom. 3. q. 43. art. 3. & alij, quòd meritò ordinatum est, quia cùm Episcopi essent faciliores, & plurimi, facilè, & plurimos religiones confirmabant, ex quibus nimia confusio oriebatur. Illud tandem aduertendum, quod ex eo quod Papa confirmat aliquam religionem, non ideò confirmat particulares leges, quæ postea fiunt à Prælatis religionum, in quibus potest esse error, qui nullo modo refunditur in Papam. Ita Bannes 2. 2. quæst. 1. art. 10. commentor 1. dub. 8. conclus. 6. Cabezudo in addit. q. 20. art. 3. difficultate 4. conclus. 5.

Quæres 4. Vtrùm Papa possit errare condendo aliquam legem spiritualem pro tota Ecclesia? Suppono contra Lutheranos, & Caluinistas, & alios hæreticos Papam habere vim coactiuam spiritualem, qua potest condere, & promulgare leges Ecclesiasticas, & spirituales obligantes sub mortali in conscientia, vt apertè clamant sacræ paginæ. Matth. 16. dixit Christus: [Quæcumque ligaueris super terram erunt ligata, & in cœlo:] ligantur autem homines per leges spirituales, iuxta illud Matth. 23. [Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeris hominum,] loquitur enim de legibus, & Actorum 15. visum est Spiritui sancto, & nobis nihil imponere oneris, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos &c. quòd latè prosequitur, Bellar. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 16. Neque hæretici aliquid opponunt solidum, sed quædam deliramenta, quæ facilè soluuntur, si enim quilibet princeps sæcularis in suo regno potest condere leges ciuiles, cur non poterit id Papa, qui est Summus princeps spiritualis.

His ergo positis quærimus. Vtrùm Papa possit errare condendo aliquam legem? Resp. negatiuè pro tota Ecclesia. Ita Bannes 2. 2. quæst. 1. art. 10. comment. 1. dub. 6. conclus. 1. & 2. Cabezudo in addit q. 20. art. 3. difficult. 4. conclus. 1. Syluester verbo Papa quæst. 6. & omnes. Probatur, quia Papa habet claues regni cœlorum traditas à Christo: ergo ad Christum pertinet illas dirigere in manu Papæ pro tota Ecclesia; sed Papa quando condit leges vtitur clauibus, leges enim claudunt, & ligant: ergo illas condendo non potest Papa errare. Deindè, quia non potest Papa condere legem impiam, & iniquam: ergo non potest errare condendo legem. Probatur antecedens, nam hoc esset obligare, vel velle obligare homines ad iniquitatem, & impietatem, tamquam ad aliquod bonum; docere autem quod impietas, & iniquitas sint bonum, esset docere errorem in fide, hoc autem est impossibile respectu Papæ, qui vt vidimus non potest errare in definiendis, & tractandis rebus fidei. Tandem, quia portę inferi non possunt præualere contra Ecclesiam; sed præualerent, si in Ecclesia esset aliqua lex impia, & iniqua, quia per impietatem, & iniquitatem aperiuntur portæ inferi, & homines ad inferos detruduntur: ergo Papa non potest errare condendo legem impiam pro tota Ecclesia.

Oppones. Licèt Papa non possit errare condendo legem impiam, poterit tamen errare condendo pluralitatem legum, vel sub pęnis admodum rigidis, & patet, quia ipsimet Pontifices, qui leges condiderunt, illas, vel abrogauerunt, vel mitigarunt postea, quasi cognoscentes pręcedentem errorem. Imò Papæ successores leges suorum prædecessorum, vel arrogant, vel mitigant quasi, vel erroneas, vel nimis rigidas. Resp. (quamuis aliqui oppositum dicant) quòd Papa non potest errare, nec errat in pluralitate, vel rigiditate legum, quia pro eo tempore, quo conduntur, rerum, & temporum circumstantiæ requirunt illam pluralitatem, & rigiditatem, saltem vt ex suppliciorum minis, homines terreantur; at verò postea possunt illæ leges, vel tolli, vel mitigari, ne semper metu legum, sed beneuolentia, & benignitate homines ad virtutem deducantur, & arceantur à vitijs.

Quæres 5. Vtrùm Papa possit errare condendo aliquam legem non pro tota Ecclesia,

sia, sed pro aliqua Ecclesia in particulari, v.g. pro Ecclesia Bracharensi? Respondetur negatiuè de lege iniqua; non itaque potest Papa condere legem iniquam spiritualem, v.g. quòd in illa Ecclesia sit licita vsura, vel simonia. Probatur, quia hoc esset docere hæresim, & inducere aliquas oues Christi ad obseruanda peccata, & hoc faceret auctoritate Pontificia; hoc autem est impossibile, quia non ad destruendas oues, sed ad confirmandos fratres Papæ auctoritas data est Lucæ 22. Imò mihi videtur, quia neque circa hoc potest errare in multitudine, vel rigiditate legum; nisi forsan falsa informatio præcedat illarum rerum propter quas lex nimis rigida imponitur. Vnde illud, quód ait Bannes citatus concl. 2. [Quod fortassis Summi Pontifices plures leges, quàm oportet secundùm prudentiam multiplicant, vel quando non oporteat, vel vbi non oportet;] ego intelligo non de legibus pro tota Ecclesia, istæ enim sunt prudentissimè latæ, vt vidimus; sed limito ad leges, quas aliquando Papa ex sinistra aliquorum informatione profert pro aliqua ciuitate, vel Ecclesia particulari; donec pleniùs informetur.

Quæres 6. Vtrùm Papa possit errare, vt est persona particularis, & non vt caput Ecclesiæ? Resp. affirmatiuè, quia potest peccare, omne autem peccatum supponit, & includit errorem, vt vidimus in tractatu de peccatis iuxta illud prouerb. 14. [Errant, qui operantur malum.] Excipe peccatum heresis de quo iam diximus hic sect. 16. §. Quoad primum, non posse committi à Papa propter extrinsecam manutenentiam Dei. Hęc breuissimè de regimine Sum. Pont. in se, & secundùm se; quia verò Sum. Pont. regit Ecclesiam audiendo, & consulendo Emin. Cardinales; de illis quatenùs pertinent, & adducuntur ad regimen Pontificis, hic breuissimè dicendū est.

SECTIO XVIII.

De Eminentiss. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui admittuntur ad consultationes Pontificis pro regimine Ecclesiæ.

CArdinales S.Rom.Eccl. sunt Papæ à consilio in negotijs grauioribus; vt apertè constat ex pluribus capitulis iuris. Pro quibus sit cap. quoniam de renunt. in 6. vbi sic loquitur Bonifacius VIII. de Cœlestino V. [Cœlestinus Papa V. prædecessor noster dum eiusdem Ecclesiæ regimini præsidebat, volens super hoc hæsitationis materiam amputare deliberatione habita cum suis fratribus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus (de quorum numero tunc eramus) de nostro, & ipsorum omnium concordi consilio, & assensu auctoritate Apostolica statuit, & decreuit Rom. Pontif. posse liberè resignare &c. Et statim addit. Nos de fratrùm nostrorum consilio &c.] Admittuntur ergo Cardinales ad consilium Papæ pro regimine totius Ecclesiæ; quòd adeo verum est, vt Cardinales Episcopi excusantur à residentia in suis Ecclesijs, vt assistant consultationibus Papæ pro vniuersali Ecclesia, de quo Diana p. 2. tract. 2. resol. 8. vbi explicat decretum Tridentini sess. 23. cap. 1. Quare Cardinales dicuntur inuiscerati Papæ, & pars corporis illius, & vna persona cum illo, cap. Felicis de pœnis in 6. Vt ergo plenè agamus de regimine Papæ, agendum est de Cardinalibus, qui admittuntur ad illius regimen.

Sed dices. Papa gubernatur, & regit Ecclesiam ex speciali directione Dei, & assistentia Spiritus sancti: ergo non eget consilio, aut consultatione Cardinalium, neque aliorum. Resp. quòd Papa habet assistentem Spiritum sanctum; hoc tamen non est per immediatam, & manifestam reuelationem, quam illi faciat, sed illi reuelat veritatem medijs Sacris Scripturis, & prudentibus consultationibus, orationibus, ac studijs sacrarum literarum; quibus præsuppositis Papa à Spiritu sancto illuminatur, vt nullum committat errorem in regimine Ecclesiæ.

Et quamuis Papa possit sine Cardinalibus omnia negotia Ecclesiæ definire, & resoluere, neque enim ad hoc tenetur ex rigore, & necessitate, cùm apud solùm Rom. Pont. sit omnis plenitudo potestatis, vt colligitur ex c. multum 2. q. 6. & c. cum ex eo de pœnit. & remiss. Solus enim Papa habet plenam iurisdictionem in Sede Apostolica, ad quam referenda sunt grauiora negotia, cap. maiores de Baptismo, cap. rogamus, & cap. quoties 24. q. 1. & cap. dudum 3. q. 4. Solus enim Papa habet Sedem Apostolicam, cap. hæc est fides 24. q. 1. tamen ex quadam decentia, & conuenientia tenetur Papa Cardinales admittere ad consultationes grauiores, vt colligitur ex cap. fundamenta, de elect. in 6. §. decet. His positis.

Quæres 1. quid significet, & vnde deriuatum sit hoc nomen Cardinalis? Resp. (multis omissis) quòd hoc nomen Cardinalis dicitur à cardine; cardo autem significat principalitatem: sic dicimus cardines portæ illas partes, in quibus vertitur, & voluitur porta; & sic dicimus virtutes Cardinales illas, quæ sunt principaliores in virtutibus moralibus, vt vidimus in tractatu de virtutibus supra; sic dicuntur cardines cœli partes illæ, in quibus, vel circa quas cœlum voluitur tamquam in duobus polis. Ita Deut. 30. [Si ad cardines cœli fuerit dissipatus. Et Iob 22. Circa cardines cœli perambulat.] Quia verò illud ferramentum, in quo ostium vertitur, est pars extrema, ideò quælibet pars extrema etiam dicitur cardo. Sic alloquitur Pompeius Magnus suos milites lib. 7. Pharsaliæ apud Lucanum;

> *Vltima fata*
> *Deprecor, ac turpes extremi cardinis annos*
> *Ne discam seruire senex.*

Vbi per (annos extremi cardinis) intelligit senectutem, quæ est extrema pars vitæ; & forsan ideò dicit illos annos cardinis, quia senectus est vitæ pars principalior, vt ostendit Tullius tractatu de senectute, & in senectute quasi in cardine voluitur tota vita pręcedens. Cùm igitur illi viri, qui Papæ assistunt, & Papam eligunt, & principaliora Ecclesiæ negotia tractant, sint principaliores partes totius Ecclesiæ, meritò appellantur Cardinales à cardine, quia in illis tamquam in cardine voluitur ostium Ecclesiæ.

Sed oppones, quia si Cardinales dicuntur à cardine, & cardo dicit ordinem ad ostium, sequitur quòd Papa possit dici ostium Ecclesiæ, siquidem Cardinales sunt consultores,

res, & adiutores Papæ; iam verò Papa non potest dici ostium, nam vt ait Aug. tract. 47. in Ioan. [Christus pastorem esse dedit membris suis, ostium verò nemo se dicit, hoc sibi ipse proprium tenuit.] Cuius ratio est, inquit Theologus 3. p. q. 8. ar. 6. ad 3. [quia in ostio importatur principalis auctoritas, in quantum ostium est, per quod omnes ingrediuntur in domum, & ipse solus Christus est, per quem accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus:] ergo si Papa non potest dici ostium impropriè eius consiliarij dicuntur Cardinales, cum cardo sit in ostio.

Resp. 1. quòd aliud est à quo nomen imponitur, aliud est quod nomen significat, vt ait commune proloquium; vnde hoc nomen (Cardinalis) deriuatum, & impositum est à Cardine, non tamen significat cardinem, sed viros præcipuos in Ecclesia, Papæ consiliarios. Resp. 2. quòd persistendo in metaphora cardinis, & ostij, adhuc dici potest, quod hoc nomen (Cardinalis) dicit respectum ad ostium, quod est Christus, nam omnia negotia Ecclesiæ, quæ Cardinales tractant ex commissione Papæ, sunt negotia Christi, cuius est Ecclesia, vnde Cardinales sunt cardines negotiorum istius ostij, & Papa est illius ostiarius, habet enim claues, & ab Ecclesia appellatur D. Petrus Ianitor cœli.

Quæres 2. Vtrùm Cardinalitia dignitas sit maxima post Papatum? Negat Alzedo in praxi Episc. vbi ait quòd Episcopalis dignitas est prima post Papatum. Communis tamen sententia affirmat. Ita Bellar. lib. 1. de clericis cap. 16. §. quantum ad 3. Tuschus t. 1. concl. 100. n. 3. Azor tom. 2. lib. 4. cap. 1. q. 9. Diana p. 5. tract. 2. resol. 1. & alij. Quæ sententia vera est.

Probatur 1. quia maxima dignitas est Papatus, vt constat ex dictis; sed dignitas Cardinalitia facit vnum corpus, imò & vnum caput cum dignitate Papatus: ergo ex maxima dignitas. Probatur minor, quia Cardinales sunt adiutores, & consiliarij Papæ in grauioribus negotijs Ecclesiæ: sed grauiora negotia debent fieri cum consilio: ergo cum Cardinales sint à consilijs Papæ, faciunt cum illo vnum corpus, & vnum caput, non quasi Cardinales sint caput Ecclesiæ, sed quia sunt à consilijs Papæ, qui est caput Ecclesiæ, quare Ioannes Andreas in cap. requisisti n. 12. ad finem, versu imò, & alij aduertunt; quod inter Papam, & Cardinales non solùm est vnitas, sed identitas; quare quidquid fauet, aut nocet Sedi Apostolicæ, fauet, aut nocet Cardinalibus. De qua re extat epist. Eugenij IV. quam transfert de verbo ad verbum Diana citatus, in qua explicatur dignitas Cardinalitia, hoc tamen intelligitur de potestate iurisdictionis, nam in potestate ordinis Episcopi præcedunt Cardinales, quia Episcopi necessariò sunt Sacerdotes, non verò Cardinales; at verò in potestate iurisdictionis, & dignitatis Cardinales præcedunt Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas saltem ex vsu, vt tenet Azor. p. 2. lib. 4. c. 1. §. Quæres an extra curiam.

Oppones, quia dignitas Episcopalis est maxima, nam ipse Papa nominatur Episcopus, & non Cardinalis, vt aduertit Glossa cap. quam graui d. 1. & cap. quoties 1. q. 8. & cap. antiqua de priuileg. Deinde, quia in Conc. Carthagin. 4. & alijs Concilijs præcedebant Episcopi. In sedendo; sedes autem in primo loco est signum maioris dignitatis, cap. ante omnia dist. 40. ex cap. vlt. dist. 93. Resp. quòd Papa dicitur Episcopus ratione potestatis ordinis Sacerdotalis, quæ necessariò est in Papa, & in Episcopis, non verò in Cardinalibus, quorum aliqui sunt Episcopi, aliqui Presbyteri, aliqui Diaconi; at verò licèt Papa non sit Cardinalis est immediatum, & proximum caput Cardinalium, imò & Cardinales non solùm sunt vnum corpus, sed & vnum caput cum Papa, modo explicato quatenus admittuntur ad principaliora consilia Papæ; prout est caput Ecclesiæ; & licèt in aliquibus consilijs Episcopi præcederent Cardinales in sedendo, attamen postea in alijs Concilijs Cardinales præcesserunt, & præcedunt Episcopos, vt in Concilijs Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi 6. 7. & 8. & meritò quia postquam Papa Cardinalibus communicauit principaliores consultationes Ecclesiæ, postquam ad solos Cardinales deuoluta est electio Papæ ex dictis, illi obtinuerunt maximam dignitatem, ac proinde Episcopis præferendi sunt, & comparantur regibus; vnde qui illos lædit, committit crimen læsæ maiestatis cap. Felicis de pœnis in 6.

Quæres 3. Vtrùm dignitas Cardinalitia sit de iure diuino? Negat Soto in 4. distinct. 24. q. 4. §. de ordine Vasquez tom. 3. in 3. p. disp. 242. cap. 4. & 5. & alij, qui tenent esse de iure Pontificio. Resp. tamen cum communi sententia, quod Cardinalitia dignitas, & Cardinalium ordo est de iure diuino. Ita Turrecremata in summa lib. 1. cap. 80. & 83. D. Antoninus p. 3. tit. 21. c. 1. & 2. Azor. p. 2. lib. 4. cap. 1. §. Tertio, Panormitanus cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi, & alij.

Probatur 1. ex Tridentino sess. 23. vbi dicitur quòd negari non potest Cardinales prout sunt Papæ adiutores, consiliarij, & operarij adumbratos fuisse in sacerdotibus, & ministris Leuitici generis; ergo cum illi ministri fuerint ex iure diuino, etiam ordo, & dignitas Cardinalium fuit ex iure diuino. Probatur 2. quia vt aduertit Turrecremata citatus Christus instituendo Apostolos, instituit in illis dignitatem Cardinalitiam, & Episcopalem. Nam Apostoli Christi considerantur in duplici statu.

In primo assistebant Christo iuxta illud Lucæ 22. [Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.] Et post Ascensionem Christi in cœlum assistebant Petro, quasi illius consultores. In secundo separati sunt à Petro, & per orbem terrarum diuisi, vt fidem prædicarent, & Ecclesias particulares erigerent, & instituerent: ergo Apostoli instituti sunt à Christo pro illo duplici statu; sed in primo statu gerebant officium Cardinalium, quod est assistere Papæ; & in secundo gerebant officium Episcoporum, quod est regere Ecclesias particulares; ergo sicut dignitas Episcopalis in Apostolis est de iure diuino, ita & dignitas Cardinalitia in Apostolis est de iure diuino. Quæ ratio subtilis, & vera est quidquid dicat Soto citatus. Imò aliqui putant, quod non solùm in Apostolis, sed in discipulis Christi, fuit designata dignitas Cardinalitia.

Confirmatur ex 1. Regum 2. Vbi dicitur [Domini sunt cardines terræ, & posuit super

cos

eos orbem;] qui locus licèt intelligatur de potestate, quam Deus habet supra totum orbem, quem creauit; etiam intelligitur de principibus, qui sunt Cardines orbis, quoad potestatem, & etiam de Cardinalibus, qui non solùm quoad potestatem illis traditam à Papa; sed etiam quoad nomen sunt Cardines orbis Christiani; quam explicationem præter alios admittit Mendoza in citatum cap. 2. lib. 1. Regum nu. 8. in exposit. literæ num. 3. ex Turrecremata citato.

Ex his facilè soluuntur, quæ opponi possunt, ad quorum facilem solutionem aduerte, quòd in Cardinalibus duo sunt, primum est ipse ordo, & dignitas cardinalitia, & hæc instituta est à Christo, & est de iure diuino; secundum est nomen, numerus Cardinalium, distinctio titulorum, priuilegia, & speciales commissiones, quæ illis fiunt, esse de iure Pontificio. Ex quibus.

Colligitur, quòd Papa non potest extinguere ordinem Cardinalatus, cum sit de iure diuino; poterit tamen illorum splendorem minuere, iurisdictionem limitare, coarctare consultationes, & priuilegia tollere; hęc enim merè sunt de iure pōtificio. Ita tenent Lancellottus in templ. Iud. lib. 2. c. 2. de Card. §. 3. nu. 27. Cucchus in inst. can. lib. 2. tit. 4. n. 52. & alij, quos citat, & seq. Diana par. 5. tract. 2. resol. 2.

Quæres 4. Quanta sit Cardinalium antiquitas? Multis omissis resp. quòd si loquamur quantùm ad illorum institutionem, instituti sunt in ipsis Apostolis, prout assistebant Christo, & Petro, vt vidimus, imò vt Turrecremata citatus aduertit, priùs fuerunt Apostoli Cardinales, quàm Episcopi, ac proinde videtur antiquior dignitas cardinalitia, quàm Episcopalis, quantùm ad institutionem. Si verò loquamur de dignitate, quantùm ad hoc nomen (Cardinalis) resp. quòd hoc nomen incępit à tempore Syluestri Papæ I. vel iam antea inceptum erat; nam in Synodo 2. Romana sub Syluestro 1. cap. 6. sic dicitur. [Diaconi Cardinales Vrbis Romę sint septem, &c.] postea vero hoc nomen frequentiùs vsitatum est, præcipuè à tempore Gregorij I.

Duo notanda sunt. Primum est, quòd hoc Cardinalis nomen cum significet principalitatem omnibus principalibus prelatis tribuebatur; sic aliquando omnes principaliores Episcopi dicebantur Cardinales, & eodem modo principaliores Diaconi, & presbyteri, vt colligitur ex cap. In nomine Domini, dist. 23. & cap. Præsul. 2. qu. 5. & cap. Ministeriorum de officio Archipresbyteri, Imò adhuc in Cathedrali Compostellana principaliores canonici dicuntur Cardinales. Et antiquiores illi, qui præficiebantur alicui principali Ecclesiæ dicebantur incardinari, & incardinati, licèt aliqui in alio sensu sumant hoc verbum. Quare D. Augustinus lib. 1. de Baptism. cap. 6. appellat Cardinales principaliores Donatistas. Hoc ergo nomen, quod omnibus principalioribus hominibus commune erat; à multis retro sæculis iam proprium est illorum, quos Papa delegit in Consiliarios, & adiutores.

Secundum est, quòd hoc nomen Cardinalis deriuatum fuit à locis ad personas; nam in Vrbe erant aliquæ regiones, siue loca principaliora, quæ dicebantur cardines vrbis; illi ergo præsules, qui constituebantur illis regionibus dicebantur Cardinales, quia præerant regioni, quæ erat Cardo. Ita colligitur ex Synodo 2. Romana sub Syluestro cap. 3. Vbi sic dicitur [Diaconus cardine constrictus vrbis Romæ, nisi in triginta sex non condemnabitur.] Quasi dicat quòd ille Diaconus esset constrictus, seu alligatus, seu vt alij legunt, constitutus cardine; ex hac autem constrictione, & constitutione ad cardinem dicti sunt Cardinales. Ita Vasquez 3. par. tom. 3. disp. 242. cap. 2. §. ego igitur. Et quamuis aliqui dicant, quòd nomine cardinis ibi intelliguntur aliquę Ecclesię principaliores, & non regiones; probabiliùs est quòd intelligantur illæ regiones, quibus diuidebatur Romana Ciuitas, & quibus Fabianus præfuit, septem Diaconos, qui dicti sunt primò regionarij, quia præerant regionibus, vt constat ex ep. 1. eiusdem Fabiani; & postea dicti sunt Cardinales, quia illæ regiones erant cardines vrbis.

Quæres 5. Quomodo diuidatur, & distribuatur dignitas cardinalitia? Resp. multis omissis, quòd distribuitur in Episcopos, in presbyteros, in Diaconos, vt potest colligi ex Clement. Vltima de ætate, & qualitat. ordin. Assignantur autem Cardinalibus Ecclesiæ cum titulis, quibus præsint; de quibus inter alios videatur Azor par. 2. lib. 4. c. 1. Potest autem iste numerus augeri, vel minui, prout visum fuerit Papæ iuxta necessitatem, & exigentiam Ecclesiæ, & quidquid alij dicant, mihi videtur, quòd non possit minui, ita vt numerus Cardinalium sit minor quàm numerus duodecimus; cum enim Cardinales ordinati sint, & instituti in duodecim Apostolis, prout assistentes Christo, videtur quòd saltem ille numerus sit de iure diuino; Imò cum supra dictum sit Cardinales fuisse adumbratos in discipulis Christi, qui septuagesimum numerum excedebant, & in Leuitis iuxta Tridentinum sess. 23. potest Papa creare plures, vel pauciores Cardinales, prout rerum negocia postulauerint; & ita tenent Francus cap. Vbi periculum de elect. in 6. Laudensis tract. de Cardinalibus part. 2. qu. 2. totus enim hic numerus pendet à potestate Papæ, & necessitate Ecclesiæ, & magnitudine, ac multiplicatione negotiorum.

Dico igitur quòd Papa potest creare, quotquot Cardinales iudicauerit necessarios ad conuenientem Ecclesiæ gubernationem; at verò non potest creare pauciores, quàm duodecim iuxta illam sententiam, quę tenet Cardinales institutos fuisse in duodecim Apostolis, quia sicut Papa non potest extinguere dignitatem Cardinalitiam modo explicato, ita non potest extinguere illum numerum, e versùs dominationem, vtrumque enim videtur esse de iure diuino.

Opponès tamen, quia Apostoli fuerunt Cardinales, & Episcopi vt vidimus: ego sicut numerus Cardinalium non potest esse minor, quàm duodenarius, ita & numerus Episcoporum non poterit esse minor, quàm duodenarius ex iure diuino. Resp. concedendo totum; attamen numerus Episcoporum semper debet esse maior, quàm numerus Cardinaliū; isti enim instituti sunt vt adiutores, & consultores Papę, Papa autem potest consulere, & consulere paucos, vel plures, prout moles negòtiorum exigit; at vero Episcopi instituti sunt, vt pastores Ecclesiarum, quæ per to-

tum mundum dispersæ sint, ac proinde cùm Ecclesiæ sint plurimæ, & plurimæ oues Christi, ex ipsa natura, Episcopi debent esse plurimi, & multi plures, quàm Cardinales, quia multò plures requiruntur ad pascēdas omnes oues Christi, quàm ad consultationes Papæ.

Quæres 6. Ad quem pertineat eligere, siue creare Cardinales? Resp. quòd solus Papa illos potest eligere, tum quia solus Christus elegit Apostolos, & discipulos, tum quia Cardinales sunt Papæ consiliarij, ad caput autem consilij pertinet eligere consiliarios. Ita Panormitanus in cap. Sanè de conuers. coniug. ex quibus colligitur, quòd Collegium Cardinalium, Sede Vacante potest eligere, & creare Cardinales, aut Cardinalem, vt infertur ex c. Nullus dist. 79. & tenet glossa in Clement. Ne Romani de elect. quamuis enim possit Papam eligere, non potest Cardinalem creare, quia illud, & non istud illi concessum est in iure. Cap. Vbi periculum de elect. in 6. & cap. licèt de elect. & cap. in nomine dist. 23. Imò neque generale concilium potest Cardinales creare, cùm hoc neque sit in vsu, neque ex aliquo iure probetur, vt aduertit Azor. citatus quæst. 7.

Quæres 7. Quomodo distribuatur Sacrum Collegium Cardinalium? Resp. quòd vel sunt Episcopi Cardinales, vel presbyteri Cardinales, vel Diaconi Cardinales; non autem subdiaconi, quia inter sacros est ordo inferior, habentque titulos in suis Ecclesijs, quibus præsunt; & quibus sunt designati, isti autem tituli licèt à principio essent pauciores ad ampliorem numerum extensi sunt, illos numerat Azor. part. 2. lib. 4. cap. 1.

Habent Cardinales in Ecclesijs suorum titulorum plura priuilegia, ex concessione Pontificum, & ex consuetudine introducta. Primùm in illis habent iurisdictionem episcopalem forensem, vt tenet Panormitanus, & alij cap. his, quæ de maiorit. & obedient. Secundùm, possunt fulminare sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti Panormitanus ibi, possunt etiam, qui non sunt Episcopi Pontificijs insignibus vti, Hostiensis cap. 1. de supplend. neglig. prælat. Vtrùm verò possint præstare aliqua, quæ sint ordinis episcopalis, licèt ipsi non sint Episcopi, consuetudine, vel specialibus priuilegijs standum est. Habent etiam ibi alia priuilegia, quæ ex vsu constant.

Quæres 8. Vtrùm præter ista priuilegia, quæ Cardinales habent in suis titulis habeāt alia priuilegia, quæ eis conueniant ratione dignitatis eorum? Resp. affirmatiuè, quia verò longum esset illa recensere, nam aliqui illa extendunt ad ducenta, & ampliùs principaliora; (nam Sixtus Quartus illis concessit plurima.)

Sunt primùm innumeræ pœnæ, quæ imponuntur in cap. Felicis de pœnis in 6. contra illos, qui Cardinales lædunt, vel lædentes recipiunt, & protegunt, vel ad hoc præbent fauorem, quæ ibi videndæ sunt, & apud Farinaccium in prax. crimin. q. 112. à num. 75. quod etiam intelligitur de læsione, vel percussione leuissima etiam in vestibus, vt ex alijs tenet Diana citatus resolut. 92.

Secundum est, quòd si damnatus ad mortem obuium habeat Cardinalem, illumque, vel eius vestem teneat, vel attingat, liberatur. Ita Albanus qu. 42. Diana resol. 29. & alij. Secundum est, quòd non potest fieri appellatio à sententia congregationis Cardinalium, licèt possit fieri appellatio à sententia lata à quolibet Cardinali. Ita Albanus, qu. 22. & licèt Diana resolut. 36. citatus dubitet, tamen inclinat vltimò in hanc sententiam, quę colligitur ex cap. Ecclesia habet 16. qu. 1.

Tertium est, quòd Cardinales possunt edere testamentum militis, sicut enim militi conceduntur plura priuilegia circa testamentum, sic etiam eadem priuilegia conceduntur Cardinalibus, vt probat Diana citatus ex multis resolut. 55. Sicut enim testamentum militis valet absque solemnitatibus iuris. L. Miles ita ff. de milit. testament. & L. neque §. & deputari ff. de milit. testam. eodem ferè modo valet testamentum Cardinalis. Quartum est, quòd Cardinales non comprehenduntur in regulis generalibus etiam Pontificis continentibus censuras, nisi de Cardinalibus fiat specialis mentio. Ita Albanus qu. 42. priuileg. 31. Diana resolut. 16. & 17. & 28. Quintum est, quòd Cardinali dicenti aliquid etiā in præiudicium tertij, est fides adhibenda, saltem ex consuetudine. Diana resolut. 31. Sextum quod Cardinales possunt habere priuatum carcerem ad suos domesticos, & familiares, Diana resol. 35. Septimum absoluuntur à patria potestate. Diana resol. 33.

Quæres 8. Cuius ætatis, & nationis debeant assumi Cardinales? Resp. quòd de iure ordinario debent assumi post expletum annum trigesimum; eadem enim ætas, quæ in Episcopis requiritur ad exercendum regimen, quæ est triginta annorum, cap. cum in cunctis de elect. requiritur etiam in Cardinalibus ad præstandum consilium Papæ; quia vero in collegio sunt plurimi, qui præstare possint consilium, & aliquando superuenire potest casus, qui postulet assumi aliquem in Cardinalem ante annum 30. ideo Sixtus V. const. 50. §. 6. decreuit, vt Cardinalis assumendus sit constitutus in anno 22. saltem. Attamen de plenitudine potestatis potest Papa creare Cardinales minores ætate. Diana citatus resol. 19. ex alijs. Debent autem assumi ex omnibus nationibus Christianis, vt omnes ea dignitate decorentur, & quælibet suum habeat patronum.

Quæres 9. Vtrùm Cardinales religiosi verè sint Domini bonorum temporalium, ac proindè soluantur à voto paupertatis? Resp. quòd licèt sit probabilis sententia affirmatiua, longè probabilior est negatiua, vt vidimus agendo de voto solemni religiosorum; poterit tamen Cardinalis religiosus bona temporalia administrare, de quo Diana resol. 64. licèt teneat contrariam sententiam, qui tamen benè aduertit ibi resol. 65. quod Cardinalis religiosus non tenetur ad illa vota, quæ in aliquibus religionibus emittuntur vltra tria vota essentialia; illa enim non sunt essentialia. Tenetur tamen portare habitum religiosum, quem si deponat non incurrit excommunicationem, Diana ibi resol. 66.

Quæres 10. Vtrùm apud solos Cardinales sit modo electio actiua, & passiua Summi Pontificis? Resp. affirmatiuè ex dictis hìc sect. 9. & 11. illud hìc addendum est primò, quod Cardinales etiamsi non obtineant adhuc insignia Cardinalitia habent vocem in ele-

electione Papæ, vt declarauit Pius V. die 26. Ianuarij 1571. de quo Diana citatus resol. 74. Addendum secundò, quòd si Cardinalis sit absens, & non possit venire, non potest committere alicui suam vocem cùm hoc nullo iure illi concedatur. Diana resolut. 40.

Quæres 11. Quam potestatem habeant Cardinales mortuo Papa, & Sede vacante? Resp. quòd non possunt illa, quæ sunt Papæ reseruata, & illi propria, vt habetur in Clem. Ne Romani de elect. vbi solùm illis conceditur, quæ habentur in cap. vbi periculum de elect. in 6. hæc autem sunt conducentia ad electionem, & ad illius libertatem, ad quietem Vrbis, ad obstaculum schismatis, & alia similia; de quibus Azor. par. 2. lib. 4. cap. 3. quæst. 1. Diana citatus resol. 9.

Quæres 12. Vtrùm declarationes Cardinalium sint decisiuæ, & habeant vim legis? Negat Petrus de Ledesma de Pœnit. cap. 13. difficul. 7. Villalobos tom. 1. tract. 2. dub. 7. num. 5. Portel. in dub. regul. verbo Cardinalium declarationes. Resp. tamen cum communiori sententia, quòd istę declarationes sunt decisiuæ si fiant consulto Papa, vt patet ex Bulla Sixti V. & possunt habere vim legis, si consulto Papa, & ex mandato illius promulgentur, promulgatio enim legis est necessaria ad illius valorem. Videatur Diana citatus resol. 96. & p. 1. tract. 10. resol. 29. & Angelus Verricelli, in q. mor. tract. 2. q. 6. à n. 11.

Addunt aliqui tamquam conditionem necessariam, quòd Cardinales tantùm declarent, & nihil de nouo instituant: quæ conditio mihi displicet, si enim hæc fiunt consulto Papa, etiam ordinatio, & institutio de nouo valet. Hęc breuissimè de Eminentissimis Cardinalibus, quatenus conducunt ad regimen Papæ.

SECTIO XIX.

De Episcopis Ecclesiæ cum quibus Papa gubernat Ecclesiam per Aristocratiam.

Docuimus hìc sectione 6. quòd regimen Ecclesiæ est monarchicum, & quòd supremus Monarcha est Summus Pontifex Romanus; quia tamen ibi vidimus, quòd regimen per Aristocratiam est per plures principes, & magnates eiusdem reipublicæ, & etiam videamus, quòd Ecclesia gubernatur per Episcopos, qui in illa sunt principes; necessariò dicendum est, quòd regimen Ecclesiæ absolutè est per monarchiam, & secundùm quid habet aduinctam Aristocratiam. Quare cum hucusque tractatum sit de Summo Pontifice, qui est supremus Monarcha in suo regimine, & de Cardinalibus, qui illi sunt à consilijs: agendum superest de Episcopis, ratione quorum regimen Ecclesiæ etiam admittit Aristocratiam.

Igitur de Episcopis, de illorum nomine, statu, & perfectione iam egimus breuiter controuers. 121. sect. 2. quæ ibi recolenda sunt; hìc alia tractanda sunt, præcipuè de illorum iurisdictione, nam de illorum ordine iam egimus in tractatu de Sacramento ordinis.

Quæres igitur primò. Vtrùm institutio, siuè iurisdictio Episcoporum sit de iure diuino, vel de iure Ecclesiastico. Quod est quærere. Vtrùm Episcopi accipiant suam iurisdictionem immediatè à Deo, vel immediatè à Papa? Grauis quæstio est, quam latè versant Cabezudo in addit. q. 8. ar. 4. dub. 1. §. Circa, Suarez de Pœnit. disput. 25. sect. 1.

Igitur esse de iure diuino, & immediatè esse datam iurisdictionem Episcopis ab ipso Deo tenent Victoria relect. 2. de potest. Papę q. 2. prępos. 27. & 28. Petrus Soto de inst. Sacer. sect. 1. Maior in 4. dist. 24. q. 3. concl. 2. & alij.

Quod verò sit de iure humano, & immediatè à Papa accipiant Episcopi iurisdictionem, est frequens sententia. Ita Barbosa de potest. Episcopi tit. 1. cap. 1. num. 18. Bannes 22. q. 1. art. 10. dub. 5. Caietanus Opuscul. de potest. Papæ, & Concil. c. 1. & 9. Turrecremata in summa lib. 2. c. 54. Abbas in c. translato de const. Azor. p. 2. lib. 3. c. 30. q. 13. §. In hac. Beccanus in sum. c. 25. de ordine q. 8. Bellar. lib. 4. de Rom. Pont. cap. 24. & alij. Videturque expressa Theologi 2. 2. q. 184. art. 6. ad 1. & q. 39. art. 1. & certè vera est hæc sententia.

Potest tamen vtraque facilè conciliari si aduertas, quòd iurisdictio Episcopalis potest sumi dupliciter, primo modo quasi genericè, & in communi, non prout est in isto, aut illo Episcopo, sed prout in communi est iurisdictio pertinens ad Episcopos. Secundo modo in particulari; prout est in isto, & in illo Episcopo in particulari. His positis.

Dico primò. Iurisdictio Episcopalis sumpta genericè, & in communi est de iure diuino. Probatur, quia Christus instituit, vt Episcopi haberent iurisdictionem ordinariam: ergo ista iurisdictio est de iure diuino. Probatur antecedens, quia Christus instituit Ecclesiam sub ordine Hierarchico, in qua non solùm est supremus princeps, qualis est Papa, sed alij inferiores, quales sunt Episcopi. Quomodo autem distribuatur hierarchia, diximus in tractatu de Angelis. In hoc ergo sensu Episcopi sunt de iure diuino.

Dico secundò. Iurisdictio Episcopalis in particulari est de iure humano, quam Papa immediatè tribuit huic, & illi, & singulis Episcopis in particulari, & ab illius consensu expresso, vel tacito omnino dependet. Probatur 1. quia vt vidimus in Papa residet plenitudo omnis potestatis, cum sit supremum caput: ergo ab illo deriuatur potestas iurisdictionis ad Episcopos. Probatur 2. quia Papa potest Episcopos deponere, illorum iurisdictionem limitare, eorum territoria, vel dilatare, vel restringere, vt constat ex antiquissima traditione, & ex cap. Ita Dominus dist. 9. & ex cap. Quoties 24. quæst. 1. & ex alijs innumeris, quæ passim citantur.

Oppones tamen primò, quia Episcopi succedunt loco Apostolorum ex Tridentino sess. 23. cap. 4. & ex cap. Quorum vices dist. 68. & ex cap. in nouo 24. quæst. 1. sed iurisdictio Apostolorum fuit de iure diuino immediatè illis collata à Christo: ergo iurisdictio Episcopalis est immediatè etiam in particulari collata à Christo. Resp. quòd Episcopi succedunt Apostolis in iurisdictione, non verò in modo iurisdictionis. Vtraque enim est ordinaria, non tamen vtraque est immediatè collata à Christo, sicut illa fuit collata Apo-

stolis immediatè à Christo ob illorum honorem; vndè Episcopi non succedunt Apostolis in Apostolatu, non in potestate miraculorum, non in dono linguarum, neque in potestate scribendi libros Canonicos.

Oppones 2. vrgendo, quia ideò Papa habet plenitudinem iurisdictionis immediatè collatam à Christo, quia succedit Petro: ergo cùm Episcopi succedant Apostolis etiam habent iurisdictionem immediatè collatam à Christo, eadem enim est ratio. Resp. negando consequentiam; discrimen est, quia Papa succedit Petro, & in iurisdictione, & in modo iurisdictionis, non verò Episcopi, qui succedunt cæteris Apostolis in iurisdictione, non verò in modo recipiendi illam, & ratio discriminis est, quia cùm Papa sit caput Supremum, non habet à quo ei conferatur iurisdictio, nisi ab ipso Christo immediatè (iurisdictio enim spiritualis datur à superiore) Episcopi autem subijciuntur Papæ, à quo illam possunt recipere, & de facto recipiunt.

Oppones 3. quia sicut religiosus, qui approbatur ab Episcopo ad confessiones non habet iurisdictionem ab Episcopo; sed à Papa, vt colligitur ex Clement. Dudum de sepult. ita Episcopus, qui designatur à Papa, non habebit iurisdictionem à Papa, sed à Christo, eadem enim videtur ratio proportionabiliter. Resp. latum esse discrimen, nam ita decernitur in citata Clement. pro religiosis; & oppositum decreuit Christus pro Episcopis, reliquit enim Papæ omnem plenitudinem potestatis; aliter Papa nihil aliud esset, quàm merus designator.

Oppones 4. quia Papa non potest efficere, vt Ecclesia gubernetur absque Episcopis habentibus iurisdictionem; ergò non illam habent à Papa, sed à Christo immediatè. Resp. hoc argumentum probare, quod Episcopi, & illorum iurisdictio in communi est de iure diuino, & à Christo instituta, non verò in particulari iuxta modù explicatum.

Quæres 2. Quomodo diuidatur munus Episcopale? Resp. quòd diuiditur in Papam, qui est Episcopus totius Orbis, & vniuersalis Ecclesiæ, in Patriarchas, & Archiepiscopos, in Episcopos simplices. De Episcopatu Summi Pontificis, siuè Papa hucusque diximus; de Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis hìc breuiter dicendum.

Igitur quod attinet ad Patriarchas, suppone quòd sicut Episcopus præest vni tantùm ciuitati, & suburbijs illius; & sicut Archiepiscopus præest vni tantùm prouinciæ; sic Patriarcha præest multis prouincijs, ac proindè etiam Archiepiscopis superior est. De quo videatur Azor. p. 2. lib. 3. c. 35. q. 1. & alij.

Oppones 1. quia licèt cap. cuncta per mundum 9. q. 3. cum seq. Papa sit Episcopus vniuersalis Ecclesiæ, tamen Gregorius cap. fin. dist. 99. renuit se vocari Episcopum vniuersalis Ecclesiæ. Resp. quòd id fecit humilitate ductus; vel quòd non immediatè est præsul omnibus Ecclesijs, quæ etiam per Episcopos gubernantur, vt aduertit Turrecremata. Vbi Vgolinus de officio, & potest. Episcop. lib. 1. cap. 1. num. 10. & alij.

Quæres 3. Quot sint Patriarchæ, & quam potestatem habeant in Ecclesia? Resp. quòd antiqui Patriarchæ sunt quatuor, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, vt colligitur ex cap. Antiqua de priuileg. & ex cap. Sancta, & ex cap. Renouantes, & ex cap. definimus dist. 22. quibus subiectæ sunt variæ prouincię, de quibus Azor. par. 2. lib. 3. cap. 35. quæst. 5. & alij, & de illorum præferentia, ibi agitur. Quæ autem prouinciæ, & regiones fuerint subiectę illis Patriarchis ostendit Augustinus Barbosa de offic. & potest. Episcop. tract. 3. c. 3. à num. 11. & cap. 4. & cap. 5. & cap. 6.

Vltra istos Patriarchatus, qui sunt principaliores, sunt alij Patriarchatus minores; de istis Augustinus Barbosa citatus cap. 7. num. 1. & inter latinos alij sunt Patriarchæ, vel ex concessione Pontificis, vel ex inueterata consuetudine, quales sunt. Patriarcha Aquiliensis, Cantuariensis, Gradensis, Brituniensis; Pisanus, & Toletanus. Ita Vgonius de præstantia patriarchali tom. 13. tract. Doctorum pagina 285. verso, Tillicuius tract. 41. de beneficijs cap 2. num. 35. Barbosa cit. num. 3. & deinceps, & alij. Quia verò de alijs patriarchis minor conditio suboritur, & tantùm increscit circa Archiepiscopum Toletanum, & Bracharensem, quæ priuilegia, & superioritates extra nostrum institutum sunt. Resp. breuiter, quòd Archiepiscopo Toletano conceduntur plura, quæ pertinent ad Patriarchatum, vt ostendit Barbosa citatus tit. 3. cap. 7. à num. 11. attamen Archiepiscopus Bracharensis primatum obtinere in Hispania, docent, & probant Barbosa, ibi cap. 8. A Cunha in tractatu peculiari de hac materia, & alij. De quo breuiter agit. Azor. par. 2. lib. 3. cap. 36. §. Item Hispania. Et §. Alexandri, Illi Patriarchæ præcipui in Concilio generali sedent post Papam ante omnes prælatos, ita tamen, vt primo loco sit Constantinopolitanus; secundo loco Alexandrinus; tertio Antiochenus: quarto Hierosolymitanus. Ita Azor. ibi q. 6. & desumitur ex Concilio Nicœno Can. 6. in quo Canone non çquantur isti Patriarchæ Papæ, sed illorū magnà potestas declaratur; de quo Azor. cit. q. 9.

Quæres 4. Quam potestatem habeat Archiepiscopus supra Episcopos suffraganeos, & supra illorum subditos. Respondetur Episcopum suffraganeum esse verè prælatum, & pastorem, attamen Archiepiscopus (qui sic dicitur quasi principalis Episcopus) in multis excellit, & præeminet Episcopis. Non tamen habet supra illius subditos iurisdictionem, nisi in casibus expressis in iure cap. Romana. Cap. Venerabilibus de sententia excommunicationis in 6. & cap. 1. de supplenda negligent. Prælat. eodem lib Numerat autem Barbosa 38. triginta, & octo præstantias, in quibus Archiepiscopus excedit Episcopum, quas expendit de officio, & potest. Episc. tit. 4. quæ ibi videri possunt.

Duo breuissimè obseruanda sunt. Primum est, quòd nec Patriarchæ ab Archiepiscopis, nec Archiepiscopi ab Episcopis differunt iure diuino, sed Ecclesiastico: nam omne discrimen est in superiori, & inferiori iurisdictione, omnis autem iurisdictio Episcopalis in particulari est de iure humano, vt modò vidimus: Secundum est quòd idem sunt Patriarchæ, & Primas, vt colligitur ex cap. cleros, dist. 21. & ex cap. vrbis dist. 80. & ex cap. Prouinciæ dist. 99. Patriarcha enim est nomen Græcum, significans patrem Archiepisco-

piscoporum, & Episcoporum, siuè principem Patrum, & idem significat Primas, quod est nomen Latinum, Primates enim sunt illi, qui præsuut ciuitatibus, sub quibus sunt aliæ ciuitates habentes Archiepiscopos.

Vtuntur autem, & Patriarchæ, & Archiepiscopi pallio, præter alia vestimenta pontificalia, de quibus breuiter Theologus in 4. dist. 24. quæst. 3. art. 3. Soto in 4. dist. 24. art. 4. Huiusmodi autem pallium, siue palleum dicitur quasi à pellibus, nam antiqui vestimenta pellicea super omnia asportabant; Est autem pallium ornamentum ad modum Stolæ Sacerdotalis crucibus nigris intextum ad instar coronæ circumdans pectus, & humeros. Ita Siluester verbo pallium, de quo extat titulus in iure. Confertur modò à solo Papa, & tenentur Archiepiscopi illud petere, & obtinere intra tres menses à tempore consecrationis, nisi adsit impedimentum cap. Quoniam, & cap. prisca, dist. 100.

Sine pallio obtento non potest Archiepiscopus se talem nominare, non potest chrisma conficere, nec consecrare, nec ordinare clericos: quod si iam esset consecratus, & ista faceret non adhuc obtento pallio peccaret contra cap. quod sicut de elect. attamen valida essent facta. Ita Azor. p. 2. lib. 3. cap. 34. q. 6. significat pallium plenitudinem officij pontificalis, & quia solus Papa habet maximam plenitudinem, solus Papa semper affert pallium, Patriarchæ autem, & Archiepiscopi solùm illo vtuntur certis diebus, de quibus Azor. citatus, q. 3. & solùm inter missarum solemnia, & solùm in sua prouincia, quamuis etiam possint celebrare sine pallio, Nec possunt illud commodare, vt constat ex pluribus capitulis sub titulo de potestate, & vsu pallij.

Quæres 5. Quomodo eligantur Episcopi? Respondetur, quòd variè olim electi fuerunt, nam Apostoli ex speciali authoritate Christi Episcopos successores elegerunt, & illis mortuis ad Papam pertinebat prouidere, qui iuxta temporum varias exigentias permisit, vel concessit varios modos electionis, quæ tamen semper egebant confirmatione ipsius Papæ, vel alicuius, cui Papa hoc concessit, à Papa enim dimanat omnis iurisdictio, vt vidimus, & inter alios modos est electio, siue nominatio Episcoporum, quam faciunt Reges in Lusitania, & in Castella, & alibi, ex concessione Papæ, cap. Cùm longè, dist. 63. & ex Glossa in cap. principali eadem dist.

Quod priuilegium datum, vel permissum ipsis Regibus nominandi Episcopos fundatur in optima ratione, cum enim isti Reges à Maurorum tyrannide omnes illas Ecclesias liberauerint, & illas denuo erexerint, & multis locupletassent, iustum est, vt in illis obtineant ius, vel quasi ius patronatus, quod conceditur fundantibus, vel dotantibus Ecclesias, vt ex multis tenet, & probat Barbosa de potest. Episc. tit. 1. cap. 3. num. 29. 30. & deinceps; ista autem nominatio solùm est designatiua, & non collatiua, solus enim Papa illis nominatis confert iurisdictionem. Vbi autem Reges non nominant; vel canonici eligunt Episcopos, solus Papa illos instituit iuxta dispositiones Bonifacij VIII. & Clementis V. vt colligitur ex titulis de elect. in 6. & in Clementinis.

Quæres 6. quam potestatem habeant Episcopi? Respondetur quòd habent duplicem, ordinis, & iurisdictionis, de potestate ordinis diximus agendo de Sacramento Ordinis; De potestate iurisdictionis modò diximus, esse à Papa deriuatam; ab illoque petenda est confirmatio, & licèt aliquando à Patriarcha, vel Archiepiscopis peteretur, cap. Quoniam d. 100. cap. cùm dilectus de elect. & cap. Cupientes eodem titulo in 6. id erat, quia Sedes Apostolica ita, vel permittebat, vel concedebat, ac proinde semper Papa contulit iurisdictionem Episcopis. In vno tamen casu id non esset necessarium, v g. si aliquis ex manifesta reuelatione Dei crearetur Episcopus; nam quæ aguntur à Spiritu Sancto, non subduntur lege. Cap. nisi cum pridem de renunt. Ita Barbosa citatus cap. 4. num. 5.

Quæres VII. Quæ requirantur in Episcopo? Respondetur, quòd requiruntur illa, quæ requirit Apostolus, 1. ad Timoth. 3. vbi sic ait: [Oportet Episcopum irreprehensibilem esse vnius vxoris virum sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum; sed suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesię Dei diligentiam habebit? non Neophytum &c. quæ omnia verba eruditè, & luculenter explicat Barbosa de officio, & potest. Episc. tit. 2. per totum, & breuiùs illa explicat Theologus ibi, & Caietanus ibid. & alij.

Tria sunt breuiter explicanda. Primum est circa ætatem, circa quam breuiter dicimus quòd nominandus, vel eligendus in Episcopum, debet complere annum 30. cap. cum in cunctis de elect., vt ibi ex multis explicat Barbosa in collect. & colligitur ex Const. Gregorij XIV. anno 1591. vbi requiritur annus trigesimus expletus, quæ etiam ætas requiritur ad papatum saltem ex decentia, vt ibi explicat Barbosa citatus.

Secũdum est circa literaturam, debet enim Episcopus esse doctus, & literatus, itaut sciat docere, officium enim Episcopi non solùm est scire, sed docere, quare in Tridentino sess. 22. cap. 2. requiritur, vt in aliqua academia, vel publico gymnasio sit creatus Magister, vel Doctor, aut saltem licentiatus in Theologia: vel iure canonico, vel requiritur, & sufficit quòd etiam si nullum habeat gradum, saltem habeat publicum testimonium alicuius academiæ, quo probetur idoneus ad docendum, & si sit religiosus sufficit, vt testimonio superioris probetur idoneus, & sufficientis literaturæ. Vtrùm verò aptior sit Theologus, an canonista? Diximus supra controu. 121. sect. 2.

Tertium est, quòd debet esse honestis moribus, candida fama, corpore integro, & preditus multis alijs, quæ talem deceant dignitatem, qui verò inhabilem eligerent, peccarent mortaliter, & essent priuati tunc potestate eligendi, & per triennium suspensi à beneficijs, cap. cùm in cunctis. Cap. per inquisitionem. Cap. cùm Vintoniensis de elect. & ius eligendi tunc deuoluitur ad Papam. Cap. Quamquam de elect. in 6.

Requiritur etiam, quòd eligendus sit saltem Subdiaconus cap. A multis de ætate, & qualit. ordin. & cap. Nullus, dist. 60. Si autem

tem

tem non sit Subdiaconus postulari, vt Papa illum concedat; Episcopus verò electus, & nondum cōfirmatus nullo modo potest exercere iurisdictionem; quia re vera nullam habet, & si illam administret, amittit ius, si quod habebat. Cap. Auaritiæ de elect. in 6. imò fit inhabilis, vt neque ad illum, neque ad alium Episcopatū possit eligi, aut nominari, vt tenent Abbas in c. Qualiter de elect.& alij.

Tenentur etiam electores intra octo dies, si non ad sit impedimentum, sub pęna suspensionis per triennium denuntiare electo suam electionem, cap. cupientes de elect. in 6. & electus tenetur illam acceptare intra mensem, cap. quam sit de elect. nisi expectet consensum alicuius superioris. Tenentur item Canonici intra tres menses eligere, cap. ne pro defectu de elect. & cap. postquam, dist. 50.

Iam verò Episcopus confirmatus etiam, si non sit consecratus, potest exercere illa; quæ sunt iurisdictionis, Et post consecrationem illa, quæ sunt ordinis, quomodo autem sit consecrandus, vidimus in tractatu de Sacramento Ordinis. Quomodo autem Episcopus se gerere debeat, & in ordine ad se, & in ordine ad alios, latè explicat Vgolinus de offic. & potest. Episcop. à cap. 3. & deinceps. Episcopus autem, eo ipso liberatur à patria potestate, & ab omni conditione seruili. Cap si seruus dist. 54. Quid autem sit in Episcopo lex iurisdictionis, & lex Diœcesana, explicant Siluester verbo Episcopus, q. 7. & alij.

Quid autem possit, vel non possit Episcopus secundùm iura explicat Siluester, ibi: q. 8. breuiter, & latissimè Barbosa, & Vgolinus: in suo autem regimine debet esse prouidus, & zelo Dei plenus secundum scientiam. Debet singulis annis conuocare Synodum. Cap. placuit 10, q. 1. licèt quia hoc videbatur difficile iam non est in vsu, debet singulis annis, si poterit commodè visitare omnes Ecclesias. Tridentinum sess. 24. cap. 3. de reformat. debet inquirere, & præficere Ecclesijs idoneos ministros, & magistros. qui indoctos doceant, & conuocare prædicatores, exponere confessores, examinare ordinandos, & præsentandos ad beneficia. Trident. sess. 24. cap. 18. & sess. 25. cap. 9. de reformat. alia denique debet præstare, quæ passim à iure ei competunt Ecclesiasticam libertatem tueri. Potest etiam committere causam criminalem, sed nullomodo dicere iudici, vt reum plectat pœna capitis, sed tantummodo quod seruet iustitiam, aliter erit irregularis, ex cap. Ex literis de excessibus prælat.

Potest habere familiam armatam, Bald. l. nam salutem, ff. de perfect. vigil. Diaz in pract. crimin. cap. 151. debet habere carcerem cap. 3. de pœnit. & si non possit exequi suas sententias, inuocare brachium sæculare. Tridentinum sess. 24. cap. 8. de reformat. & sess. 25. cap. 5. debet in sua Diœcesi residere. Tridentinum sess. 6. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. de reformat. & si ab illa absit sine iustissima, & vrgentissima causa peccat, nec facit fructus, quorum quartam partem perdit, si absit vltra tres primos menses, & aliam quartam partem, si absit per alios sex menses: Tridentinum sess. 6. cap. 1. De his Vgolinus de officio, & potest. Episc. cap. 4. §. 12. & 13.

Quæres 8. Ad quid teneatur religiosus Episcopus? Respondetur primò, quòd tenetur portare habitum suæ Religionis. Respondetur secundò, quòd tenetur ad substantialia vota religionis, & ad illas obseruantias monasticas, quæ non obstant statui Episcopali, & quæ illum non debilitant ad exercendum Episcopale munus. De quo Theologus 2. 2. q. 185. art. 3. in corpore. Caietanus, ibi: Ghetius verbo Episcopus cap. 2. n. 9. erit continens non solùm ex statu monachali; erit obediens ex voto, licèt per accidens careat Prælato, erit pauper item ex voto, licèt Soto lib. 10. de iustit. q. 8. à nu. 7. & alij dicant acquirere dominium, contrarium tamen veriùs est: Vndè ex dispensatione Papæ possunt facere testamentum. Theologus ibi ad tertium. Non tenetur autem ad præcepta, & censuras, quæ sunt in regula, quia illa obligatio est in religioso tamquam in discipulo virtutis, Episcopus autem est magister, & indecens est quòd Magister subijciatur præceptis, & censuris discipulorum, ista Caietanus ibi, & alij.

Quæres 9. Vtrùm possit aliquis confirmari, vel consecrari in Episcopum, quin assignetur pro aliqua Ecclesia, & cum aliquo titulo. Respondetur quòd hucusquè, id nunquam factum fuit, attamen id posse fieri est probabiliùs: sicut enim Episcopus, post renuntiationem remanet cum sola dignitate, ita erit in sua institutione, & ita tenent Hostiensis, & Abbas in cap. Inter corporalia de translat. Azor p. 2. lib. 3. cap. 29. §. quæstio igitur, contra aliquos.

Quæres 10. Vtrùm Episcopo sit dandus coadiutor? Respondetur affirmatiuè, ex Tridentino sess. 25. de reformat. cap. 7. & hoc in aliquibus casibus necessitaris examinandæ à Papa. qui potest illum coadiutorem concedere cum futura successione: Qualis autem sit authoritas coadiutoris explicat Barbosa allegat. 118. de officio. & potestate Episcop. ex responsione Cardinaliū, quam ibi affert n. 7

Quæres 11. Vtrùm possit Papa transferre vnum Episcopum de vna in aliam Ecclesiam? Resp. affirmatiuè, habet enim supremam potestatem, & ab illo recipitur iurisdictio, ac proinde potest illam auferre respectu huius Ecclesiæ, & dare illam eidem Episcopo respectu alterius.

Oppones, quia cap. inter corporalia de transl. Episc. dicitur quòd sicut matrimoniū carnale consummatum non est dissolubile inter fideles iuxta illud Christi, [quos Deus coniunxit homo] non separet; ita matrimonium spirituale Episcopi cum sua Ecclesia est indissolubile. Resp. quòd ille textus non intelligitur æqualiter in vtroque casu, sed ex natura rei, sic enim vtrumque matrimonium est indissolubile, quia tamen matrimonium spirituale est per iurisdictionem, quam præstat, Papa potest illam auferre, & transferre, quoties voluerit, & censebit conueniens. Barbosa citatus allegat. 119. ait verba vitæ intelligi literaliter pro matrimonio carnali, & moraliter pro spirituali.

Vrgebit, quia ideo matrimonium carnale est indissolubile, quia repræsentat vnionem Christi cum humana natura, & cum Ecclesia: sed magis illam repræsentat matrimonium spirituale Episcopi cum Ecclesia, ergo magis indissolubile, proindeque non potest illud soluere Papa per translationem Episcopi. Resp. distinguendo minorem, matrimo-

nium spirituale magis repræsentat repræsentatione iurisdictionis, concedo; repræsentatione sacramenti, nego; nam hoc matrimonium spirituale Episcopi cum Ecclesia non est sacramentum, licèt ille ordo Episcopalis sit sacramentum, de quo diximus agendo de ordine; at verò matrimonium carnale est sacramentum, & sacramentaliter repræsentat.

Iam verò vbi primùm fit ista translatio, translatus amittit iurisdictionem prioris Ecclesiæ, vel fiat cum consensu, vel sine consensu Episcopi translati; de quo Barbosa citatus.

Quæres 12. an Episcopalia iura, obedientia, visitatio, possint in inferioribus præscribi? Resp. 1. quòd omnia iura Episcopalia possunt præscribi, cap. auditis, & cap. de quarta,& cap. cum olim de præscript. Et probatur, quia illa omnia iura possunt concedi ex priuilegio alijs, quàm Episcopis cap. cum contingat de foro competenti; quæ autem ex priuilegio acquiruntur, etiam acquiruntur præscriptione ex cap. super quibusdam de verborum significat.

Resp. 2. quòd obedientia Episcopi non potest præscribi, neque subditi possunt allegare, quòd non tenentur obedire Episcopo ex præscriptione, cap. cum non liceat de prescrip. quod tamen intelligitur de obedientia debita Episcopo de iure communi, nam forsan aliqua de iure speciali poterit præscribi.

Resp. 3. quòd visitatio Episcopi de iure communi, ex quo ipse tenetur visitare Ecclesias, non potest præscribi, nam impediretur Ecclesiarum reformatio, morum correctio, quæ omnia redundarent in commune detrimentum ex cap. cum inter, & cap. ex parte de consuetud. De his latè, & eruditè Barbosa de offic. & potest. Episc. alleg. 127. 128. 129. Hæc breuissimè de Episcopis, quæ materia vastissima est: hìc tamen à nobis solùm attingitur, ratione Aristocratiæ, quæ pertinet ad regimen Ecclesiæ per Episcopos.

SECTIO XX.

De depositione Summi Pontificis si incidat in hæresim, quod auertat Deus.

IVxta datum ordinem hìc sect. 6. & 8. egimus de Summo Pontifice, primò quantùm ad electionem; secundò quantùm ad illius regimen; nunc agendum est de illo quantùm ad illius depositionem, si incidat in hæresim, quæ conditio est impossibilis eo ferè modo, quo dicitur si homo haberet alas, iam enim diximus, quod Deus per extrinsecam manutenentiam præseruat Pontificem ab hæresi. His positis.

Quæres 1. Vtrùm Papa hæreticus possit, & debeat deponi à Papatu. Resp. affirmatiuè. Probatur, quia Papa est caput Ecclesiæ, vt vidimus; sed per hæresim desinit esse membrum Ecclesiæ, vt vidimus: ergo desinit esse Papa, quomodo enim erit caput, qui non est membrum? Nam plura requiruntur ad caput, quàm ad membrum, quare si per hæresim desinit esse membrum, à fortiori desinit esse caput.

Quæres 2. Vtrùm Papa hæreticus eo ipso quòd hæreticus est, sit ipso iure priuatus Pontificatu, vel adhuc requiratur sententia depositionis? Resp. quòd non sufficit hæresis siue occulta, siue manifesta in Papa: itaque si Papa sit hæreticus, siue occultè, siue manifestè, hoc non sufficit, vt amittat iurisdictionem, sed insuper requiritur sententia depositionis. Ita Caietanus tom. 1. opuscul. tract. 1. à cap. 19. vsque ad 27. Cano lib. 4. de locis cap. vltimo ad 12. Soto in 4. d. 22. q. 2. art. 2. Azor. par. 2. lib. 4. cap. 7. Bannes 2. 2. qu. 1. art. 10. dub. 2. concl. 2. Suarez ibi disp. 10. sect. 6. Arauio ibi q. 4. dub. 3. §. 1. & alij.

Probatur 1. ex Concilio Constantiensi, in quo non sunt vitandi excommunicati, nisi vel sint declarati, vel sint manifesti percussores clericorum; quare Papa hæreticus licèt non sit membrum Ecclesiæ interiùs; tamen exteriùs, quàmdiu non declaratur hæreticus, habet exterius regimen, & est validum quidquid declarat, & ordinat, vt generaliter colligitur ex l. Barbarius ff. de officio prætoris; aliter essent in Ecclesia maximæ perturbationes, & nullitates, si sola hæresis occulta, vel manifesta in Papa, non tamen iudicata sufficeret ad nullitatē iurisdictionis in ipso Papa.

Probatur 2. quia Christus contulit iurisdictionem Papalem tali electo ratione electionis, & non ratione bonitatis: ergo quàmdiu durat ius electionis in illo Papa, licèt non duret bonitas, durat in illo iurisdictio; sed ius electionis Papæ durat in illo quàmdiu non iudicatur per sententiam depositionis: ergo vsque ad talem sententiam ille est verus Papa. Probatur minor; quia sola sententia depositionis, vel renuntiatio ipsius Papæ destruit vim electionis: ergo tàmdiu durat in Papa vis electionis, quàmdiu non deponitur per sententiam, vel quàmdiu ipse non renuntiat Papatui. Probatur antecedens, quia electio Papæ habet vim habilitandi illum, vt recipiat à Christo immediatè iurisdictionem, quatenus est facta ab Ecclesia iuxta dispositionem cap. licèt de elect. & cap. vbi periculum de elect. in 6. ergo per solam sententiam depositionis datam ab Ecclesia, vel per renuntiationem ipsius Papæ acceptatam ab Ecclesia destruitur vis præcedentis electionis; nam per quascumque causas renascitur, per easdem dissoluitur. De regulis iuris.

Probatur 3. quia omnis potestas Papæ, vel est ordinis, quæ cum pendeat ex charactere, numquam aboletur quantùm ad validitatem; vel est iurisdictionis, hæc autem vt vidimus modò perseuerat vsque ad sententiam Ecclesiæ; ergo licèt Papa sit hæreticus, vel internus, vel publicus, non adhuc censetur priuatus Papatu. Ex quibus infertur, quòd non benè dixit Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 30. quòd hæc sententia non potest defendi, cum à doctissimis defendatur.

Quia verò in hac materia variè loquuntur Doctores, nam alij putant Papam hæreticum internè iure diuino esse priuatum, ita Turrecremata lib. 4. p. 2. cap. 20. Alij censent quòd desinit esse Papa non per internam, sed per externam hæresim. Ita Bellarminus citatus, alij non distinguunt, sed tantùmmodo dicunt, quòd Papa hæreticus ipso facto, & de iure diuino est depositus. Ita Syluester verbo Papa q. 4. Paludanus lib. de potestate Papæ q. 4. ideo omnium fundamenta proponenda sunt, & soluenda.

Oppones igitur 1. quia non potest esse caput Ecclesiæ, qui non est membrum Ecclesiæ;

fiæ; sed Papa hæreticus non est membrum, quia per heresim non est intra Ecclesiam: ergo non potest esse caput, ac proinde ante sententiam depositionis iam non est Papa. Resp. ad minorem, quòd Papa hæreticus non est membrum ex defectu fidei, attamen est caput ex iurisdictione; quare non potest esse membrum per fidem, quam non habet, nec per fidem est caput; sed est caput per iurisdictionem, Caietanus ait quòd Papa hæreticus adhuc est in Ecclesia per characterem.

Oppones 2. quia Apostolus ad Titum 3. ait. [Hæreticum hominem post primam, & secundam correctionem devita.] Respondetur quòd etiam Papa hereticus est vitandus post correctionem, quæ illi debet fieri per iudicium Ecclesiæ: particularis enim correctio non sufficit, vt vitetur Papa, qui est caput totius Ecclesiæ.

Oppones 3. quia hæreticus non est propriè Christianus; iam verò caput Ecclesię debet esse propriè Christianus. Resp. quòd Papa hæreticus licèt non sit propriè Christianus, quia amisit fidem, attamen quia habet characterem Christi, & iurisdictionem à Christo, dici potest Christianus secundùm quid.

Oppones 4. Quia si Papa hæreticus adhuc est Papa, & priuatur per iudicium, & per sententiam Ecclesiæ, sequitur quòd Ecclesia, vel Concilium iudicat illum, qui verè est Papa, ac proinde est superius ad Papam, quod non potest dici, nam Papa est superior ad Ecclesiam, & Ecclesia non est superior ad Papam. Hoc autem non sequitur ex opposita sententia, quæ docet per hæresim non esse Papam, ac proinde quando Ecclesia illum iudicat, & punit, iam non iudicat Papam.

Resp. 1. quòd Papa hæreticus deponitur à Concilio non tamquam à causa principali, sed tamquam ab instrumento Christi; vnde Christus est, qui illum deponit ministerio Concilij, iam verò causa instrumentalis non habet superioritatem principalem, sed tantùm ministerialem super effectum. Sicut enim electio Papæ non illi confert efficienter iurisdictionem, sed tantùm dispositiuè, iurisdictio enim illi immediatè confertur à Christo media, vel supposita electione: Ita depositio Papæ facta per Ecclesiam non illum deponit efficienter principaliter, sed tantùm præsuppositiuè, siue dispositiuè. Ita Arauio citat. §. prima est, & Suarez lib. 3. defensionis c. 18. num. 12. quod desumitur ex Caietano citato cap. 20.

Resp. 2. quòd Concilium non habet potestatem supra personam Papæ; sed habet potestatem supra illam coniunctionem, quæ datur inter personam Papæ, & dignitatem Papatus, non absolutè, sed vel in fieri, vel in corrumpi. Ita subtiliter Caietanus opuscul. de auctor. Papæ cap. 20. §. Dicamus, & §. primo quia in papa, vbi subtiliter aduertit, quod in Papa tria reperiuntur. Primum est ipsa persona Papæ. Secundum est dignitas Papatus. Tertium est coniunctio inter personam Papæ, & ipsum Papatum. Itaque Ecclesia non habet potestatem in personam Papæ, nec habet potestatem in dignitatem Papatus: sed solùm habet iurisdictionem, & potestatem supra illam coniunctionem inter personam Papæ ad dignitatem Papatus, & inter dignitatem Papatus ad personam Papæ; non absolutè, sed & in fieri, & in corrumpi. Quod explicatur.

Quia ibi, (fieri) est electio, nam Papa fit Papa per electionem; (corrumpi) autem est depositio ipsius Papæ, nam quando Papa deponitur, corrumpitur illa coniunctio; dicit ergo Caietanus, quòd Ecclesia nec habet potestatem supra personam Papæ, nec supra dignitatem Papæ, sed supra coniunctionem inter Papatum, & personam; siue sit in fieri, scilicet in electione, siue sit in corrumpi, scilicet in depositione.

Probatur hoc, quia persona Papę iuncta cum dignitate Papatus, & dignitas Papatus iuncta cum persona Papæ, sunt supra totam Ecclesiam, quia sunt caput Ecclesiæ: ergo Ecclesia non habet potestatem, nec supra personam Papæ, nec supra dignitatem Papæ, prout sunt coniunctæ in facto esse, quia totam hoc prouenit à Christo, cuius Papa est Vicarius.

Quod autem Ecclesia habeat auctoritatem, & potestatem supra illam coniunctionem, & in fieri, & in corrumpi. Probatur, quia mortuo Papa, Ecclesia habet ius eligendi Papam, ne maneat sine capite; & Papa hæretico, habet Ecclesia ius deponendi illum, quia per hæresim Papa prescinditur ab Ecclesia, & est caput præscissum, ac proinde Ecclesia esset sine capite, quia caput prescissum non est caput; & corpus sine capite est truncum, & truncatum: ergo & in fieri, & in corrumpi Ecclesia habet potestatem non supra personam, & dignitatem, sed supra coniunctionem inter dignitatem, & personam Papę, ac proinde potest declarare, & iudicare Papam hereticum non esse Papam; neque ex hoc sequitur, quòd Ecclesia habeat potestatem supra Papam, sed quòd habeat potestatem supra illam coniunctionem Papatus ad personam, non absolutè, sed tantùm in fieri, & corrumpi.

Verùm his non acquiescit Bellar. citatus lib. de Roman. Pont. cap. 30. §. At contra. Et opponit, primò, quia Papa deponens Episcopos, est supra Episcopum; & tamen quando deponit Episcopos non est supra Episcopatum, sed supra coniunctionem intra Episcopatum, & Episcopum: ergo si Ecclesia deponit Papam ex eo quod habet potestatem inter illam coniunctionem inter Papatum, & Papam, benè sequitur, quòd habet potestatem supra Papam. Resp. quòd Papa deponens Episcopos, non solùm habet auctoritatem, & potestatem super illam coniunctionem inter Episcopatum, & Episcopum, sed etiam supra ipsam dignitatem, & personam Episcopi, & iurisdictionem illius in particulari; vt vidimus precedenti sectione: quare argumentum non procedit, quia non habet potestatem supra personam Episcopi, ex eo quòd illam, habet supra coniunctionem personæ Episcopi cum iurisdictione; sed ex eo quia est supremum caput Ecclesiæ, cui subijciuntur omnes oues Christi, & à quo Papa procedit omnis iurisdictio in Episcopos.

Opponit secundò, quia deponere inuitum à Pontificatu est pæna: ergo si Ecclesia potest deponere Papam, illum punit: sed punitio est respectu inferioris: ergo sequitur quòd Ecclesia non solùm habet auctoritatem super illam coniunctionem Papæ, cum Papatu, sed super ipsam personam Papæ. Resp. 1.

quòd

quòd deponere inuitum à pontificatu est pœna illata à quocumque deponente, nego; illata à deponente principaliter, & auctoritatiuè, concedo: iam verò Ecclesia deponit Papam non auctoritatiuè, sed instrumentaliter; nam vt aduertit Caietanus citatus; Ecclesia habet se instrumentaliter respectu personæ ipsius Papæ, quando deponit Papam;& habet se auctoritatiuè respectu coniunctionis inter personam, & papatum, vnde illa depositio respectu personæ in Ecclesia est instrumentalis, quia Ecclesia est instrumentum Christi,qui deponit,& punit personam Papę; Vndè non sequitur, quòd Ecclesia auctoritatiuè sit supra personam Papæ, sed sequitur, quòd Ecclesia instrumentaliter, scilicèt prout est instrumentum Christi sit supra personam Papæ.

Opponit 3. quia in sententia Thomistarum totum non distinguitur à suis partibus simul sumptis: ergo si Ecclesia habet auctoritatem in partes simul sumptas, ita vt illas possit separare, habet etiam in ipsum totum, quod ex illis consurgit. Resp.quòd totum est idem cum partibus simul sumptis in facto esse, non verò in fieri,nec in corrumpi; quando enim fit, vel corrumpitur compositum ex materia, & forma,istæ partes distinguuntur à toto, quia sunt causæ illius.

Benè autem intelligitur, quòd aliquis habeat potestatem super coniunctionem duarum rerum, & non illam habeat super ipsas duas res. Et patet duplici exemplo. Sit primum Philosophicum; Pater in humanis, qui neque generat materiam (est enim ingenerabilis, & incorruptibilis) nec generat animam rationalem, quæ à Deo creatur, & tamen vnit illos generando vnionem; non ergo habet potestatem super partes, & habet potestatem supra coniunctionem partium inter se. Sit secundum exemplum morale; Electores Papæ habent potestatem coniungendi papatum cum persona Papæ, & tamen non habent potestatem, nec supra papam, nec supra papatum.

Contra hoc vltimum exemplum opponit Bellarminus citatus, §. Neque, quia dum res fit, actio exercetur circa materiam rei futuræ, non circa compositum, quod non dum est; at dum res destruitur,actio exercetur circa compositum, vt patet in rebus naturalibus: ergo quando Cardinales creant Papam, exercent suam auctoritatem non circa Papam, quia nondum est, sed circa personam, quam disponit ad papatum.Resp. exemplum esse optimum, nam vis illius consistit in eo, quod sicut potestas Ecclesiæ eligendo Papam consistit in illa coniunctione,& non in auctoritate circa personam, ita potestas auctoritatiua Ecclesiæ eligendo Papam consistit in illa disiunctione ex parte effectus, quia disiungit illam coniunctionem inter Papam,& papatum; nam formaliter loquendo in vtroque casu Ecclesia non habet auctoritatem circa personam Papæ, non in casu electionis, quia Papa nondum est; nec in casu depositionis, quia tunc Ecclesia non habet auctoritatem in personam Papæ, qui est, sed in illam coniunctionem dispositiuè, itaut ille, quem Ecclesia iudicauerit hæreticum, & deponendum, à Christo deponatur.

Quæres 3. A quo deponendus sit Papa hæreticus? Respond. quòd deponendus est à Concilio, modo explicato. Probatur, quia Concilium generale repræsentat vniuersalem Ecclesiam, sed Papa hæreticus deponendus est à tota Ecclesia,ergo deponendus est à Concilio generali. Ita omnes communiter.

Oppones 1. quia Cardinales eligentes Papam, possunt ipsum deponere, si sit hæreticus, per quas enim causas res nascitur, per easdem dissoluitur, de regulis iuris: ergo non est necessaria congregatio Concilij. Resp. negando antecedens, Cardinales enim eligunt Papam ex eo quod hoc illis commissum, & concessum est cap. licèt de elect.& cap. vbi periculum de elect.in 6. at verò depositio Papæ nullibi est commissa, aut concessa Cardinalibus, quare necesse est vt ad illius depositionem congregetur Concilium.

Oppones 2. quia cum in congregatione Concilij vniuersalis sit maxima difficultas,& sint maxima impedimenta, sequeretur, quòd Papa hæreticus longo tempore esset Papa, & essent innumera incommoda, & errores innumeri quoad vsq;congregaretur Concilium,in quo congregando esset maxima difficultas; sicut non esset maxima difficultas, si Cardinales electores illum deponerent. Resp. quòd in moralibus moraliter iudicandum est; cum ergo electio Papæ moraliter sit frequentior, quia frequenter Papæ eliguntur senes, ac proinde frequenter moriuntur, necesse fuit, vt illorum electio ad Concilium, quod difficilè congregabitur ex omnibus orbis partibus, sed ad Cardinales, qui ordinariè in vrbe congregati sunt sub quibusdam limitationibus pertineret: at verò depositio Papæ, quę non fit nisi propter hæresim, quæ rarissime in Papa inuenitur, imò probabile est, quòd non potest inueniri,vt vidimus, inde est, quod depositio pertinet ad Concilium. Adde quod dicitur in receptissimo carmine.

[Turpiùs eijcitur,quàm non admittitur hospes.] Vt ergo non admittatur aliquis in Papam per electionem pauciora requiruntur, scilicèt electio Cardinalium, qui illum non admittit, & admittit istum, vt verò aliquis, qui iam Papa eijciatur, & reijciatur à papatu, plura requiruntur, ne turpiùs eijciatur, ac proinde necesse est, vt congregetur Concilium ex omnibus Prælatis Ecclesiæ.

SECTIO XXI.

De alijs pertinentibus ad depositionem Papæ hæretici.

QVæres 1. Vtrùm Papa hæreticus,qui nihilominus vult corrigi, & abiurare hęresim sit deponendus? Glossa in cap. si Papa, dist. 40. & alij absolutè negant; alij absolutè affirmant. Resp. ergo, quòd si Papa sit hæreticus, & corripiatur ab Ecclesia, & correptus primò abiuret hæresim; & postea reincidat in hæresim, à qua correptus ab Ecclesia iterum reincidat, post secundam correptionem est deponendus. Non itaque est deponendus vbi primùm inuenitur hæreticus, si vult corrigi, & de facto corrigitur; sed est deponendus post secundam correctionem, &

reincidentiam. Ita Caietanus opuſcul. de auctorit. Papæ, cap. 23. & colligitur ex cap. dixit Apoſtolus 24. qu. 3. Habet hæc reſultatio duas partes.

Probatur vtraque ex Apoſtolo ad Titum 3. [hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correctionem deuita;] Sed Papa ſubijcitur huic iuri diuino: ergo eſt vitandus poſt primam, & ſecundam corrrectionem datam à Concilio; vitatur autem Papa hæreticus per depoſitionem à papatu, cum non ſit alius modus vitandi illum.

Probatur deinde, quia iudicium Eccleſiæ debet terminari aliquo termino, ne in infinitum pertrahatur; ergo terminus iudicandi, & deponendi papam hęreticum debet eſſe poſt ſecundam correctionem, aliter poſſet Papa ſæpiùs corripi, & corrigi, ac ſæpiùs reincidere in hæreſim, ex quibus reincidentijs ſæpè reiteratis eadem, imò, & peiora mala ſequerentur.

Ex his clarè colligitur id, quod docuimus lectione præcedenti, ſcilicèt quòd Papa hæreticus non eſt ipſo iure depoſitus à papatu, ſed eſt deponendus; nam ſi vitandus eſt, & deponendus poſt ſecundam correctionem; bene ſequitur, quòd ante iſtas correctiones, non erat depoſitus, præcipuè quia ſi Papa hæreticus vult corrigi, ante primam, vel ſecundam correctionem perſeuerat in papatu: ergo ſignum manifeſtum eſt, quòd Papa hæreticus eſt verè Papa ante correctiones, & depoſitionem. Et patet quia ſi Papa hereticus corripitur, & corrigitur perſeuerat in papatu, & non perſeuerat per nouam electionem, neque de nouo eligitur; ergo perſeuerat ex eo quòd etiam poſt hæreſim eſt verè Papa, nam ſi iam non eſſet Papa, requireretur noua electio, vt eſſet Papa de nouo.

Oppones, quia cap. Nunc autem diſt. 21. habetur, quòd Papa Marcellinus ingreſſus templum Paganorum grana thuris obtulit idolo, poſtea verò congregato Concilio confeſſus eſt hoc crimen idolatriæ, vt propter illud iudicaretur. Patres verò Concilij dixerunt ei, tuo ore iudica cauſam tuam, non noſtro iudicio, quia prima Sedes non iudicatur à quoquam: ergo cùm Sedes Romana ſit prima, non poteſt iudicari à Concilio, nec etiam poſt ſecundam correctionem. Reſpond. multis omiſſis, quòd Marcellinus re vera non fuit hæreticus, nec in corde dimiſit fidem, ſed tantummodo metu mortis, & tormentorum exteriùs commiſit idolatriam; iſte autem caſus non erat caſus hæreſis, ac proinde non potuit Concilium iudicare Papam, quem poſſet iudicare, & deponere, ſi verè eſſet hæreticus poſt ſecundam correctionem. De quo breuiter Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontifice, cap. 8. §. Decimus. Hic Marcellinus fuit poſtea inſignis martyr. Reſpon. 2. quòd licèt Marcellinus eſſet hæreticus (quod negamus) tamen in illo Concilio non potuit corripi, quia ipſemet confeſſus eſt ſuam culpam, correctio autem datur in defectum confeſſionis, nec potuit deponi, quia illa erat prima hæreſis, & de illa dolebat.

Quæres 2. Vtrùm Papa poſſit deponi propter aliud quodcumque crimen, quod non ſit hæreſis? Verbi gratia propter ſimoniam, furtum, publicum ſcandalum, & alia? Affirmat gloſſa ad caput ſi Papa diſt. 40. vbi ait, quòd propter aliud crimen notorium poteſt deponi; & idem ad c. Achatius 24. q. 1. & alij. Attamen Caietanus opuſcul. de auctoritate Papæ, & Concilij, cap. 25. quòd gloſ. hic errauit cum tota multitudine ſequacium, & reuera iſta gloſſa præbuit occaſionem multis perturbationibus tempore Eugenij IV. & Iulij II. Nam multi Doctores illam approbarunt, multi illam reprobarunt, vtroſque citat Azor. part. 2. lib. 4. cap. 7. §. 4. quæritur.

Reſp. ergo primo ad quæſt. quòd Papa poteſt deponi, & accuſari, ſi ſit hæreticus, vt vidimus, & etiam ſi ſit fautor hereticorum, illorum defenſor, & receptator. Ita Azor citatus §. quòd hactenus, & §. 5. quæritur; ſi tamen in hoc ſit pertinax, & patet, nam qui hæreticos defendit eſt ſuſpectus de hæreſi. Poteſt etiam Papa deponi ſi non ſit certus, & propter hanc incertitudinem ſint ſchiſmata in Eccleſia; & ſic in Concilio Conſtantienſi depoſiti ſunt tres Pontifices incerti, ſcilicèt Gregor. XII. Benedictus XIII. & Ioan. XXIII. ad tollendum maximum ſchiſma, quo tunc Eccleſia diſcindebatur.

Reſp. 2. quòd excepto crimine hæreſis Papa non poteſt deponi propter quodcumque aliud crimen, ſiue ſit ſimonia, ſiue tyrannis, ſiue publicum ſcandalum. Ita omnes communiter. Caietanus citatus, Turrecremata in ſumma lib. 2. cap. 93. Paludan. de poteſtat. Papæ D. Antoninus p. 3. tom. 23. c. 5. & tom. 24. cap. 2. Azor. citatus, & alij: quod deſumitur ex Theologo in 4. diſt. 19. qu. 2. art. 2. qu. 3. ad 2. vbi ait, quòd quamuis prælati ſint corripiendi à ſubditis, non tamen eſt pœna infligenda, ſed recurrendum eſt ad ſuperiorem ad Deum, vt eum emendet, aut de medio tollat.

Probatur 1. quia Papa ſolùm eſt deponendus ex iure diuino: tum verò in iure diuino aſſignatur cauſa hæreſis. Ad Titum 3. hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correctionem deuita, vt iam explicauimus, excipiuntur autem alia omnia crimina. Matthæi 23. vbi ait Chriſtus, [Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite, ſecundùm autem opera eorum nolite facere.] Ecce Chriſtus apertè docet, quòd ſubditi debet, & tenentur audire prælatos male vitæ, & bonæ doctrinæ, & quòd non illos eijciant, aut deponant de Cathedra, quamdiu docent veram doctrinam, quamuis habeant malam vitam: ſed doctrina pertinet ad fidem, & opera mala ad malos mores: ergo ſi Papa docet veram doctrinam fidei, quantumuis in moribus ſit ſcandaloſus audiendus eſt, & non eſt deponendus, nec eſt deponibilis.

Probatur 2. ex Innocentio II. ſerm. de conſecrat. Papæ; Vbi ait. [In tantum mihi fides eſt neceſſaria, vt cum de cæteris peccatis Deum iudicem habeam, propter ſolum peccatum, quod in fidem committitur, poſſem ab Eccleſia iudicari.] Preme illam excluſiuam [ſolùm,] & cap. electionem diſt. 79. ait Anacletus, quòd electionem Summi Pontificis ſibi Dominus reſeruauit, & ex alijs capitulis, quæ citat Caietanus citatus.

Probatur 3. ratione Caietani; ſola cōtraria conditionibus neceſſario requiſitis ad eſſe

Papæ,

Papæ; reddunt Papam deponibilem: sed inter crimina sola infidelitas contrariatur necessariò requisitis ad esse Papæ: ergo sola infidelitas inter crimina reddit Papam deponibilem. Maior est certa, quia quælibet res perseuerat in suo esse, quamdiù non aduenit aliquod contrarium dispositionibus conseruantibus talē rē in suo esse, vt patet in Petro, v.g. qui perseuerat in suo esse, quamdiù non aduenit aliquod contrarium dispositionibus illius esse, verbi gratia si adueniat ignis &c. Minor probatur; quia duæ conditiones necessariò requiruntur, vt aliquis sit Papa, multę requiruntur, vt sit bonus Papa.

Ad hoc vt aliquis sit Papa requiritur 1. quòd sit voluntarius. Secundò, quòd sit Catholicus, & membrum Christi; vnde si adueniat renunciatio ipsius Papæ desinit esse Papa. cap. Quoniam de renunt. in 6. quia renunciatio contrariatur conditioni voluntarij; nam qui renunciat, iam non est voluntarius in papatu. Et si adueniat infidelitas hæresis est deponibilis à papatu, quia hæresis contrariatur alteri conditioni, scilicèt, quòd Papa sit Catholicus, ille enim, qui est hæreticus non est Catholicus, nec membrū Christi.

Conditiones requisitæ, vt aliquis sit bonus Papa, sunt plures virtutes, iustitia, modestia, vnde si in istis deficiat, non erit bonus Papa, attamen erit Papa. Quæ quidem ratio optima est; vnde Caietanus citatus sic ait: [Hanc rationem vellem in statera poni, & non friuolas, & apparētes per accidentia vagātes.

~~Confirmatur, quia si electores~~ eligerent in Papam virum catholicum, qui tamen esset vsurarius, vel infectus quolibet alio crimine scandoloso; re uera electio esset valida, & electus verè esset Papa: ergo non possunt deponere à papatu virum catholicum quantumcumque in moribus scandalosum, quod enim sufficit vt eligatur, à fortiori sufficit vt non deponetur. Probatur antecedens, quia aliæ dispositiones requiruntur ad esse, aliæ requiruntur ad bene esse; quòd autem aliquis sit catholicus, & voluntarius, sunt dispositiones, & conditiones requisitæ ad esse Papę, quòd autem sit modestus, iustus &c. sunt dispositiones, vt aliquis sit bonus Papa, ergo qui eligitur cum illis primis dispositionibus, & conditionibus est verus papa, licèt non sit bonus Papa: quamuis enim in electione Papæ possint opponi simonia, & grauis metus, & alia, vt vidimus hìc sect.9. hæc tamen non possunt opponi contra personam electi, sed contra ipsam electionem.

Contra istam resolutionem opponuntur multa, & difficilia argumenta, quæ licèt ex dictis facilè soluantur; quia tamen aliqua speciales afferunt difficultates singillatim explicandæ sunt. Affert autem Caietanus citatus septem argumenta, quæ subtiliter soluit, & explicat, præcipua proponenda sunt, & soluenda.

Oppones igitur 1. quia si ille textus Matthæi 23. aliquid probat, probat vtique quòd etiam Episcopi sunt tolerandi, etiamsi sint simoniaci, vsurarij, & criminosi cum scandalo, nam ille textus non loquitur absolutè de solo Papa, sed de omnibus prælatis, dum ait; [super cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite.] Sed Episcopi, si sint vsurarij, & criminosi, deponi debent quantumuis sint catholici: ergo idē dicendum est de Papa.

Respondetur latum esse discrimen, nam Episcopi subijciuntur iuri ecclesiastico, quod illos decernit deponendos; attamen Papa non subijcitur iuri ecclesiastico, ac proinde licèt sit criminosus, non est deponendus, nec est deponibilis, nisi propter hæresim, vt vidimus, & colligitur ex Matthæi 18. [Si pes tuus, vel manus, vel oculus tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te.] Qui textus intelligitur tantùm de pede, de manu, de oculo, non autem intelligitur de capite; quare Episcopi, qui sunt oculi, & quicumque alij ministri, qui sunt manus, & pedes in Ecclesia, si prauis moribus scandalizent, abscindendi sunt, & à suis locis, & cathedris abijciendi; at verò Papa, qui est caput, quamuis scandalizet non est prǣscindendum, neque enim Christus ait, si caput tuum scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te.

Vrgebis, quia si ex iure diuino habetur quòd prælati scandalosi audiendi sunt, si non doceant falsam doctrinam, sequitur quòd Ecclesia non possit deponere episcopos malè morigeratos, simoniacos, vsurarios; dummodo non sint hæretici, hæc enim depositio esset contra ius diuinum. Respondetur, quòd ius diuinum Matthæi 13. licèt loquatur de omnibus prælatis, aliter, & aliter loquitur de Papa, & de Episcopis; nam de Papa loquitur, & intelligitur tamquam de superiori ad omne ius ecclesiasticum; & de Episcopis loquitur, & intelligitur tanquam de subiectis iuri ecclesiastico; Vnde etiam Episcopi, quantumuis criminosi, essent tolerandi, si ius ecclesiasticum, cui subijciuntur, aliter non disponeret, potest autem ius ecclesiasticum sic disponere, quia ista dispositio ei dimittitur à iure diuino: sic ius ecclesiasticum multa disponit circa administrationem Sacramentorum, & circa contrahenda matrimonia, quę tamen sunt prohibita ex iure ecclesiastico, & permissa ex iure diuino. Videatur Caietanus opuscul. de auctorit. Papę, & Concilij c. 26. §. Diuina, ad finem.

Oppones 2. Papa potest, & debet deponi propter pertinaciam in crimine hæresis: ergo etiam propter aliud crimen scandalosum. Probatur consequentia, & quia ideò est deponibilis propter crimen hæresis, quia est graue, vel quia est damnificatiuum, iam verò alia crimina sunt grauiora, sic odium Dei ex Theologo 2. 2. q. 3. art. 2. & alia causant maiora damna, verbi gratia, si Papa vendat omnia beneficia, si deprimat bonos, & extollat malos; hoc magis damnosum esset, quàm si Papa religiosè viuens pertinaciter credat quòd filius Dei non est Deus.

Resp. quòd Papa deponitur propter crimen hæresis non solùm, quia est graue, & damnificatiuum, sed quia mutat statum, & facit ex christiano non christianum, & ex catholico non catholicum, quòd non habent alia crimina, cum quibus etiam homo est christianus: licèt sit malus christianus, implicat autem, quòd aliquis non catholicus sit Papa, & non implicat, quòd malus catholicus sit Papa, vt iam vidimus, & explicauimus. Ita Caiet. cit. cap. 27. ad primum.

Oppones 3. quia sicut est licitum auferre gladium à manu furiosi, & sicut esset licitum occidere Papam inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ita erit licitum auferre ab illo gladium potestatis, si in suis criminibus sit furiosus, & si suo malo exemplo cogit alios ad malam vitam, & occidit plures animas fidelium. Resp. quòd auferre gladium de manu furiosi est licitum cuilibet in defensionem, non verò est licitum authoritatiuè; quia verò Ecclesia non potest auferre à Papa gladium potestatis, nisi authoritatiuè, scilicet iudicando, & deponendo illum per sententiam, ideò non potest ab illo auferre gladium, licèt sit furiosus, quia præter casum hæresis non potest super illum habere potestatem, nec authoritatem. Imò nemo potest occidere Papam etiam inuasorem, quia est caput, & maximè necessarium Ecclesiæ. Sed dato, & negato, quòd aliquis illum inuasorem iniustum posset occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, non indè sequitur, quòd possit deponi; nam ad illius occisionem licitam sufficeret defensio inuasi; at verò ad illius depositionem requiritur authoritas in deponente; hæc autem deest in Ecclesia respectu Papæ. Et patet exemplo, nam in casu negato, si alicui esset licitum occidere Papam inuasorem in defensionem iustam, nulli tamen esset licitum authoritatiuè iudicare, & punire Papam homicidam pœna mortis.

Dices: ergo Papa est deponibilis in titulum defensionis, potest enim Ecclesia deponere Papam scandalosum, vt se defendat ab illius scandalo. Resp. negando, ista enim depositio semper deberet fieri per sententiam authoritatiuam, quam Ecclesia non habet supra coniunctionem papatus, & personæ, nisi in casu hæresis, vt vidimus. Potest tamen Ecclesia se defendere resistendo Papæ scandaloso, & obiurgando illum, saltem per Reges, & principes, sicut Paulus restitit Petro ad Galat. 2. & orando Deum, vt illum, vel emendet, vel tollat, sicut dixit Theologus citatus. Ita Caietanus citatus ad secundum, & quod ista ratio esset efficax, & Deus illam exaudiret; probat Caietanus ibi ad secundum.

Oppones 4. quia Papa cum sit sponsus Ecclesiæ potest illam relinquere renuntiando: ergò etiam Ecclesia, quæ est sponsa Papæ potest illum relinquere deponendo, eadem enim est ratio, si Papa illi sit scandalosus. Resp. 1. latum esse discrimen, quòd Papa ita est sponsus, vt sit superior in iurisdictione, & Ecclesia, ità est æqualis, sicut coniuges in actu matrimonij sunt æquales. Ita Caietanus citatus ad quartum. Resp. 2. quòd si hoc argumentum aliquid probaret, probaret vtique quòd Ecclesia quoties vellet, posset Papam validè deponere, sicut Papa potest renuntiare validè absque causa: cùm ergo constet quòd Ecclesia non potest Papam deponere absque causa, numquam valet argumentum de Papa ad Ecclesiam, & de Ecclesia ad Papam.

Oppones 5. quia plures Papæ depositi fuerunt à concilijs non solùm propter hæresim, sed etiam propter notoria crimina. Tres nominati, in Concilio Constantiensi. Eugenius IV. in Concilio Basileensi, & Ioannes XII. in quodam Concilio coacto Romæ ab Othone II. Imperatore; propter periuria; incestus, adulteria, & alia, quæ illi obijciebantur. Resp. quòd Concilium Constantiense deposuit illos tres Papas propter illorum incertitudinem, & maximum schisma, quod potuit facere, vt vidimus. Depositio Eugenij IV. fuit iniusta, & nulla, & sic illius successores fuerunt veri Pontifices. Depositio Ioannis XII. fuit iniusta, & tyrannica; imò contra illum multa falsa obiecta sunt. De quo Azor. par. 2. lib. 4. capitulo 8. Ex his.

Colligitur 1. quòd Papa captiuo absque aliqua spe reditus, & libertatis non potest per Concilium deponi. Sic enim habetur Actor. 12. cum enim Petrus seruaretur in carcere, & nulla esset spes libertatis in Ecclesia non tractabatur de illius depositione, sed oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Si tamen per testes constaret de morte Papæ captiui, possent Cardinales eligere nouum Papam; si tamen post nouam electionem ille captiuus, qui putabatur mortuus appareret, ille antiquus esset verus Papa; sicut esset verus maritus ille, qui putabatur mortuus, & postea inuentus est viuus respectu alicuius vxoris.

Colligitur secundò, quòd si verus Papa incideret in amentiam perpetuum ex iudicio medicorum, possent Cardinales eligere nouum Papam. Et probatur, quia sicut mortuo Papa in vita naturali possent Cardinales nouum Papam eligere, quia vacabat papatus, ita Papa perpetuo amente possent Cardinales nouum Papam eligere, quia censeretur Papa præcedens mortuus vita rationali, neq; enim minùs necessaria est ad papatum, & ad regimen Ecclesiæ vita naturalis, quàm vita rationalis.

Colligitur tertiò, quòd si tempore, quo moritur Papa, essent mortui omnes Cardinales, tunc posset Concilium, vel omnes Episcopi, vel Clerum Romanum in casu, quo circa hunc casum, nihil esset dispositum, de quo casu iam diximus hìc sect. 10. quæstione 1.

Colligitur quartò, quòd si aliqua pars Ecclesiæ, verbi gratia Græci dicerent, quòd essent parati obedire nouo Pontifici eligendo, non autem electo; non ex eo esset eligēdus nouus Pōtifex; quia illa conditio esset iniqua, neque enim sunt facienda mala, vt veniant bona, neque deponendus Papa verus, & legitimus, vt plures credant.

Colliges quintò, quòd si aliquis Papa tempore magni schismatis iuramēto se obligasset cedere papatui, vt vnitas Ecclesiæ seruaretur, & hanc cessionem dilataret, non posset Ecclesia ipsum obligare ad cessionem talis iuramenti, nisi in casu, in quo esset Papa incertus, vt ex dictis iam constat. Vide Caietanum opusculo de authorit. Papæ, & Concilij cap. 28. vbi explicat istas collectiones.

Quæres tertiò. Vtrùm Papa hæreticus sit ipso iure diuino excommunicatus? Resp. quòd iure diuino nulla datur excommunicatio, nec etiam respectu hæreticorum, sed omnis excommunicatio est à iure Ecclesiastico, præsupposito tamen iure diuino, à quo

acci-

accipitur huiusmodi potestas. Ita Azor.p.2. lib.4.c.27. §. Ego autem. Itaque Papa hæreticus non est iure diuino excommunicatus; sed postquam depositus est per sententiam Concilij, subiacet pœnis excommunicationis, & alijs pęnis impositis hæreticis.

Probatur, quia Papa quamdiù est Papa non subijcitur iuri Ecclesiastico, imò est supra illud; ergò quamuis in iure Ecclesiastico sit constituta pœna excommunicationis, & aliæ pœnæ hæreticis, illis non subijcitur Papa, & quamdiù non deponitur, postquam autem deponitur, illis subijcitur, cum iam non sit Papa, sed persona particularis.

Oppones, quia Matth.18. [Si Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus] & ad Titum 3. [hæreticum hominem post primam, & secundam correctionem deuita] & 2. Ioannis: [Quicumque non affert doctrinam hanc, nec aue ei dixeritis:] ergo hæreticus est excommunicatus iure diuino. Resp. quòd in omnibus illis, & alijs textibus non infertur excommunicatio iure diuino, sed tantummodò indicatur potestas, quam Christus contulit Ecclesiæ, vt hæreticos excommunicaret, vt colligitur ex Lucæ 10. [Qui vos audit, me audit.]

Quæres quartò. Vtrùm Papa possit se subijcere iurisdictioni alterius? Resp. negatiuè cum communi sententia. Ita Turrecrem. lib. 2. summæ cap. Caiet. cit. Abbas in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ de const. in cap. significasti de foro compet. Azor. p.2.lib.4. cap.7. à §. Sextò quæritur, & desumitur ex Theologo in 4. dist.19. quæst.1. art.1.

Probatur, quia Papa est Vicarius Christi, nullus autem Vicarius potest subijcere suam iurisdictionem alteri absque licentia ipsius, cuius est Vicarius, sic Vicarius Episcopi, aut Imperatoris non potest subijcere alteri suam iurisdictionem absque licentia Episcopi, vel Imperatoris: sed non constat quòd Christus concesserit Papæ istam licentiam subiectionis: ergo Papa nulli potest se subijcere. Deindè quia caput non potest fieri manus, vel pes, neque recognoscere aliud caput; iam verò Papa est caput: ergo quamdiù durat in officio capitis non potest esse pes, subijciendo se ipsum alteri.

Oppones primò, quia Papa potest renuntiare papatui, vt vidimus ex cap. Quoniam de renunt. in 6. ergo potest se subijcere alteri, qui enim potest quod est maius potest quod est minus in eodem genere cap. Ex parte de decimis. Resp. negando consequentiam, nam vna ex conditionibus necessarijs ad esse Papæ est consensus, & voluntas illius, ac proindè cessante ista voluntate per renuntiationem definit esse Papa; at verò vt Papa manens Papa subijciatur alteri non pertinet ad ipsius voluntatem, sed ad voluntatem Christi, cuius est Vicarius, de qua licentia non constat; qui autem potest maius, etiam potest minus in eodem genere, hìc autem non sumus in eodem genere, quia aliud est renuntiatio, aliud subiectio, sic intellectus, qui potest intelligere, quod est maius, non potest odorare, quod est minus; nec homo, qui potest generare hominem; quod est nobilius, potest generare equum, quòd est ignobilius. Videatur Caietanus opusculo de authorit. Papæ, & Concil. cap.8. ad 1. in fine, vbi explicat istud proloquium.

Oppones 2. quia plures Summi Pontifices subiecerunt se ipsos concilijs. Sic Xistus III. vt se purgaret à quibusdam criminibus cap.Mandasti 2. quæst.5.& Leo similiter idem fecit, cap. Auditum, eadem causa, & quæstione, & alij. Resp. quòd ista, & istorum subiectio non fuit circa iurisdictionem, sed tantùm quoad purgationem, & examen, vt veritas clariùs pateret, & ex humilitate, nec per hoc alijs Pontificibus data est forma, & regula subiectionis, vt expressè ait ibi ipse Xistus IV. in citato cap. Mandastis, & Leo in cit.cap. auditum, expressè dicunt, quod per hoc alijs Pontificibus non præscribitur regula, aut forma subiectionis; quare immeritò glossa in cap.si Papa dist.40.& c. nos 2.q.7.& cap.Nemo 9.q.3.tenet oppositam opinionem.

Quæres 5. Vtrùm Papa possit condere legem, vt Papa hęreticus non deponatur, nec accusetur propter hæresim? Resp. negatiuè, quia talis lex esset contra ius diuinum, & ita tenet glossa cit. cap. si Papa dist.40.

Quæres 6. A quo damnandus est Papa hæreticus iam defunctus? Resp. quòd est condemnandus à Papa successore, qui ad hoc habet plenam authoritatem, non verò à Concilio, quod non habet authoritatem, nisi viuente Papa hæretico ad illum deponendum. Ita Geminianus in cap. fidei de hæreticis in 6. Azor. cit. §. Quæres cuius, & alij.

SECTIO XXII.

De authoritate Papæ supra vniuersale Concilium, & de ipso vniuersali Concilio.

PRæcedenti sectione vidimus Concilium non habere authoritatem supra Papam, nec supra hoc coniunctum, quod est persona Papæ cum papatu; habere tamen authoritatem supra coniunctionem inter Papam, & papatum in solo casu hæresis; vt igitur hæc clariora fiant, necessariò agendum est de authoritate Papæ supra Concilium, & de authoritate, & grauitate ipsius Concilij vniuersalis, quod hac sectione præstamus.

Quæres igitur primò, quid sit Concilium? Resp. quòd Concilium dupliciter potest sumi, vel generaliter pro quacumque congregatione ordinata ad bonum commune, & sic definitur, Concilium est congregatio hominum prudentum conuocatorum, publica authoritate ad tractandum de rebus necessarijs reipublicæ ex publica authoritate. Quia verò hæc definitio agit de Concilio generaliter, & communiter, prout etiam Concilium generale, & generaliter ad Ecclesiasticum, & sæculare, quod vulgò dicitur, (Cortes) & assemblea iuxta varias regionum vsurpationes, ideò agendum est de Concilio, prout præcisè est Ecclesiasticum, & ad Ecclesiasticas personas reducitur.

Igitur Concilium Ecclesiasticum, sic potest definiri, Concilium est rectorum Ecclesiæ, idest Episcoporum congregatio, causa tractandi rem grauem facta iure illius, qui con-

conuocandi Concilium habet authoritatem. Ita Arauio 2.2. quæst.1.art.10.quæst.3.dub.1. §. Sed his, & alij.

Quæres 2. quotuplex sit Concilium Ecclesiasticum? Resp. quòd Concilia Ecclesiastica sunt in quadruplici genere. Primò sunt Concilia generalia, quæ bene dicuntur Oecumenica. Secundò sunt Concilia nationalia, quando omnes Episcopi vnius nationis congregantur ad suum Primatem, vel patriarcham. Tertiò sunt concilia prouincialia in quibus Episcopi vnius prouinciæ congregantur ad Archiepiscopum vnius prouinciæ. Quartò sunt concilia Synodalia in quibus parochi, siuè presbyteri vnius Episcopatus congregantur iussu Episcopi. Quæ omnia patent ex ipsis nominibus, & explicat Arauio citatus, & Bellar. lib.1. de Conil.c.4.

Quæres 3. A quo debent congregari huiusmodi Concilia? Respondetur (multis omissis) quòd Concilia Oecumenica, & generalia debent congregari à solo Papa, qui est venerabilis Pastor, & vniuersale caput totius Ecclesiæ; Concilia autem nationalia conuocari debent à Primate, siuè à Patriarcha eiusdem nationis; Concilia prouincialia conuocarie debent ab Archiepiscopo; Concilia autem Synodalia ab Episcopo; vt ex ipsis nominibus constat, quia verò Papa omnibus Prælatis Ecclesiæ superior est, potest congregare omnia Concilia; attamen illius proprium munus est congregare Concilia generalia: Ità Arauio citatus, & alij.

Quæres quartò. Vtrùm Papa sit supra Concilium Generale, vel generale Concilium supra Papam? Parisienses Doctores quondam tenuerunt generale Concilium esse supra Papam. Nec dissentit Abulensis in prologo super Matthæum quæst.10. cap.17. art.108.& in defensorio par.2. cap.69. & alij.

Resp. tamen cum communi sententia, quòd Papa est supra Concilium, & supra illud habet authoritatem, & iurisdictionem. Ita desumitur ex Theologo in 4. dist.19. q.1. art.3. & 4. contra gentes cap.76. D. Antoninus par.3. tom.22.cap.10.§.4.& par.2.tom.3. cap.11. Cano lib.5. de locis cap. 5. & lib. 6. cap. 8. Caiet. opuscul. de authoritate Papæ par. 2. cap. 11. & 12. Valentia 2. 2. quæst. 1. art. 10. puncto 7. §. 45. Arauio ibidem q. 3. dub.3. Azor. par.2. lib.4. cap. 13. Cabezudo in addit. quæst.20. art. 3. difficult. 3. & alij; Et oppositum est vel erroneum, vel errori proximum.

Probatur primò ex authoritate Concilij Lateranensis sub Leone 10. sess. 21. vbi dicitur solum Romanum Pontificem tamquam authoritatem super omnia Concilia habentem Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, quod constat ex scriptura, & Sanctis Patribus; Idem habet Concilium Lugdunense,& Florentinum sess.vltima.

Probatur secundò, quia soli Petro dictum est; [Pasce oues meas.] Ioannes 21. ergo solus Petrus, & soli Pontifices illius successores habent immediatè à Christo supremam potestatem, vt pascant oues Christi; sed Concilium congregatur ad pastum, & pabulum ouium Christi: ergo tota potestas Concilij est à Papa in Concilium, non à Concilio in Papam, proindeque Papa est supra Concilium, non Concilium supra Papam.

Probatur secundò, quia soli Petro dictum est [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Lucæ 22. & ad solum Petrum, & eius successores Romanos Pontifices pertinet fratres confirmare in rebus fidei, quæ tractantur in Concilio.

Probatur tertiò, quia iam vidimus regimen Ecclesiæ simpliciter est monarchicum; ergo tota potestas regiminis simpliciter est in Papa, & non in Concilio, nisi ex commissione, approbatione, & confirmatione Papæ, aliter non in Ecclesia monarchia, sed democratia, vbi etiam populus gubernat.

Respondent, quòd absolutè regimen Ecclesiæ est Monarchicum, quia semper Papa est supra totam Ecclesiam, hoc tamen non tollit, quò minus aliquando sit democraticum, quando scilicet est conuocatum Concilium. Sed contra est, quod hoc nulla ratione dicitur, imò contra rationem, nam præsentibus, & quasi congregatis Apostolis dixit Christus Petro: [Pasce oues meas.] Ioannis 21. ergò soli Petro, & successoribus commisit, & tradidit regimen Monarchicum etiam Concilio congregato.

Probatur quartò,quia,vt supra vidimus, Papa est caput totius Ecclesiæ etiam simul sumptæ: sed totum corpus etiam simul sumptum est inferius ad caput: ergo Concilium quod est Ecclesia simul sumpta est inferius respectu Papæ. Et non illi superius.

Probatur quintò, quia Ioannis 10. dicitur, fiet vnum ouile, & vnus pastor, quem locum intelligit glossa interlinealis de pastore, qui est Summus Pontifex, sed Pastor non solùm est superior respectu cuiuscumque ouis in particulari, sed supra totum ouile congregatum, & simul sumptum: ergo & Summus Pontifex ad Concilium.

Oppones primò, quia in Concilio Constantiensi sess.4.sic dicitur. Hæc Sancta Synodus generale Concilium faciens Ecclesiam Catholicam repræsentans potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status,vel dignitatis, etiamsi papalis existat obedire tenetur in his, quæ pertinet ad fidem, &c. & idem ferè dicitur in Concilio Basiliensi.

Respondetur primò ex Arauio citato ad 1. quòd Concilium Constantiense errauit in illa sententia, quia non erat tunc congregatum ad definiendas propositiones fidei, sed tantùm ad sedandum schisma, & quia excessit terminos Concilij legitimè congregati permissit Deus illum errorem. Basiliense autem, licèt à principio fuerit legitimè congregatum, non fuit continuatum legitimè, quare errauit in hoc, & deponendo verum Pontificem Eugenium IV. Respondetur 2. ex Cabezudo citato ad 5. non facere fidem illa, quæ dicta sunt ab illo Concilio Constantiensi ante electionem Martini V. quia ante istam electionem erat tempus schismatis.

Respondetur 3. etiam illa verba posse habere aliquem sensum, loquuntur ergo non de dignitate papali vera, & certa, sed de dubia, & incerta, imò de ante papali. Sensus ergo est, quòd illi habent dignitatem Papalem

lem dubiam, & vsurpatam, qualem habebant Antipapæ illius temporis, subijciuntur generali Concilio.

Oppones 2. quia Actor. 15. dicitur visum est Spiritui Sancto, & nobis ergo Apostoli, & alij habebant in illo Concilio potestatem inmediatè à Deo, ac proindè Papa est inferior Concilio. Respondetur, quod illud Concilium, quatenùs continebat Apostolos, habebat potestatem immediatè à Deo; attamen omnes Apostoli erant subiecti Petro, prout erant oues Christi; vt iam supra explicauimus, & illud Concilium etiam ex consensu Petri congregatum. Ex quo nihil infertur contra conclusionem. Ex his

Colliges 1. quòd Concilia generalia non habent authoritatem immediatè à Deo, sed mediante Papa, de quo Turrecremata in summa de Ecclesia lib.3.à cap.27. Et ratione patet, quia omnis potestas collata est Petro, & successoribus, à quibus omnis potestas spiritualis dimanat in omnem Ecclesiam.

Colliges 2. quod ad solum Romanum Pontificem pertinet congregare, & conuocare Concilia, illa dissoluere, & transferre prout rerum opportunitas postulauerit. Quod si absque aliqua causa id faciat, peccabit Papa, attamen valida erit, vel translatio, vel prorogatio, vel dissolutio, quod tamen intelligitur de Papa certo, & indubitato, non de Papa incerto tempore schismatis, & sub hac distinctione intelligitur constitutio Concilij Constantiensis sess.39. vbi dicitur quod quolibet decennio congregetur Concilium, nec illud possit Papa dissoluere; loquitur enim de Papa dubio, vel incerto. De quo Turrecremata in summa de Ecclesia cap.64. Canus lib. 5. de locis cap.5.§. Verùm.

Colliges 3. quòd Papa potest tollere canones Concilij generalis in his, quæ pertinent ad ius Ecclesiasticum, supra quod ipse Papa est superior: non verò Canones, qui pertinent ad fidem, postquam ab ipso Summo Pontifice sunt confirmati, illa enim, quæ pertinent ad fidem sunt de iure diuino; loquimur enim de valido, non de licito; nam hoc forsan erit illicitum, si sine causa fiat, attamen semper erit validum.

Colliges 4. quòd Concilium absque authoritate Papæ non potest abrogare papales constitutiones; & patet quia, vt vidimus Papa est supra Concilium, Concilium autem non est supra Papam, ac proinde Papa potest abrogare constitutiones, & decreta Concilij circa Canones Ecclesiasticos, Concilium autem non potest abrogare Constitutiones Papales sine authoritate ipsius Papæ: Ex quo soluuntur multa, quæ obijci possunt. Ex cap. contra statuta 25.q.1. & ex cap. sunt quidam. Cap. Violatores. Cap. Prima Salus. Cap. Quæ ad perpetuam. Cap. Nulli fas. Cap. A Sanctis 25.q.1. Cap. Decretalis dist.2. Cap. De libellis. dist.4 Cap. In istis, dist. 16. Et Cap. Sancta octo. dist. 19. Respondetur enim hæc omnia capita, in quibus summatim dicitur, quòd Papa non potest immutare aliquid Conciliorum, intelliguntur de Concilijs approbatis, & confirmatis circa dogmata fidei, nō autem circa decreta pertinentia ad ius Ecclesiasticū.

Colliges 5. quòd Papa in his, quæ pertinent ad ius Ecclesiasticum potest abrogare Concilium per clausulam generalem dicendo hoc statuo non obstantibus quibuscumque determinatis in Concilijs; neque enim necesse est, vt specialiter declaret Concilium, v. g. non obstante Concilio Lateranensi. Probatur, quia Papa censetur habere totum ius in scrinio pectoris sui: ergo per illam clausulam generalem abrogat Concilium in his, quæ pertinent ad ius Ecclesiasticum, quod licèt sit firmatum, vel non firmatum authoritate Concilij; parùm interest quoad potestatem Papæ, quæ est suprema. De his videatur Azor. p.2. lib.5. cap.14.

Quæres 5. Vtrùm Concilium generale conuocari debeat authoritate Romani Pontificis? Negant Hæretici Germani, qui authoritatem conuocandi generale Concilium tribuunt Imperatori. Respondetur tamen Catholica conclusione, quod ad solum Romanum Pontificem pertinet conuocare Concilium. Ita Turrecremata lib.3. Summæ à cap.6. vsque ad 11. Caietanus opusculo de authoritate Papæ à cap.9. Cano lib. 5. de locis per totum. Azor. part.2. lib.5. cap.10. Arauio 2. 2. q.1. art.10. q.3. dub.1. Valentia, & Suarez ibi.

Probatur, quia Concilium conuocatur ad tractanda, & resoluenda dogmata fidei, ad hæreses premendas, & opprimendas; sed ista omnia pertinent ad Papam: ergo solus Papa potest conuocare generale Concilium; nam ad Papam pertinent principaliores causæ, quæ in Ecclesia tractantur, vel tractari debent cap. Maiores de Baptismo, cum enim istæ causæ sint merè spirituales, non possunt pertinere ad sæculares principes, quod si alicubi dicitur principes sæculares, siue Imperatores congregasse generale Concilium; id intelligitur de Catholicis, quod illud congregarunt ex consensu, authoritate, & commissione papæ, quo faciliùs Concilium congregaretur, & de hæreticis, vel schismaticis, quod illud congregarunt tyrannicè, quod proinde non erat verum Concilium. Ex his soluuntur, quæ opponi possunt.

Quæres 6. quænam personæ conuocandæ & congregandæ sunt ad Concilium generale? Respondetur (multis omissis) quod de iure communi conuocandi sunt solùm Episcopi etiam titulares, qui verò sunt Episcopi, vt decreta proferant, & definiant; alij autem scilicet Abbates, Magistri in Theologia, & Canonistæ, si fortè conuocantur, id non est, vt decernant; sed vt consulant, quibus soluuntur innumera, quæ opponi possunt, præcipuè ex Actor. 15. Vbi dicitur, quòd in primo illo Concilio fuerunt Apostoli, & seniores. Respondetur enim Apostolos, ibi: fuisse tamquam iudices, & seniores, scilicet presbyteros, ibi fuisse tamquam consultores, & sic de alijs Concilijs; poterit tamen Papa aliquibus, qui non sunt Episcopi concedere priuilegium, vt in Concilio generali, iudicium proferant. De quo Azor. p.2. lib.7. cap.11.

Quæres 7. Vtrùm in aliquo, vel in aliquibus casibus possit Concilium congregari sine authoritate Pontificis? Respondetur affirmatiuè, & id potest fieri præcipuè in quatuor casibus. Primus est, si Papa sit hæreticus, vel suspectus de hæresi, vel hæreticorum manifestus defensor, & protector. Secundus est si Papa sit incertus, & dubius, & sit in vniuersali

sali Ecclesia magnum scisma. Tertius est si post mortem Pontificis Cardinales per longum tempus nollent eligere. Quartus est si mortuo Papa morerentur etiam omnes Cardinales, ac proinde deessent electores. In his enim casibus posset Concilium conuocari, absque authoritate Papæ, ne Ecclesia deficeret, conuocandum autem erat authoritate ipsius Ecclesiæ, & industria Christianorum Principum, & Episcoporum. Ita Arauio 2.2. q.1.art.10.q.3.à §. Dico tertio. Azor.part.2. lib.4.cap.13.q.3.& alij.

Quæres 8. Vtrùm ad Papam pertineat necessariò præesse concilio? Respondetur, quòd Papa necessariò debet præesse Concilio, vel per se, si hoc commodè fieri posſit, vel per suum Legatum, aut Legatos, non solùm vt sedeat primo loco, sed vt dirigat, diffiniat, & moderetur. Probatur quia ita est frequens vsus, & optima ratio id postulat, cùm Papa sit caput, à quo omnis potestas in Ecclesiam dimanat. Ita communiter omnes.

Quæres 9. Vtrùm ad Pontificem pertineat approbare, & confirmare Concilium generale? Respondetur affirmatiuè. Ita Lucæ 22. dicitur Petro, & Pontificibus successoribus, Confirma fratres tuos, cum enim in Papa sit omnis potestas ab illo ad Concilium dimanare debet confirmatio, ita vt si Papa dissentiat à Concilio, & illius decreto circa fidem, vel mores decreto Papæ, & non deceto Concilij standum est: quare nec appellare licet à Papa ad Concilium. Ita Caietanus in Apologia p.2.cap.21. Turrecremata lib.3. cap.32. & deinceps. Bellarminus lib.2. de Concil.c.11. Azor.p.1.lib.4.cap.13.q.10.& q.7.& q.6.

Quæres 10. Vtrùm Concilium generale possit errare, & in illo sit aliquis error? Omissis varijs opinionibus, de quibus Arauio 2.2. q.1.art.10.quæst.3.dub.2. Respondetur breuiter, quod Concilium generale dupliciter sumitur, vel antequam confirmetur à Papa, vel postquam confirmatum est: Si loquamur de Concilio post confirmationem Papæ, de fide est, quòd non potest errare, nec continet aliquem errorem, iam enim supra vidimus Papam in rebus fidei non posse errare: quòd de Concilijs confirmatis latè ostendit Bellarminus lib.2. de Concilijs à cap.2.& Barbosa dist. 15. à num.13.

Si verò loquamur de Concilio legitimè cõgregato ante confirmationem Papæ maius dubium est. Videtur negare Soto in 4.dist.20. q.1.art.4.ad 2.quem citat Baunes 2.2.q.1.art. 10. dub.4. conclus. 3. Communis tamen sententia affirmat, quòd Concilium potest errare ante confirmationem. Ita Caietanus tom. 1. Opuscul.tract.1.cap.11. & de authoritate Papæ cap.21.p.2, Cano lib.5. de locis cap.5.q.1. Bannes, & Arauio citati. Cabezudo in addit. quæst.20.art.3.difficult.7. Azor.p.2.lib.5. cap. 12.q.1.& alij.

Probatur primò, quia Concilium ante confirmationem nondum habet applicatam authoritatem supremam. Et vt Caietanus citatus, & Azor. citatus aduertunt multa Concilia errauerunt; quæ tamen non erant congregata authoritate Pontificis; attamen quia Papa est caput, necesse est, quod influat in corpus per confirmationem, sine quo influxu possunt in corpore esse ægritudines. Nec dicas, quò sufficit influxus Papæ per antecedentem conuocationem; nam Papa connocat Concilium, vt post decreta Concilij, ipse Papa confirmet, & sic omnia Concilia à Papa postulant confirmationem; antequam non est Concilium certa regula fidei.

Oppones, quia vt vidimus hic sect. 4. omnes Doctores Ecclesiæ non possunt errare: ergo Concilium, in quo sunt omnes Doctores, & omnes fideles repræsentatiuè, non potest errare. Respondetur, quòd in Concilio de facto non sunt omnes Episcopi, nec omnes Doctores, & quamuis essent, adhuc Concilium posset errare, quin errarent omnes Doctores, vel Episcopi, poterat enim maior pars Concilij errare, & minor pars attingere verùm, quia verò minor pars subscribebat maiori, ideo in Cõcilio poterat esse error, quamuis non omnes errassent. Imò si omnes errassent, illi Doctores, qui erant extra Concilium non errarent; quia extra Concilium non errarent, quia vt iam vidimus tota Ecclesia non potest errare: sed isti sunt casus metaphysici, qui Deo ita disponente, nunquam ad praxim reducendi sunt.

Illud tamen aduertendum est, quòd ad Concilium generale non requiritur, quod de facto inueniantur omnes Episcopi Christiani Orbis, sed sufficit, si omnium fiat conuocatio, licèt plures desint, tenentur enim adesse, si non adsit impedimentum. Videatur Bellarminus lib.1. de Concilijs cap. 17.

SECTIO XXIII.

De alijs pertinentibus ad generale Concilium.

QVæres primò. Vtrùm Concilium generale congregatum ad deponendum Papam hæreticum possit definire aliquid circa fidem? Respondetur negatiuè, tantummodo enim est congregatum, vt illum deponat: vel vt in tempore schismatis deponat dubios, & schismaticos, quo tranquillitas Ecclesiæ inducatur. Et probatur, quia cum in istis casibus non sit conuocatum authoritate Papæ, non potest aliquid decernere ante electionem noui Pontificis, post cuius electionem poterit ex commissione Papæ aliqua decernere, quæ postea per nouum Pontificem confirmanda sunt. Ita communiter omnes.

Quæres secundò. Quænam sint causæ propter quas conuocandum sit Concilium? Respondetur, quòd sunt plures, omnes tamen debent respicere vniuersale bonum Ecclesiæ. Prima est ad definiendam, & tractandam aliquam veritatem fidei, quæ quatenùs à solo Papa possit definiri, attamen maiori solemnitate definitur à Concilio generali cum approbatione Papæ. Secunda est ad reprimendos hæreticos. Tertia est ad reprimendos conatus principum, si nimis licentiosè in Ecclesiam irruant. Quarta ad reprimendos, & reformandos fidelium mores nimis laxatos, & relaxatos. Quinta ad deponendum Papam hæreticum, vel Schismaticum, & ad sedandum schisma Ecclesiæ. Sexta in remedium alicuius communis necessitatis Ecclesiæ, cui sine generali Concilio, non posset facilè subueniri.

Ita

Ita communiter omnes. Azor.p.2.lib.5.cap.10.q.6.& alij. Videatur Theologus q.10. de potentia Dei, art.4.ad 12.

Quæres 3. Vtrùm omnes propositiones, quæ continentur in Sacra Scriptura, & omnes propositiones, quæ definiuntur in Concilijs, & approbantur à Papa, sint æqualis certitudinis? Respondetur (multis omissis) vtrasq; esse de fide, si verò loquamur de modo certitudinis, magis certæ, & infallibiles sunt propositiones Sacræ Scripturæ, quàm definitiones Conciliorum, & Pontificum; non quòd in istis possit reperiri aliqua incertitudo, & fallibilitas, sed in hoc sensu conditionali, quod si per impossibile, aliqua ex istis propositionibus deficeret, faciliùs deficeret propositio definita à Concilio, & Pontifice, quàm propositio Sacræ Scripturæ. Ita Caietanus Opuscul. 1. cap. 4. Cano lib.5. de locis, q.3. Arauio 2.2. q. 1. art. 10. quæst.3. dub.2. ad.5. Cabezudo in addit. q. 20. art. 3. difficult. 3. & alij.

Probatur 1. quia propositiones Sacræ Scripturæ immediatiùs procedunt à Deo, quàm propositiones definitæ à Concilijs, & de Papa: sed Deus est prima regula certitudinis, & infallibilitatis: ergo cum magis accedant ad regulam infallibilitatis, sunt magis infallibiles quoad modum. Probatur maior, quia illæ propositiones immediatiùs sunt dictatę à Deo Scriptori Sacro, iuxta illud Isaiæ 53. [Domine quis credidit auditui nostro?] Idest quis credidit doctrinæ, quam ego immediatè audio à te? Non quasi sacer scriptor accipiat à Deo mediatè omnia verba, vt vult Azor. p. 2. lib.5. cap.12. q.3. sed tantùm sensus, omnia enim verba sunt de fide; at verò definitiones Conciliorum, & Papæ fiunt humano labore, & industria præsuppositis.

Probatur 2. quia ita se habet proportionabiliter Sacra Scriptura respectu definitionum Conciliorum, & Papæ; sicut authoritas Christi respectu authoritatis Ioannis Baptistæ, sicut enim testimonium Christi erat immediatè à Deo: & testimonium Ioannis erat mediatè à Deo, scilicet medio ipso Ioanne, ita testimonium Sacræ Scripturæ est immediatè à Deo; & testimonium Conciliorum, & Papæ est mediatè à Deo, scilicet medio ipso Papa: sed testimonium Christi est maius, & certius quoad modum testimonio Baptistę iuxta illud Ioannis 5. [Ego habeo testimonium maius Ioanne, opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, & qui misit me Pater, testimonium perhibuit de me:] ergo testimonium Scripturæ est magis infallibile quoad modum.

Oppones primò, quia Papa præbet authoritatem Sacræ Scripturæ iuxta illud Augustini lib.vnico contra Epistolam Manichęi. Non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ commoueret authoritas: ergo infallibilior est authoritas Papæ, & Concilij. Respondetur hoc argumentum coincidere cum Circulo Caluinistico; quem iam soluimus hìc sect.4. q.3. hìc breuiter dicimus, quòd Ecclesia non præbet authoritatem Scripturæ Sacræ formaliter, quoad illius veritatem, sed præsuppositiuè definiendo, & declarando tales, vel tales libros esse Sacram Scripturam.

Oppones secundò, quia omnes propositiones, quæ sunt de fide immediatè innituntur reuelationi diuinæ, & in hoc distinguuntur à propositionibus theologicis, quæ mediatè innituntur diuinæ reuelationi, vt probant Theologi 2. 2. q. 1. art.1. ergo omnes habent æqualem certitudinem etiam quoad modum. Respondetur, quòd omnes propositiones de fide innitūtur diuinæ reuelationi immediatè, immediatione obiectiua, concedo; immediatione conditionali, nego; Idest nihil mediat in omnibus, quod non pertineat ad obiectum fidei; attamen in propositionibus definitis à Concilio, & Papa, mediat ipsa persona Papæ, ac proinde si conditionaliter aliquæ ex propositionibus de fide possent deficere per impossibile, potiùs essent istæ, quàm illæ. Ita Cabezudo citatus.

Oppones tertiò, quia Gregorius magnus lib.1. Registri in dist.10. epist.10. ait quod accipit quatuor Concilia generalia, quasi quatuor Euangelia. Respondetur, quod loquitur quantùm ad certitudinem, omnia enim sunt de fide, non verò quantùm ad modum certitudinis.

Quæres quartò. Vtrùm sit de fide, & immediatè credere debeamus, quòd hoc Concilium, v.g. Ephesinum, vel Tridentinum sit validum, & legitimè congregatum? Respondetur (multis omissis) de quibus Cano lib.6. de locis cap. 8. Bannes 2.2. q.1. art.10. dub.2. post proprietates Ecclesiæ. Azor. 2. part. lib.5. cap.12. q.5.] affirmatiuè. Et probatur ex dictis hìc sect.11. q.3. Vbi docuimus esse de fide immediatè hunc numero Papam esse verè Papam: ergo etiam est de fide immediatè hoc numero Concilium approbatum à Papa esse verum Concilium, Papa enim verus non approbat nisi Concilium verum, & legitimum. Videantur illa, quæ ibi diximus.

Quæres 5. Quem ordinem, & modum procedendi, & præcedendi habeant Patres in Concilio? Resp. breuiter quòd aliud est loqui de iure communi, aliud de consuetudine, vel de speciali priuilegio; loquendo ergo de iure communi, primum locum habet Papa, qui est caput, postea Patriarchæ, cap. Antiqua de priuilegijs, postea Archiepiscopi, postea Episcopi, & deinceps alij Prælati antiquiores; attamen ex priuilegio post Papam Cardinalis Hostiensis sedet, & cum eo Cardinales, qui simul cum Papa efficiunt vnum corpus, & postea alij; & quia circa hoc possent esse controuersiæ, seruandus est ordo iuxta consuetudinem, vel possessionem. De his Turrecremata lib. 3. de Eccl. cap. 26. Azor. par. 2. lib.5. cap.15. & alij.

Quæres 6. Quot fuerint hucusque Concilia generalia celebrata in Ecclesia? Resp. quòd Azor numerat 21. Concilia generalia, vsque ad Tridentinum, p.2. lib.5. cap.16. & 17. per tot. quæ illi videri possunt. Theologus numerat etiam concilia vsque ad suum tempus opusc.20. lib.3. cap.17. & Syluester verbo Concilium num.2.

Quæres 7. Vtrùm Canones Trullani sint Canonici? Suppono quòd Imperante Constantino V. Constantinopoli celebratum est Concilium Constantinop. 3. sub Agathone Papa III. ibi damnata est hæresis Monothelitarum dicentium in Christo esse vnam tantùm voluntatem; quia verò Patres huius Concilii

Cilij

cilij nullos canones ediderunt post transactos iam 27. annos Episcopi Orientales imperante iam Iustiniano iuniore congregati sunt, absque præside, & auctoritate Romanæ Sedis, vt ederent Canones præteriti Concilij, & de facto ediderunt Canones centum, & duos; quia verò hæc congregatio facta est in quadam parte palatij, quæ dicebatur Trullus, ideo isti canones dicuntur Trullani. Quærimus ergo isti canones sint legitimi, & canonici, & ab Ecclesia catholica recepti?

Resp. negatiuè cum communi sententia, quam tenent Cano lib.5. de locis cap. vltimo §. nunc 6. Bannes 2. 2. qu.1. art.10. post proprietates Ecclesiæ dub.5. Azor p.2. lib.5.c.16. à §. porro, & alij. Probatur 1. quia cum ibi non essent legati Sedis Apostolicæ, canones illi nullam habuerunt auctoritatem Apostolicam, cum postea non fuerint confirmati, vt testatur Anastasius Bibliothecarius Sedis Apostolicæ ad proœmiū 8.Synodi, de quo fit mentio in cap. Adrianus d. 63. Adde quia in illis canonibus sunt plura, quę Ecclesia nullo modo recipit, quæ videri possunt minutatim apud auctores cit. De Trullanis Barbosa d.15.n.19.

Oppones, quia Gratianus passim citat illos canones, & videntur approbati ab Adriano in cap. sextam d.16. & in cap. sextam d.3. de consecratione. Resp. quòd Gratianus reputauit illos canones esse receptos, & esse sextæ Synodi; cum rè verà editi sint post sextam Synodum; Adrianus verò non illos recipit, nec approbat, sed tantùm refert verba Tharasij, quia verò illi canones continent aliqua vera, ideo aliquoties citantur.

Quæres 7. Vtrùm decreta Concilij obligent Papam? Resp. 1. quòd decreta circa mores non obligant Papam, nec Papa illis subijcitur, cum sit supra Concilium. Resp.2. quòd decreta circa fidem, obligant Papam post confirmationem Concilij: eo modo, quo ipse Papa tenetur credere ipsismet decretis, quæ ipsemet definiuit. Hæc autem obligatio non ei imponitur à Concilio, sed à Christo; qui præcipit, vt credantur decreta fidei. Syluester verbo Concilium num.3.

Quæres 8. Quid circa Concilia Nationalia, prouincialia, Synodalia, siue diœcesana? Resp. quòd aliqua sunt conuocata auctoritate Romani Pontificis, & sic habent maximam auctoritatem, illa numerat Azor p. 2. lib. 5. c.18. & 19. Qui autem vocandi sunt ad Concilia nationalia, & prouincialia, & quæ ibi tractanda sunt, & qualem potestatem habeant illi congregati, explicat Syluester verbo Concilium à num.9. & deinceps.

SECTIO XXIV.

De traditionibus Ecclesiæ, & de regulis fidei.

Tractatus de traditionibus huic tractatui coniungendus est, nam cum hìc tractemus de auctoritate Ecclesiæ, de ipsis traditionibus agendum est.

Quæres igitur 1. Vtrùm dentur traditiones? Suppone quòd hoc nomen (traditio) deriuatur à verbo (trado) quia traditio, prout hìc sumitur est quędam doctrina tradita; quia verò doctrina vel traditur scripto, vel verbo; ideo traditiones sumptæ lato modo, vel sunt per scriptum, vel per verba; hìc autem non loquimur de illis, quæ fiunt scripto, hęc enim propriè dicuntur scripturæ, & solùm loquimur de illis, quæ fiunt verbo, vel verbis quatenus doctrina ab vno traditur alteri, & ab alio alteri.

Et licèt istæ traditiones possint fieri in moribus prauis iuxta illud Marci 7. [Dereliquistis legem Dei propter traditiones vestras, & in moribus bonis; nos modò loquimur de traditionibus in moribus bonis. His positis.

Quæres 1. Quid sit traditio. Resp. quòd traditio est quædam doctrina, siue obseruantia tradita à maioribus circa res fidei, vel religionis. Hæc autem definitio, siue descriptio comprehendit omnes diuisiones traditionum, de quibus statim. His breuiter positis.

Quæres 2. Vtrùm in Ecclesia dentur traditiones? Negant Lutherus super illud ad Galatas 1. Si quis vobis Euangelizauerit &c. Caluinus lib.3. instit. cap.21. §.3. & lib.4.§.8. cap. 8. Iacobus Angliæ Rex in præfatione pag.156. & alij hæretici. Resp. tamen affirmatiuè; Itaque de fide est in Ecclesia dari traditiones; & sensus est quòd in Ecclesia dantur doctrinæ, & obseruantiæ traditæ à Christo Apostolis, & ab Apostolis, alijs hominibus vsque ad nostra tempora, quæ tamen obseruantiæ non sunt scriptæ. Ita communiter omnes Doctores Catholici 2. 2. q.1. ar.10.

Probatur 1. ex illo 2. ad Thessalonic. 2. [Tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam, qui locus adeo clarus est, & euidens, vt Caluinus citatus, vt eius vim euaderet illum expunxerit, & deleuerit, ac iudicauerit, Mendosium, proindeque legit, tenete documenta, sed hoc verbum (traditiones) ibi retinent vetustissima exemplaria, illudque approbant antiqui Eccl.Doct. Basilius cap.27. de Spiritu Sancto, & alij.

Nec mirum si Caluinus illud verbum suis erroribus oppositum deleuerit, est siquidem mos hæreticorum voces sibi fauentes introducere, & contrarias delere, vt eleganter Tertullianus obijcit Marcioni lib. de carne Christi, vbi dum contra illum opponeret locum Pauli. [Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes. Neruosè sic ait: Sit planè stultum, si de nostro sensu iudicemus Deum, sed circumspice Marcion, si tamen non delesti, stulta mundi elegit Deus &c. Premo illud (si tamen non delesti) quasi Marcion omnia sibi in sacro textu aduersantia expungeret, & deleret.

Probatur deinde ex illo 1. ad Corint.11. [Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis; & infra sicut tradidi vobis præcepta mea tenete. Et tamdem; Cętera autem cum venero disponam;] disposuit autem per traditiones, cum de illis nihil reliquerit scriptum. Imò in veteri lege plurima ex traditionibus obseruabantur Gen.18. [Vbi Deus sic ait de Abrahamo: scio quòd præcepturus sit domui sui, post se, vt custodiant legem Domini; &.Iudicum 6. Vbi sunt mirabilia, quæ narrauerunt Patres nostri.

Imò vt aduertit Atauio 2. 2. q. 1. ar.10. q.5.dub.1.n.39. antiquiores sunt traditiones, quàm sacra Scriptura, cùm antiquius sit verbum

bum Dei non scriptum, quàm scripturę mandatum; & patet ex eo, quia cùm Moyses sit primus Scriptor Sacer ante Moysem omnis doctrina constabat traditionibus; quòd autem Moyses sit primus scriptor sacer constans sententia est omnium, quia exinde probant Sancti Patres Sacras literas esse literis sęcularibus multò antiquiores, quia illę à Moyse, istę ab alijs scriptoribus Moyse recentioribus sumpsere principium. Ita Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Tertullianus in Apologet. cap. 19. & lib. de test. animę cap. 5. Origenes lib. 4. contra Celsum. Iustinus Martyr oratione ad gentes. D. August. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 28. & lib. 18. de ciuit cap. 37. D. Cyrillus lib. 1. contra Iulianum. Eusebius Cęsariensis lib. 10. de prępar. Euangelica, & alij. Ex his omnibus clarè constat dari in Ecclesia traditiones, quę non sunt scriptę, vt expresè docet Chrysost. ad 2. Thessal. 2. vbi sic ait: [Perspicuum est, quòd non omnia tradiderunt per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea sunt fide digna.

Probatur ratione, quia conueniens est, vt Ecclesia habeat doctrinam omni modo, quo doctrina docetur, est enim Deus perfectus magister, suntque homines docti à Domino, siue docibiles Dei Io. 6. Sed Magister inculcat suam doctrinam discipulis, non solùm scripto, sed verbo: ergo necessarium est, & conueniens, quòd in Ecclesia non solùm sit verbum Dei scriptum, sed etiam non scriptum habitum per traditiones. Deinde quia circa Scripturas insurgunt multa dubia, quę dantur per traditiones diuinas, tamquam per regulas viuas.

Oppones 1. Illud Deuter. 4. [Non addetis ad verbum, quod vobis loquor.] Resp. quòd traditiones non sunt aliquid additum ad Scripturam ex humano ingenio, sed ex doctrina ipsius Dei, & Apostolorum. Oppones 2. Ioannis: [Scrutamini Scripturas, illę testimonium perhibent de me.] Resp. quòd hic locus non negat etiam traditiones pręberc testimonium aliquarum rerum, quę in Scriptura obscuriùs continentur, scrutamur ergo Scripturas per traditiones. Oppones 3. illud Apocalypsis vlt. [Si quis apposuerit super hęc, apponet Deus super illum plagas.] Resp. si quis apposuerit ingenio humano sine fundamento, & non instinctu diuino. Et similiter respondetur ad alium locum ad Gal. 1. [Licèt nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis pręter id, quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.

Quęres 3. Quomodo diuidantur traditiones. Resp. (omissis alijs diuisionibus) quòd diuiduntur in traditiones diuinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas. Traditiones diuinę sunt, quas docuit ipse Deus, siue Christus, & per Apostolos traditę sunt, & deriuatę vsque ad nostra tempora. Apostolicę sunt illę, quas docuerunt Apostoli, & ab illis deriuatę sunt. Ecclesiasticę sunt, quas adinuenit, & recepit Ecclesia; iam verò communi nomine omnes appellantur Ecclesiasticę. Ita communiter omnes.

Sumitur autem hęc diuisio ex parte causę efficientis. Si verò diuidantur ex parte causę materialis diuiduntur in traditiones, quę pertinent ad fidem, & traditiones, quę pertinent ad mores, & ad cultum Dei. Si autem diuidantur ex parte durationis, diuiduntur in traditiones temporales, cuiusmodi erat antiquitus abstinere à sanguine, & suffocato, & in traditiones, quæ sunt perpetuę. Imò pręter istas sunt etiam aliquę traditiones generales pro tota Ecclesia, & alię particulares, quę obseruantur in aliquibus, vel in aliqua Ecclesia in particulari; de his videatur Bannes 2. 2. q. 1. ar. 10. 2. commeur. dub 6. à §. sed vt, & alij, quia verò aliqui homines olim, & modò introduxerunt aliquas traditiones vanas, & superstitiosas, contra istas scribunt aliqui ex Sanctis Patribus, & inuehit Christus Dominus Marci 7. [in vanum me colunt docentes doctrinas, & pręcepta hominum, relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditionem hominum; & Matth. 15. Quare, & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?] De his Bannes citatus, vbi latè respondet ad plura argumenta contraria. Quę autem, & quales fuerint Hebręorum traditiones explicat singillatim Becanus in Summa tract. de virtutibus cap. 4. de traditione.

Quęres 4. Quando aliqua doctrina incipiat habere rationem, & formalitatem traditionis (Suppone quòd non loquimur hìc de traditione rerum, quando scilicet vna res ab vno traditur alteri, de quo breuiter Syluester verbo (traditio) sed loquimur de traditione doctrinę. Respondeo igitur, quòd vt aliqua doctrina habeat rationem traditionis, prout hìc à nobis sumitur, non sufficit quòd sit vni vel alteri personę, sed quòd sit deriuata ad plures successiuè solo sermone. Vnde vt sit perfecta traditio requiritur quod per aliquos annos decurrat; nam statim in initio solùm dicetur traditio inchoatiuè non completè, nec perfectè. Idem enim videtur requiri ad traditionem, quod requiritur ad consuetudinem, iam verò vt introducatur perfecta consuetudo requiritur, quòd aliquid ad plures, & annos deriuetur, vt docent logici agendo de signis ex consuetudine, & constat ex Glossa ad caput cum in tua de consuetudine in 6. de quo Syluester verbo consuetudo q. 4.

Quæres 5. Vtrùm traditiones sint æqualis auctoritatis, & certitudinis sicut sacra Scriptura? Respondetur, quòd traditiones diuinæ sunt æqualis certitudinis, & auctoritatis, atque sacra Scriptura. Ita Cano lib. 3. de locis per totum. Bannes citatus concl. 5. Arauio citatus dub. 3. §. sed vera, & §. dico 1. Becanus citatus n. 12. Azor p. 1. lib. 8. cap. 4. & alij, quod desumitur ex Tridentino sess. 4. Probatur, quia traditiones diuinæ continent verbum Dei; iam verò verbum Dei siue sit scriptum, siue non scriptum, semper est eiusdem veritatis, auctoritatis, & certitudinis. Confirmatur, quia verbum Dei dupliciter traditur hominibus, vel per scripturam, sic illud tradiderunt quatuor Euangelistæ per quatuor Euangelia, & aliqui Apostoli per plures epistolas; vel traditur per prædicationem, sic illud tradiderunt illi Apostoli, qui prædicauerunt tantummodò, & non scripserunt; v. g. B. Andreas, B. Philippus, B. Bartholomæus, & alij Apostoli: ergo sicut illæ traditiones diuinæ Scripturæ, sunt certæ; ita istæ traditiones diuinæ prædicatæ sunt certæ,

& æqua-

& æqualis certitudinis; per accidens enim eſt quòd vel ſcribantur, vel tantummodo prædicentur.

Oppones, quia traditiones diuinæ deriuantur per homines, qui poſſunt illas corrumpere, & vitiare. Reſp. quòd totum hoc eſt per accidens, & requiſitum tamquam antecedens conditio; ſi autem hoc argumentum aliquid probat, probat etiam quod verbum Dei ſcriptum non habeat magnam auctoritatem, quia ſcribitur ab hominibus, ac proinde poterit vitiari: loquimur autem de non vitiatis, nam homines dupliciter ſumi poſſunt, vel prout homines ſunt, vel prout ſunt ducti à Spiritu Sancto; primo modo poſſunt homines vitiare omnem veritatem; at verò ſecundo modo non poſſunt illas vitiare.

Quæres 6. Vtrùm traditiones Apoſtolicę habeant eamdem auctoritatem, & certitudinem, quam habet ſacra Scriptura? Reſpondetur quòd traditiones dupliciter poſſunt dici Apoſtolicæ; primo modo, quia cum ſint diuinæ ab Apoſtolis traditæ ſunt, & Apoſtolicæ; dicuntur ergo Apoſtolicæ, quia Chriſtus illas tradidit Apoſtolis, & Apoſtoli illas nobis tradiderunt; ſecundo modo Apoſtolicę traditiones dicuntur illæ, quas Apoſtoli adinuenerunt, & ſanxerunt, ac tradiderunt ſucceſſoribus: Et hoc modo cenſentur aliqui ritus; v. g. vt in baptiſmo fiat exorciſmus, & aliquæ cœremoniæ, de quibus Tertullianus lib. de corona militis cap. 3.

Dico igitur quod traditiones Apoſtolicę primo modo ſunt æqualis auctoritatis, atque ſacra Scriptura; at verò ſecundo modo licèt habeant magnam, imò & maximam auctoritatem, non illam habent æqualem, nec æqualem certitudinem. Probatur ſecunda pars (nam prima pars patet ex dictis) quia traditiones Apoſtolicæ hoc ſecundo modo pertinent ad ius Eccleſiaſticum, & humanum: ergo poſſunt ab Eccleſia immutari, quod non habent traditiones Apoſtolicæ primo modo, nam re vera ſunt diuinæ. De his videatur Arauio citatus §. Tum etiam, & Azor par. 1. lib. 8. cap. 4. q. 4. §. Porro.

Quęres 7. Vtrùm Eccleſiaſticę traditiones ſint ęqualis auctoritatis, atque ſacra Scriptura? Reſpondetur negatiuè. Illa enim non poteſt immutari, cum pertineat ad ius diuinum, traditiones autem merè Eccleſiaſticę poſſunt immutari, cùm pertineant ad ius humanum. De his Bannes, Becanus, Arauio, Azor. & alij citati.

Quęres 8. Quomodo poſſint cognoſci diuerſæ traditiones? Reſp. quod de his profert quinque regulas Bannes 2. 2. q. 1. art. 10. in 2. commentario ad vltimum argumentum, quę ibi videndę ſunt, & aliquę deſumuntur ex Auguſtino lib. contra Donatiſtas cap. 24. quas proſequitur Cano pręter alios lib. 3. de locis cap. 2. Pręcipua regula eſt, quòd aliqua doctrina ſit ab omnibus Catholicis vniuerſaliter recepta, quę tamen non habetur expreſsè in ſacra Scriptura.

Quęres 9. Quęnam ſint traditiones Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticę? Reſpondetur quòd ſunt plurimę, de quibus Bannes citatus concluſio 6. & Becanus citatus an. 24. Azor p. 1. lib. 8. cap. 4. q. 5. v. g. exorciſmus, & alię cœremonię in Baptiſmo, & in illo trina immerſio; chriſma ſingulis annis innouatum; aqua vino immixta in Euchariſtia, quę ſumitur, & ſumenda eſt à ieiunis; & B. Virginem aſſumptam fuiſſe in cœlum ſimul cùm corpore, & anima; materias, & formas aliquorum ſacramentorum, quę conſtant traditione diuina, vt vidimus; & in forma ſacramenti Euchariſtię illa verba [myſterium fidei, noui & ęterni teſtamenti,] vt habetur cap. cùm Marthę de celebr. Miſſar. & alię plurimę traditiones, quę ex dictis conſtant, & ex dicendis conſtabunt.

Quęres 10. Quot ſint, & quę ſint regulę fidei Catholicę? Senſus eſt, quotnam ſint, & quęnam ſint illę regulę infallibiles, per quas Catholica fides infallibiliter reguletur? Reſpondetur, quòd regulę infallibiles fidei ſunt quatuor pręcipuę. Prima eſt ſacra Scriptura, ſecunda eſt Papa, & Concilium auctoritate Papę congregatum, & confirmatum. Tertia eſt vniuerſalis Eccleſia ſimul cum Papa. Quarta eſt diuina traditio modo explicato. Quibus tandem breuiter claudimus quidquid ad vniuerſalem Eccleſiam pertinet.

FR. DOMINICI A SS. TRINITATE

CARMELITÆ DISCALCEATI.

TOMVS TERTIVS

DE ECCLESIA MILITANTE in Sectione III. & in IV. De Summo Pontifice Romano; in V. De sacris Concilijs.

Dominicus à Sanctissima Trinitate natione Gallus, patria Niuernensis natus est die 4. Augusti anno Domini 1616. Fuit adolescens optimæ indolis, & eximio ingenio præditus. Annum agens ferè 18. Deo vocante, arctioris vitæ cupidus, in Gallijs inter Candidatos Sanctæ Theresiæ filios ascitus est, exactoque tyrocinio, Deo se votis solemnibus dicauit. Exindè ad studia literalia missus tùm in Philosophicis, tùm in Theologicis inter cæteros condiscipulos eminuit. In Romano Missionum Seminario controuersiarum studijs operam dedit. Mox ad Collegium Melitense, vt Prælectoris munus ageret ex obedientia se contulit, vbi etiam in Sanctiss. Inquisitione Consultoris Officio insignitus fuit. Iterùm Romam accersitus per plures annos in eodem Missionum Seminario in controuersijs perlegendis commoratus est. Singulari dicendi claritate in difficillimis enucleandis quæstionibus dotatus fuit. In sacra Scriptura, in Ecclesiastica historia, & Sanctorum Patrum interpretationibus diu, noctuque insudabat. Ad publica etiam Congregationis officia tùm sapientia, tùm consilio, tùm prudentia totam Religionem illustrauit. Quater Definitoris Generalis, bis Præpositi Generalis onera sustinuit, ea regendi dexteritate, ea corrigendi suauitate, vt Summus Pontifex Alexander VII. eius virtutum conscius, eiusque consuetudine oblectatus, cùm prima vice Præpositi munere fungeretur, & ad Prouinciarum visitationem discederet, eum Commissarij Apostolici dignitate decorauerit, vt illius auctoritatis munimine sanctarum earum legum, quæ vbique vigent, obseruantia magis firmaretur. Quem expleto sui regiminis triennio, cùm iàm Generalia celebrarentur Comitia, Pontificia dispensatione voci passiuæ habilem pronunciauit, vt posset denuò illi totius Congregationis regimen demandari, si id gremialibus congruum videretur; vndè Congregatio, quæ iàm semel eum in communem Patrem elegerat, secundò in Præpositum Generalem elegit. Ab eodem Summo Pontifice Alexandro VII. Sancti Pancratij Monasterium obtinuit, quod spontè Eminentissimus Dñus Cardinalis Franciscus Maidalchinus concessit, qui illud Abbatiæ titulo possidebat, in quod Apostolicarum Missionum Seminarium à Conuentu Sanctæ Mariæ de Victoria transtulit, non minùs pietate, quàm sapientia celeberrima Carmelitarum Discalceatorum Religio; itaut iure meritò dicti Monasterij Fundator censendus sit, eò magis, quòd plura aureorum millia tùm in Conuentu amplificando, tùm in officinis extruendis, & in Ecclesia nitidissimè ornanda insumpsit, eiusque Seminarij gubernio sub Rectoris munere aliquandiù præfuit. Summo etiam Pontifici Clementi X. eiusque Nepoti Eminentissimo Cardinali Alterio charus fuit, ab eisque inter Romanæ Inquisitionis Qualificatores adscitus est. Romana etiam Prouincia, cui se con-

sortem addiderat bis ipsum Definitorem Prouincialem, & semel Socium ad Generale Capitulum elegit. Demùm in senectute contracto vlcere in pede podagræ, chiragra, & calculi doloribus acerrimos cruciatus sustinuit, nec tamen vmquam à consilijs præbendis illis, qui vndique ad ipsum confluebant, vmquam destitit, donec die 2. Ianuarij 1687. excrescente morbo in cancrenam degenerante trium mensium spatio dispositus obijt die 7. Aprilis eiusdem anni, in septuagesimoprimo suæ ætatis,& quinquagesimotertio Religionis anno constitutus. Quod Elogium desumptum est è libro Defunctorum Religiosorum in Conuentu Schalæ, vbi defunctis insignibus Patribus seruatur sincera, & debita memoria. Edidit autem Dominicus Bibliothecam Theologicam septem libris distinctam, in qua exacto ordine reponit,cuncta ad completam Theologię notitiam spectantia tam secundùm se, quàm secundùm diuersa eius munera, vel deducendi conclusiones beneficio artis Sylogisticæ, vndè Scholastica explicandi locos Theologicos, vndè positiua, defendendo sua principia aduersùs omnia Infidelium genera, vndè Polemica disponendi suas materias, vndè Methodica vtendi Metaphoris, vndè Symbolica dirigendi affectum in Deum, vndè Mystica, Romæ sumptibus Philippi Mariæ Mancini anno 1666. Idæa autem totius Operis in septem tomos distributi, hæc est: Tomus primus complectitur duos priores libros, in quorum primo Theologiæ natura, causæ, & attributiones explicantur; in secundo agitur de illa,quantum ad munus deducendi conclusiones beneficio artis Syllogisticæ, idest Scholastica. Tomus secundus complectitur libros tres, & in eo agitur de sacra Doctrina quoad munus ordinandi, & explicandi locos Theologicos, ibique de verbo Dei scripto, & non scripto, siue de sacris Traditionibus. Tomus tertius complectitur tractatus de Ecclesia Militante toto Orbe diffusa in statu legis Euangelicæ, de Summo Pontifice Romano supremo eius Pastore, de Sacris Concilijs, de Sanctorum Patribus Doctoribus Scholasticis, & Iuris Pontificij. Tomus quartus complectitur tractatum de ratione naturali, & disciplinis Philosophicis in illa fundatis, & historia, & ostenditur quantum vnaquæque referat ad perfectum sacræ Doctrinæ studium abdicato breui illorum compendio. Tomus quartus complectitur librum quartum, in quo agitur de Doctrina sacra, quatenùs propugnando sua principia aduersùs omnia Infidelium genera, dicitur Polemica. Tomus sextus agit de sacra Doctrina, quatenùs disponit suas materias, præscribitque modum, & rationem illas tractandi, vndè vocatur Methodica. Tomus 7. agit de sacra Doctrina Metaphoris vtente, vndè Symbolica, & de munere dirigendi affectum in Deum, vndè Mystica appellatur. In istis septem Tomis confutantur omnes Hæreses, & omnes Infidelitatum species, habeturque maxima eruditio. Isti libri nomen ferunt Bibliothecæ, quia Theologia conuocat omnes scientia velut Regina ancillas erigit, si sunt contrariæ, & illis vtitur, vndè est quædam encyclopedia. Auidissimè quæruntur isti libri, & modò pluris æstimantur, quando non ampliùs inueniuntur. De istis libris mentionem faciunt, quotquot scripserunt post illos, & ex ipsis tamquam fodinis multa compararunt. Nos tantùm ex Tomo tertio seligentes ea, quæ spectant ad Ecclesiam Romanam, ad Summum Pontificem, & aliqua prælibamus de Sacris Concilijs, quatenùs referuntur ad Summum Pontificem.

CAPVT XI.

CAPVT XI.

Facta breui recapitulatione ostenditur Ecclesiam Romanam, seu Pontificiam, esse veram Christi Ecclesiam, de qua in toto huius sectionis decursu sermonem habuimus.

INterim dum sequenti libro sect. 2. cap. vlt. ex veræ Ecclesiæ, religionisue Diuinitùs reuelatæ notis, ac signis demonstraturi simus euidenter esse credibile; quòd sola Romana Ecclesia sit vera, Diuinitùsque reuelata Ecclesia: nunc idem ex breui rerum in huius sectionis decursu dictarum recapitulatione præostendere conabimur. Parùm enim interest in genere definiuisse veram dari Christi Ecclesiam, eamque perpetuam, vnicam, visibilem, in credendo indefectibilem; extra quam nullus fieri saluus potest; nisi etiam ostendatur, quænam congregatio earum, quæ in mundo sunt, quæque sibi veræ Ecclesiæ nomen attribuunt, credenda sit vera Dei, & Christi Ecclesia; quandoquidem indè omnium ferè controuersiarum inter nos, & hæreticos versantium resolutio pendet. Cùm enim ex dictis superiori capite vera Christi Ecclesia sit in credēdo indefectibilis, & ipsimet aduersarij libenter admittant eam esse veram Christi Ecclesiam, in qua vera Christi doctrina conseruatur, differantque solùm, vt vidimus cap. 9. quòd ipsi nullum aliud signum veræ Ecclesiæ præter veram doctrinam admittant; nam, & si aliàs notas veræ Ecclesiæ, interdum adducant, omnes tamen hanc primam includunt, vbi enim fatentur requiri veram Sacramentorum administrationem, eam esse talem definiunt, quæ ex sacra doctrina procedit; At Catholici, quamuis hoc signum non detrectent, quòd ipsis hæreticis maximè aduersetur, nihilominus docent illud potiùs ad definiendam, in communi, quàm ad discernendam veram Ecclesiam in particulari valere. Est siquidem Ecclesia fidelium congregatio, qui veram Christi doctrinam corde credunt, & ore confitentur; qua ratione satis constat veram definiri Eclesiam per veram doctrinam: Ad eam autem discernendam inter alias religiones falsas; tale signum per se solum non sufficere supra probauimus, sed alia insuper necessariò quærenda esse, quibus vera doctrina dignoscatur à falsa, omnibus hæreticis gloriantibus, se veram habere doctrinam; Quinimmò, si sermo sit non de iudicio euidente, euidentia scilicet credibilitatis, quo præcognoscimus hanc numero Ecclesiam esse dignam, quę diuina fide credatur, dum in Symbolo dicitur [Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam;] sed de iudicio fidei, doctrinæque eius in particulari; potiùs ex veræ Ecclesiæ iam cognitæ auctoritate de vera doctrina, quàm profitetur debemus iudicare, quàm è contra Ecclesiam ex doctrina. Cùm res, inquam, ita se habeat, vbi semel constiterit, hanc certam: & indiuiduam hominum congregationem toto orbe diffusam, quæ Romanam fidem profitetur & cum Pontifice Romano coniuncta est, esse veram Christi Ecclesiam; certò etiam constabit non alibi, quàm apud eam veram salutis doctrinam esse quærendam, nec alios esse hæreticos; aut schismaticos, quàm eos, qui se ab eius fide, & communione quandoque pertinaciter separarunt.

Igitur pro intelligentia, & resolutione difficultatis aduertendum est primò, tàm clara, & aperta esse, quæ superiori capite adduximus ad probandam Ecclesiæ Catholicæ, totoque orbe visibiliter diffusæ inconcussam in credendo firmitatem, vt neque ipsius Ecclesiæ hostes in vniuersum, vt vidimus, audeant contra hanc veritatem aperto marte pugnare, vnde distinguunt inter Ecclesiam Catholicam, & Romanam; & cùm de Catholica non audeant saltem apertè dicere, eam aliquando defecisse, aut veram fidem amisisse, hoc tamen de Ecclesia Romana audacter affirmare non verentur. Sic Wiclefus in suo artic. 37. damnato in Constantiensi sess. 8. dixit Romanam Ecclesiam esse Synagogam Sathanæ, quod non reperitur ab ipso dictū de Ecclesia Catholica. Et antea in eodem errore fuisse Pauperes de Luguno, aliàs Waldenses, testatur D. Antoninus par. 4. Theolog. tit. 11. cap. 7. §. 2. Idem quoque affirmat Caluinus lib. 4. Instit. cap. 7. §. 24. his verbis: [Fuerit sanè olim Roma omnium Ecclesiarum mater, verùm ex quo Antichristi Sedes fieri cępit, desijt esse id, quod erat.] Omnes autem hi hęretici, & alij eorum sequaces, in hoc asserendo, vel priuatis opinionibus, ac proprijs ducuntur erroribus, quos cùm Romanæ fidei contrarios esse dissimulare nequeant, Romanam fidem veram non esse, ac subinde Romanam Ecclesiam cum Catholica, quæ in credendo indefectibilis est, non coincidere; sed ab illa turpiter defecisse tamdem effutire coguntur: vel etiam, quia nihil excellens, & vniuersale de Romana sentiunt Ecclesia, sed illam solùm considerant, vt particularem Ecclesiam: seu Diœcesim, ac Episcopum eius tamquam vnum ex cæteris, nulla extra illam Diœcesim auctoritate, nulla potestate gaudentem; ex quo principio arguunt, quòd sicut aliæ Ecclesiæ particulares, & earum Pastores, quantumuis Primatiali, vel Patriarchali dignitate fulgentes in rebus fidei labi potuerunt, & re ipsa sæpiùs lapsi sunt, ita quoque in Ecclesia Romana contingere potuisse, & de facto contigisse: Hi enim duo errores ita videntur connexi, vt Wiclefus loco superiùs citato illos coniunxerit dicens: [Ecclesia Romana est Synagoga Sathanæ, nec Papa est immediatus, & proximus Vicarius Christi.

Quocirca secundò animaduertendum est, in Episcopo Romano duo munera, duplicem curam Pastoralem distingui debere, vnam particularem, & propriam Diœcesis Romanæ, cuius Summus Pontifex est immediatus Episcopus; aliam verò vniuersalem totius Ecclesiæ Christi, cuius est vniuersalis Pastor, necnon supremum caput. De qua priori potestate, vel munere nulla est inter nos, & aduersarios controuersia, sed tan-

tùm de posteriori, illi enim eam negant, Catholici autem articulum eius ad Catholicam fidem spectare constanter affirmant: & sectione sequenti ostendetur. Hæc autem duo munera licèt possent, sicut in se sunt valdè distincta, ita etiam in personis separari, sicut in alijs Episcopatibus seiunguntur; nihilominus ex quo in Petro coniuncta fuerunt; numquam separata inuenta sunt; & ex diuina ordinatione, vt credendum, numquam separabuntur, de quo etiam sectione sequenti.

Tertiò igitur, cùm huc vsque Romanus Episcopus idem fuerit semper Catholicæ Ecclesię Episcopus, vt ab antiquis Patribus sæpè nominatur, notandum est quoq; nomine Romanæ Ecclesiæ duo posse significari, siue vt iam diximus c.9. bifariam sumi posse Romanam Ecclesiam, primò pro illa sola Ecclesia particulari, quæ intra limites, ac terminos Diœcesis Romanæ conclusa est, suumque habet proprium Episcopum tantùm etiam particularem, si pręcisè consideretur, secundùm quod in illam exercet immediatam iurisdictionem. Et de Ecclesia Romana in hoc sensu accepta modò non loquimur, sic enim certum est, libenterque concedimus aduersarijs, illam non esse Ecclesiam Catholicam, vel vniuersalem, sed membrum eius: ideoque de illa dici non posse, quòd habeat Christi promissionem numquam deficiendi ab eius fide, quia nullibi talis promissio Diuinitùs reuelata reperitur, neque in promissionibus vniuersali Ecclesię in vera Christi fide perseuerare, cum obedientia, & vnione ad Summum Pontificem, vt Pontifex est, & vniuersalis Pastor, etiam si particularis illa Ecclesia in credendo erraret, & suum Episcopum à se violenter abijceret, quod dicitur explicandæ rei gratia, numquam enim Deum id esse permissurum ostendemus, & defendemus tamquam magis pium in sequenti sectione.

Alio modo Ecclesia Romana sumitur pro collectione omnium fidelium, qui toto orbe dispersi adhærebant olim, & nunc etiam adhærent Episcopo Romano, non vt priuato Episcopo, sed vt Summo Ecclesiæ Militantis Pontifici, qui potestatem in illam vniuersalem, & supremam iurisdictionem pariter vniuersalem habet; quo etiam pacto dicitur Romana fides, Romanaque Religio, quæ sub obedientia Pontificis Romani, vt Christi Vicarij, Petrique successoris hactenus conseruata est: Et in hoc sensu intendimus Ecclesiam Romanam, ac Pontificiam esse veram Ecclesiam Catholicam, & vniuersalem, gaudereque proinde priuilegio infallibilitatis in credendo, vel sentiendo, quod superiori capite ostendimus soli Ecclesiæ Catholicæ, & vniuersali fuisse Diuinitùs concessum. Etsi enim particularis quoque Ecclesia Romana, vt coniuncta suo Episcopo non solùm vt particulari rectori, sed etiam vt vniuersali totius Ecclesiæ Pastori, errare non possit in credendo, quamdiu in illa vnione cum suo supremo capite permanserit; si quidem hoc etiam habet quælibet alia particularis Ecclesia, sub eadem ratione, & vnione considerata; & sequitur ex generali principio, quod Petrus, Petrique fides sit immobile Ecclesiæ fundamentum, in quo quamdiu Ecclesia, licèt particularis, fundata fuerit, numquam à vera fide aberrabit. Semper tamen inter vniuersalem Ecclesiam, & particulares hoc discrimen attendi debet, quòd quælibet particularis potest ab hac petra separari: Vniuersalis autem absolutè non potest, quia illi soli promissum est, vt vidimus, portas inferi numquam præualituras aduersùs eam.

Quartò obseruandum est, nos ita ex Symbolo Apostolico teneri ad credendum veram Christi Ecclesiam Catholicam, vt ad hoc non sufficiat eam confusè, & vniuersè credere, sed determinatè, & in indiuiduo, symbolum enim non loquitur de aliqua Ecclesia abstracta, aut inuisa, vt supra diximus sed de ea, cui suo vnusquisque tempore tenetur obedire, & doctrinam ab ea creditam amplecti; quod est impossibile, nisi certa Ecclesia in particulari credatur; si enim de quacumque in indiuiduo dubitare licet, propriam quoque cuiuscumque doctrinam fas erit in dubium reuocare; & ita solùm confusè doctrinam aliquam esse veram; quòd cùm omnino sit absurdum, nullus est, qui ratio nabiliter illud negare possit. Tota igitur difficultas est in explicando, qua ratione ad obiectum fidei pertineat hanc numero Ecclesiam cum Pontifice Romano coniunctam, esse veram, vt illam diuinæ fidei certitudine credamus; Nec enim tale quid in Scriptura continetur; nec alia certa reuelatione sanctis Apostolis facta, ad nos per traditionem transmissa constat, quia ipsi tantùm in Symbolo locuti sunt de Ecclesia, quæ eorum tempore fuit, non autem de Romana: Hæc ergo res non videtur esse de fide, sed ad summum conclusio Theologica.

Contrarium nihilominus tenendum est, primò quia Ecclesia Catholica, quam crediderunt Apostoli, quamque in suo Symbolo omnibus fidelibus credendam in perpetuum reliquerunt, est vna, & eadem cum præsenti, quam Romanam appellamus in sensu explicato, eo modo, quo res successiuæ suam habere possunt vnitatem, vt diximus capit. 4. ac proinde qui illam esse veram Ecclesiam reuelauit Apostolis, idem quoque de Romana reuelatum esse voluit, quamuis non sub illo nomine, quod postea solùm Ecclesia vniuersalis, vel à nobiliori parte, vel melius à Summo Pontifice Romano suo supremo Pastore sortita est, sicut etiam decursu temporis Apostolica vocata est in Symbolo Constantinopolitano, salua semper manente eadem Ecclesiæ vnitate, & identitate, si enim illi non obstitit tanta, quos habuit, statuum diuersitas, multò minùs obstabit varietas nominum imposita ad illam significandam, vel etiam diuersos illius status; sicut etiam non impedit, neque tollit eamdem Ecclesiæ vnitatem, quòd omnia prorsus illa, quibus hominibus innotescenda erat, accidentia, vel signa non iam inde ab eius exordio ipsi conuenerint, sed alia tunc habuerit, alia postea pro diuerso veluti ætatis suæ statu, omnia tamen propria, naturæque ipsius congrua; vnde etiam quorumdam sectariorum ignorantia redarguitur, qui putant nunc aliquid se dicere, cùm argumentantur, ideo diffusionem,

totoque orbe claritatem Ecclesiæ, aliasque similes prærogatiuas, notas eius esse non posse, quoniam illis aliquando caruit, quæ tamen tunc etiam cognosci debuit, & potuit. Non enim cogitarunt, cum differentia status Ecclesiæ, differentiam quoque notarum, ac nominum eiusdem Ecclesię optimè conuenire. Omnia igitur ea loca, in quibus Scriptura docet Ecclesiæ perpetuitatem, nec non in credendo indefectibilitatem, cum non de illa tantùm loquantur, quæ tempore Apostolorum primùm extitit, vel nunc existit, sed de illa prorsùs, quæ tota temporum successione eadem perseuerat, manifestè patet qua ratione ad obiectum fidei pertineat, hanc numero Ecclesiam cum Pontifice Romano coniunctam, esse veram Christi Ecclesiam.

Secundò id explicatur, quia sicut ex hoc quod sæpius à nobis efformentur huiusmodi discursus: [Omne illud, quod reuelatum est à Deo est verum, sed Deus reuelauit se esse vnum, ac Trinum; Ergo est verum;] non sequitur propterea, quòd fides sit discursiua, vel quòd ex vi talis syllogismi, non autem per immediatam reuelationem huic veritati assensum præbeamus; ita similiter quantumuis ijsdem vti discursibus valeamus; v. gr. [Illa est vera Ecclesia, quæ veram Christi doctrinam adamussim conseruat, aut quæ habet omnes notas, omniaque signa veræ Ecclesiæ; sed Ecclesia Romana est huiusmodi; Ergo Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia.] Non ex vi talis syllogismi, sed per immediatam Dei reuelationem illud credimus, quæ sufficienter nobis proponitur, per euidentia signa, vel motiua credibilitatis libro sequenti adducenda, quæ soli Ecclesiæ Romanæ verè, & realiter competunt; vndè intelligendum est, Christum à principio reuelasse, & per Apostolos docuisse, eam fore semper suam Ecclesiam, quomodocumque successu temporis ob diuersitatem statuum ipsius cognominaretur, quæ talibus signis visibilis, & credibilis, pro eadem statuum, ac temporum etiam diuersitate varijs, ornata & insignita reperiretur; quæ enim, v.g. in sui exordio, nondum dici poterat, nisi in potentia, catholica vniuersalitate temporum, ac locorum, nunc proculdubio talem actu esse negari non potest, quinque huiusmodi vniuersalitas sit perfectissima veræ Ecclesiæ nota, vbi illa reperitur; Et hoc idem ab Apostolis ad nos perpetua deinceps traditione peruenisse, testatur communis veterum Patrum consensus, qui licèt non loquantur de his hominibus in indiuiduo qui nunc sunt, quando veram Ecclesiam diuina fide credendam esse docent, loquuntur tamen formaliter de hac numero Ecclesia, & congregatione habente eas proprietates, & notas, quas ipsorum tempore Ecclesia habebat.

Tertiò hæc eadem veritas dilucidari potest ex hoc quod ipsa Ecclesia à Christo fundata, seipsam proponit vt veram, certaque fide credendam, & quia sufficienter, & euidenter proponitur vt talis, per vera credibilitatis motiua, quibus vt supponimus, reperitur munita, aliàs non esset Ecclesia à Christo fundata; inde enim obligamur ad credendam talem veritatem non minùs, quàm cæteras ad fidem pertinentes; eadem fere ratione, qua verus Propheta missus à Deo, qui sufficienter proponit res sibi à Deo reuelatas, consequenter proponit sufficienter se esse verum Prophetam à Deo missum; non minus ipse vt missus, quàm veritates ab eo reuelatæ dicenda sunt vera fidei obiecta. Tandem sicut ante Christi Domini aduentum, Iudæi tenebantur credere futurum esse verum à Deo promissum Messiam, eum hominem in indiuiduo, in quo implerentur omnia, quæ de vero Messia erant prædicta à Prophetis, & postea apertè videntes impleta esse illa omnia in hoc homine Christo Beatissimæ Virginis Mariæ filio, tenebantur credere hunc ipsum hominem esse illum Messiam in lege promissum, & iam hoc sufficienter illis reuelabatur, quamuis in testimonium talis veritatis alia non fuissent patrata miracula, nec alia signa facta; ita quoque eo ipso quod in hac certa, & indiuidua hominum congregatione, quæ Romanam fidem profitetur, & cum Pontifice Romano coniungitur, reperiuntur adamussim omnia illa signa, quibus Christus Dominus voluit, ac reuelauit suam in perpetuum fore visibilem, & credibilem Ecclesiam, sufficienterque nobis proponuntur, absque vlla noua reuelatione tenemur credere, hanc certam, & indiuiduam hominum congregationem, quæ Romanam fidem profitetur, & cum Romano Pontifice coniungitur, eam esse veram, & vnicam Christi Ecclesiam. Quibus prænotatis sit.

Prima Conclusio, sola Ecclesia Romana, siue congregatio illorum hominum toto orbe diffusorum, qui Romano Pontifici pro tempore existenti parent, est vera Christi Ecclesia. Probatur primò. Illa hominum congregatio sola est vera Christi Ecclesia, cui competunt omnia signa, omnesque notæ, ac proprietates veræ Christi Ecclesiæ; soli autem Ecclesiæ Romanæ, siue congregationi hominum toto orbe diffusorum, Romano Pontifici pro tempore existenti adhærentium, competunt dicta signa, & notæ. Igitur ipsa sola est vera Christi Ecclesia, veraque sponsa. Maior huius argumenti est certissima, cùm enim ex dictis in hac Sectione fieri non possit, vt nulla vera Christi Ecclesia in terris existat; & insuper notauerimus ex veris Ecclesiæ notis, ac proprietatibus argumentari licere, non solùm negatiuè, vt ea scilicet non sit vera Christi Ecclesia, cui vel nulla, vel non omnis eiusmodi nota conuenit; sed etiam affirmatiuè, vt illa sola in indiuiduo sit vera Christi Ecclesia, cui vel omnes simul veræ Ecclesiæ notæ conueniunt; vel si cui ex omnibus Christi nomine circumlatis Ecclesijs soli, vna quælibet ex præfatis notis conueniat; quandoquidem omnes, & singulæ necessariò veræ Christi Ecclesiæ conueniunt. Igitur si semel ostensum fuerit illas omnes adamussim competere soli Ecclesiæ Romanæ, nemini proculdubio rationabiliter, aut prudenter dubium suboriri poterit, quin illa, & nulla alia, vera sit Christi Ecclesia. Hoc autem Deo dante præstabitur libro sequenti, vbi in ea examinabimus omnes huiusmodi notas; nunc ergo sit altera probatio desumpta potissimùm ex dictis in hac Sectione.

Probatur secundò, ex allegatis, & probatis

batis supra. Vera, & vnica Christi Ecclesia, extra quam non est salus, & in qua sunt omnes illi, qui in Christi fidem, baptismo initiantur, non solùm boni, sed etiam mali; non solùm prædestinati, sed etiam reprobi; debet esse visibilis, tamque firmiter à Christo Domino fundata, vt numquam perire, numquam in fide deficere potuerit. At nulla alia Ecclesia præter Romanam, seu Pontificiam toto orbe diffusam reperitur, quę visibiliter absque vlla penitùs interruptione, & errore in fidei doctrina perseuerauerit. Igitur sola Romana, seu Pontificia Ecclesia, est vera, & vnica Christi Ecclesia. Maior huius argumenti fuit iam ad copiam demonstrata superiùs; minor ergo probatur; & primò quòd Ecclesia Romana, sumpta pro omnibus fidelibus toto orbe diffusis, qui Romanam fidem sequuntur, Romanoque Pontifici pro tempore existenti adhærent, semper fuerit, & etiam nunc sit visibilis, & conspicua, clariùs patet, quàm aliqua indigeat probatione, nec aduersarij hanc minorem negant, quoad istam partem, sed solùm quoad aliam, videlicèt quòd Ecclesia Romana permanserit ad hæc vsque tempora sine vlla interruptione, & errore; vnde nobis hoc accuratè demonstrandum est. Primò, quia Ecclesia Romana in sensu, quo de illa loquimur, est ipsamet Ecclesia Catholica, & vniuersalis, verùm Ecclesiam Catholicam, & vniuersalem, nec perire, nec in fide deficere posse supra ostendimus, cùm Ecclesia Catholica, & vniuersalis non possit non esse eadem cum vera Christi Ecclesia, cui soli tam vniuersalitatis nota, quàm indefectibilitatis priuilegium competit. Igitur de primo ad vltimum Romana Ecclesia, id est tota illi fidelium multitudo toto orbe diffusa, quæ Romano Pontifici in doctrina fidei semper adhæsit, vt sola semper fuit Ecclesia Vniuersalis, & Catholica, ita quoque fuit semper in fide indefectibilis, veraque proindè, & vnica Christi Ecclesia.

Insuper fidem Petri, quæ vniuerso orbi à principio prædicata fuit, veram Christi Ecclesiam constituisse, eamque propterea indefectibilem fuisse, non solùm quoad personam Petri, quod aduersarij non negant, verùm etiam quoad eius sedem statim ostendemus: sed Ecclesia Romana est sedes Petri. Ergo Ecclesia Romana hoc modo considerata, nimirum propter Petri Cathedram in ea præsidentem, semper fuit, semperque erit vera, eaque indefectibilis Christi Ecclesia, fideique eius à Petro illi traditæ, ac depositæ custos integerrima. Probatio maioris, & totius consequenter argumenti fundatur in verbis Christi Domini ad Petrum Lucæ 22. [Simon, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Illam enim orationem à Christo Domino factam fuisse, non solùm pro persona Petri, sed etiam, imò potiùs pro Sede Petri in persona ipsius, & ideò tamdiù duraturam, quamdiù dictæ orationis effectus durabit, hoc est, vsque ad consummationem seculi, testantur Sancti, & veteres Patres; inter quos primi occurrunt varij Summi Pontifices, qui ex præfatis Christi Domini verbis hanc suæ dignitatis, ac sedis prærogatiuam comprobarunt. Lucius, qui vixit circa annum Domini 258. in epistola decretali ad Galliæ, atque Hispaniæ Episcopos, cuius hæc sunt verba. [Hæc sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit: sed, vt in exordio normam fidei Apostolicæ percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata finetenùs manet, secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui discipulorum suorum principi in suis fatus est Euangelijs: Petre, inquiens, ecce Sathanas expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Similia prorsùs habet Felix I. qui vixit circa annum Domini 272. in epistola 3. ad Benignum Episcopum; nec non Marcus, qui vixit circa annum Domini 336. in epistola ad Athanasium. Leo I. anno Domini 440. ser. 3. de anniuersario Pontificiæ suæ Assumptionis, & ser. 2. in natiuitate Apostolorum Petri, & Pauli, Agatho anno Domini 678. in epistola ad Constant. Imperat. quæ in actione 4. sextæ Synodi lecta est, & in act. 8. probata. Nicolaus I. anno Domini 858. in Epistola ad Mich. Imperat. Leo IX. anno Domini 1049. in Epistola ad Michaelem Imper. 6. Innocentius III. anno Domini 1198. in cap. Maiores, de baptismo. Verùm quia Diuus Leo I. omnium elegantissimè præfatum Euangelij locum ad præsens institutum applicuit; placet eius verba referre ex sermone 3. in anniuersario suæ assumpt. [Instante autem passione sua, quæ discipulorum erat turbatura constantiam. Simon, inquit, Simon ecce Sathanas expostulauit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: vt non intretis in tentationem. Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione fortitudinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere. Et tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur; tamquam aliorum status certior sit futurus; si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur. Cùm itaque dilectissimi nostri tantum nobis videamus præsidium diuinitus institutum rationabiliter, & iustè iudicis, vel in ducis nostri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes sempiterno Regi Redemptori nostro Domino Iesu Christo, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Ecclesiæ principem fecit: vt si quid etiam nostris paribus, vel temporibus, rectè per vos agitur, rectèque disponitur: illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum cui dictum est. Et tu conuersus confirma fratres tuos, & cui post resurrectionem suam ad trinam æterni amoris professionem mystica insinuatione ter dixit: Pasce oues meas. Quod nunc quoque procul-

dubio

dubio facit: & mandatum Domini pius pastor exequitur, confirmans nos cohortationibus suis, & pro nobis orare non cessans, vt nulla tentatione superemur.] Similia iterum habet altero loco citato.

Nec obstat, quod præfati Summi Pontifices, quorum epistolæ citatæ reperiuntur, vel in tomis Conciliorum, vel in tom. epistolarum eorumdem, propriam in hac parte causam agere videantur; primò quia vt diximus lib. 2. sect. 6. cap. 5. supremus etiam controuersiarum Iudex potest esse pars controuersiæ definiendæ; secundò quia cùm plures eorum fuerint Sancti, & Martyres, qui veram & Catholicam fidem sanguine suo consignarunt, præsumendum est eos non priuati boni, sed solius veritatis motiuo, ita locutos fuisse, ideòque fide dignissimos esse, præsertim quia antiquissimi quoque Patres, quasi per continuam traditionem eumdem vnà cum illis honorem deferunt Romanæ Sedi, & fidei, vt mox videbimus, asserentes nimirum fidem Ecclesiæ Romanæ esse fidem Petri, ac subindè esse fidem Catholicam, à qua sedes illa deficere nequit, proptereaque præfata Christi verba, & alia quibus in huius rei probationem vtuntur, intelligenda non esse pro aliquo definito tempore v. g. pro quingentis primis annis, vt restringunt aduersarij, sed vsque ad consummationem seculi.

Probatur tertiò conclusio. Illa est vera, & vniuersalis Christi Ecclesia, in qua sola reperitur vera fidei doctrina, extra quam non est salus, ad quam accedentes fiunt fideles, à qua recedentes fiunt hæretici, &c. sed iuxta modum loquendi Sanctorum Patrum statim adducendorum, talia pluraque similia quæ de sola vera Christi Ecclesia enuntiari possunt reperiuntur quoque in sola Ecclesia Romana, seu congregatione illorum hominum toto orbe diffusorum, qui Romano parent Pontifici; Illa igitur sola est vera, & vniuersalis Christi Ecclesia.

Probatur quartò, quia secundùm aduersarios, aut plures saltem ex illis, Ecclesia Romana tali pacto considerata, de qua solùm inter nos, & illos est controuersia, non autem vt est Ecclesia particularis, quingentis annis post Christum, fuit illa visibilis, & vnica Christi Ecclesia, de qua in huius sectionis decursu actum est, quacumque Caluinus lib. 4. institut. superiùs citato concedit tunc fuisse [Matrem omnium Ecclesiarum,] quia scilicet omnes particulares Christi Ecclesiæ, quæ tunc per orbem dispersę erant adhęrebant Romano Pontifici supremo Ecclesiæ Militantis Pastori: sed illa numquam hactenus defuit ab eo statu, in quo fuit primis illis quingentis annis; Igitur sicut tunc erat vera Christi Ecclesia: ita etiam nunc est. Maior huius argumenti habetur ex concessis ab aduersarijs; Minor autem multipliciter probari potest; primò, ideò tunc Ecclesia Romana fuit habita pro vera Christi Ecclesia, quia competebant illi omnes notæ veræ Christi Ecclesiæ proprię, sed ab eo etiam tẽpore, & nunc quoq; illi conueniunt: vt dicemus libro sequenti. Ergo. Secundò ex doctrina, cùm enim pręfatas notas Ecclesię Romanæ negare non possint aduersarij, negant in ea manere eamdem fidei doctrinam, quę fuit primis quingentis annis, vnde sic arguo; quicquid Ecclesia Romana nunc docet de pręcipuis fidei mysterijs, hoc olim docuit primitiua Ecclesia, quæ floruit primis quingentis annis, vt vt Deo dante ostendemus libro sequenti sectione 9. conferendo veterem doctrinam cum nostrate: Ergo Ecclesia Romana non defecit à Primitiua in doctrina fidei. Tertiò, quia si post dictum temporis interuallum Ecclesia Romana grauissimis, vt affirmant Sectarij contaminata est erroribus, inquiro ab illis vtrùm huiusmodi errores eodem tempore in vniuerso Christiano orbe recepti ab omnibus fuerint, nemine reclamante; an verò certo loco à quibusdam: vt sic primùm disseminati latiùs inde serpserint? Primum certè responderi non potest, si quidem per se incredibile videtur, quis enim sibi persuadeat eadem nocte, vel die, immò mense, aut anno omnes vbique terrarum veteri mutata religione in detestandas hæreses præcipitasse, exceptis pauculis atroniris, obmutescentibus? [Ecquid verisimile est,] inquit Tertullianus capite 28. de præscriptionibus, [vt tot ac tantę Ecclesiæ in vnam fidem errauerint? nullus inter multos euentus, est vnus exitus, variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed traditum.] Et sanctus Vincentius Lirinensis cap. 34. aduersùs hæreses: [Quis vmquam hæresim instituit, nisi qui se priùs ab Ecclesię Catholicæ vniuersitatis, & antiquitatis consensione discreuerit.]

Quod si respondeant, errores illos non confestim totùm peruasisse orbem, sed instar cancri, qui hæresum gressus est, serpsisse, deberent assignare quando per tales errores fidem tantopere celebratam Ecclesia Romana perdidit, desijtque esse; quod ante fuit? Quibus auctoribus? Qua via? Qua vi? Quibus incrementis vrbem, & orbem religio peruasit aliena? Quas voces, quas turbas, quæ lamenta, ea mutatio excitauit? Omnesne orbe reliquo sopiti sunt, dum Romana Sedes, noua Sacramenta, nouum Sacrificium, noua religionis dogmata procuderet? An denique extiterit aliquis historicus Latinus, vel Grecus, qui rem tanti momenti, vel obscurè scripserit? Nam vt benè argumentatur idem, qui suprà sanctus Vincentius: [Quæ vmquam hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebulliuit?] In quibus omnibus testificandis, vt sunt inter se diuisi, & cõtrarijs Sectarij ex dictis superiori capite, ita quoque vt falsos testes, falsos accusatores excipiendos esse ibidem diximus, insontem verò dimittendam esse Romanam Ecclesiam.

Tamdem cùm visibilem Christi Ecclesiam semel ab eo fundatam non potuisse deficere, aut errare in fide satis demonstrauerimus, & consequenter à tempore Apostolorum, ad nos vsque semper manserit visibilis Christi Ecclesia, sine vlla interruptione, aut errore; si illa Romana, vel Pontificia non sit, sed alia pręter eam, debent profectò dicere, quæ illa sit? Quo nomine appelletur? Quas mundi partes occupauerit, & adhuc occupet? Quos Pastores, & Episcopos Apostolorum successores habuerit, & adhuc habeat? Qui Reges, & Imperatores illi adhæserint, & adhuc adhærent? Qui hæretici ab illa

illa damnati? Quæ templa erecta? Quæ Academię confirmatæ? Quæ congregationes institutę ad propagandam Christi fidem? Quę miracula in eius confirmationem edita? aliaque sexcenta similia, quę propria sunt verę Christi Ecclesię priuilegia. Sed cum hoc ostendere sit illis impossibile, nec alibi re vera quàm in Ecclesia Romana toto orbe diffusa reperiantur, concludendum est eam solam esse veram Christi Ecclesiam.

Scio aliquos vi huius argumenti oppressos fingere apud Becanum lib. 1. Manualis cap. 3. Ecclesiam quamdam in cunis iacentem, ac vagientem, quæ nec fari possit, nec fidem profiteri. Aiunt enim, Ecclesiam Christi, aliquot sæculis vsque ad Lutheri, & Caluini tempora tam fuisse corruptam, ac vitiatam, vt nulli in ea fuerint veri fideles, nisi infantes baptizati. Et sine dubio, intelligunt eam fuisse Ecclesiam Romanam, seu Pontificiam: quam putant superioribus sæculis penitus defecisse, nisi quod soli infantes legitimè in ea baptizati, tamquam vera ipsius membra successiuè permanserint. Sed præfatus auctor rectè ostendit miseri huius perfugij, & ipsis aduersarijs contrarij vanitatem: Quatenus ex ipsis, vt vidimus supra, duæ sunt præcipuæ notæ Ecclesiæ, nempe sincera prædicatio Euangelij, & legitima, Sacramentorum administratio, ex quibus vt vera Christi Ecclesia dignosci debet, ita etiam sine illis subsistere non potest. At hæ duæ notæ non competunt Ecclesiæ, in qua soli infantes baptizati reperiuntur, quia soli infantes, nec possunt sincerè prædicare Euangelium, nec legitimè administrare Sacramenta. Ergo Ecclesia in qua soli infantes sunt, non est vera Christi Ecclesia: Deindè si omnes infantes, vt dicere debent aduersarij, si cohærenter loqui velint, statim ac ad vsum rationis peruenerunt, toto illo tempore veram amiserunt fidem imbuti turpissimis illis erroribus, quibus tunc Ecclesiam laborasse, asserunt, à quibus Lutherus, & Caluinus, qui inde exierunt, veram fidei doctrinam haurire potuerunt, quam ipsimet fatentur pluribus in locis comparari non posse nisi fideli dispensatorum verbi Dei ministerio, ac magisterio, si quidem seclusa Ecclesiæ legitimorumque Pastorum eius auctoritate, ad quos pertinet iudicare de diuinarum Scripturarum veritate, & sensu, talis doctrina ex alijs præcisè haberi non potest: secundùm legem Dei ordinariam, quam in Luthero, & Caluino violatam fuisse dicere, non minùs vanum est, quàm solos infantes per tot sæcula Ecclesiæ membra facere.

Igitur apud eumdem auctorem aliud effugium excogitarunt alij, dicentes semper in Ecclesia fuisse vnum, aut alterum cordatum virum, qui Papæ contradixerit, cuiusmodi diuersis temporibus fuerunt, Ioannes Vviclefus. Ioannes Hussius, Martinus Lutherus, Ioannes Caluinus; sed hoc etiam effugium, non minùs quàm præcedens absurdum est, aut inane, nam, vt instat præfatus auctor, deberent nobis edicere, quis fuerit ille vnus, vel qui duo cordati viri, qui ante Vviclefum, per singula superiora sæcula, Papæ contradixerint? Deindè Ecclesiam Christi faciunt peioris conditionis, quàm fuerit Synagoga Iudæorum, quæ numquam fuit tam deserta, vt duo tantùm viri in ea reperirentur. Imò tempore Eliæ cum putabatur desertissima non solùm septem millia virorum in ea reperta fuisse, sed longè plura, computando Regnum Iuda cum Israelitico supra demonstrauimus, talis autem rei absurditas patet, quia ad Galat. 4. 22. Ecclesia Christi vocatur Domina, Synagoga verò Ancilla, eamque prædixit Isaias cap. 54. multò fæcundiorem, & ampliorem fore, quam Synagoga fuerit. Hinc contra Sectarios aliud argumentum resilit à maiori ad minus, Nullus enim nisi insigniter fatuus, vel in Christum prorsus impudens audebit effutire, Doctrinam medijs hominibus Moyse, & alijs à Deo datam, fuisse inuictam, præualuisse quinquaginta plus sæculis, datam verò à filio Dei, & ad omnem perfectionem adductam tribus vix, aut quatuor sæculis substitisse, ac proinde Ancillam Dominæ præcelluisse, puerum multò plus valuisse, quàm virum, vmbram, quàm solidam veritatem: Insaniant hoc pacto si velint hæretici, nos cum Sanctis Patribus veris Ecclesiæ filijs altiora de illa sentimus, & eius vniuersalitatem respectu temporum, locorum, ac personarum defendimus, si enim præfati Patres Donatistis, plus Ecclesiæ tribuentibus, quàm hi faciant, nam illi tametsi dicerent, Ecclesiam toto orbe perijsse, & in sola Africa remansisse, non tamen ausi sunt asserere, quod hi asserunt remansisse aliquando in duobus tantùm viris, qui Papæ contradixerunt, si inquam illi, qui meliùs sentienbant de Ecclesia, quàm hi nostri aduersarij sentiunt, nihilominùs ab Augustino, & ab alijs Patribus damnati sunt tamquam hæretici: quid de his nostris fieri debeat, facilè indè concludi potest, etiam si alia nobis non suppeterent argumenta.

Probatur quartò conclusio ex traditione fundata in vnanimi Sanctorum Patrum consensu expressè docentium fidem Romanæ Ecclesiæ, & Catholicæ coincidere, Romanamque proinde Ecclesiam eamdem fidei stabilitatem, & inconcussam firmitatem habere quàm Catholica. Vnde sic efformo argumentum: si Romana Sedes, vel Ecclesia non coincideret ex Patribus cum vniuersali, & Catholica, nec proindè cum illa gauderet speciali priuilegio diuinitùs illi concesso non errandi in rebus ad fidem pertinentibus? sed in eis aliquando defecisset, sicut in alijs Ecclesijs particularibus etiam ab Apostolis inchoatis accidisse videmus, non esset cur ab eius exordio ad hæc vsque tempora, omnium ætatum, omnium conditionum, ac omnium nationum Patres ita vnanimiter tradidissent Romanam Ecclesiam caput esse, regulam omnium aliarum, proindeque illius dogmata vnicè suspicienda & amplectenda esse, ac successionis seriem omnium hæreseon fluctibus, vt firmam & immobilem petram opponi debere, & ad illius demùm traditiones, decreta, fidemque aduersùs omnium eorum fraudes, qui in salutis publicæ, & pietatis Christianæ perniciem nihil non machinantur tamquam ad tutissimam arcem & sacrosanctam aram confugiendum esse. At præfati Patres id vnanimiter asserunt, vt patebit ex eorum testimonijs in quibus citandis Sect. seq.

cap.

cap. 16. ordinem Chronologicum, nunc autem topograficum secuti incipiemus ab Europæis nostris Occidentalibus.

Primus sit D. Ambrosius in libro de obitu Satyri fratris, vbi versùs finem prudentiam eius, & cautionem referens ait, [Aduocauit ad se Episcopum, neque vllam putauit, nisi veræ fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, verùm nam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conueniret.] Quibus verbis clarè significat idem esse vniri cum Ecclesia Romana, & cum Catholica, ac proindè vtriusque vnionem eamdem esse, & indiuiduam, Vnde lib. 1. epist. 4. ad Imperatores sic scribit: [Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam Sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret obsecranda foret clementia vestra, indè enim in omnes veneranda communionis iura dimanant.] Et in epist. 7. eiusdem libri ad Syricium Papam, [Credatur, inquit, Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & seruat.] Quod idem docet sermone 2. de Sanctis, qui est de Cathedra Petri, & sermone 11. qui est secundus de Petro, & Paulo.

Hieronymus quoque in epist. 57. ad Damasum Papam hæc habet. [Cum successore Piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio. Quicumque tecum non colligit spargit, hoc est qui Christi non est Antichristi est.] Et sequenti ad eumdem epistola. Si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est; alibi etiam: si quid parùm cautè scripsisset, ab eodem Damaso emendari postulat, vt ab eo, qui Petri fidem, & sedem tenet. Item lib. 1 apolog. contra Rufinum col. 3. sic ait: [Fidem suam, quam vocat, eam ne, qua Romana pollet Ecclesia? an illam, quæ in Origenis voluminibus continetur, si Romanam respondet, ergo Catholici sumus:] quæ sanè consequentia non esset legitima, nisi eadem esset fides Catholica, & Romana, eademque Ecclesia, cuius iterum fidem esse immaculatam in eadem apologia lib. 3. parùm ante medium testatur his verbis, [Scito Romanam fidem Apostolica voce laudatam istiusmodi præstigias non recipere, etiam si Angelus aliter annuntiet, quàm semel prædicatum est &c.] Probat idem, quod in epistola ad Eustochium scribit, [totius Occidentis Ecclesias ob quasdam dissensiones Romam contractas, & euocatas fuisse;] & ad Principium, se Romam cum Sanctis Pontificibus Paulino, & Epiphanio, quorum alter Antiochenam Syriæ, alter Salaminiam Cypri rexit Ecclesiam necessitate Ecclesiastica tractum fuisse. Ruffinus Presbyter Aquileiensis, primùm S. Hieronymi amicissimus, deinde æmulus factus in expositione Symboli Apostolici in principio ait. [In diuersis Ecclesijs aliqua in his verbis inueniuntur adiecta, in Ecclesia tamen vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis vlla illic sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus.

Episcopi Prouinciæ Tarraconensis in epist. 2. ad Hilarium Papam circa annum Domini 461. Vbi primùm agnito priuilegio Ecclesiæ Romanæ de primatu Vicarij Christi, deindè subiungunt, [Proindè nos Deum in vobis primitùs adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, indè responsa quærentes, vndè nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.

Sanctus Prosper Aquitanus Episcopus Rhegiensis in Prouincia Prouinciæ, in libro de Ingratis contra Pelagianos, vbi primùm eos à Sede Petri condemnatos docens, eius quoque primatum, & vniuersalitatem describit his versibus.

Pestem subeuntem prima recidit.
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris.
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis.
Religione tenet.

S. Isidorus in epistola vltima ad Eugenium Episcopum Toletanum, cùm priùs de Petro dixisset. [Preminet cæteris, & ab ipso Dei, & Virginis filio honorem Pontificatus in Christi Ecclesia primus suscepit, deindè subiungit, Cuius dignitas potestatis etsi ad omnes Catholicorum Episcopos est transfusa, specialiùs tamen Romano Antistiti singulari quodam priuilegio, velut capiti cæteris membris celsiori permanet in æternum.] Quibus verbis licèt expresè non affirmet Ecclesiæ Romanæ in fide indefectibilitatem, supponit tamen vsque ad sua tempora non defecisse, & idem semper esse futurum satis significat, cum dicit] priuilegium illius permansurum in æternum.

Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuarensis librum de Incarnatione Summo Pontifici Vrbano dedicans, illum vocat vniuersæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summum Pontificem, & in capite 1. subdit; [Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra fidem Catholicam oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur &c.] quibus quid de Ecclesia Romana sentiret, satis declarauit.

Venerabilis Beda varijs in locis, sed præsertim lib. 3. de historia Anglorum cap. 25 vbi sapiens quidam Presbyter nomine Vvilfridus allegatis decretis Romanæ Ecclesiæ, ad quamdam de Paschate controuersiam definiendam, ita concludit; [Si audita decreta Sedis Apostolicæ, imò vniuersalis Ecclesiæ & hæc litteris sacris confirmata, sequi contemnitis, absque vlla dubietate peccatis. Et si enim patres tui Sancti fuerunt, numquid vniuersali, quæ per orbem est, Christi Ecclesiæ horum est paucitas vna de angulo extremæ insulæ præferenda.]

Diuus Bernardus Abbas tàm in libris 2. 3. & 4. de consideratione ad Eugenium, quàm in epist. 125. 126. 130. 131. 136. 137. 138. 183. & 190. ad Innocentium Papam, vbi contra

tra nouam hæresim insurgentem eius implorans auctoritatem ait: [Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula queque,& scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est. Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur: à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Id quidem modò necessarium.

Vno verbo, nulli,aut saltem pauci fuere Scriptores Ecclesiastici in his occiduis, & Europæis partibus, qui vel ex professo, vel occasione data magis tamen, vel minùs expressè non supposuerint, aut non docuerint, istam Ecclesiæ Romanæ cum Catholica, & vniuersali coincidentiam, siue vnionem, & in credendo indefectibilitatem, nec alibi, quàm apud illam, certum fidei,rerumque ad illam spectantium magisterium quæri debere Quod etiam verum,& longè euidentissimum reddunt Concilia siue Prouincialia, siue Generalia in totius Occidentis partibus coacta,& celebrata, quæ ad Sedem Romanam pro his recurrere:& in illis obedire numquam detrectarunt, deindè quod in ijsdem partibus non aliundè, quàm ab ea,eiusque ministris Euangelium diffusum fuerit. De quibus, ne actum agatur,videri possunt Thomas,Bosius lib. 4. de signis Ecclesiæ, in signo de propagatione Ecclesiæ per multa capita, & Dominicus Grauina Catholicar.præscriptionum lib. 4. de Ecclesia, controuersia 3. & 4. Interim in Africam nos pergemus.

Ad Austrum igitur conuersis, inter præcipuas vniuersæ Africæ Ecclesias Romanæ Ecclesiç principatum, & in fide magisterium agnoscentes in primis occurrit celebris illa Carthaginensis, quæ Numidijs, & Mauritanicis inuigilabat, & in ea Tertullianus Presbyter: libro de Præscrip.aduersùs hæreticos cap. 30. vbi dicit Marcionem, & Valentinum [in Catholicam primò doctrinam apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu Eleutherij credidisse,] talibus enim verbis satis significare videtur auctoritatem, & coincidentiam Ecclesiæ Romanæ cum Catholica, quam Romanensem vocat eodem stylo, quo lib. de Pallio cap. 4. Romanitatem dixit, quód apud eam Catholica esset doctrina, sed clariùs adhuc cap. 36. vbi agens de Ecclesijs Apostolicis,apud quas adhuc ipsæ Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, hæc habet de Romana; [Si Italiæ adiaces, habes Romanam Ecclesiam, vnde nobis auctoritas præstò est statuta. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes, postquam in oleum ign eum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.

Tertulliano, Cypriani eius discipuli, qui cùm Carthaginensi Ecclesiæ tanta cum laude præfuisset, fortissimus tandem Christi martyr fuit, sententiam adijciamus,ille enim pluribus in locis, eamdem, quam hic intendimus veritatem, de Rom. Ecclesiæ cum Catholica coincidentia, & priuilegio non errandi cum illa in rebus fidei clarissimè docet; Epist.52. ad Antonianum vnum ex Episcopis Numidiæ; [Scripsisti etiam, vt exemplum earumdem literarum ad Cornelium Collegam nostrum transmitterem, vt deposita omni sollicitudine iam sciret te secum, hoc est cum Catholica Ecclesia, communicare.] Vbi apertè sentit inter se coincidere Ecclesiã Romanam, vel Cathedram Petri, & Catholicam; si enim verum sit, cum Ecclesia Catholica illum communicare, qui cum Cornelio Romano Papa communicat, erit igitur Ecclesia illa Catholica, cui præsidet Cornelius, ac proinde signum etiam,per quod discernatur Ecclesia Catholica ab hæreticorum conciliabulis, erit adhæsio Romano Pontifici. Epistola 55. ad Cornelium, vbi loquendo de hæreticis ait: [Nauigare audent, & ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides, Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum.] Epistola 67. ad Stephanum Papam; vbi de Martino Arelatensi Episcopo Nouatiani sectam secuto, deinde ad communicationem Ecclesiæ Africanæ admitti optante scribit eum sententiam retulisse: [Se foris esse cepisse, nec posse à quoquam nostrum sibi communicari, qui Episcopo Cornelio in Catholica Ecclesia de Dei iudicio, & Cleri, ac plebis suffragio ordinato, prophanum altare erigere, & adulteram cathedram collocare, & sacrilega contra verum Sacerdotem sacrificia offerre tentauerit.] Ex quibus verbis habetur primùm, quòd sicut ex dictis in epistola ad Antonianum, qui cum cathedra Petri, cum Ecclesia Catholica communicat, ita vbi quis cum illa non communicat, cum illo quoque, tamquam ab Ecclesia Catholica extorri communicari non potest: secundò quòd Cornelius Episcopus Romanus dicatur in Catholica Ecclesia ordinatus, manifestè ostendit vtriusque Ecclesiæ identitatem: tertiò tandem non mediocriter commendat Sedis Romanæ tamquam vniuersalis, & Catholicæ authoritatem,quòd iam olim à Summis eius Pontificibus Romanis Episcopi iustis de causis excommunicari possent, immò destitui, & nouos in eorum locum restitui, vt colligitur ex ha c Cypriani epistola.

Item epistola 76. ad Magnum [Ecclesia, inquit, vna est, quæ vna, & intus, & foris esse non potest: Vnde colligit, si apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit, qui Fabiano legitima ordinatione successit, Nouatianus in Ecclesia non est;] Vbi clarè supponitur Ecclesiam Catholiçam vnam esse cum Romana; aliàs D.Cypriani argumentum non concluderet, quo contendit probare Nouatianum extra Ecclesiam Catholicam esse, quòd esset extra illam, quæ apud Cornelium Pontificem Romanum fuit; quo insuper conuincitur veram Ecclesiæ vniuersalis notam esse legitimam successionem Summorum Pontificum Romanorum, vt potè cum dicat apud Cornelium veram fuisseEcclesiam, quia legitima ordinatione Fabiano successit

idem

idem ferè habet libro de Vnitate Ecclesiæ, saltem iuxtà vetustissimorum codicum lectionem: [Hanc Ecclesiæ vnitatem, qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur, & resistit, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit: in Ecclesia se esse confidit?

Carthagine relicta, si Hypponem versùs contendamus, vbi Episcopum egit D. Augustinus, ò quanta ab eo erga Beati Petri sedem, id est Romanam Ecclesiam reuerenter dicta audiemus, quibus eius cùm Catholica identitas, & in fide indefectibilitas euidenter colligi potest. Primùm enim libros quatuor, quos contra duas epistolas Pelagianorum ediderat, ad Bonifacij Papæ sanctitatem potissimùm dirigit examinandos, emendandos Apostolicæ Sedis correctioni se, suaque committens lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 1. Deinde lib. 2. cap. 4. [Cùm literis, inquit; venerabilis Innocentij Catholicæ fidei clareret antiquitas, profectò Ecclesiæ Romanæ præuaricator esset: qui ab illa sententia deuiaret;] quibus verbis fidem Sedis Romanæ tamquam Catholicam recipere, ac venerari apertum est.

Insuper solius Ecclesiæ Romanæ successionem à Beato Petro ad suam ætatem vsque, tamquam certissimam veræ, & vniuersalis Ecclesiæ notam schismati Donatistarum opponit epistola 165. nec non in libro contra epistolam fundamenti, vbi inter quatuor, quæ in græmio Ecclesiæ Catholicæ ipsum iustissimè tenebant, hoc numerat: [Ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem suam Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.] Quæ verba indicant, illam fuisse ab eo existimatam Catholicam Ecclesiam, quæ cum Sede Petri erat coniuncta, & oues, quæ Petro fuerant commendatæ continebat; quem etiam in finem eodem argumento vsi sunt alij Patres, Irenæus, Optatus, Epiphanius, & Eusebius Cæsariensis: hi enim cùm ipsimet essent Episcopi, Irenæus Lugduni in Gallia, Optatus Milleuij in Africa, Epiphanius Salaminæ in Cypro, Eusebius Cæsareæ in Palestina, non tamen recensuerunt successionem suarum particularium Ecclesiarum, sed tantùm Ecclesiæ Romanæ; nisi enim pro eodem acciperent Ecclesiam Romanam, & Ecclesiam Catholicam, frustra loquerentur semper de Ecclesia Romana, & de successione Pontificum Romanorum, vbi & quoties volunt recensere, & pertexere catalogum Episcoporum, qui in Ecclesia Catholica, & Apostolica legitimè sibi inuicem successerunt.

Item in epist. 162. ait Cæcilianum Carthaginensem contemnere potuisse conspirantem multitudinem inimicorum Donatistarum; [Cùm se Romanæ Ecclesiæ, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus per communicatorias literas se videret esse coniunctum;] At ne in re apud Diuum Augustinum eruditissima sim effusior, relictis alijs tam eius, quàm Optati, Fulgentij, Lactantij, Arnobij, & aliorum Africanorum doctorum testimonijs ad Alexandrinam Sedem transeo, quam in Ægyptum, Pentapolim, & Lybiam, iuxta antiquam consuetudinem, excellentiam, summamque potestatem, & dignitatem habere, Sancta Synodus Nicœna decreuit.

In primis Origenes, & ipse Alexandrinus Catechistes lib. 5. in epistol. ad Romanos, & in 16. cap. Matthæi, docet Petro summam rerum de pascendis ouibus traditam, & super ipsum, velut super petram, fundatam esse Ecclesiam, ipsumque meruisse Ecclesiæ fieri fundamentum: in epistola verò ad Zephyrinum Romanum iter suscepisse, quòd sibi admodum in desiderijs, Præsulem scribit, ideo se Romam esset, Ecclesiam Romanam planè antiquissimam, videre.

S. Dionysius Alexandrinus, cuius operum multa, & magna extant fragmenta apud Eusebium lib. 6. & 7. ibidem Xisti Romani Episcopi consilium quæsiuisse, sententiamque vehementer expetiuisse legitur in Anabaptismi causa, veritus ne per errorem ipse laberetur. Idem etiam Stephanum Xisti antecessorem eadem de causa, prolixa satis epistola, totius Orientis commemorata concordia, consuluerat, vt primum sine dubio Ecclesiæ vniuersalis pastorem, cuius, sanctæq; sedis eius sententiā audire, & attēdere omnes deberent.

Sanctus quoque Athanasius Episcopus pariter Alexandrinus, & vnà cum eo totius Ægypti Episcopi in epistola ad Marcum Papam; [cum Sanctæ Romanæ Apostolicæ Sedis, atque vniuersalis Ecclesiæ Papam nominant: Sanctamque eius sedem, matrem, & & caput omnium Ecclesiarum agnoscunt: cui cum omnibus sibi commissis, perpetuò se futuros obedientes pollicentur.] Idem rursus in epistola ad vitam solitariam agentes, Alexandria Romam vsque se aliquando nauigasse scribit, [vt se ipsum, suaque illi Ecclesiæ commendaret.] Alexandrinam denique Ecclesiam semper gloriatam fuisse, quod Romanæ Ecclesiæ fidei, ore Apostolico laudatæ esset particeps, scribit D. Hieronymus epistola ad Theophilum.

Vltimò Sanctus Cyrillus Alexandrinus etiam Episcopus in thesauro ait: [Secundùm hanc Domini promissionem Ecclesia Apostolica Petri (id est Romana) ab omni seductione, hæreticaque circumuentione manet immaculata, super omnes præpositos, & Episcopos, & super omnes primates Ecclesiarum, & populorum, in suis Pontificibus in fide plenissima, & authoritate Petri. Et cùm aliæ Ecclesiæ quorumdam errore sint verecundatę, stabilita inquassabiliter ipsa sola regnat, &c.] Quæ verba licèt in Thesauro Cyrilli nunc non inueniantur, tamen ex D. Thomæ authoritate ea citantis in catena Matth. 16. nec non in opusculo contra errores Græcorum magnam fidem habent; Illa etiam præter D. Thomam, refert Gennadius Archiepiscopus Constantinopolitanus in defensione Concilij Florentini cap. 5. sect. 12. paulò tamen aliter, nimirum, [Oportet nos tamquam membra caput sequi, id est, Romanum Pontificem, & Apostolicam Sedem, à qua debemus petere, quid credere & sentire debeamus, ac tenere quia ipsius tantùm est confutare, redarguere, confirmare, ordinare, soluere, & ligare.

Tandem Africam, Asiam, deinde reliquas Europæ Orientalis partes petentibus, innumeri penè huius, quam propugnamus, veritatis testes nobis occurrunt. In Ecclesia Hieroso-

rosolimitana, præter D. Hieronymum ibi degentem, iam supra à nobis inter Europæos Occidentales relatum, habemus ipsum clarissimum eius Antistitem Cyrillum, qui Petrum Romanæ Ecclesiæ præsulem, principem Apostolorum excellentissimum appellat Cathech. 2. clauium regni cœlorum portitorem Catech. 6. supremum Ecclesiæ præconem Cathech. 11. &c. In Palestina Cæsariensi doctissimus ille Episcopus Eusebius, Petrum Christianorum primum Pontificem vocat in Chronicis: additque illum Romæ viginti quinque annis perseuerasse; & quoties in historijs præcipuarum Ecclesiarum Episcoporum successiones enumerat, toties Romanæ primum locum tribuit; cui tamquam matri, reliquæ particulares adhærent. In Antiochena Ecclesia totius Syriæ primaria, Theodoretus Cyrorum Episcopus in epistola ad Leonem Papam tom. 2. Conciliorum, Ecclesiam Romanam maximis extollit laudibus, præcipuè autem ait: [Eam insigniter exornat fides, & fide dignus testis Diuinus Apostolus, qui clamat, fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo: & de ipsa Sede Romana dicit: [Vobis per omnia primos esse conuenit, vestra enim sedes omnium est maxima, & preclarissima, & quæ præest orbi terrarum, & infra: habet autem communium quoque Patrum, & veritatis doctorum Petri, & Pauli sepulchra, quæ fidelium animas illuminant. Et infrà: Illorum autem Deus nunc quoque sedem claram insignemque reddidit, cùm vestram Sanctitatem in ea collocauerit, quę radios fidei orthodoxæ emittit.] At idem argumentum, quod Ecclesia Romana ob Petri cathedram fuerit habita semper ab omnibus alijs pro vniuersali, & Catholica, facit, quod libro 3. historiæ Ecclesiast. refert Flauianum Antiochenæ Sedis Episcopum, per legationem precibus Chrysostomi, & Theophili, Ecclesiæ Romanæ Episcopo, à quo ob violatum iusiurandum communione priuatus fuerat, reconciliatum fuisse, & communioni restitutum; quod etiam confirmant Socrates lib. 3. & Sozomenus lib. 5. hist. Item, quòd eadem sedes Paulinum Patriarcham lubens amplexa sit, quia per Pontificis Romani legatum Luciferum nomine sibi traditus, & ordinatus esset: qui postea, & ipse vnà cum Epiphanio, & Hieronymo, de rebus Ecclesiasticis consulturus ad Romanum Pontificem profectus est; vt habetur ex Nazianzeno in Monodia Basilij, & Hieronymo in epistola ad Principiam.

Ex Asia minori, S. Irenæus Græcus Polycarpi Smyrnensis Episcopi primùm discipulus, deindè Lugdunensis Episcopus lib. 3. aduersùs hæreses cap. 3. habet: [Sed quoniam valdè longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper ab his, qui sunt vndique, conseruata est ea, quæ ab Apostolis traditio.

S. Basilius Cæsareæ Cappadociæ Episcopus epistola 52. rogat Romanum Episcopum, [res Orientis considerare, & iudicij sui decretum interponere, & sua authoritate vsum, Orientem visitare, diligenti illius examini semetipsum sistere paratus. S. Gregorius in eadem Cappadocia Nazianzi Episcopus in Monodia Basilij testatur, Romani præsulis legatos Luciferum, & Eusebium, qui ad seditionem, quæ in Cæsareæ Cappadociæ Ecclesia orta fuerat, compescendam venerant, libentissimè acceptos, & auditos fuisse.

Constantinopoli quoque, quæ priùs Bysantium in Thracia ad Bosphorum Thracicum, Pontum Euxinum, à Propontide separantem, Romanæ Sedis, vel Ecclesiæ auctoritatis varia non defuere argumenta, primùm quòd Paulum eius Patriarcham, Asclepam Gazæ, Lucium Adrianopolis, Marcellum Ancyræ Galatiæ minoris, Episcopos, ab improbis, & hæreticis sedibus eiectos restituerit Iulius Episcopus Romanus, litteris ad Orientales liberiùs scriptis, eos, à quibus temerè abdicati fuerant grauiter arguens: Quoniam Ecclesia Romana, inquit Socrates, lib. 2. hist. cap. 11. priuilegium præter cæteras obtinet: atque, adijcit Sozomenus lib. 4. cap. 7. propter Sedis dignitatem: cura omnium ad ipsum Iulium spectabat. Deindè Chrysostomus, Teophili, Epiphanij, & multorum Orientis Episcoporum factionibus eadem Sede Constantinopoleos pulsus, & relegatus, epistola ad Innocentium Papam ipsum obsecrat [vt auctoritate sua, acta illorum robur nullum habere decernat; sed eos qui iniquè egerunt pœnarum Ecclesiasticarum legibus subijciat] Prout contigit, Innocentius enim Atticum Chrysostomi loco suffectum, supersedere iubet; & Proclum Cizici Episcopum, Constantinopolitanam Ecclesiam tantisper pascere, donec causa perpenderetur: Idemque Arcadium Orientis Imperatorem, Eudoxiamque Imperatricem, quos relegationis tanti Doctoris reos comperit, à communione Ecclesiæ, & sacrorum submouit, ac pœnitentes postmodum absoluit. Interim Anysio Thessalonicæ, Syriaco Apameæ Bithyniæ, Palladio Helenopoleos, Demetrio Pisinuntis, totius Cariæ Episcopis, necnon Mesopotamiæ Monasterijs, iusto Romanæ Sedis iudicio adhærentibus ex Theodoreto, Palladio, Socrate, Sozomeno, & Nicephoro in eorum historijs. Tandem cùm in tres diuersas sententias de Spiritus sancti diuinitate miserè distractæ essent Orientales Ecclesiæ, acceptis Episcopi Romani literis, quibus vt vnà cum Episcopis Occidentis Trinitatem, & consubstantialem esse, & gloria æqualem suadebat, in vnitatem redierunt; [Singulis, inquit Sozomenus lib. 2. cap. 22. hist. rebus ab Ecclesia Romana semel iudicatis acquiescentibus.]

Verùm quid in peragendis singularum Prouinciarum Ecclesijs diutiùs immoramur? quandoquidem vnanimem illarum in sacris, quibus omnes interfuere Synodis consensum ha-

habemus, in hac asserenda suprema Romanæ Sedis, & Ecclesiæ auctoritate. Prima enim Synodus Nicæna non tantùm Syluestri Episcopi Romani consensu fuit coacta, præsidentibus in illa eius nomine Vito, & Vincentio, sed ipsa quoque, communi omnium Episcoporum nomine, epistola ad eumdem Syluestrum precatur tom. 1. Concil. vt quidquid in tanto cætu, & consessu visum esset, oris illius consortio confirmaretur: proùt accidit, nam eodem anno perlatis Romam decretis S. magnæ Synodi, atque literis sanctus Syluester collegit ex Italia Episcoporum Concilium, cuius extat fragmentum tomo etiam 1. Concil. Syluester Episcopus sanctæ, & Apostolicæ Sedis Romanæ, dixit: [Quicquid in Nicæa Bithyniæ constitutum est, ad robur sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, & Apostolicæ, à sanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo, nostro ore pariter confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissoluere definitionem sancti, & magni Concilij, quod apud Nicæam congregatum est sub præsentia pijssimi, & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes. Placet.] Ex eo autem, quòd in eadem Synodo habeantur hæc verba pro Romanæ Ecclesiæ primatu; [Perpendimus, inquit, omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari;] inferant aliqui Græci, in quibus fuit Theodorus Balsamon, Romanam Ecclesiam à Nicæno Concilio priuilegia, quibus potitur, esse sortitam, & tunc esse institutum Romanum Patriarchatum, atque tres alios, id omninò insulsum esse pluribus ostendit Cardinalis Baronius in Annalibus ad annum 325. & colligitur ex epistola Nicolai Papæ ad Michaelem Imperatorem Romanæ Sedis aduersarium omninò videnda.

In secunda etiam sancta Synodo Generali, quæ I. Constantinopolitana fuit, ad quam iuxtà literas Damasi Papæ conuenerant 150. Episcopi Orientales ad condemnandam hæresim Macedonij Episcopi Constantinopolitani, qui Spiritus sancti diuinitatem negabat, scripta fuit ab illis epistola tom. 1. Concilior. ad eumdem Ecclesiæ Romanæ Præsulem, qua membra eius propria se se profitentur, simulque vt ordinationibus Nectarij, Flauiani, & Cyrilli, quibus Constantinopolitanam, Antiochenam, & Hierosolymitanam Ecclesias commiserant, sua pietate, & charitate spiritali acquiesceret, hortantur.

In tertia Synodo pariter Generali Ephesina contra Nestorium iussu, & auctoritate Cælestini Papæ conuocata: ad quam Episcopi plusquàm ducenti ex Oriente conuenerunt & nomine Pontificis Romani Cyrillus Episcopus Alexandrinus præfuit, ijdem imposita sibi necessitate à canonibus, & Sanctissimi Patris Cælestini Romanæ Ecclesiæ Episcopi epistola, diu multùmque lachrymantes, se se ad ferendam anathematis contra Nestorium sententiam adigi protestantur ex Nicephoro lib. 14. cap. 34. tom. 1. epistola quoque ad eumdem Cælestinum ibidem sanctitatis illius pietatem, zelum, & curam de recta fide se cum omni admiratione suscipere asserunt: Episcopos Romanos in omnibus celebres esse, & eorum studia Ecclesiarum fulcra constituta agnoscunt: & quoniam necessitas postulabat, vt quæ peracta fuerant in Sancta illa Synodo, omnia ad Sanctitatis eius cognitionem referrentur; necnon auctoritate confirmarentur, eidem ipsi, ea vniuersa se se indicare scribunt, per legatos ab illis missos; quos Summus Pontifex, summa totius Ecclesiæ exultatione excepit, & litteras Episcoporum ad confessionem Sancti Petri, præsente vniuerso clero, & populo Romano legi præcepit; Deinde per eosdem legatos in Orientem datis litteris, quibus teste Gennadio de Scriptor. Ecclesiast. capit. 54. Sacræ Synodi decreta aduersùs Nestorium confirmauit anno Domini 431. 8. idus Aprilis ex hac vita migrauit.

Ad IV. quoque Synodum Generalem Calcedonensem auctoritate Leonis Papæ coactam, instante, & vrgente Marciano, contra Eutychetis, & Dioscori hæresim, cum ex Occidenti, ex toto Oriente conuenissent sexcenti triginta Episcopi; Actione 1. omnes, ne vno quidem reclamante, Romanam Ecclesiam caput omnium efferentem Paschasinum Episcopum Lilybæi in Sicilia, Leonis Papæ legatum audiunt, eiusque mandata capessunt. Deinde lecta in actione 2. S. Leonis epist. de Incarnatione Verbi ad Flauianum, eam miris laudibus Patres prosecuti sunt ita acclamantes [Hęc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus. Orthodoxi ita credimus. Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est, Apostoli ita docuerunt. Ad eamdem insuper Romanæ Sedis reuerentiam faciunt tituli, quibus passim eius Episcopum prosequuntur Dominum enim nostrum vocant, ipsumque adorantem Apostolicam Sedem fatentur, eius doctrinam vt ter Beatissimi Petri amplectuntur; nempè, vt in primatu Ecclesiæ successor, in doctrinæ soliditate, in pascendo sibi commisso grege, esset & Petri hæres; ex Carranza in summa Concilior. Postea Act. 3. Dioscori damnationi Paschasinus Papæ legatus his verbis primus subscribit: [Paschasinus Episcopus Ecclesiæ Lilybetanæ, vice Beatissimi, atque Apostolici vniuersalis Ecsiæ Papæ vrbis Romæ Leonis, Sanctæ Synodo præsidens in Dioscori damnatione consensu vniuersalis Concilij subscripsi] qui titulus vniuersalis non solùm à Paschasino, præsente Concilio, Ecclesiæ Romano Episcopo datus fuit, sed eum quoque ab eodem Concilio oblatum affirmat S. Gregorius affirmat lib. 4. epist. 36. ad Eulogium Alexandrinum; vndè cùm tale nomen in epistola Synodi ad Leonem desideretur; dubitari potest, ab aliquo per dolum esse subductū. Ipsum autem S. Leonem vsum esse titulo vniuersalis testatur eius epistola ad Marcianum, sub Consulatu Herculani, vt modò extat in Latino, & Græco codice. In eadem denique Actione 3. relatione S. Synodi ad eumdem S. Leonem dicitur [Vocis Beati Petri omnibus constitutus interpres, eius fidei beatificationem semper omnes adducens]; cui relationi correspondet eius epistola 59. quæ incipit, omnem quidem fraternitatem, post sequentem annum ad Episcopos Synodi Chalcedonensis data, qua nihil ex illa præter fidei definitionem esse

se firmatum significat; cætera verò infringit, quæ per ambitionem Constantinopolitanorum gesta sunt contra Nicæni statuta Concilij.

En quomodo, & singuli, & in quatuor primis Generalibus Synodis, quas Diuus Gregorius lib. 2. registri, Indict. 10. epist. 10. Sicut quatuor libros sancti Euangelij recipit, congregati omnium Ecclesiarum Patres, & Pastores verbis, scriptis, operibus, Ecclesiam Romanam à Petro, cui præ cæteris Dominicas oues pascendi cura commissa est, fundatam esse docent; ipsi obedientiam, reuerentiamque exhibent; extorres ab eius communione prophanos, hæreticos, & antichristos reputant; in omni controuersia iudicium eius expectant; decreta eius, vt Christi voces audiunt, amplectuntur; præcipui Patriarchæ ab illa confirmari expetunt; Concilijs suis calculum adijcere rogant; Quæ omnia sine dubio intelligi non possunt de Ecclesia Romana, quatenus est particularis diœcesis, quam hoc modo concedimus aduersarijs esse errandi periculo obnoxiam, nec ab Apostolo laudari Roman. 1. propter singulare aliquod priuilegium in fide illibata conseruanda, sed solùm propter insignem pietatem, & sinceram populi Romani fidem, quæ in initio Ecclesiæ maximè viguit; sicut etiam 1. Thessalonicensium dicit eos [factos esse formam omnibus credentibus. Superest igitur vt intelligantur de Ecclesia Romana secundùm quod coincidit cum Vniuersali, & Catholica, sumiturque proinde pro illa congregatione fidelium toto orbe diffusorum, qui Episcopo Romano, tamquam summo, & supremo Ecclesiæ militantis pastori, & eam vnà cum illis per modum capitis visibilis cõficienti semper adhæserunt; Quo pacto nos asserimus esse veram, & vnicam Ecclesiam, ideoque gaudere omnibus supradictis priuilegij diuinitùs illi concessis, quorum meminerunt supracitati Patres, quorum testimonia non debent restringi ad Ecclesiam Romanam ante sexcentesimum Christi annum vt perperam faciunt aduersarij; quia illi non solùm factum narrant sed etiam ius, vt solet dici, seu fundamentum illius facti perpetuum esse affirmant, & ita non solùm docent fidem Ecclesię Romanę fuisse suo tempore Catholicam, sed etiam hoc habere ex proprio priuilegio, & prærogatiua, quæ perpetuò in illa sede duratura est: Deindè quia interim temporis in hac re aliquid mutatum esse, siue Romanam Ecclesiam paulatim ac sensim Catholicam esse desijsse, puritatem fidei amisisse, vt ipsi confingunt, numquam hactenus, vel apparenter probare potuerunt. Imò ad hominem contra illos duas profero instantias. Prima, quia post primos, quingentos annos floruit D. Gregorius Papa, cui tamquam capiti, totus Christianus orbis coniunctus erat, vt patet ex ipsius epistolis, quas ad omnes prouincias: præsertim ad Episcopos Orientis, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ scripsit, Secunda, quia post obitum Gregorij celebratum est Concilium sextum Generale Constantinopolitanum III. sub Agathone contra hæresim Monotelitarum, quod aduersarij vt sacrosanctum recipiunt, vt patet tùm ex alijs, tum ex confessione Tigurinorum, & ex centurijs Magdeburgensium. Ex eo autem Concilio manifestè colligitur, totum Orientem, & Occidentem eo tempore cum Romano Pontifice Agathone, tamquam membra cum suo capite conspirasse; nam eius sententiam, quam per legatos, & epistolas ipsis explicabat, omnes amplexi sunt, vt referunt citati Magdeburgenses cenr. 7. cap. 9. Igitur Ecclesia Catholica, etiam post primos quingentos annos, fuit illa ipsa fidelium multitudo, & congregatio toto orbe diffusa, & dispersa, quæ Romano Pontifici in Doctrina fidei adhærebat, sicut etiam nunc est.

Superesset iam vltimò probare quoque ad hominem ex varijs aduersariorum dictis Romanam, seu Pontificiam, in qua sumus, esse veram Christi Ecclesiam, atque adeo prætensam reformatam, in qua sunt ipsi, talem esse non posse tùm quia vnica est vera Christi Ecclesia, tum quia cùm nostra in multis à sua diffideat, iam darentur duæ veræ Christi Ecclesiæ inter se diuersæ, ac discrepantes; verùm commodiùs hoc argumentum vrgebimus inferiùs lib. sequenti Sect. 9. libenter enim sæpiùs hanc tanti momenti materiam versandi occasionem arripimus; vnde fit,

II. Conclusio; fieri potest euidenter credibile, hanc hominum congregationem toto orbe diffusorum, qui nunc sub spirituali, Clementis IX. feliciter regnantis obedientia viuunt, esse veram Christi Ecclesiam, quæ ab eius institutione semper in eadem fide perseuerat, sub obedientia successoris Petri pro tempore existentis; & quæ simili modo per continuam successionem, vsque ad finem mundi duratura est. Probatur Conclusio, supponendo ex toties dictis, illam esse veram, & vnicam Christi Ecclesiam, quæ veram eius doctrinam integrè, & sine errore credit, ac prædicat; sed fieri potest euidenter credibile, quod in dicta numero congregatione vera Christi fides integrè, & sine errore credatur, atque prædicetur: Igitur fieri etiam potest euidenter credibile, quod illa sit vera, & vnica Christi Ecclesia. Probatur minor, nam aduersarij concedunt maiorem tamquam certissimam; fieri potest euidenter credibile, in hac numero congregatione veram Christi fidem integrè, & sine errore credi, ac prædicari, si doctrinæ quam profitetur, & enunciat, competunt omnes notæ, omniaque signa, quibus Christus Dominus suam voluit fieri doctrinam, & Ecclesiam, in qua conseruatur, euidenter credibilem, sed vt ostendemus libro sequenti Sectione 2. huiusmodi notæ competunt doctrinæ, quam hæc numero congregatio, siue Romana profitetur Ecclesia: Ergo dubitari non potest, quin veram Christi doctrinam, vel fidem in ea integrè conseruari sit euidenter credibile, & consequenter quin sit vera eius Ecclesia.

III. Conclusio, certa fide tenendum est, hanc certam, & indiuiduam hominum congregationem toto Orbe diffusam, quæ Romanam fidem profiterur, Romanoque Pontifici pro tempore existenti adhæret, esse veram Christi Ecclesiam. Prob. Illud est obiectum diuinæ fidei, quod à Christo immediatè reuelatum fuit; sed ab ipso immediatè reuelatum habemus, hanc certam, & indiuiduam hominum

num congregationem, Romanam fidem profitentem, ac Pontifici Romano adhærentem per vniuersas Orbis Prouincias, suam esse veram Ecclesiam; id ergo certa fide credendum est. Maior est certa; minor autem probatur, tum ex dictis in quarto huius capitis notando; tum quia hæc congregatio est vna, & eadem numero, vt vidimus cap.3.& 4. cum illa, quam in Symbolo reuelauit Christus Apostolis, credendamque in perpetuum proposuit; Igitur sicut tunc illa fuit obiectum fidei, ita etiam,& nunc erit: licet sub illo nomine Romanæ reuelata non fuerit; sicut vnitas filij cum Patre in natura, [Ego & Pater vnum sumus,] non desijt esse obiectum fidei, quando ad illam significandam contra hæreticos Arianos decursu temporis impositum fuit à Concilio Nicæno nomen Consubstantialis; & in alijs Concilijs nomen transubstantiationis ad exprimendam in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento conuersionem totius substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, sub vtriusque speciebus realiter existentis. Sed de his satis, quæ vtinam cedant ad maiorem Dei gloriam, sanctæque Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ exaltationem, necnon aberrantium ab ea, ad eam reductionem, vt simus omnes sub vno Pastore, vnum Ouile. Amen.

SECTIO

SECTIO QVARTA.

De Summo Pontifice Romano, supremo Ecclesiæ Militantis Pastore.

CAPVT PRIMVM.

Præmittitur breuis idæa rerum in hac Sectione explicandarum.

CVM ad substantiam, & perfectionem cuiuscumque regni duo maximè pertineant; vnum sunt leges, alterum magistrâtus, leges enim populis per modum regulę pręscribunt, quid agere debeant; Magistratus verò tamquam principaliores populi, & regni partes, opportunam legum interpretationem, & obseruantiam procurant; postquam in prima & secunda huius libri Sectione tractauimus de verbo Dei tam scripto, quàm tradito, tamquam de certa fidei norma, infallibilibusque regulis, vnde Theologi sua depromunt argumenta, & secundùm quas regnum Christi, seu vera eius Ecclesia adhuc in terris militans, de qua præcedenti Sectione sermo fuit, tam in credendis, quàm in agendis gubernari debet; nunc tractandum est de visibilibus eiusdem Ecclesiæ magistratibus, quorum est Ecclesiam regere, fidem, fideique doctrinam proponere, Scripturam sacram explicare, ortasque inter fideles controuersias sua auctoritate definire. Quia autem huiusmodi potestas, seu auctoritas iudiciaria in causis fidei, & religionis ad perfectum Ecclesiæ regimen necessaria ex institutione Christi Domini principaliter residet penès Summum Pontificem Romanum, tamquam supremum, & vniuersalem Ecclesiæ Militantis Pastorem, ideò primùm nobis erit sermo de illo, deinde in sequenti Sectione de sacris Concilijs.

Quia autem circa sacram summi Pontificis Romani personam multa considerari possent, tam ad eius auctoritatem, quàm ad supremam in Ecclesia dignitatem spectantia, non agimus in præsenti de illis omnibus, nec enim intendimus completum de hac materia tractatum dare, sed tantùm de Summo Pontifice, secundùm quod in rebus ad fidem spectantibus gaudet priuilegio infallibilitatis, & consequenter de illis, quæ necessariam cum tali priuilegio doctrinę connexionem habent; cuiusmodi sunt ea præcipuè, quæ ad summi Pontificis institutionem, & existentiam pertinent. I. Quòd Christus Dominus D. Petro solùm, & non cæteris Apostolis dederit Vniuersalis Ecclesiæ Primatum. II. Quòd sanctus Petrus, & sanctus Paulus non sint duo Ecclesiæ summi Pastores, & Pręsules, qui vnicum Caput constituant, itaùt ponatur omnimoda æqualitas inter ipsos in suprema potestate, & regimine Vniuersalis Ecclesiæ. III. Quòd iure diuino supremus Ecclesiæ Primatus D. Petro conueniat. IV. Quòd Romam venerit, ibique suam Sedem Episcopalem fixerit, & tandem martyrio coronatus fuerit. V. Supremum Monarcham esse Ecclesiæ Christi essentialem, ideòque semper aliquem Diuo Petro, in eadem suprema, Christo tamen subordinata, Ecclesiam gubernandi, & regendi potestate successisse. VI. Quòd verus, ac legitimus Diui Petri successor in regimine Vniuersalis Ecclesiæ, sit solus Pontifex Romanus canonicè electus. VII. Quo iure Episcopus Romanus sit successor D. Petri in supremo Ecclesiæ Monarchatu. VIII. vtrùm sit de fide, quòd hic numero Pontifex pro tempore existens, quem tota Ecclesia tamquam legitimè electum agnoscit, & recipit, sit verè Pontifex, & totius Ecclesiæ caput. IX. de tempore, quod est medium inter mortem vnius Pontificis, & successionem alterius. X. de electione noui Pontificis. XI. quinam sunt veri, ac legitimi illius electores. XII. de eius confirmatione, & consecratione. XIII. an, & qua ratione Summus Pontifex hanc suam potestatem amittere possit. XIV. an Pontifex Romanus, vt dicunt Sectarij, aliquando à potestate summi Ecclesiæ Pastoris ceciderit, & degenerarit in Antichristum. XV. affertur sacræ successionis Romanorum Pontificum series. XVI. an ex Schismatibus, quæ fuerunt in Ecclesia, Apostolica Romanorum Pontificum successio interrupta fuerit. XVII. vtrum in illa serie recensenda sit Ioanna Papissa. Quæ omnia sunt prorsùs necessaria, ad stabiliendum supremum Romani Pontificis in Ecclesia primatum, & institutionem, quibus semel stabilitis. XVIII. ostendemus supremam etiam potestatem determinandi res fidei esse in vero & legitimo successore Petri Romano Pontifice; ac tandem tàm ea, ad quæ se extendit, quàm ipsum modum, quo ad ea se extendit talis potestas, examinabimus.

CAPVT II.

Quòd Christus Dominus Diuo Petro solùm, & non cæteris Apostolis dederit vniuersalis Ecclesiæ primatum.

CVm primatus Romanæ Sedis non aliundè, quàm ex primatu D. Petri comprobari possit; sicut nostri temporis Sectarij, vt quàm tutissimam sibi viam parent, ad primatum Romani Pontificis oppugnandum, negant D. Petrum fuisse caput Apostolorum, & Ecclesiæ, aut cæteris Apostolis superiorem; ita per oppositum nos, ad stabiliendum aduersùs hæreticam, & contumeliosam eorum doctrinam, supremum eiusdem Romani Pontificis in Ecclesia vniuersali primatum, ac principatum, per modum fundamenti primùm statuere pro viribus conabimur, Pontificiam, ac supremam in Ecclesia dignitatem, in Petri capite fuisse primùm quoque erectam.

Igitur pro intelligentia propositæ veritatis, obseruandum est primò, Christum Dominum quamdiu in terris egit, fuisse primum Pontificem, non dico Romanum, sed summum, ac visibile totius Ecclesiæ caput, in quo plenissimè omnis auctoritas & potestas Ecclesiastica residebat: quin idem etiamnum in cælis degens, inuisibile Ecclesiæ caput, & fundamentum, eadem auctoritate, excellentia, & potestate perpetuò præditum perseuerat: ita sentiunt omnes Theologi cum D. Thoma 3. parte quæst. nec ab eorum placito dissentiunt hæretici, nisi forsan Antonius de Domini... Apostata Spalatensi... qui vt vidimus cap. 3. superioris Sectionis existimauit lib. 1. de repub. cap. 1. [Ecclesiam veram primitiuam post Christi ascensum propriè suum ortum habuisse.]

Secundò suppono tamquam certum, Christum Dominum neque tradidisse, neque tradere potuisse plenitudinem illam & perfectionem suæ potestatis, ac auctoritatis alteri; eumque proinde in suo regimine nullum habere successorem, vt optimè declarauit Cardinalis Turrecremata lib. 1. de Ecclesia cap. 52. Gregorius de Valentia tom. 4. disput. 1. quæst. 9. Tannerus de fide disput. 1. q. 4. dub. 2. alijque plures, ex eo quod Christus non modò caput est Ecclesiæ, quia extrinseca directione, vel gubernatione docendo, & præcipiendo, illam dirigit, sed quia simul etiam internum vigorem, gratiam scilicet, & omnis generis virtutes in eamdem influit; supremamque insuper potestatem habuit leges condendi, & abrogandi, noua Sacramenta instituendi, veteribus abolitis, & alia id generis, quæ nulli hominum competunt.

Tertiò suppono, tria debere in Apostolis distingui, ordinem Sacerdotij, consecrationem Episcopalem, siue potestatem ordinis, & iurisdictionem vniuersalem, siue spiritualem potestatem in totam Ecclesiam, & in totum orbem. Etsi enim ordine Sacerdotij excepto, quem certum est, omnes Apostolos immediatè à Christo Domino accepisse sub nocte cœnæ verbis illis, [hoc facite in meam commemorationem. Lucæ 22.] vt definit Trident. sess. 22. cap. 1. Salua fide disputetur inter Doctores Catholicos de alijs duabus dignitatibus, quando, vbi & quomodo fuerunt Apostolis collatæ; an nimirum omnes immediatè fuerint ab ipso Christo ordinati Episcopi? an verò solus Petrus, qui cæteros deinde ordinauerit? Similiter an omnes immediatè à Christo Domino receperint spiritualem in totum orbem potestatem? an verò solus Petrus, qui cæteris postea Apostolis illam contulerit; de quibus videri possunt Theologi Scholastici in 3. partem de Sacramento Ordinis, interpretes Sacri tam in Euangelia, quàm in acta. Suarez de fide disput. 10. sect. 1. & alij. Etsi, inquam, circa prædicta nihil possit certum haberi: nihilominus, tam ex Diuinis Scripturis, quàm ex vnanimi Sanctorum Patrum consensu, concorditer etiam affirmant omnes Doctores Catholici, singulis Apostolis vel immediatè à Christo, vel certè ex præcepto eius, vt comprehendantur S. Matthias, S. Paulus, & S. Barnabas, collatam fuisse potestatem Ordinis, siue Episcopalem, nec non potestatem iurisdictionis, siue auctoritatem regendi, & gubernandi totam Ecclesiam; atque ita quidem, vt Apostoli omnes, quoad communem Episcopatus, & Apostolatus dignitatem, aut prærogatiuam fuerint inter se pares; nam ad vtramque prærogatiuam duo pertinebant, primum quod ipsi à Christo Ecclesiastici ministerij auctoritatem acceperunt: alterum quod eamdem auctoritatem ab illo etiam acceperunt, sine vlla determinatione ad certa loca, vel obiecta; ita nimirum, vt ipsi tamquam Episcopi, Doctores, & Pastores animarum possent vbique in toto terrarum orbe munia Ecclesiastica ritè obire: iuxta illud Matth. 28. vers. 19. [Euntes docete omnes Gentes.] & Marci 16. vers. 15. [Euntes in mundum Vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ:] In hac ergo vtraque Episcopatus, & Apostolatus prærogatiua, omnes Apostoli pares fuerunt; adeò vt nec D. Petrus potuisset, si voluisset, talem, quam à Christo Domino habuerant missi in totum orbem ad fundandam Ecclesiam, iurisdictionem restringere: Et de hac solùm paritate, vel æqualitate debent intelligi aliqui SS. Patres, speciatim Diuus Cyprianus, quando libro de Vnitate Ecclesiæ ait; [Hoc erant vtique cæteri Apostoli, quod & Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis.]

Supppono quartò, singulos Apostolos, comprehenso etiam D. Petro, ita fuisse in Ordine Episcopali pares, & æquales, vt ille idem ordo, auctoritasque illi præcisè annexa, quæ fuit penes Apostolos, nunc sit penes Ecclesiæ præpositos, & Episcopos, tamquam legitimos Apostolorum successores, vt Sectione sequenti fusiùs explicabitur. Iterum suppono, ita quoque singulos Apostolos fuisse cum D. Petro in Apostolatu coæquales, siue in spirituali iurisdictione, quam in orbem Vniuersum abituri à Christo Domino acceperant, vt tamen fuerint valdè dispares tam in modis, quàm etiam in actibus talis Iurisdictionis. Petrus enim Apostolus fuit

in illa cæteris superior; primò quia fuit in eo, vt in pastore ordinario totius Ecclesiæ, cui in perpetuum succedendum erat, vt dicetur infra: in alijs verò non ita, sed eorum potestas quodammodo delegata erat, & ex priuilegio, siue extraordinariè: quo circa cum illis, & in illis terminata fuit, nullaque prorsùs ratione ad successores Episcopos transmissa. Secundò quia D. Petri iurisdictio se extendebat ad ipsas personas Apostolorum directè, nimirum poterat illis præcipere, atque huc, vel illuc mittere; vt enim rectè ait Caietanus tractatu de comparatione Papæ, & Concilij cap. 3. licèt Apostoli reliqui, quatenùs Apostoli fuerint Petro pares; quatenùs tamen erant oues Christi, fuerunt Petro subiecti. Tertiò ad Petrum spectauit cura vniuersalis Ecclesiæ, quasi per se primò, hanc enim oportuit in vno inueniri; cùm tamen ad cęteros tam vniuersalis potestas nonnisi secundariò esset demandata; in hunc, videlicet sensum, quòd vbique gentium possent prædicare, Sacerdotes, & Episcopos instituere, vt constat ex Actis Apostolicis, & epistola Diui Pauli, qui Ephesi Timotheum consecrauit, & Titum Cretæ constituit, item leges pro diuersitate locorum, vbi suam exercebant iurisdictionem, ferre, excommunicare, absoluere, aliaque similia præstare: non autem vt possent vniuersalem Ecclesiæ ordinem præscribere, aut leges condere, quæ totam obligarent; si enim hoc singuli potuissent, magna indè confusio orta fuisset.

Dùm ergo in præsenti agitur de primatu Diui Petri super omnes alios Apostolos in regimine vniuersalis Ecclesiæ, totus controuersiæ nodus inter nos, & aduersarios in eo consistit; an in solo Diuo Petro vniuersalis Ecclesiæ regendæ potestas, tamquam in vero, & legitimo Pastore ordinario resederit? siue, quod idem est, an solus Diuus Petrus tamquam Pastor ordinarius à Christo Domino potestatem in toto Mundo ordinariam, ac perpetuò duraturam, atque adeò ad posteros transmittendam acceperit? Id enim negant Hæretici, constanter verò affirmant Catholici tamquam verum, ac certum fidei dogma, contendentes iurisdictionem in Ecclesiam vniuersalem tantùm fuisse datam alijs Apostolis tamquam extraordinarijs delegatis, à quibus proinde, ad eorum successores Episcopos nullo modo erat deriuanda; sicut Diui Petri potestas, quæ post ipsius obitum suis legitimis successoribus tribui debebat, itaut tam pro se, quàm pro illis supremam hanc potestatem in perpetuum acceperit.

Fundamentalis hæc fidei Christianæ, & Catholicæ veritas colligitur primùm ex apertis Noui Testamenti testimonijs, quibus dictam potestatem, & auctoritatem, partim à Christo Diuo Petro promissam, partim confirmatam, ac re ipsa traditam, partim denique ab eodem Diuo Petro exercitam legimus.

Igitur Matth. 16. habetur: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.] Quorum sanè verborum planus, ac obuius sensus est, vt sub illis duabus metaphoris fundamenti, & clauium intelligeremus promissum Petro vniuersalis Ecclesiæ primatum.

Verùm quia Hæretici ad eneruandam huius loci vim, & auctoritatem, miris illum modis deprauare conantur; nam nec Petrum per petram ibi significari volunt, sed Christum, vt Caluinus lib. 4. instit. cap. 6. §. 6. vel omnem hominem fidelem, vt Erasmus in hunc locum, vel etiam fidem, seu fidei confessionem, vt Lutherus lib. de potestate Papæ, qui etiam sibi persuadere non possunt, per fundamenti, & clauium metaphoras summam potestatem Ecclesiasticam significatam fuisse; sed nudum, ac solum verbi ministerium; quatenùs ille soluere, seu remittere dicitur peccata, qui annunciando Euangelium homines conuertit ad Deum, ille verò dicitur ligare, seu retinere, qui eos, quos videt obstinatos, declarat sempiternis pœnis esse mancipandos. Ità Caluinus lib. 4. instit. cap. 6. §. 3. & cap. 11. §. 1.

Aduersùs istos omnes errores, & humanas Hæreticorum adinuentiones, firmiter asserunt Catholici literaliter ibi per petram designari Diuum Petrum, idest, illam personam singularem, quæ dicitur Petrus; cui soli à Christo Domino credunt ibidem esse commissum regimen spirituale totius Ecclesiæ, metaphoricè significatum, tam per fundamentum, cui totam Ecclesiæ molem superædificandam promittit Christus, quàm per claues Regni Cœlorum.

Primùm ergo de persona Petri prædicta verba esse intelligenda luce meridiana clariùs ostendunt tot indicia, & circumstantiæ, quibus illum Christus delineauit, vt pluribus, & melioribus Notarij suis codicillis, publicisque instrumentis aliquem describere non soleant. I. enim Petrus nomine proprio Simonis exprimitur. II. subditur nomen patris, nempè Iona, vel Ioanna. III. additur; [Ego dico tibi, quia tu es Petrus;] vbi pronomen demonstratiuum Tu, personam Petri euidenter significat. IV. tandem subiungitur: [Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;] vbi etiam pronomen demonstratiuum [hanc] manifestè arguit Christum de Petro ipso, de quo proximè egerat, loqui; cùm enim in similibus loquendi modis (vbi facta certæ personæ compellatione, Tu es hic, vel ille, subiungitur particula demonstratiua, relata vel ad idem nomen denuò repetitum, vel ad simile habens allusionem ad priorem personæ appellationem) talis vocula demonstratiua simul cum suo appellatiuo proximè semper, & immediatè retrahatur ad personam, quæ immediatè antea pronomine illo primitiuo; Tu, significatur, vt si dicam, Tu es Rex, & in hoc Rege fiduciam meam colloco; Tu es Columna, & hæc Columna sustinebit Ecclesiam; & sic de innumeris alijs; aperta profectò videtur esse cognitæ veritatis impugnatio; solùmque nouandi studium negare, quod verba illa: [Et super hanc Petram,] respiciant, & designent Petrum. Proximè enim dixerat Christus; [Tu es Petrus,] seu Petra, quæ duo penitùs idem sunt in præsenti instituto, cùm Syris, quorum lingua locu-

tus est Dominus, eadem sit vox sine generis mutatione Cepha, quod est saxum, vel lapis, aut petra ingens; vt dixerit Christus: [Tu es Cepha, & super hoc Cepha;] vel Latinè: [Tu es Petra, & super hanc Petram;] maluit tamen latinus interpres, nomen Petra fœmininum in masculinum mutare, tùm quòd virili personæ, nempè Diuo Petro aptiùs conueniret; tùm etiam, quòd Græcum codicem sit secutus, vbi ità legitur: *Sy ei Petros, cai epi tayti ti petra oicodomiso moy tin Ecclisian.*

Hæc autem variatio terminationis, quæ in voculis Petrus, & Petra, iuxtà Græcum, & Latinum textum cernitur; parùm refert; cùm enim Christus nec Grecè, nec Latinè, aut lingua nostra quadam vernacula Petrum allocutus sit, sed Syriacè, prout in ipso Syriaco Euangelij textu legitur, quis dubitet ijs verbis: [Et super hanc Petram,] in quamcumque tandem linguam transferantur, seu quocumque vocis sono enuncientur, personam Diui Petri designari, ac velut digito demonstrari: præsertim cum in Hebraico, & Syriaco idiomate, nec potuerit quidem talis vocum quoad terminationem mutatio, qualis in lingua Græca, & Latina reperitur, locum habere; siquidem nomen Cepha apud Syros, & nomen Geph apud Hebræos, siue de persona dicatur, siue de re, scilicet Petra, eumdem sonum, eamdemque semper terminationem conseruat.

Quibus omnibus accedit vnanimis, & consentiens sanctorum Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum auctoritas, qui ex ijsdem Christi verbis, Petrum fuisse Petram, ac fundamentum Ecclesiæ destinatum, constantissimè tradiderunt: quorum testimonia, expressaque verba, quia referentur infrà cap.16. Aliqua tantùm hìc indicabo loca, vbi consuli poterunt. Origenes in 6. caput ad Roman. & homil. 5. in Exodum. Tertullianus lib. de præscript. & de pudicitia. Cyprianus ep. 55. ad Cornelium, item ad Flor. ad Iubaianum, & ad Quintum; necnon in libris de hab. Virginum, de Vnitate Ecclesiæ, & de bono pudicitiæ; Hilarius super Matthæum can. 16. Basilius lib. de pœnitentia, vbi quasi præuidens Sectariorum obiectionem, ait: [Nàm etiamsi Petra est, non vt Christus Petra est, sed vt Petrus Petra est. Christus enim re vera Petra est immobilis, & inconcussa, Petrus verò propter hanc Petram. Largitur enim Deus suas dignitates non euacuans se, sed habens dati. Lux est, vos estis, inquit, lux Mundi. Sacerdos est, Sacerdotem facit. Petra est, Petram facit.] Athanasius in epistola ad Felicem Papam, quam suo, & Ecclesiæ Alexandrinæ nomine scripsit: [Tu es, inquit, Petrus, & super fundamentum tuum, Ecclesiæ Columnæ, id est Episcopi sunt firmatæ.] Gregorius Nazianzenus in oratione de modestia in disput. seruanda. Epiphanius in libro Ancorat. & contra hæreses in 59. Ambrosius serm. 46. & lib. 6. in Lucam cap. 9. Diuus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, & contra Pelagianos lib. 1. super Matthæum. Chrysostomus homilia 55. in Matthæum. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioannem cap. 12. Augustinus passim in locis statim citandis; alijque plures, discurrendo per 17. secula, quibus à Christo nato floruerunt, nullus enim ferè est, qui tam ex citato, quàm ex alijs Scripturæ locis, Petrum, solum Christi Vicarium, Papam, & Summum Pontificem Romanum non agnouerit; adeout, quod iam olim Concilium Ephesinum dixerat, vsurpari nunc meliùs possit, videlicet, seculis omnibus notum Petrum Principem, & Caput Apostolorũ fuisse. Nec refert, quòd aliqui Patres illa verba: [Et super hanc Petram,] in præfato sancti Matthęi loco contenta, interdum referant ad Christi fidem, quam Petrus confessus est, huiusmodi enim interpretatio nihil penitùs obest primatui Diui Petri, siue, quod idem est, nihil impedit, quominus Ecclesiæ fundamentum vocari debeat, sed per eam solum explicatur, quod talis eius fides, pro qua Christus Dominus oraturus erat, ne deficeret, & in qua aliquando conuersus confirmaturus erat fratres suos Lucæ 22. fuerit illi quodammodo ratio, seu dispositio ad primatum Ecclesiæ obtinendum, vt Diuus Hilarius, Hieronymus, & alij interpretantur; vnde satis patet expositionem hanc in primam incidere; sicut & aliam Diui Cyrilli dialog. 4. de Trinitate intelligentis fidem Petri Summi Ecclesiæ Pastoris, quæ deficere non potest, cùm Ecclesię fidem totam quodammodo sustineat, hoc est enim Petrum esse Petram, in qua fundatur Ecclesia; nimirum esse vniuersalem Pastorem, ex quo Ecclesiæ firmitas, & in vera doctrina constantia, tamquam ex certa, & infallibili regula pendet.

Contra quem vnanimem Sanctorum, ac veterum Patrum consensum, circa supremum in Ecclesia principatum præ omnibus alijs Apostolis, per prædicta verba Diuo Petro promissum; non est, quòd sibi blandiantur aduersarij de Diui Augustini sententia, qui tract. vltimo in Ioannem, Petram Christum interpretatur: [Super hanc, inquit, Petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam;] idem habet serm. 13. de verbis Domini, necnon lib. 1. retract. cap. 1. [In libro contra epistolam Donati dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in eo tamquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij, vbi de gallo gallinaceo ait, hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam,] vt super hanc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens: [Tu es Christus Filius Dei viui;] ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claues Regni Cœlorum. Non enim dictum est illi, Tu es petra, sed tu es Petrus: Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus.] Harum autem duarum sententiarum, quæ probabilior sit, eligat Lector.

Huiusmodi enim Diui Augustini auctoritatem à Caluino, & Erasmo allatam in adnotatiuncula super epistolam Diui Cypriani ad Flor. re vera Catholicæ veritati nihil obstare; & communi omnium sanctorum Patrum, tam qui ipsum antecesserunt, quàm qui subsecuti sunt explicationi in Ecclesia tanto tempore palàm decantatæ, & ab ipso

Christo Domino tam clarè, tamque perspicuè traditæ nihil prorsus præiudicare ex his fiet manifestum. Primò, quia Diuus Augustinus non putat blasphemum, vt censet Caluinus, super Petrum ædificatam esse Ecclesiam, eumque per petram ibi significari; sed vtriusque opinionis, siue harum duarum sententiarum, quæ sit probabilior, iudicio Lectoris electionem relinquit, eam autem esse probabiliorem satis constat, quam tot veteres sequuntur. Secundò, Diuus Augustinus priorem illam suam interpretationem, quam fatetur etiam Diui Ambrosij versibus iam olim publicè in Ecclesia fuisse decantatam, nullo modo reijcit, aut retractat, sed aliam tantùm adducit; ea ratione, vt quisque aduerteret, & omnes moneret, Saluatorem esse primum Ecclesiæ fundamentum, primamque petram, Simonem autem secundariam, ac Vicariam, vt ex Diuo Basilio supra vidimus, cui etiam absimilia non habet Diuus Ambrosius in cap. 9. Lucæ. Tertiò tandem, cùm aliud sit de alicuius loci Scripturæ sensu, vel explicatione dubitare, & aliud de veritate in illo, aut per illum significata, etiamsi concederemus Diuum Augustinum aliquo modo de priori citati loci interpretatione dubitasse; non ideo tamen de re ipsa vllo modo dubitauit, fuerit ne sanctus Petrus supremum Ecclesiæ Caput, ac Princeps Apostolorum; cùm primatum illius, necnon summam in Ecclesiam auctoritatem, vbique passim constantissimè professus sit: adducunt aliqui quæst.75. quæst. Veteris, & Noui Testamenti: [Dicunt exactores didrachmæ ad Petrum Apostolum: Magister vester non soluit didrachma? quo dicto Magistrum, vt pro omnibus Discipulis solueret conuenerunt: Saluator autem cùm pro se, & Petro dare iubet, pro omnibus exsoluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ità & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit caput eorum, vt Pastor esset Gregis Dominici.] Quo certè nihil expressius ad asserendum supremum Diui Petri in Ecclesia primatum dici potuit: verùm quia probabilius est, hoc opus non esse Diui Augustini, sed alterius Scriptoris antiquioris, eo relicto, idem penitùs, nec minus clarè docet tract. 56. in Ioannem: [Quis nescit primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum?] sermon.5. in festo sanctorum Petri, & Pauli; solus inter Apostolos meruit audire; [Amen dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; dignus certè, qui ædificandis in Domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad Regnum.] Item serm.20. 24. & 29. de Sanctis, & serm.124. de tempore: ac tandem lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 1. [Puto, inquit, quòd sine vlla sui contumelia, Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantùm attinet ad martyrij coronam; cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum? sed etsi distat cathedrarum gratia, vna est tamen Martyrum gloria, &c. In Apostolo Petro primatus Apostolorum excellenti gratia præeminet.]

Verùm quia ad supremum Diui Petri in Ecclesia principatum, non sufficit, quòd locus à nobis in illius probationem adductus, & hucusque expensus, literaliter de solo Diuo Petro immediatè intelligi debeat, nisi etiam ille idem sit, cui dicitur: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum,] breuiter ostendendum est illas à Christo Domino promissas fuisse soli Petro, eiusque personæ seorsim à cæteris Apostolis sumptæ, non coniunctim, secundùm quod per illas metaphoricè significatur vniuersalis Ecclesiæ primatus.

Primùm igitur id efficaciter, & euidenter, vt puto, probat tam accurata Diui Petri descriptio, quem, vt vidimus supra, tot modis Christus delineauit, vt non pluribus circumstantijs, aut indicijs describere soleant aliquem certum hominem Notarij illi, qui instrumenta publica conficiunt. Nam si nihil ibi soli Petro propriè, & peculiariter à Christo promittitur, quorsum tam accurata descriptio præuiè ab ipso facta, & per tales proprietates, quæ nonnisi Diuo Petro, & nullo modo omnibus alijs Apostolis conuenire possunt; nisi velimus dicere verba Christi Domini magna, & graui homonymia laborare; quod est absurdissimum.

Secundò, illi propriè claues Regni Cœlorum promittuntur à Christo, qui priùs dixerat: [Tu es Christus filius Dei viui;] id enim apertè significant illa verba, [Et ego dico tibi; & vt ait D. Hieronymus, mercedem recipit vera confessio,] At illam præclaram confessionem solus Petrus edidit, & in persona sua edidit ex reuelatione sibi diuinitùs facta: In persona igitur sua clauium promissionem immediatè accæpit. Maior huius argumenti videtur omnino certa: Minor autem probatur hac ratione, si D. Petrus non in propria, & singulari persona, sed nomine omnium aliorum Apostolorum, siue quod idem est per modum præconis respondisset, vel id præstitisset, quod cæteri Apostoli hanc illi prouinciam demandassent consultatione quadam inter se priùs facta, vel quòd sciret quid illi responsuri essent: neutrum autem dici potest, videturque esse manifestè contra textus Euangelici veritatem, in quo solum Petrum non ex aliqua consultatione humana, sed ex reuelatione Patris præclaram confessionem suam didicisse legimus; ait enim Dominus, [Caro & sanguis non reuelauit tibi, &c.] Indeque sancti Patres Hilarius in hunc locum, & lib. 6. de Trinitate, Chrysostomus homil. 55. in Matthæum; Cyrillus Alexand. lib.12. in Ioannem cap.64. August. serm.124. Leo serm. 11. de Passione, 2. de sanctis Petro, & Paulo, alijque plures docent, Petrum ita primum esse locutum, vt nesciret quidem, quid alij de ea re sentirent. Sed quid his opus, etiam si nomine omnium respondisset Petrus sensu ab hæreticis, eorumque sequacibus intento: inde tamen non repugnat, quòd illi singulariter supremum Ecclesiæ principatum Christus tribuerit, & non cæteris Apostolis, sicut si plures principes, aut magnates Imperatorem salutarent, & vnus tantùm nomine omnium loqueretur, posset Imperator rationabiliter illum solum suum Proregem constituere, & non alios.

Tertiò illi promissum est à Christo Domino:

mino: [Tibi dabo claues Regni Cœlorum,] qui paulò post ab eodem Domino audiuit: [Vade post me Sathana, scandalum es mihi,] nam & in eodem capite Euangelij habetur vtrumque, & vtrobique Petri nomen exprimitur, sed hæc posteriora verba, vt docent veteres Patres Hilarius lib.6. & 10. de Trinitate, necnon in Psal. 131. Chrysostomus, & Theophylactus in capit. 16. sancti Matthæi; Ambrosius lib. de Isaac cap. 3. Hieronymus in citato cap.16. sancti Matthæi; Augustinus lib.2.contra duas epistolas Gaudentij cap.23. soli Petro, & in propria eius persona dicta sunt; Ergo & prima, neque mouere nos debet nomen Sathanæ, nam vt ait D.Hilarius loco statim citatus: [Tanta Christo religio fuit pro humani generis salute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confessorem, Ecclesiæ fundamentum, Cœlestis Regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem Cœli, Sathanæ conuicio nuncuparet.] Præterquam quod ex Hebraicæ linguæ peritis habemus, tale nomen non diabolum, sed aduersarium significare: siquidem Sathan apud Hebræos nihil est aliud, quàm aduersari: vnde quamuis Diabolus passim Sathanas appellatur, quia maiorem eo non habemus aduersarium: non tamen vbique,& semper nomen Sathanæ Diabolum designat. Et tandem nullum est inconueniens, vt ineptè contendit Lutherus lib. de potestate Papæ, quod ad vnam, & eamdem D.Petri personam prædicta verba referri dicantur, cùm illi non eadem ratione conueniant. Petrus enim ex Dei munere habet reuelationem, & accæpit claues, ex propria autem infirmitate offenditur de passione, & morte Christi Domini. Quod etiam D. Hieronymus singulari D. Petri erga Christum Dominum affectui tribuit: [In omnibus locis, inquit cap.14. D.Matthæi, ardentissimæ fidei inuenitur Petrus. Interrogatis discipulis, quem homines dicerent Iesum, Dei Filium confitetur; volentem ad passionem pergere prohibet, & licèt erret in sensu, tamen non errat in affectu.] Et in cap. 16. [Mihi, inquit, hic error Apostolicus, & de pietatis affectu veniens, numquam incentiuum Diaboli videbitur.]

Accedit quartò vnanimis sanctorum Patrum consensus, qui in præsentia quidem Apostolorum, sed inter Apostolos soli Petro singulariter Ecclesiæ claues à Christo fuisse promissas, & commissas asserunt. Parùmque interest, quod ex D.Augustino, Lutherus, & Caluinus, alijque hæretici solent obijcere, scilicet D. Petrum in persona Ecclesiæ claues accæpisse, cum ait tract.50. in Ioannem: [Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia: si autem hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claues accæpit Ecclesiam sanctam significauit.] Quod adhuc fusiùs docere videtur serm.108. de diuersis his verbis: [Beatus Petrus primus Apostolorum vehemens Christi amator, qui meruit audire: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus: dixerat enim ipse: Tu es Christus filius Dei viui. Christus illi: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Super hanc petram ædificabo fidem, quam confiteris. Super hanc, hoc, quod dixisti, tu es Christus filij Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam. Tu es enim Petrus. A petra Petrus, non à Petro petra: sic à petra Petrus, quomodo à Christo Christianus. Vis nosse de qua petra Petrus dicatur? Paulum audi: Nolo enim vos ignorare, fratres. Apostolus Christi dicit, nolo vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari, & omnes eumdem cibum spiritualem manducauerunt, & omnes eumdem potum spirituale biberunt. Biberunt autem de spirituali, sequente eos petra. Petra autem erat Christus. Ecce vnde Petrus. Dominus Iesus discipulos suos ante passionem suam, sicut nostis, elegit, quos Apostolos appellauit. Inter hos penè vbique solus Petrus, totius Ecclesiæ meruit gestare personam, propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit: tibi dabo claues Regni Cœlorum. Has enim claues non homo vnus, sed vnitas accepit Ecclesiæ. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius vniuersitatis, & vnitatis Ecclesiæ figuram gessit: quando ei dictum est, tibi trado, quod omnibus traditum est. Nam vt noueritis Ecclesiam accepisse claues Regni Cœlorum, audite in alio loco, quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis: Accipite Spiritum sanctum: & continuò si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei: si cuius tenueritis, tenebuntur. Hoc ad claues pertinet, de quibus dictum est, quæ solueritis in terra, soluta erunt & in Cęlo: & quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in Cœlo. Sed hoc Petro dixit, vt scias quia Petrus vniuersæ Ecclesię personam tunc gerebat, audi quid ipsi dicatur, quid omnibus fidelibus Sanctis, si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipsum solum: si te non audierit, adhibe tecum vnum, vel duos: scriptum est enim, in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum: si nec ipsos audierit, refer ad Ecclesiam, si nec ipsam audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quia quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in Cœlo, & quæcumque solueritis in terra, soluta erunt & in Cœlo. Columba ligat, columba soluit, ædificium supra petram ligat & soluit, &c. Meritò etiam post resurrectionem Dominus ipsi Petro oues suas commendauit pascendas: non enim inter discipulos solus meruit pascere Dominicas oues, sed quando Christus ad vnum loquitur, vnitas commendatur, & Petro primitùs, quia in Apostolis est primus.] Hactenus D.Augustinus, cuius testimonium quantumuis prolixum exscribere placuit, quia, nonnulli Monarchiæ spiritualis D.Petri, & Romanorum Pontificum eius successorum osores, & hostes infensissimi, cum eam per illud euerti credant, nulla tamen ratione veritati catholicæ à nobis huc vsque explicatæ aduersatur.

Quando enim ait Augustinus Petrum vbi claues accæpit, Ecclesiam Sanctam significasse, vniuersitatis, & vnitatis ipsius figuram gessisse, has claues non hominem vnum sed vnitatem accepisse Ecclesiæ, non intendit S.Doctor D.Petrum tamquam Ecclesiæ Vicarium, aut legatum claues accæpisse: instar Proregis, aut alicuius alterius, cui principis nomine claues ciuitatis nonnunquam dantur

sed

ſed tamquam ſupremum Eccleſiæ moderatorem, ac Principem: quo pacto dicitur Regno dari, quod Regi ipſi datur, præſertim ſi id non tàm in Regis, quàm in publicam regni vtilitatem cedat, vt in noſtro caſu contingit. Quod autem hæc fuerit mens Diui Auguſtini manifeſtiſſimè patet ex hiſmet locis, & alijs; quotieſcumque enim dicit Petrum Eccleſiæ perſonam geſſiſſe, vel ſuſtinuiſſe, hoc ſemper aſſerit ratione primatus: vt tractatu 50. & vltimo in Ioannem; [Cuius Eccleſiæ, inquit, Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam.] Et in pſal. 108. [Cuius Eccleſiæ videlicet, ille agnoſcitur geſſiſſe perſonam propter primatum, quem in diſcipulis habuit: aut, quia in Apoſtolis eſt primus] ex loco ſtatim adducto. Ratio huius rei eſt, quia eo tempore, quo beato Petro Chriſtus Dominus promiſit claues regni cœlorum, non erat Eccleſiæ legatus, aut Vicarius, quis enim eiuſmodi Prouinciam illi impoſuerat? non igitur datur locus ſuſpicandi, quòd nomine Eccleſiæ, per modum legati, vel Vicarij illius claues acceperit, ſed potiùs ſuo, & in quantùm Chriſtus illi ſupremum ſuum in Eccleſia vniuerſali Vicariatum promiſerat, ita nimirum, vt ipſe verè, & principaliter, nec non immediatè claues acceperit, at ſimul eas accipiendo præfigurarit Eccleſiam; tùm quia non in ſuum, ſed in Eccleſiæ commodum, promiſſam erat poteſtatem accepturus, tùm quia non per ipſum ſolùm caput erat exercenda, ſed alijs etiam Apoſtolis, & Eccleſiæ miniſtris communicanda: tùm denique, quia non perſonæ tantùm Petri fiebat promiſſio, vt ſcilicet ipſe ſolus illa frueretur; aut in illo ſolo finiretur, ſed vt perpetua ſucceſſione in Eccleſia maneret; [Si hoc, nempè, tibi dabo claues regni cœlorum; quodcumque ſolueris, &c. Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia;] id eſt, non faciunt reliqui Eccleſiæ miniſtri, per Eccleſiam ibi ſignificati, neque enim Eccleſiæ communitas ligat, aut ſoluit: [Si autem hoc in Eccleſia fit: Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit;] id eſt, omnes illius præſules, quatenus Diuus Petrus ita pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus Summis Pontificibus vniuerſalis Eccleſiæ primatum illi promiſſum accepit, vt non propterea cæteri præſules ab eius gubernio fuerint excluſi, ſed potiùs pro illis claues ſuo modo acceperit.

Vbi obiter notandum eſt, Caluinum locum hunc Diui Auguſtini nequiter, ac perfidiosè deprauaſſe, abſtulit enim particulam illam, tantùm, vt nobis perſuaderet Petro nihil eſſe dictum, vel datum, niſi in quantùm Eccleſiam repræſentabat, at Auguſtinus non ait, [Si hoc Petro dictum eſt; non facit Eccleſia; ſed, ſi hoc Petro tantùm dictum eſt, &c.] quorum verborum ſenſus non argutus, non coactus, non detortus, ſed germanus, ſed fluens, & obuius eſt, ſi ita dictum eſt ſoli Petro, tibi dabo claues, vt ipſe ſolus debeat ligare, & ſoluere, & non eius ſucceſſores, cæterique Eccleſiæ miniſtri, ſequitur Eccleſiam reliquam, id eſt, reliquos miniſtros hoc non facere, ſi autem etiam alij hoc faciunt, vt videmus, certè Petrus cùm claues accepit vniuerſam Eccleſiam modo explicato repræſentauit. Vndè parùm referre videtur, ſiue dicant ſancti Patres, claues Petro promiſſas, & datas fuiſſe, vt ſupremo Eccleſiæ capiti; ſiue dicant eas illi datas, vt Eccleſiæ, vel vniuerſitatis, & vnitatis illius figuram, vel perſonam gerenti, cùm id ſolùm de ipſo affirment ratione primatus; hoc enim ipſo, & non alia ratione, rectè & abſolutè dici poteſt Diuus Petrus Eccleſiæ perſonam ſuſtinuiſſe, ſiquidem priuatus quiſque Reipublicæ perſonam ſuſtinere non ſolet, ſed conſul, ſicut etiam Regni, aut Imperij, Rex, vel Imperator.

Supereſt tertiò, & vltimò breuiter explicare quid in hoc ſancti Matthæi loco cap. 16. ſit ſupra petram ædificari Eccleſiam, quidque per claues intelligatur? Igitur ſancti Patres Chryſoſtomus homil. 55. in Matthæum, Ambroſ. ſerm. 47. Gregorius lib. 4. in epiſt. 32. alijque plures docent hac petræ metaphora ſignificari, Petro eſſe commiſſum regimen totius Eccleſiæ, & præſertim circa res ad fidem, ac religionem pertinentes, ea ratione qua in ædificio materiali petræ fundamentalis proprium eſt officium totam domum ſuſtentare, & regere. Et quamuis alij etiam Apoſtoli Eccleſiæ fundamenta dicantur, iuxta illud pſalmi 86. [Fundamenta eius in montibus ſanctis:] Et Epheſ. 2. [Superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum;] primò, quia ipſi primi Eccleſias vbique fundarunt, nec enim ſolus Petrus conuertit ad fidem totum orbem terrarum: ſecundò ratione doctrinæ à Deo reuelatæ, ſiquidem fides Eccleſiæ innititur reuelationi, quam Apoſtoli, & Prophetæ à Deo habuerunt, tertiò ratione gubernationis, quia vt notauimus, ſupra omnes vnà cum Petro habuerunt à Chriſto vniuerſalem in totam Eccleſiam iuriſdictionem: Etſi, inquam, tribus his modis, aut alijs ſimilibus Apoſtoli omnes ſolidiſſima vocari poſſint Eccleſiæ fundamenta, nec in duobus primis maior ſit Diuus Petrus cæteris, ſed vt Hieronymus ait locis ſuperiùs ex eo citatis, ſuper omnes ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; ſine vllo tamen primatus Diui Petri præiudicio dicitur, qui tribus, vt iam notauimus, præcipuè rebus tamquam vniuerſalis Paſtor, & ſupremum Eccleſiæ caput cæteros Apoſtolos anteceſſit. Vna eſt, quòd ipſe non modò poteſtatem à Chriſto accepit in vniuerſo mundo, paſtorale ſuum munus obeundi, ſed quòd etiam poteſtatem quamdam habuerit in ipſos Apoſtolos, tamquam eorum videlicet, & omnium Eccleſiæ membrorum viſibile caput, poſt Chriſti Domini in cœlum aſcenſionem. Altera, quòd talem accepit poteſtatem ordinariam, ac perpetuò duraturam, atque adeò ad poſteros transfundendam, alij verò Apoſtoli delegatam dumtaxat, tamquam extraordinarij legati à Chriſto Domino miſſi ad prædicandum, & plantandum Euangelium in toto mundo, quæ proindè cum illis expirauit; Vnde tertiò dicta poteſtas, quæ in Petro primariò, in cæteris Apoſtolis veluti ſecundariò ſolùm fuit.

Atque hoc eſt, quod à Chriſto promittitur Petro, cùm ei ſoli coram alijs Apoſtolis dicitur, [Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Id, quod præter alios ſupracitatos Patres, docet ſanctus Hieronymus lib.

lib.1. contra Iouinianum vbi exponens, quid sit super Petrum ædificari Ecclesiam ait: [Licèt super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio, & alibi, Etsi super omnes Apostolos Ecclesia fundata sit, tamen singulariter fundatur in Petro, quia ipse electus est caput omnium.

Eadem certitudine docent omnes etiam præfati Patres ad hunc eumdem Diui Matthæi locum, & alibi, per claues Petro promissas, non intelligi remissionem peccatorum, aut ministerium verbi, vt ineptè explicat Caluinus, sed Principatum Ecclesiasticum, seu supremam potestatem regendi, & gubernandi Ecclesiam; vt patet, tum ex quotidiano vsu, ac praxi etiam sęcularium Rerumpublicarum, quando enim vrbes deduntur alicui Principi, offeruntur ei claues in signum subiectionis, & ei, qui instituitur Oeconomus in aliqua domo, claues quoque tradi solent, tùm ex analogia ipsius sacræ Scripturæ, siquidem Isaiæ cap. 22. vers. 22. & Apocal.3.vers.7.per eamdem clauis domus Dauid metaphoram, Summa Christi Domini potestas in Ecclesia gubernatiua, supremusque Principatus designatus nobis fuit.

Secundus noui Testamenti locus, vndè primatus D.Petro à Christo promissus efficaciter confirmari potest, habetur Lucæ 22.vbi legimus contentionem inter discipulos Domini Iesu factam, quis eorum videretur esse maior, postquam audierant eum Petro dicentem, [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam;] Etsi enim Caluinus lib.4.instit.cap.20.§.7.alijque hæretici indè colligant phantasticam esse D.Petri prælationem, nihilominus dicendum est efficacissimum pro illa desumi argumentum. Eo enim ipso quòd Apostoli disceptarunt, quis eorum videretur esse maior, euidenter ostenderunt, quòd ipsis pro constanti tunc erat, aliquem esse ex ipsis, cui cæteri deferre deberent; aliàs non contendissent, quis eorum, sed an aliquis eorum videretur esse maior? nec quis eorum videretur esse maior? sed quisnam eorum esset maior? Vndè Chrysostomus super hunc locum: Quodam, inquit,] humanum scandalum conceperunt, quod, & in se occultare iam non poterant, & tumorem cordis non sustinebant in eo, quod videbant Petrum sibi præferri, & præhonorari.

Deindè, quoniam de primatu Apostolico è puro Christi beneplacito dependente Apostolis cogitare, nedum disceptare contigisset, nisi aliquid priùs de eius institutione à Christo audiuissent, manifestè ergò sequitur, quòd propter aliqua consentanea illius verba, nimirum, [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:] in hanc mentem inciderint; defectu tamen plenæ eorum intelligentiæ, tum quòd sermo metaphoricus erat; tùm quòd post illum, dixit ad Petrum Christus, Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quo, vt notauit Origenes tract.5.in Matth.forsitan Apostolorum opinio, quam de primatu Petri conceperant, reuocata est, controuersiam de illo instituere potuerunt, petendo, & contendendo, quisnam eorum videretur esse maior?

Quam controuersiam etsi Christus non diluerit responso decisiuo, sed consultiuo: non enim dixit, [Petrus est vobis maior, sed, qui maior est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator;] hoc tamen non eneruat, imò potiùs auget vim nostri argumenti. Si enim Christus neque in re, neque in voto Petrum, aut aliquem alium cæteris Apostolis præfecisset, aut præficiendum insinuasset, vel destinasset; pleniùs, planiùsq; controuersiam absoluisset dicendo, nullus ex vobis ipsis maior cæteris est, aut erit; proindeque à tali controuersia desistite: esset enim, quod aiunt dialectici, de subiecto non supponente, neç supponendo controuersia. Igitur, cùm absolutissimo hoc responso quæstionem non sedarit, sed potiùs consilia præstiterit, qualiter se gerere deberet, qui maior inter illos esset, consequens est Christum pro certo supposuisse inter Apostolos dari maiorem, & præcessorem; seu principem, & caput, eorumque de hac re existimationem confirmare voluisse. Quorsum enim tam copiosam, tamque proficuam doctrinam maiori Apostolorum tradidisset, seque ipsum in exemplum illius proposuisset dicens: [Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat:] si inter eos nullus maior, aut superior futurus erat, vel foret. Ideò autem Christus apertè, & voto, vt ita dicam, decisiuo non prodidit hic, quem ad præfecturam elegerat, non solùm quia iam illum satis designauerat Matth. 16. [Tu es Petrus, &c.] verùm etiam, quia satiùs duxit causam quæstionis, quàm quæstionem ipsam dirimere: cum enim ambitiosa esset quæstio, & ex libidine, immoderataque appetentia, saltem post Christi mortem, dominandi, ob dominationis tantùm gloriam, & culmen, meliùs per humilitatis commendationem, quàm per euecti ad amplissimam dignitatem, & maioritatem, declarationem illi satisfactum est.

Hinc apparet quàm sit illegitima Caluini consequentia, quia infert ex responsione Christi Domini; [Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor &c.] apparet, inquam, quàm ineptè indè arguat Ecclesiam principem, & caput non habere: primò quia ipsummet Christum tunc visibiliter in terris habuit, nunc autem inuisibiliter in cælis regnantem: secundò quia, iuxta Caluini consequentiam, prædictus Scripturæ locus hunc sensum faceret, sicuti si quis moneret Christianissimum Galliæ, vel Catholicum Hispaniæ Regem: Regnum vestrum non sit sicut regnum Turcarum, neque regatis subditos vestros modo tyrannico: deinde aliquis subinferret, ergo Rex Galliæ, vel Hispaniæ non est Rex, aut in Gallia, vel in Hispania non debet esse Rex: vt igitur inanis certè, ac ridicula esset huiusmodi sequela: ita à pari, dùm orta contétione inter Apostolos, [quis eorum videretur esse maior,] deinde Christo eis respondente, [Reges Gentium dominantur eorum &c. Vos autem non sic &c.infertur inter Apostolos, vel in Ecclesia non dari primatum, aut aliquem supremum superiorem; cùm potiùs oppositum argui deberet, Christo manifestè supponente talem esse

esse in ea superiorem, dùm monet eum vt non dominetur more Gentilium, siue modo tyrannico; sicut reges Gentiles, & Idolatræ, qui regna administrant, præcipientes subditis sicut mancipijs, ac seruis; Vos autem, inquit Christus, non sic, sed cum charitate, mansuetudine, & humilitate; prout seipsum dedit in exemplum, qui cum absque dubio Rex Regum esset, dicebat enim Ioannis 13. [Vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis sum etenim, hìc tamen ait, se non venisse ministrari, sed ministrare.

De hoc eodem argumento videri potest Adamus Tannerus 22. disput. 1. quæst. 4. dub. 2. num. 61. Nam vt optimè notat, quando in aliqua familia, præsente domino, vel hero, oritur inter domesticos contentiò de primatu, seu de præcedentia; & herus ipse peregrè abiturus, conscius litis, eam vt componat, ac definiat, omnium quidem animos egregijs donis, ac pollicitationibus lenit, interim tamen minimè negat, aut dissimulat, aliquem inter eos esse, vel fore superiorem à se relinquendum; sed hoc ipsum potiùs apertè asserit præscribendo illi debitum regendi modum; quem ipse etiam mox postea quasi digito demonstrando, sigillatim alloquens, non solùm suam illi peculiarem gratiam, & beneuolentiam promittat, sed insuper etiam ei hoc officium, ac mandatum iniungat, vt cæteros domesticos regat, & aliquando forsitan nutantes, quoad opus fuerit, confirmet ac roboret; tunc certè dubium minimè est, & aliquem in familiæ gubernatione, & hunc ipsum ab hero cæteris esse prelatum, aliorumque caput designatum. Ita autem in casu nostro rem se habere præfatus auctor adamussim demonstrat, loco citato ex textu Euangelico Luce 22. à versu 24.

Tertius noui testamenti locus, quo primatum D. Petri super Ecclesiam euidenter demonstrari docent Sancti Patres, est Ioan. c. 21. vbi hæc verba leguntur. [Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis. Cum ergò prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me? plus his? etiã Domine tù scis quia amo te. Dicit ei pasce agnos meos. Dicit ei iterũ: Simon Ioannis diligis me? ait illi, etiam domine, tu scis quia amo te. Dicit ei pasce agnos meos. Dicit ei tertiò. Simon Ioannis amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me, & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te: dixit ei pasce oues meas.

Quibus sanè verbis claues, vniuersalisq; Ecclesiæ regimen, quod antea Matth. 16. Petro Christus promiserat, ei realiter fuit exhibitum. Vnde S. Cyprianus lib. de Vnitate Ecclesiæ cap. 3. Vtrumque locum coniungens ait: [Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram, erunt ligata, & in cælis &c. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit, pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas.

Etsi enim reliquis Apostolis, & Episcopis aliquo pacto possint verba hæc accommodari, quippè qui vnà cum Petro in partem sollicitudinis vocantur, Petrique legem, ac formam in grege pascendo debent imitari? attamen absolutè soli Petro conuenire tradunt Veteres Patres, Origenes in cap. 6. ad Romanos, Ambrosius lib. 10. in Lucam cap. 24. Epiphanius hæresi 51. Chrysostomus tàm in hunc locum, quàm lib. 2. de Sacerdotio in principio, & homilia 1. de pœnitentia, Cyrillus Alexandrinus in hunc locum: item D. Augustinus; Theophylactus Lucæ 22. & Ioan. 21. Leo serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum, & epist. 89. D. Gregorius lib. 4. registri epist. 32. alijsque plures in hunc S. Ioannis locum, & alibi.

Videturque manifestè colligi ex contextu Euangelico, nam cùm Christus Dominus promisisset Petro singulariter, fundaturum se super eum Ecclesiam, illique regni cælestis claues traditurum, vt vidimus Matth. 16. & cap. 18. eidem cum cæteris Apostolis vniuersalem potestatem ligandi & soluendi generaliter promisisset; vtramque promissionem post resurrectionem impleuit, posteriorem hanc, & generalem Ioannis 20. priorem verò singulatim Petro factam in cap. 21. Ioannis. Vndè hæc singularis concessio aliquid sine dubio continet, quod in illa generali non comprehendebatur: nam Generalis Petrum etiam includebat, & ex illa iam satis constabat, ob negationis culpam, illi non fore denegandam promissam semel Apostolatus dignitatem, ideoque non solùm ob hunc finem, vt ait Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 94. in fine; sed insuper, vt significaret Christus Dominus hanc singularem traditionem, priori singulari promissioni respondere, solum Petrum interrogat, eodemque nomine illum compellat Simon Ioannis; & sicut illic fidei, ita hìc charitatis confessionem ab illo exigit; & quidem ter, vt trinæ negationi redderetur trina confessio, ne minus amori lingua seruiret, quàm timori, & plus vocis elicuisse videretur mors imminens, quàm vita præsens: vtque ter oues & agnos Petro pascendos committens omne tempus complecteretur, ita vt nullum deinceps esset, quo Ecclesia regimine Petri, vel in suis successoribus non frueretur.

Secundò aduertunt Patres hac voce, Pasce, supremam Petri in Ecclesiam potestatem expressè designari, cùm verbum Latinum pascere, Græcum *poimeinein*, Hebraicum rahab, tùm apud prophanos Scriptores, tùm in ipsa etiam scriptura non solùm pascere, seu cibum spiritualem, aut corporalem suppeditare, sed etiam regere, & gubernare significet; speciatim 2. Reg. cap. 5. v. 2. Ezech. 34. v. 2. vbi dicitur; [& suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid;] Isaiæ 44. v. 28. Regi Cyro dicitur, Rohi, hoc est, [pastor meus.] Homerus quoque lib. 2. Iliados, Regem Agamemnonem sæpè vocat *poimenalaon*, [Pastorem populorũ.

Tertiò quoque notant ijdem Patres per hæc verba indefinita, [pasce agnos meos, pasce oues meas,] ad viuum expressam fuisse vniuersalem Ecclesiam, nemo est enim in tota Ecclesia, siue Apostolus, siue Episcopus, siue Sacerdos, aut laicus in quantauis dignitate constitutus, qui non maximè se ouem Christi esse glorietur: quod inter cæteros elegan-

gantet prosequitur D.Betnardus lib. 2.de cōsiderat. ad Eugenium cap.9. [Sunt quidem, & alij cæli ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò gloriosius, quātò & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, sed & Pastorum tu vnus omnium pastor. Vndè id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius, vel illius populos ciuitatis; aut regionis: aut certi regni? Oues meas inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et fortè præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens vni, vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno pastore, secundùm illud: Vna est Columba mea, formosa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem, recedentes ab vnitate. Inde est, quod alij singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesię, vna contentus est Hierosolyma Petto vniuersitatem cedens.

Cùm autem Christus si voluisset, dicere potuisset, Petro: [Pasce oues tuas, siquidem Ecclesia non minus propriè erat Petri, quàm regnum, aut prouincia dicatur esse proregis, aut gubernatoris, nihilominus quia Christus Dominus Oeconomum ac dispensatorem, seu vicarium alloquebatur, nec à se dominium abijciebat, dicere maluit, [Pasce oues meas,] quàm tuas, & Ecclesiam meam, quàm tuam; tùm etiam quia ex tali formula loquendi clariùs & euidentiùs vniuersalis D. Petri primatus exprimebatur: nemini enim dubium esse poterat, quin Christus Dominus esset principale totius Ecclesię caput, ex cuius libera voluntate suam Petrus in ipsam nanciscebatur ministerialem, ac minùs præcipuam potestatem, quando dixit illi, [pasce oues meas.]

Hęc sunt potissima noui testamenti loca, quibus supremus D. Petri primatus, siue vt loquitur Ambrosius lib. 10. in Luc. cap. 24. D.Petrum à Christo (omnibus prælatum fuisse, tamquam vicarium in terris relictum.] ita clarè, & apertè aduersùs hæreticos, & schismaticos demonstratur, vt nonnisi vel conscientia reclamante, vel præcipitante inscitia, & incogitantia ab illis negari non posse videatur. Profectò si posteaquam Christus, & Petro, & reliquis omnibus Apostolis auctoritatem Apostolici muneris communiter attribuit dicens Ioannis 20. [Sicut misit me pater, & ego mitto vos, &c. accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.] & Marci 16.[Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ;] nihilominus singulariter Petro eum ita dixisse legeremus: [Petre non ædificabo super te Ecclesiam meam: non tibi dabo claues regni cælorum; non confirmabis tu in fide fratres tuos; non pasces oues meas;] si inquam hæc, aut similia in Euangelica legeremus historia, quis ex Sectarijs rationabiliter dubitaret, quin huiusmodi in propositionibus negatiuis, ædificatio Ecclesiæ, super Petrum, Claues, regni cælorum: singularis cura pascendi oues Christi, auctoritas confirmandi fratres in fide, summam post Christum in Ecclesia potestatem significarent? An clariora, dicerent, nosque libenter cum illis, testimonia contra Petri primatum requirimus: en verbum habemus ipsius Christi manifestissimum. Nunc igitur sic argno; quod in propositioninus illis negatiuis eorum termini propriè significarent in casu dato, hoc idem significare debent in contradicentibus propositionibus affirmatiuis, quæ iam extant in sacro Euangelij textu: Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; tibi dabo claues regni cælornm.] Lucæ 22. [Confirma fratres tuos;] Ioannis 21.[pasce oues meas:] sed in illis propositionibus negatiuis, earum termini significarent primariam aliquam, & supremam in Ecclesia auctoritatem post Christum, quæ D. Petro negaretur. Igitur hanc eamdem primariam auctoritatem, quæ Diuo Petro fuit de facto concessa, & tributa, significant illi ijdem termini in propositionibus affirmatiuis, quas habemus in Euangelio: proindeque ex illo optimè Diui Petri primatus ostenditur; accedente insuper Sanctorum, ac Veterum Patrum auctoritate, habitaque Diuina per illos traditione.

Post tam expressa S. Scripturæ testimonia, secundò quoque eumdem Diui Petri primatum arguunt singulares & variæ ipsius prærogatiuæ in illa adhuc contentæ; quas cùm fusissimè prosequantur omnes illi, qui aduersùs hæreticam prauitatem, pro illo scripserunt, hìc breuiter tantùm illas indicabo.

Prima est mutatio nominis Ioann. 1. v. 42. [Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas.] Vbi cum D. Chrysostomo obseruandum est Deum, numquam noua imponere nomina, nisi maximis de causis: & cum D. Leone epistola 89. ad Episcopos Viennensis Prouinciæ, nec non serm. 3. de anniuersario die assumptionis suæ, quod tale nomen Petro dederit; nam lingua Syriaca, qua vsus est Christus Dominus, Cepha significat Petram, quod vnum est ex celeberrimis ipsius nominibus.

Secunda habetur Matth. 10. v. 2. vbi in catalogo Apostolorum, non solùm in actu quasi exercito primo loco recensetur Petrus, quod alibi sæpius factum; sed etiam expressè, & in actu signato primus dicitur, ordine vtique dignitatis, & præeminentiæ, non vocationis, siquidem Andream priùs vocatum fuisse constat Ioannis cap. 1. Quare D. Ambrosius 2. Corinth. cap. 12. [Prior, inquit, secutus est Andreas Saluatorem quàm Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.] Vnus tantùm est locus, vbi Petrus non refertur primo loco, nimirum ad Galatas cap. 2. [Cum cognouissent, inquit, gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur esse columnæ Ecclesiæ.] Nullum tamen ex hoc contra Petri primatum desumi potest argumentum alicuius roboris; siquidem Sancti Patres

in lectione huius capitis ad Galatas multùm dissentiunt: nam Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, & alij, tam in textu, quàm in commentario Petrum primo loco legunt, vnde probabile est, Diuum quoque Paulum hunc ordinem seruasse; nec interest quod vulgata editio primò Iacobum referat, quia cùm ordo nominum & verborum scripturæ ab Ecclesia non sit definitus, non necessariò ex vulgata sequitur lectione tres illos Apostolos tali ordine Paulum enumerasse. Quod si admittamus debere legi, eo modo, quo in vulgata editione habetur, dicendum est cum D. Anselmo, & D. Thoma, Iacobum propterea ante Petrum & Ioannem à Paulo nominatum fuisse, quia factum quod narrabat, in ciuitate Hierusalem acciderat; cuius Iacobus erat Antistes; ex quo consentaneum videbatur, vt ante alios recenseretur; vel certè Paulum eo loci nullum ordinem inter ipsos Apostolos statuisse, sed solùm commemorasse sermonem, siue colloquium, quod cum insignioribus Apostolis habuerat, & Iacobum primo loco retulisse, quia eum ante Petrum & Ioannem conuenerat. Nam quod alioqui intelligeret Paulus maiorem esse Petrum Iacobo, patebit ex statim adducendis ex eodem. Sufficit ergo ad primatum Diui Petri ex hac prærogatiua simul cum alijs iuncta probandum; quod vbi ex professo in varijs noui testamenti locis numerus Apostolorum initur, eorumque catalogus refertur, primo semper loco Petrus absque vlla penitùs variatione recenseatur, cum tamen ordo aliorum plerumque mutetur; vt videre est Matthæi cap. 10. Marci 2. Lucæ 6. Act. Apostol. 1.

III. Petrus non solùm primo loco ponitur, & primus dicitur, sed etiam passim in historia sacra, vbi fit mentio collegij Apostolici, solus nominatur, cæteris non nominatim expressis, planè tamquam ipsorum dux, princeps, & caput. Quemadmodum enim Apocalipf. 12. ex eo quod dicitur, [Michael, & Angeli eius.] Michaelem Paradisi præpositum, & cæterorum Angelorum principem esse colligimus; sic ex eo quod Marci 1. Lucæ 8. & 9. Actor. 2. & 5. dicatur, [Petrus, & Apostoli; Petrus cum vndecim; Petrus, & qui cum eo erant:] eum in cæteros primatum habuisse non immeritò infertur. Vnde Dionysius cap. 3. de Diuinis nominibus cum Apostolorum verticem appellat, vel secundùm aliam translationem, supremum decus, & antiquissimum Theologorum culmen: Ad hanc eamdem prærogatiuam pertinent illius generis loca, quibus Matth. 19. Luc. 12. Ioannis 6. perhibetur ipse nomine omnium Apostolorum, vel interrogasse Christum, vel eidem respondisse, vel ab eo de necessaria doctrina pro omnibus peculiariter fuisse instructum, vnde Cyrillus lib. 4. in Ioannem cap. [per vnum, inquit loquendo de Petro, qui præerat, omnes respondent:] & Chrysostomus homil. 55. in Matthæum Petrum vocat, (os Apostolorum.

Ex Euangelio S. Matthæi cap. 14. solus Petrus cum Christo Domino ambulat super æquas; inde enim D. Bernardus lib. 2. de consider. ad Eugenium arguit, [eum vnicum se Christi vicarium designasse, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem aquæ multæ populi multi, &c. Quare etiam quod Ioannis 21. cæteris discipulis nauigio venientibus ad Christum stantem in littore, Petrus se misit in mare, & natando peruenit ad eum, idem Bernardus ibidem ait: [Hoc signum fuisse singularis Pontificij, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam sed seculum ipsum susceperit gubernandum: mare enim seculum est, naues Ecclesiæ.] Item Matthæi cap. 16. ex peculiari reuelatione diuinitùs facta, solus Petrus est primus filij Dei confessor. cap. 17. Christus Dominus soli Petro nominatim iussit, vt pro se & pro illo tributum solueret; [Da, inquit, illis pro me &c.] Vnde auctor quæstionum veteris & noui testamenti, quæ habentur in 4. tomo operum D. Augustini: [Saluator cum pro se, & Petro dari iubet, pro omnibus exsoluisse videtur. Quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij; ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.] Idem docet Chrysostomus homil. 59. in Matthęum, Hieronymus, & alij ibi.

V. Ex Euangelio Sancti Lucæ plura quoque possunt ad nostrum intentum adduci; nam cap. 5. cum vidisset Dominus plures nauiculas, intrauit in vnam, quæ erat Simonis: [Hanc, inquit Ambros. serm. 11. solum Ecclesiæ nauem ascendit Dominus in qua Petrus magister est constitutus.] Ibidem solus Petrus iubetur tamquam summus nauclerus, & piscator ducere alios ad piscandum: Duc in altum, & laxate retia in capturam.] cap. 2. Christus Dominus ait: [Simon, Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Id est, inquit Theophylactus in hunc locum, [quia te habeo vt principem discipulorum, postquam negato me fleueris: confirma cæteros, hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es, & fundamentum.] Idem docet citatus auctor quæst. veteris, & noui testamenti, quæst. 79. Leo Magnus serm. 3. in anniuersario assumptionis suę. Tandem cap. 24. Christus resurgens Simoni omnium primo apparuit ex viris, & Apostolis: [Itaque, inquit Chrysostomus in 1. ad Corinth. cap. 15. [non omnibus initio visus est, nec pluribus simul, sed tantùm, & ei principi, & fide maximè digno.

VI. Ex Euangelio sancti Ioannis cap. 13. Petrus primus fuit, cui Dominus pedes lauit, vt ibi exponit Diuus Augustinus; & cap. 21. soli Petro mortem Christus prędixit, & mortem crucis [Cum senueris, inquit extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum] Vt sicut ei nomen suum donauerat, & officium suum imposuerat, ita & in morte socium illum haberet.

Tandem si considerentur res à D. Petro gestæ, quę in actis præsertim Apostolicis commemorantur, ita cum præfatis simul iunctæ, & sunctæ primatum eius manifestè demonstrant, vt à nemine nisi insigniter peruicaci dene-

denegari possit. Ille ergo primus Apostolorum cætum post Christi ascensionem congregauit, & vnum eligendum esse proposuit in locum Iudæ, Actor. 1. vbi vide Chrysostomum, & Oecumenium. Primus post acceptum Spiritum Sanctum in conuentu Apostolorum, Euangelium palam promulgauit Act. 4. Primus inter Apostolos publico miraculo fidem confirmauit in curatione claudi Act. 3. [Si enim Petrus, inquit Ambrosius serm. 68. petra est, super quam ædificatur Ecclesia; rectè primus pedes sanat, vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet] Primus tamquam summus, & diuinus iudex potestatem in Ecclesia post Christum palam exercuit damnando Ananiam, & Saphiram Actor. 5. De illo legimus Act. 9. [Factum est cum Petrus transiret per omnes, in quem locum ait D. Chrysost. Quemadmodum dux in exercitu ob ambulans considerabat, quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat, vide vbique illum circumcursare, & primum inueniri;] Primus diuinitus edocetur de Euangelio etiam gentibus prædicando iisque in Ecclesiam admittendis Act. 10. Pro illò in carcere constituto oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia: vnde etiam insigni miraculo liberatus est Act. 12. Quod cum autẽ nec pro Stephano, nec pro Iacobo in eodem carcere constitutis factum legamus; alia huius rei ratio non potest adduci magis congrua, nisi quia multum interesset vtrùm membrum vnum, an caput ipsum periclitaretur? itaque Chrysostomus in hunc locum ait: [magni amoris indicium oratio, Patrem omnes quærebant; quod fusiùs adhuc prosequitur in oratione de orando Deo. Denique quod ad rem vel maximè pertinet, Actor. 15 cum orta esset grauissima de obseruatione legaliũ controuersia, in primo Generali Concilio Apostolorum, primus Petrus sententiam tulit, cui cæteri acquieuerunt; de quo vide D. Hieronymum in epist. ad August. quæ est vndecima inter epistolas D. Augustini.

Præter has prærogatiuas è Diui Petri rebus gestis in historia Euangelica contentis desumptas, quas eruditè inter alios Roffensis artic. 25: aduersùs Lutherum prosequitur; alias octo è varijs auctoribus adducit Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 23. & 24. I. quod Christus suis manibus solum Petrum baptizauerit: quamuis aliqui oppositum teneant. II. quod solus Petrus à Christo Episcopus ordinatus fuerit: cæteri autem à Petro Episcopalem consecrationem acceperint; quod non improbabile esse putat Tannerus 22. quæst. 4. dub. 2. licèt Suarez ibidem disput. 10. sect. 1. contrarium doceat. III. quod Petrus primum hæresiarcham Simonem videlicet Magum primus detexerit, postea damnauerit, & planè extinxerit. IV. quod Romæ potissimum Petrus sedem suam diuino iussu collocauerit. V. Quod sub finem vitæ Petri, Christus ipsi apparere, & roganti, Domine quò vadis respondere dignatus sit; [Venio Romam iterum crucifigi] VI. quod illæ solæ Ecclesiæ semper sint habitæ Patriarchales, & primæ, quas Petrus fundauerat; siquidem apud veteres tres Ecclesias tantùm fuisse propriè patriarchales, & primas, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam patet ex Concilio Nicæno Can. 6. Petrus autem Antiochiæ, & Romæ per seipsum sedit; Alexandriæ autem seu vel per se, vt Nicephorus testatur lib. 14. ca. 2. vel per discipulum suum Marcum, quem eò misit, vt nomine suo fundaret Ecclesiam. VII. Est festum Cathedræ S. Petri; nam quod publicè in Ecclesia celebretur dies festus in honorem institutionis Episcopatus Petri, & nihil tale fiat pro sedibus aliorum Apostolorum, argumentum est, sedem Petri singulariter præstare omnibus alijs. VIII. tandem prærogatiua est, quod in litteris formatis antiquis post nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nomen Apostolorum principis adiungebant; de quibus litteris vide Cardinalem Baronium tomo 1. Analium.

Quibus, & alijs similibus tam insignibus D. Petri priuilegijs non obstat, quod Magdeburgenses Cent. 1. lib. 2. cap. 10. diligenter enumerare studuerit quindecim peccata, atque horrendos lapsus (vt ipsi loquuntur) Petri quos diuino consilio in Sacris litteris litteris extare dicunt; ne nimis multum Petro tribueremus. Excepta enim Christi negatione, quam grauissimum peccatum fuisse dubitari non potest, cætera quatuordecim non B. Petri horrenda peccata, sed Magdeburgensium horrenda mendacia, & blasphemias esse facile demonstraremus, nisi iam id præstitisset Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 28. Imò Deum, in permittenda D. Petri negatione, ad nimium in eo supremi superioris, & Ecclesiæ pastoris zelum aliquando moderandum, respexisse docent aliqui Patres præsertim D. Chrysostomus in insigni quadam homilia de Petro, & Elia, omnino ad hoc intentum videnda.

Igitur cum ex tribus gubernandi formis ac rationibus, Monarchica videlicet, Aristocratica, quamcumque Christus Dominus in Eclesia sua instituere sine dubio potuisset, si voluisset; I. colligendum est ex dictis eum de facto Monarchicam cæteris prętulisse; concedendo D. Petro tantum, vt vidimus, & non cęteris Apostolis supremum vniuersalis Ecclesię principatum; indeque passim Ecclesia in diuinis tam veteris, quàm noui testamenti Scripturis, per ea, quę statum habent Monarchicum, solet significari; Danielis 2. per regnum; cant. 4. per exercitum ordinatum; Cant. 7. per corpus humanum 1. Timoth. 3. per domum; 1. Petri 3. per nauem; & Ioannis 20. per ouile: quę omnia ab vno supremo moderatore gubernantur. Neque est, quod respondeatur Ecclesiam his meritò comparari, quod regem vnum, & caput scilicet Christum agnoscant, à quo vsque ad sęculi consummationem regitur; vbi ex tot Sacrę Scripturę locis, ac perpetua sibique constanti Ecclesię traditione tam expresse habemus eumdem Christum voluisse insuper post suam in cęlum ascensionem relinquere Ecclesię visibilem aliquem suum vicarium, Sanctum videlicet Petrum, eiusque successores, ad quem tanquam ad supremum in terris pastorem confugeremus, atque ab eodem controuersiarum omnium iudicia expectaremus.

Iure autem meritò Christus Dominus in Ecclesię regimine instituendo cęteris guber-

nandi formis Monarchicam antepoſuit, quam etiam cęteris excellentiorem, ac nobiliorem eſſe lumine naturæ cuique eſt exploratum; tùm ratione ordinis, qui perfectiùs tunc elucet, cùm ſolus ille, cui cura omnium incumbit præeſt, reliqui verò ſubſunt: tùm ratione aſſecutionis finis, pacis ſcilicet, & concordiæ, quæ tunc facilè conciliatur, vbi omnes idem volunt: hoc autem fit ſuauiſſimè, cum ab vnius voluntate, & arbitrio omnes dependent: tum ratione facilitatis gubernandi: faciliùs enim ab vno, quàm à multis ciuitas regitur, docente Philoſopho 8. Ethicor. cap. 10. facilius eſſe vnum virtute excellere, quàm plures; tum ob alias multas rationes, quas hic proſequi, & in re tam omnino ſuperuacaneum videtur. Aduertendum eſt ſolùm hanc rationem, quod inter omnes regiminis formas, ac ſpecies primùm obtineat locum Monarchia, id eſt vnius principatus, non eſſe abſolutè, & abſtrahendo ab inſtitutione Chriſti Domini efficacem ad probandum ſupremum D. Petri in Eccleſia Monarchatum: etſi enim certiſſimum ſit, Monarchicum regimen cæteris præſtantius eſſe, attamen quid in hoc negotio ſtatuerit Chriſtus, principaliter attendendum eſt. Nam ſicut multa, quæ meliora fuiſſent, Deus operari potuit, quibus tamen relictis alia longè inferioris conditionis effecit, ita à pari licèt Monarchia ſit cæteris regendi formis nobilior, potuiſſet Deus ſimplicem Ariſtocratiam in Eccleſia ſua inſtituere, ita vt vniuerſalis Eccleſię regimen fuiſſet penes ſolos Epiſcopos, & Sacerdotes. Quo circa hęc ratio, vel congruentia de meliori regimine, alięque in illa fundatæ Primatum Petri, & Romanorum Pontificum eius ſucceſſorum efficaciter non probant, niſi poſita Chriſti Domini inſtitutione quam ſufficienter probauimus ex certis diuinarum Scripturarum oraculis, iuxta communem Sanctorum Patrum ſenſum, ac traditionem intellectis, ſi quem pro præſenti ſtatu nobis aliunde non poſſunt innoteſcere diuinæ voluntatis placita. Vnde apparet, quàm turpiter Caluinus cæterique ſectarij aberrauerint non ſolùm contra fidei, ſed ipſum etiam rationis naturalis lumen, quando primatum Petri ſtatumque proindè Eccleſiæ Monarchicùm negarunt, vtque liberiùs id aſſererent, plures eorum Ariſtocratiam omnibus, alijs gubernandi formis prætulerant, alij verò Democratiam.

Quibus nihil penitùs fauent illa verba Chriſti Domini Matthæi 18. Dic Eccleſiæ, ex quibus aduerſarij colligunt regimen Eccleſiaſticum hominibus à Chriſto commiſſum, nullo modo eſſe Monarchicum, ſed Ariſtocraticum, & Democraticum; quaſi per illa verba totam auctoritatem Eccleſiaſticam attribuerit multitudini totius Eccleſiæ, vel ſignificare voluerit ſummum illius tribunal, penès fidelium vniuerſitatem eſſe conſtitutum. Talia enim verba non facere hunc ſenſum, ſed tantùm fratrem contumacem ad publicum Eccleſiæ iudicium deferendum, idest ad eos, qui publicam in Eccleſia perſonam gerunt communiter docent Patres, Diuus præſertim Chryſoſtomus; confirmat Eccleſiæ conſuetudo, qua numquam viſum, aut auditum fuit, aliquem crimínoſum apud multitudinem populi, vel fidelium cauſam dixiſſe; bene autem apud Epiſcopos, Romanumque Pontificem pro qualitate, ac diuerſitate criminum; ac tandem conuincit ratio ipſa; non enim poteſt aliqua poteſtas dici commiſſa, vel attributa alicui communitati, cuius maior pars non eſt illius capax, ſed in Eccleſia multi ſunt, quos poteſtatis Eccleſiaſticę nullo modo participes eſſe voluit Chriſtus, vt ſunt pueri, & mulieres, itemque viliſſimæ inter homines ipſos perſonæ, vt cerdones, lanij, baiuli, & aliæ ſimiles, quas (quamdiù in tali ſtatu manent) præ imperitia, & officij vilitate, non conueniebat ad aliquem poteſtatis Eccleſiaſticæ gradum euehi, aut ab ipſis poteſtatem illam in Pontificem, Epiſcopos, & Sacerdotes deriuari, vti contingeret, ſi poteſtas clauium iuxtà aduerſatios primariò, eſſentialiter, & principaliter in tota Eccleſiæ communitate eſſet; vnde etiam Pręlati, & pręſertim Summus Pontifex non tam Chriſti Domini, niſi fortè mediatè, quàm Eccleſiæ Vicarij dicendi eſſent; quæ & ſimilia, quàm ſint abſurda, diuinarumque Scripturarum, ac Patrum ſententijs aduerſantia, clarius adhuc patebit ex vlteriùs in toto huius Sectionis decurſu dicendis, & explicandis. Deinde cùm poteſtas Eccleſiaſtica Eccleſiæ communitati competere non poſſit iure naturali, vel humano, ſed diuino tantùm, vt per ſe notum eſt, iam vidimus Chriſtum illius iuris auctorem, non Eccleſiæ communitatem, ſed Apoſtolos, & præſertim D. Petrum, ad apicem illius poteſtatis euexiſſe.

II. Quia forma regendi Monarchica biſariàm conſiderari poteſt, primò ſimpliciter hoc eſt, abſque vlla cęterarum formarum admixtione, ſecundò quatenus ex illis temperata: ita Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ ſtatum Monarchicum eſſe voluit, vt ſuum etiam in ea locum Ariſtocratia haberet; quatenus non ſolùm ab vno ſupremo moderatore, ſed etiam ab Optimatibus, nempè Epiſcopis res Eccleſiæ adminiſtrantur. Cùm enim Eccleſia per totum Orbem eſſet diſſeminanda, & Summus Pontifex vbique locorum præſens eſſe non poſſet, nec omnibus, & ſingulis Eccleſiæ negotijs per ſe intendere: id enim Deo & Chriſto propter poteſtatem, quam vocant excellentiæ ſolùm competit; præter Pontificiam, quæ ſuprema eſt, inſtituit quoque ad Eccleſiæ regimen, poteſtatem epiſcopalem, quæ media; & presbyteralem, quæ infima. Licèt enim ſecluſis circumſtantijs Monarchia ſimplex omnibus alijs gubernandi modis abſolutè, ac ſimpliciter præcellat, vt patet in Imperio Dei, & Chriſti, quibus optima quæque debent attribui; quia tamen attenta naturæ humanæ corruptione, & infirmitate Monarchia mixta, ſiue Ariſtocratia temperata, maioris eſſe videtur vtilitatis, eò quod non poſſit vnus aliquis homo per ſe omnibus locis adeſſe, ideò Chriſtus Dominus pro ſumma ſuæ in regendis hominibus prouidentiæ ſuauitare, per Regiones, & Ciuitates ſub vno ſupremo moderatore, qui omnibus imperaret, & nulli ſubijceretur, Optimates inſtituit, qui ab illo vno dependerent, & ab eodem, ſi quando peccarent, pro culpæ modo corrigerentur, & emendarentur.

Verùm cùm rurſus Monarchiam Eccleſia-

siasticam Aristocratia temperari, vel sub vno summo Pontifice, Optimates aliquos, siue Episcopos in regimine Ecclesiæ admitti, dupliciter intelligi possit; primò ita vt in rebus illius administrandis sint meri Vicarij ad nutum ipsius Pontificis; quemadmodum Rex per Gubernatores; Præfectos, & inferiores Dynastas toti regno prouidere dicitur; secundò ita vt suis Ecclesijs non ad nutum, sed in solidum, & titulariter præficiantur; Christus Dominus hunc secundum regiminis modum tamquam decentiorem, & Ecclesiæ vtiliorem prælegit; vt enim quæ ad vlterius nutum tenentur, quamplurimum contemnuntur: ita quæ in solidum, & ad vitam, impensiùs, ac diligentiùs curantur. Absque vllo tamen Status Ecclesiæ Monarchici præiudicio, non secùs atque Monarchia Regnorum temporalis non labefactatur multitudine Principum, & Optimatum, qui suos in solidum tenent principatus, quin imò illam tuentur, & conseruant, cùm semper Regi tamquam supremo Domino pareant, eiusque iussa exequantur: & si quid in administratione deliquerint, aut felloniæ, vt dicitur, rei sint, ab eo puniantur, quod inter alios egregiè declarauit D. Cyprianus tract. de simplicitate Clericorum, relatus in cap. quodcumque 24. qu. 1. Can. loquitur. [Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, quam vnitatem firmiter tenere, & vindicare maximè nos Episcopi debemus, qui in Ecclesia præsidemus, vt Episcopatum quoque ipsum vnum, & indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei vnitatem perfida præuaricatione corrumpat, Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, Ecclesia vna est, quæ in multitudinem latiùs incremento fecunditatis extenditur.]

Quod igitur aliqui, ex præfatis S. Cypriani verbis, quibus asserit Episcopatum, vel Sacerdotem vnum esse, cuius à singulis in solidum pars tenetur, inferunt Apostolos parem cùm Petro, indeque Episcopos eorum successores cum summo Pontifice Romano potestatem sortitos esse, ita vt quilibet Episcopus in sua Diœcesi sit Pastor supremus æqualis Papæ Romano; omninò falsum est: ibi enim per Episcopatum, aut Sacerdotium non intelligitur potestas Pastoris vniuersalis, quam soli Petro, eiusque proinde successoribus Romanis Pontificibus tribuit Diuus Cyprianus, vt vidimus supra, sed vel potestas ordinis sacerdotalis, quæ in Episcopis, & Papa specie vna est, & eadem: vel potestas ligandi, & soluendi, quæ dicitur iurisdictionis, quæque pariter in Episcopis, & Papa specie vna est; quamuis enim excommunicationes papales, latiùs, & vniuersaliùs, propter vniuersalem eius potestatem pateant, omnesque fideles obligent; Episcopales verò Diœcesis suæ finibus, ac terminis concludantur, nihilominùs excommunicatus ab Episcopo æquè suffragijs Ecclesiæ priuatur, ac quem Papa ipse censura sua percellit. Quod si quis obstinatè vellet ibi Sacerdotij nomine potestatem Pastoris vniuersalis venire; dicendum esset ideò, vnicum in Ecclesia dici: quia olim in vno Petro substitit, nunc autem in solis summis Pontificibus Romanis eius successoribus subsistit in multos etiam diuisum, non prout Summum est, quasi plures sint, aut esse possint, qui summam in Ecclesia vniuersali potestatem habeant, sed particulariter, & in gradu inferiori, quatenus omnes Episcopi partem sacerdotalis muneris, quod in vno Pontifice eminentiori gradu residet, sibi vendicant, nec ad nutum eius Vicarij, sed titulares, ac solidarij sunt suarum Ecclesiarum detentores, ita tamen vt semper subiecti maneant Romano Pontifici, & illorum qualiscumque potestas ab eodem tamquam fonte, capite, & radice dependeat.

III. Tandem inferendum est Monarchicam hanc potestatem regendi Ecclesiam in spiritualibus, seu ecclesiasticis rebus, non existere penès Reges, seu Principes temporales, vel seculares; contra errorem Henrici VIII. eiusque successorum Angliæ Regum volentium potestatem spiritualem non separari à temporali, sed Regio sceptro annexam esse, vnde se caput Ecclesiæ Anglicanæ constituunt, & eodem modo censent alios Principes capita suprema Ecclesiæ suis in ditionibus esse debere; quem errorem, sicut & præcedentes de statu Aristocratico, & Democratico Ecclesiæ, quoniam fusissimè, ac doctissimè confutarunt Nicolaus Sanderus tam in libris de visibili Monarchia, quàm in illis de schismate Anglicano, Alanus Copus, Thomas Stapletonius, Franciscus Suarez in insigni opere aduersùs Anglicanæ Sectæ errores, Zacharias Bouerius in lib. de Monarchia Ecclesiastica, alijque plures; sufficit hæc breuiter insinuasse, quæ ex stabilito semel D. Petri in Ecclesia vniuersali primatu necessariò consequuntur.

Nam potestas vniuersalis, siue suprema regendi Ecclesiam in spiritualibus, non potest esse nisi in illis, quibus à Christo Domino data est, & eorum legitimis successoribus; sed Christus talem potestatem singulariter promisit, ac dedit Diuo Petro, legitimisque eius successoribus; in illius ergo solùm reperitur; non autem in populo, non in Principibus secularibus, neque etiam in Episcopis, & Presbyteris, nisi modo statim explicato. Minorem huius argumenti probauimus supra; vnde maior tantùm superest nobis probanda, & explicanda ex illo potissimùm principio, quod potestas regendi in nullo homine inueniri potest sine iusto titulo; Igitur si dicta potestas ecclesiastica suprema in alijs reperitur ab illis, quibus à Christo Domino fuit iure diuino commissa, v.g. in populo, in Regibus, vel principibus secularibus, in Episcopis, & Presbyteris; deberet assignari aliquis eius titulus, qui tamen inassignabilis est; vel enim ille esset iuris naturalis, vel positiui diuini, vel humani; non iuris naturalis, multòque minùs humani, quod in solo naturali fundatur, vel ab illo ducit originem, quale est ius gentium, vel ciuile; si quidem potestas ecclesiastica huius vtriusque iuris limites longè superat, non solùm ex parte finis, qui est supernaturalis, sed etiam ratione effectus, hic enim est peccatorum remissio, collatio gratiæ, Sacramentorum administratio, & alia id genus, quæ satis patet, captum, facultatemque naturalem, & humanam multis partibus excedere.

De iure autem diuino rem quoque certam

tam supponimus, quandoquidem Christus Dominus illius auctor, non Ecclesiæ communitatem per modum Democratiæ, non Apostolos, eorumque successores Episcopos per modum Aristocratiæ, non Reges, aut Principes seculares, sed solùm Diuum Petrum ad apicem ecclesiasticæ potestatis monarchicè euexit, iuxtà prællatas ex diuino verbo tam scripto, quàm tradito probationes, cuius auctoritate solùm de iure diuino, ac rebus ad illud pertinentibus nobis constare potest, vt rectè docet D.Thomas 1.parte quæst.101.. artic. 1. [In his, inquit, quæ sunt supra naturam, soli auctoritati creditur, & quæ ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt. nisi quatenus diuinitùs reuelata sunt.] Igitur cùm spiritalis Ecclesiæ potestas donum sit superans naturam, & merè ex diuina Christi voluntate, ac institutione pendens, tam vt sit, quàm vt in tali persona, vel personis, per hunc, aut alterum modum sit; concludendum est eam, nec esse, nec alio modo esse, nec in alijs subiectis esse, quàm diuinæ reuelationis auctoritate nobis compertum est.

CAPVT III.

Quod S. Petrus, & S. Paulus non sint duo Ecclesiæ summi Pastores, ac præsides, qui vnicum Caput constituant, ita vt ponatur omnimoda æqualitas inter ipsos, in suprema potestate, & regimine Vniuersalis Ecclesiæ.

ETsi singularissimus Diui Petri Apostoli Primatus in totam, ac vniuersalem Ecclesiam, non solùm supra omnes alios Apostolos, sed etiam supra Diuum Paulum sufficienter ex dictis superiori capite maneat probatus; ne quid tamen circa hanc materiam intactum à nobis relinquatur, placuit hìc eamdem veritatem nouo S. D. N. Innocentij felicis recordationis Papæ X. decreto munire; cui occasionem dedit quidam liber, in quo de frequenti communione agebatur; ex illo enim nonnulli in Galliarum partibus propositionem illam hauserunt, de Diuis Petro, & Paulo Apostolis, quod scilicet fuissent Gallicè, deuxs chefs de l'Eglise, Latinè, duo duces, duo principes, & Ecclesiæ Coryphæi. Quia tamen illa in bonum, & catholicum sensum trahi poterat, curiosiùs rem alij inuestigantes, eam sic explicare ausi sunt, vt eosdem Petrum, & Paulum duo Ecclesiæ capita, & vertices appellarent, quæ vnum constituerent cum omnimoda æqualitate inter ipsos, & sine vlla subordinatione, vel subiectione Sancti Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, aut regimine vniuersalis Ecclesiæ. Pro vt constat ex libro idiomate Gallico conscripto, cui titulus, [La grandeur de l' Eglise Romaine establie sur l'authoritè de S,Pierre & de S. Paul:] absque nomine auctoris, ac loco impressionis, in quo Anonymus quamplurimis auctoritatibus, ac rationibus conatur defendere, & comprobare dictam propositionem. Item ex epistola etiam sine nomine auctoris ad S. D. N. Innocentium Parisijs missa anno 1645. cum libro eiusdem argumenti, cui titulus. De Suprema Romanæ Ecclesiæ amplitudine in Petri, & Pauli, ex Summorum Pontificum, Patrum; & Conciliorum testimonijs indiuidua auctoritate fundata. Quamuis autem grande aliquid hic titulus sonare, ac præ se ferre videretur, supremam nempè: Romanæ Ecclesiæ amplitudinem: nihilominùs quia res ipsa intimiùs perspecta Monarchicum Ecclesiæ statum à Christo Domino in solo D. Petro singularissimè institutum destruebat, & insinuatio alterius præter ipsum Papæ, schismati nefario de duplici permittendo Summo Pontifice viam sternebat; ac proindè quod nullus esset qui omninò suprema, & integra potestate frueretur: id circò, ne in re tanti momenti error aliquis mentibus Christi fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctissimi maturè examinatis, locisque adductis diligenter inspectis, ac ponderatis, eosdem libros suo decreto damnauit, prædictamque propositionem in illis contentam, & assertam hæreticam censuit. Decretum sequentis tenoris est.

Feria 5. die 24. Ianuarij 1647.

IN Congregatione Generali S.Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo Domino nostro Innocentio diuina prouidentia Papa X. ac Eminentissimis, & Reuerendissimis D. D. S. R. Eccles. Cardinalibus in vniuersa Republica Christiana aduersùs hæreticam prauitatem Inquisitoribus Generalibus à Sede Apostolica specialiter deputatis.

Editus est anno 1645. liber Gallico idiomate impressus, cui titulus, [de l'authoritè de S.Pierre, & de S. Paul, qui reside dans le Pape successeur de ces deuxs Apostres,] absque nomine auctoris, & impressionis loco. Huius libri euulgationem subsequuta est editio alterius libri anonymi eodem idiomate impressi, cui titulus. [La grandeur de l'Eglise Romaine establie sur l'authorite de S.Pierre, & de S. Paul,] nec non epist. eiusdem argumenti Latino idiomate conscriptæ, ac typis excusæ, pluribus adductis, atque congestis Sanctorum Patrum. Summorum Pontificum, sacrorum Conciliorum, & doctorum locis.]

[Quocirca, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Christi fidelium irreperet libris prædictis de mandato Sanctissimi maturè examinatis, locisque adductis diligenter inspectis, ac ponderatis.]

[Sanctissimus relata vnanimi Theologorum ad hoc specialiter deputatorum censura, & auditis votis Eminentiss. & Reuerendiss. DD. Cardinalium Generalium inquisitorum, propositionem hanc, S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ principes, qui vnicum efficiunt, vel sunt duo Ecclesiæ Catholicæ Coriphæi, ac supremi duces, summa inter se vnitate coniuncti, vel sunt geminus

Vni-

Vniuersalis Ecclesiæ vertex, qui in vnum diuinissimè coaluerunt, vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac præsides, qui vnicum caput constituunt, ita explicatam, vt ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subiectione S. Pauli ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine Vniuersalis Ecclesiæ hæreticam censuit, & declarauit.

[Epistolam verò, ac libros prædictos, aliosque, in quibus propositio, vt supra explicata, & damnata asseritur, & defenditur tàm impressos, quàm imprimendos quocumque idiomate, aut quomodolibet etiam in scriptis eulgatos, vel in posterum euulgandos, Sanctitas sua omnino damnatos, & prohibitos esse voluit, provt præsenti decreto damnat, & prohibet.]

[Mandans, vt nemo cuiuscumque gradus, & conditionis existat, etiam speciali, seu specialissima nota diignus libros prædictos, aut aliquem ex illis apud se retineat, aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, sub censuris, & pœnis contra huiusmodi delinquentes statutis, sed statim à præsentis decreti notitia, quicumque illos habuerint locorum ordinarijs seu inquisitoribus consignare teneantur.]

Circa quod Sanctissimi D. N. Innocentij decretum, notandum est propositionem hanc, [S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac Præsides qui vnicum caput constituunt,] eo tantùm sensu damnari, & hæreticam censeri, quo ponit omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum sine subordinatione, & subiectione S. Pali ad S. Petrum in potestate suprema, & regimine Vniuersalis Ecclesiæ. Nam si loquamur de æqualitate in potestate ordinis, & quoad communem Apostolatus dignitatem, non solùm D. Paulus, sed etiam omnes alij Apostoli cum D. Petro pares fuerunt, vt superiori capite dictum est Vel etiam si sermo fiat de sapientia, & doctrina potissimùm acquisita, Paulus doctior, ac sapientior cæteris fuit pluraque scripta, eaque vtilissima nobis reliquit, plus etiam cæteris videtur Ecclesiæ profuisse, plures enim in gentibus ad Christi fidem adduxit plures prouincias summo cum labore peragrauit; & ipse de se ait, plus omnibus laboraui 1. Corinth. cap. Indéque potissimum vocamus eum Apostolum per excellentiam.

Cęterùm quod attinet ad subordinationem Pauli ad Petrum tàm certum est, eam debere credi, non ratione maioritatis in ætate, aut vocationis, sed etiam ratione supremæ Monarchicæ, & Hierarchicæ potestatis super totam Ecclesiam, quam est certum singularissimè. indiuidualissimè, omninoque solitariè, ac priuatiuè eam D. Petro competere, pro vt ea, quæ superiori capite à nobis sunt allata manifestè demonstrant. Quibus non satisfacit auctor propositionis Anonymus si dicat, se non negare S. Petrum fuisse à Christo Domino institutum Ecclesiæ Vniuersalis caput, totius Christianitatis Pastorem, & eiusdem Christi Vicarium, immo ex prima ipsiusmet Christi institutione vnicum, solum & singulare Ecclesiæ caput, qui tamen postea Ecclesiæ necessitate permotus elegit contra primam à se factam institutionem, Diuum etiam Paulum in comitem, socium; & collegam D. Petri cum eadem auctoritate cum ipso. Hac inquam, responsione non satisfacit Anonymus, nec effugit censuras contra propositionem ipsius relatas, præterquam quod enim innumera ex illa sequuntur absurda, Ecclesiasticæque Monarchiæ destructio, nullum ab illo assignari potest cum fundamento aliquo tempus, aut locus, in quo tale priuilegium à Christo Domino fuisse D. Paulo concessum legatur, quin potiùs oppositum ex sequentibus argumentis manifestè deducitur.

I. Ex vocatione D. Pauli Act. 9. Vbi Christus ministerium, ad quod eum vocabat explicans solùm dixit: [Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel. Non enim dixit, sicut de Petro: [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: aut, Tibi dabo claues regni cælorum, aut Pasce oues meas sed vt portet nomen meum.] sicut præco; & doctor Gentium, vt exponunt Sancti Patres. Non ergo tunc institutus est supremus Ecclesiæ pastor, vt Petrus, vel cum Petro.

II. Act. 13. dicitur, [Segregate mihi Saulum: & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos,] Sed Paulus, & Barnabas non fuerunt assumpti ad opus supremi gubernij & regiminis totius Ecclesiæ, vt Petrus Quis enim de Barnaba cum Paulo hic parificaro id vel somniauit, deinde ex sequentibus eiusdem capitis verbis apertè colligitur, hoc opus solum fuisse Euangelij prædicationem in gentibus, vndè ergò locus supremo Diuus Pauli pontificatui.

III. Diuus Paulus ad Galatas cap. 1. disertè ait: [Deindè post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim, & iterum cap. 2. v. 1. Deindè post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto, & Tito. Ascendi autem secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prędico in Gentibus seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.] At si Diuus Paulus primarium fuisset in Ecclesia cum D. Petro caput summusue illius antistes, vt Anonymus, quem impugnamus, asserit, non esset cur cùm D. Petro, & alijs Apostolis suũ Euangelium communicaturus Ierosolymam venisset, eaque de causa, ne fortè in vanum curreret, aut cucurrisset, igitur tantum abest quod omnimodam D. Paulus cum D. Petro æqualitatem habuerit in suprema potestate, & regimine Vniuersalis Ecclesiæ, quin potius ex hoc facto vnanimi consensu colligunt, SS. Patres eiusdem D. Pauli subordinationem, & subiectionem ad S. Petrum; Tertullianus lib. de præscriptionibus propè finem ait; [Ascendit videre Petrum ex officio & de iure; Ambrosius in eumdem locum, Dignum erat, inquit, vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum. D. Hieronymus ibidem, Venit Paulus videre Petrum non discendi studio, sed honoris priori Apostolo deferendi. Chrysostomus homil. 87. in Ioannem. Quia os Apostolorum Petrus erat

princeps & vertex ipsius cætus; propterea Paulus ascendit eum videre pre alijs. Theodoretus in eumdem ad Galatas locum, Cùm humana inquit. doctrina non indigeret, vt qui ab Vniuersorum Deo eam accepisset Apostolorum principi, quem par est honorem tribuit. Theophylactus, honorans eum ceu maiorem, Oecumenius, Post tantos, tantosque agones pergit ad Petrum, tamquam maiorem visurus.]

Quod verò ibidem Paulus ait nihil sibi à Petro, & ab alijs collatum fuisse, significat quidem, nihil se ab illis didicisse quod pertineret ad fidem. vt qui erat ab ipso Christo Domino satis in eo genere eruditus, quemadmodum ipse initio eiusdem epist. declarat. [Paulus Apostolus non ab hominibus, nec per hominem, sed per Iesum Christum. Deindè, Notum vobis facio Euangelium, quod Euangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per Iesum Christum.] Quamquam in ordine ad illud prædicandum, notumue faciendum approbationem illius à Petro petierit, vt à principe, & ab alijs, qui videbantur, vt inquit, aliquid esse hoc est ab Ecclesiæ auctoritate, cui Petrus præsidebat. Adeo vt affirmet D. Augustinus lib. 28. contra Faustum c. 4. quod si D. Paulus id non præstitisset, haud illi Ecclesia fidem adhibuisset, quòd idem docet D. Hieronymus in epist. ad August. 11. [id fecit, inquit, ostendens non habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri, & qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum.] Vnde satis colligitur eum non fuisse simul cum petro primarium, ac supremum Ecclesiæ caput,

IV. Ex eo quod eadem ad Galatas epist. cap. 2. dicat Paulus. [Cum autem venisset Cephas Antiochiam: in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat,] licèt prima facie magnum erui posse videatur argumentum, pro prætensa ab Anonymo D. Pauli cum D. Petro æqualitate, maximè cùm illud ab eo sit factum, non simulatè, vt Hieronymus contendit epistola ad Augustinum, sed ex animo, vt docet Augustinus epist. ad Hieronymum, nihilominùs tamen nihil prorsùs illi fauet, talisue reprehensio non arguit Paulum vel parem, vel superiorem auctoritate Petro fuisse; Nam Dauid fuit etiam reprehensus à Ioab 2. Regum capitulo 19. & tamen non sequitur Dauidem primatum regni non habuisse, vel ei Ioab parem fuisse. Alia est enim reprehensio, & correctio iuridica, quæ superioris est; alia fraterna, quæ cùm debita moderatione, quando necessitas id postulat, præsertim publica, ab inferiori adhiberi potest etiam superiori. Et talis fuit illa correptio Pauli aduersùs Petrum, iuxtà communem Sanctorum Patrum sententiam; quocircà tantùm abest, quod ex illa colligi possit prætensa vtriusque æqualitas, quin potiùs omninò contrarium sequitur; indeque Sanctus Martyr Cyprianus in epistola ad Quintum laudat humilitatem Petri, quod promiserit se à Paulo corrigi, scilicet superiorem ab inferiori, maiorem à minori. Idem habet Gregorius homilia 18. in Ezechiel. [Tacuit Petrus, vt qui primus erat in Apostolatus culmine, primus esset in humilitate.] Et Sanctus Thomas 2.2. quæst. 33. art. 4. ad 2. [Paulus, inquit, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem Petrum publicè arguit.] Doctorem Angelicum sequuti sunt Thomas Vualdensis in Doctrinali fidei tomo 1. lib. 2. art. 1. cap. 3. Et Tostatus in cap. 18. Matthæi quæst. 86. alijque omnes ad hunc locum; pro quibus sufficiat vnicus D. Augustinus epistola 19. ad Hieronymum his verbis rem totam eleganter concludens; [Rarius, inquit, & sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur à posterioribus corrigi, quàm Paulus, quo confidenter auderent minores maioribus pro defendenda veritate, salua charitate, resistere.

Quantùm ad obiectiones in contrarium, ex varijs tàm Summorum Pontificum, quàm sacrorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum locis desumptas, vel nullius sunt penitùs roboris, vel tantùm probant æqualitatem D. Pauli cum D. Petro in ratione dignitatis Apostolicæ, & quatenùs ambo fuerunt Romanæ Ecclesiæ fundatores, suamque Episcopalem sollicitudinem in ea perficienda potissimùm impenderit D. Paulus tanquàm Petri coadiutor, & cooperator; vndè Epiphanius in hæresi 27. ait Petrum, & Paulum Romæ non solùm Apostolos, sed etiam Episcopos fuisse. Nihil autem probant de æqualitate in Ecclesiæ gubernio, primatu, potestate, iurisdictione, aut Hierarchica, & Monarchica dignitate; prout allata à nobis sufficienter demonstrant, de quibus fusiùs videri possunt Doctores, qui expressè de hac materia scripsere. Magister Lezana in consultis varijs, consulto vltimo de singularissimo D. Petri Papatu: Theophilus Raynaldus de bicipiti Ecclesia, & vnici Corporis Christi mystici vno simul, ac duplici capite. Augustinus de Bellis, de absoluta Diui Petri Monarchia, qua solus Ecclesiam aurigauit.

Ad vulgare autem argumentum de aliquibus imaginibus, seu picturis, in quibus D. Paulus ad dexteram D. Petri collocatus cernitur, cùm multa responderi possent, consulendi sunt auctores, qui hac de re scripserunt; Cardinalis Petrus Damianus in epistola ad Desiderium. D. Thomas in epistola ad Galatas lect. 1. Antonius Nebric. in Annotationibus ad quinquaginta loca Scripturæ; Cardinalis Baronius ad annum Christi 213. 325. & 451. Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice cap. 27. Stephanus Gratianus Disceptat. Forens. cap. 106. num. 43. Antonius Perez Monachus Benedictinus in tract. de Romano Pontifice dub. 2. cap. 9. & fusiùs in Laurea Salmantina certam. 5. expositiuo. Barbosa in collect. Doctorum, in capite solit. de maioritate, & obedient. Petrus Marca in opusculo de hac re; Franciscus Mucantius in peculiari libello de SS. Apostolorum Petri, & Pauli imaginibus; Marcus Antonius Georgius in libello inscripto: Statua D. Pauli ad dexteram D. Principis Ecclesiæ Petri non remouenda. Magister Lezana, & alij statim citati; ex quibus curiosus lector poterit, quid sibi magis placuerit eligere pro responsione ad argumentum depromptum ex aliquibus imaginibus, vel casibus, quibus

D. Pau-

D. Paulus ad dexteram D. Petri interdum pingitur, ac ponitur; solùm aduerto hoc argumentum ad præsens intentum nimis probare, & ideò nihil probare; si enim stare ad dexteram dignior sit locus, proindeque maioris in eo, qui ad illam stat, præsertim de iure, dignitatis signum, aut argumentum, inde non solùm D. Paulum D. Petro æqualem, sed etiam maiorem, ac digniorem esse concludendum esset, quod tamen non intendit Anonymus.

CAPVT IV.

Quod iure diuino supremus Ecclesiæ primatus D. Petro conueniat.

Licèt veritas huius propositionis sufficienter constet ex dictis, placuit tamen adhuc illam adhuc expressè statuere cum Andrea du Vallio Doctore Sorbonico in tract. de Romano Pontifice 1. par. quæst. 5. aduersùs singularem cuiusdam Simonis Vigorij sententiam dicentis, Petrum quidem à Christo toti Ecclesiæ fuisse præfectum, non desijsse tamen ab Apostolis posteà eligi, eique rursùs præfici: vndè infert illum iure dumtaxat Ecclesiastico, plenitudine potestatis in Ecclesiam donatum esse.

Verùm conclusio nostra certissima est, Petrum iure diuino primatum Ecclesiæ inter Apostolos habuisse, nec eos post Christi Ascensionem Petrum in Ecclesiæ principem elegisse; primò namque superflua, & inanis fuisset talis eorum electio, iam enim sufficienter erat à Christo Domino electus, nihilque pro ratione potestatis Ecclesiasticæ illi deerat; vt euidenter probant Scripturæ loca capite secundo à nobis adducta; quibus si iungatur nullum assignari posse cum fundamento aliquo, vel Scripturæ, vel Sanctorum Patrum, tempus, aut locum, in quo præfata electio ab Apostolis facta fuerit, manifestè conuincitur præposterum hanc D. Petri ad Papatum electionem, merum Simonis Vigorij commentum esse.

II. Quia potestas Ecclesiastica primùm fuit in Christo Domino, quamdiu in terris egit, & etiamnum adhuc in eo perseuerat in cœlis, tamquam in supremo, & absoluto principe, non tàmquam in subdito, aut ab altero dependente. Atqui spectat ad supremum principem de legato, & vicario, qualem Christus constituere voluit Petrum, prouidere; neve ab alijs, quàm ab ipso potestas eius deriuetur; igitur à solo Christo, & nullo modo ab Apostolis electus est Petrus in Christi Vicarium, supremumque Ecclesiæ post ipsum principem, ac pastorem; suamque pariter auctoritatem, ac potestatem non ab Apostolis, sed ab eodem Christo plenissimè accepit.

III. Nihil per hanc electionem D. Petro contulissent Apostoli, non Ecclesiasticam potestatem, quia iam collata erat, & insuper quia tanta est, vt ab hominibus eam deriuari sit impossibile, non designationem, quia iam persona Petri Matth. 16. & Ioannis 21. plusquàm sufficienter erat designata; nec denique confirmationem, non solùm quia illius est tantùm confirmare, cuius est eligere aliquem in suum Vicarium; sed etiam quia, cum iam satis superque ordinatione Christi firmata esset, & roborata Petri electio, quod vt ostenderet ter illi dixerat citato Ioannis loco, [Pasce oues meas:] nonnisi cum temeritate maxima potuisset rursùs ab Apostolis confirmari: Diuinæ enim leges, qualis fuit D. Petri institutio, & electio in supremum Ecclesiæ Monarcham, à solo Legislatore vim habent, nullaque ad sui firmitatem, actualemque obligationem, inferiorum auctoritate, vel receptione indigent, ad distinctionem legum humanarum, quæ receptione subditorum, seu moribus vtentium firmari, & ab ijs actualem vim obligandi accipere interdum solent.

Quando ergo D. Chrysostomus à præfato auctore citatus ait homil. 51. in Matthæum. [Apostoli gratia accepta, vbique primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis cæteris rudior videretur.] Vult tantùm Chrysostomus Apostolos detulisse primatum Petro, consentiendo electioni, & præcepto Christi, cui si non consensissent, grauiter coram Deo peccassent, reique diuinæ maiestatis fuissent. Quare his verbis, Apostoli gratia accepta, vbique que primatum Petro præbent, idem significatur, ac ei vbique, & quacumque data occasione deferunt, & tamquam superiori à Christo Domino instituto acquiescunt, & cedunt, etiam si cæteris rudior, & coram hominibus, qui exteriora maximè spectant, non ita idoneus appareret. Si enim ibi per primatum deferre, intelligeret Sanctus Chrysostomus, vt intendit Vigorius, Apostolos Petrum verè elegisse, sequeretur eos debuisse vbique locorum eum eligere, sic enim ait, [Apostoli gratia accepta, vbique primatum Petro præbent,] qui tamen sensus est absurdus; primus autem germanus, fluens, & obuius.

Eumdem habent sensum duo Canones, In nouo Apostoli, &, Sacrosancta distinct. 21. & 22. desumpti ex Epistolis Anacleti Papæ; quorum tenor est: [Apostoli cum Petro pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsumque principem esse voluerunt. Inter Beatos Apostolos quædam fuit discretio, & licèt omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, & ipsi inter se id ipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset.] Per illa enim verba: Ipsumque principem esse voluerunt, designatur tantùm Apostolos Petri primatum libenter acceptasse, quia ita pro suo absolutissimo dominio statuisset Christus, à cuius ordinatione, & voluntate, ne latum quidem vnguem poterant recedere, præsertim in his, quæ ad essentialem Ecclesiæ ab eo institutæ formam pertinebant.

CAPVT V.

Petrum Apostolum Romam venisse, ibique suam Sedem Episcopalem fixisse, ac tandem martyrio coronatum fuisse.

CVm ius successionis, quodcumque sit illud, de quo infra, Romani Episcopi in summum Ecclesiæ Pontificatum, in eo maximè fundetur, quòd D. Petrus localis Romæ Episcopus fuerit, nec indè vnquam Sedem suam aliò transtulerit; hæretici huius temporis Velenus, Illyricus, Funcius, Molinæus, Gallasius, & alij, ne cogantur admittere Romanum Episcopum in primatu succedere Petro, dicunt, aut Petrum numquam fuisse Romæ, aut si Romæ fuerit, non fuisse tamen Episcopum Romanum, sed vniuersæ Ecclesiæ; sicut & omnes Apostoli, quamuis vt Iacobus à residentia Ierosolymitanus, & Ioannes Ephesinus, ita Petrus dici potuerit Romanus. Aut si fuerit Episcopus Romanus, non constare, quòd illum Episcopatum ante mortem non reliquerit, sicuti dicitur Antiochenum reliquisse; adeòque non magis Romanum, quàm Antiochenum Patriarcham Petri successorem dici debere.

Nihilominùs tamen abstrahendo iam à determinati temporis exilioribus minutijs, de quibus statim, constantissimè tenendum est Petrum Apostolum Romam venisse, ibique Episcopum sedisse, ac tandem martyrio coronatum obijsse. Hæc assertio, quia factum concernit efficaciùs probari non potest, quàm testimonio omnium Scriptorum Ecclesiasticorum tàm Græcorum, quàm Latinorum cuiuscumque seculi post Christum ita semper affirmantium, qui videri possunt apud Cardinalem Bellarminum tom. 1. lib. 2. de Romano Pontifice. Nicolaum Sanderum in opere de visibili Ecclesiæ Monarchia lib. 7. fusissimè apud Iodocum Coccium tomo 1. Thesauri Catholici lib. 6. artic. 5. & Adamum Tannerum parte 2. Anatomiæ Confessionis Augustanæ: vnde nihil est opus hoc loco ea adducere. Tantummodò noto adeò omnium Patrum, ac Scriptorum Ecclesiasticorum fide testatum, atque exploratum esse D. Petrum Apostolum, Romanam Ecclesiam fundasse, gubernasse, suoque sanguine consecrasse, vt qui id negare ausit, non minùs insanus iure haberi possit, quàm si quis negaret, aut Neronem, aut Constantinum ipsum Romæ fuisse Imperatorem, aut Iulium Cæsarem Dictatorem, aut Ciceronem Senatorem. Quocirca Lutherus, quemadmodum ex colloquijs eius scribit Rebenstok tom. 2. pag. 63. fassus est, [Omnes historias affirmare, Petrum fuisse primum Papam Romæ:] & Caluinus profitetur: [Propter Scriptorum consensum se nolle pugnare, quin illic mortuus fuerit.] lib. 4. Instit. cap. 6. sect. 15.

Prætereà D. Petrum aliquando Romæ fuisse non obscurè colligi videtur ex ipsiusmet testimonio, qui sic ait ad finem prioris epistolæ: [Salutat vos Ecclesia in Babylone collecta, & Marcus filius meus:] Etsi enim aliqui præfata verba de Babylone Ægypti intelligenda putent, quòd, inquiunt, Petrus, Alexandriam deducto Marco, illam Ecclesiam primus fundarit. Nihilominùs tamen ibi D. Petrum, non de Babylone vera, & propriè dicta, quæcumque sit illa; sed de Roma per Babylonem figuratè significata locutum fuisse maiorum auctoritate constat. Eusebius Histor. lib. 2. cap. 14. vbi de Marci Euangelio ex Papiæ, & Clementis auctoritate sermonem instituit, hæc addit. [Constat Petrum huius Marci mentionem facere in priore epistola, quam Romæ texuisse dicitur, quam quidem epistolam ibi perscriptam ostendit, dum Ciuitatem illam, verbi translatione Babylonem appellat hoc modo: Salutat vos Ecclesia nostræ electionis consors, quæ est Babylone, & Marcus filius meus.] Eadem habet D. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiast. in Marco. [Meminit, inquit, huius Marci, & Petrus in epistola prima sua, nomine Babylonis figuraliter Romam significans.] In Apocalypsi quoque D. Ioannis cap. 17. eodem notatam fuisse nomine, in confesso est apud omnes. Vnde, & Tertullianus aduersùs Iudæos cap. 9. & contra Marcionem lib. 3. cap. 13. [Sic & Babylon apud Ioannem nostrum Romanæ Vrbis figuram portat, proinde, & magnæ, & regno superbæ, & Sanctorum debellatricis.] In hanc etiam sententiam D. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 22. hæc ait: [Ne multis morer, condita est Roma, velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis;] pluribus enim docet tunc conditam Romam esse, cum intercidit Regnum Assyriorum. De his quoque cumulatè Paulus Orosius lib. 7. cap. 2. & nouissimè Cardinalis Baronius tomo 1. annalium ad annum Christi 45. Petri primum, Claudij tertium; vbi pro ratione adducit, Petrum non esse vsum proprio Vrbis nomine, in sua epistola, quòd Hierosolymis fuga lapsus è carcere, vbi ageret, non ab omnibus percipi vellet: cùm etiam mutatis nominibus, homines appellare vsitatum fuisse videatur apud Apostolos; vndePaulum, vbi 2. Timoth. cap. 4. ait: [Liberatus sum de ore leonis; per leonem significasse Neronem, nullus dubitat.

Quoniam autem D. Petrus, tametsi Pontificalem Cathedram Romæ fixerit, frequens tamen in peregrinationibus fuit, varijsque in locis Euangelium prædicauit: in Iudæam redijt, Claudij edicto cum cæteris Iudæis abire iussus Actor. 18. 2. Adfuit Hierosolymitano Concilio Act. 15. 6. Visitatus Hierosolymis ab Apostolo Paulo, Galat. cap. 1. 18. ab eodem Antiochiæ reprehensus ibid. cap. 2. Ob has, & alias frequentes, continuasque profectiones, quibus durantibus Linum, & Cletum Episcopos consecrauit, sibique tamquam suffraganeos, atque in Pontificalibus Vicarios Romæ constituit: sicut non est mirum, quòd à Beato Paulo neque salutatus in epistola ad Romanos, neque Romæ inuentus fuerit; ita ex hoc debile sumitur argumentum ab aduersarijs ad negandum Petri Romam aduentum; vbi etiam longè priùs eum fidem annuntiasse, quàm Paulus ad Romanos, vel scriberet, vel accederet, videretur ex ipsomet Paulo colligi. Etenim ad Romanos, quos non-

nondum viderat, aut docuerat, scribens, testatur fidem illorum annunciari in vniuerso mundo, seque ingenti desiderio eos visendi, & in eadem fide confirmandi teneri. Ergò iam illic Petri laboribus coaluerat amplissima, & florentissima Ecclesiæ Christianæ, atque Catholicæ facies; prout multi etiam primæ notæ Scriptores testificantur. Eusebius namque ait lib. 2. Histor. ca. 14. [Salutaris prędicationis verbo Petrus primus in vrbe Roma Euangelij sui clauibus ianuam regni cœlestis aperuit.] Consentiunt Epiphan. contra hæres. 37. Chrysostom. in psalm. 48. Nicephorus lib. 2. Et vt Græcis Latinos iungamus, Arnobius lib. 2. contra Gentes; Orosius lib. 1. cap. 6. Leo magnus serm. 1. de Natali Apostolorum, alijque plurimi.

Similiter, quod aliqui Scriptores in tempore aduentus Petri Romam dissentiant, non arguit eum Romæ non fuisse. Pari namque ratione colligendum esset Christum Dominum pro humano genere passum, atque mortuum non esse, quandoquidem de tempore non conuenit inter omnes; Beatus enim Ignatius affirmat id contigisse anno ætatis 33. Lactantius lib. 4. anno 30. alij 40. apud Augustinum lib. 2. de doctr. Christiana cap. 28. Irenæus post annum quadragesimum, lib. 2. aduersùs hæreses cap. 39. & 40. vbi multis contendit, Christum ætatis anno 40. adhuc prædicasse. Quamuis igitur aliqui Scriptores de circumstantia temporis, quo D. Petrus Romam venerit, non omninò inter se consentiant, hæc tamen discordia huic veritati nihil officit, cum enim non sit circa factum, illud non infirmat, sed sufficit nobis, quod tota antiquitas, vniuersa Ecclesia, ipsaque Romæ monimenta testentur B. Petrum Romæ & sedisse, & cruci affixum esse, neque toto terrarum orbe locus alius sit à quoquam hactenus exhibitus, vbi martyrium passus fuerit, vbique tanti Apostoli sacrum corpus asseruetur, tantoque honore, & populorum concursu, ac Romæ veneretur.

Hoc autem certo, & indubitato manente facto, quid circa tempus eius, aliasque similes circumstantias probabiliùs tenendum sit; è sacris Ecclesiæ Annalibus repetendum est, præsertim Cardinalis Baronij tom. 1. vbi rem hanc non minori diligentia, quàm eruditione pertractat; his enim diutiùs immorari huius loci non est.

CAP. VI.

Quod supremus Monarcha sit Ecclesiæ essentialis, ideoque semper aliquis D. Petro in eadem suprema, Christo tamen subordinata, Ecclesiam regendi potestate successerit.

PRopositionem hanc ad fidei Catholicæ veritatem pertinentem mordicus negant omnes huius nostri temporis sectarij; ea enim est ipsorum sententia, etiam dato, quod Ecclesiæ primatum D. Petrus habuerit, non propterea sequi, debere aliquem in hac dignitate illi succedere: quòd probant quia neque in Apostolatu, neque in dono edendi miracula quisquam Petro succedere dicitur.

Huic hæreticorum sententiæ non mediocriter suffragantur Edmundus Richerius, eiusque discipulus Simon Vigorius citati ab Andrea Duuallio in tractat. de Rom. Pontifice 1. par. q. 6. quatenus ex præfato doctore asseruut, ad essentiam Ecclesiæ necessarium non esse vnum supremum Pastorem aut moderatorem, sed sufficere Concilium quoddam Aristocraticum ex Episcopis, tamquam Ecclesiæ Optimatibus conflatum, à quo negotia componantur, & terminentur: quod autem adsit aliquod visibile caput, nimirum Summus Pontifex, hoc vel ad ordinem tantùm pertinere, non ad potestatem, si seorsim ab Optimatibus consideretur: vel ab Ecclesia potiùs, quàm à Christo in lege Euangelica constitutum fuisse, quo fit, vt legis Euangelicę statu permanente, aliam sibi regendi formam possit Ecclesia præfigere, & de Monarchica, eam Aristocraticam reddere.

Aduersùs quos omnes errores firma fide tenendum, Ecclesiam visibilem à Christo Domino in noua lege institutam, visibili capite essentialiter indigere, propptereaque necesse esse, quod in primatu D. Petro, sicut & post mortem huiusuis Pontificis, aliquis succedat, qui iure diuino Ecclesiam Monarchicè gubernet.

Prima huius veritatis demonstratio fundatur in institutione Christi Domini, vt enim secundo huius sectionis capite iam notauimus, nos de Ecclesiæ statu non agimus abstrahendo à dicta institutione: nam si de Ecclesia, vt est quædam respublica ad finem supernaturalem ordinata, sermo sit, certum est eam non necessariò gubernari regimine Monarchico, neque vnum supremum Monarcham ei essentialem esse, cùm enim variæ sint regiminis formæ, & species, omnes licitè, & laudabiles, quamuis vna harum, Monarchica videlicet, sit laudabilior, & excellentior, poterat dubio procul Ecclesia sic abstractiuè considerata, qualibet illarum gubernari; verùm si posita Christi institutione spectetur, supremus Pontifex illi est prorsus essentialis, quandoquidem illam in forma regni instituere voluit: vt manifestè probant omnia Sacræ Scripturæ, Sanctorumque Patrum loca pro primatu D. Petri superiùs adducta. Cùm enim absolutè dixerit Christus ad Petrum, [super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam Pasce oues meas:] necessariò id intelligendum est, tùm de vniuersa Christi in terris Ecclesia, vsque ad finem mundi perseueratura, tùm generatim de omnibus Christi ouibus quouis tempore existentibus, vt satis constat ex fine ipsius Pontificatus non in commodum Petri, aut Summi Pontificis, sed in vtilitatem Ecclesiæ instituti. Siue quod idem est, cùm Christus Dominus Petri primatum instituerit, non tàm, vt Petrum honoraret, quàm, vt in perpetuum suæ Ecclesię prouideret de Vicario, pastoreque vniuersali, iuxtà illud D. Augustini lib. de Pastoribus cap. 1. [Quod Christiani sumus, propter nos est, quòd verò præpositi propter vos; [nec non aliud locis c. 2. citatis, [quod D. Petrus in persona Ecclesiæ claues acceperit: siue, quod illas non homo vnus, sed vnitas Ecclesiæ acceperit:] Et Ec-

clesia vsque ad finem mundi sit permansura, non debuit intereunte Petro, interire supremus ille pastoratus, sed tamdiu perseuerare, quamdiu ipsa Ecclesia. Maximè quia eo non minùs nunc, quàm Apostolorum tempore indiget, immò magis: tum quia fideles nunc plures sunt, sicut enim maiore ouium numero, & varietate existente, maius est periculum dissidiorum, quibus Ecclesia scindatur, ita maior nunc necessitas est vnius supremi pastoris, cuius officio, & auctoritate earum controuersiæ componi possint. Cuius Rei argumento esse possunt, vel ipsæ dissensiones sectariorum irreconciliabiles, & interminabiles, eo quod extra ouile Christi oberrantes, pastorem vnum minimè agnoscunt. Tum etiã quia non solùm plures, sed etiam peiores, aut saltem non æquè perfecti sunt modò Christiani, pluresque grassantur hæreses, quàm Apostolorum tempore, Tum denique quia Apostoli reliqui non æquè indigebant directione Petri, ac modò Episcopi, qui quoad Episcopale munus, ipsis Apostolis successerunt, indigent directione vnius Summi Pontificis.

Secundò probatur, potestas illa, & auctoritas, quæ iuxtà Christi promissionem, perpetuò Ecclesiam sustinere, ac regere debet, ita vt portæ inferi numquam sint aduersùs eam præualituræ, necessariò debet esse ordinaria, ac in Ecclesia permanens; sed potestas, vel auctoritas à Christo concessa Diuo Petro, iuxtà eiusdem Christi promissionem, vniuersam Ecclesiam perpetuò sustinere, regere, & aduersùs quosuis inimicorum impetus immotam tueri debet; Ergo talis potestas necessariò debet esse ordinaria, & in Ecclesia permanens; ac proinde non in solo Petro finienda, sed & in eius successoribus perpetuò duratura; si quidem nihil aliud nomine potestatis ordinariæ intelligitur. Maior huius argumenti videtur esse certa. Nemo enim dixerit fundamenti munus in ædificio vnquam cessare, cuius est semper totam ædificij molem superimpositam sustentare: Igitur ex verbis Christi Domini, quibus supra Petrum ædificaturum se promisit Ecclesiam, potestas aliqua in ea perseueret necesse est, cui tamquam basi incumbat confirmandum, ac solidandum totum eius spirituale ædificium. Verùm quidem est, Ecclesiam non semper fundari, ideòque Apostolatum in ea cessasse; attamen sicut domus semel fundata, regi quoque debet ne pereat, ita rectè intelligitur Primatum, seu summum Diui Petri Pontificatum, non fuisse temporaneum, sicut Apostolatum, sed talem, vt in eo oporteat, quamdiù Ecclesia hic militat, aliquem succedere, qui ex officio cura sua pastorali totius Ecclesiæ molem sustentet, & omne reliquum ouile sua stabilitate ad normam Petri confirmet; vt optimè D. Thomas ostendit lib. 4. contra Gentes cap. 76. Minor etiam argumenti constat, tum ex primo argumento facto; tum etiam ex eo quod Christus dixit Petro, [Pasce oues meas;] dum enim absque vlla restrictione, aut exceptione dixit, [oues meas,] oues omnes intellexit, quæ vsque ad consummationem seculi effecturæ sunt vnum ouile serie perpetua. Has autem omnes cùm solus Petrus in propria persona pascere non possit, veram ipsis fidei doctrinam proponendo, & quæ circa illam controuersa sunt definiendo; quando iam in cælis existens, nullam in Ecclesiam auctoritatem exercet; necessariò verba illa ad Petrum pertinere existimanda sunt, non solùm secundùm propriam eius personam, dum in terris viueret, sed etiam quantùm ad eiusdem successores, deinceps post ipsum in Ecclesia futuros. Quod ipsum etiam nomen, & officium pastoris, non minùs quàm fundamenti significat; nam sicut istud ex dictis sua natura perpetuum est, quamdiù durat ædificium; ita & munus pastoris semel institutum, non minùs durabile esse debet, quàm ipsum ouile.

Itaque ad solutionem argumenti superiùs facti notandum est, ea quæ D. Petro à Christo dicta, vel collata Euangelium commemorat, duplicis esse generis. Quædam ad ordinarium Pastoris officium spectant; vt illud Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:] Luc. 22. [Confirma fratres tuos,] & Ioann. 21. [Pasce oues meas.] Alia verò priuatam dumtaxàt eius personam respiciunt: vt illud Matth. 16. [Vade post me sathana;] item gratia miraculorum, dignitas primi Ecclesiæ fundatoris, aliaque id genus. Iam ergo ne extinctam esse cum Petro, & vnius tantùm hominis vita superstite Christi Ecclesiam perdurasse; ac subinde gregem sine pastore, corpus sine capite, structuram sine fundameto remansisse, stultè nimis æquè, ac impiè dicere cùm Christianæ fidei hostibus compellamur: fateri necesse est prioris generis sententias, non solùm ad Petrum, sed etiam ad eius successores referendas esse, collatamque proinde à Domino in Petrum summam omnium potestatem, in eos quoque esse deriuatam; posterioris autem generis non item. Nec enim necesse est omnes, qui officio Summi Pastoris in Ecclesia functuri sunt, edere miracula; & quamuis omnes retineant Apostolicam potestatem ad propagandam fidem, iam priùs per Christum extraordinario Apostolorum ministerio fundatam; manet tamen sua prærogatiua soli Petro, quod inter Apostolos fundatores primus fundator, & inter fundamenta Ciuitatis sanctæ, quæ est Ecclesia, primùm à Christo architecto positus sit fundamentum: sicut etiam manet sua gloria Christo Domino, qui solus est fundamentum omninò primarium sustinens Ecclesiam.

Tertiò, si Status Ecclesiæ præsens non esset Monarchicus, atque adeò in Ecclesiæ gubernatione nullus D. Petro succederet, qui visibile totius Ecclesiæ caput esset, sequeretur primam Ecclesiastico regimini datam à Christo formam fuisse mutatam, ita vt ex Monarchica transijsset in Aristocraticam; sed hoc aliquo cum fundamento asseri non potest; igitur concludendum est supremum Monarcham esse Ecclesiæ essentialem, voluisseque Christum, vt Petro vita defuncto aliquis perpetua serie successionis in locum eius ab Ecclesia eligeretur, cui Christus ipse auctoritatem supremam sicut Petro conferret ea constituendi, quæ ad fidei doctrinam, fideliumque salutem conducerent. Maior probatur; quia regimen cuiuscumque communitatis desumitur ex eiusdem magistratu visibili, ita vt sit Monarchicum si ab vno supremo capite visibili gubernetur; Aristocraticum, si ab

Opti-

Optimatibus; Democraticum verò si à toto populo. Cùm ergo constet, Christum, dum in terris ageret, fuisse Caput visibile totius Ecclesiæ, suique loco primùm Petrum illi præfecisse, vt capite 2. probatum fuit, ipsumque adeò Ecclesiæ regimen fuisse tunc Monarchicum; sanè fatendum est, regimen illud fuisse mutatum, si Christus post suum in cælum ascensum, postque D. Petri mortem, nullum supremum Caput visibile in terris, secundarium tamen, sibique subordinatum reliquit. Quod autem talis mutatio cum aliquo fundamento asseri non possit, imò sit omninò absurda, quæ est minor propositio probanda, patet tum ex dictis attenta Christi Domini institutione; tum etiam quia vnitas corporis politici potissimùm attenditur penès rationem, ac modum politiæ, siue regiminis; igitur si Ecclesiæ regimen ex Monarchico fuisset in Aristocraticum permutatum, sequeretur ipsam quoque totam Ecclesiam fuisse mutatam, nec eamdem nunc esse, quæ primùm fuit viuente Christo in terris, deinde superstite post ipsum D. Petro; quod absurdum quoque est, vlloque sine fundamento tam in diuinis Scripturis, quàm in sanctis Patribus.

Quod si respondeatur huic argumento, vnam semper manere Ecclesiam, quia vnum & idem semper mansit, manebitque essentiale, & primarium eius caput, nempè Christus Dominus.

Contra est primò, quia, vt superiori de Ecclesia sectione diximus, de fide est, illam esse essentialiter vnum corpus visibile; atqui ad rationem corporis visibilis non sufficit, partes eius esse visibiles, nisi pariter caput sit visibile: ergo præter Christum, qui est inuisibilis, qui non aliter, quam per fidem cognoscitur, quique dumtaxat in Ecclesiam inuisibiliter influit, requiritur de facto aliquis visibilis, & manifestus Pastor, Christi Vicarius, ipsique subordinatus, necnon Petri successor, qui Ecclesiam visibiliter regat, & moderetur, ad quem in dubijs confugiat, atque ab eodem controuersiarum omnium iudicia expectet, sicut & leges, quibus viuat, & gubernetur. Vndè Diuus Cyprianus libro 4. epistola 2. Ecclesiam definiens, [Ecclesia, inquit, est plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.] Vbi per Sacerdotem, & Pastorem sic absolutè dictum intelligit summum Episcopum, Romanum videlicet, cùm in illa epistola grauiter contra eos inuehatur, qui à Cornelio Romano Pontifice defecerant, & cum alijs nonnullis se communicare iactabant.

Deindè ad rationem Ecclesiasticæ Monarchiæ non sufficit, Christum in Cœlis modo triumphantem, esse supremum illius Monarcham, nisi insuper detur vnus aliquis supremus eius Vicarius, qui illam Monarchicè gubernet: ergo ne statum Ecclesiæ mutatum dicamus ab eo, quem Christi, & Apostolorum tempore habuit; statuendum est ad eius essentiam, supposita Christi institutione, supremum aliquem moderatorem visibilem pertinere. Consequentia videtur esse certa, si antecedens est verum, quod ita probatur; si enim hoc sufficeret, omnes omnino status cùm Democratici, tùm Aristocratici vocandi essent Monarchici, quia secundùm fidem, Christus Dominus omnium Regnorum, rerumque publicarũ supremus est Monarcha; [per quem Reges regnant; in cuius femore scriptum est, Rex Regum, & Dominus Dominantium; cuique data est omnis potestas in Cœlo, & in terra.] Hoc autem nemo facilè admiserit: Igitur ad rationem Ecclesiasticæ Monarchiæ, non sufficeret Christum esse supremum illius Monarcham inuisibilem, nisi aliquem post se Vicarium visibilem in perpetuum reliquisset, qui visibile totius Ecclesiæ caput esset. Nec vllum inde sequitur absurdum; quicquid sit enim de corpore naturali, nihil obstat, quo minus vnius corporis mystici plura sint capita, dummodò inter se subordinationem habeant, nec sint vnius, & eiusdem dignitatis, vel auctoritatis; sicut in Regno plura de facto capita reperiuntur, Rex nempè, & Prorex; in Diœcesi Episcopus, & Vicarius; omnes enim sunt capita, sed subalternata, & inæqualis dignitatis, quales quoque sunt in Ecclesia Christus Dominus, Summique Pontifices Romani eius Vicarij.

Quartò, probatur assertio ex figura Veteris Testamenti, ducto argumento à minori ad maius. In Synagoga enim semper, ac perpetua successione, vnus aliquis fuit Summus Pontifex, qui suprema in spiritualibus potestate illi præesset, illamque gubernaret, vt patet Deuteron. 17. vbi post constitutum in genere Sacerdotum tribunal, speciatim de summo Sacerdote subiungitur versu 12. [Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille.] Et lib. 2. Paralipom. cap. 19. post commendatum itidem generale tribunal Sacerdotum, mox dicitur versu 11. [Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit.] Vt ergo figuratum figuræ responderet, ex Apostolo enim 1. Corinth. cap. 10. [Omnia in figura contingebant illis;] & non minus Ecclesiam suam modo Dei filius diligere videretur, quàm olim Synagogam, de qua per Isaiam cap. 5. dixit: [Quid est, quod debui vltra facere Vineæ meæ, & non feci?] cùm gubernandi ratio omnium optima sit Monarchica, quemadmodùm Synagogæ in Veteri Testamento de illa prouidit, statuens vnum supremum Sacerdotem; negari certè non potest, quin etiam Christus ascendens in Cœlum, eamdem Ecclesiæ suæ gubernandi rationem reliquerit; quinque Ecclesiæ suæ Petrum pastorem preficiens, perpetuò eum in successoribus suis præesse illi voluerit. Et istud ipsum est, quod, vt iam cap. 2. notaui, Augustinus sæpè testatur, Dei Ecclesiam in Petro claues accepisse, & in se Petrum totius Ecclesiæ figuram repræsentasse: ne videlicet tantum munus videretur in Petri personam solummodò esse collatum, at cum illo pariter extinctum; sed potiùs in ipsum, tamquàm in totius corporis caput mysticum, quod non extingueretur, sed semper viueret in successoribus. Vnde idem ipse Augustinus ad Cathedram Petri sæpè prouocat Donatistas, vt cùm scribit ad Generosum epist. 165. his verbis: [Si, inquit, ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs, & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram

ram

ram gerenti Dominus ait: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, &c.] Deindè post recensitos singulos Romanos Episcopos, Petri successores, vsque ad Anastasium, qui tunc sedebat, hæc subdit: [In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro, vsque ad Anastasium, qui nunc eamdem Cathedram sedet, etiamsi quispiam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens ait de præpositis malis: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.] Ex quibus liquet etiam priuilegia, non quidem personalia, sed ad supremi Pastoris Ecclesiæ munus pertinentia vnà cum Petro non cessasse, vt in secunda ratione diximus; sed sic à Christo fuisse illi concessa, vt idem ipse velut persona propria exprimeretur in singulis successoribus, atque in Ecclesia viueret semper, nec eiusmodi veritatis signum posse successoris alicuius criminibus vnquam, vel leuiter pessumdari.

At inquit Caluinus lib. 4. institut. cap. 7. disparem esse rationem Synagogæ, & Ecclesiæ, necnon Ecclesiæ in limine fundationis collatæ cum seipsa secundùm præsentem statum. Nam Synagoga, atque etiam Ecclesia, quo tempore viuebat Petrus, angustis terminis continebatur, postea autem per vniuersum Orbem diffusa est. Vnde licèt maximè expediuisset tunc temporis illi præficere pastorem vnum, non tamen ità rem modò se habere debere, supposita tanta eius dilatatione; sed potiùs idem ferendum esse iudicium seruata proportione rerum Ecclesiæ, ac rerum huius seculi: At non expediuit vnicum Monarcham toti Mundo præfici, quia minora, & pauciora Regna meliùs ab vno reguntur, quàm maiora, & plura: [Feliciores, inquit Diuus Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 15. essent res humanæ si omnia Regna essent parua, & concordi vicinitate lætantia.] Igitur attento præsenti Ecclesiæ statu, per totum Orbem iam diffusæ, non expediuit, quod vnicum caput, vnicusve Monarcha illi præsideat; & consequenter aliquis nunc detur, qui Diuo Petro in suprema regendi Ecclesiam potestate successerit.

Verùm hac, quam adduxit Caluinus, rationis disparitate non solùm argumenti nostri vis non minuitur, sed potiùs augetur; si attentè consideremus finem, cuius gratia Deus tam in Veteri, quàm in Nouo Testamento formam regendi Monarchicam instituere voluerit. Is enim fuit, vt vno pastore, atque capite constituto, schismatis tolleretur occasio, inquit Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum; vt vna Ecclesia, & vna Cathedra esse monstraretur, inquit Cyprianus lib. de Vnitate Ecclesiæ; vt in illa vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, inquit Optatus lib. 2. contra Parmen. & sic de similibus. Cùm igitur crescente maiori ouium numero, & varietate, maius futurum esset dissidiorum periculum, nevè Ecclesiæ vnitas proscinderetur, vt Ecclesiæ ipsi toti in statu Noui Testamenti magis diffusæ, quam rectissimè Christus ipsius Sponsus prouideret, & vnitas fidei in ea meliùs, & faciliùs conseruaretur, pertinuit ad infinitam prouidentiæ eius perfectionem, vt præter Congregationem, ac generale Episcoporum Concilium, vnus aliquis esset inter ipsos Episcopos supremum caput, & vniuersalis Ecclesiæ moderator, qui ea, quæ ad bonos mores, & doctrinam Ecclesiæ spectant, suprema auctoritate definire, ac præscribere ordinariè posset.

Tùm etiam, quia controuersiæ de fide, ac Religione, quas propter summam varietatem nationum, statuum, ordinum, ac ingeniorum necesse est subindè oriri, non possunt sufficienter determinari per Episcopos, nisi inter eos aliquod sit supremum Ecclesiæ caput; non solùm, quia tunc nullus erit, qui cum auctoritate, quoties opus sit, valeat Episcoporum Concilium cogere; sed etiam quia moraliter impossibile est, pro qualibet controuersia definienda tale Concilium generale congregari; particularia autem Episcoporum iudicia nec infallibilia sunt, nec ad fidei vnitatem in Ecclesia vniuersali seruandam sufficiunt, vt satis ex se patet, sequentique sectione fusiùs explicabitur.

Per quod patet ad exemplum allatum; quidquid enim sit, vtrùm expediat omnes Mundi Prouincias ab vno summo Rege gubernari in rebus politicis; de quo posset esse quæstio, & in affirmatiuam partem propendet Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Summo Pontifice cap. 9. Si tamen posset eò perueniri sine iniustitia, & bellicis cladibus: & si Summus Monarcha sub se haberet non Vicarios, aut Pro-reges, sed veros Principes, quomodo Summus Pontifex sub se habet Episcopos, vt supra cap. 2. in fine notauimus. Quidquid sit, inquam, de hac quæstione, respondetur vtriusque regiminis Ecclesiastici, ac politici, supernaturalis, & naturalis longè disparem esse rationem: nec enim Orbis terræ debet, aut potest esse vnum Regnum, quod naturaliter ex institutione Christi ijsdem legibus, & moribus regatur; hi enim pro varietate non modò Regnorum, sed & Prouinciarum, immò & Vrbium ità diuersi sunt, vt ijdem vbique esse non possint. At verò in Ecclesia, vbi gratia facit habitare omnes vnius moris, non ita se habet, sed eædem leges, eadem fides, eadem Sacramenta, & similia in ea vrgere possunt, & debent. Quare vt idem exemplum retorqueā, sicuti si vniuersus Orbis ijsdem legibus ciuilibus vteretur, ijsdemque ritibus, nullum esset efficacius medium ad eorum vnitatem conseruandam, quàm si ab vno summo Rege modo statim explicato gubernaretur; ita supposita perfectissima Ecclesiæ vnitate in omnibus supradictis, de qua vide iam dicta superiori sectione cap. 4. & 6. nullum ad illius conseruationem aliud medium adhibere Christus voluit, quàm vt ab vno supremo moderatore Ecclesia gubernaretur, qui illius curam gereret.

Quintò tandem, & vltimò probatur assertio perpetuo vniuersalis Ecclesiæ consensu, quæ vt capite sequenti, necnon 16. ostendemus, semper agnouit Romanum Pontificem pro tempore existentem, pro vero Christi Vicario, ac legitimo Diui Petri successore, non tantùm in Episcopatu Romano, sed in regimine, & præfectura Ecclesiæ vniuersalis. Quia autem nullæ sunt, aut fieri possunt obie-

ctio-

ctiones, quæ ex dictis solutæ non maneant, vel facilè solui nequeant, nec non etiam ex dicendis, libenter illis superſedemus, vnde fit.

CAPVT VII.

Quòd verus, ac legitimus Diui Petri successor in regimine Vniuersalis Ecclesiæ, sit solus Pontifex Romanus canonicè electus.

Ista conclusio, abstrahendo à modo, seu iure, quo talis successio fiat, an nimirum connexione Summi Pontificatus ad Romanum, an verò euectione Romani Pontificatus in summum, sicut ex Episcopatu fit Archiepiscopatus, est de fide aduersùs omnes huius temporis Hæreticos tam Græcos, quàm Latinos. Etsi enim Nilus Thessalonicensis Episcopus in libro aduersùs primatum Papæ, libenter fateatur Petrum totius Ecclesiæ Pastorem fuisse, & Romæ Episcopatum gessisse vsque ad mortem, contendit tamen non succedere Petro Romanum Pontificem in præfectura totius Ecclesiæ Catholicæ, sed solùm in Romano Episcopatu. Addit verò, obtinuisse posteà Romanum Pontificem ex Conciliorum decretis primatum quemdam, vt videlicet primus Episcoporum esset, primus sederet, primus sententiam diceret, non tamen cæteris omnibus imperaret.

Constantissimè nihilominus tenendum est, tamquam quid ad Catholicam fidem pertinens, Romanum Pontificem canonicè electum, Diuo Petro quatenus vniuersali Ecclesiæ pastori, & capiti, legitimè semper successisse, atque etiamnum continuata serie succedere. Etsi enim id expressè, & sub istis terminis non habeatur in Scripturis, aliquem tamen succedere Diuo Petro deducitur euidenter ex illis, iuxta hucusque dicta; immò ijsdem rationibus, quibus vltimo superioris sectionis capite explicuimus pertinere ad fidem, esseque obiectum illius, quòd hæc numero Ecclesia cum Pontifice Romano coniuncta sit vera, & vnica Christi Ecclesia, intelligendum quoque est eumdem Christum à principio reuelasse, & per Apostolos docuisse, eum fore semper suum in terris Vicarium, legitimumque Diui Petri successorem in regimine Vniuersalis Ecclesiæ, qui ad illud ab ea canonicè eligeretur. Cuius reuelationis irrefragabile nobis subministrat argumentum traditio vnanimi Sanctorum, ac veterum Patrum assensu comprobata, quorum testimonia videri possunt apud Cardinalem Turrecrematam lib. 2. de Ecclesia cap. 36. & sequent. Nicolaum Sanderum lib. 7. de visibili Monarchia. Iodocum Coccium tomo 1. Thesauri Catholici lib. 7. artic. 6. & alios. Iamque nos illa magna ex parte adduximus superioris sectionis capite vltimo, fusiùsque infrà c. 16. proferemus.

Quòd autem ille talis, qui canonica huc vsque electione fuit ad summum Ecclesiæ gubernium electus, & assumptus, solus dumtaxat, & non alius fuerit, quàm Romanus Pontifex, demonstrant primò, prædicta Patrum testimonia, tùm quia indiuisibiliter loquuntur de Romano Pontifice, ac de vero Petri successore in Ecclesiæ primatu: tùm quia non alia potiori ratione docent, Catholicam, vel vniuersalem Ecclesiam cum Romana coincidere, nisi quia Episcopus Romanus, à quo Romana denominatur, simul est, semperque fuit supremus Ecclesiæ vniuersalis pastor; Romanove Episcopo, non vt priuato Episcopo, sed vt summo Ecclesiæ Militantis Pontifici semper adhæserunt, & etiam nunc adhærent veri Fideles, qui toto Orbe dispersi, veram, & vnicam Christi Ecclesiam componunt.

Secundò hanc eamdem veritatem clarè ostendit, tam ipsummet Ecclesiæ vniuersalis factum, quæ nullum vnquam alium à Romano Episcopo, vel Pontifice, ad supremum suum loco Petri Pontificatum assumpsit; quàm perpetua eiusdem praxis, qua Romanus Pontifex in Ecclesia, earum, quæ essent fidei controuersiarum Iudex semper agnitus fuit, qua ipse hæreses condemnauit, qua Concilijs generalibus à se congregatis præfuit, eademque confirmauit; qua leges vniuersales pro tota Ecclesia cum auctoritate sanciuit, qua ad eum vndique, & ex qnauis parte Orbis Christiani in grauissimis causis Ecclesiasticis legitimè prouocatum, & appellatum fuit, qua alios Episcopos auctoritate sua creauit, ac in varias Mundi partes misit, qua eos suos Vicarios constituit, qua eos confirmauit, qua eos pallio inuestiuit, qua eos aliquandò deposuit, & ab alijs depositos restituit, qua tandem præ omnibus alijs Episcopis honorificentissimis semper nominibus, ac titulis decoratus fuit; quorum omnium testimonia, & exempla referentur infrà c. 16. passimque habentur tam in historiæ Ecclesiasticæ monimentis, quàm in sanctorum Patrum voluminibus; multaque etiam in vnum collecta reperiuntur apud Cardinalem Bellarminum tomo 1. controuers. lib. 1. Abrahamum Bzouium in opere inscripto, Romanus Pontifex, & Theophilum Raynaudum in opere, cui titulus est: Corona aurea super mitram, expressa signis sanctitatis, gloriæ honoris. Collectio illustrata titulorum selectorum, quibus Concilia, & Patres omnium retro Christianorum seculorum, maiestatem Romani Pontificis, & luculentissimum Sedis Apostolicæ splendorem compendia expresserunt.

Tertiò, probatur conclusio sequenti ratione ex præcedentibus desumpta. Nam, vt superiori capite demonstrauimus, nunc est, & semper in Ecclesia fuit vnus aliquis legitimus Petri successor, in supremo Ecclesiæ vniuersalis regimine, vel cura; sed nullus alius ne fingi quidem potest, Petri in eo regimine, vel cura successor, quàm Romanus Pontifex ab Ecclesia canonicè electus, vtpotè in quem solùm, & totius Ecclesiæ praxis, & totius antiquitatis testimonia conspirant; ergo verus, ac legitimus Diui Petri successor in regimine vniuersalis Ecclesiæ, solus est Pontifex Romanus ab ea canonicè electus.

Præterea, si alius præter Romanum Pontificem assignabilis esset Diui Petri successor in Ecclesiæ primatu, maximè Antiochenus Epi-

Episcopus; sed ipse in tali dignitate non successit Petro; Ergo solus Pontifex Romanus. Maior huius argumenti videtur esse certa; nullus siquidem est, vel fuit vnquàm, qui se Petri successorem asseruerit, vel pro tali sit habitus, præter Antiochenum, & Romanum Episcopum. Minor ergo, in qua est difficultas, probatur primò auctoritate Concilij Nicæni Can. 6. vbi Antiochenum Episcopum tertium tantùm Patriarcham declarauit, sicut antea erat, nec vmquam Antiocheni Episcopi altiorem in Ecclesia locum, vel gradum quæsierunt. Secundò ex hoc, quòd non quilibet Episcopi earum Ecclesiarum, quas fundauit Petrus, nec quilibet etiam Petri in illis successores, sunt ij, ad quos singularis illa Diui Petri potestas regendi vniuersam Christi Ecclesiam iure pertinet, sed ij tantùm, qui sunt eius successores in ea Sede, vel Cathedra, quam ipse ad mortem vsque constanter per se tenuit, ac administrauit; licèt igitur Euodius, vel secundùm alios Ignatius successerit Petro in Episcopatu Antiocheno, in quo Petrus primùm sedit, antequam Romam proficisceretur, non tamen propterea Antiochenus Patriarcha supremum dici debet Ecclesiæ caput, sed solus Pontifex Romanus, cùm Petrus numquam Cathedram Romanam, vbi primùm Romam appulit, deseruerit, neque eam aliò, vt Antiochenam transtulerit, sed in ea viginti quatuor annos, menses quinque, & dies vndecim vsque ad mortem perseuerauerit. Ista vltima consequentia videtur esse certa, si antecedens est verum, ex illo enim euidenter sequitur. Antecedens autem probatur, quia potestas illa regendi vniuersam Ecclesiam Vni Petro, vt dictum est, à Christo tradita, & commissa, nec in plures diuidi poterat, vtpotè Monarchica, nec à Petro deseri, vel abijci, quamdiu in viuis esset, vtpotè diuino sibi mandato iniuncta, atque adeò ad nullum alium transire, nisi ad eum, qui eius primùm post mortem esset successor, nàm non succeditur nisi cedenti locum, vel per mortem naturalem, vel per mortem, vt ita dicam, ciuilem, legitimam videlicet depositionem, aut renuntiationem. Igitur licèt omnes alij, vel successores, vel Vicarij Episcopi, qui varijs alijs Ecclesijs à Petro fundatis præfuerunt, habere quidem potuerint à Petro Episcopalem potestatem, & auctoritatem particularem, ipsique etiam succedere in particulari Episcopatu; generalem tamen illam auctoritatem gubernandi, ac sustentandi vniuersam Ecclesiam ab eo minimè acceperunt, sed illam secum Romam transtulit, ibique moriens suis in eius Cathedra successoribus integram, reliquit.

Ex quibus facilè apparet totam succedendi rationem, qua Romanus Pontifex potiùs, quàm Antiochenus, vel aliquis alius, succedit in regimine vniuersalis Ecclesiæ, suam ex facto Petri originem duxisse, vt enim optimè notant Theologi ad præsens institutum, aliud est successio, aliud ratio successionis. Nam successio Romani Pontificis in primatum Petri ex Christi instituto de iure diuino est, quia Christus ipse, vt superiori capite diximus, instituit in Petro Pontificiam dignitatem duraturam vsque ad finem mundi, ac proinde quicumque Petro succedit, eam à Christo recipiat necesse est.

At verò quod Episcopus Romanus, qua talis, potiùs quàm Antiochenus, vel aliquis alius sit legitimus Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione, quæ in Euangelio legitur. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi vmquam eligere, sicut fecit primis quinque annis, & tunc moriente Petro, nec Romanus, nec Antiochenus Episcopus illi successisset, sed is, quem Ecclesia legitimè sibi elegisset; potuisset quoque semper Antiochiæ manere, & tunc Antiochenus sine dubio successisset. Quia verò Antiochena Sede relicta, mox Romanam Ecclesiam eodem anno fundauit, ac per seipsum ad mortem vsque constanter rexit; non quòd ab ea nusquam discesserit, sed quòd nullo interim alio, qui ipsi ante mortem succederet, relicto, Cathedram illic semper tenuerit, ac per seipsum eidem Ecclesiæ præfuerit, donec post annos viginti quatuor, & inceptum vigesimum quintum felicissimo, ac gloriosissimo martyrio, vnà cùm Diuo Paulo à Nerone affectus animam Deo reddidit, anno eius 13. Christi verò 69. iuxta probabiliorem Cardinalis Baronij sententiam, indè factum est, vt Romanus Pontifex illi succedat, nunc videamus quo iure sit hoc inductum, vt coniungeretur Pontificatus Ecclesiæ Pontificatui Vrbis.

CAPVT VIII.

Quo iure Episcopus Romanus sit successor Diui Petri in supremo Ecclesiæ Monarchatu.

CVm hæc duo inter se valdè distinguantur, aliquid esse de fide, aut esse de iure diuino, nec enim de iure diuino fuit, quòd Diuus Paulus haberet penulam, 2. Tim. 4. & tamen hoc ipsum ad fidem pertinet, quòd illam habuerit. Sic etiam consentientibus omnibus Doctoribus Catholicis tamquam in aliquo de fide, quòd Episcopus Romanus canonicè electus sit legitimus Petri successor in Ecclesiastica Monarchia, liberè tamen inter illos disputatur, quo iure, diuino, an humano id fiat?

Igitur pro difficultatis intelligentia, ac resolutione obseruandum est primò, non hìc inquiri, à quo Diuus Petrus Ecclesiæ primatum habuerit; satis enim constat ex dictis illum non habuisse, nec ab Apostolis, nec ab Ecclesiæ communitate, sed immediatè à Christo Domino. Similiter non quæritur à quo electus Pontifex accipiat potestatem Papalem, an ab electoribus, an immediatè à Christo? certum est enim eum quoque illam habere immediatè à Christo, ita vt electores quidem nominent, designent, & eligant Pontificem, sed huic Christus non minus quàm Diuo Petro potestatem in vniuersalem Ecclesiam conferat: respectu cuius proinde dicitur Vicarius, aut ministeriale caput, non autem Ecclesiæ, nec electorum: sique interdum ita alicubi vocaretur, vel etiam Ecclesiæ minister, illud ita intelligendum esset, quia Ecclesiam administrat, & regit, vt Rex regnum,

vel

vel quod Ecclesiæ finibus eius potestas concludatur, & ad eos qui sunt extra minimè extendatur. Qua ratione Diuus Paulus tàm de se, quàm de reliquis Apostolis, ac de Petro ipso loquens ait 1. Corinth. 2 [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum eius.] Tota ergo præsentis quæstionis difficultas in hoc posita est, an Romanæ Sedis euectio in primam, & vniuersalem? siue quod solus Pontifex Romanus canonicè electus, sit verus, ac legitimus Diui Petri successor in primatu Ecclesiæ, vt superiori capite diximus, immediatè ordinatum sit à Christo Domino, ita vt iuris sit diuini.

Secundò notandum est, Romanum Episcopum, vel Pontificem Petro diuino iure succedere, atque ita eodem iure diuino esse totius Ecclesiæ caput, tripliciter intelligi posse. Primò, vt solùm ipsa successio, qua aliquis Petro in regimine vniuersalis Ecclesiæ succedere debet, sit de iure diuino, & ex Christi institutione profecta; hoc ipso nimirum, quòd summa illa auctoritas gubernandi Ecclesiam à Christo non soli Petro, sed etiam eiusdem successoribus tradita est: idque ipsum proinde supremi Pastoratus officium, velut ordinarium, ac perpetuò in Ecclesia duraturum institutum fuit. Et in hoc sensu absque vlla inter Catholicos dubitatione ex fide certum est. Episcopum Romanum diuino iure Petro succedere, vt capite sexto demonstratum fuit. Secundò intelligi hoc potest de coniunctione potestatis illius cum persona Romani Episcopi non absolutè, & vt aiunt, in sensu diuiso, sed in sensu composito, & ex suppositione, quod is videlicet, & non alius, post mortem Petri consentiente Ecclesia, successor Petri, & totius Ecclesiæ pastor legitimè sit electus. Et hoc etiam sensu à nemine Catholico negari potest, Romanum Episcopum, tamquàm Petri successorem, iure diuino habere potestatem in vniuersam Ecclesiam; cum apertè sequatur ex priori sensu eiusdem propositionis; nec minus verum sit, & certum; quàm quod Ioannes. v. g. posito quod sit Sacerdos ritè ordinatus, diuino iure habeat potestatem consecrandi, aliaque priuilegia Sacerdotali dignitati annexa. Et propter vtramque causam, vel sensum Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Summo Pontifice cap. 12. existimat absolutè dicendum esse, quod Episcopus Romanus iure diuino sit Petri successor, & totius Ecclesiæ caput. Tertiò tandem intelligi potest de coniunctione potestatis illius cum persona Romani Pontificis absolutè, & quasi reduplicatiuè; vtrùm nimirum Episcopus Romanus, qua talis Petro diuino iure succedat, vel succedere debeat in suprema Ecclesiæ potestate. Et in hoc sensu procedit præsens quæstio, suntque circa illam diuisi inter se Doctores Catholici.

Quidam enim vt Cardinalis Petrus de Alliaco quæst. de Ecclesia, Sotus in 4. sent. distinct. 24. quæst. 2. artic. 5. & alij docent iure diuino non esse annexum supremum Ecclesiæ Pontificatum Episcopatui Romano, sed tantùm ex facto Diui Petri, qui Antiochena Sede relicta, Romæ Cathedram suam vsque ad mortem figere voluit: ideoque inferunt Ecclesiæ constitutione fieri posse, vt Summus Pontifex retento summo Pontificatu, deserat Episcopatum Romanum, siue quod idem est, Sedem Romanam cum altera mutare, seu aliò transferre possit, aut etiam nulli se sedi mancipare, & addicere instar Pauli, qui nusquam sedem statam, & fixam habuit, nec non Diui Petri, quandò primùm fuit à Christo institutus, nulli enim Episcopatui in specie tunc erat mancipatus; ita tamen vt vbicumque degat, supremus Ecclesiæ Antistes dicatur, & habeatur.

Quæ sententia nihil habere videtur contra fidem: adhuc enim non est satis determinatum, an re vera Episcopus Romanus, hoc ipso, quod talis est, iure diuino, an solùm Ecclesiastico, Petro Apostolo succedat in primatu Ecclesiæ. Et omnes illę sanctorum Patrum sententiæ, quibus asserunt, Romanæ Sedis Episcopum, ex Christi institutione Petro successisse, vel etiam Romanæ Sedi infallibilitatis, seu stabilitatis in fide priuilegium annexum esse, facilè intelligi possunt, iuxta duplicem priorem sensum statim allatum, nimirum, vel de ipsa institutione potestatis illius abstractè, siue etiam ex illa hypothesi, quòd Episcopus Romanus sit is, quem Ecclesia ipsa successorem Petri constituit, siue id suo arbitratu, siue ex peculiari Christi institutione fiat, vel tandem, quod in idem recidit, huiusmodi Patrum sententiæ possunt accipi de Episcopo Romano, & Ecclesia Romana formaliter consideratis, quamdiu nimirum in illis perseuerat primatus, & Sedes Petri, & consequenter prout Ecclesia Romana coincidit cum vniuersali, Romanusque Pontifex cum supremo eius pastore, modo superiori sectione explicato capite vltimo.

Alij verò vt Caietanus opusculo de Primatu Romanæ Ecclesiæ, Dominicus Bannes 22. Franciscus Turrianus lib. 1. contra Centuriat. cap. 18. Gregorius de Valentia 22. alijque plures dicunt, non esse quidem institutionem Euangelicam, quod Romanus Episcopus potiùs, quàm Antiochenus Petro in primatu succedat: habere tamen Ecclesiam Romanam hanc prerogatiuam à Christo, eiusque institutione, eo quod Petro iusserit, vt mox dicemus, non solùm vt Romæ moreretur, sed insuper vt Ecclesiam Romanam, ibi moriens hæredem sui primatus institueret, ita vt aliò transferri, aut ipsomet carere non posset, ita vt vbicumque contingeret Summum Pontificem degere, semper Romanus Episcopus esset, nec vllus alius huius vrbis Episcopatum in solidum, & titulariter, vt vocant, obtinere posset.

Quæ sententia, licèt non sit apertè de fide propter statim dicta, & quia præceptum Christi factum Petro, de Romam eundo, vel reuertendo, in quo potissimùm fundatur, nulla diuinæ Scripturæ, vel traditionis auctoritate sufficienter comprobari videtur, sed aliquibus tantùm testimonijs; attamen vt prima communior est, ita & probabilior à nobis iudicatur. Primò quia sanctus Marcellus Papa in epistola ad Antiochenos scribit Petrum Domino iubente venisse Romam: [Petri Sedes, inquit, primitus apud vos fuit, quæ postea iubente Domino Romam translata est.] In eamdem sententiam referri possunt Ana-

cletus epistola 2. & Sixtus II. epistola 1. item que D. Ambrosius oratione contra Auxentium pro fuga, vbi dicit, [Petrum Christi iussu Romæ potiùs, quàm alibi martyrium pertulisse.] Quod ex historia colligitur, quam referunt Egesippus libro 3. de excidio Hierosolymit. cap. 2. & ipse Ambrosius lib.5. epist.32. nec non etiam D.Gregorius in explicatione quarti Psalmi pęnitentialis: narrant enim, cùm Petrus carcere solutus Roma exiret, Christum illi occurrisse, & Petro interroganti quò pergeret, respondisse: [Vado Romam iterum crucifigi.] Quo responso Diuus Petrus sibi Diuinitùs mandari, vt Romam reuerteretur, & ibi mortem subiret, extemplo intellexit; non alia certa ratione, ne aliò Sedes Petri videretur translata, & vt mortè suâ supremum Orbis Pontificatum in Romana Sede perpetuò stabiliret; quod vrget Papa Gelasius in decreto de Scripturis apocryphis.

Quia autem rem hanc, præ alijs, sanctus Ambrosius accuratè describit, loco citato contra Auxentium, libenter eius verba refero: [Idem Petrus postea, victo Simone, cùm præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos Gentilium. Quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est: rogabatur enim, vt ad instituendum, & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit: & videns sibi in porta Christum occurrere, Vrbemque ingredi, ait: Domine, quò venis? Respondit Christus: Venio iterùm crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem Diuinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterùm crucifigi, qui carnem, passione suscepta mortis, exuerat: Quod enim mortuus est, mortuus est semel; quod autem viuit, Deo viuit. Intellexit ergo Petrus, quod iterùm Christus crucifigendus esset in famulo. Itaque spontè remeauit; interrogantibus Christianis responsum reddidit: statimque correptus, per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.] Huc vsque sanctus Ambrosius.

Secundò, probatur nostra sententia, quia videtur pertinuisse ad perfectionem, suauitatemque Diuinæ prouidentiæ Ecclesiam gubernantis, vt vnus, idemque locus ab eius initio, vsque in finem perseueraret, cuius Episcopus esset Oecumenicus; vt hac ratione certiùs, magisque perspicuum esset Caput visibilis Ecclesiæ, nec non etiam firmior Diui Petri successio; dicendum est ergo speciali Dei ordinatione factum fuisse, non solùm vt Petrus Romæ moreretur, sed insuper, quod ibi moriens supremam Pontificatus Sedem immutabilem, & ab Episcopatu Romano prorsus inseparabilem redderet, consecraretque.

Tertiò colligi potest ab ipso rerum euentu, nisi enim speciali Dei ordinatione, ac diuino proinde iure supremus Ecclesiæ primatus esset inseparabilis à Sede Romana, fuisset aliquando separatus, cum tot fuerint huiusmodi separationis occasiones tempore Imperatorum tyrannorum, tempore Gothorum, & alijs, quod tamen nusquam factum legimus, & ideo fatendum est, in hac Romanorum Pontificum toties à Patribus celebrata, & commendata successione, verè digitum Dei esse. Quando enim septem Summi Pontifices Galli Clemens V. Ioannes XXI. seu XXII. Benedictus X. Clemens VI. Innocentius VI. Vrbanus V. & Gregorius XI. residentiam suam Auenione in Gallia per spatium 73. annorum fecerunt, translatio fuit curiæ, & personarum, non dignitatis Pontificatus, ita quod dignitas Pontificatus semper remansit in illis Pontificibus coniuncta Ecclesiæ Romanæ, vt videre est in Bullis Pontificijs ibi ab illis datis. Posse autem Summum Pontifices, ob temporum calamitates, aliasuè rationabiles causas à sua diœcesi interdum abesse dato etiam quod quisque Episcopus particularis iure diuino residere debeat in propria diœcesi, nemini dubium esse potest, vbi tamen huiusmodi causæ desunt, regulariter eos residere debere in Romana diœcesi, tàm bonum regimen priuati Episcopatus, quàm totius Ecclesię commune postulare videtur. Quod verò electa fuerit Romana ciuitas potiùs, quàm alia pro supremi Pontificatus Sede, licèt ex Christi Domini præcepto, ac institutione potissimam habuerit originem, suas quoque habet congruentias, de quibus vide Cardinalem Baronium tomo 1. Annaliam passim.

Obijcitur primò, si coniunctio supremę auctoritatis Pontificiæ cum Episcopatu Romano esset de iure diuino, id est, ex speciali ordinatione, & lege Christi facta, esset quoque de fide, sed hoc dici non potest, ergo nec quoque quod sit de iure diuino talis coniunctio, maior huius argumenti videtur esse omninò certa, quia licèt, vt in principio huius capitis notauimus, sit longè diuersum aliquid esse de fide, vel esse de iure diuino, de fide enim est reuelatum à Deo, non autem est de iure diuino, quicquid est reuelatum à Deo, quamuis sit de iure diuino quod nos illud credamus, v. g. est de fide Paulum Apostolum habuisse penulam, Diuum Petrum Malcho amputasse auriculam, quæ tamen, & similia minimè sunt de iure diuino, stante nihilominus hac differentia, omne illud quod de iure diuino, necessariò debet esse de fide, quandoquidem ex D.Thoma par. 1. qu. 101. art.1. superiùs citato, in his, quæ sunt supra naturam, quæque ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum naturæ, cuiusmodi est præfata coniunctio, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus Diuinitùs reuelata sunt; & consequenter nisi quatenus ad fidem pertinentia; talem autem coniunctionem non esse fidei obiectum, quæ erat minor primi argumenti, probatur, quia nec habetur in Scriptura, nec in traditione, quibus tamen diuina reuelatio, nec non res ad fidem pertinentes adæquatè continentur.

Respondetur ad hoc argumentum concedendo maiorem; rem videlicet aliquam eo modo esse de fide, ac est de iure diuino, non tamen vice versa, esse de iure diuino, omne illud quod est de fide, quamuis sit de iure diuino, quod nos illud credamus; vnde cum dixerimus probabile tantùm esse, quod coniunctio supremæ potestatis Pontificiæ cum Episcopatu Romano sit de iure diuino, siue

quod

quod Diuus Petrus ex aliquo mandato, aut reuelatione sufficienti ad inducendum ius diuinum, coniunxerit Pontificatum orbis, cum Episcopatu vrbis, propter rationem ad probationem minoris adductam; & iam supra à nobis insinuatam eodem quoque modo asserimus probabile dumtaxat esse, quod sit de fide, propter rationes ad hoc probandum à nobis allatas.

Obijcitur secundò si dicta coniunctio iuris esset diuini, siue ex speciali iussione Christi Domini; non autem ex solo facto Petri; numquam possent ab inuicem separari Episcopatus Romanus, nec non supremus Ecclesiæ Pontificatus, sed sunt separabiles; igitur earum dignitatum vnio non est de iure diuino. Maior videtur esse certa; minor autem probatur in illo casu; quo Romana ciuitas funditus euerteretur, sicut plerique auctores, & Patres tempore Antichristi futurum esse opinantur, tunc enim peribit Episcopatus illius vrbis, non autem Summus Ecclesiæ Pontificatus, quia sicut Ecclesia manebit etiam post Antichristum, vsque ad consummationem sæculi, ita & supremum caput illius; ergo saltem tunc erit separandum ab Episcopatu Romano, & consequenter non est ei de iure diuino alligatum vniuersaliter loquendo.

Respondetur ad hoc argumentum concedendo maiorem, & negando minorem; ad cuius probationem dicimus, stante probabilitate nostræ sententiæ, probabile quoque esse, & credibile Deum numquam permissurum, quod portæ inferi contra vrbem Romanam præualeant, ob Sanctorum Petri, & Pauli intercessionem, Sedis Apostolicæ dignitatem, totiusque Ecclesiæ vtilitatem, & ita legimus in sacris Annalibus sæpè fuisse præteritis temporibus Diuinitùs seruatam. Casu tamen quo, etiam ante persecutionem Antichristi oppositum contingeret, Romanaque ciuitas, & consequenter Episcopatus illius funditus destruerentur, nec vmquam reædificarentur, tunc cum prima opinione dicendum putarem, alligationem, seu coniunctionem Pontificatus orbis cum Episcopatu Vrbis, non esse de iure diuino, saltem vniuersaliter loquendo, sed ad Summum quamdiù vrbs illa, & Episcopatus existerent. Sicut enim ab ipso rerum euentu, siue ex hoc, quod datis tot, ac tantis occasionibus separandi præfatas dignitates, numquam tamen eiusmodi separatio huc vsque contigit, supra collegimus earumdem coniunctionem, non esse negotium purè humanum, sed diuinum; ita tunc à contrario separationis illarum euentu arguere deberemus oppositum; vndè in illo posset Pontifex, quia maneret destructa vrbe aut ipsa Ecclesia designare aliquem alium Episcopatum, cui vniretur, supremus Pontificatus, aut quod sine Episcopatu maneret, sicut à Christo ante Ascensionem Petro collatus fuit, cùm ex dictis supra cap. 6. suprema auctoritas Pontificatus sit Ecclesiæ essentialis, & in ea destrui non possit.

Extra hunc tamen casum totalis euersionis ciuitatis Romæ, existimo nullum dari posse ita vrgentem, qui validam, aut etiam licitam reddere posset dictam separationem; cùm enim ex dictis probabile sit, quod illa vnio sit facta iure diuino, si semel in illo dispensandum est, debet fieri ex vrgentissima causa; quamdiù autem vrbs Romana subsistit, dari non potest vrgens causa talis dispensationis, vel mutationis, nam etiam sæuientibus persecutionibus, & cùm Summi Pontifices cogerentur exulare, aut abesse, nũquam tãmen hæiudicatæ sunt sufficientes causæ trãsferendi Pontificatum ab Episcopatu Romano, igitur præter dictam nulla alia, cur id fieri possit assignabilis, esse videtur. Deinde quia quantacumque necessitas constringeret Romanum Pontificem, vt ab vrbe Romana abesset, sicut multoties absfuerunt, adhuc tamen extra illam possent esse Episcopi Romani, dummodo subsisteret, ergo præter eius euersionem, nihil est, quod dictam separationem iustificare possit.

Ad illud particulare in argumento adductum, de futura tempore Antichristi Romæ ruina, ac subuersione, respondetur hoc quoque inter Doctores Catholicos problema esse; de quo videri potest Thomas Maluenda lib. 4. de Antichristo; Franciscus Suarez in defensione fidei Catholicæ lib. 5. cap. 7. alijque plures ab illis citati, nos conformiter ad nostram sententiam dicimus illam non fore taliter destruendam, quin Episcopatus eius sufficienter maneat, & consequenter, quin Summus Pontifex illum retinere possit. Quod si totaliter destruatur, eo modo discurrendum est, quo si in alio casu, extra Antichristi persecutionem euerteretur, vt statim diximus. Vel etiam responderi potest; instante iam tempore persecutionis Antichristi, fine mundi atque adeò Ecclesiæ militantis ad consummationem vsque sæculi tantùm duraturæ, terminandum quoque esse per quamdam veluti resolutionem, supremum ipsius Pontificatum, eamque inchoaturam, ab ipsamet vrbis, & Episcopatus Romani destructione. Secundus enim Christi aduentus dicitur futurus post quadraginta quinque dies à morte Antichristi, cuius etiam persecutio, cùm sit futura, omnium, quæ vmquam sæuierunt atrocissima ex Diuo Matthæo cap. 24. [Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet;] nolente Deo suos in tam diris persecutionibus longo tempore relinquere, non diu permitteretur ab eo durare, quia vt Scriptura testatur, [Nisi breuiarentur dies illi non fieret salua omnis caro: vnde ad electorum consolationem notauit eadem Scriptura numerum annorum, immò dierum durationis ipsius Danielis 12. [A tempore quo ablatum erit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio desolationis, dies mille ducenti, & nonaginta,] id est tres anni cum dimidio, & ad ampliùs cum septem mensibus. Et Apocalyps. 11. dicitur regnaturus Antichristus per tempus, tempora & dimidium temporis, id est vno anno, duobus annis, & medio anno; sic enim se explicat cap. 13. dicens; Regnum bestiæ; id est Antichristi, futurum per quadraginta duos menses. Qui quidem spatium trium annorum cum dimidio conficiunt; nullum autem videtur inconueniens, quod in tam paruo temporis interuallo, quo mundus, & Ecclesia finem habitura sunt, supposita præsertim ciuitatis, & Episcopatus Romani destructione, cum eo

non coniungatur ampliùs de facto supremus Pontificatus, sed solùm de iure.

CAPVT IX.

De noui Pontificis electione, rebusque ad illam spectantibus.

POstquam in superioribus egimus de prima à Christo Domino facta in persona Diui Petri ad supremum Ecclesiæ Pontificatum institutione; ostendimusque talem cum eo dignitatem extinctam non fuisse, sed ad successores suos Romanos Pontifices transijsse, & ad finem vsque mundi perseueraturam esse, superest iam vt breuiter tractemus de eorumdem ad illam assumptione. Pro cuius intelligentia notandum est, aliud esse designationem personæ in Papam assumendæ: aliud verò collationem dignitatis, vel potestatis Pontificiæ illi competentis. Etsi enim hæc duo coniuncta fuerint, quando Christus Dominus personam Petri in supremum Ecclesiæ Monarcham designauit, & elegit, illique potestatem eius propriam concessit; posse tamen hæc duo inter se separari, satis patebit ex dicendis, & interim ex eo quod Principes sæculares, cum aliquem in Episcopum nominant, personam quidem designant, & tamen dignitatem, nec auctoritatem impertiuntur, illam confert Pontifex, nominationem Principum approbando. Vnde conuenientibus omnibus Doctoribus Catholicis in hoc tamquam de fide certissimo, quod solus Christus immediatè Summo Pontifici conferat debitam illi dignitatem, ac auctoritatem, plura alia de eius designatione, vel electione salua fide inter illos disputantur, pro quorum explicatione sequentes statuemus conclusiones.

I. Conclusio, quando Summus Pontifex de nouo creatur, electores, quicumque sint illi, de quo statim, personam quidem designant, at solus Christus Dominus immediatè illi confert Pontificiam dignitatem, eique omnia annexa priuilegia. In hanc conclusionem consentiunt omnes Theologi. Etsi enim electio requiratur, vt suprema illa potestas à Christo Pontifici conferatur, non ob id tamen electores dicuntur eum eligere, quia ipsi dent illam, & hac forsan de causa, inter alias Pontificia electio, vocatur interdum creatio, quoniam sicuti solius Dei proprium est creare, ita quoque ad eum solùm pertinet, electo, siue ab electoribus designato Pontificiam dignitatem dare. Ad cuius probationem primò faciunt superiùs passim citata Sanctorum, ac veterum Patrum dicta, vel testimonia, quibus asserunt Romanum Pontificem suam à Christo Domino habere potestatem.

Secundò de fide est Summum Pontificem esse caput ministeriale respectu Christi, seu Vicarium eius, non autem Ecclesiæ; vnde etiam in Concilio Constantiensi contra Bohemos, & Wiclefum definitum fuit Pontificem non esse Vicarium Ecclesiæ, sique aliquando vocatur eius minister, iam notauimus supra, id intelligendum esse, quia Ecclesiam administrat, & regit, vel etiam tunc particulam Ecclesiæ accipi debere in vi præcisè genitiui, quod significat possessionem, non autem ablatiui quod significat deriuationem, ita vt idem sit Vicarius, aut minister Ecclesiæ, ac minister, vel Vicarius ab Ecclesia constitutus, suamque ab illa recipiens potestatem: Summus igitur Pontifex non ab Ecclesia, sed à solo Christo illam agnoscere debet. Sicut enim Prorex immediatè à Rege suam habere auctoritatem, ita & Papa, qui est veluti pro Pontifice Christo, eiusque dicitur in terris Vicarius, suam pariter ab eodem Christo recipere debet.

Sic potestas illa definatur, ex lege, & decreto quodam diuino, quo Christus Dominus certò statuit eam personæ ritè legitimèque electæ conferre, ac simul eidem infallibili quodam ductu assistere in ijs rebus tam fidei, quàm morum decernendis, quæ ad communem fidelium salutem, fideique integritatem pertinent, quod quidem decretum diuinum, nulla humana auctoritate, aut potestate suppleri posse, satis per se notum est. Nemo enim plus iuris in alium transferre potest, quàm ipse habeat, L. traditio, ff. de acquir. rerum dominio. Igitur Summus Pontifex, quamuis ab electoribus suæ personæ designationem agnoscere possit, soli tamen Christo pro dignitate collata gratias referre debet. Qua de causa omnes Pontifices Romani in suis literis se diuina prouidentia, & electione assumptos ad Pontificiam dignitatem profitentur, quia licèt applicatio Pontificatus ad hanc determinatam personam non fiat immediatè à Christo Domino, sed mediante electione humana, vt mox dicemus, ab eo tamen immediatè recipit illa Pontificiam dignitatem. Circa cuius concessionem iterum obseruandum est ita respectu huius designatæ personæ nouam esse, vt tamen ex priori concessione facta Diuo Petro originem trahat; atque adeò moraliter eadem sit cum illa; tunc enim stabili, vnaque voluntate statuit Christus Petro conferre Ecclesiæ primatum, & omnibus eius legitimis successoribus, id est loco illius ritè, & canonicè electis, seu designatis, qua voluntate posita, necessitate quadam hypotetica, toties quoties illa eadem dignitas communicatur ritè electo.

Objicitur primò; si electores Pontificiam dignitatem per suam electionem personæ electæ non conferrent, inde sequi, non esse dicendos absolutè electores, quod tamen videtur absurdum, cum ita soleant appellari simpliciter, sine vlla restrictione.

Respondetur negando sequelam maioris pro cuius explicatione notandum est in electione Pontificia plura esse consideranda, primò personam ipsam, quæ est subiectum Pontificatus, secundò dignitatem, deinde coniunctionem, vel vnionem vnius cum altero. Si loquamur de persona absolutè, satis constat eam esse à suis causis naturalibus, side illa vt tali, id est cum denominatione electæ, vel designatæ ad Pontificatum, à solis electoribus est; illorum enim est personam immediatè designare, sicut solius Christi est Pontificiam dignitatem conferre, ipsa verò vnio, vel coniunctio est ab vtrisque, id est à Christo Domino, mediante actu humano electorum;

dum

dum enim eligunt, & designant certam personam, aliquo modo concurrunt ad vnionem Pontificatus cum illa; eaque ratione verè, ac simpliciter dicuntur eligere Pontificem, esseque causam, vt talis sit Pontifex, habeatuè illam potestatem, quamuis eam non dent, neque sint illius causa. Quemadmodum in generatione hominis, vbi anima creatur in corpore à solo Deo principium generans disponendo materiam, dicitur causa vnionis animæ cum corpore, indeque homo generare absolutè hominem, licèt non producat animam hominis.

Obijcitur secundò; vbi in electione alicuius magistratus, hæc duo, designatio nimirùm personæ, & collatio potestatis, ad diuersos pertinent, is, qui dignitatem confert, ius habet non conferendi talem, dignitatem, si persona designata, nec solùm ius habet, sed eo interdum vtitur, vt satis patet in confirmatione Episcoporum, quæ fit à summis Pontificibus; ergo cum nunquam constet, an persona electa digna sit, & idonea Summo Pontificatui, si ex vi electionis humanæ non habet potestatem, sed expectanda sit ex Christi collatione, ac veluti confirmatione, nunquam satis constabit, an Papa electus, verus sit Papa, quod magna secum fert inconuenientia.

Occasione huius argumenti quidam hæretici censuerunt, electum, non fieri verum rum Papam, nisi sit vir probus, imò, & de numero prædestinatorum, vt in fine huius capitis videbimus, & hunc errorem refutabimus; Ad illud interim respondetur concedendo maiorem de dignitate requisita, vt persona designata per electionem sit in virtute legum simpliciter, & absolutè capax potestatis conferendæ, non autem de dignitate ex vi legum per accidens, & impertinenter se habente ad huiusmodi capacitatem. Vt autem dicemus capite subsequenti, persona ab Ecclesia per electionem designata ad Summum Pontificatum, non potest non esse digna prima dignitate, licèt interdum careat secunda; vnde Christus Dominus non potest ex vi legis à se positæ, statutæ non conferre illi Pontificiam auctoritatem, & consequenter nunquam versamur in ancipiti, an Papa electus, verus sit Papa, imò diuina fide credimus. Igitur inter Pontificiam electionem, & alias cæterorum magistratuum, vbi designatio personæ, & collatio potestatis ad diuersos pertinent, paritas consistit in hoc, quod sicut in electionibus illorum magistratuum, quando personæ designatæ habent dignitatem, siue qualitates ex vi legum simpliciter requisitas, quæcumque sint illæ, vt electio sit valida, & legitima, non potest non illis conferre potestatem, factamque electionem confirmare ille, ad quem hoc de iure pertinet; ita etiam in electione Papæ, non potest non conferri à Christo Domino personæ per illam designatę Pontificia auctoritas, si habet omnes conditiones ab eodem Christo statutas, & stabilitas. Disparitas autem est circa differentiam qualitatum in vtraque electione desideratarum ex parte subiectorum eligibilium, vel designandorum, vt explicabitur in fine huius capitis.

II. Conclusio. Christus Dominus ascendens in cęlum non retinuit sibi potestatem eligendi summos Ecclesię Pontifices; ista quoque conclusio est certa, & necessaria: primòque patet ex praxi, & vsu Ecclesiæ in qua, & à qua licèt cum aliquali diuersitate, facta est semper hæc electio; quod procul dubio non contigisset, si talem sibi potestatem Christus retinere voluisset, nec illam hominibus conferre: Secundò quia conueniens fuit hominum Ecclesiam humano modo regi quoad fieri posset, cui sanè consentaneum non fuisset, si continuo quodam miraculo signum de cælo expectandum fuisset, ad cognoscendum, quem ibi Christus Dominus elegisset.

Si quis objiciat Actor. 1. D. Matthiæ electionem ad Apostolatum visibili aliquo signo à Deo esse declaratam, quod per illa verba, cecidit sors super Matthiam, aliqui doctores significari putant, post Sanctum Dionysium cap. 5 Ecclesiasticæ hierarchiæ, vbi sic ait [Videntur eloquia sortem nominasse diuinum quoddam donum declarans illi Hierarchico choro à diuina electione, ostensum]

Respondetur hoc argumentum nihil conuincere contra nostram conclusionem, sed illi potiùs fauere, eamque clarè probare; sicut enim Christus Dominus, vt modo se accommodaret humano, reliquit tunc Ecclesiæ electionem alicuius ad Apostolatum, loco Iudæ præuaricatoris, elegitque de facto Matthiam, Christo, tamen illi conferente Apostolatum, siue Apostolicam dignitatem; ita etiam eidem reliquit in perpetuum electionem Summorum Pontificum, reseruata sibi solùm collatione Pontificiæ dignitatis, quia cùm illa sit suprema totius Ecclesiæ; imò superior ad totam Ecclesiam, vt sæpius supra diximus, non poterat ab alia, quàm à potestate diuina conferri.

Ad illud autem, quod hæc electio visibili aliquo signo fuerit a Deo declarata, vndè quis posset inferre, ita quoque modo debere fieri in electione Summorum Pontificum; Respondetur primò hoc inter doctores controuerti; sed illo etiam admisso dicimus trahi non posse in exemplum, pro Summorum Pontificum electionibus: Quoniam Apostolatus prout tunc fuit in illis primis fundatoribus Ecclesiæ includebat speciale munus legationis Christi; hac de causa non poterat dari, nisi ab illo, vel per sè immediatè, vel per aliquod visibile signum: vndè etiam apparuit in propria persona ipsi Saulo; vt eum conuerteret, & ad Apostolatum destinaret, tanquam testem Resurrectionis suæ, vt ait D. Thomas 1. p. quæst. 57. art. 6. ad 3. & quandò tam ipse, quàm Barnabas Apostolatum acceperunt facta fuit reuelatio specialis Actor. 13. [Dixit illis Spiritus Sanctus, segregate mihi Saulum, & Barnabam ad opus, ad quod assumpsi eos. Propterea ergo speciali reuelatione designati sunt, quicumque ad Apostolatum assumebantur, quia hoc munus specialem etiam delegationem, & commissionem Christi postulabat. At verò dignitas Pontificia, etsi succedat Apostolatui Petri in ratione supremi reginimis Ecclesiæ non tamen in speciali illa delegatione, sed solùm in potestate ordinaria, vndè successores per electionem dumtaxat, absque alia reuelatione, vel

signo

signo de cælo fieri conueniebat; & ita Christum voluisse confirmat factum ipsum.

III. Conclusio, Christus quoque non præscripsit modum eligendi Summum Pontificem. Hæc etiam conclusio est certa; & colligitur ex eo, quod varius in Ecclesia fuerit talis modus: si enim Christus illum determinasset, ille idem, & vnicus fuisset semper in Ecclesia conseruatus, & retentus. Igitur cum ex dictis, nec Pontificia electio fiat à Christo, nec etiam ab eo modus illius præscriptus fuerit; superest, vt videamus, quibusnam reliquerit vtrumque ius, tam nimirum eligendi Summum Pontificem, quàm præscribendi modum talis electionis. Supponimus enim hìc tanquam certum Christum noluisse, nec etiam decuisse, quod in noua lege Sacerdotes, multòque minùs supremus Sacerdos per carnalem generationē propagarentur. Cùm enim Sacerdotium nouæ legis sit spirituale, & longè perfectius eo veteris legis, conueniens fuit per spiritualem generationem, id est electionem Sacerdotes assumi, & institui, vt institutio eorum, ipsi Sacerdotio, & sacrificio meliùs, ac perfectiùs responderet; tum etiam, quia ratio habendi ministros idones securior est per electionem, quàm per carnalem propagationem, secundùm quam cogeremur interdum pastores pueros, interdum, & imperitos habere; quod in maximum Ecclesiæ damnum, ac dedecus vergeret. At per electionem viri idonei ad Ecclesiastica munia peragenda promouentur, & contrarium si nonnunquam accidat, id non electionis naturæ, sed eligentium, vitio tribuendum est. iam fit in ordine.

IV. Conclusio, Principes, & Magistratus sæculares nullum à Christo Domino ius habent eligendi Summum Pontificem in hac conclusione conueniunt omnes Theologi. Primò quia non solùm pro tali iure nulla potest adduci, vel Scripturæ, vel Patrum auctoritas, sed contrarium potiùs inuenitur definitum in Concilio IV. Constantinop. Canone 28. [Sancta, & vniuersalis Synodus definit neminem Laicorum Principum, vel potentium, semet inserere debere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitani, vel Episcopi cuiuslibet, præsertim cùm nullam in talibus potestatem quemlibet potentium, vel cæterorum laicorum habere conueniat, sed potiùs silere, ac attendere sibi vsquequò regulariter à collegio Ecclesiæ suscipiat finem futuri Pontificis electio. Secundò quia talis electio, vel ius eligendi Summum Pontificem non pertinet ad potestatem laicam, sed est actus potestatis spiritualis, quæ cum in principibus sæcularibus ex se non reperiatur, nec iilis à Christo Domino concessa fuisse legatur; dicendum est eos, necnon etiam cæteros laicos nullum ius habere eligendi Summum Pontificem.

Quod igitur aliquos Imperatores, sæcularesque Principes nonnunquam Summorum Pontificum electionibus sese immiscuisse, vel etiam aliorum assensum ad eas interuenire debuisse, quin imò eò res deuenisse vt Pontifex electus nonnisi de consensu Imperatoris consecrari posset in historijs legamus. Primò id totum iniqua, & temeraria plurium vsurpatione factum fuit; eaque de causa grauiter punitos esse diuina vlciscente iustitia, refert Abraham Bzouius cap. 2. de Romano Pontifice. Vel secundò dicendum est, aliquos cæpisse se introducere in ordinatione Sedis Apostolicę schismatis tollendi causa, vel ad sedandos tumultus, aut contentiones dirimendas, vt contigit Valentiniano, in electione S. Damasi, Honorio, in electione Bonifacij I. Theodorico Gotho in electione Symmachi. Qua in re dicti Imperatores nō videntur propriæ auctoritatis limites excessisse, quia solùm defendebant Ecclesiam, verosque Pontifices ab intrusis. Postea tamen Iustinianus intra illos terminos non se continuit, sed potiùs Ecclesiam Romanam grauauit non quidem electioni Pontificiæ se ingerendo, verùm prohibendo, ne electus consecraretur ante assensum Imperatoris, ea videlicet de causa, ne in Italia, quam à Gothis dux eius Narses recuperauerat, aliquid contra Imperatorem deinceps tentaretur, si Pontifex ipsi minùs gratus eligeretur. Quod quidem contra ius vsurpasse Iustinianum, eiusque successores grauissimè conqueritur D. Gregorius super Psalm. 5. pœnitentialem explicans illum versum, [tota die exprobrabant mihi inimici mei;] eaque de re videri potest Aymonius lib. 3. de gestis Francorum ca. 74. agens de electione Gregorij.

Cum autem hæc iuris vsurpatio à Iustiniani temporibus ad Constantinum Pogonatum vsque durasset, iste permotus sanctitate Benedicti II. tunc in Apostolica cathedra sedentis circa annum Domini 684. misit ad eum sanctionem, non qua primatum ipsi deferebat, vt mendaciter ex Platina refert Lutherus lib. de Potestate Papæ, sed remittebat ius, quod habebat, vel potiùs habere se existimabat in electione, aut confirmatione Pontificis expresè iubendo, vt is deinceps quem Clerus, & Populus Romanus elegisset, mox verus Christi Vicarius haberetur, nulla expectata Imperatoris sententia, vel assensu. Licèt alij, vt Beda referant ad Papam Constantinum, & Iustinianum II. dictum Iuniorem circa annum Domini 708. Et in capite Agatho 63. distinctione, dicitur ab Agathone Papa circa annum Domini 678. ab Imperatore, Constantino scilicet Pogonato tunc viuente obtentum fuisse, vt releuaretur quantitas pecuniæ, quæ solebat dari Imperatoribus, pro obtinenda licentia ordinandi Pontificem, licèt expectandum esset eius decretum, vt secundùm eius iussionem fieret ordinatio; quod tamen postea etiam relaxauit, vt diximus, Benedicto II.

Tertiò tandem ab ipsismet summis Pontificibus supradictum ius aliquibus Imperatoribus collatum fuisse legitur, ab Adriano Papa I. Carolo Magno, ob pulsos Italia Longobardos, aliaque plura Ecclesiæ Romanæ præstita ab eo beneficia, vt refert Gratianus in cap. Adrianus; cui tamen priuilegio Ludouicus Pius Caroli successor renunciauit, ex eodem Gratiano in cap. Ego Ludouicus. Vnde vsque ad Leonem VIII. circa annum Domini 964. libera vti antea mansit electio Romanorum Pontificum, ab illo enim Otho I. Imperator denuò illud idem ius impetrauit; vt habetur cap. in Synodo 63. distinct. sed huic etiam renunciasse in eadem distinctione refer-

fertur. Posteà totaliter illud abrogauit Gregorius VII. multis clarus miraculis circa annum Domini 1073. Indeque summi Pontifices absque tali Imperatorum assensu, electi, & consecrati fuerunt, atque etiamnum in dies eliguntur, & consecrantur. De qua materia vide Boetium Eponem Heroicar. quæst. lib. 1. Solùm aduerto, quòd vbi Pontifices aliquod priuilegium Imperatoribus concessisse legimus, illud non fuit ius eligendi, loquendo rigorosè de actu electionis, quasi ipsi per se, aut per alium suffragium ferrent, aut cum Clero ferre possent, sed ius tantùm aliquòd approbandi electionem factam, illiue assentiendi, non ita tamen, quòd sine tali approbatione, vel assensu valida, ac legitima non esset electio, quia vt habetur in cap. cùm vna de elect. non prohibetur mixtis electionibus quin Regis requiratur assensus; non propterea tamen electionem impediri.

V. Conclusio, Verisimilius est, quòd Christus Dominus talem potestatem summis Pontificibus, saltem ordinariam non concesserit, vt antecessor eligere, vel designare posset successorem; in hac re licèt diuisi sint inter se Doctores Catholici, vt videre est apud Azorium tomo 2. lib. 4. cap. 5. Suaresium in tomo de fide disputat. 10. sect. 4. Ioannem à S. Thoma ibidem in tractatu de auctoritate summi Pontificis disput. 2. artic. 1. nihilominùs communior, magisque certa est sententia in conclusione à nobis expressa.

Probatur primò ex traditione, & vsu Ecclesiæ, secundùm quem ipsa semper summos elegit Pontifices à temporibus Apostolorum, numquam verò successor ab antecessore designatus est, nisi semel à Bonifacio II. circa annum Domini 531. qui congregata Romæ Synodo Vigilium Diaconum sibi ordinauit successorem, ob eam fortè causam, vt nullo vacantis Sedis loco relicto, eriperet è Gothorum Regum manibus, quam sibi vsurpauerant in electione summorum Pontificum auctoritatem; verùm eodem anno coacto altero Romæ Concilio, ipsemet talem electionem velut illegitimam, & sacris canonibus contrariam irritauit, & rescidit; ipsumque constitutum, siue decretum præsente Clero, & Senatu, incendio consumpsit: Quod certè validissimum est pro nostra conclusione argumentum.

Nec illi quidquam obstat factum D. Petri, quem referunt designasse Clementem pro suo immediato successore, quidquid enim sit de immediata successione Clementis D. Petro in Pontificatum, quam affirmant aliqui, negant alij, de qua videri potest ad copiam Cardinalis Baronius ad annum Christi 69. tomo 1. Annalium; dictum factum facili negotio potest intelligi, non quasi Petrus ordinarit, aut elegerit Clementem in suum successorem, sed tantùm Christianis, quid de eo sentiret, ante obitum commendatitiè declararit. Cùm enim D. Matthiam, qui multos suæ dignitatis collegas erat habiturus, absque consensu fratrum eligere noluerit, ne inquit Chrysostomus homil. 3. in acta, [cui videretur gratificari,] certo quasi argumento est, Clementem, qui solus absque consorte modo Monarchico Ecclesiam erat gubernaturus, ab eo realiter non fuisse electum, sed hoc Ecclesiæ iudicio reliquisse, ita tamen, vt quam de eius sanctitate, gubernandique peritia opinionem conceperat, fratribus ante mortem significare voluerit. Sunt etiam multi, qui factum Petri de ordinatione intelligant, ita vt idem sit Petrum tradidisse Pontificarum Clementi, ac ipsum ordinasse. Totaliter autem ruit, si cum opinione probabiliori, quæque ex Canone Missæ manifestè colligitur, asseratur Clementem D. Petro non successisse immediatè, sed Linum, deindè Cletum, quos non tantùm Petri coadiutores eo Roma absente fuisse, sed etiam veros Pontifices Romanos, concors tum veterum, tum modernorum Doctorum sententia est.

Secundò probatur nostra conclusio quia actus eligendi Summum Pontificem per se loquendo est actus illum non supponens, cum sit actus illius factiuus quantum est ex se; Igitur per se loquendo non debuit competere Summo Pontifici, nec illi à Christo Domino concedi, sed Ecclesiæ, quæ manet mortuo, & non existente Papa. Sicut hoc ipsum quasi iure Gentium videtur introductum, vt in omni Republica, vel Regno, quod suos creat Principes, aut Reges, potestas electiua non sit in principe antecessore, sed in his, qui manent eo iam mortuo, & non existente, alioquin si princeps antecessor designaret successorem; non tam ad propagationem pertineret quemadmodum accidit in illis, qui in principatibus, aut regnis iure generationis succedunt. Vnde hoc ipso quod Christus Dominus Summorum Pontificum successionem hæreditario iure instituere noluit, censetur potestatem electiuam concessisse Ecclesiæ, quæ sede vacante manet, non autem Pontifici antecessor.

Tertiò probatur posse quidem Summum Pontificem assumere coadiutorem, eumque commendare, vt statim diximus, non autem sibi successorem designare; sic enim facilè posset quis nepotem, vel consanguineum, aut affinem, & familiarem eligere; & ita carni, ac sanguini prospicere potiùs, quàm bono vniuersali prouidere; atque adeò in Ecclesia cum maximo eius dispendio dici illud Psalmistæ, Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei.

Ex hac nostra conclusione, eiusque probationibus infertur primò, cum illis auctoribus, qui eam absolutè sequuntur, ita Summum Pontificem habere ius dirigendi, vel præscribendi modum in electione Pontificia seruandum ex statim dicendis, vt tamen introducere non possit in Ecclesia pro ordinaria eligendi forma, quod prædecessor eligat successorem, nec alias similes, quæ in Ecclesiæ perniciem manifestè vergerent; vndè si hoc tentaret, nec valeret, neque obseruandum esset; ex suppositione enim iuris diuini, quodque Christus talem Summo Pontifici ordinariam potestatem contulerit, Ecclesiæ verò in aliquo casu extraordinario, quasi ex iure naturali, seu potiùs connaturali sequitur eum posse talem dumtaxat statuere modum, qui iustus sit, & in Ecclesiæ ædificationem, non autem in ruinam.

Infertur secundò, cur in conclusione dixerim Christum Dominum talem Summis Pontificibus auctoritatem non dedisse saltem ordina-

dinariam, vt prædecessor eligere posset successorem, eò quod in aliquo raro, & extraordinario casu quid fieri posset, non parua est difficultas inter Doctores; Suarez enim in tractatu de fide disput. 10. sect. 4. affirmat vrgente grauissima aliqua Ecclesiæ necessitate, posse Pontificem iusta, legitimaque auctoritate designare sibi successorem. Negat autem Ioannes à Sancto Thoma 22. in tractatu de Summo Pontifice disput. 2. art. 1. existimans nullam dari posse causam tàm vrgentem, quæ iustificare posset, vt illa actio ab electoribus ordinarijs extraheretur, & deuolueretur ad solum Pontificem; aut in qua ab eo sufficienter prouideri non posset necessitati occurrenti, vel immutando formam electionis, vel alios electores instituendo, iuxta sibi concessam à Christo hac in re auctoritatem, vt mox dicemus, si, qui tunc essent, electores ordinarij, iniustè ob aliquam persecutionem à suo munere impedirentur.

Nihilominus quia hæc sententia procedere videtur negando hypothesim vrgentissimæ alicuius necessitatis, in cuius tantùm casu versatur proposita difficultas; nos in illo loquendo putamus valdè probabile esse cum Victoria relect. 2. de potestate Papæ, & Suarez loco superiùs citato, tunc ipsum Papam vti posse eligendi facultate. Ratio est, quia licèt hæc potestas electiua Pontificis in Ecclesia sit de iure Diuino, subsequaturque necessariò ad illam voluntatem, qua supremi Pontificatus perpetuitatem Christus voluit; de facto tamen non est affixa, aut applicata ex ipso iure Diuino ad cæteras personas, certumque modum; quocirca id potest ab Ecclesia, vel à Pontifice mutari, aut variari secundùm quod maior vtilitas, vel necessitas Ecclesiæ postulauerit; Igitur quemadmodum, ex hoc, quod dictus modus eligendi successorem, alijque similes in Ecclesiæ ruinam vergunt, à Summo Pontifice ordinariè institui nequeunt; ita vbi in aliquo casu extraordinario talis modus ex vrgentissima aliqua causa, si daretur; ad maiorem Ecclesiæ vtilitatem certò conduceret; nihil impediret quominùs Summus Pontifex illo vti posset, ne Deus Ecclesiæ in necessarijs defuisse videretur. Nec mirum quod hanc potestatem ita Christus Dominus concesserit; qui etiam ita solis Episcopis ordinariam conferendi Sacramentum Confirmationis auctoritatem tribuit, vt tamen extraordinario iure, & ex Summi Pontificis concessione simplex quoque Sacerdos illud administrare possit; vti patet ex Concilio Florentino, in Decreto de Armenis; & Tridentino sess. 7. Can. 3. de Confirmat. & ses. 23. de Sacramento Ordinis cap. 4. & Can. 7. Vide Patrem Dianam decima parte in tractatu de hac materia.

Obijciet aliquis, & dicet Summum Pontificem non solùm in casu vrgentissimæ necessitatis, si daretur, sed etiam absolutè posse, si vellet, designare successorem; quandoquidem omnes modi eligendi sua secum ferunt inconuenientia, & ex isto non videntur maiora sequi, quàm ex alio, quo nunc à multis eligitur, qui cum etiam homines sint, pro misera hominum conditione, plerùmque potiùs inordinatis affectibus suis, quàm maiori Dei gloria ducuntur; & aliqui proprium commodum magis, quàm publicum attendentes ad amicos, & álios, qui sunt eiusdem regionis inclinantur, non autem ad digniores, magisque idoneos; vnde aliqua inter electores dissidia sæpe oriri, & contingere videmus.

Respondetur ad hoc argumentum negando primam propositionem assumptam; ad cuius probationem dicimus rectè Christum noluisse concedere Summis Pontificibus ordinariam potestatem sibi designandi successorem, nec eos illam sibi assumere posse, quia tam per se, quàm per accidens maiora, & plura ex tali modo electionis consequuntur inconuenientia in Ecclesiæ præiudicium, quàm ex illo, quo fit ab Ecclesia; qui nulla secundùm se, sed aliqua tantùm per accidens, siue ex parte eligentium habet; quibus adhuc Deus tamquam medijs vtitur ad concludendam electionem, quæ sibi placet, quamque ab æterno prædefiniuit; quod sic declaro. Certè si quis peteret, quinam modus eligendi Summum Pontificem videatur pessimus, statim responderetur, vbi proprij, priuatique commodi sola habetur consideratio; quia cum eligendus sit totius orbis Christiani supremus Pastor, & Pater, ad commune illius bonum præsertim talis electio referri debet; & tamen si iterum quæreretur, quis modus sit optimus, responderi quoque posset, proprij commodi, sed à Deo bene regulati intentio, cùm enim, vt statim dicebam, agatur de communis omnium fidelium Pastoris electione, talis debet designari persona, de qua spes sit, quod paternè diliget, & afficietur erga omnes fideles, nullamque orbis partem à paterna sua sollicitudine sit exclusurus; Hoc autem consequitur Deus, vbi etiam inter electores ex priuati boni, priuatique commodi desiderio aliqua nascuntur dissidia; quia dum singuli electores hoc fine student viam præcludere ad Pontificatum illis, quos consanguineis nimiùm affectos, vni nationi magis, quàm alteri addictos, sibiue contrarios existimant; efficitur, vt partialibus, si qui sint exclusis, communis omnium pater eligatur. Nec mirum quod ita res se habeat, talique medio concludat Deus aliquando electionem quæ sibi magis placet; cùm sæpissimè intentio Dei, & intentio hominum in eodem tamen effectu producendo diuersissima sint; veluti Deus voluit passionem Christi bona, rectaque intentione, Iudæi autem pessima; & ea vsus est ad faciendum, quod ipse intendebat bonum, vt docet D. Thomas 3. parte.

VI. Conclusio, quamuis ex dictis Summus Pontifex in se non habeat ordinariam potestatem eligendi successorem; illam tamen habet determinandi modum, secundùm quem eius electio ab alijs fieri debet; vnde potest regulare, & dirigere illam electionem, non autem eligere. In hac conclusione tamquam certissima conueniunt omnes Theologi, quamuis Cardinalis Caietanus in tract. 2. Apologiæ pro auctoritate Papæ, alijs terminis illam explicet, nimitùm potestatem electiuam Papæ non esse in illo quasi formaliter, ita vt possit esse elector successoris, sed tantùm quasi eminenter, & regulariuè, quia modum in illa electione tenendum præscribere potest,

potest. Sicut ad artem superiorem, & architectonicam pertinet inferiorem dirigere, non tamen opera inferioris exequi.

Probatur primò, quia modus eligendi Pontificem, qui nunc est, quique semper fuit in Ecclesia, præcipuè fundatur in legibus, & statutis ipsorum Pontificum; Igitur in hac re, & similibus, cum potissimùm attendendum sit ad Ecclesiæ praxim, vel vsum, dicendum est præfatam potestatem spectare ad Summum Pontificem; consequentia est certa, si antecedens est verum; vnde probatur adducendo textus, vbi id à varijs Pontificibus determinatum fuisse legitur: in capite in nomine dist. 33. & cap. 1. distinct. 77. & cap. licèt de elect. & cap. vbi eodem titulo in 6. & Clementina ne Romani de elect. alijsque pluribus, quæ affert Gratianus dist. 63. & dist. 34. Iulius etiam II. ex Caietano loco statim citato, alijque plures statuta ediderunt de electione Pontificis; nunc in vsu est illud Gregorij XV. felicis recordationis, vbi tres eius præscribit modos. Primus est, qui quasi per inspirationem vocetur, quando scilicet omnes DD. Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem vnanimiter, & viua voce Pontificem proclamant. Secundus modus est per compromissum, quandò scilicet Cardinales ad electionem per hanc formam, seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, vt vice omnium Ecclesiæ Catholicæ prouiderent de Pastore. Tertius tandem modus est, qui vocatur per scrutinium, vel per scrutinium & accessum. Quorum omnium trium eligendi modorum praxim, & regulas vnicuique proprias latè prosequitur præfatus Papa, tàm in Decreto de electione Summi Pontificis Romani, quàm in Cæremoniali ab eodem edito pro vsu talis electionis. Iuxta quas ritè obseruatas legitima, & Canonica Summi Pontificis electio ita fieri potest, vt tamen magis ordinarius, & vsitatus sit tertius modus, qui fit per viam scrutinij, vel scrutinij, & accessus, per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclaui præsentium. Quem suffragiorum numerum, ita esse computandum voluit Gregorius XV. vt in duabus tertię partibus suffragium electi minimè numeretur, nec quisquam, siue scrutinij, siue scrutinij & accessus, siue compromissi via procedatur, se ipsum eligere, seu suffragium sibi dare vllatenus possit: Electi tamen persona, si in conclaui sit, debeat in numerum Cardinalium computari. Cætera vide in præfatis Bullis Gregorij XV.

Secundò probatur, quia vt iam notauimus superiori conclusione, & infra magis declarabitur, potestas electiua Pontificis ita fuit à Christo Domino immediatè Ecclesiæ collata, vt tamen ipse modum eius non præscripserit, nec etiam de iure Diuino fuerit affixa determinatis personis v. g. Episcopis aut alijs: Igitur ad supremam in Ecclesia, qualis est Pontificia, auctoritatem pertinebat determinare istam applicationem, posseq; illam mutare, & variare, secundùm quod maior Ecclesiæ vtilitas, vel necessitas exactura erat. Antecedens patet ex dictis, probatur consequens, eo quod potestas superior, quæque respicit vniuersaliorem finem, debet habere subiectam potestatem minus vniuersalem, vt illam dirigat; sed potestas Pontificia à Christo in Ecclesia instituta, est omnium suprema, quæque respicit vniuersalissimum finem, omnem videlicèt vtilitatem, aut necessitatem vniuersalis Ecclesiæ; Ergo ad illam pertinere debebat directio potestatis electiuæ Summi Pontificis, quæ pro vtilitate ac necessitate Ecclesiæ ipsi à Christo collata est; siue talis potestas ita est de iure Diuino Ecclesiæ absolutè commissa, vt tamen esset dependens, & regulabilis, seu dirigibilis à suprema Papę auctoritate, præscribendo modum illius, illamque applicando istis, vel istis personis, sicut viderit meliùs expedire, supposito quod Christus Dominus talia per se pręstare noluerit, sicut multa alia sunt in Ecclesia de iure Diuino absolutè, & in communi quæ determinantur, & applicantur in speciali per potestatem Papæ, & Ecclesiæ.

Tertiò si solus Pontifex pro sua suprema, & vniuersalissima in Ecclesia auctoritate non posset modum electionis Pontificię pręscribere, hoc deberet pertinere ad vniuersalem Ecclesiam, seu Concilium Generale, præter illud enim alia non datur legitima potestas, cui possit tribui; At licèt aliqui modi talis electionis firmati fuerint, & acceptati in Concilijs Generalibus, duobus videlicèt Lateranensibus sub Nicolao Secundo, & Alexandro Tertio Lugdunensi sub Gregorio Decimo Viennensi sub Clemente Quinto; nihilominùs à solis Summis Pontificibus sine vllo Concilij Generalis interuentu, statuti fuerunt, & independenter ab illo suam semper vim habuerunt, aliàs vix posset saluari legitima, & Canonica Summorum Pontificum successio ab initio Ecclesię vsque ad hoc tempus, quandoquidem per tot annorum seriem, nihil penitùs de hac re statutum, aut ordinatum reperitur in Concilijs Generalibus; Signum est ergo manifestum iam à principio pertinuisse ad Summos Pontifices vt propria auctoritate præscriberent modum in electione Pontificia seruandum, qui pro ratione, aut necessitate temporum retentus fuerit, vel eadem auctoritate mutatus, tandemque permanserit is qui nunc ex Decreto Gregorij XV. viget in Ecclesia. Non negamus tamen, quin Summus Pontifex vnà cum Concilio non posset præfatum electionis modum præscribere, quod enim se solo in regimine Ecclesiæ præstare potest, id à fortiori dicendum est eum valere cum Concilio Generali, in quo vnà cum ipso residet tota Ecclesiasticæ potestatis plenitudo, non tamen vice versa in Concilio sine Pontifice.

Obijcitur primò si præfata potestas ad solùm Pontificem spectaret, sequeretur eum posse eligere successorem sibi, & statuere, vt omnes in posterum idem pręstarent; si quidem vnus ex modis, quibus persona Pontificis eligi potest, est vt ab antecessore designetur, posset insuper talem electionem committere solis laicis, & sic de alijs modis, ut autem primum supra reiecimus tamquam absurdum, ita, & iste secundus, alijque similes non videntur minoribus inconuenientibus obnoxij.

Respondetur ad hoc argumentum; illud quoque fieri posse contra quemcumque alium

à Summo Pontifice habentem præfatam potestatem, v. g. si esset penes Episcopos, aut alios, supposito quod forma. vel electionis, modus non sit iuris diuini, Sed positiui, in ædificationem enim, & vtilitatem Ecclesiæ potest quicumque habens supremam in illa auctoritatem mutare omne ius positiuum: Quemadmodum ergo si talis potestas fuisset alicui alteri à Summo Pontifice concessa à Christo, posset ille formam electionis præscribere, & vbi opus esset mutare numquam tamen in Ecclesiæ perniciem, ita de facto Summus Pontifex illa gaudens, potest idem præstare, sine vllo tamen Ecclesiæ damno, sicut accideret, si statueret, quod prędecessor ordinariè successorem eligeret. vt diximus, sique electionem committeret solis laicis, vnde licèt modo quarta conclusione declarato non sit extra potestatem Summi Pontificis ad electionem illius laicos admittere; eam tamen illis totaliter committi non posse firmiter tenendum est.

In hac itaque materia pro regula habendum, posse quidem Summum Pontificem mutare modum, & formam electionis: semper tamen iuxta suam potestatem, & iuxta subiectam materiam, scilicèt præbendo formam Ecclesiæ, & quasi regulando, vel dirigendo architectonicè electionem: non tamen ab Ecclesia eam extrahendo, vel vt eam sibi arroget, vel vt eam laicis committat, aut etiam sortibus, cum enim hoc tamquam illicitum semper ab Ecclesia explosum fuerit, & improbatum, Extrauag. de sortileg. cap. in Ecclesia, probabiliùs etiam puto Summum Pontificem præcipere non posse, quod electio Pontificia saltem ordinariè, per sortes fiat. Hoc enim esset tentare Deum, & absq; necessitate per viam extraordinariam expectare; quod humana prudentia, & consilio multò securius, & conuenientius potest obtineri. si quidem sors cæca est, & periculosa æquè ineptis, ac idoneis contingens; quæque propterea multa mala in Ecclesiam, si introduceretur, aduerteret. Quod autem de præfatis modis dictum est, idem penitùs asseri debet, de omnibus alijs, qui in manifestum Ecclesiæ damnum, aut incommodum vergerent, ac proindè non omnem eligendi modum à Summo Pontifice mutari, aut determinari posse, sed illum dumtaxat, qui Ecclesiæ conueniat, ita vt Ecclesia eligat, illo tamen adhuc, vel illo modo, qui non in ruinam, sed in ædificationem ipsius ordinetur.

Obijcitur secundò, si solus Papa haberet auctoritatem prescribendi formam, vel modum electionis Pontificiæ, sequeretur, quod à Concilio Generali sine ipso id præstari non posset, at hoc videtur esse inconueniens saltem in aliquo casu grauis, & vrgentis necessitatis: Ergo &c.

Huius argumenti solutio petit, vt breuiter examinemus, an præfata potestas ita priuatiuè competat soli Summo Pontifici, aut ipsi cum Concilio Generali, vt nulli alteri, neque etiam Concilio Generali sine Papa tribui possit.

Pro cuius rei explicatione. & resolutione dico, ita spectare ad solam Sedem Apostolicam ius ordinarium præscribendi formam electionis Pontificiæ, vt in aliquibus tamen casibus extraordinariè alijs competat. Primò in eo casu, quo nihil de tali forma statutum esset, & Sedes vacaret, dictum ius deuolueretur, non ad vniuersam Ecclesiam, seu fideles omnes, vt contendunt aliqui non ad Clerum Romanum, vt volunt alij, sed ad omnes Ecclesiæ Episcopos; seu Concilium Generale. Probatur prima pars, tùm quia impossibile est, quod tota Ecclesia secundùm omnes suas partes congregari posset, vt dictum modum statueret, tùm etiam quia non omnes partes, aut Ecclesiæ membra, cuiusmodi sunt Laici, pueri, & feminæ dicti iuris capaces sunt. Secunda, & tertia pars colligitur, ex eo, quòd præfata potestas dirigendi electionem Pontificiam, vel prouidendo de electoribus, vel de modo eligendi, ordinario iure residet in Summo Pontifice, non propter ipsum, sed tamquam, quid à Christo Domino concessum, & ordinatum ad Ecclesiæ vniuersalis beneficium, ac vtilitatem. Eo igitur in casu, quo Summus Pontifex nihil de hoc disposuisset, & interim sedes vacaret; talis potestas deuolui non posset ad Clerum Romanum præcisè, sed ad omnes Ecclesiæ Episcopos, siue ad vniuersam Ecclesiam non entitatiuè sumptam, & vt dicit collectionem omnium fidelium, sed repræsentatiuè, hoc est secundum principales partes ad illam regendam positas, quales sunt omnes Ecclesiæ Episcopi, iuxta id quod dicit Paulus Actor. 20. In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

Secundò vbi vacante Sede Concilium Generale censeret expedire ad Ecclesiæ vtilitatem, aut necessitatem mutare in aliquo electionis formam, V. g. quod Cardinales non eligerent: aut soli non eligerent, id quoque præstare posse communiter docent Theologi & Canonistæ. Et de facto in Concilio Constantiensi statutum fuit, vt pro illa vice non soli eligerent Cardinales, eademque ratione posset etiam ordinari, quod alij ab illis tali fungerentur munere, vt si Cardinales essent hæretici, aut magnum schisma rationabiliter timeretur ex eo, quod ipsi eligerent. Huius ratio est, quia potestas eligendi Summum Pontificem non pertinet ad Dominos Cardinales: nec ad alios quoscumque de iure diuino. Et si enim talis potestas in Ecclesia sit de iure diuino, vt iam sæpiùs aduertimus; de facto tamen non est applicata, aut affixa eodem iure ad certas personas, vel dignitates in Ecclesia, sed iure dumtaxat humano, quatenùs Summus Pontifex, cui, vt vidimus, subest hęc potestas electiua quantùm ad directionem, illam commisit Dominis Cardinalibus; Ergo non existente Papa pertinere debet ad Concilium Generale Ecclesiam repræsentans, supremamque tunc illius curam habens, quod illi prouideat secundum necessitatum occurrentium grauitatem, aut vrgentiam de electoribus legitimis, & qui legitimum caput eligant, ita vt si id expedire cognouerit, non solùm possit Cardinalium numero nouos electores adiungere, vt in præfato Concilio factum est, verùm etiam ab illis eligendi potestatem auferre, & eam alijs committere.

Ex quibus omnibus patet responsio ad argumentum, hanc videlicèt potestatem di-

re-

rectiuam electionis Pontificiæ, ita iure ordinariò soli inesse Pontifici, vt tamen eo non existente deuolui possit extraordinariè ad Ecclesiam, quæ repræsentatiuè, & auctoritatiuè est in Concilio Generali; nec non ea vti, vbi ita ad maius bonum, & vtilitatem suam conuenire indicauerit.

VII. Conclusio, Collata est à Christo Domino Ecclesiæ potestas eligendi nouum Pontificem mortuo prædecessore, in hac conclusione tamquam de fide concordare debent omnes catholici, sequitur enim manifestè ad ipsam Christi institutionem, qua perpetuam in Ecclesia Summorum Pontificum successionem esse voluit, cum enim per carnalem propagationem, vel generationem, sicut in lege veteri, non fiat, sed per electionem, cuius etiam facultatem nec sibi Christus Dominus retinuit, nec principibus sæcularibus commisit, nec ipsimet Summo Pontifici, ita vt ordinariè successorem designare posset, superest de primo ad vltimum, quod illam Ecclesiæ contulerit, siuè immediatè, siue mediante potestate coucessa D. Petro, in qua virtualiter continebatur potestas collata Ecclesiæ, ad prouidendum sibi de pastore, cuius rei manifestum est argumentum ipsa Ecclesiæ traditio; quæ cùm à temporibus Apostolorum semper vsa sit huiusmodi potestate eligendi Pontificem, procul dubio credidit eam sibi fuisse à Christo commissam, vel immediatè; vel tamquam quid necessariò, & connaturaliter subsequens ad Institutionem supremi Ponificatus, vsque ad consummationem sæculi, quòd etiam sufficit, vt talis potestas electiua dicatur esse de iure diuino, sicut sigillum confessionis, licèt non inueniatur expresè, & specialiter à Christo determinatum, de iure tamen diuino est: quia connaturaliter, ac necessariò consequitur ad institutionem fori Sacramentalis, quod est super omne forum humanum.

Quia autem hæc potestas electiua Ecclesiæ collata, ita est de iure diuino, vt tamen ipsi non conueniat entitatiuæ sumptæ, hoc est secundùm collectionem omnium fidelium, sed tantùm secundùm partes à Summo Pontifice designabiles, quatenus, vt diximus superiori conclusione ad ipsum pertinet, pro suprema; quam habet in Ecclesia auctoritate, determinare, aut applicare præfatam potestatem ad certas personas, aut dignitates in Ecclesia, illius capaces, videndum est quænam sint illæ, pro cuius explicatione fit in ordine.

VIII. Conclusio, Concilium Generale non habet ius ordinarium eligendi Summum Pontificem; in hac conclusione conueniunt omnes Theologi, & Canonistæ, nullibi enim reperitur tale ius illi fuisse concessum tùm ob difficultatem, immò impossibilitatem congregandi Generalia Concilia, quotiès Sedes Pontificia vacaret, tùm etiam, quia si quando congregaretur, aut iam congregatum aliquod reperiretur, non esset expediens, quod totum simul eligeret propter multitudinem eorum, qui ad Concilium conuenire solent. Et hoc demonstratiuè colligi videtur tam ex facto Concilij Constantiensis, quàm Lateranensis vltimi. In primo enim, cum tractaretur de depositione trium Pontificum, & de tollendo schismate, nouoque eligendo Papa, ad electionem tamen non processit, quamvis ibi de hoc valdè disputatum fuerit, vt testatur Azorius tomo 2. lib. 4. cap. 5. sed eam commisit tum Cardinalibus, tum alijs sex adiunctis Electoribus de qualibet natione, idque de consensu Cardinalium. Similiter in Concilio Lateranensi vltimo, cùm de eo durante per mortem Iulij II. sedes vacaret, dicti Concilij Patres non se immiscuerunt electioni noui Pontificis.

Hoc igitur cùm certum sit inter Doctores Catholicos loquendo de iure ordinario, vel, vt alij dicunt, quando vacat Sedes per obitum, aut renunciationem Pontificis; dubium est, an in aliquibus casibus extraordinarijs Concilium Generale illo vti possit; v. gr. quando Concilium, ob hæresim priuatam, deponeret Papam, an ad ipsum noua alterius electio spectaret? aut quando nullus Cardinalium esset superstes, qui posset eligere, aut magnum aliquod schisma timeretur, si ipsi eligerent. Circa primum casum communiter etiam Theologi, & Canonistæ sentiunt non posse Concilium per se eligere Papam, præsertim ab illo tempore, quo præfatum ius eligendi Pontificem solis Cardinalibus commissum est auctoritate Summi Pontificis, vt mox dicemus. Primùm enim, cum tale ius absolutè, & sine vlla distinctione tributum illis fuerit; quocumque modo Sedem Pontificiam vacare contingat, siue per obitum, siue per renunciationem, siue per depositionem: dicendum est, eos semper habere ius eligendi; quandoquidem iura in hoc non distinguunt, sed in casu vacationis Sedis absolutè loquuntur. Deinde nullus spoliandus est iure proprio sine culpa, maximè quando tale ius collatum est à suprema potestate, cuiusmodi est Pontificia respectu Concilij. Igitur quamdiu ex parte Dominorum Cardinalium non est aliquis defectus, nullumque ex electione ab ipsis facienda damnum timetur, ab ea excludi non debent à Concilio Generali, etiam in casu, quo Pontificem deponere teneretur.

Circa secundum casum maior est difficultas, maiorque etiam Doctorum Catholicorum inter se dissensio, quidam enim existimant, nullo superstite Cardinale, tunc electionem pertinere ad Clerum Romanum, & propriè ad Canonicos Ecclesiæ Lateranensis, quæ est propria Episcopi Romani; ità Cardinalis Turrecremata, Ludouicus Romanus, & Cardinalis Albanus quæst. 25. tractatus de Cardinalibus. Alij verò censent tam in hoc casu mortis omnium Cardinalium, quàm in tertio, quo magnum timeretur damnum, ex eo quod ipsi eligerent, tunc illud ius deuolui ad Concilium Generale; cui etiam sententiæ fauere videtur Suarez in tomo de fide disputat. 10. sect. 4. num. 17. vbi docet in casu, quo Pontifex nihil statuisset de modo eligendi successorem, deuolui ad Episcopos, seu Concilium Generale ius eligendi. Tandem alij docent ad illud quidem pertinere ius prouidendi de Electoribus, & de modo eligendi, non autem ius eligendi: ità Ioannes à sancto Thoma 22. tract. de auctoritate Summi Pontificis disput. 2. art. 1. in fine. Quæ sententia videtur mihi probabilior, præsertim ex facto

Concilij Constantiensis, quod non elegit Pontificem, vt putant aliqui, sed propter sedandum totaliter damnosissimum schisma, quo Ecclesia laborabat, decreuit de consensu Cardinalium, vt illa vice dumtaxat ad eligendum Summum Pontificem Romanum sex Prælati, vel aliæ honorabiles personæ de qualibet natione ipsis Cardinalibus adiungerentur. Quibus omnibus eadem Synodus eligendi Romanum Pontificem, secundùm formam hîc expressam, quatenus opus est, tribuit potestatē. Igitur quemadmodum ibi statutum fuit ex illa sedandi schismatis grauissima causa, vt pro illa vice non soli eligerent Domini Cardinales: ità in illo casu, quo vel nullus eorum superstes reperiretur, vel omnes essent Hæretici, vel ex ipsorum electione magnum aliquod schisma, aut aliud simile malum rationabiliter timeretur, posset quoque Concilium Generale tunc congregatum, vel congregandum, non quidem eligere, sed ordinare, quod alij Clerici loco Cardinalium eligerent. Sicut enim supra diximus eligendi potestatem non esse formaliter in Summo Pontifice, sed solùm eminenter, siue auctoritatiuè, quatenus formam electionis regulat, non autem executiuè; ità proportionaliter discurrere debemus de Concilio Generali, quando Sede vacante, in dictis casibus, aut alijs similibus, eadem potestas ad illud deuolueretur.

IX. Conclusio, ab ipso Ecclesiæ exordio potestas electiua, siue ius eligendi Romanum Pontificem extitit primariò, & directè in Clero Ecclesiæ Romanæ, præsertim in principalioribus Clericis, qui Cardinales dicuntur. Hæc pariter conclusio certa est inter Theologos, & Canonistas. Primò enim constat ex ipsa traditione Ecclesiæ, quæ præsertim iure canonico explicata est à Nicolao II. circa annum Domini 1059. cap. in nomine Domini distinct. 23. vbi sic habetur: [In primis Cardinales Episcopi diligentissimè simul de Pontificis electione consulent. Mox Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus, & populus ad consensionem nouæ electionis accedat.] Ab Alexandro III. circa annum Domini 1180. cap. licèt, de electione; à Gregorio X. circa annum Domini 1274. cap. vbi periculum.

Secundò, apud sanctum Cyprianum habentur epistolæ Cleri Romani ipsi scribentis Sede vacante, quibus pro corpore totius Ecclesiæ, cuius per varias Prouincias membra subiecta sunt, excubare se dicit, quod non scriberet, nisi ad ipsum spectaret electio supremi Capitis, quod vniuersam gubernaret Ecclesiam. Idem colligitur ex eodem Cypriano lib. 4. epist. 2. vbi de electione Cornelij loquitur, & Eusebio lib. 6. histor. cap. 21. dùm de Fabiano scribit: atque etiam Damaso in Pontificali, vel potiùs Anastasio Bibliothecario.

Tertiò probatur, quia cùm Summus Pontifex, modo superiori capite explicato, simul sit Episcopus Romanus, non immeritò Clericis Romanæ Ecclesiæ, præsertim Cardinalibus, potestas eum eligendi præ omnibus alijs quasi per se, & directè tradita fuit; siquidem in qualibet Ecclesia deficiente Episcopo, electio spectat ad Clerum quasi iure naturali, sicut ad Principes Reipublicæ attinet Principis electio, quando deest successor; indeque fuit, quod quamuis, præter Clerum Romanum, cuius Cardinales primi semper fuere Clerici, aliquando admissi sint alij ad electionem Pontificiam, numquam tamen Clerus Romanus exclusus est ab electione, ita vt alijs sine ipso ipso data sit potestas eligendi Romanum Pontificem. Quo circa Cardinalis Caietanus in comment. super Acta Apostolorum cap. 8. rectè etiam notauit, aliud esse, quod Cardinales eligant, & aliud, quod soli eligant; quod enim soli eligant competit eis ex priuilegio, quod verò eligant sua veluti natura; quia, vt statim dicebam, sunt primi Clerici Romani, & ad Clerum Romanum suaptè natura conuenit electio Romani Episcopi.

Quod autem in præfato Nicolai II. decreto habeatur, populum ad consensionem nouæ electionis accedere debere; non ità intelligendum est, quasi populus olim ministros Ecclesiæ propriè eligeret, aut ius aliquod spirituale illis conferret, vt perperam, & sine vllo penitùs fundamento asserit Caluinus libro 4. instit. cap. 3. & 4. sed quod vbi canonica tam Summi Pontificis, quàm aliorum Episcoporum fiebat electio à Clero, præsentatio, seu potiùs vitæ probitatis testificatio penès populum esset.

Cùm enim in Summo Pontifice, alijsque Ecclesiæ Ministris tria potissimùm desiderentur, fidei integritas, doctrinæ sufficientia, & vitæ probitas; ad huius tertij certitudinem populi Christiani testimonia postulabantur, immò etiam ipsorum Infidelium: prioris enim ad Timoth. cap. 3. vult Apostolus Episcopum testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt, quod expressè in Concilio Carthaginensi declaratur: [Non fuit frustra à Patribus institutum, vt de electione eorum, qui ad tegimen Altaris adhibendi sunt, consulatur & populus, quia de vita, & moribus præsentandi, quod nonnumquam ignoratur à paucis, scitur à pluribus.] [Cui consentit Cyprianus lib. 1. epist. 3. [Ex Diuina auctoritate descendit, vt Sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus, atque idoneus publico iudicio comprobetur.] Idemque reperit epist. 4. eiusdem libri: [Vt plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prędicentur.] Et Diuus Leo epist. 77. [Sacerdos Ecclesiæ præfuturus, non solùm attestatione Fidelium, sed etiam illorum, qui foris sunt, testimonijs muniatur, neque vllius scandali relinquatur occasio.] Hic ergo viguit mos in antiqua Ecclesia per annos mille, & amplius, vt scilicet coram populo sæpè sæpiùs ità petente, & testimonium de vitæ probitate ferente, electio Romani Pontificis fieret à Clero Romano.

Notandum est tamen hunc populi consensum tam ad Romani Pontificis, quàm ad aliorum Episcoporum electionem olim requisitum, non ita fuisse necessarium, quin Summi Pontifices potuerint pro suæ potestatis plenitudine modum hunc legitimè immutare, & hanc electionem, ad normam, quæ nunc viget, redigere. Primùm, quia nonnumquam reiectus est, aut saltem pro nihilo habitus talis populi consensus, quinimmò si contigisset populum ab electione facta per Clerum

rum dissentire, vim habere non desinebat Pontificalis, vel Episcopalis electio; idque ex 36. canone Apostolorum: [Si quis Episcopus electus, aut Presbyter, aut Diaconus, non fuerit à populo illius loci admissus, idque non sua culpa, sed populi vitio, ipse quidem maneat Episcopus, &c. Clerici verò illius Ciuitatis, qui non fuerint correctores populi inobedientis excommunicentur.] Et in Concilio Antiocheno canone 18. [Episcopus reluctante plebe ordinatus honorem Episcopalem retinere iubetur.] Secundò, quia popularis iste consensus, non iure Diuino, sed politiæ causa olim in Ecclesiam introductus est, vt populi Pontificem, & Episcopum, quem elegissent, seu potiùs in cuius electionem consensissent, ardentiùs diligerent, eique promptiùs obedirent,& præterea ad probatæ vitæ testificationem, vt statim diximus; igitur ea ratione, qua politiam pro ratione temporum, locorum, atque personarum, quotidiè mutari videmus, asserendum est quoque talem populi consensum ad eligendum Pontificem in primitiua Ecclesia desideratum, non ita fuisse necessarium, quin auferri potuerit. Quicquid Caluinus dicat lib.4 instit. cap.3.& 4. vbi expressè docet Ecclesiæ Ministrorum, atque adeò Romani Pontificis electionem, non solùm à Magistratu, sed à tota etiam plebe, suffragijsque omnium, vel saltem plurium fieri debere; idque ex Apostolorum,& veteris Ecclesiæ instituto; qua eligendi formula, cùm Ecclesia Romana careat, nullam ampliùs in ea veram Ministrorum vocationem extare contendit præfatus Hæresiarcha: verùm hanc hæresim facilè est explodere ex dictis, ac de eâ potest consuli Albertus Pighius lib.1. de Ecclesiastica Hierarchia cap.12. & 16.

X. Conclusio, conuenientissimè iam ad Cardinales, tamquam ad sacrum Ecclesiæ Senatum totæ hæc electionis Pontificiæ auctoritas delata est. Hanc conclusionem primò probat præsens Ecclesiæ praxis, felixque illius exitus; nam ab eo tempore, quo hic eligendi modus in Ecclesia obseruari cœpit, paucissima inueniuntur schisma, sunt qui primam illius originē referant ad Nicolaum II. meliùs tamen alij ad Alexandrum III.in Concilio Generali Oecumenico 11. Lateranensi, & ad Gregorium X. in Concilio Generali 14. Oecumenico Lugdunensi 2. si sermo sit de solis Cardinalibus, cæteris è Clero Romano exclusis, quem vnà cum Cardinalibus ad electionem Pontificiam admitti statuerat Nicolaus II. iuxta antiquam Ecclesiæ traditionem, & vsum, vt superiori conclusione ostendimus. Primus igitur Alexander III. in præfato Concilio Lateranensi decreuit, vt non haberetur Pontifex Romanus, qui non à duabus tertijs partibus Cardinalium esset electus; inde enim satis constat eos deinceps futuros esse solos Pontificis electores, Gregorius autem X. cùm post mortem sui prædecessoris Clementis IV. duobus annis, nouemque mensibus Sedes vacasset, vt tanto malo opportunè prouideret, inter alia digna hoc etiam constituit, vt scilicet Cardinales omnes post Pontificis mortem in vnum locum & conuenirent, & clauderentur, clausique non priùs, quàm Pontificem elegissent, exirent. Qui locus vulgò Conclaue dicitur: idque semper ab eo tempore seruatum est; cùm antea solùm in congregationem Cardinales se recipiebant mane, & de Pontificis electione tractabant. Id autem vel in Laterani, vel in sancti Petri Ecclesia fiebat, si Romæ Pontifex decessisset: quod si extra Romam mors accidisset, in Ecclesia Cathedrali loci, vel in proximiori Maiori Ecclesia Cardinales congregabantur. Vide Panuinum in annot. ad Platinam in vita Gregorij X.

Secundò probatur conuenientia huius eligendi modi, quia per illum vitantur infiniti tumultus, aliaque plura incommoda, quæ eligentium multitudo, popularesque consensus causare solent, vt ex ijs, quæ in simili casu aliquandò contigerunt, videre licet, præsertim in electionibus Damasi, & Bonifacij II. Cononis, Sergij, Pauli I. & Constantini Romanorum Pontificum, ex Platina, & Ciacconio in vitis eorumdem Pontificum, nec non ex Cardinali Baronio in Annalibus. Extat etiam Gregorij Nazianzeni in oratione funebri patris sui, & Chrysostomi libro 3. contra hos populares tumultus, qui in electionibus Episcoporum, plerumque contingebant, querela grauissima. Vndè si in primitiua Ecclesia, quod tunc temporis pauci essent Christiani, & omnes admodum pij, nullisque passionibus, & cupiditatibus præpediti, propter rationes superiori conclusione allatas, aliquo modo vtile, & optabile erat, vt audiretur populus, eiusque consensus expectaretur in Episcoporum, Summorumque etiam Pontificum electionibus, postea successu temporis, deficiente pietate, & abundante iniquitate, cùm detrimento potiùs, quàm vtilitati cœpit esse talis populorum consensus, conuenientissimè Summi Pontifices pro suæ potestatis in hac re plenitudine illum abrogarunt, Pontificumque electionem ad eam, quæ nunc viget, formulam redegerunt.

His ita explicatis, quæ ad electionis Pontificiæ naturam, & causas pertinent; finalem, cuius est determinare, seu designare singularem personam, cuius supremus Ecclesiæ primatus conferatur; formalem, consistentem in varijs modis illam designandi ab habente auctoritatem præscriptis; efficientem, cuius est tales modos præscribere, deinde secundùm illos Pontificem designare, ac illi tandem ritè electo Pontificiam potestatem conferre, superest vt vltimo loco de eius causa materiali breuiter aliquid attingamus, hoc est de personis eligibilibus, deinde de aliquibus ad earum electionem consequentibus.

Igitur, vt quis in Pontificem eligatur debet esse sacris Ordinibus, vel Cardinalitia dignitate initiatus, ex constitutione Stephani Papæ IV. apud Cardin. Baronium to.9. anno Christi 769. Cùm enim Paulo I.eius nominis Papa mortuo; per simoniam, & vim Regis Longobardorum, quidam Constantinus, ex laico mox sacris ordinibus initiatus, in Pontificatum intrusus fuisset, annumque vnum illum tenuisset; indè factum vt Cleri Romani & populi id indignè ferentium suffragio, Constantino isto amoto, legitimè eligeretur Stephanus Papa, eius nominis IV. qui non

multò

multò post conuocauit Concilium Romam ad Lateranum, in quo inter alia sancitum est, ne deinceps quisquam Laicorum, neque ex alio ordine, nisi per distinctos gradus ascendens, Diaconus, aut Presbyter factus fuerit Cardinalis, ad sacrum Pontificatus ordinem præsumatur promoueri; vt habetur cap. Nullus cum alijs dist.79.

Cæterùm licèt oporteat eligendum in Papam esse Clericum, sacrisque ordinibus initiatum, non tamen debet esse necessariò de numero Cardinalium, quomodo plerosque Pontifices electos dicit Sotus, qui non fuerunt Cardinales; & Suarez loco superiùs citato docet, si aliquis extra Collegium Cardinalium legitimè eligeretur, electionem fore ratam, & firmam, quia non apparet, quo iure, ita reuocata sit electio passiua ad personas Cardinalium, vt aliàs nulla esset habenda. Quia tamen ij, qui in Collegium Cardinalium adsciscuntur, plerumque sunt viri eruditione, & omnigena scientia, rerumque Ecclesiasticarum vsu illustres, idcircò iure meritò ex illorum Collegio semper eligi solent.

Quod spectat ad impedimenta eligendi, & electi Papæ I. nulla alia sunt impedimenta naturalia, & diuina, quàm communia Clericorum ordinandorum, cùm ex statim dictis oporteat Papam esse Clericum. Secundò eligendum Papam impedit inordinata eius electio, in qua videlicet obseruatæ non essent constitutiones ad illam præscriptæ. At Papę legitimè semel, & canonicè electo, nullum posse crimen obijci, quo electio fiat irrita, ne quidem hæresim, licèt propter illam accusari possit, docet Lancellotus templo omn. Iud. lib.2. cap. 2. §. 2. de quo redibit sermo capite sequenti in fine.

Tandem quod aliqui hæretici asserunt, electum non fieri verum Papam, nisi sit vir probus, eo quod Christus Dominus Pontificatum Petro collaturus ter illum interrogauit an se diligeret, alij verò, nisi sit prædestinatus, eademque ratione addere possent, nisi sit doctus, ac denique habeat cætera omnia, quæ necessaria sunt illi muneri perfectè obeundo; est omninò falsum, & in Concilio Constantiensi tamquam hæresis condemnatum: Etsi enim optabile esset, quòd omnes electi semper tales euaderent, ideoque Christus Petrum rogauit, an se amaret, vt Pastores intelligerent, quales ab eis oportet eligi, vt Augustinus ait de Agone Christiano c. 30. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio, & Leo Papa serm.3. de Assumptione sua; nihilominus Pontificiam dignitatem fundare noluit in charitate, tamquam necessario fundamento, sed ad illam conferendam solùm requisiuit, quòd persona simpliciter capax illius, legitimè priùs eligeretur, siue digna esset; siue non. Et vt omittam plures huius rei rationes, videlicet, quòd in electionibus merè humanis electores nequeunt insufficientiam alterius hominis electi supplere instar Dei, qui per prauum, vel indoctum Pontificem potest, si velit, æquè bene prouidere cunctis Ecclesię necessitatibus, ac per alium quantumlibet dotibus ornatum. Item quòd Deus ob maius Ecclesiæ commodum, ita statuit, atque exequitur, quia multò esset maius Ecclesiæ damnum carere sæpiùs vero capite, semperque posse dubitare de illo, si præfatæ requireretur conditiones, quàm certò habere interdum infirmum, minùsque dignum: Tandem quia certò constare potest, quando ne homo confirmat electionem, vel præsentationem, in Deo autem constare non posset absque speciali reuelatione (quam non oportuit iugem esse in Ecclesia) si præter ea, quæ ad validam, & legitimam Summi Pontificis electionem sunt simpliciter necessaria, desideraretur insuper dignitas à probitate vitæ, ac doctrinæ præstantia desumpta, vt illi Deus Pontificiam dignitatem conferret; præter has ergo rationes breuiter insinuatas.

Omnium optima videtur mihi esse illa, quòd in collatione potestatis Pontificiæ personæ legitimè electæ, non operatur Christus Dominus secundùm merita illius, vel dignitatis subiecti, quia non se habet, vt distributor, vel dispensator talis beneficij, aut potestatis, qui enim procedit secundùm actum distributionis iustitiæ debet attendere ad merita, & dignitatem subiecti, nec non iuxta illa conferre, vel non conferre beneficium, sed se habet vt primus auctor, & institutor illius potestatis, qui per legem suam determinauit, quod infallibiliter, validèque conferatur cuicumque legitimè designato in successorem Petri: aliud autem, est spectare validitatem actus, aliud distributionem iustitiæ, quòd enim aliquis actus validus sit; vel aliqua potestas validè collata; non pendet ex dignitate, vel indignitate subiecti quasi morali, vt communiter docent Theologi, & patet in impressione Characteris Sacramentalis, & in actibus illius, qui validè fieri possunt, quamuis subiectum sit indignissimum, sed sufficit quòd subiectum sit capax huiusmodi actuum, vel collationis. Sic ergo vt collatio Pontificiæ dignitatis validè fiat, Christus Dominus non respicit ad aliquam electi dignitatem, sed ad hoc præcisè quòd sit capax, legitimèque electus, quemadmodum hoc ipso, quod quis accedit ad Sacramentum, recipit characterem, quantumuis indignè accedat, sic enim expediebat ad conueniens Ecclesiæ regimen, alioquin essent omnia confusa, perpetuisque dubijs obnoxia, si tàm ad validam collationem characteris, vel auctoritatis Pontificię, quàm aliorum, si quæ sint similium collationem requireretur, moralis dignitas in subiecto. At verò qui confert beneficium tamquam distributor, & vt exercens actum iustitiæ distributiuæ, & non præcisè, vt attendens validitatem actus, debet illud conferre iuxta merita subiecti, & consequenter supponere in illo dignitatem moralem sicut etiam Deus ipse in conferendis pręmijs, aut pœnis, quia se habet vt distributor iustitiæ, dat vnicuique iuxta opera eius. Nunc autem non est sermo de tali collatione sed de illa, quæ præcisè requirit alias conditiones, vt quis validè, & legitimè in Summum Pontificem eligi possit.

Summus Pontifex legitimè semel, & canonicè electus nulla indiget confirmatione, cùm non agnoscat in terris superiorem, sed immediatè à Christo Domino suam accipiat potestatem, qui Petrum, & illius successores Ecclesiæ Pastores, suosque in ea Vicarios esse

vo-

voluit. Attamen si is, qui in Pontificem electus est, Episcopus non fuerit, primùm consecratur ante altare Sancti Petri ab Episcopo Cardinali Ostiensi, qui ob id pallij vsum, quod Archiepiscoporum insigne est, habet, inunctio autem, seu Chrismatis delibutio fit in capite Pontificis, ad designandum ipsum esse Christi Vicarium. Si verò; qui Pontifex creatur, iam ante Episcopus erat, nulla pro noua potestate ab eo recipienda, consecratio fieri debet. Aliud est enim id, quod includit potestas Pontificia absolutè, aliud id, quod addit supra potestatem Episcopalem, & consequenter potestatem ordinis Episcopalis, quæ in charactere consistit, supra hanc autem potestatem Episcopalem non addit aliam potestatem ordinis maiorem, aut perfectiorem, aut alium Characterem, sed solùm ampliorem potestatem iurisdictionis, sicut esse Archiepiscopum, aut Primatem, non addit maiorem potestatem ordinis, aut characterem distinctum à charactere Episcopali, sed solùm maiorem iurisdictionem, vt rectè docet Diuus Thomas in additionibus quæst.40. art.6. ad 3. vbi ostendit, quòd omnes Episcopi in potestate ordinis sunt æquales, & propterea, quemlibet Episcopum posse consecrare alium Episcopum. Igitur vbi Pontifex electus, iam præsupponitur Episcopus, noua indiget consecratione, cùm supra Episcopalem characterem, nouus Papæ character non imprimatur pro dignitate Pontificali, sed extendatur solùm, & amplietur iurisdictio, in qua superat omnes Episcopos; ad cuius etiam collationem non requiritur noua aliqua actio physica, sicut in effectibus sacramentalibus, sed censetur illi conferri in virtute illius primæ voluntatis, qua Christus Dominus talem potestatem dedit Petro, & omnibus successoribus.

Maior difficultas est, si eligatur in Summum Pontificem ille, qui non est ordinatus in Presbyterum, vel consecratus in Episcopum, quomodò recipiat potestatem à Christo; cùm enim non habeat potestatem ordinis sine qua non potest dari potestas iurisdictionis, sicut qui non habet ordinem Sacerdotij, nõ potest habere iurisdictionem ad absoluendum; saltem in tali casu, quo designatur in Pontificem non ordinatus, videtur sequi, quòd non recipiat immediatè à Christo iurisdictionem, & consequenter neque Pontificiam auctoritatem, gratis enim diceretur illius collationem suspendi, donec consecraretur.

Respondetur ad hanc difficultatem, & ad argumentum in casu illius fundatum; quòd quando quis eligeretur in Papam, qui non esset ordinatus in Presbyterum, vel consecratus in Episcopum, tunc reciperet solùm à Christo potestatem iurisdictionis quasi gubernatiuam Ecclesiæ, non autem iurisdictionem quasi Sacramentalem, quæ fundatur in potestate ordinis, quæque requiritur ad conficienda Sacramenta, sed illam solùm susciperet, cum ordinis collatione. Vnde rectè Doctor Angelicus in additionibus qu.19. artic.3. distinguit duplicem clauem, vnam quæ immediatè se extendit ad ipsum cœlum, quia potest remouere impedimenta introitus illius, & hæc est clauis ordinis solis Sacerdotibus competens; alia est, quæ non mediatè se extendit ad ipsum cœlum, ad tollendam culpam, sed ad ea, quæ spectant ad consortium Ecclesiæ Militantis, per quam aliquis vadit ad cœlum, & hæc dicitur clauis iurisdictionis in foro causarum. Et hanc secundam clauem, seu iurisdictionem etiam non Sacerdotes recipere possunt, vt patet, quia possunt excommunicare, & ligare, illamque tamquam ordinaria gaudent electi in Episcopos, etiam antequam consecrentur, & ex commissione legati, si Sacerdotes non fuerint, vt ibidem docet Diuus Thomas, nec non quæst. 26. artic. 2. Hanc igitur potestatem iurisdictionis, vt diximus, recipit electus in Pontificem, in tota sua plenitudine etiam antequam consecretur, vt expresè determinatur cap. in nomine distinct.23. At aliam potestatem clauis ordinis, quæque ordinatur ad Sacramenta conficienda, recipit solùm per Sacramentum ordinis, vel consecrationem Episcopalem.

Electioni denique, & consecrationi Summi Pontificis, vbi illa opus fuerit, succedit coronatio, deinde coronatus Pontifex Lateranensis Ecclesiæ, cuius est in vrbe Episcopus, possessionem nanciscitur. De ritibus autem, & pompa, quæ in Pontificis creatione, coronatione, alijsque eò spectantibus peragi solent, extat peculiare rituale, vel cæremoniale, ad quod curiosus lector, qui plura scire voluerit, recurrere poterit, solùm aduerto necessitatis tempore, posse vnctionem, & coronationem, sicut & electionem Pontificiam, extra vrbē fieri; electumq; Papam habere, vt mox diximus, omnem potestatem iurisdictionis, antequam vngatur, & coronetur.

Vltimo tamdem loco, vt quid dicam de tempore, quod est medium inter mortem vnius Pontificis, & successionem alterius, notandum est, Ecclesiam quidem essentialiter esse vnam, non tamen eo modo quo Sol est vnus, aliæque res permanentes, neque enim caput illius visibile, cæteraque membra semper eadem numero manent; sed dicitur vna sicut regnum, aut flumen, aliæque res successiuæ. Ad quam vnitatem cum requiratur solùm partes formaliter easdem manere, vt esse Sacerdotes, Episcopos, supremum aliquod caput, eamdem fidem, eadem Sacramenta, sacrificia, & cæremonias, quæ formam, & naturam Ecclesiæ constituunt: ita consequenter hæc omnia formaliter, & essentialiter, siue in genere considerata, sunt ab illa inseparabilia, debetque semper in ea remanere ordo, & habitudo ad ipsum caput, tamquam aliquid ad se essentialiter pertinens, ne vnitas Monarchiæ Ecclesiasticæ à Christo institutæ pereat, vt tamen absque aliquo in particulari & purè materialiter considerato possit ipsa subsistere, vt satis constat exemplis adductis regnorum, fluminum, cæterarumque rerum successiuarum. Sic Primatus Romani Pontificis duplicem veluti habet existentiam: vnam formalem in regno Christi, cuius est pars formalis, & ideò nec ab illo, nec consequenter à vera Ecclesia separari potest, aliam habet veluti materialem, siue in persona, cui singulariter confertur; & hæc existentia summopere variabilis est, quia modò in vna, modò in alia persona reperitur, aliquando etiam in nulla, tempore videlicet medio inter mortem

tem vnius Pontificis, & successionem alterius quod à Gentilibus inter regnum vocatur, à Catholicis autem vacatio Sedis, quia per mortem vnius Pontificis non cessat, sed vacat solummodò Cathedra Romana; idest sine Antistite est, vsque ad noui Pontificis electionem.

Hoc autem tempus vacationis Sedis Apostolicæ, aliquando est breue, aliquando longum, nec mirum, quia in re tanti momenti, & in qua agitur de supremo Ecclesiæ Monarcha eligendo; in qua sunt multi electores, & ex diuersis nationibus, ac genijs; in qua difficile est repetire personam numeris omnibus absolutam, cui tanta dignitas deferatur, non videtur ita facilè breui semper tempore perfici posse, vnirique electorum animos ad vnam singularem personam ex multis eligendam. Longior tamen vacatio numquam visa est, quàm post obitum Clementis IV. quæ durauit per duos annos, & aliquot menses, quibus tædio affecti Cardinales tamdem in hanc deuenere sententiam, vt accito S. Bonauentura, quem ipse eligeret, probarent. Fecit ille, & Theobaldum genere Placentinum, Eburonum Archidiaconum, absentem tamen nominauit. Cuius electionem Cardinales omnes probantes, ipsum Gregorium X. salutarunt. Genebrardus quidem post Marcellini Martyrium, septem annos vacationis recenset, sed sub dubio, & ex quorumdam sententia, aliqui enim in Pontificali Romano sub nomine Damasi, pro septem mensibus, septem annos legerunt; quam falsitatem fusè detegit Cardinalis Baronius tom.2.Annalium ad annum 304.

Porrò cùm præceptum habendi in Ecclesia Pontificem, ita sit affirmatiuum, vt in illo tamen aliquid negatiui contineatur, ne videlicet Ecclesia Pastore destituatur, & etiam quia vbi vacat Sedes, aliquo modo in statu imperfecto versatur, frequentibusque, & repentinis periculis obnoxia esse potest; indè existimo electores in conscientia teneri quàmprimùm procedere ad electionem noui Pontificis, post Conclauis ingressum.

CAPVT X.

Vtrùm sit de fide, quod hic numero Pontifex Clemens Nonus. quem tota Ecclesia tamquàm legitimè electum agnoscit, & recipit, sit verè Pontifex, & totius Ecclesiæ caput.

AD fidem pertinere capite 6. ostendimus, quod supremus Monarcha sit Ecclesiæ essentialis, ideòque semper aliquis Diuo Petro in eodem suprema, Christo tamen subordinata Ecclesiam regendi potestate successerit: Et capite 7. Quod verus, ac legitimus Diui Petri successor in tali regimine, sit solus Pontifex Romanus canonicè electus; in quo differt successio aliorum Episcoporum, & Romani, quia de alijs non est de fide, quòd succedant Apostolis, licèt ex historijs id colligatur, ad illam verò spectat, Episcopum Romanum canonicè electum, tam in Episcopatu Romano, quàm in suprema Ecclesiæ potestate illi coniuncta, Diuo Petro successisse (quidquid sit, an illa coniunctio iure diuino, id est, ex speciali ordinatione, & lege Christi facta sit, nec ne, quod salua fide inter Doctores Catholicos disputatur) vt habetur ex traditione Ecclesiæ, Summorum Pontificum, Conciliorumque definitionibus, nec non ex ipsamet scriptura implicitè, tùm in communi, quia ibi Christo Domino tradente Diuo Petro, tam pro ipso, quàm pro successoribus dictam potestatem, vt ostendimus, implicitè continetur applicatio, & coniunctio eiusdem potestatis cum successione illius, quæ de facto futura erat, quamque Christus præsciebat, atque adeò in illis verbis eam sine dubio intelligebat; quocirca Ecclesia viso posteà facto Petri, habuit sufficiens fundamentum, vt ex illis verbis Christi Domini talem successionem, quæ nunc est, inclusam crederet, tùm in speciali ex illo loco 1.Petri cap.5. [Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coelecta,] nam ex dictis cap.5. per Babylonem Roma intelligitur, quam dum coelectam appellat, satis significat Petrus Ecclesiam Romanam electam esse à se, & consortem esse electionis suæ, quod referri non potest, nisi ad designationem successionis suæ. Ibi autem legendum esse, coelecta, non autem collecta; primùm patet, quia sic emendatum est in Biblijs correctis; secundò quia Eusebius lib.2.histor.cap.14.verba Petri referens sic illa scribit: [Salutat vos Ecclesia nostra electionis consors, quæ est Babylon,] Et Cardinalis Caietanus eadem verba explicans, [in Babylone collecta,] sic enim ipse legit, dicta fuisse docet, [pro in Babylone simul electa] quamuis ea ad alium à nostro sensum transferat, quod, inquit, dicitur [simul electa,] alias Ecclesias respicit. Significatur enim quòd non sola, sed simùl cum alijs Ecclesijs est electa, quod est pars electorum. Vnde ex hac scripturæ auctoritate probabile dumtaxat argumentum desumi potest iuxta sensum à nobis adductum, pro intenta veritate, quàm alias certa fide tenendam esse docet Ecclesiæ traditio.

Igitur cùm duo præfata ad fidem pertineant, nunc iterum quæritur, an eadem etiam constet verum Pontificem visibilem esse in indiuiduo, & determinatè, siue quod idem est, quod hic numero Pontifex, v.g. Clemens IX. quem tota Ecclesia tamquàm legitimè electum agnoscit, & recipit, sit verè Pontifex, & totius Ecclesiæ caput, ita vt non solùm credamus esse in Ecclesia vnum summum caput, quod Romæ suam sedem habeat, sed etiam esse hunc hominem, siue hunc numero Pontificem, quem oculis cernimus, eo proportionali modo, quo superiori sectione diximus de Ecclesia, oportere, non solùm in confuso illam esse creditam, verùm etiam determinatè, & in indiuiduo, hanc esse, vel illam, quam oculis cernimus.

Circa quam difficultatem, quò apud veteres pauciora reperiuntur in terminis, quibus modo disputatur, eò celebrior facta est his temporibus, varijsque argumentis agitata. Consentientibus enim omnibus Doctoribus Catholicis, practicè, & moraliter esse certissimum, hunc vel illum numero Pontificem,

quem

quem Ecclesia pro vero, nullo interueniente dissensu, semel proposuit, & acceptauit, esse verum, ac legitimum Pontificem, totiusque Ecclesiæ caput; adeò vt, qui id negaret, non solùm vt valdè temerarius, & scandalosus, sed etiam vt suspectus de hæresi, imò vt errans contra fidem puniri posset; quatenus stante tali consensu vniuersalis Ecclesiæ, quæ in causa facti generalis, & ad generalem statum omnium fidelium pertinentis, qualis est vera, & canonica electio Pontificis errare non potest, ille talis præsumi posset, vniuersalem hanc propositionem negare, eum videlicet, qui est legitimè electus, esse Vicarium Christi, & Petri successorem, quod qui negat, sine dubio est hæreticus. Cum, inquam, Catholici omnes in hoc conueniant, an tamen id absolutè sit de fide, duæ sunt illorum sententiæ, prima negans, altera affirmans, pro quarum intelligentia, nec non resolutione probabilioris.

Obseruandum est primò, dari veluti duplicem Summorum Pontificum electionem, vnam particularem, quæ fit à Dominis Cardinalibus iuxta præscriptas à Summis Pontificibus regulas; alteram verò vniuersalem, quæ fit ab ipsamet Ecclesia vniuersali pacificè acceptando priorem electionem à Cardinalibus factam, & consequenter personam ad Summum Pontificatum per illam designatam. Hæc est autem differentia inter vtramque electionem, siue inter electionem factam ab Eminentissimis Cardinalibus, & pacificam illius acceptationem ab Ecclesia vniuersali, quod ista secunda sit semper quoad nos infallibilis, supposito semel, quod hunc hominem esse ritè electum, & canonicè factum caput Ecclesiæ, sit materia ex se determinabilis de fide ab Ecclesia; secus autem primam, quam vitiosam, ac dubiam esse posse manifestè colligitur ex Concilio Constantiensi sessione 39. vbi dum determinat, quod iudicare de electione dubia ad ipsum Concilium pertinet, satis supponit posse dari electionem dubiam, aut vitiosam, de qua iudicare valeat, quamvis etiam ex parte eligentium inhabilitas censuræ non possit illi opponi; siquidem ad euitanda schismata, necnon quantùm fieri poterat electionis incertitudinem singulari priuilegio cautum est in Clementina ne Romani, §. Cæterùm, de electione; nullum Cardinalem prætextu alicuius censuræ repelli debere ab electione Pontificia; non desunt tamen multæ aliæ causæ, ob quas vitiosa, aut dubia reddi possit, tùm ex parte ipsius electionis, tùm ex parte personæ electæ, iuxta defectus, quos ipsa iura assignant.

Ratio discriminis allati est, quia ex Diuinis Scripturis, vt superiori sectione vidimus, Ecclesia in rebus ad fidem pertinentibus gaudet priuilegio infallibilitatis in credendo, quod sacrum non habet Cardinalium Collegium in eligendo; ergo supposito, quod hunc hominem esse ritè electum, & canonicè factum Ecclesiæ caput, sit de fide quoad se, vbi accedit ad hoc pacifica acceptatio, vniuersalisque Ecclesiæ consensus, sit etiam tale quoad nos, secùs autem per meram Cardinalium electionem; vnde totum præsentis difficultatis punctum in hoc consistere videtur, an præfata propositio quoad se pertineat ad fidem, atque adeò sit materia determinabilis de fide, quoad nos ab Ecclesia, siue per acceptationem vniuersalem pacificam, siue per definitionem Concilij, si oriatur aliquod dubium circa talem electionem.

Secundò, notandum est electionem ab Eminentissimis Cardinalibus factam duplici ex capite vitiosam, vel nullam esse posse; primò defectu conditionum indispensabiliter ad illam requisitarum, siue iuris Diuini, vt si eligeretur fœmina, & non vir, aut si eligeretur vir, sed non baptizatus; secundò defectu conditionum ad ius dumtaxat humanum positiuum spectantium, siue id oriatur ex malitia electorum, vt quando simoniacè eligunt, siue ex ignorantia, vt quando eligunt inhabilem: Hæc est autem differentia inter vtrumque vitium, aut nullitatem ex illis prouenientem, quod secundum auctoritate Ecclesiæ suppleri, ac sanari potest, non autem primum: Qua de causa, sicut supposito quod Ecclesia gaudeat priuilegio infallibilitatis in credendo. quodque propositio de qua agimus in præsenti sit de se pertinens ad fidem, vt declarabitur infra, non potest illa non esse quoad nos de fide accedente pacifica acceptatione vniuersalis Ecclesiæ, ita quoque omnes illæ conditiones ex parte personæ eligendæ requisitæ secundùm ius diuinum, quæq; auctoritate Ecclesiæ suppleri non possunt, redduntur necessariè secundùm consequentiam theologicã, quia habent connexionem per se cum veritate certa, & certificata per fidem; Indeque etiam illæ propositiones, [hic homo est baptizatus, vel est vir, aut est ordinatus,] loquendo de electo, & acceptato insuper ab Ecclesia vniuersali in Papam, quæ priùs absolutè sumptę, & secundùm se erant merè contingentes, aut antecedenter ad electionem Cardinalium notæ solùm certitudine morali, ob diligentias ab illis factas, ea iam absoluta, & acceptata, redduntur necessariæ, prout subsunt illi propositioni, [hic homo est verus Pontifex Clemens IX. quem tota Ecclesia tamquam legitimè electum agnoscit, & recipit est verè Pontifex, & totius Ecclesiæ caput.] Vnde satis patet, fidem non primò per se, vel immediatè versari circa ipsa requisita, aut qualitates in electione Pontificia indispensabiliter desideratas, & deindè circa ipsum electum, sed è contrà; secùs autem si sit sermo de certitudine morali earumdem conditionum, tam in ordine ad ipsam Cardinalium electionem, quàm ad ipsam Ecclesiæ acceptationem, respectu cuius, vt statim dicetur, se habent solùm tamquam conditiones; sicut in definitionibus Conciliorum, præuia inquisitio, aut disputatio circa propositiones definiendas; de talibus enim diligentijs habitis, cùm tunc non detur fides, sed moralis dumtaxat certitudo, facta tamen definitione, certò infertur per consequentiam Theologicam, eas definitionem præcessisse, supposito quod illam Deus huiusmodi diligentijs indispensabiliter annexam esse voluerit, vt esset quoad nos infallibilis.

Sequitur quoque circa præfatas conditiones in Pontifice eligendo necessarias, vt quod sit baptizatus, vel ordinatus, nullam ad hoc sciendum inquisitionem, aut aliam præuiam diligentiam adhiberi debere; & si enim

quando aliqua veritas immediatè in particulari definitur, circa illam præcedere debeat inquisitio; secùs tamen quando aliquid immediatè non definitur, sed tantùm se habet, vt quid necessariò connexum, cùm illo quod definitur immediatè. Quamobrem cùm in nostro casu veritas, quæ definitur, & acceptatur ab Ecclesia immediatè non sit, quod hic homo Clemens IX. sit baptizatus, aut ordinatus; satis enim constat nullam de hoc extare reuelationem; sed quod sit verè Pontifex, supremumque militantis Ecclesiæ caput visibile, hanc solùm præcedit inquisitio, in eoque potissimùm consistit, quod electores ad actum electionis sollicitè congregatos fuisse, & Pontificem ab illis designatum pacificè proponi Ecclesię tamquam canonicè electum, ab omnibus sciatur, hoc enim sufficit, vt Ecclesia vniuersaliter acceptet illum, & tali acceptatione facta reddatur de fide illa veritas, aliæ verò cum illa indispensabiliter coniunctæ, sicut eum esse baptizatum, vel ordinatum, habeant certitudinem consequentiæ Theologicæ.

At loquendo de alijs conditionibus, quę in electione Pontificia pertinent solùm ad ius positiuum, & quarum defectum consequenter Ecclesia sua potest auctoritate sanare, nec ante, nec post illius acceptationem, maior haberi potest certitudo de illis, quàm moralis; etiamsi certitudine fidei credatur hunc numero Pontificem esse verum Pontificem; quia cum hæ conditiones non sint indispensabiliter connexæ cùm hac veritate, sicut præcedentes; sed stante eorum defectu, & inde nullitate electionis factæ à Dominis Cardinalibus, possit Ecclesia sua acceptatione, quasi noua electione illam nullitatem sanare, possumus quidem post illam rectè inferre, hunc numero Pontificem esse verum Pontificem, nec non omnia alia cum hac veritate necessariò, & insupplebiliter coniuncta; non autem quod non sit simoniaca electio determinatè, aut quid simile; sed ad summum sub disiunctione certò constare potest, vel eam non esse simoniacam, si re vera talis non sit, vel si talis sit, illum ab Ecclesia defectum sanari, & suppleri, vbi talem electionem pacificè, nulloque interueniente dissidio ab illa videremus acceptari, nec non summum Pontificem electum. Cuius ratio est, quia impedimenta inducta de iure positiuo humano, & reddentia irritam electionem Summi Pontificis, sunt deriuata ex talibus legibus, quæ numquam loquuntur, nec possunt habere locum, nisi respectu illius primæ electionis, quæ externa specie, & in foro externo fit à Dominis Cardinalibus; quare licèt illa electio ex aliquo tali occulto impedimento nulla fuisset, adhuc sequitur alia electio nullo iure positiuo irritabilis, quam facit tota Ecclesia acceptando pacificè, vt supponimus, illum hominem electum pro vero Pontifice. Hæc enim acceptatio, quamuis fiat ex errore facti præcedenti, non est tamen conditionata, sed absoluta; meliùs quippe est Ecclesiæ habere pro Pontifice aliquem, qui fuerit inualidè electus, quàm ignoranter carere vero Pontifice, & eum pro tali venerari, qui reipsa non sit. Ea ferè ratione, qua superiori capite in fine diximus, Deum satiùs duxisse, ob maius Ecclesiæ bonum conferre Pontificiam dignitatem personæ simpliciter eius capaci legitimè electæ, vna, vel altera electione, siue digna sit, siue indigna, quàm soli dignæ; quia multò magis in Ecclesiæ damnum cederet, carere sæpiùs vero capite, semperque posse dubitare de illo, quàm habere interdum infirmum, & imbecille.

Enim verò si fuit expediens dominia rerum non esse in incerto, & in hunc finem inductæ sunt præscriptiones non solùm de iure ciuili, sed aliquæ etiam longissimi temporis de iure gentium, & naturali, per quas dependenter ab errore fit dominus rerum ille, qui anteà non erat dominus; multò magis expediebat, non esse in incerto existentiam, & auctoritatem Vicarij Christi, atque adeò de iure diuino, & naturali esset, iuxtà potestatem ab eodem Christo Ecclesiæ commissam eligendi Summum Pontificem, vt quicumque bona ab ea fide acceptaretur pro tali, euaderet talis, etiamsi anteà non fuisset, dummodò habeat alias conditiones iuris diuini, quæ ex hypothesi infallibilitatis Ecclesiæ in rebus ad fidem spectantibus, non possunt non esse in acceptato semel ab ea aliquo pro vero Pontifice, vt diximus.

Et huc pertinet ratio, quæ adducitur in L. Barbarius, ff. de officio Prætoris, in qua declaratur, quod seruus electus ignoranter in Prætorem, & pro tali habitus, non solùm fecerit acta valida, sed fuerit etiam verus Prætor, quoniam Populus Romanus, qui eum pro tali habuit, potuit dispensare, & censetur voluisse. Quæ lex non est consideranda tamquam constitutio arbitraria, aut proueniens à potestate iuris Ciuilis, alioquin respexisset futura, & non præterita, super quibus illa decernit, sed tamquam interpretatio prudens, ac declaratio iuris naturalis: si quidem independenter ab omni constitutione positiua, censetur Populus Romanus habuisse in dicto casu illam voluntatem, quam expediebat eum habere. Ita ergò in casu de quo nos agimus, cùm penes totam Ecclesiam sit potestas prouidendi sibi de legitimo capite, ne remaneat acephala, quoties electores ordinarij, vel culpabiliter, vel inculpabiliter neque prouident, neque habent curam prouidendi in futurum, sicut contingit, quando eorum electio fuit irrita, & habetur pro rata, censetur Ecclesia eum eligere, quem acceptat, non obstantibus quibuscumque eius defectibus iuris positiui, quoniam ita expedit. Et quamuis Ecclesia acephala dispensare non valeat contra constitutiones præteritorum Pontificum, nihil refert, quoniam nulla constitutio inductiua alicuius impedimenti extenditur, vel ex mente, vel ex potestate constituentis in ordine ad talem casum, aut alios similes, quoniam de essentia legis, vel constitutionis validæ est, vt sit in bonum commune. Quo autem tempore incipiat ista acceptatio Ecclesiæ infra declarabitur.

Tertiò recolenda sunt ea omnia, quæ libro 1. huius operis sect. 3. cap. 2. diximus de certitudine Conclusionis Theologicæ, sine definitione Ecclesiæ, vel cum illa; nec non de differentia versante inter Conclusionem Theologicam deductam, & explicatam; vbi etiam assignauimus, & explicuimus regulas ad

ad iudicandum; quænam explicatio sit sufficiens, nec ne, ad hoc vt aliqua propositio sic explicata dicatur esse propositio de fide, vel non? Item ad memoriam reuocandi sunt termini sæpiùs in huius operis decursu vsurpati, & vsurpandi; alia, nimirum, esse obiecta de fide per se primò; alia autem per se secundò; vel quod idem est, alia esse de fide immediatè, & formaliter; alia mediatè tantùm, seu virtualiter; priora dicuntur, quæ lumine fidei, & per assensum illius immediatè attinguntur, tamquam immediatè reuelata à Deo; posteriora verò, quæ ex propositione de fide per illationem præcisè attinguntur, ideòque pertinent solùm ad lumen Theologicum, quod citato libro ostendimus esse purè illatiuum, ex his, quæ sunt de fide formaliter, tamquam ex suis principijs. Vnde esse per se primò de fide, vel per se secundò differunt in sacra doctrina, sicut principia, & conclusiones in alijs scientijs. Rursùs inter ipsas veritates, vel obiecta, quæ immediatè pertinent ad lumen fidei, est quædam differentia, & graduatio, quod quædam sunt de fide, quoad se tantùm, & non quoad nos; alia quoad se, & quoad nos; & quædam adhuc ex istis sunt de fide quoad omnes; quædam verò, quoad sapientes dumtaxat, vel quoad aliquos. Explicantur singuli termini; obiecta de fide quoad se tantùm, sunt omnes illæ veritates, quæ tam in verbo Dei scripto, quam tradito reuelatæ reperiuntur, de facto tamen ab Ecclesia fidelibus, vt credendæ non proponuntur; defectu cuius propositionis, siue quamdiu ab Ecclesia non definiuntur, Theologicis conclusionibus adnumerantur; cùm enim omnia quæ definit Ecclesia, præuijs tantùm diligentissimis disputationibus determinentur, priùs est quod sint conclusiones Theologicæ media disputatione illatæ, quàm de fide definitæ. Qua de causa peculiare est in doctrina sacra, quod ea, quæ sunt aliquando quoad nos puræ conclusiones, possint accedente Ecclesiæ definitione fieri eius principia.

Obiecta de fide quoad se, & quoad nos, sunt omnes illæ veritates, quæ ita fuerunt à Deo reuelatæ, vt insuper ab Ecclesia per definitionem nobis credendæ proponantur; quarum quædam dicuntur esse de fide, quoad omnes, quædam, quoad aliquos, seu, quoad Sapientes: quia tam ipsa reuelatio, per quam pertinent ad fidem, quàm ipsa definitio, per quam ad illam pertinere nobis declaratur, sunt ita quandoque expressæ, vt sine vlla prorsùs controuersia apud omnes doctores indubitatæ habeantur; exempli gratia: [Quod Deus sit Vnus, & Trinus; quod secunda Sanctissimæ Trinitatis persona in plenitudine temporum carnem nostram mortalem assumpserit;] & sic de alijs; at quia plerumque etiam cadit sub dubio, vel opinione, an res aliqua reuelata, sit sufficienter definita, nobisque proposita, nec ne? ideò possunt aliquando esse opiniones circa censuram alicuius propositionis, an sit erronea, vel non? quia quantumcumque propositio illa sit reuelata, aut definita, non tamen omninò clarè, & expressè constat apud omnes de hoc. Et propterea in aliquibus propositionibus accidit ipsas non solùm esse de fide, sed etiam reflexas earum; vt quod illæ sint de fide, esse etiam de fide, exempli gratia, Trinitas personarum in vnitate essentię, & Incarnatio secundę; ita sunt de fide, vt etiam ad fidem pertineat eas esse de fide; aliquando verò propositiones ipsę sunt de fide, non tamen earum reflexę, quia adhuc manet aliqua controuersia circa earum definitionem, aut reuelationem, an nimirum sufficienter in Sacris Scripturis, vel traditionibus contentę reperiantur. Et sic in præsenti controuertitur, an certa fide constet hunc hominem numero Clementem IX. esse verum Pontificem, & Ecclesiæ caput; vel quo gradu certitudinis id tenendum sit. Circa quod duæ sunt Catholicorum etiam doctorum sententiæ.

Prima negat absolutè certum esse fide diuina, & Catholica, hunc vel illum Pontificem esse verum, ac legitimum Christi Vicarium, quamuis eius sequaces inter se diuisi sint in assignando huic propositioni certitudinis gradu; aliqui enim, vt Castro lib. 1. aduersùs hæreses cap. 8. Magister Cano lib. 6. de locis capite vltimo; Bannes 22. quæst. 1. art. 10. maiorem illi tribuere non videntur, quàm moralem: quia veritas talis propositionis, pendet ab altera, quod si legitimè, vel canonicè electus, de qua maior certitudo, quàm moralis haberi non potest; qui verò maiorem illi tribuunt, reponunt inter conclusiones Theologicas controuersam propositionem, quatenus procedit ex vna de fide, nimirum, illum esse verum Pontificem, qui ritè, & canonicè fuit electus; & altera, vt aiunt, naturaliter nota, quod hic ritè, & canonicè sit electus; vnde necessariò sequitur, eum esse verum Pontificem. Secunda verò sententia docet huiusmodi propositionem esse de fide per se primò; ita Gregorius de Valentia 22. quæst. 1. punct. 7. §. 39. Suarez de fide disp. 10. de Summo Pontifice sect. 5. Cardinalis de Lugo disput. 1. de fide sect. 13. §. 6. Ioannes à S. Thoma 2. 2. tract. de Summo Pontifice disput. 2. artic. 2. alijque plures apud ipsos citati; nos tam pro dictarum sententiarum inter se conciliatione, quàm pro clariori, quantum poterit, huius operosæ difficultatis resolutione sequentes statuemus conclusiones.

I. Conclusio, de fide diuina est immediatè: quo ad se, hunc hominem Clementem IX. ritè electum, verum esse Pontificem, totiusque Ecclesiæ caput. Primum huius sententiæ fundamentum desumitur ex Concilio Constantiensi in damnatione errorum Vvicleffi, quæ habetur post sess. 45. & vltimam, vbi Martinus Papa V. ab hæreticis, qui reconciliationem petunt, nec non ab alijs de hæresi suspectis; vt probetur eorum fides, exigi præcipit inter alia; [Vtrùm credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit eius nomine proprio expresso, sit successor Beati Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.] Quæ verba non loquuntur de veritate illius propositionis in communi; [quod omnis canonicè electus est verus Summus Pontifex,] sed in particulari de eo, qui pro tempore est Pontifex, exprimendo nomen proprium v. g. Clementem IX. & de hoc cuius nomen exprimitur, iubet Martinus V. aut interrogetur suspectus in fide, an credat, quod talis sit, verus Petri successor ha-

habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei, at si huiusmodi propositio non esset de fide diuina immediatè, quo ad se, nec Summus Pontifex exigeret, nec etiam exigere posset actum fidei circa illam, nihil enim de fide credendum proponere potest, quod ad illam non pertinet vt satis constat. Igitur dicendum est præfatam propositionem de fide diuina esse immediatè quoad se.

Secunda ratio desumitur, ex hoc quod Summus Pontifex sit supremum Ecclesiæ caput, supremusque Monarcha, ergo sicut fide credimus ex dictis superiori sectione, hanc numero Ecclesiam, in qua sumus esse veram Christi Ecclesiam, ad eamdem quoque fidem pertinere debet, hunc numero hominem legitimè electum, cui tamquam capiti suo vnitur, verum esse Summum Pontificem. Antecedens est de fide; Summum, videlicet Pontificem supremum esse caput Ecclesiæ, supremumque Monarcham, consequentia ergo probatur, quia de essentia huius numero Ecclesiæ est, quod sit vnita, & coniuncta suo capiti pro tempore existenti, facta semel legitima ipsius electione, imò inde maximè pendet eius veritas: & vnitas, supposita Christi Institutione, quæ statum Ecclesiæ Monarchicum in perpetuum esse voluit. Ergo oportet quod sicut est de fide, hanc numero Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, ita etiam sit de fide, facta legitima electione, quæcumque sit illa, de qua statim: quod hic numero homo Clemens IX. feliciter regnans, cui tamquam capiti suo vnitur, sit verus Summus Pontifex, ista consequentia est certissima, supposita semel veritate antecedentis, quod nimirùm sit de essentia huius numero Ecclesiæ, quòd vniatur tamquam capiti huic numero Pontifici legitimè electo, quam sic probo, quia sicut ex hoc quod sit de essentia hominis: vt sic & veluti in abstracto rationalitas, indè manifestè sequitur, hanc quoque rationalitatem, siue rationalitatis partem, esse de essentia huius hominis v. g. Petri, ita similiter ex hoc, quod Christus Dominus voluerit statum Ecclesiæ Monarchicum esse, perpetuamque in eâ fore Summorum Pontificum successionem, inde quoque necessariò consequitur eum voluisse, quòd de essentia huius numero Ecclesiæ, in qua sumus, esset etiam hic numero Pontifex pro tempore existens legitimè electus, non enim sufficit, quòd Ecclesia subijciat se tamquam suo supremo capiti, cuicumque ritè electo in Pontificem; quasi in communi, sed alicui visibili capiti debet esse vnita, & subiecta non est autem visibile, nisi sit determinatum in particulari Deindè si certum non esset hunc numero Pontificem ritè electum, cuique Ecclesia hìc & nunc vnitur, esse verum Pontificem, qua ratione possemus dubitare de illo, possemus & de antecessore, atque adeo de tota retro seriè, indeque de veritate Episcoporum, qui ab his creati sunt, igitur ne totam certitudinem verę Ecclesiæ, & Hierarchici Ordinis, ruere dicamus. fatendum est esse de fide immediatè quoad se, hunc numero Pontificem ritè electum: verum esse Pontificem, quoad nos verò, vbi tota semel Ecclesia pacificè illum acceptaret.

Tertia ratio fundatur in hoc; quod hic numero Pontifex ritè electus; ita sit Ecclesiæ caput, vt simul etiam sit regula fidei, quarenus inter alia gaudet priuilegio infallibilitatis, in rebus ad illam spectantibus definiendis, igitur immediatè ad fidem pertinet hunc numero Pontificem legitimè electum verum esse Pontificem, Antecedens patebit ex dicendis infra, nunc probatur consequentia, quia quando aliquid est regula fidei non minùs credibile per fidem esse debet, quòd sit regula, quàm quod sit de fide, id quod determinatur vel regulatur per illam, sicut quando proponitur aliquis Scripturæ liber tamquam canonicus, quemadmodum est de fide totum id, quod in illo continetur, ita quoque est de fide, quod talis liber sit canonicus, & reuelatione Dei habitus, aliàs certi numquam esse possemus de rebus definitis, aut traditis in libro sacro, vt per se patet. Ergo si semel supponatur, quod hic numero Pontifex ritè electus sit regula fidei, in rebus ad illam pertinentibus definiendis, ad eamdem quoque fidem tamquam quid credibile per illam spectare debet, illum esse verum Pontificem. Hæc est solùm differentia inter librum canonicum, & Summum Pontificem, pro vt vnusquisque suo modo regula fidei dicitur, quod talis sit temporaliter solùm Summus Pontifex, ac dependenter ab aliquibus conditionibus temporalibus, quæ de nouo fiant. quæque reuelatæ cum non sint particulari, inde oritur ista dubitatio: ca certitudinem, qua tenetur de fide hunc numero hominem ritè electum, esse verum Pontificem, quæ dubitatio non versatur circa librum Canonicum, qui cum sit aliquid permanens, non indiget noua aliqua declaratione; semel ac ab Ecclesia pro authentico fidelibus propositus est, sicut indiget Summus Pontifex, quoniam ita postulat natura talis regulæ, quæ animata est, & pro tempore eligibilis, cæterum vbi talis accedit declaratio per electionem, & pacificam eius ab vniuersali Ecclesia acceptationem, certa nobis fide tenendum est hunc numero Pontificem, verum esse Pontificem, si quidem Ecclesia, cum sit columna, & firmamentum veritatis, errare non potest in acceptando, & proponendo pro animata fidei regula, illam, quæ talis non esset.

Quod huic rationi primò respondent aliqui, infallibilitatem in definiendo non conuenire Summo Pontifici, atque adeò quod sit animata fidei regula nullius est momenti, illa enim procedit ex suppositione huius veritatis quam infra probabimus. Attamen quia id certum multis non est, ac eumdem Pontificem esse supremum Ecclesiæ caput, in hoc enim tamquam in aliquo de fide conueniunt omnes Doctores Catholici, licèt aliqui eorum dubitent, an eadem fide constet illum gaudere priuilegio infallibilitatis in rebus fidei determinandis, secunda ratio in dignitate capitis fundata, videtur esse quoad nos magis efficax, quàm ista tertia, ad probationem nostræ conclusionis.

Secundò respondent alij, adhuc concesso, quod Summus Pontifex sit animata fidei regula; non indè sequi certitudine fidei credendum esse hunc numero Pontificem pro tempore existentem, verum esse Pontificem

sed

sed sufficere certitudinem moralem, cum Pontifex solùm se habeat, vt applicans, & proponens fidem, ex parte autem proponentis non videtur requiri maior certitudo, quàm moralis, vt patet in Ministris Euangelicis, quos non tenemur credere de fide, quòd sint legitimi Euangelij prædicatores.

Sed hæc quoque instantia, vel responsio vim nostræ rationis non eneruat, supposito semel quod Summus Pontifex sit animata fidei regula, hæc est enim differentia inter Summum Pontificem res fidei sua definitione credendas proponentem, & inter ministrum Euangelicum illas predicantem, quod iste non se habet tamquam regula determinatiua rerum fidei, sed vt minister dumtaxat intimans alijs, ea quæ credenda sunt, vndè nec tenemur credere ipsum esse verum, ac legitimum ministrum, nec illi, qui credunt rebus ab eo propositis mouentur ad hoc ex illius auctoritate, sed ex credibilitate eorum. quæ proponuntur, ita ct nisi sufficienter proponantur, talisque credibilitas eis innotescat, credere non teneantur. At verò Summus Pontifex, semel ac admittitur eum gaudere priuilegio infallibilitatis in rebus ad fidem pertinentibus, proponit illas credendas tam quam animata, fidei regula, vel supremus iudex determinans, quænam credenda sint, ita vt ex eius auctoritate obligentur fideles ad illa credenda, vnde necesse est, vt illi non morali solùm certitudine, cui absolutè falsum subesse potest, verùm etiam certitudine fidei credant, hunc numero Pontificem pro tempore existentem, ac Ecclesiam regentem, verum esse illius Pontificem. Aliàs enim si dubitari contingeret de auctoritate, quam habet hic in particulari definiens, certi esse non possemus, quod res ab eo definitæ manerent de fide, sicut si in dubium reuocaretur aliquis liber canonicus, an verè sit talis certitudo haberi non posset de his, quæ in illo continerentur.

Tertiò tandem respondent alij ad infallibilitatem definitionum fidei Summi Pontificis auctoritate factarum, sufficere, quòd sit verus Pontifex, vel realiter, vel putatiuè, id est: quòd pro vero habeatur à tota Ecclesia, eo enim ipso gaudet priuilegio infallibilitatis in definiendo, Deo illi propter commune bonum Ecclesiæ sic assistente, ita vt huius responsionis auctores negantes de fide haberi hunc esse verùm Pontificem, nihilominùs velint esse de fide hunc numero hominem qui certitudine dumtaxat morali in tota Ecclesia verus habetur Pontifex, verè & ritè efficere, omnia, quæ efficit verus Pontifex, & gaudere priuilegijs omnibus, assistentiaque Spiritus Sancti D. Petro, ac legitimis eius successoribus diuinitùs promissis. Quemadmodum enim, inquiunt spectat ad perfectionem diuinæ prouidentiæ in sua regenda Ecclesia, ne irrepat in omnes sacræ Scripturæ codices aliquid falsum, aut ne aliquis Magus, vel aliùs Pseudopropheta per dæmonum præstigias tantam exhibeat apparentiam pro aliquo errore suadendo, quantam habet ex veris miraculis fides Catholica, vt dicetur infra lib. 4. sect. 2, cap. 6. Ita similiter supposito quod Summus Pontifex tamquam supremus Ecclesiæ pastor et regula fidei per modum proponentis, ad eiusdem prouidentiæ diuinę suauitatem pertinet, vel vt numquam permittat aliquem eligi, & acceptari à tota Ecclesia, qui habeat aliquod impedimentum inualidans occultum, & ab ea prorsùs insanabile, cuiusmodi esset defectus baptismi legitimæue ordinationis, vel si id aliquandò permitteret, quod adhuc talis Pontifex, quem pro vero, & legitimo tota agnosceret, & susciperet Ecclesia, ratione tituli colorati concurrente communi errore. infallibilem in suis definitionibus auctoritatem haberet.

At hæc etiam responsio nihil valet, auctoresque illius in easdem incidunt difficultates, quas in amplectenda nostra sententia vitare conantur; primò enim vndè magis per fidem constat, hunc hominem à nobis existimatum Pontificem gaudere in reipsa priuilegijs Summi Pontificis, quàm esse verum Pontificem? vnum si quidem altero magis reuelatum esse non videtur; immò in hac solutione inuoluitur quippiam non reuelatū solùm, sed etiam falsum, reuelatisque contrarium, scilicet priuilegia omnia Summi Pontificis propria alicui conferri, qui non sit verus Pontifex, cùm illa Christus Dominus non cuicumque, sed soli Petro, ac legitimis eius successoribus promiserit. Deindè vt res magis explicetur, si iuxta hanc responsionem debemus credere, quod omnia quæ præstat hic homo in particulari sint ritè facta, eo modo, quo ab alijs veris Pontificibus fiunt, vel hoc est, quia certò credimus talem hominem, esse verum Pontificem, vel cùm talis non sit, sed putatiuè solum, ob aliquem essentialem defectum auctoritate Ecclesiæ insupplebilem, credimus tamen eum vti priuilegio, ac potestate veri Summi Pontificis; si primum dicatur, vt debet dici, si ob necessariam vtriusque rei connexionem consequenter discurrere velimus, nàm effectus non potest superare causam suam, vndè si Pontifex causa efficiens huiusmodi huiusmodi definitionum, solùm moraliter certus esset, non autem ex fide eius quoque definitiones moraliter tantùm certæ esse possent, si, inquam, hoc primum concedatur, habemus intentum; si autem respondeatur secundum oportet quod tali non obstante vera Pontificis existentia, iterum credamus à Deo suppleri, quicquid requiritur, vt eius acta sint valida, ne Ecclesia in hoc fallatur; quod cùm æque incertum sit, ac illud primum, nam vt statum dicebamus, non est magis reuelatum, quod huic homini conferat Deus priuilegia Pontificis, & suppleat eius authoritatem, quam quod in re sit Pontifex, præsertim quia tale supplementum, & concessio extraodinaria non fundatur in ipsa promissione Christi, quæ solùm facta est Petro, & veris eius successoribus, vndè sine noua reuelatione constare de illa non potest; necessariò concludendum est, eadem fidei certitudine tenendum esse, hunc numero Pontificem pro tempore existentem esse verum Pontificem, ac esse veram fidei regulam, quodue gaudeat veris Pontificiæ auctoritatis prærogatiuis; ita vt sit etiam contradictio manifesta, asserere hunc hominem supremam habere potestatem iurisdictionis in Ecclesia, nec non definiendi res fidei ex assistentia Spiritus Sancti; & negare, de fide haberi,

ri, eundem esse verum Pontificem; quia iam affirmaretur definitionem conuenire in hunc hominem, non autem definitum. Vnde quoque intelligitur; qua ratione ipsi negantes haberi de fide, hunc esse verum Pontificem, possint nihilominùs credere de fide, quæ ab illo definiuntur, nam reipsa, ac de facto credunt illum esse verum Pontificem, cum credant habere potestatem à vero Pontifice inseparabilem; ex quadam autem ignorantia putant se non credere; qua de causa ex ignorantia incidunt in quamdam veluti contradictionem.

Igitur cùm præadductæ rationes satis clarè videantur nostram demonstrare conclusionem, tota iam difficultas consistit in explicando, quomodo sit illa obiectum fidei, quandoquidem illud solum tale est, quod ex diuinis Scripturis, vel traditionibus reuelatum habemus, in quibus tamen illam Deus numquam reuelauit.

Primò id explicant aliqui, quia conclusionem Theologicam, ex vna propositione de fide, & altera saltem moraliter certa, & euidenti deductam, existimant esse de fide; sed sic se habet in præsenti, vt patet ex subsequenti syllogismo; [Omnis canonicè promotus ad Cathedram Apostolicam Petri, verus est, ac Vniuersalis Ecclesiæ pastor, sed hic numero Pontifex Clemens IX. ritè promotus, & electus fuit ad dictam Cathedram: Ergo hic numero Pontifex Clemens IX. est verus ac Vniuersalis Ecclesiæ Pastor.] Vbi maior est de fide, minor autem euidens saltem moraliter; quandoquidem supponitur, de legitima electione constare, irrefragabili Ecclesiæ vniuersalis pacificè illam acceptantis testimonio, proceditque quæstio de Pontifice legitimè electo, & vt tali ab Ecclesia indubitanter admisso, quamdiu enim dubitatur cum fundamento de validitate electionis, certum est non esse de fide, saltem quoad nos, quod hic homo sit verus Papa.

Verùm hæc explicatio præcisè non est efficax. Etsi enim ex vna præmissa de fide, & alia certa vel moraliter, vel physicè, vel etiam Metaphysicè, possit aliquando sequi conclusio certissima, id tamen non sufficit, vt immediatè pertineat ad fidem, debeatque credi per illam, nisi aliunde sit reuelata, & quoad nos accedat Ecclesiæ definitio, vel acceptatio, ita illam credentis, eademque definitio, vel acceptatio assumatur in minori, fiatque proinde syllogismus constans ex duabus præmissis de fide, vt mox dicetur. Et ratio huius rei est, quoniam ea tantùm sunt immediatè de fide quoad se, quæ fuerunt à Deo reuelata, quæque proindè si non essent vera, Deus esset mendax. Id autem non contingit in Conclusione Theologica elicita dependenter ab vna præmissa certitudine tantùm naturali nota, talis enim conclusio, eiusque certitudo non innititur soli veracitati diuinæ, sed etiam illi obiecto naturaliter certò, quod Deus non reuelauit, vt supponitur, & quod proindè si esset falsum, nec non falsa etiam conclusio, nil propterea conqueri possemus de Deo tamquàm mendace, vel deceptore.

Altera huius difficultatis explicandæ via est, quia talis conclusio euidenter inferri potest ex duabus præmissis reuelatis, sequenti discursu. [Impossibile est vniuersam Ecclesiam falli, vel decipi in rebus ad communem ipsius religionem pertinentibus, cum ex Dei reuelatione sit columna, & firmamentum veritatis 1. Timoth. cap. 2. aduersùs quam portæ inferi numquam præualebunt: At iudicium, quo vniuersa Ecclesia quempiam acceptat, & habet pro Pontifice, supremoque suo capite, est res ad totius Ecclesiæ religionem spectans; impossibile est, vniuersam Ecclesiam in eo falli iudicio; ac proindè de fide est, hunc numero Pontificem, quem tota Ecclesia tamquàm legitimè electum agnoscit & recipit, esse verum Pontificem, supremumque illius caput.] Vbi maior, & minor propositio cùm sint de fide, sequitur quoque conclusionem esse talem, si quidem ex multis sufficit, vt aliqua propositio ad fidem pertinere dicatur quod euidenter, euidentia nimirum consequentiæ, deducatur ex duabus præmissis de fide: quod est maximè verum, quando huiusmodi præmissæ se habent solùm tamquam conditiones in huiusmodi discursibus Theologicis, vt explicuimus lib. 1. sect. 3. c. 2. tunc enim non tam sunt conclusiones Theologicæ, vel simplicitèr deductæ, quàm explicatæ, ideòque ita per discursum Theologicum, per modum applicantis, vel approximantis. sequuntur euidenter ex duabus reuelatis, proponunturque intellectui, vt hoc non obstante dici debeant immediatè reuelatæ, atque adeò immediatè credi.

Tertiò igitur res tota sic explicatur, Illud est de fide diuina immediatè quoad se, quod diuinitus reuelatum est, sed hunc numero Pontificem Clementem IX. aut alium quempiam pro tempore existentem ritè electum, verum esse Pontificem diuinitus reuelatum est; Ergo talis propositio est de fide diuina immediatè quo ad se. Maior huius argumenti est euidens: minor autem ostenditur, siue tunc illam fuisse diuinitus reuelatam; quando Christus reuelauit Petrum esse caput Ecclesiæ, supremumque eius Pastorem, tunc enim pariter idem reuelauit generaliter, de omnibus eius successoribus legitimè ab Ecclesia electis, ita vt solùm quoad nos deesset sufficiens propositio huius, vel illius contenti sub illa reuelatione, quæ propositio habetur per vniuersalem testificationem, & approbationem Ecclesiæ. Ad cuius intelligentiam notandum est aliqua reuelata fuisse à Deo in genere ad hoc, vt crederentur in genere; cuiusmodi sunt, [Deum omnia non inuoluentia contradictionem posse,] & similia; per quas reuelationes Deus tantùm intendit, vt de ipso cognosceremus eiusmodi perfectiones Vniuersales in genere. Alia verò Deus reuelauit in genere ad hoc, vt crederentur in specie, & in indiuiduo, cuiusmodi sunt illa; [Quodlibet vniuersale Concilium legitimè congregatum, totamque Ecclesiam repræsentans verum esse, eiusque definitiones obligare vnumquemque fidelem: Quemlibet etiam Pontificem ritè electum, verum esse Pontificem, successorem Petri, ac Vicarium in terris Christi Domini:] sed quoniam prolixum, & infinitum fuisset, immò absurdum, multisque inconuenientibus obnoxium, ea singillatim reuelare, & enume-

rare,

rare, quæ sub eiusmodi principijs vniuersalibus, & in genere continentur, tamquàm partiales quædam eorum veritates, Deus adhibuit veluti reuelationem quamdam genericam, Vniuersalis Ecclesiæ nimirum definitionem, vel acceptationem, substituendo illam collectioni omnium reuelationum indiuidualium, quas non expediebat, vt faceret; ita vt vox Ecclesiæ sit, quasi noua quædam locutio Dei, vel potiùs explicatio, & complementum præteritæ locutionis, seu reuelationis per quam redditur nobis de fide id, quod antea non apparebat nobis de fide,cùm scilicet Deus per Ecclesiam tamquam per certissimam fidei interpretem manifestat,de quibusnam obiectis particularibus loqui intenderit, quandò edidit illas propositiones vniuersales. Vndè quandò in tractatu de fide communiter dicitur, Ecclesiam Dei, loquendo de illa secundùm statum noui testamenti, [non regi nouis reuelationibus ,] siue quod idem est, [obiecta materialia fidei supernaturalis non creuisse in ea successu temporis; id intelligi debet de obiectis materialibus, prout considerantur secundùm substantiam, non autem secundùm circumstantias, aut quasi circumstantias, quas à tempore pendere voluit Deus, siuè tunc non existentes, quando talia obiecta reuelauit in communi, sed tantùm futuras; vt hunc, vel illum Pontificem pro hac, vel illà temporis differentia existentem esse verum Pontificem; Primum Concilium Nicœnum, & Constantinopolitanum, aliaque huiusmodi esse vera,ac legitima Concilia.

Igitur licèt ea, quæ à Deo reuelata fuere generatim priori modo, non possint, nec debeant credi in indiuiduo, ob rationem superiùs allatam, quod ea tantùm sint de fide credenda, quæ si vera non essent, argui posset Deus de mendacio: attamen quando reuelatio fuit generica posteriori modo, tunc assensus indiuidualis debet esse de fide, illa enim experientia, quam tunc habemus de Ecclesia loquente, in cuius ore posuit Deus fidei magisterium est aliquod complementum locutionis diuinæ, per quam intelligitur ipse met Deus reuelare hoc obiectum in indiuiduo: quod hic numero Pontifex ritè electus sit verus Pontifex: quare si communis ille consensus Ecclesiæ, quo id nobis, & alia similia proponuntur, esset falsus, & præstigiosus, possemus conqueri de Deo,tamquàm de deceptore, vt potè qui concurreret ad illud iudicium, vel consensum, qui prudenter censeretur à nobis locutio diuina, quamuis non esset; sicut si per dæmonum præstigias tantam sineret exhiberi apparentiam pro aliquo errore v.g.ab Antichristo,aut alio Pseudopropheta suadendo, quantam habet ex veris miraculis fides Catholica.

Eadem insuper huiusmodi veritatum singularium immediata reuelatio diuinitus facta declarari potest, ex eo quod tales veritates dupliciter contineri possunt in aliqua propositione vniuersali reuelata; primò formaliter: secundò virtualiter. Formaliter continetur singulare in vniuersali, vt pars in suo toto, v.g.in hoc principio vniuersali, [omnis homo est substantia, est viuens, est rationalis,] continentur hæc particularis, [hic homo est substantia, est viuens, est rationalis;] Et in hoc altero vniuersali: [omne totum est maius sua parte,] continetur hoc singulare, nempe, [hoc totum est maius sua parte;] Quando verò aliqua veritas singularis continetur in suo principio, vt effectus in causa, tunc dicitur contineri solùm virtualiter. Quo præsupposito, sicuti quando conclusio continetur formaliter in suo principio, tunc in ordine naturali non est necessarius alius habitus ad assentiendum principio, & conclusioni, nam per eumdem habitum intellectus, quo iudicamus omne totum esse maius sua parte, iudicare etiam possumus hoc totum esse maius sua parte, & sic de cæteris, quicquid sit, an etiam per alium habitum possimus assentiri eidem conclusioni, vel veritati particulari, vbi reducitur in formam syllogisticam: similiter in ordine supernaturali,per eumdem habitum fidei infusæ possumus immediatè assentiri propositioni Vniuersali à Deo reuelatæ, v.g. [Omnem Pontificem ritè electum esse verum Pontificem, Petrique successorem,] & etiam singulari formaliter sub illa contentæ, tamquàm pars sub suo toto, v.g. [hunc numero Pontificem pro tempore existentem ritè electum, esse verum Pontificem, diuique Petri successorem:] quando semel de tali continentia certi reddimur, per vniuersalem Ecclesiæ consensionem.

II. Conclusio, hunc numero Pontificem pro tempore existentem, verum esse Pontificem,non redditur de fide quoad nos præcisè, per solam Dominorum Cardinalium electionem; Probatur, quia licèt talis propositio quoad se posset esse plerumque de fide, vbi nimirum talis electio fit cum omnibus conditionibus tam de iure Diuino, quàm humano Ecclesiastico requisitis; tamen cùm in illa sacrum Cardinalium Collegium non gaudeat priuilegio infallibilitatis,nullibi enim legitur illi fuisse concessum, sed Ecclesiæ solùm, potest aliquando eligere aliquem habentem defectum essentialem, vel si nullum habet, reddere suam electionem alio ex capite inualidam, cui sua auctoritate supplere non potest, sicut de Ecclesia notauimus supra, & mox iterum declarabimus; cùm Domini Cardinales, sub nullitatis pœna teneantur eligere iuxtà formam à Summis Pontificibus præscriptam, vt satis patet ex eorum textibus: Igitur, hunc numero Pontificem pro tempore existentem, verum esse Pontificem non redditur de fide quoad nos præcisè,per solam Dominorum Cardinalium electionem, nisi insuper accedat vniuersalis Ecclesiæ consensus. Vndèsequitur illos primos actus,per quos fideles agnoscunt nouum electum in Pontificem, non esse quantùm ad hoc actus fidei Diuinæ, sed fidei & prudentiæ humanæ, ac fallibilis, donec accedente communi Ecclesiæ & fidelium acceptatione, resultat insingulis obligatio fidei Diuinæ,ad credendum illum esse verum Pontificem.

Et ratio est, quia fide Diuina credere non tenemur rem cui potest subesse falsum, vel speculatiuè,vel practicè;at supposito quod DominiCardinales in eligendo Summo Pontifice non gaudeant priuilegio infallibilitatis, & propterea nulliter eligere possint, tam ex parte eligibilis, quàm ex parte electionis,

potest

potest huic propositioni, (quod hic numero Pontifex ab illis electus sit verus Pontifex,) subesse falsum defectu legitimæ electionis; Ergo non tenemur illam de fide credere; nisi aliundè quid accedat, per quod de legitima electione certò nobis constet; non enim est de fide, hunc numero Pontificem pro tempore existentem, esse verum Pontificem, sed hunc numero Pontificem ritè electum, esse verum Pontificem, quæ continetur sub illa propositione vniuersali reuelata; Quod omnes Pontifices Romani ritè electi sunt veri Pontifices, Diuique Petri successores.

III. Conclusio, hunc numero Pontificem ritè electum, verum esse Pontificem, quod est de fide quoad se, redditur de fide quoad nos, per vniuersalem Ecclesiæ consensum pacificè, & indubitanter illum acceptantis; Probatur, ad hoc vt aliqua propositio de fide quoad se, reddatur talis quoad nos, nihil aliud requiritur, nisi quod proponatur ab habente talem auctoritatem, cui in materia fidei nullum prorsus falsum subesse possit; sed est huiusmodi auctoritas Ecclesiæ vniuersalis; Ergo vbi illa semel declarat, & proponit hunc numero Pontificem pro tempore existentem, fuisse canonicè, & legitimè electum, redditur de fide quoad nos illum sic ritè electum, verum esse Pontificem; siue talis declaratio, vel propositio fiat per acceptationem pacificam vniuersalis Ecclesiæ toto orbe diffusæ, siue per definitionem Concilij, si sit aliquod dubium in electione, vt patet ex Concilio Constantiensi; cùm enim maximè vbi electio non est pacifica, & pacificè acceptata, sed rationabiliter dubia, non possit Pontifex electus procedere ad definiendum, vel determinandum de illa, quia stante tali dubio, non potest obligare, vt eius determinationes recipiantur pro legitimis & indubitatis; necesse est quod illa determinatio fiat auctoritate Ecclesiæ, siue per definitionem Concilij vniuersalis; stante cuius infallibilitate in rebus fidei, aut ab ea, non acceptabitur electio, si careat aliqua conditione indispensabiliter requisita ad eius validitatem, vel si talis defectus non fuerit, sed alius ex humano dumtaxat iure proueniens, de sua insuper potestatis plenitudine illum sanabit, vt in huius capitis principio prænotauimus; indeque nullum vnquam potest suboriri dubium de legitima huius numero Pontificis electione, quem Ecclesia vniuersalis acceptat, & recognoscit pro vero Pontifice: deque illo sic acceptato, & agnito, debet intelligi quod ex Concilio Constantiensi superiùs adduximus ad probationem primæ conclusionis; vt mox declarabimus satisfaciendo sequenti quæsito.

Inquiret igitur aliquis quo tempore incipiat dicta Ecclesiæ acceptatio, fiatque per illam sufficiens propositio, vt reddatur de fide quoad nos, hunc numero Pontificem ritè electum, verum esse Pontificem, obligenturque fideles ad illud credendum, an eo ipso quod Cardinales electum promulgant illis fidelibus, qui in electionis loco reperiuntur? an verò quando res iam per totum mundum, & Ecclesiam vbicumque diffusam diuulgata est? Respondetur ex dictis, statim post concordem Cardinalium electionem, teneri quidem fideles ex præcepto obedientiæ, & charitatis obedire Pontifici electo, ita vt non possit quispiam iure ab illo disiungi, sine schismate; ad hoc enim sufficit certitudo moralis, quæ habetur per talem electionem, de persona ritè electa: non autem ad assensum fidei: sed ad illum requiritur insuper acceptatio Ecclesiæ; quæ incipit negatiuè statim dum non contradicit Ecclesia, vbicumque scit talem electionem; positiuè autem dum statim à prælatis & populis, qui in electionis loco existunt, illi acquiescitur, & paulatim in alijs mundi partibus, à cæteris etiam fidelibus tam Prælatis, quàm subditis admittitur. ita vt illi qui vident, aut audiunt Papam electum, eique non contradici, sed ab omnibus admitti, teneantur iuxta certiorem, quam defendimus sententiam, credere fide Diuina, & supernaturali, hunc numero Pontificem ritè electum, & pro tali ab Ecclesia acceptatum, suaque acceptatione propositum, verum esse Pontificem, ac D. Petri successorem.

IV. Conclusio, hunc numero Pontificem à Dominis Cardinalibus electum, verum esse Pontificem tunc maximè, ac veluti consummatiuè redditur de fide quoad nos, quando non solùm Ecclesia in actu exercito ipsum acceptat in Pontificem, subijciendo se illi tamquam suo supremo capiti; sed quando insuper ipse Pontifex in exercitio definit aliquid tamquam de fide tenendum. Ista conclusio sequitur ex dictis, suppositaque Summi Pontificis indefectibilitate in determinandis ex cathedra rebus ad fidem spectantibus: fieri enim non potest, vt fide credamus aliquod obiectum definitum, & non credamus simul ipsam definitionem esse legitimam, & consequenter ipsum definientem hìc, & nunc infallibilem auctoritatem habere circa determinandas, ac regulandas res fidei, quod est credere, quod hic homo definiens sit verus Pontifex, supremaque in Ecclesia potestate gaudeat. Vnde quando Summus Pontifex ita definit, nullus est fidelis, qui assentiens rebus definitis credendo, simul etiam in actu exercito non credat eum esse verum Pontificem; quamuis vbi postea hæc veritas quasi in actu signato, & speculatiuè seorsim consideratur, non appareat, ob multas circumstantias, & conditiones, quæ hunc, vel illum spectant hominem, quomodo sit de fide illum esse verum Pontificem, eo quod non omnia illa in particulari sufficienter attigisse Diuina reuelatio, nobisque declarasse videatur.

Licèt ex dictis facilè obuiam iri posset omnibus obiectionibus, quæ contra nostras conclusiones fieri solent, nihilominùs vt earum veritas magis appareat, breuiter illas adducam, & soluam.

Primùm ergo obijcitur, illud solũ esse de fide immediatè quoad se, quod fuit diuinitùs reuelatũ, sed hunc numero Pontificem, quem tota Ecclesia tamquam legitimè electum agnoscit, & recipit, verum esse Pontificem, ac Beati Petri successorem, nullibi reuelatum reperitur; Ergo non est de fide immediatè quo ad se; Maior huius argumenti est certissima, & in definitione rei fundata. Minor autẽ multipliciter probatur; 1. quia nec in Scriptura, nec in traditione talis reuelationis fũdamẽtũ habetur; 2. quia si hoc diuinitùs esset reuelatũ, diuinitùs quoque reuelatæ dici deberent condi-

conditiones essentialiter requisitæ ad legitimã huius Pontificis electionem, vt quod si vir, & non fæmina, quod sit baptizatus, ritèque ordinatus, quia sicut supponitur, necessariò facta est legitima electio, vt sit de fide hunc numero Pontificem esse verum Pontificem, saltem quantùm ad conditiones indispensabiliter necessarias, & auctoritate Ecclesiæ insupplebiles. 3. illud solùm est diuinitùs rereuelatum, ac proindè de fide immediatè, cuius oppositum est manifesta, & formalis hæresis, sed qui negat hunc hominem esse Papam non est hæreticus, sed solùm schismaticus, sicut & qui negaret omnes retro Pontifices fuisse veros Pontifices non esset talis; Igitur non est de fide immediatè quoad se, quod hic numero Pontifex pro tempore existens, quem tota Ecclesia tamquam legitimè electum recipit,& agnoscit, sit verus Pontifex.

Respondeant ad hoc argumentum concedendo Maiorem, & negando Minorem; ad cuius primam probationem dicimus, hanc veritatem immediatè à Deo reuelatam fuisse reuelatione illa vniuersali, qua ex vna parte patefecit, omnes ritè eligendos, & promouendos ad cathedram Petri, futuros veros Pontifices eius successores, suos verò Vicarios; Et ex alia Ecclesiam vniuersalem numquam in rebus fidei erraturam, cum sit columna & firmamentum veritatis: in huiusmodi enim propositionibus vniuersalibus à Deo reuelatis, continetur formaliter, & vt pars in suo toto, tam quod hic numero Pontifex ritè electus, sit verus Pontifex; quàm quod Ecclesia in illo acceptando errare non possit; vndè si cum illis propositionibus vniuersalibus, alia iungatur particularis, quod vera nimirùm Ecclesia, quam per totum orbem diffusam cernimus, & infallibilitatis priuilegio gaudere per fidem credimus, hunc numero Pontificem tamquam ritè electum acceptat, redditur statim de fide quoad nos, illum esse verum Pontificem, vt conclusione prima fusiùs explicuimus.

Ad secundam probationem respondetur præfatas conditiones, & ex illis efformatas propositiones dupliciter spectari posse, vel antecedenter ad hoc quod Ecclesia acceptet, hunc numero Pontificem tamquam ritè electum, vel subsequenter; si considerentur primo modo fatemur, illas esse quid merè contingens, maioremque certitudinem non habere, quàm moralem, cui potest subesse falsum; si autem secundo considerentur modo, ita pertinent ad fidem non quidem immediatè, sed mediatè, vt conclusiones Theologicæ necessariò illatæ ex vna de fide. Diuina enim reuelatio, sicut & ipsa Ecclesiæ acceptatio non versantur per se primò, circa requisita, vel conditiones, quæ tam in electoribus, quàm in persona electa necessariò concurrere debent ad legitimam electionem, & deindè circa ipsum electum; sed vice versa, per fidem, seu reuelationem implicitè contentam in symbolo, & in promissione facta D. Petro, applicatam autem, ac declaratam in exercitio per pacificam vniuersalis Ecclesiæ acceptationem, solùm constat hunc numero Pontificem pro tempore existentem esse verum Pontificem; indeque infertur per consequentiam Theologicam, quod à veris, legitimisque electoribus, veramque eligendi intentionem habentibus electus fuerit; quodque si vir, & non fæmina, quod sit baptizatus, & ordinatus, quod non sit hæreticus, semel fides interna, & externa necessariò, & insupplebiliter ab Ecclesia, requiratur, vt quis sit verus Pontifex, quod probabiliùs existimo; nam si, vt volunt aliqui, cum hæresi interna sufficeret fidei solùm externa professio, posset dici huiusmodi defectum ex solo iure Ecclesiastico originem habentem, suppleri auctoritate Ecclesiæ ignoranter illum tolerantis, donec ipsi de eodem constando procedat ad eius depositionem.

Exemplum huius rei habemus in definitionibus Conciliorum, in quibus, licèt fides non versetur circa ea, quæ ad eorum definitionem præequiruntur, vt quod veritatis definiendæ accurata præcesserit indagatio, imò tunc sit quid merè contingens, illa tamen accedente, rectè inferur, per consequentiam Theologicam, omnia ad legitimam definitionem posita fuisse, & consequenter diligentem veritatis inquisitionem per disputationem præcessisse. Cuius ratio est, quia quando aliquid per se est de fide, non opus est quod ad illam quoque pertineant ea omnia, quæ necessariam cum illo connexionem habent, imò in hoc consistit conclusio Theologica, quod versatur circa illa, quæ necessario, cum his, quæ sunt de fide conuectuntur, & ex illis merè syllogisticè inferuntur.

Similiter in hac propositione, hic homo ritè fuit electus: cùm illæ particulæ ritè electus, dupliciter intelligi possint; primò quasi per illas significetur adhibitas esse omnes conditiones necessarias, vt electio sit legitima antecedenter ad Ecclesiæ acceptationem, quo si intelligantur modo, talis propositio maiorem quàm moralem certitudinem non habet nec alia ratione in hanc aliam influit veritatem, aut propositionem, hic homo est verus Pontifex, quàm per modum dispositionis [vt sit verus Pontifex, & in talẽ ab Ecclesia acceptetur;] ita vt faciat hunc sensum [; hic homo ritè fuit electus, id est, hic homo fuit electus cum requisitis conditionibus, ob quas in verum acceptari debet Pontificem; secundò præfatæ particulæ, ritè electus, non solùm intelligi possunt de electione cum omnibus requisitis facta sed etiam acceptata in particulari ab Ecclesia,& illa propositio est de fide, quod hic homo rectè fuerit electus, sicuti facta definitione ab vniuersali Concil. est propositio de fide, quod illa definitio sit legitima; quia, [hunc hominem fuisse ritè, vel rectè electum; & hunc hominem esse verum Pontificem, non ponunt in numero, acceptatio enim in Summum Pontificem, & esse verum Pontificem, idem sunt; sicut, & rem aliquam, à Concilio vniuersali fuisse definitam; & definitionem eius esse veram, ac legitimam pro vno, & eodem computantur.

Ad tertiam denique probationem respondetur ex dictis, quod Ecclesia non acceptat illam electionem, & electum vt materiam puræ obedientiæ, sed insuper vt materiam ad fidem spectantem, quia vt diximus acceptat illum vt verum caput suum visibile; vnde eam certi-

tudine fidei, qua credimus hanc numero fidelium congregationem toto orbe diffusam, quæ Summo Pontifici Romano, tamquam suo capiti visibili adhæret, veram esse Christi Ecclesiam, tenemur quoque credere hunc numero Pontificem, cui sic adhæret, quemque, vt legitimè electum acceptat, esse verum Pontificem. Insuper illum, non vt caput tantùm, sed vt regulam fidei infallibilem agnoscit, quod vt, vidimus supra fieri non potest, nisi sit etiam de fide, quod ipse sic agnitus, sit verè regula fidei. Igitur ille, qui negaret hunc hominem esse Papam, quem tota semel Ecclesia pro ritè electo acceptauit, non solùm esset schismaticus, sed etiam hæreticus, non enim solùm scinderet vnitatem Ecclesiæ, sicut illi, qui duos à principio eligerent Pontifices, de quibus ignoratur quis sit verus Pontifex; sed insuper falsum adderet dogma; quia negaret habendum pro vero Pontifice, atque adeo pro vero Ecclesiæ capite, veraque fidei regula illum, quem vniuersalis Ecclesia pacificè pro tali reciperet. Vnde tunc maximè haberet locum id, quod docet D. Hieronymus super cap. 2. ad Titum; & post ipsum D. Thomas 2. 2. quæst. 38. art. 1. ad 3. [Nullum schisma esse, quod non sibi aliquam hæresim coniungat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur]

Quę responsio non solùm intelligitur de hoc numero Summo Pontifice viuente; sed extendi quoque debet ad alios omnes, qui cunctis retro sæculis Ecclesię legitimè prę fuerunt si semel nobis constet eos ab Ecclesia fuisse acceptatos, vel quia id vidimus, vel quia aliqua eorum definitio remansit, in qua declarando aliquid de fide, simul declaratum reliquerunt se fuisse verum Ecclesiæ caput, veramque fidei regulam; si enim nullam de tali acceptatione certitudinem haberemus, tunc per accidens non esset de fide quo ad nos, sed per historiam dumtaxat humanam id teneremus. Nisi mallemus dicere semper de hoc nobis sufficienter ad fidem constare posse in illo fidei principio, quod Ecclesia Christi ab initio ad hæc vsque tempora indesinenter vna, & eadem perseuerauerit, de cuius essentia cum sit habere verum caput, non potuerunt non acceptari ab illa omnes Pontifices pro tempore legitimè electi, aut si tales non fuerint; vel etiam dubij, reprobari, vt ad alterius procederetur electionem, ne contra Christi institutionem, & promissionem, remaneret acephala, dicereturque perijsse; quomodo argumentantur hæretici contendentes à tempore saltem Vrbani Papæ VI. defecisse verum successorem; hinc enim satis sibi videntur inferre, iam non posse esse certum, an verè Summo Pontifici succedatur, aut vbi gentium vera Ecclesia visibilis extet; inter cuius præcipuas notas reponitur ex nobis legitima Summorum Pontificum ad hæc vsque tempora successio, necnon perpetua eiusdem cum illis vnio, & adhæsio, tanquam cum suo supremo, & vniuersali capite.

Si instet aliquis, non omnem Ecclesiam acceptare hanc veritatem, tanquam materiam de fide, cùm plures sint Doctores Catholici, qui illam non admittunt, nec propterea tamen censentur hæretici; Respondetur non omnes illam acceptare, tanquam materiam de fide speculatiuè, & in actu signato, seu inadequatè illam considerando satis esse putantes ad munus in Ecclesia Pontificium, morali quadam, aut naturali certitudine haberi, quod hic numero Pontifex sit Pontifex; virtualiter tamen omnes illam acceptant, dum se in vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam credere profitentur, cuius hic numero Pontifex ritè electus pro tempore existens, verum est caput ex omnibus, & iuxta veriorem sententiã vera in illa fidei regula; vnde solùm ex ignorantia, vt supra notauimus, existimant se non credere, quod reipsa, & de facto credunt, & ita sibi ipsis quasi contradicunt; quo circa nec pro hæreticis habendi, nec pro talibus sunt puniendi; secus tamen si qui publicè, & pertinaciter negarent hanc veritatem, iuxta nostram sententiam, quam ad fidem pertinere putamus, docentque omnes ferè Theologi, & Canonistæ, quamuis in modo eam explicandi aliquantum differant.

Obijcitur secundò, præcipua ratio, eaque magis vniuersalis nostræ assertionis desumitur ex hoc, quod Summus Pontifex sit supremum Ecclesiæ Caput; vnde sicut fide credimus, hanc numero Ecclesiam, in qua sumus, esse veram Christi Ecclesiam, eiusdem quoque fidei certitudine tenere debemus, hunc numero hominem legitimè electum, cui tamquam suo capiti visibiliter vnitur, verum esse summum Pontificem; sed hæc ratio non videtur efficax; siquidem in hac numero Ecclesia non videtur minùs necessaria certitudo Sacramentorum, exempli gratia, Baptismi, vel Eucharistiæ, quàm sit necessaria certitudo huius capitis in particulari; pro certitudine autem Sacramentorum sufficit, vt per fidem credamus eorum veritatem in communi; in particulari verò certitudine tantùm morali nobis constet de veritate huius, aut illius Sacramenti, nec enim est de fide, hunc hominem fuisse verè baptizatum, aut hanc hostiam in particulari fuisse consecratam, licèt sit de fide, omnem hostiam ritè consecratam realiter continere in se Corpus Christi, sicut habetur ex Diuo Thoma 2. 2. quæst. 1. artic. 3. ad 3. Igitur eodem modo satis esse videtur, credere quidem esse de fide, omnem hominem ritè electum esse verum Pontificem, non autem, quod hic numero Pontifex ritè electus, & ab Ecclesia acceptatus sit verus Pontifex; sed sufficit ad hoc vltimum certitudo moralis, quodue inferatur tamquam conclusio Theologica ex principijs fidei.

Respondetur ad hoc argumentum concedendo maiorem, & negando minorem; ad cuius probationem, primò negatur paritas; disparitas consistit in hoc, quod Sacramenta in particulari sumpta, vel vt hic, & nunc procedunt ab aliquo ministro, non se habent vt regula fidei, neque ex eorum vnitate visibili, aut vnione cum ipsis pendet essentialiter vnitas Ecclesiæ; sed se habent vt medicinæ peccatorum, & diuinæ instrumenta gratiæ: vnde circa ipsa Sacramenta in particulari nulla Ecclesiæ acceptatio, aut definitio versatur, sed solùm circa illa in specie, vel in communi, v.g. credendo: [verè esse Sacramenta, quæ debito modo fiunt, Corpus & Sanguinem Christi Domini contineri verè realiter,

& sub-

& substantialiter sub speciebus panis; & vini ritè consecratis, non autem, quod hæ species in particulari sint ritè, & debito modo consecratæ;] Sacramentorum siquidem natura, & virtus definitioni fidei subest, secùs autem eorum vsus, & exercitium. At in summo Pontifice non ita se habet, sed pluribus modis versatur fides circa Apostolicam eius potestatem, hoc est tam in communi, credendo, [omnem Pontificem ritè electum, & ab Ecclesia indubitanter acceptatum, verum esse Pontificem; quàm in particulari, quod hic numero Pontifex ritè electus, & ab Ecclesia indubitanter acceptatus sit verus Pontifex;] quia, vt diximus, acceptatur ab ea, vt regula fidei iuxtà veriorem sententiam, vnde debet in particulari de fide credi, sicut quæcumque alia regula fidei; insuper iuxtà omnes acceptatur, vt supremum vniuersalis Ecclesiæ Caput, de quo proinde ita constare debet de fide, quod sit verum eius Caput, sicut de hac numero fidelium congregatione constat, eam esse veram Christi Ecclesiam, quia veritas, & vnitas Ecclesiæ, pendet essentialiter ex vnione cum suo vero Capite; etsi enim Sede vacante talis actu non sit dependentia, sed aptitudine, quia scilicet est apta, & de se, posita Christi institutione, essentialiter petit ista congregatio subesse vni capiti in particulari, quod tunc actu non habet; attamen vbi actu illud habet, quo in casu loquimur, & acceptauit eius electionem tamquam legitimam, tunc nisi illi in particulari vniretur, periret vnitas, Statusque Ecclesiæ Monarchicus, vt explicuimus supra cap. 6. Quod dixi de Sede vacante, idem asseri debet schismatis tempore, si sint plures, de quibus rationabile dubium sit, quisnam eorum sit verus Pontifex, tunc enim est idem, ac si non haberet actu caput, quia nondum illud habet determinatè, & pacificè secundùm ius. Si autem vnus eorum determinatè sit Pontifex, & alij irrationabiliter hanc dignitatem vsurpent, tunc sicut debet Ecclesia verum Caput acceptare, & illi vniri, ita & de fide est, quod ille, & nullus alter sit Pontifex.

Secundò respondetur ad hoc argumentum admittendo proportione seruata paritatem inter Sacramenta in particulari, v. g. hanc, vel has hostias ritè consecratas, quod sint obiectum fidei, sicut hic numero Pontifex ritè electus, & ab Ecclesia acceptatus; præsuppono enim, quod omnes huiusmodi hostiæ ritè consecratæ possint considerari dupliciter, vel diuisiuè, vel collectiuè, vt superiori sectione de Ecclesia cap. 10. diximus de fidelibus, si primo sumantur modo, nullam earum in particulari credendum est, de fide, fuisse ritè consecratam, sed assensu tantùm moraliter certo; secùs autem si considerentur collectiuè, ne dicamus totam vbique Ecclesiam, quamuis materialiter, & ignoranter, esse idololatram per augustissimi Eucharistiæ Sacramenti adorationem, quod est omninò absurdum, & contra promissam illi à Deo in rebus fidei, & morum indefectibilitatem loco statim citato. Etsi enim non sit inconueniens, quod in aliquo particulari loco hæc, & hæc hostia diuisiuè, quæ non est ritè consecrata, pro tali nihilominus adoretur, inde enim vniuersalis Ecclesiæ defectibilitas non sequitur, sicut sequeretur, si omnes hostiæ collectiuè sumptæ ab Ecclesia vniuersali adorarentur, absque eo quod in illis ita sumptis realiter, ac substantialiter contineretur Corpus Christi Domini; Igitur ad fidem pertinere puto, quod omnes hostiæ collectiuè sumptæ ab Ecclesia Catholica toto Orbe diffusa adoratæ sint ritè consecratæ, ita vt respectu huius veritatis se habeat quoad nos talis Ecclesiæ adoratio, sicut eiusdem acceptatio, respectu huius numero Pontificis ritè electi; cum in causa facti generalis, & ad generalem statum omnium fidelium pertinentis, qualis est per vniuersum Orbem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti adoratio, veraque & canonica supremi Capitis ipsius electio, errare non possit. Huius rei satis clarum potest esse exemplum, in collectione Episcoporum Concilium Generale legitimum componentium, quam de fide credimus repræsentare Ecclesiam, & auctoritatiuè esse veram Ecclesiam, eo modo, quo est de fide illud esse legitimum Concilium; quamuis de fide non sit vnumquemque Episcopum, aut omnes diuisiuè esse veros Episcopos, quia nullus eorum in particulari, nec omnes diuisiuè se habent, vt regula fidei, sed solùm collectiuè, vnde solùm est de fide, eorumdem quoque collectionem, esse legitimam congregationem, aut Concilium, in quo tota sit repræsentatiuè, & auctoritatiuè Ecclesia. Ita similiter cùm nulla hostia consecrata in particulari, seu diuisiuè sumpta, sit terminus adorationis vniuersalis Ecclesiæ, non est opus, quod sit de fide, vnamquamque hostiam in particulari, aut omnes diuisiuè sumptas, ritè fuisse consecratas; secùs autem si sermo sit de earumdem collectione, cùm sit terminus præfatæ adorationis vniuersalis Ecclesiæ, ne illam saltem materialiter in perpetua versari idololatria dicamus; quod est impium, & sacrilegum.

Eadem quoque paritas assignari posset, inter hanc numero hostiam, & hunc numero Pontificem; si daretur vnica solùm hostia ritè consecrata successiuè, quæ ab vniuersali Ecclesia deberet adorari, sicuti de facto datur successiuè vnicus Pontifex legitimè electus, cui tamquam capiti debet vniri; tunc enim Ecclesia, aut illam hostiam non adoraret, eò quod ritè consecrata non esset, aut si tamquam talem adoraret, auctoritate ipsius nobis constaret de fide, non solùm sub omni hostia ritè consecrata, sed etiam sub hac in particulari contineri verum Christi Corpus, sicut eiusdem auctoritate constat nobis non solùm in communi omnem Pontificem ritè electum esse verum Pontificem, sed etiam hunc numero pro tempore existentem; vbi semel illum tamquam legitimè, & canonicè electum acceptauit.

Cùm eadem sit contrariorum disciplina, postquam egimus de prima summi Pontificatus institutione facta à Christo Domino, in Diui Petri persona, necnon de via, qua eius successores ad eamdemmet dignitatem peruenire debent, superesset iam agere de modis, quibus ab illa Summus Pontifex etiam dum viuit cadere potest; verùm huic materiæ pertractandæ libenter supersedeo; tum quod parum referat ad præsentis mei instituti rationem, & finem; tum quod sit de rarò contin-

gentibus; cùm enim Summus Pontifex dum viuit pontificiam dignitatẽ dupliciter amittere possit: primò per voluntariam cessionem vt habetur in cap. 7. de renunciatione in sexto, id semel tantùm contigit in Cælestino V. Eseruiensi, qui cùm ex Abbate sui Monasterij creatus fuisset Papa, quarta die Septembris, anno Christi 1294. abdicauit se Pontificatu spontè, amore vitæ solitariæ, Idibus Decembris eiusdem anni. In Concilio enim Constantiensi duo quidem Pontifices, sed dubij, Gregorius XII. & Ioannes XXIII. spontè suo iuri renunciarunt; cùmque Benedictus XIII. idem præstare noluisset, ad tollendum schisma depositus fuit; & in eorum locum electus Martinus V. cuius auctoritate idem Concilium fuit postea confirmatum; vt autem ad hanc Pontificatus, cuius quis pacificam possessionem habet, renunciationem, aliqua rationabilis causa requiri videtur, alioqui sine causa renunciare, suamque sic operam Ecclesiæ subtrahere, alienum esset à charitate Christi, qui propter ouem perditam quærendam vitam suam impendit: nihilominus vbi iusta suppetit causa, Pontifex non expectato Ecclesię consensu potest suam dignitatem quantumuis pacificè possessam dimittere; quoniam Pontifex non respicit Ecclesiam tamquam superiorem, cuius obedientia adstrictus sit, ne renunciet, sicut alij Episcopi; qui tamen ad renunciandum, non suæ Ecclesiæ, sed Pontificis, qui superior est, consensum expetunt.

Alter modus amittendi Pontificatum per depositionem, adhuc est præcedenti rarior; cùm enim duo sint casus præcipui, in quibus depositio Pontificis indubitati locum habet (non enim agimus in præsenti de casu, vbi dubitatur de valore electionis, sed de illo erit sermo infra cap. 14.) primus est casus perpetuæ amentiæ; secundus hæresis, seu infidelitatis, nullum propriè ob hos duos casus, legitur huc vsque depositum fuisse ab Ecclesia summum Pontificem. Tandem quia hæc materia potiùs est Canonistarum, quàm Theologorum, ad illos lectorem remitto; ex Theologis tamen præclarè hanc materiam versarunt Caietanus de auctoritate Papæ cap. 18. & 19. Sotus in 4. sent. distinct. 22. Gregorius de Valentia 22. Suarez, Tannerus, Ioannes à Sancto Thoma, alijque plures ibidem, Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice capit. 30. Driedo de libertate Christiana cap. 14. vbi videri possunt, & alij ab ipsis citati, Andreas Duuallius Doctor Sorbonicus de disciplina Ecclesiastica part. 3. quæst. 9. & 19.

CAP. XI.

An Pontifex Romanus aliquando à potestate Summi Ecclesiæ Pastoris exciderit, & denegarit in Antichristum.

INter alia paradoxa, & deliria illorum, qui se hoc tempore venditant reformatores Ecclesiæ Christi, & collapsi firmamenti veritatis restauratores, vnum est maximè insolens, Romanum, videlicet, Pontificem esse Antichristum. Verùm quia huic falso, & insano dogmati refutando felicissimè iam insudarunt omnes huius seculi Doctores Polemici Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice, Thomas Maluenda in egregio suo de Antichristo opere, nec non Suarez lib. 5. contra Regem Angliæ; & ex alia parte est ita absurdum, vt prudentiores, & litteratiores viri extra Romanam communionem agentes, vehementer quoque illud irrideanr, longiorem, quæ de hac re posset institui, disputationem relinquo, vnicumque argumentum pro manifestissima veritatis explicatione conficio.

Si Romanus Pontifex aliquando à potestate summi Ecclesiæ Pastoris excidisset, & in Antichristum degenerasset, vt blasphemarunt hæretici, vel esset Antichristus propriè dictus, vel impropriè, & communiter; neutrum dici potest: Ergo nonnisi à furiosa Sectariorum insania, talis iniuria aduersùs Romanum Pontificem prouenire potuit, eò sanè impudentior, quod nulli hominum ordini, vel dignitati per illam parcere norunt, sed pari audacia in omnes æquè, etiam Principes, Reges, & Imperatores Catholicos incurrunt, quasi eò deuenerint per mille hactenus, & ampliùs annos, vt Antichristum, hoc est summum Christi hostem, & aduersarium, omniumque hominum nequissimum, pro vero Christi Vicario, & summo Ecclesiæ suæ Pastore reueriti fuerint.

Maior huius argumenti est certa, nobiscumque in ea conueniunt aduersarij, sicut enim nomen Christi accipitur dupliciter, interdum propriè pro quodam eximio, & singulari Christo; qui est Iesus Nazarenus Beatissimæ Virginis Mariæ Filius; interdum communiter, & impropriè pro his omnibus, qui habent cum Christo similitudinem, quantùm ad vnctionem, quomodo Prophetæ, Reges, & Sacerdotes omnes dicuntur Christi, Ps. 104. [Nolite tangere Christos meos.] Ita etiam nomen Antichristi aliquando sumitur propriè pro quodam eximio, & singulari Christi hoste; de quo agitur 2. Thessalon. cap. 2. & 3. Ioannis 5. vers. 43. & alibi; aliquando autem communiter, & impropriè pro omnibus, qui quoquo modo Christum oppugnant, sic 1. Ioannis cap. 3. legitur: [Audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt. Hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.] Et cap. 4. [Omnis spiritus, qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus.

Probatur minor, quoad priorem partem; nam si Pontifex Romanus esset Antichristus propriè dictus, quod maximè contendunt plures hæretici, deberent ipsi propriè, & adamussim conuenire, omnia illa, quæ de Antichristo sic sumpto docent Sacræ Scripturæ, & Patres illas interpretantes; sed ea, quæ de Antichristo propriè dicto asserunt Scripturæ, & Patres, nonnisi impiè, ac præter verba, & mentem tam Scripturæ, quam Sanctorum Patrum ad Romanum Pontificem accommodari possunt. Ergo Pontificem Romanum vocare Antichristum, insignis est iniuria aduersùs Scripturam Sacram, eiusque auctorem Spiritum Sanctum. Maior huius argumenti iterum est certissima. Minor autem efficaciùs probari non potest, quàm inductione, profe-

ren-

rendo in medium conditiones, proprietates, & alias circumstantias Antichristi propriè dicti, illasque conferendo cum Romanis Pontificibus.

Prima igitur conditio, seu proprietas Antichristi propriè dicti est singularitas, seu quod sit vnus quidam singularis homo, sicut Herodes, Pilatus, &c. sed Pontifices Romani, quos Antichristos esse calumniantur sectarij, non sunt vnus quidam singularis homo, vnaque tantùm numero persona, sed multæ. Ergo impossibile est iuxtà Scripturam, vt sint verus Antichristus; quem nimirum, velut peculiarem, & singularem Christi hostem Scriptura proponit locis iam citatis Ioannis 5. 43. 2. Thessalonic. cap. 2. vers. 3. & 8. Apocal. cap. 13. & 17.

Secunda conditio sunt signa quædam certa aduentus Antichristi, quæ in diuinis literis Spiritus Sanctus nobis dedit: quorum duo sunt præcedentia, nempe prædicatio Euangelij per totum mundum, & Imperij Romani non solùm diminutio, sed etiam totalis desolatio, & destructio: duo concomitantia, videlicet prædicatio Sanctorum Henoch, & Eliæ, & persecutio maxima, & notissima ipsius Antichristi, ita vt publicus Christi cultus, si non omninò, saltem maiori ex parte sit tunc cessaturus: duo sequentia, nimirum interitus Antichristi post tres annos cum dimidio, & finis mundi; quorum cùm nullum adhuc videamus existere, dicendum est Antichristum propriè dictum nondum regnare cœpisse, neque venisse, & consequenter Pontificem Romanum non esse Antichristum propriè sumptum.

Tertia conditio complectitur nomen, stirpem, & sedem Antichristi; nomen enim conficiet numerum 666. Apocalipseos c. 13. idque erit notum, ac vsitatum Antichristi nomen; secundò nascetur ex stirpe Iudæorum, à quibus etiam recipietur pro Messia; tertiò Romæ non sedebit, vt Sectarij mendaciter contendunt, sed Hierosolymis, vt concorditer Sancti Patres docent ex cap. 11. Apocalipseos, vbi Ioannes ait Henoch, & Eliam pugnaturos cum Antichristo in Hierusalem, & ibi occidendos ab eodem Antichristo. At Romani Pontifices nullum eiusmodi nomen habent, & ab anno 607. quo volunt aduersarij eos in Antichristum degenerasse, constat Summum Pontificem Iudæum nullum fuisse, nec gente, nec religione, nec vllo modo; constat quoque eum numquàm hactenus à Iudæis fuisse pro Messia receptum, sed è contrario pro hoste, & præcipuo persecutore habitum; constat denique numquam Hierosolymis suam sedem transtulisse.

Quarta conditio sumitur ex factis Antichristi in Scriptura depictis, quæ in Romanos Pontifices minimè conueniunt: ille enim faciet ignem de cœlo descendere, & vt imago bestiæ loquatur; finget etiam se mori, & resurgere, vt habetur Apocal. 13. Antichristus tres Reges, nimirum Ægypti, Lybiæ, atque Æthiopiæ expugnabit, & occidet, orbis Monarcha futurus, vt legitur Danielis cap. 11. à versu 40. Ingenti prælio (quod prælium vocatur Gog, & Magog) & persecutione Christianos toto orbe diffusos affliget, Apoc. 20. 7. nihil autem horum factum ab omnibus, & singulis Pontificibus nec legimus, nec audiuimus.

Quinta tandem, & vltima conditio Antichristi attenditur penes eius doctrinam, quæ à doctrina Pontificis Romani erit diuersissima. Primùm enim Antichristus negabit Iesum esse Christum, ac proindè oppugnabit omnia Saluatoris nostri instituta, vt Baptismum, confirmationem, & cætera nouæ legis Sacramenta; docebit numquam cessasse circumcisionem, Sabbatum, & alias veteris legis cęremonias; 1. Ioannis cap. 2. [Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum? & hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium.] Deindè vbi persuaserit nostrum Saluatorem non esse verum Christum, tunc asseret se esse talem in lege, ac Prophetis promissum, & prænuntiatum, Ioannis cap. 5. vers. 43. [Si quis venerit in nomine suo, illum recipietis,] nimirum pro Messia. Insuper affirmabit se Deum esse, & pro Deo coli volet, 2. Thessal. cap. 2. [Qui extollit se super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.] Et Danielis 11. Deum patrum suorum non reputabit, [nec quemquam Deorum curabit, quia aduersùm vniuersa consurget.

At Summus Pontifex Romanus Christum Dominum apertè colit, & veneratur, ipsius indignum seruum se appellat, Canones, ac decreta antiquorum Conciliorum de Christi diuinitate, atque maiestate diligentissimè custodit, & custodienda docet, constantissimèque prædicat non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri; Summus ergo Pontifex Romanus non est Antichristus, siue loquamur de illo propriè, siuè impropriè, & communiter sumpto, quatenus significat hominem quoquomodo Christum oppugnantem; sed verus illius in terris Vicarius, vt superiùs dictum fuit.

Quod si obijciatur, eum esse non posse Christi Vicarium, cuius mores maximè discrepent ab ea vitę ratione, quam tenuit Christus, vt in Romano Pontifice videre est. Siquidem Christus humilitatem docuit, & præ se tulit; numquam se adorari passus est: terrena imperia sibi oblata, etiam fuga inita declinauit; nullibi legitur eum equitasse, sed asino tantùm insidentem aliquando Hierosolymam venisse: Apostolis magna animi submissione seruiuit, eorumque pedes finaliter lauit. Contra verò Pontifex Romanus vult adorari, fideles ad pedum osculum admittit; magna pompa, non solùm equis, sed humeris hominum gestatur; triplici corona tamquam Rex Regum ornari præsumit, & sic de cæteris. Igitur Romanus Pontifex non tàm est Christi Vicarius, quàm eius aduersarius, hoc est Antichristus.

Respondetur huic obiectioni primò negando maiorem propositionem, quia officium Vicarij, non tàm in imitatione vitæ, & morum, quàm in auctoritate, & potestate sibi ab eo, cuius vicarius existit, collata est positum. Multi enim sunt Regum Vicarij, & Proreges, qui nihil minùs, quàm Reges suos moribus referunt, & tamen Proreges esse non desinunt propter acceptam à veris Regibus auctoritatem.

Secundò respondetur negando absolutè, Roma-

Romanum propterea Pontificem contrariam Christo vitam instituere, quod cùm ille honores fugerit, hic eosdem admittat, & quærat; tùm quia Christus ipse se à Magis, à Leproso, à Centurione, & alijs diuino honore coli, & adorari permisit, qui honor numquam est alicui Romano Pontifici delatus; nam genua flectere, humeris gestare, pedes osculari, mitra, aut coronis ornari, & si quæ sunt aliæ huiusmodi externæ actiones, cum sine vitio, quandoque ex causa etiam, alijs hominibus magna præsertim aliqua dignitate fulgentibus fiant, nullatenus dici possunt argumenta, vel signa eius adorationis, & cultus, qui soli Deo tamquàm supremo omnium Domino debetur. Tum maximè quia Summus Pontifex non sibi honorem illum vendicat, sed in Christum refert, cuius vices in terris gerit, & gloriam aliquo modo repræsentat. Etsi enim Christus in hac vita mortali honores non quæsierit, regnum fugerit, discipulis ministrarit; cùm venisset contumelias pati, & iniurias sustinere ad satisfaciendum pro peccatis nostris; nihilominùs post mortem ad vitam reuocatus, & ad dexteram Patris considens in cœlis, honorem sibi vult deferri ab vniuersa creatura, quia [Deus exaltabit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genuflectatur.] Philippens. cap. 2. Vult inquam sibi gloriam, & honorem tribui ab Angelis, Sanctisque in cœlo, & Sancto nomini suo Iesu, sacrisque imaginibus, per quas in terris repræsentatur, nec non Summis Pontificibus Romanis Vicarijs suis, qui ibidem eius munus, & personam sustinent.

Vndè tantùm abest, quod per reuerentiam Summis Pontificibus exhibitam, aliquid ab ipsis, aut à fidelibus contra debitum Christo cultum, & honorem fiat, quin potiùs sui erga illum obsequij certius, & euidentius argumentum dare non possunt. Quemadmodum enim Regis, aut Imperatoris legatus, quacumque tamdem ex se conditione, vita, & moribus fuerit, ab his subditis, qui summo regem amore prosequuntur, magno quoque honore afficitur, & loco Regis habetur, ab hisque solis contemnitur, qui in Regem alieno sunt animo. Ipse verò legatus in Regis sui honorem, non tantùm sibi reuerentiam exhiberi patitur, sed etiam vbi id non præstatur ægrè fert, vt satis nos quotidiana docet experientia. Ita etiam Ecclesia dilectissima Christi sponsa Vicario sponsi sui summum, qui in terris homini competere potest, honorem defert, quem illi inuident soli aduersarij, & hostes Christi, eiusque Ecclesiæ. Ipsius autem Vicarij munus, & officium est, non quidem sibi, sed Christo Domino suo oblatum in persona sua honorem non reijcere. Quod enim Regum Legatis, atque Vicarijs laudi ducitur, non video cur, aut quomodo soliùs Christi Vicario dari vitio possit.

At dices, Beatus Petrus Apostolus numquam talem honorem admisit: respondeo eum quoque debitam sibi à fidelibus reuerentiam suo tempore, & loco recepisse, vt satis constat ex historia Euangelica. Cæterum quia paupertate, & abiectione fundanda erat Ecclesia, & infideles ad eam humilitate, & patientia trahendi, conueniens non fuit, quod tàm ipse, quam primi Pontifices tantis abundarent diuitijs, quodque tanto ceremoniarum externarum apparatu debitus illis honor redderetur; ne infideles non in Christi, sed in Pontificum personam dumtaxat respicientes indè offenderentur, putarentque eius fidem non potentia Dei, sed humanis opibus vbique terrarum disseminatam fuisse. At iam explosо idolorum cultu, domitoque non ferro, sed ligno vniuerso terrarum orbe, debuit in tantæ humilitatis præmium, ac fructum apud Christianos Christi sui amantes, etiam in ipsis eius Vicarijs, talem qualem modò videmus honorem Christo haberi, & ipsi ab ijsdem admitti, non tàm sibi, quàm nomini eius gloriam dantibus! Nec enim minorem cultum, & ornatum nouæ, quàm veteris legis Pontifices merebantur, cuius Summus Sacerdos diuino iussu thyaram hyacinthinam habuit, circumdatam aurea corona triplici, vt testatur Ioseph lib. 3. Antiquit. cap. 11. in typum diadematis Summorum Pontificum Christianorum tribus coronis distincti, quale sub annum Domini 516. Clodoueus I. Francorum Rex Christianissimus, suasu Beati Remigij Episcopi, Hormisdæ Papæ misit, vocatum Regnum, vt ait Hincmarus Episcopus Remensis in vita S. Remigij, quo ternarum in illo coronarum numero rectè significatur plenitudo Ecclesiæ potestatis, qua supremus Christi Vicarius super omnes Ecclesiæ præsules eminet; non secus ac, ad eamdem plenam in sæcularibus negotijs potestatem indicandam, aliqui docent etiam Imperatorem triplici diademate coronari; ferreo, propter inuictam fortitudinem. Argenteo, propter splendorem, & nobilitatem; Aureo propter supremam præ omnibus Christianis regibus, & principibus dignitatem ex 5. gloss. in Clem. de iureiur. cap. 1.

Tamdem sicut sub prætextu fictæ humilitatis Pontificia infula neminem offendere debet, ita nec sub prætextu pietatis, quod aliqui forsan Summi Pontifices perditissimis fuerint moribus, grauissimisque vitijs, excepta hæresi, Cathedræ Apostolicæ puritatem ac sanctitatem commacularint; simili enim Donatistarum prætextui occurrens Diuus Augustinus epistola 105. ait: [In illum autem ordinem Episcoporum, qui dicitur ab ipso Petro, vsque ad Anastasium, qui nunc eamdem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens ait de præpositis malis; quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt, vt certa sit spes fidelium, quæ non in homine, sed in Domino collocata numquam tempestate sacrilegi schismatis dissipetur.] Et lib. 2. contra literas Peril. cap. 22. [Cùm tales sederint super cathedram Moysi, nempe Pharisæi, cui Dominus honorem seruauit, quare vos, propter eos, quos istis, siue iustè, siue iniustè comparatis, Cathedram Apostolicam blasphematis.] Quod idem docet Hieronymus dum epistola 62. ad Theophil. scribens ait; [Non sumus tàm inflati cordis, vt ignoremus, quid debeatur Sacerdotibus Christi, qui enim eos recipit, non tàm eos recipit, quàm illum, cuius Episcopi sunt.

En

En quomodo aduersùs Sectarios ex fulgentissimis Ecclesiæ syderibus Hieronymo, & Augustino habemus; quod si quandoque successorum aliquis vita dissimilis Petro fuerit: illi tamen propter eiusdem dignitatis cum Petro consortium, eadem obedientia, idemque honor debetur, qui & Petro. Ecce quomodo non in Petri, aliorumque Christi Vicariorum persona conquiescit honor, sed per illos transit ad Christum, cuius intuitu dumtaxat illis exhibetur.

CAP. XII.

Sacræ successionis Romanorum Pontificum series.

CVm superiùs satis, superque demonstratum à nobis fuerit, solum Pontificem Romanum legitimè Diuo Petro, tamquam vniuersali Ecclesiæ Pastori, & Capiti semper successisse, atque etiamnum continuata serie indesinenter succedere, placuit hìc sacræ huius successionis seriem proponere, tùm ad soluenda aliqua Sectariorum argumenta contra illam fieri solita; tùm maximè quia hæc successio tanti semper æstimata est à Sanctis Patribus, vt D. Augustinus in Ecclesia Catholica per eam se retineri apertissimè fateatur libro contra Epistolam fundamenti cap. 4. [Tenet me, inquit, ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.] Quod si asseruit D. Augustinus de continua 40. tantùm Pontificum, qui vsq; ad eius tempora numerabantur, successione: quid si illam vidisset protractam supra 233. numerum. Attamen quia innumeri penè Scriptores, quorum opera præ omnium manibus habentur, tabulas Chronologicas, tàm electionis, quàm sedis, & obitus vniuscuiusque Pontificis diligentissimè conscripserunt, nudum hic tantùm illorum catalogum per vnũquodque sæculum breuiter contexam.

Primum Seculum.

1 D. Petrus Apostolorum Princeps.
2 Linus Hetruscus.
3 Cletus Romanus.
4 Clemens Romanus.
Hic statim occurrit dubium, quis immediatè Diuo Petro successerit, aliqui enim volunt fuisse Clementem, ità vt Linus, & Cletus Summi Pontifices non fuerint, sed tantùm Petri coadiutores, ob idque inter Episcopos Romanos annumerentur, quæ sententia licèt habeat plures alicuius etiam notę patronos, probabilior tamen est opposita, quæ docet Linum Petro, Lino Cletum, ac tandem huic Clementem successisse, de qua vide Baron. ad annum Christi 69.

Secundum Seculum.

5 Anacletus Atheniensis.
6 Euaristus Syrus.
7 Alexander Romanus.
8 Sixtus Primus Romanus.
9 Telesphorus Grȩcus.
10 Higinius Atheniensis.
11 Pius Primus Aquileiensis.
12 Anicetus Syrus.
13 Sother Campanus.
14 Eleutherius Græcus.
15 Victor Primus Afer.
16 Zephyrinus Romanus.

Tertium Seculum.

17 Calixtus Primus Romanus.
18 Vrbanus Primus Romanus.
19 Pontianus Romanus.
20 Antherus Græcus.
21 Fabianus Romanus.
22 Cornelius Romanus.
23 Lucius Romanus.
24 Stephanus Primus Romanus.
25 Sixtus Secundus Græcus.
26 Dionysius Primus Græcus.
27 Felix Primus Romanus.
28 Eutychianus Thuscus.
29 Caius Dalmata.
30 Marcellinus Romanus.

Quartum Seculum.

31 Marcellus Primus Romanus.
32 Eusebius Græcus.
33 Melchiades Afer.
34 Syluester Primus Romanus.
35 Marcus Romanus.
36 Iulius Primus Romanus.
37 Liberius Romanus.
Huius Papæ anno sexto, quo ob incautam cum Arianis habitam communicationem Roma abire debuit, electus est in Papam Felix Secundus. Sed cùm vnicum annum, & tres menses dumtaxat sedisset in Cathedra, factione Imperatoris Constantij Ariani occisus Martyr occubuit. Quia autem post eius obitum Liberius Papa in locum suum restitutus est, multisque annis porro in Cathedra sedit: Veteres Felicem istum, tamquàm illegitimè priore Pontifice adhuc viuente electum, non posuerunt in ordine Summorum Pontificum; sed qui referunt, hic incipiunt numerum Paparum vno augere: de quo vide Cardin. Baronium ad annum Christi 357. tomo 3. Annalium.
38 Felix Secundus.
39 Damasus Hispanus.
40 Siricius Romanus.
41 Anastasius Romanus.

Quin-

Quintum Seculum.

42 Innocentius Primus Albanus.
43 Zozimus Cappadox.
44 Bonifacius Primus Romanus.
45 Sixtus Tertius Romanus.
46 Leo Primus Magnus Romanus.
47 Hilarius Sardus.
48 Simplicius Tiburtinus.
49 Felix Tertius Romanus.
50 Gelasius Primus Afer.
51 Anastasius Secundus Romanus
52 Symmachus Sardus.

Sextum Seculum.

53 Hormisda Italus Campanus.
54 Ioannes Primus Hetruscus.
55 Felix Quartus Beneuentanus.
56 Bonifacius Secundus Romanus.
57 Ioannes Secundus Romanus.
58 Agapetus Romanus.
59 Siluerius Campanus.
60 Vigilius Romanus.
61 Pelagius Primus Romanus.
62 Ioannes Tertius Romanus.
63 Benedictus Primus Romanus.
64 Pelagius Secundus Romanus.
65 Gregorius Primus Magnus Romanus.

Septimum Seculum.

66 Sabinianus Thuscus.
67 Bonifacius Tertius Romanus.
68 Deodatus, vel Deusdedit Romanus.
69 Bonifacius Quintus Neapolitanus.
70 Honorius Primus Campanus.
71 Seuerinus Romanus.
72 Ioannes Quartus Dalmata.
73 Theodorus Primus Hierosolymitanus.
74 Martinus Primus Tudertinus.
75 Eugenius Primus Romanus.
76 Vitalianus Signinus.
77 Adeodatus Romanus.
78 Domnus, vel Domnio Romanus.
79 Agatho Panormitanus Siculus.
80 Leo Secundus Catanensis Siculus.
81 Benedictus Secundus Romanus.
82 Ioannes Quintus Antiochenus Syrus.
83 Conon, vel Cuno Trax.
84 Sergius Primus Antiochenus Syrus.

Octauum Seculum.

85 Ioannes Sextus Græcus.
86 Ioannes Septimus Grecus.
87 Sisinnius Antiochenus Syrus.
88 Constantinus Syrus.
89 Gregorius Secundus Romanus.
90 Gregorius Tertius Syrus.
91 Zacharias Primus Græcus.
92 Stephanus Secundus Romanus à nonnullis omissus, quia die tertia obijt.
93 Stephanus Tertius Romanus.
94 Paulus Primus Romanus.
95 Stephanus Quartus Siculus.
96 Hadrianus Primus Romanus.
97 Leo Tertius Romanus.

Nonum Seculum.

98 Stephanus Quintus Romanus.
99 Paschalis Primus Romanus.
100 Eugenius Secundus Romanus.
101 Valentinus Romanus.
102 Gregorius Quartus Romanas.
103 Sergius Secundus Romanus; aliqui hunc primum fuisse tradunt Romanum Pontificem, qui creatus Papa nomen sibi mutauerit, eo quod Os-Porci dictus, nomen indecens tanto Sacerdotio visus esset habere; verum id ad Sergium Quartum pertinere dicemus infra.
104 Leo Quartus Romanus.
105 Benedictus Tertius Romanus.
106 Nicolaus Primus Magnus Romanus.
107 Hadrianus Secundus Romanus.
108 Ioannes Octauus Romanus.
109 Marinus Primus Galesianus Faliscus.
110 Hadrianus Tertius Romanus.
111 Stephanus Sextus Romanus.
112 Formosus Portuensis.
Post hunc Papam Onuphrius, & alij ponunt Bonifacium Sextum Romanum, quem tamen Cardinalis Baronius negat pro legitimo habitum, quod Sedem inuaserit violenter, & dies dumtaxat quindecim detinuerit, eiectus à Stephano sequenti.
113 Stephanus Romanus.
Hic etiam Onuphrius, & aliqui alij subiungunt Romanum quemdam Hetruscum, cuius Cardinalis Baronius prorsus non meminit.
114 Theodorus Secundus Romanus.
115 Ioannes Nonus Tiburtinus.
116 Benedictus Quartus Romanus.

Decimum Seculum.

117 Leo Quintus Ardeatinus ex Latio.
118 Christophorus Primus Romanus, qui creatus Papa 8. Kalendas Iulij anno Christi 907. inuitus debuit cedere Pontificatu 9. Kalendas Ianuarij anno Christi 908.
119 Sergius Tertius Romanus.
120 Anastasius Tertius Romanus.
121 Lando Sabinus.
122 Ioannes Decimus Archiepiscopus Rauennas.
123 Leo Sextus Romanus.
124 Stephanus Octauus Romanus.
125 Ioannes Vndecimus Romanus.
126 Leo Sextus Romanus.
127 Stephanus Nonus Romanus.
128 Martinus Secundus Romanus.
129 Agapetus Secundus Romanus.
130 Ioannes Duodecimus Romanus. Primus hic inuentus ex Baronio qui mutauit sibi nomen, vt qui ex Octauiano, voluerit nominari Ioannes.
Hic interserit Onuphrius Leonem Octauum, Benedictum autem Quintum sequen-

sequentem omittit; sed Cardinalis Baronius contra ostendit, Leonem istum illegitimè electum Ioanne Duodecimo adhuc viuente; Benedictum verò legitimè electum fuisse post obitum Ioannis.

131 Benedictus Quintus Romanus.
132 Ioannes Decimustertius Romanus.
133 Domnus Secundus, vel Domnio Romanus.
134 Benedictus Sextus Romanus.
Hic etiam interserit Onuphrius Bonifacium Septimum quem tamen Cardinalis Baronius tamquam violentum inuasorem Pontificatus negat in ordine Pontificum collocatum fuisse ab antiquioribus.
135 Benedictus Septimus Romanus.
136 Ioannes Decimusquartus Papiensis.
137 Ioannes Decimusquintus Romanus.
138 Gregorius Quintus Germanus Saxo.
139 Syluester Secundus Aquitanus Gallus.

Vndecimum Seculum.

140 Ioannes Decimusoctauus Romanus; cur omittantur in numero Ioannes Decimussextus, & Decimusseptimus, vide Cardinalem Baronium tomo 11. Annalium ad annum Christi 1003.
141 Sergius Quartus Romanus. Ab aliquibus tribuitur primùm huic Pontifici nominis mutatio, quòd priùs Os-porci, vel Buccaporci diceretur; verùm iam notauimus supra id primùm in Ioanne Decimosecundo contigisse; neque id præstitit hic Sergius ob turpitudinem nominis, sed culminis Apostolici reuerentiam, cùm Petrus antea vocaretur.
142 Benedictus Octauus Romanus, ex Tusculanis.
143 Ioannes Decimusnonus Romanus, dictus Vigesimus ab alijs.
144 Benedictus Nonus Romanus.
145 Gregorius Sextus Romanus.
146 Clemens Secundus Germanus Saxo, primus vsus gentilitijs insignibus.
147 Damasus Secundus Germanus Bauarus.
148 Leo Nonus Germanus ex Franconia.
149 Victor Secundus Germanus.
150 Stephanus Decimus Lotharingus.
151 Nicolaus Secundus Episcopus Florentinus eligitur contra Benedictum Decimum Pseudo-papam, eoque pulso consecratur Romæ.
152 Alexander Secundus Mediolanensis.
153 Gregorius Septimus Hetruscus, antea Hildebrandus dictus.
154 Victor Tertius Beneuentanus.
155 Vrbanus Secundus Gallus.
156 Paschalis Secundus Thuscus.

Duodecimum Seculum.

157 Gelasius Secundus Caietanus.
158 Calixtus Secundus Burgundus.
159 Honorius Secundus Bononien.
160 Innocentius Secundus Romanus.
161 Cœlestinus Secundus Thuscus.
162 Lucius Secundus Bononiensis.
163 Eugenius Tertius Pisanus.
164 Anastasius Quartus Romanus.
165 Hadrianus Quartus Anglus.
166 Alexander Tertius Senensis.
167 Lucius Tertius Lucanus.
168 Vrbanus Tertius Mediolanensis.
169 Gregorius Octauus Beneuentanus.
170 Clemens Tertius Romanus.
171 Cœlestinus Tertius Romanus, in hoc desinit tomus 12. Annalium Cardinalis Baronij.
172 Innocentius Tertius Anagninus.

Decimumtertium Seculum.

173 Honorius Tertius Romanus.
174 Gregorius Nonus Anagninus.
175 Cælestinus Quartus Mediolanensis.
176 Innocentius Quartus Genuensis. Hic primus inter Pontifices purpureo pileo Cardinales exornauit.
177 Alexander Quartus Anagninus.
178 Vrbanus Quartus Trecensis Gallus.
179 Clemens Quartus Narbonensis Gallus.
180 Gregorius Decimus Placentinus.
181 Innocentius Quintus Burgundus.
182 Hadrianus Quintus Genuensis.
183 Ioannes Vigesimus Lusitanus; mirantur aliqui cur iste Ioannes dici voluerit Vigesimusprimus, cùm nullu præcesserit Vigesimus.
184 Nicolaus Tertius Romanus.
185 Martinus Secundus Turonensis Gallus.
186 Honorius Quartus Romanus.
187 Nicolaus Quartus Asculanus.
188 Cœlestinus Quintus Eseruiensis, qui raro exemplo dimissa spontè Pontificia dignitate ad Monasterium redijt.
189 Bonifacius Octauus Anagninus. Cardinalibus S. R. E. purpureas vestes dedit.

Decimumquartum Seculum.

190 Benedictus Decimus, dictus Vndecimus Taruisinus Ordinis Prædic.
191 Clemens Quintus Burdegalensis Gallus.
192 Ioannes Vigesimus primus dictus Vigesimussecundus Cadurcensis Gallus.
193 Benedictus Vndecimus dictus Duodecimus Fornerius.
194 Clemens Sextus Lemouicensis Gallus.
195 Innocentius Sextus Lemouicensis Gallus.
196 Vrbanus Quintus Mimatensis Gallus.
197 Gregorius Vndecimus Lemouicensis Gallus, qui reduxit Sedem ad Vrbem.
168 Vrbanus Sextus Neapolitanus, contra quem sedit Auenione Clemens dictus Septimus antea Robertus Gebennensis.
199 Bonifacius Nonus Neapolitanus.

Decimumquintum Seculum.

220 Innocentius Septimus Sulmonensis.
201 Gregorius Duodecimus Venetus.
Alexander Quintus Cretensis, viuente Gregorio Duodecimo, nàm cum in schismate contra Vrbanum Sextum, Clementi dicto Septimo successisset Benedictus Decimustertius, & huic schismati vellet Concilium Pisanum remedium adhibere, creauit Alexandrum Quintum. Indèque tres Pontifices simùl sederunt Gregorius Duodecimus, Benedictus Decimustertius in Concilio Constantiensi posteà depositus, & Alexander Quintus interim mortuus, & paulò post Ioannes Vigesimussecundus, aliàs Vigesimustertius Neapolitanus in Concilio pariter Constantiensi depositus. De quo infrà cap. 14.
292 Martinus Tertius Romanus, qui dictus est Quintus ab his, qui nomen Martini, & Marini in serie Pontificum confundunt.
302 Eugenius Quartus Venetus, contra quem sedit in Gallia Felix Quintus, anteà Amedæus Dux Sabaudiæ, creatus in Concilio Basileensi.
204 Nicolaus Quintus Lucanus.
205 Calixtus Tertius Valentinus Hispanus.
206 Pius Secundus Senensis, Æneas Syluius dictus.
207 Paulus Secundus Venetus.
208 Sixtus Quartus Saonensis.
209 Innocentius Octauus Genuensis.
310 Alexander Sextus Borgia Valentinus Hispanus.

Decimumsextum Seculum.

211 Pius Tertius Senensis.
212 Iulius Secundus Sauonensis.
213 Leo Decimus Florentinus.
214 Hadrianus Sextus Traiectensis Flander.
215 Clemens Septimus Florentinus.
216 Paulus Tertius Farnesius Romanus.
217 Iulius Tertius Aretinus.
218 Marcellus Secundus Politianus.
219 Paulus Quartus Neapolitanus.
220 Pius Quartus Mediolanensis.
221 Pius Quintus Alexandrinus.
222 Gregorius Decimustertius Bononiensis.
223 Sixtus Quintus ex Marchia Anconitana.
224 Vrbanus Septimus Romanus.
225 Gregorius Decimusquartus Mediolanensis.
226 Innocentius Nonus Bononiensis.
227 Clemens Octauus Florentinus.

Decimumseptimum Seculum.

228 Leo Vndecimus Florentinus Medices.
229 Paulus Quintus Romanus.
230 Gregorius Decimusquintus Bononiensis.
231 Vrbanus Octauus Florentinus.
232 Innocentius Decimus Romanus.
233 Alexander Septimus Senensis.
234 Clemens Nonus Pistoriensis.

CAPVT XIII.

Notæ quædam Historicæ circa adductum Summorum Pontificum Cathalogum.

PRimò, obseruandum est Scriptores Ecclesiasticos circa determinatum Summorum Pontificum numerum aliquando inter se dissentire, quòd aliqui nonnullos pro legitimis habeant, quos alij vt illegitimos prætereunt.

Secundò, notandum est sancti Petri dies à nullo successorum huc vsque exæquatos fuisse, qua de re legendus est Cardinalis Petrus Damianus lib. 11. epist. 17. & Rodericus Zamorensis libro 2. cap. 4. Speculi vitæ humanæ.

Tertiò, iuxtà Martyrologium Romanum ex Summis Pontificibus, 35. Martyres, & 37. Confessores in Sanctorum numerum relatos habemus.

Quartò, 52. Pontifices recensentur, qui è diuersis Religiosorum Ordinibus ad Pontificiam dignitatem virtutis merito euecti sunt.

Quintò, si considerentur variæ Nationes è quibus creati fuere Summi Pontifices; ex Gallia habuimus 14. ex Hispania 4. ex Germania 4. ex Anglia 1. ex Belgio 1. ex Græcia 15. ex Syria 7. ex Africa 3. ex Sardinia 2. Natione Itali, aut patria Romani fuere cæteri omnes.

Sextò, Ludouicus Iacob à sancto Carolo Ordinis Carmelitarum libro 2. Bibliothecæ Pontificiæ refert 213. Summos Pontifices, qui scriptis claruerunt à sancto Petro, vsque ad Sanctissimum Dominum Nostrum Vrbanum felicis memoriæ VIII.

Septimò, notandum est tam à Cardinali Baronio in Annalibus, quàm ab alijs Scriptoribus Ecclesiasticis sæpiùs mentionem fieri diuersorum in Ecclesia ortorum schismatum.

Primum fuit Nouatiani Antipapæ, contra Cornelium Summum Pontificem sub anno Domini 254.

Secundum fuit Felicis cum Liberio sub anno Domini 358. sed vterque etiam aliquo tempore legitimus Pontifex fuit ex Cardinali Baronio ad eumdem annum.

Tertium fuit Vrsicini contra Damasum sub anno 368.

Quartum fuit Eulalij contra Bonifacium I. sub anno 419.

Quintum fuit Laurentij contra Symmachum sub anno 499.

Sextum fuit Dioscori contra Bonifacium II. sub anno 530.

Septimum fuit Vigilij contra Syluerium; sed Syluerius posteà spontè se Pontificatu abdicauit, & tunc Vigilius ritè electus multa pro fide Catholica præstitit sub anno 537.

Octauum fuit Petri Archiepiscopi, & Theo-

Theodori Presbyteri; Romani enim Petrum, exercitus verò Theodorum in Ioannis V. demortui locum sufficere conabantur, sed Diuino monitu Conon eligitur sub anno 686.

Nonum fuit sub anno 687. nàm mortuo Conone, vna pars Populi Romani elegit Theodorum, altera Paschalem; sed primates Iudicum, & exercitus Romanæ militiæ, & Cleri plurima pars in sacro Palatio conueniens Sergium elegit.

Decimum fuit Constantini Tutinis Ducis Nepesini fratris, qui per vim introductus fuit sub anno 767. sed anno 768. cùm expulsus fuisset, electus fuit Stephanus IV.

Vndecimum fuit Zinzinij contra Eugenium II. sub anno 824.

Duodecimum fuit cuiusdam Ioannis Diaconi, qui per vim in Patriarchiam se intruserat sub anno 844.

Decimumtertium fuit Anastasij contra Benedictum III. sub anno 855.

Decimumquartum fuit Sergij contra Formosum sub anno 891.

Decimumquintum fuit Leonis, & Benedicti contra Ioannem XII. qui licentiosè viuebat, sub anno 963.

Decimumsextum fuit sub anno 1044. tribus Sedem Petri occupantibus; Benedictus in Lateranensi Palatio, Siluester apud sanctam Mariam Maiorem, tertius verò apud sanctum Petrum morabatur; is fuit Gregorius VI. qui posteà pacificè Ecclesiam gubernauit, & tamquam legitimus Pontifex omnia rectè disposuit.

Decimumseptimum fuit Ioannis Veliterni, qui Benedicti nomen accepit contra Nicolaum II. sub anno 1058.

Decimumoctauum fuit Cadaloi contra Alexandrum II. sub anno 1061.

Decimumnonum fuit Guiberti contra Gregorium Papam VII. anno 1081.

Vigesimum fuit Petri Leonis contra Innocentium II. sub anno 1130.

Vigesimumprimum fuit Octauiani contra Alexandrum III. sub anno 1156.

Vigesimumsecundum fuit Petri de Corbario contra Ioannem XXI. aliàs XXII. opera Ludouici Bauari Imperatoris intrusi sub anno 1328.

Vigesimumtertium fuit sub anno 1378. Clementis Antipapæ, quem VII. appellant contra Vrbanum VI. Hoc schisma fuit omnium longissimum, durauit enim per spatium quadraginta annorum, pluribus in mortuorum locis suffectis; nàm Clementi successit in schismate Benedictus XIII. cui volens Concilium Pisanum remedium adhibere, illud auxit, creato Alexandro V. inde enim tres Pontifices simùl sederunt Gregorius XII. Benedictus XIII. & paulò post Ioannes XXII. aliàs XXIII. Donec tandem in Concilio Constantiensi sublatum fuit, in illo enim Gregorius XII. spontè se abdicauit, idem paulò post præstitit Ioannes XXIII. Benedictus autem fuit depositus, sed noluit dimittere prætensam dignitatem.

Vigesimumquartum fuit Clementis Antipapæ mortuo Benedicto XIII. contra Martinum V. in præfato Concilio Constantiensi electum, sub anno 1440.

Vigesimumquintum fuit schisma Felicis Antipapæ, aliàs Amedæi Ducis Sabaudiæ, contra Eugenium IV, sub anno 1439.

Octauò tandem, tam ex adducto superiori capite Summorum Pontificum cathalogo, quàm in hoc diuersorum schismatum, quæ pacem Ecclesiæ non mediocriter turbauerunt, fideliterque relata in veteribus historiæ Ecclesiasticæ monimentis reperiuntur, facilè conuincitur falsitatis impudentissimi Hæreticorum commentum, quod Papa Ioannes VIII. vel alius mulier fuerit, cùm non possit assignari tempus, quando illa ficta mulier Pontificatū gesserit. Nàm Ioannes VIII. mulier non fuit, sed ciuis Romani Gundi filius sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus Cardinalis, seditque in Cathedra sancti Petri annis 10. ab anno videlicet Christi 872. 19. kalendas Ianuarij, vsque ad annum 882. 18. kalendas Ianuarij, quo mortuus est.

Verùm quia tam ex hac fabula, quàm ex diuersis schismatibus, quæ fuerunt in Ecclesia, communiter sectarij interruptam Apostolicam successionem obijciunt, vndè & tunc Ecclesiam Romanam perijsse subinferunt, licèt in tempore non concordent, vtrùmque breuiter examinabimus in duobus sequentibus capitibus.

CAPVT XIV.

An ex Schismatibus, quæ in Ecclesia Catholica fuerunt, Apostolica Romanorum Pontificum successu interrupta fuerit.

Affirmatiuam partem tenent Hæretici, Caluinus in præfat. institut. & alij; constanter nihilominùs asserendum est ex Schismatibus numquam fuisse interruptam seriem successionis Apostolicæ, seu Pontificalis in Ecclesia Romana, quod sic ostendo.

Vel enim talia schismata fuerunt per hoc, quod semel de vera, & legitima alicuius Summi Pontificis electione, post Ecclesiæ acceptationem, & receptionem, nec non etiā aliquarum functionum Pontificalium exercitationem, aliqui se se illi opponentes, seque ab eius obedientia separantes, alium Pseudopontificem loco illius intrudere conati sunt. Et in tali casu certum est impossibilem esse successionis Apostolicæ interruptionem; quandoquidem vbi semel est legitima alicuius Summi Pontificis electio, ibi esse non potest successionis Apostolicę interruptio. Vndè quemadmodùm nonnullorum infidelitas Dei fidem non euacuat, sic nec audacia Schismaticorum dictæ successionis filum interrumpit; vide Cyprianum epist. 51. 52. & 69. & Diuum Bernardum epist. 127. ad Gerardum Engolismensem, & Magistrum Grauina lib. 4. Cathol. præscript. controu. 4. artic. vlt.

Vel etiam schismata contingere possunt, quando pluribus inter se de Pontificatu contendentibus, omnes tamen sunt dubij, & incerti, itaut pro electione singulorum probabiles

biles suppetant rationes, vt accidit tempore Concilij Constantiensis; & in tali casu, quem non tam schisma vocant: aliqui, quàm dissidium, & controuersiam de dignitate Pontificatus, quis eam legitimè debeat possidere? in hoc inquam casu, filus successionis Apostolicæ, non magis abrumpitur, quàm si toto illo tempore Sedes vacaret; Sedis autem vacationem, quantumvis longissimam, non præiudicare successioni Apostolicæ, eiusque vnitati iàm supra notauimus.

Ex quibus colligitur adhùc resolutio illius difficultatis, quomodò se gerere debeant Catholici tempore schismatis, seu cùm Ecclesia in partes diuisa est, & Pontificum inter se contendentium dissidio laborat. Si enim certò constet vnum ex illis legitimum Pontificem esse, itaut de eius electione iustè, ac meritò dubitari nequeat, illi omninò est adhærendum, & ab alijs, tamquam ab illegitimis, & schismaticis recedendum.

Quod si cuncti sint dubij, & incerti, ita vt omnibus diligenter inspectis, & consideratis, pro electione singulorum probabiles existant rationes, tunc quod certum tenendum est prætermissis dubijs; nempè adhærendum Ecclesiæ, eiusque inuisibili Capiti Christo Domino; dubij autem Pontifices habendi, vt dubij, non magis vni adhærendo, quàm alteri, cùm id sine temeritate fieri non possit, quia re vera nullus eorum habet ius veri, & legitimi Pontificis; & cùm incertus, & dubius pro nullo in iure habeatur, perinde est, ac si nullus in Ecclesia Pontifex esset; & ideò si quis tunc Catholicus, cum aliquo dubio Pontifice communionem haberet, is meritò schismaticus haberetur, ni bona eum fides excusaret; donec in hac parte accederet Ecclesiæ determinatio, vt statim explicabimus.

Tempore igitur schismatis, non solùm vbi de valore electionis plurium Pontificum inter se diffidentium, dubium esset, sed aliquis etiam eorum pro vero agnosceretur Pontifice, posse ad tollendum schisma ab Ecclesia deponi putant aliqui Doctores, quibus videtur fauere factum Concilij Pisani, in quo Gregorius XII. Pontificia dignitate priuatus fuit, qui tamen multorum opinione verus erat Pontifex, aut saltem de eius, quàm de Petri de Luna, sub nomine Benedicti XIII. iure euidentiùs, probabiliùsque constabat: Ergo in schismate potest Ecclesia, ad illud tollendum verum Pontificem deponere.

Nihilominus longè veriùs existimo, quocumque quantumuis grauissimo schismate existente, Ecclesiam non posse eum cogere, qui reipsa verus sit Pontifex, ad talis dignitatis abdicationem, crederem tamen illum ad eam in conscientia teneri, si hoc ad Ecclesiæ pacem, & tranquillitatem iudicaret esse absolutè necessarium iuxta illud Ioannis 10. [Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis;] multò ergo magis honorem, & dignitatem, & hoc modo Gregorius XII. in Concilio Constantiensi per procuratorem Pontificatu cessit.

Ad factum autem Concilij Pisani, respondent aliqui illud Concilium fuisse illegitimum, verùm quidquid sit de hac difficultate, de qua sectione sequenti redibit sermo; respondetur id fecisse Concilium, quia tunc non satis constabat Gregorium esse verum, & indubitatum Pontificem; vnde cum simul cum Benedicto XIII. deponendum censuit, & eorum loco Alexandrum V. Cretensem Ordinis Minorum sufficit. Hoc tamen factum postea Concilium Constantiense voluntaria dicti Gregorij cessione priùs expetita emendauit.

Cæterum quodcumque in tali casu asseratur de auferibilitate Papæ ab Ecclesia, seu Concilio Generali, nihil iude sequitur, quod hìc præsertim intendimus; contra interruptā Summorum Pontificum Romanorum successionem, iuxta duplicem regulam superiùs assignatam; sed tantùm quod supposita semel in Ecclesia tali potestate deponendi verum, & legitimum Pontificem in dicto casu iuxta aliquorum sententiam, legitima etiam illorum successio esset attendenda penes talem Ecclesiæ potestatem. Hinc est quod illi Doctores, qui affirmatiuam partem tenent, Gregorio XII. assignant duos annos, menses sex, dies sex, veri & legitimi Pontificatus vsque ad eius depositionem in Concilio Pisano subrogato Alexandro V. Alij verò talem Concilij auctoritatem negantes, legitimum Gregorij XII. Pontificatum producunt vsque ad spontaneam eius abdicationem factam, in Concilio Constantiensi, vbi electus est Martinus.

In altero autem casu, quo nimirum plures inter se de Pontificatu contenderent, essetque dubium, & incertum, ad quem eorum talis dignitas pertineret, omninò tenendum est, tali stantedubio, Ecclesiam posse omnes deponere, aut ad renuntiandum iuri suo constringere. Ratio est, quia quamdiù pacificè, & indubitanter non constat de Pontificiæ electionis validitate, adhuc ipsa durare censetur, si quidem nondum perfectè terminata est, aut consummata, ita vt Ecclesiæ de certo de illa constet: igitur potest tunc agere, & iudicium ferre circa ipsum electum quatenus electio eius adhuc est dubia, & incerta. Probatur consequentia, nam Ecclesia habet plenum ius super Pontificiam electionem. Ergo quamdiù superest aliquid de illa propter dubietatem eius, adhuc subest auctoritati Ecclesiæ id perficere, & consummare, atque adeo iudicare potest de Pontificibus dubijs, tempore schismatis inde prouenientis.

Deinde hanc rationem confirmat exemplum Concilij Constantiensis, cum enim tunc magno totius Ecclesiæ scandalo, tres, vt iam sæpius diximus, se pro Pontificibus gererent, Benedictus XIII. Sedens Auenione, Greg. XII. Arimini, & Ioann. XXIII. Alexandri in Concilio Pisano electi successor, præfatum Concilium, sponte renuntiante Gregorio XII. & paulò post Ioanne XXIII. Benedictum XIII. deposuit, qui prætensam tamen dignitatem dimittere noluit; electo in eorum locum Martino V. ibique insuper determinatum fuit Pontifices debere obedire, & stare decretis Concilij illius legitimè congregati; quod intelligendum est secundùm subiectam, de qua tunc agebatur, materiam, existentibus videlicet Pontificibus dubijs, hi enim tenentur obedire Concilio, suntque illi subiecti, quia Ec-

Ecclesia, quæ repræsentatiuè, & auctoritatiuè est in Concilio Generali, iudicare potest de dubio Pontifice, & illum, ad sedandum quod inde resultat schisma, quale tunc etiam erat deponere. Nec in solo schismatis euentu sed in alio quocumque, si daretur rationabile dubium de veritate Papæ; aut electionis eius, vt si, inquit Caietanus de auctoritate Papæ cap.22. postquam electus est legitimus Pontifex, omnes Cardinales qui illum elegerant, morerentur, & nullus consequenter esset, qui Ecclesiæ de Pontifice electo testificaretur, aut ex Suarez in tractatu de fide disput.10. sect. 6. si Cardinales post electionem vellent rem vertere in dubium, & generaretur, in his, inquam, & alijs similibus dubietatis casibus, ad Ecclesiam pertineret iudicare, etiamsi in re verus Pontifex esset, non quia Pontifice superior sit, sed quia ipsi commissa est eius electio, eaque proinde superior est, & omnibus dubijs, quæ ex illa resultare possunt, per accidens autem eo, qui in re verus esset Pontifex; hinc enim habet ius; vt certa reddatur, de electo in Pontificem, & caput vniuersale, stanteque dubio in illum agendi tamquam in non receptum, nec indubitatum.

At dicet aliquis; quid si Ecclesia in talibus casibus iudicaret, non esse verum Pontificem, qui in re, & coram Deo talis esset? cum enim ille iam accepisset à Deo Pontificiam dignitatem ex vi suæ legitimæ electionis quantumuis Ecclesia illum deponeret; talis ab eo potestas auferri non posset, hæc enim sine ipsius electi culpa, aut voluntaria cessione deperdi non potest, & sic si Ecclesia ad aliam procederet electionem, iam duo in Ecclesia reperirentur habentes de facto, & coram Deo supremam Ecclesiæ potestatem, quod est absurdum, cum ex Christi Domini institutione vnus dumtaxat esse debeat supremus Ecclesiæ Pastor.

Respondetur primò ad hanc instantiam; Ecclesiam quidem non posse iudicare, & deponere verum, & indubitatum Pontificem sine vlla eius culpa; secus tamen eum, qui in re est verus, æstimatur autem dubius, aut qui in re est innocens, sed probatur nocens; sicut si in re non esset hæreticus, exteriùs tamen probaretur iuridicè eum esse hæreticum; quoniam sicut existente vera hæreseos culpa in sententia illorum, qui admittunt Summum Pontificem illi obnoxium esse posse amittere potest Pontificatum, non quando illam commisit, & nondum ab Ecclesia iudicata est, sed tantùm post ipsius declarationem; ita licet in re nullam talem habuerit culpam, si tamen ex declaratione Ecclesiæ illam habeat, quia sic iuridicè probatur, amittit quoque Pontificatum, nec mirum, sic enim expedit regimini Ecclesiæ, quæ humano fit modo secundùm probata, & allegata quæ solùm requirunt, veritatem iuridicam, non autem physicam, vel mathematicam; & aliunde Pontificatus non consistit in charactere, qui nulla sit actione delebilis, sed præcipuè in potestate iurisdictionis, quæ ex moralibus conditionibus pendere potest, ideòque ex culpa moraliter, & iuridicè notoria, licèt in re non sit, amitti.

Secundò respondetur verisimiliùs, illum casum impossibilem esse, quod nimirum Ecclesia in legitimo Concilio congregata iudicet aliquem non esse Pontificem, qui in reipsa, & coram Deo sit talis, hoc enim esset falli Ecclesiam vniuersalem in ferendo iudicio saltem circa rem grauissimam, quæque totum Ecclesiæ corpus maximè spectat; ita quod sicut Ecclesia falli non potest in iudicando alicuius Sancti Canonizationem, ita nec permitti à Deo, vt iudicet non esse Pontificem illum; qui re vera talis est, eumque deponat: Si enim in alijs rebus longè minoris momenti, experimur iuxta Christi promissionem manendi cum Ecclesia vsque ad consummationem seculi, manifestam ipsius assistentiam, ne in aliquem prolabatur errorem, multò magis id in præsenti casu debemus asserere, vbi agitur de legitima, & numquam interrupta Romanorum Pontificum successione, quam vnam ex præcipuis veræ Ecclesiæ notis esse voluit, vt à cæteris falsis cætibus discerneretur.

Cùm Ecclesia, à qua solùm, vbi opus est, fieri potest præfatum Summorum Pontificum iudicium, non quidem si consideretur entitatiuè, sed repræsentatiuè, non solùm ita sit in Generali Concilio legitimè congregato, sed aliquo etiam modo in SacroCardinalium Collegio, posset alicui suboriri dubium, an dictum etiam iudicium ad istud pertinere possit? cui Ioannes à S.Thoma 22. loco sæpius citato negatiuè respondet; Cardinalibus enim tantùm est commissa Pontificis electio, & non ampliùs, vt constat ex dictis supra; deinde ex vsu Ecclesiæ habemus numquam ad illos, sed ad Concilium Generale præfatam deponendi dubios Pontifices auctoritatem spectasse, vt satis patet ex Concilio Constantiensi. Si autem inquirat aliquis cuius tunc auctoritate conuocari debeat Concilium, existimo cum prædicto auctore id non esse alicui determinatè commissum, sed hoc præstari posse, vel ab Eminentissimis Cardinalibus, ad vniuersos Ecclesiæ Episcopos scribendo, ac facti notitiam illis communicando, vel ab ipsismet Episcopis propinquioribus, qui casum scirent; vel etiam instantibus secularibus Principibus, non quidem quantùm ad conuocationem coactiuam, sicut quando Summus Pontifex cogit Concilium, sed solùm denuntiatiuam, monendo, scilicet, vel rogando Episcopos, vt imminenti Ecclesiæ periculo quantociùs prouiderent. Sed de hoc iterum redibit sermo sectione sequenti cap.4. versùs finem.

CAPVT XV.

Vtrùm in serie Romanorum Pontificum, recensenda sit Ioanna dicta Papissa.

Affirmatiuam partem tenet huius temporis sectarij ferè omnes, ad labefactandam enim Apostolicam Romanorum Pontificum successionem, perditissimi Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ perduelles finxerunt in Sede Petri fœminam sedisse, quæ &

Papa

Papa Ioannes VIII. cognominata sit. Verùm dato quod ita esset, casus enim iuxta sententiam à nobis cap.10. propugnatam impossibilis est, nihil adhuc ea res Apostolicæ Romanæ Sedis successioni præiudicasset, vt egregiè notarunt Nicolaus Sanderus lib.7. de visibili Monarchia, Cardinalis Baronius ad annum Christi 853. & alij, sed ea omnia illa habenda essent, ac si toto illo biennio Sedes vacasset, vel ab intruso occupata fuisset, vacatio autem, vel intrusio legitimæ successionis filum interrumpit. Nunc ergo tantùm veritas facti breuiter examinanda est.

Hæretici pro parte affirmatiua primùm adducunt Martini Poloni testimonium, qui vixit circa annum Domini 1320. In Chronicis enim de anno 855. sequentia habet verba. [Post Leonem IV., videlicet, Ioannes Anglus natione Moguntinus sedit annis duobus, mensibus quinque, diebus quatuor: & cessauit Pontificatus mense vno. Hic, vt asseritur, fœmina fuit: & cum in puellari ætate à quodam suo amasio in habitu virili Athenas ducta fuisset, in diuersis scientijs ita profecit, vt nullus sibi par inueniretur, adeò vt post Romæ triuium legens, magnos magistros discipulos, & auditores haberet. Et cum in vrbe vita, & scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in Papatu per suum familiarem impregnatur: Verùm tempus partus ignorans, cum de sancto Petro in Lateranum tenderet, angustiata inter Colossæum, & sancti Clementis Ecclesiam peperit. Et postea mortua ibidem (vt dicitur) sepulta fuit. Et propterea quod Dominus Papa eamdem viam semper obliquat, creditur omninò à quibusdam, quod ob detestationem facti hoc faciat.] Hactenus Martinus Polonus primus omnino huius fabellæ narrator, à quo illam postea exscripserunt omnes illi auctores, Matthæus Palmerius, Platina, Marcus Antonius Sabellicus, Ioannes Nauclerus, & alij, quorum scriptis aspersa reperitur.

Secundò, in fauorem huius fabellæ adducunt hæretici consuetudinem Romanorum Pontificum, qui, vt statim retulimus ex Martino Polono, eamdem viam, vbi illa peperisse dicitur, si illac transire contigerit, semper obliquant, in tanti facinoris detestationem.

Tertiò, quod eiusdem vitandi erroris causa (pudet me profectò talia hæreticorum deliria referre) dùm primùm quis electus est Papa, in marmorea quadam sella collocatur, intus perforata, ad explorandum sit ne electus vir, &c.

Quartò, quod ob talis facti memoriam, statua mulieris cum puero, eo loco vbi dicitur Ioanna peperisse, ad nostra vsque tempora perseuerarit: Vnde & Baptista Mantuanus celeberrimus sui temporis Poeta circa annum Dom.1494. cecinit.

Hic pendebat adhuc, sexum mentita virilem
Fœmina, cui triplici Phrygiam diademate mitram
Extollebat apex, & Pontificalis adulter.

Nihilominus dicendum est, totam illam narrationem de fœmina Papa, non solum fabulam falsam omnino esse, immò nec extitisse, atque non veritate tantùm, sed verisimilitudine etiam omni carere, quod apertissimè sequentia demonstrant argumenta.

Primùm desumitur ab auctoritate omnium veterum Scriptorum, tàm Latinorum, quàm Græcorum, qui Summorum Pontificum Catalogos, quàm diligentissimè texuerunt, quorum nullus fœminæ istius vmquam meminit: Quod argumentum non est purè negatiuum, seu ab auctoritate negatiua, vt contendunt hæretici, sed etiam affirmatiua; dum enim ab illis immediatus successor Leonis IV. ponitur Benedictus III. apertè indicant, nullum fuisse Ioannem fœminam. Nam omnes qui illam admittunt, asserunt eam sedisse post Leonem IV. & ante Benedictum III. vixisseque in Pontificatu duobus annis, & quinque mensibus.

Primus igitur, qui hanc rem optimè nosse, & de illa scribere potuit, fuit Anastasius S.R.E. Bibliothecarius, qui illo tempore viuebat, atque præsens omnibus, vt testatur, ea ipsa scribebat. Ille igitur in Historia Romanorũ Pontificum scribit post Leonem IV. vacasse Sedem quindecim diebus, & mox communi omnium voto, & consensu creatum fuisse Benedictum III.

Dicent fortasse Anastasium in gratiam Pontificum omisisse istum Ioannem VIII. sed contra, nam primò Anastasio præfata scribenti, & testanti, nullus vmquàm contradixit eius seculi Scriptor, nec sequentis, neque eius, quod post secutum est tertium seculum, vsque ad Martinum Polonum primum auctorem confictæ fabellæ, quod est manifestum argumentum historicæ veritatis sincerè ab Anastasio conscriptæ. Secundò saltem debuisset ponere Sedem Apostolicam duobus annis cum medio vacasse, ne errorem exploratum in Chronologia perpetraret, & errorem, qui poterat refelli ab oculatis testibus, qui tunc viuebant, cuius tamen nullum habemus vestigium, vt statim dixi.

Quod si respondeatur, non esse errorem in Chronologia, quia duo isti anni, & medius Ioannis adduntur annis Leonis IV. Leo enim IV. dicitur ab Anastasio sedisse annis 8. qui ita numerandi sunt, vt sex tantùm anni sint ipsius Leonis, alij autem duo addantur ex annis Ioannis fœminæ. Contra est, nam non solùm Anastasius, sed etiam Martinus Polonus, & Platina, & Magdeburgenses, & Bibliander, & alij, qui scribunt Ioannem VIII. fœminam sedisse duobus annis cum dimidio, concedunt Leoni IV. annos octo Pontificatus: Igitur necessariò erit error in Chronologia Anastasij, si iste Ioannes ponatur fuisse Pontifex post Leonem.

Deindè non solus Anastasius, sed etiam Ado Viennensis, qui eodem floruit tempore, & de quo nulla suspicio esse potest, quod in gratiam Pontificum mentiri voluerit, docet in Chronicis ætate 6. nullum fuisse Ioannem inter Leonem IV. & Benedictum III. [Pontifex, inquit, Romanus Gregorius moritur, atque in eius loco Sergius ordinatur: illo defuncto Leo succedit, quo obeunte Benedictus in Sede Apostolica substituitur, iam tamen defuncto Lothario Imperatore.] Eodem loquun-

quuntur modo, Hugo Floriacensis, Rhegino, Lambertus, Hermannus Contractus, Florentius Wigoriensis, Honorius Augustodunensis, Nicolaus Maniacutius, & alij plures, quorum testimonia refert Coccius lib. 7. de Hierarchia Ecclesiastica artic. 14. Quis autem rationabiliter credat, meliùs nouisse res gestas circa annum Christi 850. Martinum Polonum, qui vixit circa annum 1320. quàm cæteros omnes historicos, qui vixerunt 9. 10. & 11. seculo.

Nam quod asserunt Centuriatores, Sigebertum Gemblacensem, & Marianum Scotum, Martino Polono longè antiquiores, Ioannis fœminæ in suis Chronicis meminisse, falsissimum est. In Chronicis enim Sigeberti, quorum exstat adhuc in Monasterio Gemblacensi, vbi fuit Monachus, antiquissimus codex manuscriptus, qui putatur ipsius Sigeberti Autographus, nulla penitus habetur mentio Ioannis fœminæ, vt suis oculis testatur se vidisse Ioannes Molanus Doctor Louaniensis, nec etiam reperitur in alijs manuscriptis codicibus Æquicinctino, Lipsiano, Orteliano, & altero publicato à Domino Auberto Miræo.

Igitur Henricus Stephanus senior, qui primus Sigebertum excudit Parisijs anno 1515. quem alij deinceps Typographi secuti sunt, ex Matthæo Palmerio Florentino, qui vixit anno 1449. interposuit sequentia verba: [Ioannes Anglicus; fama est hunc Ioannem fœminam fuisse, & vni soli familiari tantùm cognitam, qui eam complexus est, & grauida facta peperit (Palmerius habet, quæ grauis acta peperit) Papa existens. Quare eam inter Pontifices non numerant quidam, ideò nomini numerum non facit.] Sed hanc parentesim ex Palmerio interpositam, nusquam habet manuscriptus, & incorruptus Sigebertus, qui longè antè Palmerium vixit.

Similiter in antiquissimis Mariani Scoti exemplaribus nullam fieri mentionem Ioannis Papæ fœminæ testantur de visu Aubertus Miræus, & Lorichius in Lexico Theologico, verbo, Papa, in fine; vndè non leuis coniectura est, non tam oscitantia, vel imperitia Typographorum, quàm dolo, & fraude Hæreticorum in Romanæ Ecclesiæ contumeliam, hanc fabellam prædictis Scriptoribus, & alijs fuisse insertam, vt statim dicemus.

Secundum argumentum deducitur ex silentio tot insignium sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostium. [Silentium ipsum (inquit Cardinalis Baronius tomo 10. Annalium ad annum 853.) tanti temporis, de re tanta, tot emergentibus tantùm nefas declamandi occasionibus, plusquàm mille dixeris iuratos testes ad certam, exploratamque fidem faciendam de fabulæ vanitate, & falsitate. Certè quidem tam amici, facinus horrendum detestando, quærendo, dolendo; quàm hostes inproperando, detrahendo, subsannando proclamassent.] Et tamen inter Scriptores veteres Latinos, nullum esse vidimus, qui illius mentionem faciat: quod etiam verum est de Scriptoribus Græcis, qui ab illo tempore floruerunt. Etsi enim ex eis non defuerint plures in Romanam Ecclesiam parùm æqui, vtpotè ab ea schismate separati, qui aduersùs eam non epistolas tantùm, sed libros etiam conscripserunt, quæcumque licèt minima, animo hostili venantes, & per calumniam effingentes, ac mentientes, attamen ne vnus quidem repertus est, qui vtcumque quauis occasione huius probrosi facti meminerit, vel illud (etiam cùm apud Latinos id iactari cœpisset, & magis, magisque scriptis ipsorum peruulgatum fuisset) in eamdem Romanam Ecclesiam scriptis, aut verbis obijcere ausus sit.

Nàm quod in Laonico Chalcondyla Atheniensi Latino reddito eiusmodi fabula reperitur descripta, non ab auctore ipso posita est, sed ab impostore Chansero interprete homine hæretico fraudolenter adiecta, vt euidenter ostendit, qui imposturam egregiè detexit Florimundus de Remundo in opusculo de hac materia. Quamuis etsi ipse Auctor Laonicus ista à Latinis quibusdam accepta scripsisset, haud magni faciendus esset recentissimus Scriptor, qui vixit anno 1460.

Quod si dicatur Græcos non meminisse Ioannæ Papissæ, qui de rebus Græciæ tantùm erant solliciti, facilè deprehenditur, quàm sit friuola, & inanis hæc euasio, à legentibus Græcorum historias, nec enim ità parcè sua describunt, vt Latinorum facta prætereant. Maximè cùm plurimi semper inter eos fuerint infensissimi, implacabilesque Romanæ Ecclesiæ aduersarij, qui curiosissimè quid in eam pudendi potissimùm obijcere possent inuestigarunt. Et vt alios omittam, Photiusne Pseudo-episcopus, paulò post Romanorum Pontificum decretis sua sede expulsus, tacuisset istud immane scelus, qui longè leuiora in Romanam Ecclesiam obijcit? quique inter alia censeretur Sede indignus, quòd esset Eunuchus; tacuisset dicere ipse, quòd etiam fœmina thronum Romanæ Ecclesiæ conscendisset? Sed & Michael, qui illo tempore Orientale moderabatur Imperium, & eiusdem Photij stimulis in eamdem Romanam Ecclesiam concitatus, omne genus conuiciorum in eam contumeliosè intulit; tacuissetne modestiæ causa adeò probrosa obijcere, & portentosa cantare? Tandem si verum fuisset fœminam in Apostolicum Thronum acceptam, atque in eodem puerum peperisse, quomodò Summo Pontifici Leoni IX. ad annum 1050. scribenti aduersùs inauditas præsumptiones Michaelis Constantinopolitani, & Leonis Acridani, eosque reprehendenti, quòd fœminam, & Eunuchos in Patriarchatu Constantinopolitano collocassent, quomodò, inquam, Leoni talia ex publica fama obijcienti, ipsi ad hominem non respondissent, id maiori infamia, atque turpiori dedecore priùs fuisse in Ecclesia Romana perpetratum. Quæ tamen responsio nusquam exstat, nec vllus reperitur Auctor, qui illius meminerit. Dùm ergò tot infensissimi Romanæ Ecclesiæ inimici, acerbissimis etiam (vt par erat agere cum obstinatis animo) Romanorum Pontificum reprehensionibus exagitati, tam alto, & profundo silentio prætereunt adeò immane, & pudendum scelus, manifestissimè euincitur, illud numquàm extitisse.

Tertium argumentum depromitur ex innumeris contrarietatibus, falsitatibus, & inuerisimilitudinibus, quibus istam fabulam descri-

de scribunt eius assertores; itaut nulla penitùs historia sit de nomine, loco, tempore, & rebus, quæ narrantur adeò mendax, adeò inconstans, varia, diuersa, & omni prorsùs verisimilitudine carens, vt optimè inter alios demonstrat Papyrius Masso Gallus, quem laudat Baronius, in volumine suo, quod scripsit de Vrbis Episcopis; necnon Florimundus de Remundo regius Consiliarius in Parlamento Burdigalensi; in commentario de hac materia, cuius titulus est, Error popularis de Ioanna Pseudopontifice, dicta Papissa. Præter quos etiam consuli possunt Cardinalis Baronius tomo 10. Annalium Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice capite vltimo; Coccius tomo 1. Thesauri Catholici lib.7. artic. 14. Iustus Lipsius epistola ad Franciscum Sauentium; Aubertus Miræus in Chronico Sigeberti; Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia, Magister Grauina lib. 4. Cathol. præscript. controuersia 4. alijque plures, tàm fidei controuersiarum, quàm historiæ, & Chronologiæ Scriptores.

Ad I. ergo argumentum desumptum ex auctoritate Martini Poloni, qui primus hanc fabulam scripsit, nullo penitus citato auctore, sed tantùm, vt ipse ait, ex incerto quodam rumore, respondetur cum Cardinali Bellarmino, & alijs, Martinum illum Polonum natione, Monachum professione, Archiepiscopum dignitate, & Pœnitentiarium Innocentij Quarti virum simplicissimum fuisse, qui cùm permultas alias scripserit fabulas: tamquam si historiæ probatissimæ fuissent, hac etiam Chronici sui paginas onerare eadem facilitate potuit. Secundò respondet Magister Grauina vbi supra, exstare in Bibliotheca Vaticana peruetustum, & integrum Martini codicem, in quo post Leonem IV. nulla Papissæ Ioannæ mentione facta Benedictus III. immediatè sequitur, deinceps Nicolaus I. Vndè coniectura non leuis esse potest, hanc fabellam oscitantia, vel imperitia, vel etiam fraude, & dolo in Pseudochronico Martini fuisse ab aliquibus inserta: de quo etiam vide Abraamum Bzouium Annal. Eccles. tom. 13.

Ad II. respondetur continere fallaciam à non causa vt causa; nam quòd Summi Pontifices viam illam breuiorem omittant ad Lateranum pergentes, non est in detestationem vllius sceleris, sed quia via est angusta, & anfractuosa, atque adeo Pontificio incommoda comitatui, qui ea maximè occasione frequentissimus esse solet. Præterquam quod Onuphrius Panuinus testatur plures non defuisse Pontifices, qui per hanc ipsam viam non semel iter fecerunt, etiam post tempus ficti facinoris.

Ad III. de Sede perforata ad explorandum sexum, respondetur hoc esse ridiculum, & inane hæreticorum commentum. Veritas facti est, quod vt habetur ex lib. 1. sacrarum Ceremoniarum Sect. 2. tres sedes lapideæ in Lateranensi Basilica, in quibus nouus Pontifex sedebat tempore suæ coronationis. Prima sedes erat ante ingressum templi, eaque vilis, & abiecta, ad quam primùm ducebatur nouus Pontifex, atque in ea aliquantulum sedebat, vt per eã ceremoniam significaretur, eum de loco humillimo ad summum ascendere; indè enim illum eleuantes canebant illud 1. Reg. cap. 2. Suscitat de puluere egenum & de stercore erigit pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Et hæc est causa cur ea sedes stercoraria diceretur. Altera sedes erat Porphyretica, in ipso palatio, & ibi sedebat secundo in signum possessionis, sedensque accipiebat claues Ecclesiæ, & Palatij Lateranensis. Tertia sedes similis erat secundæ, nec procul ab ea, atque in illa post paululum sedens, reddebat easdem claues ei, à quo antè illas acceperat, fortè, vt tali ceremonia admoneretur breuitatis vitæ, vel mortis, perquàm breui potestatem illam alteri relicturus esset.

Ad IV. respondetur, illam statuam, nec fœminam fuisse, nec puerperium repræsentasse, quia nec infantem sinu gerebat, aut fouebat, sed puerum satis magnum, & annorum multorum, quasi præcedentem famulum referebat: Vndè conijciunt quidam antiquitatis studiosi illam statuam Sacerdotem aliquem Ethnicum repræsentasse paratum ad sacrificandum, quem suus minister præcedebat. Et certè si antiqui Scriptores, vt mentiuntur aduersarij, in gratiam Pontificum noluerunt memoriam huius mulieris in libris facere, quomodo verisimile est, voluisse Pontifices ipsos memoriam extare in statua? Quòd autem Mantuanus illius meminerit, cum fuerit Poeta, non est mirum, quòd hac mythologia sua opera asperserit.

At inquiret aliquis in fine istius capitis, vnde hæc fabella de Ioanna Papissa originem habere potuerit Aliqui existimant ex quadam Moguntiaca, Ioannam Papissam Moguntiacam fuisse confictam. Ijsdem enim temporibus, quibus Imperatores Græci acerbissimè in sacra inuehebantur ex Annalibus Francorum, & Sigeberto, Moguntiæ in Germania mulier quædam instar nouæ Priscillæ, res Ecclesiasticas perturbabat, prophetię dono illustratam se dicebat, publicè docendi, & prędicandi munus sibi vsurpans; quam vti magistram diuinitus datam cum non pauci sequerentur, synodali iudicio, & sententia damnata est. Inde lepidi fabularum conditores, vt in dies talia contingunt, è Germania in Italiam, Moguntia Romam, fœminam transferre potuerunt.

Alij indè fabulam ortam putant, quòd cùm rumor, publicaque fama esset, vt colligitur epistola Leonis IX. grauissimi Pontificis ad Michaelem Constantinopolitanum cap. 23. quamdam fœminam fuisse Pontificem Constantinopolitanum, & deindè paulatim omisso nomine Constantinopolitani, remansisset fama, & opinio de fœmina Pontifice vniuersali, qualem se prædicabat Patriarcha Constantinopolitanus, cœperunt aliqui in odium Romanæ Ecclesiæ dicere fœminam illam Romanum Pontificem fuisse. Quod certè nemini mirum videri debere, rectè notat Cardinalis Bellarminus; si etiam nunc videmus hæreticos magis incredibilia fingere. Cum enim Martinus solùm scripserit hanc mulierem fuisse Anglicam ex Moguntia, neque aliquid addiderit de parentibus, & nomine proprio mulieris, cæterisque rebus ad illam spectantibus, Magdeburgenses addiderunt patrem huius feminæ fuisse Anglum Sacerdo-

cerdotem,& ipsam vocatam initio Cisbertam nutritam quoque sub habitu viri in Monasterio Fuldensi, & libros de magia scripsisse: quæ sunt omnia mera figmenta sine teste, & sine ratione excogitata.

Alij tandem cum Onuphrio Panuino primam huius fabulæ originem repetunt ex impura vita cuiusdam Ioannis XII. qui in sede Petri adolescens intrusus circa annum Domini 956. concubinas habuit, inter quas erant Ioanna Raineria, & Stephana, vnde ex hac effeminatione Ioannæ Papissæ fabula emanauit; vel, vt ait Ioannes Auentinus Ecclesiæ Romanæ hostis ex Ioanne X. libro 4. Annalium. [Albericus, inquit, locupletissimus Hetruriç princeps Rauennam, Bononiam, Romam in potestate habuit. Eius socrus Theodora scortum nobile atque impetiosum Romæ dominabatur: Ioannemque X. amatorem suum Bononiensibus primò, deinde Rauennatibus, postremò Romanis imposuit, primatiumque Sacerdotem creauit. Vnde fabellam ortam crediderim, quæ temerè vulgauit hisce temporibus fuisse Sacerdotem Maximum fœminam,quę appellata sit Ioannes.Ecclesiæ Romanæ hostis accerrimus historiam de Ioanna Papissa fabellam esse reputauit inanissimam.

CAP. XVI.

Vtrum Summus Pontifex Romanus gaudeat Priuilegio Infallibilitatis in definiendis rebus ad fidem, & mores ex ea pertinentibus.

POst stabilitum in praecedentibus Monarchicum Diui Petri primatum, necnon perennem eius in Apostolica Summorum Pontificum Romanorum successione, vsque ad consummationem sæculi durationem; multa consequenter examinari possent ad supremam eorumdem in Ecclesia dignitatem, ac potestatem spectantia, verùm pro instituti nostri ratione tantùm agemus de illa insigni, cæterisque omnibus præcellenti prærogatiua, vel priuilegio infallibilitatis,qua simul cum Beato Petro in decernendis rebus ad fidem, & mores ex ea spectantibus à Christo donati sunt; vnde sit.

§. I.

Pro huius difficultatis explicatione, & resolutione aliqua prænotantur.

PRimò recolenda sunt omnia superiùs dicta lib. 2. sect.6. de loco Theologico cui tamquam Iudici controuersiarum diuinę fidei sistendum est; vbi primùm stabiliuimus tanquam præcipuum fidei dogma, dari supremum controuersiarũ fidei iudicem, siue quod idem est, fuisse à Christo Domino supposito, quod per seipsum non reuelet, nec visibiliter guberuet Ecclesiam,relictam in ea cathedram, magisteriumque perpetuum ad testificandam fidem vniuersam, & dogmata definienda, & controuersias Religionis componendas. Deinde diligenter examinatis omnibus conditionibus ad tale munus necessariò requisitis, ostendimus ex earum defectu, nec spiritum particularem, nec scripturam ipsam, nec traditionem, aut aliud quid simile posse esse supremum controuersiarum fidei iudicem, sed solam Ecclesiam cui adamussim conueniunt omnes ibi adductæ conditiones, loquendo de iudice rigorosè sumpto, & prout à regula distinguitur, huius enim rationem, tantùm abest, vt à verbo Dei tam scripto, quam tradito excludamus, quin potiùs ab Ecclesia secundùm illud necessariò iudicium ferri debere affirmamus: in omni enim controuersia, vel quæstione determinanda cum debeat dari ius, & iudex; ita vt tale ius, quod si mandetur scripto, vocatur lex, quia vt ait Isidorus c. ius distinct. 1. Lex est iuris, species, & lex est constitutio scripta, si autem sine scripto fit, dicitur traditio, vel consuetudo, debeat attendi tanquam id, in quo continetur ratio materiæ, seu obiecti determinandi, & iudicandi; vnde ista regula non aliter dici potest iudicare, remque controuersam dirimere, quàm continendo ipsum ius, & obiectum determinandum, non autem proponendo ipsumius, vel sententiam ferendo, hoc enim pertinet ad iudicem, qui auctoritatiuè ius illud proponit, & iuxta illud de rebus controuersis definit; in omni, inquam, controuersia, cum ita se habeat, in rebus quoque fidei, vbi aliqua determinanda est, solùm Dei verbum est adæquata regula continens ius; secundùm quod Ecclesia, vt iudex, vel regula animata illam dirimere debet;inde talis regulæ animatæ,siue iudicis auctoritatiuè res fidei iudicanti; ac determinantis, duplex necessitas esse videtur, vna ex parte ipsius materiæ, seu obiectorum fidei, quorum multa, cum non ita distinctè, & clarè tradita reperiantur in diuinis scripturis,vt ab omni prorsus difficultate, & ambiguitate libera sint, necesse est illa per alicuius auctoritate vltimatè resolui, casuique occurrenti replicari. Altera necessitas est ex parte personarum, vt per eum scilicet, fideles obligentur, ad talem sententiam, vel decretum iuxta verbum Dei datum acceptandum.

Quia autem Ecclesia bifariàm considerari potest, primò entitatiuè, provt significat congregationem omnium fidelium tam prælatorum, quàm subditorum toto Orbe diffusam, summo Pontifici Romano tamquam supremo Ecclesiæ Capiti vnitam; secundò repræsentatiuè,& auctoritatiuè, provt nimirum est in solis prælatis, suam non ab Ecclesia, sed solo Christo potestatem habentibus; certum est Ecclesiam primo modo sumptam vocari non posse propriè loquendo, iudicem controuersiarum, sed tantùm secundo, aliud enim est totam Ecclesiam entitatiuè acceptam errare non posse in rebus fidei, & morum, vt sectione superiori vidimus, aliud autem esse regulam eas iudicantem, ac definientem. Sed rursùs cum Ecclesia repræsentatiuè, & aucto-

ritatiuè sumpta, considerari possit, vel vt est in solo Pontifice Romano, tamquam in supremo omnium quotquot sunt fidelium Pastore, & Capite, vel vt est in Concilio Generali, tam ex ipso, quàm ex cæteris Ecclesiæ Prælatis coalescente, agimus in præsenti de illa sub primo repræsentationis modo, dum inquirimus, vtrùm in ea Summus Pontifex gaudeat priuilegio infallibilitatis in definiendis, ac iuridicè proponendis rebus fidei, & morum, vbi aliquæ circa illas oriuntur controuersiæ.

Secundò notandum est, difficultatem non procedere de summo Pontifice dubio, sed indubitato, & pro tali ab vniuersali Ecclesia recepto; quod enim Summus Pontifex sit suprema regula, & sui, & aliorum, sicut illud quod est perfectissimum in aliquo genere est mensura sui, & cæterorum, hoc habet Pontifex saltem quoad nos, supposita acceptatione vniuersalis Ecclesiæ, non quod talis acceptatio sit regula, sed requisitum necessarium, seu conditio, vt hic numero Pontifex pro tempore existens sit nobis vera fidei regula, verusque iudex, sicut enim Ecclesia ex dictis supra, habet ius eligendi sibi Pontificem, ita & acceptandi ipsam electionem; quam, vbi ritè facta est, sicut acceptare tenetur, imò non potest non acceptare, ita vbi illam non acceptat, signum est eam esse dubiam, dubiumque Pontificem per illam designatum; & ideò mirum non est, quod ille nec de se, nec de cæteris iudicare possit; secùs autem posita Ecclesiæ acceptatione, tunc enim ex potestate accepta à Christo Domino in institutione Petri, & successorum eius, necnon in virtute directionis, & assistentiæ diuinæ de seipso iudicare potest, quia in rebus fidei etiam persona Papæ auctoritati Papæ subijcitur, seque ipsum ligat, quando definit res fidei, cùm easdem quoque credere teneatur. Vnde rectè ait Caietanus 22. quæst. 1. art. 10. [Papam in his excedere seipsum, sicut Dauid in excedendo seipsum, se & omnes verè iudicauit esse mendaces dicens: Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax; talia enim sunt ea, quæ sunt fidei, quod scilicet Papa non ex sola Papatus auctoritate, sed ex Papatu, vt substat diuinæ assistentiæ, ad Ecclesiæ fidem veram docendam definit iudicialiter in materia fidei excedens seipsum; & propterea determinat non respectu horum, sed simpliciter, & irreuocabiliter, ac ligat se, & alios.

Tertiò notandum est, summum Pontificem dupliciter agere, seu in rebus fidei, & morum decernendis procedere posse; primò vt est persona quædam priuata; secundò vt Pontifex, & ex cathedra loquens: Tunc dicitur vt priuata persona agere, quando vt particularis Doctor aliquid proponit, vel docet; quo pacto plures Summi Pontifices varia scripserunt, vt Pontifex verò, quando dogma, seu præceptum aliquod toti Ecclesiæ credendum, vel obseruandum proponit. Quod iterum tribus modis præstare potest, primò solus, nulloque prorsùs admisso consilio; secundò adiuncto cœtu solito consiliariorum; tertiò vnà cum Concilio generali: quare dum aliqui summi Pontificis infallibilitatem negantes; vt vim rationum in contrarium eludant, affirmant soli Pontifici non conuenire infallibilitatem, huiusmodi propositionis dubius, & æquiuocus esse potest sensus, ideòque explicandus; cùm æquiuocatio sit mater erroris, vel enim per particulam exclusiuam in ea contentam significatur, Pontificem solum infallibilitate non gaudere, sed hoc etiam Concilio Oecumenico conuenire, & in hoc sensu veram esse propositionem concordant omnes Doctores Catholici, dummodò à Concilio Oecumenico ipse Pontifex non excludatur, vel significatur solum Pontificem, quatenus extra Concilium aliquid decernit, etiam si agat vt Pontifex, non esse infallibilem, & in hoc sensu nunc de illa inquiritur; vel denique significatur, admissa iuxtà veriorem sententiam summi Pontificis sine Concilio generali infallibilitate, eum solum, hoc est, nullo penitùs adhibito consilio, nullaque præmissa Doctorum inquisitione, & disputatione; de rebus fidei, & morum decernere posse; & in hoc sensu propositionem esse falsam tenent Doctores, qui summi Pontificis infallibilitatem sine Concilio generali defendunt, vt iam notauimus supra lib. 2. sect. 5. & fusiùs explicabitur in fine huius capitis.

Quartò obseruandum est, vbi à sanctis, & veteribus Patribus fit mentio Cathedræ Romanæ, vel Sedis Apostolicæ, recursusue ad illam, malè vtrumque confundi ab aliquibus cum Ecclesia Romana; ita vt per Cathedram Romanam, vel Apostolicam, nihil aliud intelligi debeat, quàm ipsamet Ecclesia Romana, seu Clerus eiusdem Vrbis, aut Prouinciæ, sed è contra dicendum est, plerumque à sanctis Patribus per illos terminos significari in ea successionem iugem, & continuam iustorum, & Sacerdotum; sed frequentiùs principatum, siue auctoritatem in regendo, & docendo summi Pontificis Romani propriam, ita vt ab illo proinde Cathedra, vel Sedes Romana nullatenus differat, sed ab Ecclesia Romana, vt est particularis Ecclesia; explicantur singula. Primùm quod nomen Cathedræ pro munere, vel auctoritate tam in regendo, quàm in docendo vsurpetur, clarè testatur D. Hieronymus in cap. 21. Matthæi, vbi explicans verba hæc Christi Domini: [Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, ait; nisi fortè columbarum institores sedebant in Cathedra, quod absurdum, quia in Cathedris Magistrorum magna dignitas designatur, quæ ad nihilum redigitur, cùm mixta fuerit lucris.] Idem docet D. Augustinus lib. 2. contra literas Petil. cap. 6. dum ait: [Moysis Cathedram Christi Cathedram adumbrasse,] Moyses siquidem populum docuit, & gubernauit: deinde in Psal. 1. statim ab initio dicit, Cathedram pestilentiæ, cuius ibi fit mentio, perniciosam doctrinam, cuius sermo vt cancer serpit, significare: Igitur à contrario Cathedra Ecclesiæ veram, & Catholicam doctrinam significabit.

Quod insuper Cathedra Romana, aliàs Cathedra, vel Sedes Petri, necnon Apostolica, à Romano, summoque Pontifice non differat, sed sit ipsemet Pontifex, quatenus docens, metonymicè, clarè colligitur ex dictis supra, scilicet quod Principatus Ecclesiasticus, non in pluribus, sed in vno supremo Pastore Petri successore subsistat; Status quippè Ecclesiæ essentialiter est Monarchicus, non Aristocrati-

ticus; igitur si ex dictis Cathedra principatum, & auctoritatem significat; necesse est Cathedram Romanam eamdem penitùs esse, cum ipso summo Pontifice Romano, quem nullus Catholicus negat verum, ac legitimum esse in supremo Ecclesiæ Principatu, ac Monarchatu Diui Petri successorem; non autem cum Ecclesia Romana, nec etiam vniuersali, nisi secundùm quod vtraque repræsentariuè est in summo Pontifice Romano tamquam in supremo suo Capite, quod tamen non ab illis, sed à Christo Domino super illas omnem suam habuit auctoritatem, ac potestatem. Quod eleganter expressit D. Hieronymus in epistola ad Damasum, vbi dubius an in Deo tres hypostases admitteret, & aliter de hac quæstione, quàm quod Damasus sentire nolens, dixit: [Beatitudini tuæ, idest, Petri Cathedræ communione consocior.] Ibi enim per Cathedram Petri, non Ecclesiam Romanam, vt perperàm interpretantur aliqui, sed ipsum Pontificem in Petri Cathedra sedentem intellexisse manifestè ostendit, tum planus ipsorummet verborum sensus; tum quod paulò post addit: quicumque tecum, non colligit, spargit: relatiuum enim tecum, in concreto ad Damasum referri satis constat; nec inde sequitur à Diuo Hieronymo commissam fuisse nugatoriam, vel identicam repetitionem, quod per Cathedram Petri Damasum ipsum intellexerit, quasi idem esset, ac si dixisset, Damaso, id est, Damaso communione consocior: minimè, inquam, hoc sequitur, huiusmodi enim, quibus vtitur termini non sunt identici, sed secundus potiùs explicat primum, per hoc quod sit ipsi maximè proprium, & principale, redditque per illud rationem suæ cum Damaso consociationis, quasi diceret, [Beatitudini tuæ,] non quomodocumque, sed vt Cathedræ Petri, id est eius auctoritatem, ac doctrinam habenti, communione consocior; cùm enim ex præcedenti notando dictis, tam Damasus, quàm alius quicumque Summus Pontifex duas personas sustineat, vnam priuatam, provt doctor particularis, alteram publicam, provt Pontifex, & ex Cathedra definiens, ac docens, vt ostenderet Hieronymus, se tacendarum, aut dicendarum trium hipostaseon facultatem petere non à Damaso, vt priuato aliquo doctore, sed à Pastore ex Cathedra agente, hanc explicationem, [Beatitudini tuæ,] idest, Petri Cathedræ addidit. Nec enim ignorabat Damasum, vt ponderabimus infrà, hoc pacto definientem à vero non posse deflectere; vnde nulla hìc, vt dixi, nugatio committitur, non enim actu, aut æquipollenter fit iterata nominis huius Damasi repetitio, Damaso, idest, Damaso, sed Damaso, vt in Cathedra Petri sedenti, & ex ea definienti.

Huic D. Hieronymi testimonio, aliud sancti Augustini libenter subiungo epist. 162. statim initio: [In Romana, inquit, Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus;] quod intelligi non potest, nisi ratione summi Pontificatus, Ecclesiæ quidem Romanæ annexi, sed in Pontifice Romano formaliter, & auctoritatiuè residentis: vel, quod idem est, ratione summi Pontificis in ea sedentis, & auctoritate Apostolica vniuersalem Ecclesiam moderantis; non igitur per Cathedram Petri, vel, vt loquitur Augustinus, per Apostolicæ Cathedræ principatum, qui semper in Romana viguit Ecclesia, intelligitur ipsa formaliter, sed Summus Pontifex, quatenus successor D. Petri, atque adeò vt Pontifex agit; dixi per Cathedram, seu Sedem Petri non significari formaliter Ecclesiam Romanam, de quo est difficultas, nam materialiter loquendo, nemini dubium est, quin tam ipsa, quàm alia quæcumque summo Pontifici adhærens Ecclesia, sit materia, vel subiectum, super quod auctoritatem Apostolicam, & Euangelicam tenet, & exercet; eo modo quo cætera regna dicuntur esse regna, vel principatus suorum Regum, & Principum, licèt formaliter loquendo in solis Regibus, ac Principibus sit suprema regendi, ac moderandi potestas; sicut in nostro casu: cuius argumentum euidens est, quod cùm ad Sedem Apostolicam pro fidei dubijs definiendis olim recursum fuit, & in dies recurritur, singulos Ecclesiæ Romanæ fideles adire solitum non est, nec Clerus ipse Romanus in Concilium cogitur, sed ad Pontificem, cuius sententia, & iudicium expectatur, acceditur. Etsi enim Ecclesia vniuersalis, ex dictis superiori capite gaudeat priuilegio infallibilitatis, non tamen Ecclesia particularis, qualis est Romana, si seorsim à suo capite nimirùm summo Pontifice sumatur; vnde, vt ibidem probauimus cap. vltimo, non alia, nisi adhæsionis cum illo ratione, Ecclesia Romana cum vniuersali nonnumquam confunditur, vel coincidit, iuxtà frequentem loquendi modum sanctorum, ac veterum Patrum.

At dices; grassante Decij persecutione, Sede Romana, vno anno, & ampliùs à Fabiani morte vacante, Clerus ipse Romanus à Cypriano de libellaticis Christianis, consultus fuit: insuper idem Cyprianus lib. 1. epist. 3. rescribens ad Cornelium ait: [Florentissimo fili Clero tecum præsidenti:] & epistola 1. ad eumdem scripta, modò singulariter, modò verò pluraliter eum alloquitur: igitur per Cathedram, seu Sedem Petri, non tam Pontifex, quàm Ecclesia Romana debet intelligi.

Respondetur 1. ad hanc instantiam admittendo antecedens, & negando consequentiam, quàm enim malè inferatur satis patet. Respondetur secundò, tunc quidem Clerum Romanum à Cypriano consultum fuisse, eumque ad illius consulta, coactis comprouincialibus Episcopis, respondisse; non tamen cum auctoritate, & obligatione vniuersorum fidelium, sicut competit summo Pontifici ex Cathedra docenti. Per florentissimum autem Clerum cum Cornelio præsidentem intellexit Cyprianus Presbyteros, & Diaconos Ecclesiæ Romanæ, qui iam tum in eadem erant auctoritate, qua nunc pollent, eodem etiam munere fungebatur, quo nunc Eminentissimi Cardinales, erant quippè consiliarij, & assessores Romani Pontificis, sine quorum consilio arduum nihil solebat agere, sicut & nunc, vt ab ipsismet summis Pontificibus in eorum Bullis, vel decretis exprimitur. Insuper cùm Cyprianus scripserit ad Cornelium, quatenus Concilium, quod ipse vocat presbyterium, coegerat, ex epistola Cornelij ad Cyprianum, quæ est numero 46. meritò dixit, [Florentissi-

tissimo illi Clero tecum præsidenti;] Cardinales siquidem & Episcopi Concilio tanquam iudices assident; & hæc est etiam ratio, cur modò pluraliter, modò verò singulariter Cornelium alloquatur; non verò quod Romana Cathedra eadem sit formaliter cum Romana Ecclesia, & non cum supremo eius Pastore modo explicato.

Quintò notandum est, Cathedram Petri, supremumue ex ea proponentem res fidei per modum iudicis, ac regulæ determinantis, siue sit Summus Pontifex Romanus solus sine Concilio Generali, in hoc differre à proximo proponente, qui docet populum ea, quæ fidei sunt, prædicando, vel cathechizando, quod primus gaudere debet priuilegio infallibilitatis, vt probauimus lib. 2. sect. 6. cap. 2. secus autem secundus, etsi enim aliqui Doctores Catholici, vt Suarez de fide disputat. 5. sect. 1. existiment proximè etiam proponentem fidem, quando eam sufficienter proponit, habere auctoritatem infallibilem quasi actualiter, & per modum transeuntis, quàm supremus proponens ad distinctionem illius, habet permanenter, & per modum habitus, nihilominùs alijs non probatur talis dicendi modus, imò videtur nonnihil durior. Pro cuius explicatione sciendum est, duo in primo, vel supremo, proponente spectari posse, vnum se tenens ex parte personæ, vt scilicet cum sufficienter proponit non erret, nec possit errare ex vi officij; & personæ ad id ministerium à Deo electæ, alterum tenens se ex parte doctrinæ propositæ; in qua iterum duo consideranda sunt, vnum ex parte modi illam proponendi seu motiuorum, quæ ad illam credendam adducuntur, quod sufficientia sint, alterum ex parte ipsiusmet doctrinæ propositę, quòd scilicet sit sufficiens. Igitur quoad primum admitti non debet, quod proximè proponens infallibilem habeat auctoritatem etiam per modum actualis exercitij, nec eam ipse Suarez illi concedit, quia ex vi ministerij, vel officij, quo fungitur etiam quando illud actualiter exercet populum instruendo, non habet sibi à Christo promissam infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, sed hæc est singularis; eaque excellentissima Cathedræ Petri prærogatiua, vt ex vi officij non possit errare in fide, & in hoc à Sanctis Patribus extollitur sedes illa super omnes alias, vnde rectè Bernardus epist. 190. ad Innocentium Papam ait: [Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. cui enim alteri Sedi dictum est aliquando. Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua?] Quòd si non alteri Sedi, ergo nec alteri officio, aut ministro concessum fuisse credendum est.

Quoad secundum autem, supposito quod ab aliquo proponatur ipsa vera & sufficiens fide nostræ doctrina, nec non ab eo proferantur sufficientia quoque motiua, vt ostendatur illius credibilitas; certum est apud omnes eum habere infallibilem sufficientemque auctoritatem, ad inducendam in auditoribus credendi obligationem, non quidem ex parte proponentis, sed præcisè ex parte rei propositę; & credibilitatis eius explicatæ, hęc est enim, quæ obligat ad credendum, non autem quod priùs credant eum qui docet: falli non posse, quia ipsi non mouentur ad fidem ab auctoritate illius, sed tantùm à rebus sibi sufficienter, vt supponimus, ab illo propositis ad proximè enim proponentem non pertinet determinare auditoribus, quæ sint res credendæ; vel non credendæ, & dubia circa fidem auctoritatiuè decidere, ac sententiare, sed ea solùm adducere, quæ sufficienter auditores moueant, vt ea quæ dicit ab illis credibilia prudenter iudicentur, ad quod opus non est spectare auctoritatem proponentis, quod possit, vel non possit errare, aut fallere, sed solùm ad motiua, quæ profert an sint sufficientia ad mouendum, aut persuadendum, vel non.

Vbi igitur ab aliquibus æquiparatur, Summus Pontifex, dum passim à Patribus dicitur loqui ex cathedra, resque fidei ex ea proponete; cum prædicatore, aut alio simili proximè easdem proponente, vt sicut in isto, quantumuis populus immediatè ab eo doctrinam fidei recipiat, illique teneatur credere, non datur tamen priuilegium infallibilitatis, ita nec debeat dari in Summo Pontifice, aut si datur in eo, debet quoque admitti ob identitatem rationis in proximè proponente, quod absurdum esse statim diximus talia: inquam, dicentium, vel objicientium facilè ex dictis ostenditur æquiuocatio, & hallucinatio populus enim accipit doctrinam, fidei immediatè à Summo Pontifice, vt à proponente per modum iudicis, & regulæ animatę determinantis res fidei, ab alis autem prædicatoribus, vt à mouentibus præscisè, seu manifestantibus iudicium Summi Pontificis ex cathedra loquentis, vnde mirum non est, quod in supremo proponente reperiatur priuilegium infallibilitatis ad tale munus necessariò requisitum ex dictis lib. 2. sect. 6. cap. 2. Secus autem in proximo proponente. Quemadmodum enim qui promulgat sententiam latam à principe, aut defert eius leges ad alios, non habet auctoritatem sanciendi illas etiam per modum transeuntis sed solùm applicandi, & manifestandi sententiam, & leges princip is, sic se habent Pontifex in definiendo, & prædicatores in proponendo. Quando enim ab omnibus Catholicis requiritur contra hæreticos visibilis iudex, animatane regula controuersiarum diuinæ fidei, quia Deus per se ipsum non proponit, ideo est, quia Deus nec proponit manifestando, nec proponit orta dubia definiendo, vel determinando; & ideo necessè fuit relinqui à Christo in determinante, & definiente res fidei priuilegium infallibilitatis, non autem in omni eas manifestante.

Quocirca populus tenetur credere prædicatori sufficienter proponenti, non ratione personę, sed ratione rerum, vel doctrinæ, quam proposuit, ad quod non debet ei constare de infallibilitate proponentis, sed de infallibilitate doctrinę, aut quia proponitur, vt iam à supremo iudice definita, vel eo saltem non contradicente, si cum Catholicis agatur; aut quia proponuntur motiua sufficientia ad inducendam in illis, qui ad fidem accedere volunt, sufficientem credibilitatem eorum, quæ proponuntur. Vnde potest quidem falsum proponere, sed tunc

non

non obligabit, quia numquam stat, quòd sufficienter aliquis proponat aliquam doctrinam vt infallibiliter credendam (quo in casu solo qui audit credere tenetur) & quod proponat falsum, non propter infallibilitatem personæ docentis, sed propter incompossibilitatem doctrinæ falsæ cum sufficientia credibilitatis propositione, talis enim propositio non solùm requirit signa; & prodigia, nam etiam Antichristus, eiusque sequaces talia dabunt, vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi Lucæ 22. sed quod vera sint miracula, & facta in confirmationem illius doctrinæ, & quod illa doctrina rationi non aduersetur, imo sit ipsi maximè consona, & sic de alijs motiuis sequenti libro adducendis, quæ collectiuè sumpta non possunt concurrere cum falsa doctrina, Quod autem quis sufficienter proponenti, hoc est cum dictis motiuis, infallibiliter credere teneatur, non propter sufficientiam doctrinæ & motiuorum eius, non solùm non est inconueniens, sed ita fieri debere fatentur omnes Doctores Catholici.

Sextò cùm obiecta fidei materialia sint in duplici differentia, quædam enim pertinent veluti ad ipsam substantiam mysteriorum V. g. [quod in Deo dentur tres personæ realiter inter se distinctæ, quod in Christo dentur duæ naturæ.] Item alia sunt, quæ tantùm pertinent ad circumstantias, aut quasi circumstantias nondum existentes; sed tantùm futuras, mysteriorum nostræ fidei, vt hunc vel illum librum esse canonicum, hunc vel illum Pontificem ritè electum esse verum Pontificem, hoc vel illud Concilium esse legitimum,] fatendum quidem est dicta obiecta secundo modo sumpta, hoc est secundùm circumstantias, aut quasi circumstantias, seu etiam secundùm veritates contingentes, creuisse ipso successu temporis, vt communiter docent Theologi 22. quæst. 2, art. 7. Ecclesia enim sequentibus temporibus credidit, hunc vel illum numero Pontificem ritè electum fuisse verum Pontificem, primum Concilium Nicænum vniuersale: primum Constantinopolitanum fuisse legitima, & sic de cæteris, quæ tamen tempore primitiuæ [Ecclesiæ, ante eorum celebrationem nec non Pontificum electionem, nondum erant obiectum aliquod fidei Catholicæ, nisi tantùm prout hæc veritates, & aliæ ijs similes continentur in istis Generalibus. [Quilibet Pontifex legitimè electus, est verus Pontifex, quodlibet vniuersale Concilium absolutè & simpliciter legitimum est verum, & eius definitiones obligant vnumquemque fidelem,] pari modo, quando Euangelia, vel epistolæ Apostolorum nondum erant scripto mandata, nondum credebantur ab Ecclesia, tamquam libri quidam canonici, prout postea crediti sunt. Non tamen propterea factum est aliquid accretionis, seu augmenti, ad ipsam substantiam totius corporis credendorum per fidem cùm hæc, & similia, vel sint tantùm quædam illis accidentia, vel ex dictis supra cap, 10. partiales quędam veritates contingentes, quæ in alijs vniuersalioribus ad eamdem fidem spectantibus, etiam formaliter continentur Quo circa si loquamur de ijsdem materialibus fidei obiectis primo modo, hoc est, secundùm substantiam consideratis, communis est, imò certissima Theologorum sententia, ita vt opposita sit error in fide, loco statim citato 22, quod ea numquam creuerunt ipso temporis successu, siue nihil modò credi in Ecclesia quoad substantiam, quod non fuerit reuelatum Apostolis clarè, & distinctè, vel in ipsomet die Pentecostes vt docent aliqui, vel saltem ante eorum mortem, & per discursum prædicationis Euangelicæ, de quo vide Ioannem à S.Thoma 2. 2. dis. 6. art. 3. vbi rectè ostendit Apostolos habuisse plenissimam quidem cognitionem mysteriorum fidei speculatiuam à die Pentecostes, non autem practicam, sed decursu temporis eam acquisiuisse.

Vnde quod in Summo Pontifice Romano, sine Concilio Generali, aut in Concilio Generali cum Summo Pontifice admittatur priuilegium infallibilitatis in rebus ad fidem pertinentibus, inde non sequitur, nec à Doctoribus Catholicis ita intelligitur, vt perperam obijciunt hæretici, quasi quid de nouo in Ecclesia definiatur pertinens substantialiter ad fidem, quod Apostoli non cognouerint, aut fiat de fide nouum quod antea non erat, cum nihil à Summis Pontificibus, aut Concilijs Oecumenicis vnquam definiatur, quod ex Scripturis, aut traditionibus diuinis, quas ideo tam diligenter præuiè ad suas definitiones scrutari solent, non desumatur, quibus adequatè res fidei comprehendis se quasque optimè penetrasse Apostolos Spiritu Sancto illuminatos, nemini dubium esse potest, sed Ecclesia tantùm, vt optimè obseruauit Vincentius Lirinensis lib. 1. commonitorij cap. 27. ad distinctionem hæreticorum, qui dicunt non solùm nouè, sed etiam noua nouis interdum terminis vtitur, in explicandis aliquibus veritatibus, vt credendis per fidem, vt quando in primo Concilio Nicæno, aduersùs impietatem Arianorum hæreticorum, nouum nomen Patres Homoousion condiderunt ad significandum filium eiusdem esse, cum patre substantiæ de quo vide S. Hilarium lib. contra Constantium, & D. Augustinum tract, 97. in Ioannem sub finem. Vel etiam, quia nonnulla, quæ obliterata fuerant in multis longo lapsu temporis & retenta solùm in corde Ecclesiæ, ignorabantur à pluribus, proponi de nouo debent fidelibus, ob aliquam nouam occasionem, puta desumptam ex aliqua noua hæresi aut etiam difficultate inter Catholicos ipsos exorta. Vel tandem ratione nouæ obligationis inducendæ, ad credendum plures veritates, quas prioribus sæculis fideles credere non tenebantur, potest enim duobus modis intelligi aliquid esse de fide, primò, vt sensus dumtaxat sit, hanc, vel illam veritatem fuisse diuinitùs reuelatam de facto ipsi Ecclesię, ideoque aptam esse terminare actum fidei Catholicæ, secundò, vt sit sensus hanc veritatem non tantùm à Deo fuisse reuelatam Ecclesiæ, sed præterea esse talis conditionis, vt obliget fideles ad assentiendum illi, vel ad non dissentiendum, qui modus, vel sensus distinguitur à priori, quod includat talem veritatem fidei ab Ecclesia proponi, vt credendam fide infusa, prior verò dicat solùm talem veritatem includi in obiecto

adæ-

adæquato fidei, ſeu in toto corpore credendorum, quod rectè poteſt competere alicui veritati; quãuis illa non proponatur ab Eccleſia, vel ignoretur illam eſse à Deo reuelatam. Igitur ſi veritates à Deo reuelatæ priori conſiderentur modo, ſemper omnes & ſingulæ fuerunt de fide, quia Deus omnes illas Apoſtolis reuelauit, & nullas de nouo poſteris illorum, vt tamquam certiſſimum ſupponimus; & hoc ſenſu ſemper fuerunt de fide, quæcumque veritates ab Eccleſia, vt tales definitæ; ſecùs autem ſi ſpectentur poſteriori modo ſcilicèt, quatenùs inuoluunt obligationem in fidelibus ad illas credendas, & non diſcredendas, ſeu ad præbendum illis aſſenſum & denegandum diſſenſum, quia hoc onus requirit neceſſariò propoſitionem talis veritatis fieri ab Eccleſia ipſis fidelibus, cùm Chriſtus Dominus inſtituerit Eccleſiam modo primo notando huius capitis explicato, tamquam regulam proponentem res fidei; vndè fit, vt quia in vno ſæculo Eccleſia, ſecundùm varias occaſiones proponit aliquam veritatem, vt credendam, quam præcedentibus ſeculis non ita clarè, & manifeſtè proponebat: fit, inquam, vt tunc incipiat eſſe de fide, iuxta hunc loquendi modum, quod antea non erat de fide; ſed hæc propoſitio, vel definitio propriè non eſt augmentatio, vel mutatio veritatis credendæ, quin potiùs maior quædam illius explicatio, & manifeſtatio, vt per ſe patet.

Qua de cauſa, cùm ex formali ratione ſpecificatiua virtutis fidei, quæ eſt veritas Diuina reuelans, quatuor oriantur conditiones requiſitæ ad obiectum fidei, quarum duæ ſe tenent ex parte ipſius veritatis Diuinæ, prima quod ſit in ſe ſimpliciſſima, licèt à nobis complexè attingatur; ſecunda quod ſit infallibilis, cui falſum ſubeſſe non poſſit; aliæ autem duæ ex parte reuelationis, prima, quod obiectum reuelatum non poſſit eſſe viſum, neque ſcitum à nobis; altera eſt applicatio ipſius ad nos, ſiue quod ſit propoſita ab Eccleſia Catholica, in qua eſt infallibilis regula fidei, vel eorum, quæ ad fidem ſpectant; hæc vltima conditio non requiritur quomodocumque in fide, ſed in ordine ad nos dumtaxat; quia nimitùm Deus non loquitur nobis immediatè, nec per ſe ipſum immediatè proponit res reuelatas, ſed mediantibus alijs hominibus, quibus ipſe loquutus eſt, partim per Angelos in ſermone prophetico, partim per ſe ipſum in carne apparens, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 1. [Multifariàm multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio.] Si enim Deus nobis immediatè proponeret credenda, & agenda, certum eſt quod nulla indigeremus regula viſibili illa proponente, ſicut ea nec Prophetis, nec Apoſtolis opus fuit, qui à Deo immediatè edocti, ab Eccleſia proindè non acceperunt, ſed ipſi potiùs res fidei tradiderunt; Igitur cùm Deus non ita modò ſe gerat cum hominibus, neceſſe fuit vt id præſtaret per Eccleſiam tamquam per organum locutionis ſuæ, non quidem entitatiuè ſumptam, ſed repræſentatiuè in Summo Pontifice ſupremo eius capite, ad quem vt oſtendemus, pertinet proponere, & ordinare ea, quæ ſunt fidei.

Nam quod quoad Ioannis 14. promittitur Spiritus Sanctus in Eccleſia manſurus in æternum ad docendum omnem veritatem, intelligi non debet, quaſi nouas in dies fidei veritates illam edoceat, quas Apoſtoli olim non nouerint, aut etiam ab illis traditas, vbi opus eſt, immediatè proponat; ſed quia aſſiſtit Eccleſiæ tamquam Magiſter perpetuus; vel vt in ea antiquas veritates ſine errore conſeruet, & rectam intelligentiam Scripturarum, quam habuerunt Apoſtoli; vel vt adſtet Summo Pontifici tamquam ſupremo Eccleſiæ Paſtori, ne ſecundùm quod talis eſt in rebus ad totam Eccleſiam pertinentibus errare poſſit. Quantumuis enim Spiritus Sanctus ſupremus ſit iudex controuerſiarum Diuinæ fidei, cùm tamen ſit talis per modum vniuerſaliſſimæ cauſæ, & vniuerſaliſſimi iudicis, non tenetur propterea per ſe immediatè iudicare, vel definire, quæ controuertuntur in fide, ſed mediantibus alijs hominibus vices eius gerentibus, cuiuſmodi ſunt Summus Pontifex, cęterique Eccleſię Prælati conciliariter cum illo adunati, potuit, & voluit id efficere; ſicut etiam, ex eo quod vniuerſaliſſima ſit cauſa, operatur medijs, quas primùm creauit cauſis ſecundis, & particularibus: Cum hoc tamen diſcrimine quod fides noſtra pendet à iudicio, vel propoſitione Eccleſiæ tamquam à cauſa per ſe, ſicut plures effectus dependent à cauſis ſecundis, hæc eſt enim Diuina auctoritas, ſed tantùm vt à conditione requiſita, infallibili tamen ex aſſiſtentia Spiritus Sancti; quare etiam iudicium Eccleſiæ, non eſt dicendum verbum purè humanum, ſed & aliquo modo Diuinum; in quantum ita ſemel Deus loquutus eſt nobis per ſcripturas verbum ſuum propriè dictum continentes, licèt cum myſterio, & obſcuritate, ac profunditate ſermonis, prout Diuina decebat eloquia, vt tamen per os Eccleſiæ loqui numquam deſinat, non noua fidei myſteria reuelando, ſed per eam nobis proponendo, & explicando, tàm quæ veræ ſiut, & à Deo deriuatæ ſcripturæ, quàm legitimum earumdem ſenſum, vbi circa illas, myſteriaque fidei in illis contenta, aliqua occurrit controuerſia inter hæreticos, aut Catholicos dirimenda.

Septimò animaduertendum eſt, aliud eſſe quod Eccleſia, vel Summus Pontifex gaudeat priuilegio infallibilitatis in rebus fidei decernendis; aliud verò quod ex illo etiam errare non poſſit in cæteris rebus ad vniuerſalis Eccleſiæ regimen ſpectantibus, cuius generis ſunt variæ legum, & canonum ſanctiones, religionum approbationes, Sanctorum Canonizationes, quibus etiam addo ſanæ alicuius doctrinæ approbationem, malæ verò, librorumque illam continentium confixionem: Etſi enim vtrobique priuilegio infallibilitatis muniri debeat; nihilominùs in primo caſu, ſiue vbi rem, tamquam de fide credendam definit, neceſſe eſt eam eſſe talem, quodque proindè fuerit à Deo reuelata: quia vt ſtatim dixi, Pontifex nouam condere fidem non poteſt, nec nouæ reuelationes illi fiunt, ſed ad illum tantùm pertinet ea, quæ fidei ſunt explicare, & quæ ſecundùm ſe talia ſunt, ex ſcripturis & traditionibus Diuinis, quibus adæquatè comprehenduntur, vbi opus eſt, quoad nos proponere: At verò

in

in secundo casu, siue ex eo quod infallibilitatis, aut non errandi priuilegio gaudeat in rebus ad vniuersalis Ecclesiæ regimen pertinentibus, non propterea res in hunc finem ab illo sancitæ, & ordinatæ, certitudine fidei credendæ, vel tenendæ sunt, sed sufficit quod errore carere æstimentur, & vt tales proindè à fidelibus cum debita reuerentia suscipiantur. Etsi enim supposito quod hæc propositio vniuersalis sit de fide, [Ecclesiam scilicèt, vel Summum Pontificem errare non posse in rebus ad vniuersalis Ecclesiæ regimen spectantibus,] hæc quoque particularis sub illa formaliter, & per modum partis contenta debeat esse de fide, [quod hic, vel ille Pontifex, vbi rem huiuscemodi proponit, errare nequeat, [non tamen indè sequitur, inferiue potest, illam esse de fide, quia vt suponimus à Deo reuelata non fuit, & consequenter non est quid ab Ecclesia definibile, aut proponibile tamquam de fide credendum: Secùs autem contingeret si ista propositio vniuersalis esset de fide, [Quidquid Ecclesia, vel Summus Pontifex definit, spectans ad vniuersalis Ecclesiæ regimen, est de fide;] tunc enim rectè inferretur id etiã esse de fide, quod hic & nunc ab eo ita definiretur, non quidem ex vi priuilegij, quod haberet non errandi; sed quia totum illud quod tunc definiretur, fuisset priùs à Deo reuelatum, & extra illud nihil ab eo sineretur Pontifex definire; vel quia in dies, ac de nouo illi reuelaret secundùm casus occurrentes, omne id, quod præfato vniuersalis Ecclesiæ regimini magis conduceret. Verùm cùm non ita res se habeat, de facto quęcumque Pontificum decreta ad vniuersalis Ecclesiæ regimen spectantia, maiorem non habent certitudinem, quàm conclusionis Theologicæ, quatenùs infertur ea nihil mali, aut contra bonos mores, vel ius naturale, aut Diuinum continere, ex illo fidei principio, quod Ecclesia, vel Summus Pontifex in condendis legibus, ad statum vniuersalis Ecclesiæ pertinentibus errare nequit, iuxta veriorem, quam infra propugnabimus sententiam. Igitur ad plura cum se possit extendere obiecta priuilegium infallibilitatis Summi Pontificis Romani, in præsenti capite solùm agimus de illis, quæ supposita semel Diuina eorumdem reuelatione, de fide ab eo ex Cathedra definibilia, aut proponibilia dicuntur.

§. II.

Diuum Petrum, nec vt peculiarem personam, nec vt Ecclesiæ Pontificem à Christo creatum, fidem vnquam amisisse, aut in errorem illi contrarium prolapsum fuisse, statuitur aduersùs hæreticos.

VT aliqui hæretici, inter quos Nilus lib. de primatu Romani Pontificis, nullum efficacius, validiusque argumentum adduci posse, crediderunt, ad labefactandum Summi Pontificis Romani priuilegium non errandi in rebus fidei proponendis, quàm si assererent D. Petrum saltem bis in fide naufragium fecisse; semel cùm negauit Christum Matth. cap. 26. & iterum cùm Gentiles ad iudaizandum coegit ad Galat. cap. 2. ita per oppositum nos, vt firmum præfatæ Summi Pontificis prærogatiuæ stabiliendæ praiaciamus fundamentum, in hoc paragrapho necessarium omninò duximus præostendere, contra falsam hæreticorum opinionem, inconcussam semper fuisse D. Petri fidem, portasque inferi numquam aduersùs eam præualuisse.

Primùm ergo D. Petrum, nec non cæteros etiam Apostolos, vt priuatas personas consideratos, à fide semel accepta numquam defecisse, sed nec in ea docenda errare potuisse, præsertim post diem Pentecostes, pro certo tenendum est, colligiturque demonstratiuè, ex eo quod tunc in gratia potissimùm confirmatos fuisse communiter doceant Patres, Ioannisque 16. promissus illis fuerit Spiritus Sanctus affuturus, omnem eos veritatem docens; cum tali enim priuilegio, sine in sensu composito illius, impossibile fuisse, quod aliquando Apostoli à fide defecerint, vel in ea docenda grauem aliquem errorem commiserint, satis per se patet.

Secundò, quod Diuus Petrus, vt præ cæteris Apostolis supremo Ecclesiæ primatu donatus, ita quoque præ illis singulari priuilegio non errandi in rebus ad fidem spectantibus à Christo insignitus fuit. Colligitur primò ex verbis eiusdem Christi Matthæi 16. [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Vt sine dubio contra hanc Christi Domini promissionem accidere potuisset, si Diuus Petrus errandi in fide periculo obnoxius fuisset. Particulæ enim illæ [aduersùs eam,] non referuntur solùm ad Ecclesiam, sed etiam ad Petrum, tamquàm ad fundamentalem, & inconcussam eius petram, ex Chrysostomo in Catena Diui Thomæ: [Manifestum est, inquit, quia neque aduersùs petram, neque aduersùs Ecclesiam portæ inferi præualebunt;] immò ait Origenes tract. 1. in Matthæum, [quod si præualerent aduersùs petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam præualerent:] Igitur ea ratione, qua fundamento corruente totum simul ædificium corruere necesse est, sicut eo stante immobiliter perseuerat; ita Christus hac petræ metaphora, seu fundamenti ædificij demonstrare voluit infractam Diui Petri fidem, concessumque illi diuinitus non errandi in ea priuilegium, cui inexpugnabiliter superædificanda erat, superimponendaque spiritualis Ecclesiæ fabrica.

Alter scripturæ locus, ex quo idem priuilegium eruitur, est Ioannis capite vltimo, [Pasce oues meas;] Dominus enim ascensurus in Cœlum post resurrectionem suam, ne Ecclesiam sine pastore relinqueret, ipsius curam beato Petro his potissimum verbis commisit, vt suæ stabilitate fidei, cæteros in Christiana religione confirmaret; in quo præcipuè pastoralis potestas, & auctoritas conspicitur.

Tertius denique omniumque clarissimus locus, ad probandam singularem hanc Diui

Petri

Petri prærogatiuam; habetur Lucæ 22. vbi Christus Dominus cœna facta conturbatis Apostolis, propter vnum ex illis, qui ipsum erat proditurus, dissentientibus eorum animis pro primatu, quis nempè eorum futurus esset maior; hæc alloquens Petrum dixit: [Simon Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Quibus sanè verbis Christus non tantùm significare voluit Petrum inter Apostolos fore maiorem, & superiorem, indeque ansam illis amplius contendendi de primatu auferre, sed insuper ostendere eum solùm, tamquam supremum Ecclesiæ caput confirmationem in fide accepisse, cuique proinde ex officio incumberet cæteros in ea, si quando vacilarent confirmare: nam hæc vox, [confirma fratres tuos,] non tam est imperantis, vnde vel obedientia, laudaretur, vel præuaricatio iusta plectatur pœna; quàm vox Christi instituentis officium, vel magistratum confirmandi fratres in fide: sicut illis verbis: [Pasce oues meas;] etsi imperatiui modi sint, instituit pastoratum Ecclesiæ; & Sacerdotium Euangelicum cum Lucæ 22. dixit, [hoc facite in meam commemorationem:] Ideo autem tam hìc, quàm Matth. 28. fratrum nomine ad designandos cunctos fideles vsus est, non tantùm quia ab eodem Patre, qui in cœlis est cùm Petro progeniti, ex eodem baptismi vtero emissi, & ad eamdem hęreditatem vocati, verùm etiam ne ab eo vt subditi, sed potiùs vt fratres haberentur, atque tractarentur; sicut etiam vsus est verbo confirma, vt ostenderet potestatem illam non ad dominandum, sed ad emolumenta, & commoda ipsorum propria fuisse institutam.

Qua in re placet omissis alijs præclara Diui Leonis Magni verba referre in anniuersario assumptionis suæ; [Commune quidem erat omnibus Apostolis periculum, specialis tamen à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit: in Petro ergo omnium fortitudo munitur, & ita gratiæ diuinæ ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.] Ex Græcis quoque Theophylactus in eumdem Diui Lucæ locum non absimilia docuit; [Manifestus, inquit, verborum sensus est, cùm te discipulorum Principem fecerim, tu cùm resipueris, confirma reliquos: hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra, & fundamentum es.] Rursus, quamuis, inquit Christi nomine, breui tempore concutiendus sis; habes recondita semina fidei: etiam si folia abiecerit spiritus inuadentis, radix tamen viuit, & non deficiet fides tua.] Sed hæc multò clariùs adhuc & à fortiori de Beato Petro constabunt, cùm de successoribus eius præfata Christi verba intelligenda esse infra dicemus.

Igitur ad primum argumentum ex Diui Petri negatione desumptum respondetur primò eum, quo tempore Christum negauit, nec in gratia confirmatum fuisse, nec dum supremum Ecclesiæ Pontificatum obtinuisse; quem de facto Christus à Resurrectione sua dumtaxat illi contulit Ioannis 21. dicens [Pasce oues meas;] quare licèt à fide per huiusmodi negationem Petrus defecisset, nihil inde sequeretur contra nos, qui eum, vt priuatam personam, fidem numquam amisisse diximus, nonnisi post ipsius cùm cæteris Apostolis in gratia confirmationem, vt Summum antem Pontificem, infallibilitatis priuilegio donatum, eoque gauisum fuisse; post suam in hanc dignitatem assumptionem: Quocirca iuxta hanc responsionem: vbi ait Christus Dominus; [Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua:] huiusmodi orationis fructus, & effectus ad passionis tempus referri non debent; quo fidem in Petro extinctam fuisse supponimus, videturque colligi ex Diuo Ambrosio sermone 47. de fide Petri, dum ait, [fideliorem eum factum esse, postquam fidem se perdidisse defleuit,] sed ad illud tempus, quod Christi Resurrectionem, nec non Ascensionem consecutum est; quo ex vi orationis Christi Petrus in gratia cum cæteris Apostolis per missionem Spiritus Sancti confirmatus, specialique priuilegio non errandi in rebus fidei, vnà cum supremo Ecclesiæ Pastoratu donatus, non amplius Christum negauit, sed coram Regibus, & Principibus intrepidè eum confessus est, sibi honorificentissimum ducens pro nomine eius contumeliam pati; item nutantes in fide confirmauit, deuios, & errantes reduxit, ac tamdem Euangelium per omnes ferè mundi plagas disseminauit.

Secundò respondetur ad hoc argumentum, Diuum Petrum in trina sua negatione grauissimè quidem peccasse contra exteriorem fidei actum, sed non contra interiorem, primarium, & præcipuum, ex Apostolo enim cap. 10. ad Romanos dicente, [corde creditur ad iustitiam, ore autem fieri confessionem ad salutem;] duo sunt actus fidei, vnus interior quo omnibus à Deo reuelatis assensum præbemus; alter exterior, quo fidem hanc, siue internum assensum publicè coram hominibus profitemur; inter quos istud est discriminis quod interior sit actus fidei primarius, & præcipuus, à nullo alio dependens; exterior verò secundarius, tam ab habitu fidei, quàm ab ipsomet interiori eius actu dependens, iuxta illud psalm. 115. [Credidi propter, quod loquutus sum,] & 2. Corinth. cap. 4. [Et nos credimus; propter quod, & loquimur.] Quo fit vt interior absque exteriori stare possit, sed non vice versa. Petrus itaque in trina sua negatione externæ solùm fidei confessioni defuit, interna semper illæsa manente, quia non incredulitate, aut quasi quid sibi firmiter in animum contra Christi dignitatem, & excellentiam induxisset, sed timore negauit. Ita communiter docent Patres, Tertullianus libro de fuga in persecutione; Aurelius Prudentius in libro Catemerinon, idest rerum diurnarum, hymno 1.

Fleuit negator denique
Ex ore prolapsum nefas:
Cùm mens maneret innocens,
Animusque seruaret fidem.

Diuus

Diuus Ambrosius in psalm.43. vbi docet Petrum negare, se nosse Christum, non fuisse eius fidem deficere, sed tentari, qua etiam ex tentatione fortior surrexit. [Vide, inquit Ambrosius, quid dicit, & intellige. Ventilatur Petrus, vt Christum negare cogatur. incidit in tentationes, quædam locutus est, quasi palearum plena; sed locutus est verbo, vt fundatior esset affectu. Denique fleuit, & paleas suas lauit: & illis tentationibus meruit, vt pro se Christus interueniret. Quantò maius est patrocinium, quàm perturbationis illius tentamentum? & ideo plusquam passus est, acquisiuit.] Vnde quod ait idem Sanctus Doctor loco in prima responsione citato serm.47. de fide Petri, [cum fideliorem factum esse, postquam fidem se perdidisse defleuit;] ibi per fidem intelligi debet fidelitas, quam Christo amico debitam non seruauit; vel sanè fidei confessio, quam pro illo tempore præstare tenebatur, sed ex nimia inter ancillæ verba formidine non præstitit.

Quod significantiùs adhuc expressit Diuus Chrysostomus homil. 83. in Matthæum, explicans illa verba, [Ego rogaui pro te; Lucæ 22. non dixit, inquit, non me negabis sed vt non deficiat fides tua. Cura enim ipsius, & fauore factum est, ne omninò Petri fides euanesceret.] Idem quoque, Petrum scilicet non verè, & ex animo, sed ore tenus Christum negasse, fide interiùs illæsa permanente tradit Diuus Augustinus tract.113. in Ioannem, Cyrillus lib.12. cap.1. Theophylactus vbi supra, ac tamdem Sanctus Leo Magnus serm.9. de passione; [Vidit, inquit, in te Dominus non fictam fidem, non dilectionem euersam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundauit fletus, vbi non defecit affectus, & fons charitatis lauit verba formidinis nec tardatum est remedium abolitionis, vbi non fuit iudicium voluntatis.]

Igitur duas inter extremas sententias, primam hæreticorum asserentium Diuum Petrum in sua trina negatione fidem totaliter amisisse, & alteram aliquorum docentium eum, aut non peccasse, aut certè mentitum non fuisse, sed salua veritate ambiguè locutum, quos vt opinor his verbis Hieronymus notat: [Scio quosdam pro affectu erga Apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos vt dicerent Petrum non Deum negasse, sed hominem, & esse sensum, nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm friuolum sit, prudens lector intelligit, sic defendunt Apostolum, vt Deum mendacij reum faciant. Si enim iste non negauit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis, non hominem.] Inter has, inquam duas extremas sententias media nos incedimus via, admittendo quidem Diuum Petrum Christum ter abnegando grauissimè peccasse, actumque exterioris infidelitatis exercuisse, minimè tamen fidem in habitu, ac in actu primario perdidisse: qua ratione facilè conciliantur omnia, quomodo nimirum Christus verè prædixerit, Petrum ter ipsum fore negaturum in suæ passionis nocte, & quomodo simul exauditus pro sua reuerentia fuerit, qui non orauit, vt Petrus non tentaretur, tentatus Christum ore non negaret, sed ne fides eius deficeret: si ad hoc etiam tempus fructum orationis Christi referre velimus; quam tamen non tàm pro illo, quàm alio, quo post Christi resurrectionem, ab eo in supremum Ecclesiæ Pastorem instituendus erat, potissimum factam fuisse clarissimè sequentia demonstrant argumenta,

Primò enim, si pro solo passionis tempore, & non pro reliquo vitæ Petri, quo fratres suos in fide confirmare illi ex officio incumbere debebat, oratio Christi Domini facta pro illo fuisset, vt ineptè asserunt aliqui promissam ab eo efficaciam non habuisset, si quidem Christus non pro quacumque Diui Petri indeficientia in fide se rogaturum promiserat, sed pro illa, qua fratres suos, vbi opus esset confirmare, & corroborare tenendus erat, vt patet ex ipsiusmet Christi Domini verbis: [Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos;] Sed tempore passionis, cùm tunc maximè Apostoli, & discipuli nutarent, & præ timore Christum turpiter reliquissent, tantùm abest, quod eos Petrus confirmauerit, quin potiùs ipse grauissimum contra fidei confessionem peccatum commisit, indeque cunctos fideles scandalizauit, igitur ad aliud, quàm passionis tempus orationem ex Christi, eiusque efficaciam se extendisse fatendum est, nimirum ad illud, quo iam supremus Ecclesiæ Pastor factus, eam contra tot Sathanæ insidias, contra crudelissimas, atque periculosissimas Iudæorum, tyrannorumque persecutiones, per totum ferè mundum fundauit, infideles ad fidem conuertendo, fideles autem in ea confirmando, & conseruando.

Secundò id etiam significat aduerbium illud aliquando; quod omne futurum respicit tempus, aut saltem Grammatici docent, non proximum, & imminens, igitur quantumuis ad participium conuersus referretur, vt aliqui tradunt ex Patribus, vt sensus esset, & tu cum aliquando conuersus fueris à peccato trinæ negationis, confirma fratres tuos intelligi non potest præcisè de tempore passionis, quod erat quàmproximum, sed de alio multo longinquiori, & remotiori, præsertim, cum nullibi legamus Petrum statim post suam à peccato conuersionem, ac eductionem Apostolos in fide confirmasse, sed potiùs totum triduum in illo deflendo consumpsisse.

Tertiò valde probabile est ex venerabili Beda, & alijs, participium hoc conuersus hebraismum esse, quo repetitio significatur, sicut apud Latinos his dictionibus rursus, denuo. iterum, ac similibus, cuius hebraismi luculentum habemus exemplum psalm. 84. 7. [Deus tu conuersus viuificabis nos], id est, tu, qui nos occidisti, iterum viuificabis. Et Ieremiæ cap. 18. 4. Veschab veiahhschehu cheliacher, & conuersus est, & fecit illud vas alterum, pro & iterum. Vulgata nostra habet, [Conuersusque fecit illud vas alterum Igitur cum hoc loco dixit Christus, [Tu conuersus confirma frates tuos,] sensus est est quasi dixisset, sicut ego te confirmaui, aut sicut vidisti me Apostolos fratres tuos, si quando nutarent, confirmare, & corroborare, tu iterum eos, vbi opus erit confirma,

& corrobora: sed Christus toto vitæ tempore eos confirmauit, eaque confirmatio illi ex officio spectabat; ergo etiam, & Petrum eosdem, cæterosque fideles toto vitæ tempore, si quando tentationum æstibus vrgerentur, confirmare ex officio tamquam suum in terris vicarium voluisse præfatis verbis ostendit.

Iam veniamus ad alterum argumentum ex epistola ad Galatas cap. 2. deprompṭum; pro cuius adæquata solutione, rem ipsam vt euenit, ac eam, ibi Diuus Paulus refert, scire necesse est. Igitur cùm Diuus Petrus priùs vnà cùm gentibus ederet, venientibus postea Hierosolymis Antiochiam quibusdam Iudæis à Diuo Iacobo primo eius vrbis Episcopo missis, cæpit à Gentilium mensis subtrahere, & segregare se, timens eos, qui ex circumcisione erant; cuius exemplum secuti, quàmplurimi etiam ex Iudæis, qui Antiochiæ agebant, Iudæorum quoque mensis assidebant; quibus nihil in lege prohibitum apponebatur è contra verò Gentilium, qui fidem Christi susceperant, mensas auersabantur, vbi omnia indiscriminatim edebantur, vnde magnum inter fideles exortum est scandalum, cui, vt Diuus Paulus obuiam iret, Petrum redarguit, vt habetur loco citato; [Cùm autem, inquit, venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restitit, quia reprehensibilis erat.] Quæ Diui Pauli verba sinistrè interpretati plures hæretici, præsertim ex modernis Nilus in libro de primatu Romani Pontificis, haud veriti sunt affirmare, Petrum in hoc euentu fidem amisisse, prauoque exemplo Gentiles ad Iudaismum amplectendum coegisse: Magdeburgenses autem, licèt fidem ab eo negent fuisse deperditam, grauissimum tamen peccatum, & suggilatione dignum illum admisisse tradunt.

Cardinalis Baronius tomo 1. Annalium ad annum Christi 51. num. 35. nonnullos, optimæque notæ profert Auctores, qui Cepham illum, quem Diuus Paulus in epistola ad Galatas à se reprehensum scribit, non Apostolorum Principem, sed alium eiusdem nominis Cepham ex num. 72. Discipulorum extitisse docent. Ij sunt Clemens Alexandrinus apud Eusebium Cæsariensem lib. 1. historiæ cap. 13. Dorothæus in Synopsi, vbi eiusmodi Cepham in Caria factum Episcopum tradit. Sed hæc admittenda non esse rectè notat Baronius, standumque communi sententiæ, & Hieronymo in epistola ad Galatas, qui nullum Cepham, præter Sanctum Petrum agnoscit. [Alterius, inquit, nescio cuius Cephæ nescire nos nomen, nisi eius, qui & in Euangelio, & in alijs Pauli Apostolis, & in hac quoque ipsa, modò Cephas, modò Petrus inscribitur. Et inferiùs. Si propter Porphyrij blasphemiam alius nobis fingendus est Cephas, ne Petrus putetur errasse, infinita erunt de Scripturis emendanda diuinis, quæ ille, qui non intelligit criminatur.] Laudandus igitur Clementis, & aliorum in Petrum affectus, at nulla eorum amplectendi sententiam necessitas occurrit, præsertim ad soluendum argumentum ex dicto casu petitum.

Fuit aliorum sententia, Petrum, & Paulum ex composito eiusmodi inter se simulasse dissidium, quo vtilitati discipulorum ambo ea arte consulerent; cum enim ea de causa, vt Actor. 15. habetur, multæ obortæ essent Antiochiæ contentiones inter Christianos, qui ex Gentibus credidissent, & eos qui ex circumcisione ad eamdem fidem venissent, rati sunt non ausuros ampliùs mutire eos, qui legalia in cibis esse seruanda contenderent, si Petrum ea de causa à Paulo publicè reprehensum esse, ac Petrum non contradicentem, nec se excusantem, sed illi assentientem vidissent; sicque, quod 2. Corinth. 31. de se ait Paulus: [Cùm astutus essem dolo vos cepi,] ea simulatione prospicerent, vt qui ex circumcisione essent, in officio continerentur. Primi huius sententiæ auctores fuere Origenes, Didimus Apollinaris, Eusebius Emienus, Theodorus Heracleotes, quos citat, ac sequitur Diuus Hieronymus epistola 89. ad Augustinum: [Ego, inquit, immò & alij antè me exposuerunt causam, quam putauerant, non officiosum mendacium defendentes, sed ostendentes honestam dispensationem: vt & Apostolorum prudentiam demonstrarent, & blasphemantis Porphyrij impudentiam coercerent.] In eamdem posteà sententiam abiere Diuus Chrysostomus in epistola ad Galatas cap. 2. Theodoretus ibidem, Theophylactus, & Oecumenius, Cassianus collat. 17. cap. 20. Ex modernis autem illam defendunt Adrianus in 4. quæst. 1. de Baptismo, Suarez lib. 9. de legibus cap. 20. num. 29. Vasquez in 1. 2. disput. 182. cap. 7. Didacus Granado de legibus tract. 4. disp. 6. Videturque fundamentum habere in Scriptura; dùm ipse Diuus Paulus cuncta à Petro gesta simulationem appellat dicens: [Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, itaut & Barnabas adduceretur ab eis in eam simulationem;] quo circa Paulij obiurgationem fuisse etiam simulatam, fatetur, vbi supra Diuus Chrysostomus, & ex ipsis Pauli verbis deducit: [In faciem, inquit ipse, ei restitit.] In Græcis enim codicibus habetur [secundùm faciem;] hoc est, apparenter tantùm; quoad speciem, & simulatè, nec immeritò, quomodò enim fieri potuit, vt Paulus seriò reprehendisset in Petro, quod sæpiùs ipse, oblata eadem occasione facturus esset? vel potiùs quomodò posteà crebriùs factitasset, quod in Petro coram Ecclesia tam acerbè redarguisset. Iudaicos namque ritus, cùm sibi ad perfectionem Euangelij visum est oportunum, repetijt, ac sæpiùs iterauit; vt cùm Timotheum ex patre Gentili natum circumcidit Act. 16. vel cùm secundùm Iudaicum Nazaræorum morem totondit caput in Chenchris, Actor. 18. aut quando Hierosolymam reuersus, ad conciliandam sibi gratiam Iudæorum, antequam ingrederetur in Templum, se purificauit cum illis, Actor. 21. Sed hæc etiam sententia licèt sit probabilis, laudeque digna, quæ Petrum liberat à culpa, & Paulum à procacitate, & mendacio; necessaria tamen non est ad saluandum in Petro non errandi priuilegium in rebus ad fidem pertinentibus, post acceptum à Christo tam pro se, quàm pro suis successoribus Romanis Pontificibus supremum Ecclesiæ primatum.

Admissa igitur tertia sententia, quæ Petrum ob hanc simulationem reum aliqualiter facit,

facit; quamque ex Patribus Latinis secuti sunt Tertullianus lib. 4. in Marcionem, Cyprianus in epistola ad Quintum, Ambrosius in cap. 2. epist. ad Galatas, Augustinus in epistola ad Hieronymum 8. & 9. ac 19. Gregorius lib. 28. Moralium cap. 12. Quibus adhærent ex Scholasticis Diuus Thomas 12. quæst. 103. art. 4. & ad 2. Scotus in 4. dist. 3. quæst. 4. Diuus Bonauentura ibidem artic. 5. quæst. 2. quos communiter sequuntur vtriusque Scholæ discipuli. Respondemus hunc, qui Petro tribuitur, errorem fidei non fuisse, aut prædicationis, sed conuersationis, vt iam olim prudenter notauit Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersùs Hæreticos. Non enim sanctus Petrus falsa pro veris approbauit, aut iudaizandum statuit, qui contrarium expresse docuit, Actor. 15. sed tantùm à Gentilium mensis minùs circumspectè, vt ait Chrysostomus, abstinendo, ne Iudæos ad fidem nuper conuersos offenderet, exemplo suo Barnabam ad iudaizandum traxisse aliqualiter inculpatur. Quocirca Diuus Paulus expresse dixit, [quod non rectè ambularet ad veritatem Euangelij,] non autem, quod non intelligerent veritatem. Et hoc est adeò certum, vt vel ipse Theodorus Beza, homo insigniter hæreticus illud agnoscens dixerit in Scholijs suis 2. cap. ad Galatas: [Petrus hoc loco non peccat in doctrina, sed in certo facto; quod videlicet dùm Iudæorum infirmitati cupit consultum, Euangelicam libertatem adducit in discrimen.]

Quod adhuc debet intelligi de facto non secundùm se, sed quantùm ad aliquam circumstantiam, vel etiam occasionaliter. In qualibet enim humana actione considerari possunt primùm intentio, sed quod perindè est, conscientia, & fides, qua eiusmodi actio perficitur; secundò opus ipsum, quod iterùm dupliciter spectari potest, vel secundùm se, siue quantùm ad substantiam, vel quantùm ad circumstantias, vt quod in eo peragendo debita non fuerit consideratio, propter cuius defectum talis actio minùs cauta, minùsque prudens ab alijs iudicetur; aut etiam, quod eius occasione aliquod scandalum, vel inconueniens ortum fuerit. Quo fit, vt multotiès aliquis inter operandum deficiente naturaliter aduertentia fiat immunis à culpa; cùm tamen exteriùs reprehensione, & admonitione dignus videatur; quinimò bona etiam fide in operantis actione relucente, nonnunquam iustè poterit reprehendi, vt cautiùs deinceps, præmissaque diligentiori consideratione, ad operandum procedat; & hac dumtaxat ratione Diuus Paulus, Petrum redarguit, reprehensibilemque esse dixit. Cùm enim sciret beatum Petrum, cęterosque etiam Apostolos absque leuissima culpa secundùm loci, & temporis rationem vti potuisse legalibus, vt & Paulus ipse multotiès fecisse dictum est, quod adhuc licentiùs à Petro, quàm à Paulo vsurpari potuisse, cùm ille Iudæorum, Paulus verò Gentium patrocinium suscepisset, nemini rationabiliter dubium esse potest; profectò non potuit Paulus ea de causa, siue ob tale opus reprehensibilem dixisse Diuum Petrum; sed ex eo ad summum, quod occasione talis operis iure, ritèque ex dispensatione facti, Gentiles Christiani ad idipsum faciendum fuerint aliquo modo compulsi, quasi legalium obseruationem vnà cum lege Euangelica necessariam esse crederent, tale namque scandalum in nouellis fidei plantis ex Petri actione non peccaminosa succrescens, Pauli mansuetudinem exacuit, vt ipsum, ad maiorem talis erroris progressum impediendum palàm redargueret: quare vel nullum fuit Petri peccatum, vel admodum leue, & venia dignissimum, quod nimirùm cùm supremus esset Ecclesiæ Pastor, fideique Princeps, cuius proindè ad exemplum tunc fideles potissimùm componendi erant, non ita cautè in eo euentu se gesserit, magna licèt cum charitate, vt docet Chrysostomus in cap. 2. ad Galatas: [Quamquam autem, inquit, hæc non erant circumspecta mentis erant tamen feruidæ charitatis.]

Ideòque etiam, cùm ex tali charitatis, & salutis Iudæorum, quorum peculiarem curam gerebat, desiderio omnia Petrus ageret, non dubium quin ea parte quoque meruerit apud Deum; nisi velimus dicere eum fuisse munificentiorem erga Obstetrices Ægypti Exodi 1. quæ ex officioso mendacio laudem, & præmia retulerunt; non quidem de mendacio, sed de officio, cui tamen coniunctum erat mendacium, quàm fuerit cum Diuo Petro, qui totus charitate flagrabat, & ad summum ex mera inconsideratione, circumspectæve mentis defectu operatus est: siquidem frequenter euenire solet, vt dùm quis perfectiùs, & diligentiùs vnum al quod malum euitare laborat, quale tunc erat, ne si à Iudæis nuper aduenientibus Hierosolymis, compertus esset Petrus Gentiliter, & non Iudaicè viuere, scandalum illis, & offensio ab eo inferretur, in aliud nonnumquam improuidus incidat, & prolabatur.

Iàm ergò manente ex dictis sarta, tectaque Diui Petri infallibilitate in rebus ad fidem pertinentibus, totum præsentis controuersiæ pondus ad hoc reducitur, an Romanus Pontifex, sicut in Pontificia dignitate, ità quoque donante Christo, in præfato infallibilitatis priuilegio fuerit sancti Petri successor, & hæres, vndè sit.

§. III.

Afferuntur varia circa præsentem Controuersiam placita.

IN primis generaliter loquendo, omnes quotquot olim fuerant, & hodiè sunt Hæretici, in ipso exercitio supremam auctoritatem, multòque magis infallibilitatem Summi Pontificis in decernendis quibuscumque rebus fidei negauere, vt satis patet ex continua ipsorum eius definitionibus inobedientia, immò Diuus Cyprianus epist. 55. docet: [Non aliundè hæreses obortas esse, aut nata esse schismata, quàm indè, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur;] quem vnum Sacerdotem, ac vice Christi Iudicem, eadem epistola, necnon 40. & alibi asserit, esse Petri Cathedram, hoc est, vt ponderabimus in-

sequenti paragrapho, Summum Pontificem Romanum, legitimum Diui Petri in supremo Ecclesiæ gubernio pro tempore successorem.

Præter hanc autem omnium Hæreticorum generalitatem, à Petri Cathedra, & Apostolica Sede recedentium, peculiares insuper fuerunt corumdem errores, circa eius auctoritatem; variè enim, & quibusdam quasi gradibus illam Diabolus, numquam tamen præualiturus, expugnare semper conatus est. Primò per schismata, & irrisiones, seu blasphemias; secundò per negationem singularis Summo Pontifici Romano præ cæteris potestatis; tertiò tandem per totalem eius negationem. In primo ordine, videtur primus Tertulliano dandus locus, qui cùm priùs aliqua in fauorem Petri Cathedræ, auctoritatisque illius occasione data scripsisset, posteà in Montani, & Cataphrygum hæresim lapsus, cœpit in Romanum Pontificem inuehi, vt patet in libro de pudicitia contra Psychicos, vbi quasi ironicè eum Episcopum Episcoporum appellat, & eius edictum de indulgendo his, qui peccauerunt, si per pœnitentiam resipiscant, non admittit. Posteà Donatistæ Apostolicam Sedem Cathedram pestilentiæ vocauerunt, & ab ea se primùm per schisma, deindè per hæresim separauerunt, docentes rebaptizandos esse baptizatos ab Hæreticis, & in sola Africa, solaque parte Donati veram esse Ecclesiam.

In secundo ordine reponendi sunt plures Græci; inter quos Dioscorus Alexandrinus Episcopus Hæreticus Eutychianus, eò deuenit insaniæ, vt ausus fuerit intorquere sententiam anathematis in Romanum Pontificem sanctum Leonem, adactis decem Episcopis lachrymantibus, & gementibus ad illam subscribendam. Qui proprium scelus quidem detestabantur, sed iacturam, & vim timentes, mærorem silentio deuorabant, non audentes, quod sentiebant, palàm profiteri; ità ex actis 1. Concilij Chalcedonen. Liberato, cap. 12. & alijs. Primariam quoque Romani Pontificis auctoritatem magis apertè impugnare cœperunt Græci, alijque Orientales populi, quando in secunda Synodo generali, vt colligitur ex appendice canon. 5. tentarunt, licèt frustrà, Episcopum Constantinopolitanum in Patriarcham sublimare, eisque secundum locum post Romanam Sedem tribuere; pro quo posteà in Concilio Chalcedonensi act. 16. soluta iàm congregatione, absentibusque Legatis Apostolicis, clanculùm Orientales Episcopi canonem ediderunt, vbi Constantinopolitanæ Sedi, ità secundum post Romanum locum dedere, vt tamen æqualia ei priuilegia concesserint; quę postmodum ampliùs extendere cupiētes tempore Pelagij II. & sancti Gregorij Magni titulum Vniuersalis Episcopi Patriarchæ Constantinopolitano arrogarunt. Supremam tandem Romani Pontificis auctoritatem apertè denegarunt, immò ab ea penitùs decidisse affirmarunt, vbi Symbolo Niceno, & Constantinopolitano addita fuere hæc verba, [Filioque procedit,] vt habetur ex epistolis Leonis V. & ex Sigeberto in Chronico. Similiter etiam quidam Nilus Episcopus Thessalonicensis librum euulgauit contra primatum Romani Pontificis. Ad hos etiam reduci possunt Hæretici Ætiani, qui, vt docuerunt ex Epiphanio hæres. 75. & Augustino de hæresibus, ad Quod vult Deum hæres. 53. omnes Presbyteros esse pares, nec vnum esse alio superiorem, consequenter singularem Summi Pontificis auctoritatem negauerunt; eamdem etiam ob causam refert Castro de hæresibus, verbo Papa, Waldenses se ab eius obedientia separasse. Denique Anglicana hæresis, quamvis ex alio fundamento valdè diuerso, eamdem supremi in Ecclesia Capitis auctoritatem negauit existimans vnumquemque Principem temporalem supremum in suo Regno, supremam quoque auctoritatem spiritualem habere.

Ad tertium denique ordinem, siuè classem Hæreticorum totaliter, & absolutè negantium auctoritatem Summi Pontificis Romani, pertinent Fraticelli auctore quodam Hermanno cum Dulcitio Nouariensi, qui suam inchoarunt hæresim, docentes auctoritatem Ecclesiæ Romanæ cessasse propter malitiam Prælatorum, quodque omnes Pontifices à tempore sancti Siluestri fuerint præuaricatores, excepto Cœlestino V. de quibus, & similibus à Bonifacio VIII. damnatis videndi sunt Nauclerus generat. 44. & Cardinalis de Turrecremata lib. 4. Summæ par. 2. cap. 37. Abraham Bzouius Annal. tom. 13. Similiter etiam Wicleffistæ à Ioanne Wicleffo Anglo, & Hussitæ à Ioanne Hus Bohemo contra Romani Pontificis auctoritatem insurrexerunt, vt constat ex Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. de quibus videri possunt Ioannes Cochlęus in historia Hussit. lib. 3. nec non Æneas Syluius postea Pius II. in libro de origine Bohemorum cap. 35. Hos autem omnes, vt & in alijs pluribus eorum erroribus, secuti sunt hoc tempore Lutherus, & Caluinus, eorumque discipuli, & fautores.

Inter Doctores Catholicos, cùm vna sit omnium sententia tamquam de fide, vnumque os, quod Summus Pontifex Romanus simul cum Concilio Generali gaudeat priuilegio infallibilitatis in rebus ad fidem pertinentibus, aliqui tamen illi soli, hoc est, seorsim à Concilio Generali, singularem hanc denegant prærogatiuam; ij sunt ex Antiquis Petrus ab Alliaco Archiepiscopus Cameracensis, & Cardinalis, de Ecclesiæ auctoritate 3. par. cap. 1. Ioannes Gerson, Gallus, Monachus Cœlestinus, Cancellarius Parisiensis in tractatu dę examinatione doctrinarum, considerat. 1. Nicolaus de Cusa, natione Germanus, Episcopus Brixinensis, & Cardinalis, de Concordantia Catholica lib. 2. cap. 18. Iacobus Almainus Doctor Parisiensis, in tractatu de auctoritate Ecclesiæ cap. 1. Ioannes Maior natione Scotus, de auctoritate Ecclesiæ disputat. An Papa subditus sit fraternæ correptioni, & Concilio vniuersali. Adrianus VI. Pontifex, natione Traiectensis in 4. sentent. de Sacramento Confirmationis. Ex his autem Doctoribus, licèt Petrus Alliacensis, & Ioannes Gerson fuerint viri valde pij, & docti, nihilominus quia tempore schismatis floruerunt, & scripserunt, nimirùm quando in Concilio Pisano tres se pro Pontificibus gerebant, tanti facienda non est in rebus Pontificijs illorum auctoritas; idem dico de Almai-

maino tempore Iulij II. inter quem, & Galliam tunc grauissimæ fuere controuersiæ; ipse tamen, licèt clarè doceat Pontificem, vt est Pontifex, errare nonnumquam posse, asserit nihilominus cum Gersonio contra illius definitiones non esse publicè dogmatizandum; nisi fortè error illius ita esset manifestus, vt nulla tergiuersatione celari posset, quod moraliter impossibile esse videtur, quia vt Pontifex, ex consilio Cardinalium, virorumque peritorum semper procedit; sic autem in eum, quemadmodum, & in quemlibet alium ita procedentem errorem intolerabilem, & crassum cadere posse, quis rationabiliter dicat? Quantùm ad Nicolaum de Cusa loco citato absolutè non negat Summi Pontificis infallibilitatem, sed tantùm loquendo de illo comparatiuè ad vniuersale Concilium ritè adunatum, ait quod istud, quoad iudicia sit semper maioris auctoritatis, & minoris fallibilitatis, quàm Papa tantùm: eodem modo loquitur Ioannes Maior, quod nimirum idem Concilium sit super Maximum Pontificem, quantùm ad correptionem fraternam, quo admisso, non sequitur, propterea eum non gaudere priuilegio infallibilitatis.

Inter modernos autem, qui calamum suum contra hoc idem Summi Pontificis priuilegium, supremamque eius auctoritatem distrinxerunt, duo præcipui fuerunt Edmundus Richerius, Presbyter Diœcesis Lingonensis, Doctor sacræ facultatis Theologiæ Parisiensis, & Simon Vigorius, Regius Consiliarius, ac iuris vtriusque consultus. Quorum tamen prior, vno, aut altero ante obitum anno laudabiliter, magnoque bonorum omnium applausu resipuit, sub sequenti verborum forma, quam hic placuit exscribere ex tractatu de suprema Summi Pontificis potestate, quem aduersùs vtrumque præfatum auctorem edidit vir æquè pius, ac doctus Andreas Duuallius Doctor Sorbonicus, ac Regius Theologiæ in Academia Parisiensi professor.

[Ego Edmundus Richer, Presbyter Diœcesis Lingonensis, Doctor sacræ facultatis Theologiæ Parisiensis, & Magnus Magister Collegij Cardinalitij Vniuersitatis Parisiensis subsignatus: Cum perspexerim quasdam propositiones libelli à me scripti anno millesimo sexcentesimo vndecimo, De Ecclesiastica, & Politica potestate, in malam partem acceptas: hìc protestor, & declaro me semper voluisse, atque etiam nunc velle, & meipsum, & libellum præfatum, quascumque eius propositiones, earumque interpretationes, omnemque meam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio subijcere, quam matrem, & magistram omnium Ecclesiarum, & infallibilem veritatis iudicem agnosco. Ac protestor permagnum concepisse dolorem, aliquas propositiones memorati libelli, sic à me conscriptas, vt occasionem offensionis dederint, quasi instæ, & legitimæ potestati Summi Pontificis, & Dominorum Prælatorum Ecclesiæ aliquid diminutum, aut detractum vellem, licèt talis intentio mea non fuerit. Quas quidem propositiones, quatenus Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ iudicio, vt sonant, contrarias, vehementer, improbo, & condemno; quam declarationem profiteor me liberè, & voluntariè edidisse, vt mea erga sanctam Sedem Apostolicam obedientia cunctis pateat, eamque inter manus Illustris. Domini Cardinalis de Richelieu, Prouisoris Sorbonæ, consignandam censuisse, pro ratione obseruantiæ, & debiti mei erga eumdem D. Illustris. Cardinalem.]

[In cuius rei fidem, & testimonium præsentem declarationem, & protestationem concepi, meaque manu scripsi, & obsignaui. Anno Domini 1629. die Veneris 7. Decembris, præsentibus Magistro Carolo Talon, Parocho sancti Geruasij Parisiensis, & Patre Ioseph Parisiensi Ordinis Capuccinorum.]

Cùm autem aliquo post tempore lecto, lecthoque decumberet, sumpto à Pastore sacratissimo Viatico, coram illo, multis adstantibus, palàm & publicè professus est se spontè, & absque vllo metu potentissimorum virorum, vt plerique clanculum susurrabant, declarationem prædictam habuisse: immò se ad eam repetendam paratissimum esse. Cuius etiam coram Notario Apostolico relationem authenticam, idem qui supra, & ibidem Andreas Duuallius adduxit; vt non solùm, inquit, quis huius grauissimæ de Summo Pontifice controuersiæ exitus fuerit, innotesceret, sed etiam ad exemplum præfati Doctoris, illi, qui in simili sententia versarentur, pari quoque illius retractatione emendarentur.

Alij Doctores per oppositum asserunt Romanum Pontificem, non solùm ex Cathedra definientem, sed vt priuatam adhuc personam gaudere priuilegio infallibilitatis; ita vt ex eorum mente, cùm primùm quis per veram, & canonicam electionem ad supremum Ecclesiæ Pontificatum euehitur, statim à Christo ita in fide confirmetur, vt non possit, etiamsi velit, in errorem priuatim, aut publicè cadere. In hac sententia sunt Naucle-rus lib. 2. de Monarchia Ecclesiastica par. 2. cap. 10. quatenus ibi ex professo tradit nullum hactenus Pontificem hæresis macula respersum extitisse, ab huiusmodi enim euentu istius sententiæ auctores eam satis clarè colligi putant. Albertus Pighius Campensis libro 4. Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 8. Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 8. probabiliter, pièque ita sentiri posse testatur. [Probabile, inquit, est, pièque credi potest, Summum Pontificem, non solùm vt Pontificem, errare non posse, sed etiam, vt particularem personam hæreticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo.] Cui etiam subscribit Didacus de Cea in Archielogia Sacra Principum Apostolorum Petri, & Pauli lib. 1. Archielogio 111. cap. 2. §. 1.

Tertia demum sententia inter has duas media docet Summum Pontificem solum absque Concilio Generali, seu extra illud gaudere priuilegio infallibilitatis in decernendis rebus ad fidem pertinentibus, si vt Pontifex, seu ex Cathedra decernat; secus autem si vt priuata persona agat, cuius sententiæ sequaces iterum circa illius certitudinem diuisi sunt; Bellarminus enim lib. 4. de Romano Pontifice cap. 2. ita illam certam putat, vt tamen

tamen opposita, quo ad primam partem, non sit propriè hæretica, quia adhuc videntur ab Ecclesia tolerari eius auctores, sed solùm erronea, & hæresi proxima; idem docet Andreas Duuallius tractatu de Infallibilitate Romani Pontificis par. 2. quæst. 2. [Etiam si, inquit, de fide esse non videatur, saltem non ita euidenter constet, Summum Pontificem seorsim à Concilio, priuilegio infallibilitatis, licèt agat vt Pontifex, gaudere, id tamen absolutè certum est, & indubitatum, si quidem Spiritus sanctus, ne vel minimus error in definiendo obrepat, ipsi perpetuò adest.] At Dominicus Bannes 22. quæst. 1. artic. 10. dub. 2. asserit, [id tamquam Apostolicam traditionem esse tenendum;] Gregorius verò de Valentia ibidem quæst. 1. punct. 7. §. 41. ait, contrarium sentientes [in fide errare grauissimè;] Quid iam inter tot diuersa placita pro veritate dicendum sit, sequentes ostendent paragraphi.

§. IV.

Præsentis controuersiæ veritas sequentibus explicatur conclusionibus.

I. Conclusio. Quoties Pontifex Romanus aliquid, in re dubia ad fidem totius Ecclesiæ spectante, vnà cum Concilio Generali, decernit, vt toti Ecclesiæ credendum, nullo modo errare potest. In hac conclusione tamquam de fide, omnes Catholici aduersùs huius temporis sectarios consentiunt. Nam sic Ecclesia tota simul coacta censetur, quæ si tunc erraret, falsæ essent Christi promissiones: [Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.] Matthæi cap. 28. [Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam,] Matthæi cap. 16. quæ non solùm intelliguntur de Ecclesia entitatiuè sumpta, quatenus toto orbe diffusa gaudet priuilegio infallibilitatis in credendo, vt superiori sectione explicuimus, sed etiam de illa repræsentatiuè considerata, quatenus etiam vt talis eodem gaudet priuilegio in definiendo: Concilium autem Generale Pontifice cæterisque Prælatis constans, perfectissimè repræsentat Ecclesiam, & est Ecclesia ipsa secundùm auctoritatem, nulli si quidem alij in Ecclesia, præter eius Prælatos, ordinaria auctoritate pollent. Igitur Summus Pontifex cùm Concilio Generali definiens, in decretis fidei errare non potest.

Id insuper apertè demonstrant, quæ lib. 2. sect. 6. cap. 9. adduximus, vbi ostendimus Ecclesiam esse supremum omnium controuersiarum fidei iudicem; quod de sola Ecclesia repræsentatiuè sumpta intelligi debet; sed etiam ibidem probauimus cap. 2. talem Iudicem debere esse in definiendo infallibilem: Igitur cùm Summus Pontifex vnà cùm Concilio Generali ex illo, cæterisque prælatis constans, sit Ecclesia vniuersalis repræsentatiuè ipsaque Ecclesia secundùm auctoritatem, quæ nullis alijs in Ecclesia, quàm prælatis fuit à Christo Domino concessa; firmiter tenendum est Summum Pontificem, ita consideratum gaudere priuilegio infallibilitatis in rebus, aut controuersijs fidei, immò nisi ita se haberet, necessariò sequeretur vniuersam Christi Ecclesiam entitatiuè sumptā, totoque orbe diffusam, in fide, siue in credendo errare posse, cum enim illa sic accepta in dubijs fidei quæstionibus teneatur acquiescere iudicio, ac definitioni Ecclesiæ repræsentatiuæ consideratæ, si semel in istam error fidei cadere posset potest, in illam quoque redundaret: Igitur sicut ex hoc, quod Ecclesia repræsentatiuè sumpta in rebus fidei decernendis errandi periculo non est obnoxia, oritur, & inducitur veluti à priori obligatio Ecclesiæ entitatiuè consideratæ, obediendi eius definitionibus; ita etiam ex hoc quod ista deficere non possit in credendo; vbi semel tales acceptauit definitiones, colligitur à posteriori illas esse infallibiles. Quemadmodum enim causæ sunt sibi inuicem inuicem causæ; & disciplinæ sibi inuicem prosunt, ita quoque has duas infallibilitates vnam passiuam Ecclesiæ in credendo, alteram actiuam in definiendo sibi inuicem testimonium infallibilis veritatis perhibere dicendum est. Sed de his satis, in quibus conueniunt omnes.

II. Conclusio; Summus Pontifex seorsim à Concilio Generali, si se gerat, vt Pontifex, semper est audiendus, eique parendum, siuè errare possit, siue non. In hac etiam conclusione tanquam certa, & indubitata conuenire debent omnes Catholici, illamque specialiter docent Gersonius, & Almainus locis superiùs citatis, quamuis Pontificiam negent infallibilitatem; vbi nihil obest, quod addunt, nisi appareat manifesta ratio repugnandi; talis si quidem conditio moraliter est impossibilis, quia vt dicemus infra Summus Pontifex aliquid circa fidem definiturus tenetur pro cuiusque negotij, & causæ grauitate, ad veritatem inuestigandam, debitam diligentiam adhibere, atque viros doctos, præsertim è sacro Cardinalium collegio in consilium vocare; sed moraliter impossibile videtur, quod in eum ita procedentem aliquis vnquam error intolerabilis contra fidem cadat; igitur simpliciter, & absolutè contrà Summi Pontificis definitiones vniuersis fidelibus propositas, dogmatizandum non esse manifestè sequitur, illudque à fortiori probabunt, quæ pro sequentis conclusione probatione fusissimè adducentur. Vndè si quandò id ab aliquibus fuisse legitur, vel debet intelligi de Summis Pontificibus, vt priuatis personis agentibus, aut aliquid proponentibus; vel in quæstionibus facti particularibus v. g. an hic vel ille Episcopus sit huius, vel illius criminis reus, & ideo deponendus? An hæc; vel illa persona, vel Respublica hoc vel illud flagitium commiserit, ob quod excommunicationi, aut interdicto sit subijcienda? An cum hac vel illa persona circa votum, aut matrimonium ex tali informatione sit dispensandum? in his enim, & alijs similibus dijudicandis posse Pontificem nonnumquam errare libenter admittunt omnes Catholici: Quia eiusmodi particulares facti quæstiones plerumque merè pendent ab humanis infor-

matio-

mationibus, quibus falsum subesse posse, nullus dubitat. Deindè quia promissiones infallibilis assistentiæ diuinæ, qua statim Summum Pontificem gaudere dicimus, solùm ad communem fidem, & religionem Ecclesiæ pertinent; quo casus, & quæstiones eiusmodi particulares facti non spectant.

III. Conclusio, solus Pontifex, absque Concilio Generali, si vt Pontifex, seu, vt dicitur ex Cathedra decernat, in dubijs fidei quæstionibus definiendis gaudet priuilegio infallibilitatis. Cum hæc singularis Summi Pontificis Romani prærogatiua, sit proculdubio supernaturale, ac gratuitum Dei donum; [his autem, ex D.Thoma 1. p. quæst. 101.art.1. quæ sunt supra naturam, soli authoritati eredatur; & quæ ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possint, nisi quatenus diuinitus reuelata sunt;] indè, ad certam nostræ conclusionis probationem, aliò recurrere non debemus, quàm ad sacræ Scripturæ, vel traditionis authoritatem, quibus adæquatè diuina comprehenditur reuelatio. Ex his ergo asserimus veritatem nostræ conclusiionis haberi, nam licèt expressè, & in proprijs terminis in sacræ conclusionis haberi, nam licèt expressè, & in proprijs terminis in sacra Scriptura non legatur, in principijs tamen in illa reuelatis in virtute, & implicitè continetur, eamque insuper sufficienter declarat perpetua, sibique constans in Ecclesia traditio, tanquàm diuinitus accepta.

Primum ergo sacræ Veteris Testamenti Scripturæ docent, hoc idem non errandi priuilegium fuisse diuinitus summo Synagogæ Pontifici concessum; Deuteronomij enim cap.17. versu 8. &sequentibus hæc habentur: [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem, causam & causam, lepram, & lepram: & Iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum Non declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis, morietur homo ille.

Circa cuius loci intelligentiam, vt ex eo ad intentum nostrum efficax argumentum eruatur, obseruandum est, ita hìc duas speciatim controuersias recenseri, vnam de sanguine, alteram de lepra, vt alibi tamen 2. Paralip.cap.19.v.10.quatuor summatim earum genera insinuentur; [Vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremonijs, de iustificationibus.] Nam aliquæ, vt ibi post Lyranum communiter asserunt intepretes, oriebantur ex lege Decalogi: aliæ ex mandatis moralibus, quæ sunt extra legem Decalogi: aliæ ex præceptis cæremonialibus ad diuinum cultum pertinentibus: aliæ denique ex præceptis iudicialibus, quæ ad externam pacem, ac iustitiam canseruandam erant accomodata.

Insuper animaduertendum est primò quidem solum Moysem (qui erat Pontifex extraordinarius) iudicasse omnes omninò controuersias, qæ in populo oriebantur verùm vt hoc onere nonnihil subleuaretur, Exodi cap.18.versu 13. ex consilio Ietro electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos; qui minores causas iudicarent, grauiores autem ad illum remitterent; Et iterum ad maius ipsius solatium Numeror. cap.11.v.16. & 24.ex mandato Dei septuaginta seniores electi sunt, qui etiam in causis grauioribus illi assisterent. [Venit ergo Moyses, & narrauit populo verba Domini, congregaus septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa Tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque requieuisset in eis spiritus, prophetizauerunt, nec vltra cessauerunt.] Ita tamen, vt per illa verba, auferens de spiritu, qui erat in Moyse,] significetur Deum illi maiorem assistentiam concessisse, quàm septuaginta senioribus, qui ipsum in sustentando populi onere iuuare debebant;per spiritum enim intelligendum est, aliquod donum gratiæ, quod requiritur in ijs,qui tenebãtur alios gubernare, eorumq; præsertim controuersias in materia fidei, & religionis componere; vndè hic est sensus; [Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi:] idest dabo illis donum gratiæ, sed infra illud donum, quod tu habes. Tibi, qui supremus iudex es, plus communicari oportuit, quàm illis, qui tibi subiecti sunt; signanterque propterea dicit, [Auferam de spiritu tuo, quia non totum,sed partem eius dumtaxat illis erat concessurus.

Ex hoc duplici concilio, minori quidem consulente Ietro, Maiori vero, mandante Deo, à Moyse instituto suam habuit originem duplex quoque tribunal, vel Concilium, vnum maius Hierosolymis constitutum, pro causis difficilioribus: alterum minus in singulis ciuitatibus, pro facilioribus; quorum mentio fit Deuteronom. capitulo 16. vers.18. lib. 2. Paralipomenon. capitulo 19. vers. 4., vbi cùm vtrumque Concilium progressu temporis penè collapsum esset, legitur iterum restitutum, ac renouatum fuisse à Iosaphat Rege Iuda. Inter hæc;autem duo Concilia, licèt plura versarentur discrimina;primum,quia maius tantum erat Hierosolymis; minus in singulis ciuitatibus: secundum,quod in maiori diudicarentur grauiores controuersiæ;in minori faciliores: tertium, à minori licebat appellare ad maius, non vice versa à maiori ad minus: quartum, in maiori erant septuaginta personæ, præter Pontificem; in minori viginti tres: quintum, maius, de quo sæpe fit mentio in Euangelio Marci 14.Lucæ 9. Actor.4. vocabatur [Sanedriu, vel Synedrion,vel Concilium seniorum:] minus non item: præcipuum tamen fuit,quod in maiori præsideretPontifex,seu caput Concilij seniorum ; non item in minori 2.Paralip.

lip. cap.19. [Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester. in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit;] essetque in decisione controuersiarum fidei iudex omnino infallibilis.

Colligitur primò, ex tertio discimine statim adducto inter Summum Pontificem, & alios inferiores iudices; quod vbi nascebatur aliqua controuersia difficilior, in cuius decisione inferiores iudices, vel dissentiebant, vel veritatem attingere non poterant; volebat Deus, vt partes diffidentes eam deferrent ad Pontificem, in superiori Concilio præsidentem cum hac promissione, quod ab eo accepturæ essent [Iudicis veritatem;] At si Pontifex in tali casu, fuisset fallibilis in rebus ad fidem spectantibus, quæ omnes sine vlla exceptione ad eius iudicium pertinebant; non accepissent ab eo desideratam veritatem, nec promissio Dei fuisset impleta: ergo fatendum est, eum tunc errare non potuisse: Eòque magis, quod vbi præcipitur citato Deuteronomij cap.17. [Et facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius,] per hæc vltima verba, non significatur aliqua conditio, qua denotetur sacram Scripturam esse supremum iudicem controuersiarum fidei, vt inquiunt Kemnitius in examine Concilij Tridentini ad primum decretum 4.sessionis: Vvitacherus controuersia 1.q.5.cap.4.& alij hæretici communiter: sed mera assertio, includens in se assecurationem ex parte Dei, qua certum facit populum, iudices istos rectè, & secundum legem eius pronuntiaturos sententiam, vt patet ex verbis statim sequentibus: [Sequerisque sententiam eorum, neque declinabis ad dexteram, neque ad sinistram:] quibus præcipitur nullo modo recedendum esse à sententia eiusmodi Iudicum, quod tamen falsum esset si posset esse contraria legi, posset enim euenire, vt vel ex auaritia, vel ex fauore, vel ex aliquo vitio iudices interdum aliter definirent, quàm lex ipsamet statueret.

Secundò hæc eadem absoluta Summorum Synagogæ Pontificum infallibilitas in decidendis potissimùm fidei quæstionibus, probatur ex fine istius legis, qui fuit terminare eiusmodi controuersias, reddereque homines ipsos de sua fide securos, in qua etiam hæsitare grande peccatum est; at si priuilegio non errandi in rebus ad illam spectantibus à Deo donati non fuissent, aut prædicta verba vt volunt hæretici, sonarent meram dumtaxat conditionem conformitatis sententiæ eorum ad legem Dei, & potuissent contrarium statuere, iam per talem sententiam numquam absolutæ fuissent controuersiæ: qui enim causa cecidissent, potuissent altreri parte respondere, hoc adhuc restare examinandum, an Iudex sententiam protulerit iuxta legem Dei, ad quod determinandum alio iudice adhuc opus fuisset, cùm neutra pars alteri cedere voluisset, sed potius quælibet legem diuinam ad suum captum accomodasset: sic etiam, & hæreses perpetuò durassent, immò vnicuique in conscientia licuisset amplecti, quam voluisset fingere opinionem: dum enim per dicta verba, importatur talis conditio, quam fingunt hæretici, potuisset meritò fidelis quilibet in dubium reuocare, num sententia per supremum iudicem data, conformis esset legi, nec ne, & proindè tuta conscientia aliter credere: quæ omnia cum sint absurda, dicendum est summos Synagogæ Pontifices fuisse absolutè diuinitus donatos priuilegio infallibilitatis in dijudicandis rebus fidei.

Tertiò id probatur ex pœna mortis ibi statutæ contra eos, qui definitiuæ illorum sententiæ acquiescere noluissent. At quis credat Deum summè iustum voluisse cum tanto onere obligare fideles ad subeundam in negotio fidei, & religionis sententiam, quàm supposita semel supremi iudicis fallibilitate possent absolutè suspicari falsam, & iniquam esse. Igitur dicendum est sententiam summi Synagogæ Pontificis in negotio præsertim fidei, & religionis non potuisse esse falsam, sed ex peculiari Dei assistentia infallibilem.

Nec obstat huic rationi, quod eadem mortis pœna statuta fuerit contra nolentes acquiescere iudici Politico, seu ciuili, quem tamen in proferenda sententia infallibilem fuisse nullus dixerit. Igitur ex onere fidelium obtemperandi Summi Pontificis sententiæ in materia fidei sub tali pœna malè colligitur à nobis eius infallibilitas, sed ad summum sequitur illam impoui ob contumaciam, & superbiam, vel etiam ob scandalum natum ex contemptu Sacerdotum, quando subditus eius definitioni non obtemperaret.

Hæc, inquam, instantia, quàm facit Guillelmus Vvitacherus loco citato, vim nostræ probationis nullatenus eueruat, si attentè consideretur discrimen inter iudicem ciuilem, & Ecclesiasticum; quicquid enim sit an in præfato Deuteronomij loco agatur de iudice ciuili, longè dispar est ratio vtriusque. Nàm cùm ciuilis tantùm dirimat lites ad res temporales spectantes, quæ sunt bona omninò indifferentia, quæque proindè salua conscientia possunt relinqui, & quæ insuper respectu vniuscuiusque priuati non sunt tanti momenti, quàm honor iudici debitus, qui dum agit ex tribunali, licèt fallibilem proferat sententiam, ius tamen semper dicere putatur; & cùm bonum publicum, qualis est dictus honor supremo præsertim iudici debitus, à quo non datur appellandi locus, priuato sit anteponendum bono, inde tenetur sub quacumque pœna subditus sequi illius decisionem. At res non ita se habet vbi agitur de ipsa fide, deque suscipiendo aliquo eius dogmate, vel de cultu aliquo exteriori tamquàm fidei internæ signo; quia nulla vnquam potest esse causa rationabilis, propter quam debeat fidelis, vel possit in conscientia, obedire iudici præcipienti etiam sub pœna mortis, vt aliquid credat, vel suscipiat tamquam dogma fidei, aut exerceat velut interioris fidei signum, quòd tamen propriè est contra fidem, dicentibus Apostolis Act. 4. [Iustius esse Deum audire, quàm homines;] ideoque, cùm Deuteronomij cap. 17. Deus simpliciter, & absolutè sub pœna mortis incurrendæ iubeat, fideles admittere quidquid summi Sacerdotes definierint circa res fidei, quo in casu non corpori, vel rebus temporalibus non imminet periculum, sed animæ saluti, non poterant aliter interiùs sentire, & aliter ex-

exteriùs profiteri, vel silere etiam ad vitandum scandalum, & contemptum legis. Igitur ni velimus dicere Deum per hanc legem esse potuisse Iudæis auctorem, & causam deceptionis, quæ per ignorantiam, vel malitiam iudicis potuisset obrepere in ferenda sententia, asserendum est voluisse, eum infallibilem esse, Iudæosque certos facere præfata loquendi formula, [Et docuerint te iuxta legem eius;] quod speciali eius assistentia summi Sacerdotes numquam essent ex cathedra definituri contra legem, & veritatem, quod ob disparitatem superiùs allatam necesse non fuit in Iudice ciuili.

Probatur quartò ex verbis Christi Domini Matth. 23. [Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.] Vbi dùm Christus admonet turbas, quòd secundùm eorum dicta, qui super cathedram Moysis sederent, non autem secundùm eorum opera facerent, videtur apertè absolutam eorum infallibilitatem, vbi iudicarent ex cathedra, significare; siquidem tribuit illis in docendo ex cathedra maiorem aliquam infallibilitatem illa, quam habebant in operando; ratione cuius non operandi, sed credendi animata regula essent. At in operando habebant proculdubio infallibilitatem etiam conditionatam, si nimirum conformiter ad legem diuinam operati fuissent. Igitur habuerunt illam absolutè in definiendo, vt quantumcumque mali, vel esse possent, vel essent non operando conformiter ad legem, attamen malè definire non possent, siue non docere conformiter ad legem diuinam. Vt præclarè docuit D. Augustinus lib.4. de doctrina Christiana cap.27. his verbis: [Illa ergo cathedra non eorum, sed Moysis, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes: agebant ergo sua in vita sua, docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena: Et iterum lib.16. contra Faustum Manichæum cap. 29. tractans hunc eumdem locum S. Matthæi, [Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi &c. subiungit: In quibus Dominicis verbis debetis animaduerrere, quantus honos delatus sit doctrinæ Moysi, in cuius Cathedra etiam mali sedentes bona dicere cogebantur.] Quibus sanè verbis nihil apertius ad præsens institutum dici potest, si rectè ponderentur illæ particulę, [cogebantur bona dicere, cathedra illos non permittebat docere sua,] his enim euidenter significatur tales iudices etiamsi voluissent docere ex cathedra, seu definire peruersas suas opiniones, nihilominùs non potuisse, sed fuisse coactos ad benè definiendum. Et ne dicerent hæretici iudices istos dici coactos ad benè definiendum, etiamsi malè definire voluissent; nec potuisse, quia nimirum conuincebantur euidentia testimoniorum Scripturæ Sacræ, & ipsius veritatis per legem eis manifestatæ; ipsemet Sanctus Augustinus hanc coactionem tribuit ipsi cathedræ, tamquam causæ, vel occasioni rectitudinis in definiendo, quatenus Deus, cum primùm illam instituit in Deuteronomio, promisit omnes, & singulas sedentium in ea definitiones fore veritatis infallibilis.

Quod aliqui in contrarium obijciunt; primò, Aaronem fuisse idololatriæ auctorem. Exodi 32. vers. 4. Secundò Vriam contra legem Dei nouum in templo altare extruxisse lib. 6. Reg. cap. 16. Tertiò Isaiam dixisse cap. 56. quod omnes speculatores populi erant cæci. Quartò tempore Ieremiæ cap. 6. [à Propheta vsque ad Sacerdotem,] omnes locutos fuisse mendacium. Quintò Ieremiam ipsum cap. 26. propter verbum Domini, publica sententia omnium Sacerdotum, & Prophetarum fuisse ad mortem condemnatum. Hæc inquam obiecta, quibus aduersarij conantur probare Pontificem veteris testamenti, non solùm potuisse, sed etiam sæpiùs errasse in negotio fidei, & Religionis, nullius sunt momenti. Nam Aaron non erat Pontifex, quando errauit, si tamen errauit in fide, cuius contrarium sectione superiori cap. 3. & 10. ostendimus. Vrias erat quidem Pontifex, verùm non errauit tamquam iudex, & præses in dirimendis fidei controuersijs, sed in facto solùm cupiens satisfacere mandato regis Achaz. Isaiam autem per speculatores, quos ait cæcos esse, non intellexisse Pontifices sui temporis, sed Scribas, & Pharisæos, qui erant futuri tempore Apostolorum, quando Ierusalem erat à Romanis vastanda, docet S. Hieronymus, & colligitur ex ipsomet contextu. Sicut Ieremias locutus est de Sacerdotibus, & Prophetis, qui errabant in prædictione futurorum, non autem in decisione controuersiarum legalium, de quo est quæstio. Idem dicendum de morte ipsius, cuius etiam sententia non fuit legitimè, & iudicialiter lata à Summo Pontifice, sed in tumultuario concursu, ac seditione vulgi, ob eius prædictionem de imminente euersione Ierusalem, vt à D. Hieronymo notatum est, & patet ex ipsomet textu.

Maiorem ergo præsefert difficultatem, quod Christum à Pontifice Caipha, & senioribus populi in magno Concilio morti adiudicatum fuisse referant S. Matth. cap. 26. & S. Ioannes cap. 11. & 18. Inde enim Sybrandus hæreticus quærit, cùm Caiphas pronuntiauit Christi doctrinam esse blasphemam, Christum esse populi seductorem, reumque mortis, an Summus Sacerdos tunc absolutam in definiendo infallibilitatem habuerit, an non? siue quod idem est an errauerit, vel non; secundum responderi non potest, vt per se patet, igitur primum, atque adeò falsum esse, quòd in lege veteri summus eius Sacerdos habuerit absolutè non errandi priuilegium in rebus fidei dijudicandis, sed conditionatè tantùm, vbi nimirum, aut si conformiter ad legem pronuntiaret, quod quia non fecit Caiphas cum senioribus in iudicio Christi, indè absolutè errauit.

Huic argumento diuersi diuersa respondet. Nicolaus Isambertus disp. 4. de Iudice controuersiarum art. 7. animaduertit in hoc Christi iudicio, sicut & in alijs Concilijs duo esse distinguenda, ipsam definitionem, scilicet, & rationes, seu media, quibus vtuntur pro statuenda definitione, quodque Deus, quando promisit absolutè infallibilitatem Cathedræ Moysi in dubijs fidei, illam non promiserit pro vtroque, sed tantùm pro primo ex communi Theologorum sententia, vn-

de solæ definitiones, & non item rationes Conciliorum sunt de fide: Igitur cùm istud Caiphæ de Christo blasphemauit, non fuerit conclusio, sed ratio, seu medium, quo vsus est ad persuadendum reliquis Sacerdotibus Christum esse de medio tollendum, potuit Caiphas errare, imò de facto turpiter errauit in illa sua exclamatione, blasphemauit; salua tamen, & adhuc perseuerante integra absoluta Dei promissione infallibilitatis in definitionibus ex cathedra pronuntiatis.

Quòd si instetur in hac definitione Concilij, Reus est mortis, non minùs errasse Caipham, & Concilium, quàm dicendo blasphemauit; atque adeò nec pro definitionibus promisisse Deum absolutè infallibilitatem iudicantibus ex cathedra Moysis. Respondet præfatus auctor, definitionem illam, reus est mortis, duplicem habere sensum; vnum bonum, & verum, scilicet Christum esse reum mortis, non quidem propter aliquod peccatum proprium, sed propter aliena, quæ in seipso expianda susceperat, & ad quod etiam faciendum ex Patris præcepto tenebatur; alterum sensum habere malum, blasphemum in Christum, & in ipso Sacerdote culpabilem, quatenus significat Christum esse reum mortis, quia blasphemauit; iam secundùm priorem sensum in illa non fuisse erratum; cùm ex instinctu Spiritus Sancti conformiter ad illam priùs dixisset Caiphas Ioannis 11. [Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat; hoc enim à semetipso non dixisse, subiungit statim Euangelista, sed cum esset Pontifex anni illius, prophetasse, quod Iesus moriturus esset pro gente.

Iuxtà verò posteriorem sensum fuisse quidem in hac sententia, seu definitione erratum, sed iudicium hoc non tam propriè fuisse iudicium, quàm meram summi Sacerdotis, ac Seniorum in Christum coniurationem; si enim inspiciatur scopus, seu intentum Concilij, tam conuocandi, quàm conuocati, statim apparebit materiam in eo agitatam, & definitam, non esse materiam, ob quam summis Sacerdotibus ex Cathedra iudicantibus promisit Deus infallibilitatem; nam intentum non fuit discutere, & definire, [Vtrùm Christus esset verus Messias, Filius Dei, vel Propheta,] quod definire ad eorum spectabat iudicium, & circa quod definiendum non errassent, sicut nec errauerunt, quando interrogati ab Herode, vbi Christus, iuxtà Prophetarum vaticinia, esset nasciturus Matth. 2. responderunt: [In Bethleem Iuda, sic enim scriptum est per Prophetam; Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel:] Tale, inquam, eorum intentum non fuit, sed potiùs omni via etiam iniusta, tam per inuidiam, quàm per dolum, ita Christum apud Iudicem Gentilem accusare, vt tandem eum morti traderent, & hoc pro stabilienda sua temporali Republica Matth. 26. & clariùs Ioannis 11. At Deus, quando promisit infallibilitatem definientibus ex Cathedra Moysi, non pro quacumque materia promisit; sed pro ea, quæ ad forum Ecclesiæ spectaret, tam pro doctrina fidei, quàm morum, qualis non erat hæc quæstio: [Qua via, & ratione, homo ille, qui se vocat Christum, tradendus est Iudici Gentili pro conseruanda temporali Iudæorum Republica;] quam tamen solùm disputarunt, & definierunt tribus illis Concilijs contra Christum adunatis; vnde satis patet, quomodo non obstante Caiphæ errore, tam in illa sua exclamatione blasphemauit, quàm in sua simul cum toto Concilio definitione, promissio Dei adhuc manserit absoluta circa infallibilem summi Pontificis auctoritatem in definiendis ex Cathedra rebus fidei, & Religionis, cùm ei à Deo ad hunc finem, vel vsum dumtaxàt, & promissa & data fuerit, non autem ad alios; tantùm ex doctrina præfati Doctoris, paucis additis, vel detractis, per quod rectè soluitur argumentum.

Secundò Bellarminus lib. 2. de Ecclesia, & Concilijs, Gretserus in defensione Bellarmini, Becanus in Manuali controuersiarum lib. 1. cap. 5. num. 69. Tannerus disput. 1. de fide quæst. 4. dub. 6. num. 273. & alij communiter respondent concedendo Caipham, qui tunc erat Pontifex, errasse cùm Concilio, cùm tunc temporis non fuerit ampliùs absolutè Summus Pontifex, nec habuerit consequenter summam iudiciariam potestatem in terris, cui solùm in summis Synagogæ Pontificibus duranti, ac perseueranti annexa erat Dei promissio, specialisque eius assistentia, vt in definiendis ex Cathedra rebus fidei errare non possent; pro cuius responsionis maiori dilucidatione notandum est ex Becano, vbi supra, potuisse hæc quinque spectari in Synagoga iam ferè expirante. 1. Legem Mosaicam. 2. Prophetiam de Christo. 3. Sacerdotium, & sacrificia legalia. 4. Supremam potestatem iudiciariam, quæ erat in Pontifice, & Concilio. 5. Infallibilem Dei assistentiam, quæ illi potestati erat annexa. Quando autem, & quomodo singula exspirauerint sic explicatur.

Lex Mosaica, quoad obligationem abrogata est in morte Christi Domini, vt docet S. Thomas 12. quæst. 163. art. 3. ad 2. & Theologi passim ex illo: vnde ante illam viguit simul lex Mosaica, & Euangelica; deinceps autem sola Euangelica. Prophetia de Christo, vt fuit multiplex: Alia de venturo Christo in hunc mundum; alia de eius doctrina, & miraculis; alia de morte, & passione; alia de descensu ad inferos; alia de resurrectione; alia de ascensione; vnaquæque earum tunc exspirauit, quando impletum fuit id, quod per eam prædicebatur. V. g. Prophetia de venturo Christo per aduentum ipsius Matt. 4. 13. [Lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem;] & sic deinceps. Sacrificia legalia sunt etiam abrogata per mortem Christi, sicut lex Mosaica. Quod maximè verum est de cruentis sacrificijs, in quibus mactabantur animalia. Erant enim figuræ, seu vmbræ cruenti sacrificij, quo Christus Dominus in ara Crucis erat mactandus.

Suprema potestas iudiciaria, itemque diuina assistentia illi annexa, non videtur simul, seu eodem momento tota exspirasse, sed successiuè, & quasi per partes, vt Synagoga in hoc præcipuo ipsius priuilegio cum honore sepeliretur. Nam primò certum est, Christum habuisse maiorem potestatem iudiciariam, & vberiorem Dei assistentiam, quàm habue-

habuerit Pontifex in veteri Testamento, iuxtà illud Matthæi 28. 18. [Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra:] vnde Pontifex respectu Christi, eoque personaliter præsente, & Euangelicam legem docente, non potuit ampliùs supremam habere potestatem absolutè. Deinde assistentia diuina paulatim subtracta est, quod facilè demonstrari potest in ijs Concilijs, quæ post Christi Natiuitatem à Pontifice, & Sacerdotibus celebrata leguntur in Euangelio; quorum tria sunt præcipua. Primùm tempore Herodis, quando tres Magi venerunt Hierosolymam. Alterum tempore Lazari resuscitati, quando disputabatur, quid de Christo tot miracula faciente, statuendum esset. Tertium tempore captiuitatis Christi, quando à Caipha ad mortem condemnatus est. In primo enim mansit integra assistentia diuina; in altero diminuta est; in tertio penitùs sublata, quod sic ostenditur.

Primum Concilium congregatum est propter Herodem, qui à principibus Sacerdotum sciscitabatur, vbi Christus, iuxtà Prophetarum vaticinia esset nasciturus, Matthæi cap. 2. Et responsum est: [In Bethleem Iuda. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.] Quæ definitio fuit vera, & infallibilis, ac proinde ex infallibili Dei assistentia profecta.

Alterum celebratum fuit occasione miraculi, quo Christus Lazarum resuscitauit, Ioann. 11. vt ibi legi potest: quo in Concilio Caiphas ex vna parte errauit, Christum innocentem ex inuidia, & æmulatione morti adiudicando; ex altera non errauit, ex speciali assistentia Spiritus sancti, more prophetico prædicendo eum moriturum pro salute Iudæorum. Ideòque sacer textus subiungit, [hoc à semetipso non dixisse,] idest, ex proprio iudicio, & affectu humano, [sed cùm esset Pontifex anni illius prophetasse, quod Iesus moriturus esset pro gente.]

Tertium tandem conuocatum fuit instante Christi passione Matthæi 26. vbi Sacerdotes quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent: Ac denique lata est hæc sententia: Reus est mortis; tamquam contra blasphematorem; inter quam, & alteram Ioannis 11. datam: [Vos nescitis quicquam nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat;] cùm magna sit differentia, si singula vtriusque ponderentur verba; fatendum quidem est Caipham in primo Concilio ex diuino adhuc instinctu locutum fuisse, minimè autem in secundo vt rem clarè demonstrat exitus ipsius, siue euentus pessimi Caiphæ iudicij, quo Christo Domino testimonium perhibente de seipso, quod esset Filius Dei, eum blasphemasse dixit. Vnde iuxtà hanc solutionem debet intelligi tunc temporis, siue in eo Concilio exspirasse priuilegium infallibilitatis, quo in dijudicandis rebus fidei superiùs probauimus donatum fuisse diuinitùs summum Synagogæ Pontificem.

Quod si quis vltimò dicat, præfatum Pontificem tale quidem priuilegium habuisse, sed vnà cum Concilio Seniorum non autem seorsim ab illo. Respondetur ita eum illud adhibere debuisse, vt tamen independenter ab illo fuerit ipse infallibilis in dubijs fidei quæstionibus definiendis, vt patet ex ipso textu Deuter. 17. [Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille.] Necnon ex verbis Diui Ioannis cap. 11. vbi, non alia ratione dicitur Caipham prophetasse, ac proinde ex verè infallibili Dei assistentia, nisi quod esset Summus anni illius Pontifex. Maior ergo difficultas est de cæteris illud Concilium componentibus, an idem quoque priuilegium habuerint; qua in re vnum certum puto, aliud verò dubium: si enim sermo sit de septuaginta Senioribus, qui à Moyse electi sunt, Numeror. 11. vers. 25. ibidem constat eos accepisse Spiritum prophetiæ in ipsa electione; de alijs autem, qui postea in illorum locum, per interualla temporum subrogati sunt, id non constat; credibile tamen est eos non quidem diuisiuè, sed collectiuè sumptos singulari Dei assistentia vsos esse, quamdiù perseuerauit in illis iudiciaria potestas, & quoties de rebus ad fidem pertinentibus tunc consultandi fuere; ita tamen vt infallibilitas Pontifici, qui omnibus præsidebat, speciatim concessa fuerit. Quo sufficienter, vt puto, stabilito, sic ad nostrum institutum, tertiæue conclusionis probationem argui potest à fortiori, siue à minori ad maius.

Tempore Synagogæ, siue Ecclesiæ in statu legis Mosaicæ, vbi omnia in figuris contingebant; quique proinde finem aliquando habiturus erat; quamdiù tamen ex decreto Dei in suo vigore perseuerauit, tamdiù Summus eius Pontifex errare in definiendis rebus fidei non potuit, diuina illi specialiter assistente gratia: Ergo id à fortiori concedendum est supremo Ecclesiæ Pontifici Romano in statu legis Euangelicæ, qui indefectibiliter ad finem vsque mundi duraturus est, & in quo adhuc magis expressas huius priuilegij promissiones habemus, cuiusmodi sunt illæ factæ D. Petro Matthæi 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Lucæ 22. [Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Ioannis vltimo: [Pasce oues meas.] Quas omnes Christi promissiones pro infallibilitatis priuilegio non in solo Petro terminatas fuisse, sed vnà cum supremo Ecclesiæ Primatu ad Romanos Pontifices eius successores transijsse, primùm probabimus sequentibus rationibus ex hismet locis erutis, deinde vniuersali Ecclesiæ traditione, discurrendo per singula eius secula.

Dictæ enim promissiones factæ non fuere Diuo Petro, vt priuata erat persona, sed vt pastor erat, aut esse debebat Vniuersalis Ecclesiæ, & consequenter in vtilitatem publicam Ecclesiæ potiùs, quàm in priuatam, & personalem D. Petri eas referri necesse est: Igitur ijsdem rationibus, quibus supra ostendimus contra hæreticos Petro datum esse primatum Ecclesiæ, non in eo terminandum, sed perpetuò in successoribus eius Romanis Pontificibus duraturum, fatendum quoque est ad

illos transiisse omnia priuilegia supremæ Pastoris dignitati annexa, necnon ad vniuersalis Ecclesiæ ædificationem,& conseruationem necessaria, inter quæ præcipuum tenet locum infallibilitas in definiendis rebus ad fidem spectantibus.

Deinde ita Lucæ 22. iubetur Petrus confirmare fratres suos, sicut Ioann. 21. postmodum iussus est pascere oues Christi, ijdem enim sunt, qui ibi vocantur fratres, & hìc oues; sed Petro, pro ipsius tantùm persona, dictum non est [Pasce oues meas,] sed Petro pro munere, quod illi conferebatur, vt in successoribus duraret vsque ad consummationem seculi; Ergo etiam vbi illi priùs dictum est, [Confirma fratres tuos,] præindicata fuit quædam pars illius muneris, quæ in Petro finem habitura non erat, sed in successoribus quoque perseuerare debebat, ratione pastoralis muneris perpetuò in Ecclesiam dimanaturi, in illaque semper duraturi; quæ etiam de causa ad eosdem pertinere dicenda est prior illa promissio infallibilitatis, seu indefectibilitatis in fide facta D. Petro: [Ego rogaui pro te,vt non deficiat fides tua;] ideò enim pro illo specialiter Christus orauit, illique priuilegium istud impetrauit, quia munus confirmandi fratres in fide,ne vacillarent illud auxilium ex parte Dei postulabat, quia igitur tale munus futurum erat perpetuum in Sede Petri, ita etiam priuilegium. Adeò vt potiùs pro ipsa dignitate, & Sede Apostolica, quàm pro Diuo Petro Christum hanc suam ad Patrem orationem fudisse credendum sit; si quidem ad Ecclesiam contra portas inferi præmuniendam fuit instituta, quæ cum non tantùm D. Petri, sed quouis alio tempore subsequenti aduersùs eam essent futuræ, debuit Christus non tantùm pro Pastore vniuersalis Ecclesiæ Apostolorum tempore, sed pro quouis alio pastore rogare; iuxtà hunc autem sensum debere intelligi præfata Scripturæ loca, clariùs patebit, discurrendo per singula Ecclesiæ secula, in quibus id apertè continuus, ac notissimus eiusdem vsus, necnon vniuersalis summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum, ac Doctorum consensus demonstrare videtur.

Primum Seculum ab anno Domini 1. ad 100.

IN primo igitur seculo præter citata sacræ Scripturæ tunc editæ loca, ad astruendam Romanæ Sedis, seu Pontificis Romani infallibilitatem in rebus fidei, & Religionis facit D. Petri Romam aduentus ad debellandum Simonem Magum primum Hæresiarcham, existimantem Dona Dei pecunia possideri, mundum non esse creatum à Deo, non esse liberum arbitrium, non esse necessaria bona opera; animas migrare de corpore in corpus, ac tandem se esse Deum, qui apparuit in Samaria,vt Patrem,in Iudæa, vt filium, in Gentibus, vt Spiritum sanctum. Vnum enim è præcipuis huius priuilegij signis,& argumentis, est auctoritatiua hæresum condemnatio; Hanc igitur Simonis, vt Romanæ Sedi à Petro fundatæ singulariter tribuit S. Prosper Aquitanus Lemouicensis cap. 2. de ingratis, his versibus.

pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

tam ex his Simonis Magi, quàm ex alijs pluribus hæresibus, quas deinceps Romani Pontifices citra Generale Concilium damnarunt apertè colligitur eos in rebus ad fidem spectantibus apertè colligitur eos in rebus ad fidem spectantibus errare non posse: Nam cum discernere falsa à veris hæreses damnando, & doctrina definiendo, ita certum esse debeat, & quo ad se, & quo ad nos, vt nulla penitùs ratione possit ipsi subesse falsum, manifestè sequitur tam ex parte Dei talia reuelantis omnimodam requiri infallibilitatem, quàm ex parte proponentis nobis eius reuelationem; si igitur Summi Pontifices Romani, tanquam supremi Ecclesiæ vniuersalis Pastores, quorum præcipuum munus, officium est pascere oues Christi vera fidei doctrina, pluribus ante Concilia Generalia sæculis hæreses damnarunt, vt videbimus, quæ insuper vt tales ab omnibus fidelibus certò reiectæ sunt, clarissimo prorsus iudicio,quod apud eosdem existimati semper fuerint, singulari priuilegio donati, non errandi in dijudicandis dubijs fidei quæstionis, vt in præsenti intendimus.

Secundum Seculum ab anno Dom. 100. ad 200.

MAior id secundo sæculo probandi campus sese nobis aperit; in primis occurrit Anacleti Romani Pontificis auctoritas; verùm quia Nouatores, & eorum sequaces, tam ipsius, quam cæterorum Pontificum testimonijs duo respondere solent: primum non constare, quod Epistolæ decretales, vnde illa depromuntur, sint legitimæ, sed potiùs in illis multa esse reprehendenda, propter quæ earum authoritas contemni debet: Alterum est in præsenti controuersia non esse Pontifices audiendos,quia nemo in propria causa est legitimus testis. Placet hìc vtrumque breuiter examinare, vt in adducendis deinceps huiuscemodi testimonijs inoffenso pede nostra possit oratio decurrere.

Circa primum, etsi libenter admittamus aliquas ex Pontificijs Epistolis potuisse supponi, vel etiam ab hæreticis, aut alijs de quibus latè videri potest Franciscus Turrianus Societatis Iesu in libris ad illarum defensionem editis,vbi omnibus Magdeburgensium calumnijs respondet; nihilominus quantum ad præsentis controuersiæ definitionem spectat, tanta est illarum antiquitas, vt timeri non possit fuisse confictas ad probandam Summi Pontificis, quam hìc defendi infallibilitatem, aut ad confutandos nouos alios errores. Præterea cum de Leonis I. epistolis nullum hactenus fuerit dubium,& ipse epist. 2. cap. 5. custodiri mandet, omnia decretalia con-

constituta, tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium prædecessorum suorum; & etiam Gelasius in decreto de libris authenticis; necnon Nicolaus I. in epistola 42. ad Episcopos Galliæ; ac tandem ipse D. Hieronymus epist. 11. ad Geruch. testetur, aliquando iuuisse Damasum Orientis atque Occidentis consultationibus respondentem, prudentem, prudenter dubitari non potest, quin olim fuerit consuetudo Romanorum Pontificum per Epistolas Ecclesiam gubernandi; quas neque verisimile est omnis perijsse, neque alias esse, nisi quæ in Ecclesia Romana receptæ, ac seruatæ diligenter semper fuere; quarum adhuc extant antiquissima exemplaria in Bibliotheca Vaticana; vt omittam, quod multæ etiam ex illis insertæ reperiuntur epistolis aliorum Patrum, quæ in dubium sine magna temeritate reuocari non possunt; Et patet ex epistolis Cornelij cum epistolis Cypriani; Innocentij cum scriptis Chrysostomi, & Augustini; aliorumque plurium.

Quantum ad alteram responsionem, quod in hac controuersia non sit Pontificum testimonium admittendum, quia nullus in propria causa est, idoneus testis; non minùs friuola est, & à viro Catholico reijcienda, quàm præcedens, vt alias etiam notauimus; primò quia in hac re Summi Pontifices Romani non tam sunt testes in propria causa, quàm in causa Christi, cuius sunt Vicarij, & vniuersali totius Ecclesiæ, quæ in illis tanquam regnum in rege, ædificium in fundamento subsistit; & in cuius commodum, non autem in proprium, dicti Pontifices, hoc singulari infallibilitatis priuilegio à Christo donati fuere. Deinde quia in hac causa, & similibus non solùm testes traditionis, sed, & iudices esse possunt primò enim eadem est in Pontifice potestas pro rebus Ecclesiæ, quæ pro temporalibus est in rege, ac cæteris huius sæculi supremis Principibus; sed isti in causa fiscali iudices sunt legitimi & competentes, cap. Nouit de iudicijs; igitur & Pontifices in his, quæ ad Sedis Apostolicæ tuendam auctoritatem pertinent; Secundò inferiores iudices legitimè de suarum dignitatum gradu iudicant; inferioribus etiam prælatis in causis suarum Ecclesiarum testificari licet, cap. insuper de testibus; quibus omibus cum non debeat esse conditione deterior supremus Ecclesiæ Pontifex, quanto magis illi ius suum dicere licebit, vt postquam illud dixerit, subditi sine vlla exceptione statim credere debeant, & assentiri; præsertim cùm in hoc habeat exemplum Christi Domini cuius est Vicarius, qui de seipso testimonium tulit; quin imò respondit exprobantibus sibi, illud verum esse, quod in eo ferendo non sui, sed Patris gloriam quæreret; quare etiam Pontifex, cùm de Sedis Apostolicæ iuribus testimonium ferendo, vel decernendo, hoc non ad propriam, sed ad omnium fidelium vtilitatem præstet, legitimum eius in hac re testimonium, ac iudicium existimandum est: eòque magis, quo plures ex illis, quos recensebimus, non solùm doctrina, sed & sanctitate, ac martyrij laude præclari fuerunt, vnde credibile non est eos ambitione vlla, aut inanis gloriæ vento sic abreptos fuisse, vt suæ dignitatis, & auctoritatis iura plus æquo; aut quam ex Scripturis, ac traditione acceperint, amplificare, ac dilatare voluerint. Tertiò tandem, quia si Summus Pontifex in testificanda, ac defendenda sua auctoritate idoneus testis, aut iudex esse non posset; nec id quoque Vniuersali Ecclesiæ Conciliariter adunatæ competeret, quod nullus Catholicus dicet; Igitur ea ratione, qua supra probauimus contra hæreticos lib. 2. sect. 6. cap. 5. supremum controuersiarum Iudicem posse esse partem controuersiæ definiendæ, tam id asserendum est de Summo Pontifice seorsim à Concilio generali, quam cum ipso, supposito quod vtroque modo supremus sit diuinarum fidei controuersiarum iudex.

Sanctus ergo Papa Anacletus inter alia plura ad nostrum intentum hæc habet Epistola 1. omnibus Ecclesijs scripta versùs finem; [Quod si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad Sedem Apostolicam (si appellatum fuerit) referantur, quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones, semper ad Sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad B. principem Apostolorum Petrum, tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & reliqua:] Hæc vsque Anacletus; sed inter maiores, & difficiliores, quæstiones procul dubio reponendæ sunt illæ quæ ad fidem pertinent: Igitur pro illarum definitione iussione Domini recurrendum est ad Sedem Apostolicam, siue Romanum Pontificem (ista enim vt paragrapho 1. ostendimus non ponunt in numero) tanquam ad supremum iudicem non vt habeatur iudicium aliquod absolutè incertum, ac moraliter dumtaxat certum, quale etiam haberi posset ab inferioribus prælatis, & iudicibus; sed omnino certum, & infallibile, quale decet supremum iudicem, vt vidimus lib. 2. sect. 6. necnon exigit ipsa fidei materia, cuius definitio ita debet esse certa, vt nullo modo possit illi subesse falsum; quod nequit esse, absque eo quod in supremo definiente sit infallibilitatis, seu non errandi in fide priuilegium.

Idem habet, si non ijsdem verbis, saltem eodem sensu, Euaristus Epist. 1. ad Ecclesiam Afric. [Si quidem dilectio vestra normam sequuta prudentium, ad Sedem Apostolicam referre maluit quasi ad caput, quod deberet de rebus dubijs custodire, potiùs quā vsurpatione præsumere.] Et Alexander I. epist. 1. [Relatum insuper est ad huius S. & Apost. Sedis apicem, cui summarū dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, ad caput ipsoque dicente Principi Apostolorum Petro: Tu es, Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Pius I. Christus hanc Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput esse præcepit, ipso dicente principi Apostolorum, tu es Petrus &c.] Anicetus epistola [vnica ad se pertinere ait, terminare omnia Episcoporū iudicia; [idem habet Eleutherius in sua epistola cap. 2. Inter hæc autem Episcoporum iudicia nullus dubitare potest, quin multæ sint

res

res ad fidem spectantes, igitur si pertinet ad summum Pontificem illas terminare, gaudere debet priuilegio infallibilitatis. Ad hoc etiam facit, quod hic idem Pontifex Cerdonem, Marcionem, & Valentinum hæreticos proscripserit, necnon ad eum ob quasdam Ecclesiæ quæstiones Diuus Irenæus bis legatus fuerit. Victor quoque vltimus huius seculi Pontifex recèns agnitum Theodotum Bysantium hæresiarcham, Christum hominem tantummodo dicentem, damnauit, atque ab Ecclesia eiecit; adeò vt ex hoc vtriusque facto, necnon Zephyrini eorum successoris, & aliorum deinceps perspicuè satis appareat spectare potissimum citrà Generale Concilium, ad Christi Vicarium, ac Petri in sede successorem totiusque Ecclesiæ Catholicæ supremum Pastorem, hæreticorum condemnationem solemnemque illam ab Ecclesia electionem, qua ipso non audito debent esse nobis, sicut Ethnici, & Publicani; dum enim Matthæi 18. habetur, de fratre delinquente in materia præsertim fidei; [Dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus] satis constat nomine Ecclesiæ intelligi non posse Ecclesiam entitatiuè sumptam toto orbe diffusam, nec etiam eam solùm, pro vt in Concilijs Generalibus repræsentatur, cum prestò semper non adsit, sed potiùs Summum Pontificem, qui rectè nomine Ecclesiæ, tanquam supremum eius caput significatur, sicut & rex nomine, regni, quod in eo subsistit. vndè etiam, quod ipse vt caput Ecclesiæ facit, ipsa Ecclesia facere censetur. Quemadmodum vbi Rex cum suis consiliarij prouide aliquid nomine regni, vel vt rex facit; vtique regnum ipsum id facere dicitur. Quòd eo magis valet in Summo Pontifice, quo, vt diximus supra, eius auctòritas Christo Domino iure diuino, non autem ab Ecclesia sibi collata est.

Et si igitur, vt sectione sequenti magis explicabitur Concilia Generalia suo tempore congregata, plurimum valeant, sintque media peropportuna, tùm vt adhibita plurium consultatione, pro rei grauitate maturiùs statuatur, quod expedit, idque præsertim in materia morum, & reformationis, in qua stabilienda singulari experientia, & prudentia opus est; tùm vt faciliùs, ac suauiùs omnes definitis obtemperent: tùm, vt hæretici potentiùs, & efficaciùs refellantur; nihilominus tamen hæc omnia à Summis Pontificibus æquè præstari posse seorsim à Concilijs Generalibus, ac cum illis, ex eodem infallibilitatis priuilegio sibi quomodolibet proprio, Ecclesiæ primitiuæ praxis apertè demonstrat; eoque magis, quo tota simul Ecclesia sæpe congregari non potest, immò nec conuenit, credendum est ita Christum voluisse, quod Summus Pontifex Romanus legitimè electus, supremus esset Ecclesiæ Monarcha, & Princeps, vt etiam in eo supremum Ecclesiæ tribunal veluti ordinarium haberemus, ad quod potissimum in rebus ad fidem pertinentibus, pro certa, & infallibili earum determinatione regulariter recurreretur: Hìc enim non loquimur de decisione, seu determinatione doctrinali, quæ etiam ad vnumquemque virum peritum spectare potest, sed de auctoritatiua, & iudiciali.

Nec obstat in contrarium, quod aliqui Summi Pontifices, cùm eorum auctoritas talis, ac tanta sit, interdum tamen aliquos in rebus à se definitis, aut definiendis non assentientes nulla vi, aut potestate cogere, sed submisso animo exorare, immò etiam totam negotij disceptationem ad Generale Concilium referri voluerint. Hoc enim non auctoritatis, aut infallibilitatis defectui, sed modestiæ potiùs, & humilitatis excessui tribuendum est, quodque propter rationes superiùs dictas, aut alias circumstantias tàm personarum, quàm temporis prudenter iudicauerint necessariam esse Generalis alicuius Concilij celebrationem. Sicut etiam tempore Apostolorum, licèt proculdubio solus Petrus definire rem omnem posset, Concilium tamen Apostolorum Hierosolymis conuocare placuit Actor. 15.

Ex Patribus autem, qui hoc seculo floruerunt Polycarpus cùm Romam venit ad Anicetum Ecclesiam in vrbe regentem, teste Hieronymo lib. de Script. Ecclesiast. in Polycarpo; & Irenæo lib. 3. cap. 3. vt eum de Paschæ quæstione consuleret, satis recognouisse videtur Pontificem Romanum, vt Pastorem, ac supremum fidei magistrum, atque adeo infallibilem. Clariùs autem, & vberiùs sanctus Irenæus loco statim citato Romanam Ecclesiam maximam, & antiquissimam vocat, ab Apostolis Petro, & Paulo fundatam, & subiungit: [Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse esse omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles, in qua semper conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.] Romana enim Ecclesia non dicitur ab Irenæo, potentiorem illam principalitatem habere ratione sui, siue vt est particularis Ecclesia, quæ intra terminos sua Diœcesis concluditur, vt suum habet proprium Episcopum particularem, si præcisè spectetur, vt immediatam iurisdictionem in illam habet; sed propter Petri cathedram in ea præsidentem, siue quia coniungitur suo Episcopo non solùm, vt particulari rectori, sed etiam vt vniuersali doctori, & magistro totius Ecclesiæ; vnde cum propter quod vnumquodque tale, & illud magis, si Romana Ecclesia ob talem vnionem, vt capite vltimo superioris sectionis ostendimus, dicitur ab Irenæo potentiorem habere principalitatem, comparaturque Ecclesiæ Catholicæ in priuilegio non errandi, nec deficiendi à fide; multò magis asserendum est, quod Summus Pontifex Romanus tali etiam gaudeat priuilegio, saltem in definiendis rebus ad illam spectantibus. Quocirca accuratè notanda est particula, necesse est, qua vtitur Irenæus, illa enim ostendit omnibus, quotquot sunt fidelibus de necessitate salutis esse, cum Sede Apostolica communionem habere, in qua semper conseruata est ea, quæ est ab Apostolis traditio; quod certè dici non posset, si ea, Summique Pontifices, in ea docentes, à recto fidei tramite deuiare possent.

Hæc est tamen differentia inter Ecclesiam Romanam particulariter sumptam, & Ecclesiam Vniuersalem siue Catholicam, quod hæc à Petri Sede, Romanoue Pontifice dissiungi non potest, eiusque definitionibus

non

non obedire; quia de sola illa scriptum est: [Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam;] secus autem Romana, & quælibet alia particularis Ecclesia; quamuis inter Romanam, & alias, hoc sit etiam discrimen, quod cùm omnes Sedes Patriarchales in hæresim inciderint, sola Romana in vera fide, & cum suo capite vnione huc vsque perseuerauit, & ad finem vsque mundi, manente in ea Sede Apostolica, eaque ipsi adhærente, perseueraturam sperandum est.

Tertium Seculum ab anno Domini 200. *ad* 300.

IN tertio Sæculo primus occurrit Pontificię infallibilitatis assertor, & testis sanctus Zephyrinus Papa, & Martyr, epist. 1. ad Episcopos omnes Sicilienses, vbi docet, [iudicia Episcoporum, maioresque Ecclesiæ causas,] quibus sine dubio fidei quæstiones, hæreticorumque condemnationes annumerandæ sunt, [à Sede Apostolica, & non ab alia, sicut Apostoli, & Sancti successores eorum statuerunt, cum alijs Episcopis esse terminandas: quia licèt in alios transferantur Episcopos, Beato tamen Apostolo Petro dictum est: Quæcumque ligaueris super terram erunt ligata, & in Cælis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in Cælis.] Quod apprimè confirmat Natalij olim Confessoris successus, qui miserè pecunia corruptus Theodori hæreseos cùm patrocinium suscepisset, tamdem sui compos factus, erroris pænitens, ad Zephyrinum veniens patrati sceleris egit exomologesim pedibus eius aduolutus, apud Eusebium lib. 5. capit. 27. ex quo, & alijs similibus casibus in historia Ecclesiastica relatis, & in progressu huius discursus notandis, colligitur consueuisse hæresiarchas erroris pænitentes adire Romanum Episcopum, probè intelligentes à Sedis Petri Catholicæ Ecclesiæ primario antistite, supremoque fidei iudice, quærendam esse veritatem, errorumque in ea commissorum veniam, nec ab alio quopiam, quam à Catholicæ Ecclesiæ Episcopo communicationem Catholicam esse expetendam, quæ omnia satis eius infallibilitatem in dijudicandis rebus fidei arguere videntur.

Calixtus etiam Papa I. in epistola 1. ad Benedictum Episcopum de temporibus ieiuniorum, & criminationibus doctorum; ex loco Matthæi 16. caput totius Ecclesiæ vocat Romanam Ecclesiam, & ad eam cæteras Apostolica auctoritate instruere, pertinere dicit, & in fine: [Memor enim sum me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides omnes destruit errores. Et intelligo, aliter mihi non licere, quàm vt omnes conatus meos ei causæ, in qua vniuersalis Ecclesiæ salus infestatur, impendam.] Eamdem Pontificiam auctoritatem instruendi, ac docendi cæteras Ecclesias in rebus fidei, & religionis ostendit Papa Fabianus epistola 1. tum in titulo, [dilectissimis vbique Catholicæ Ecclesiæ comministris;] tum in exordio; [Diuinis, inquit, præceptis, & Apostolicis monemur institutis, vt pro cunctarum Ecclesiarum statu, impigro vigilemus affectu, vnde consequens est, debere vos scire, quæ apud Romanam in sacro aguntur ritu Ecclesiam, vt eius sequentes exempla eius veri filij inueniamini, quæ vestra est mater vocata.] Idem habet epistola 2. ad omnes Orientales Episcopos nec non 3. ad Hilarium Episcopum, vbi de se dicit, [ob hoc diuina gratia fuisse ad fastigium Sacerdotale prouectum, & in quadam Sacerdotum Dei specula constitutum ad prohibendum illicita, & docendum sequenda.] Quæ omnia in supremo fidei iudice, & magistro, vbi res ad illam pertinentes ex Cathedra definit, ac docet, sine infallibilitatis priuilegio stare non posse videntur.

Hoc idem arguit, quod hoc sæculo, quæ in Africana, seu Carthaginensi Synodo ab Episcopis statuta fuerant, circa lapsos in Ecclesia recipiendos, Romæ itidem habita à S. Cornelio Papa Synodo, fuerint firmiùs stabilita ex Cypriano epist. 42. ad Antonianum; quem etiam in hoc grauissimo negotio nihil inconsulto Cornelio præstitisse clarè testantur mutuò datæ epistolæ; nec solùm, sed insuper, quæ Cornelius Papa tamquam fidei Magister Romæ statuerat in hac parte, & Cyprianus in Africa promulgarat, videlicet, vt lapsis pænitentibus tantùm pateret Ecclesia; quotquot, vbique locorum Catholici Episcopi amplexi sunt. In altero iterum Concilio Romæ celebrato, Cornelius Nonatianum, & alios eius sectatores, negantes semel lapsos amplius in Ecclesiam admittendos, sed esse Dei iudicio relinquendos, nec vllum lapsorum habendum esse discrimen, criminumue distinctionem, condemnauit ex Eusebio lib. 6. Histor. cap. 35. Quod argumentum ex hæreseum, auctorumque illarum condemnatione à Summis Pontificibus facta, primis potissimùm trecentis annis, eo sæpiùs, ac libentiùs repeto, quo arbitror inde efficacissimè probari, pertinere ad illos, etiam absque Concilio Generali supremum, ac infallibile in rebus fidei iudicium; cum tunc temporis nulla vmquam Concilia Generalia coacta fuisse legantur, & tamen multæ hæreses, multæque in fide quæstiones feliciter sopitæ, & determinatæ fuerint per Pontificum definitiones; impossibile enim est, quod quis pro hæretico à tota Ecclesia haberi teneatur, aut quid ab ea fide credi, lata à supremo iudice fidei sententia, quin sit in illo priuilegium infallibilitatis in definiendo, aut proponendo.

Nec dicant aduersarij hos errores pro hæresibus habitos non fuisse, donec his Pontificum definitionibus Conciliorum Generalium calculus accederet; aut acceptatio totius Ecclesiæ per orbem diffusæ; quia licèt decretum Pontificis quatenus ab eo solo promanat, de fide non sit, nihilominus si hæc condemnatio ab vniuersali Ecclesia, licèt diffusa, & non coacta in Concilio approbetur, iam nemo citra fidei detrimentum ei potest contradicere; est enim de fide, vt superiori sectione probauimus, Ecclesiam non solùm, vt congregatam in Oecumenico Concilio, sed vt diffusam per orbem errare in fide non posse.

Nam quantum ad primum, falsum est omnibus quotquot fuerunt erroribus à Sede Apo-

Apostolica damnatis, & qui iam pro hæresibus in Ecclesia certò tenentur, semper accessisse Concilij cuiusdam Generalis condemnationem; vt enim omittam Cherinthum iam Apostolorum tempore, & paulò post, Appellianos, Valentinianos, Marcionistas, & alios contra quos, vt ipsi pro hereticis per totam Ecclesiam haberentur, nullum tunc Generale Concilium celebratum fuit; nec etiam de Nouatianis id asseri potest, qui iam hoc tempore ab omnibus inter hæreticos annumerati fuere, & Nicænum Concilium omnium Oecumenicorum primum centum circiter viginti quinque annis præcesserunt. Pelagianos quoque nullum Generale Concilium damnauit, vt ipsi pro hæreticis in Ecclesia haberentur, sed vt dicemus infra, post decreta Concilij Africani à Zozimo Papa approbata, statim toto orbe pro talibus habiti sunt; Insuper, cùm non solùm particularium, sed & Generalium Conciliorum approbationem, & confirmationem, vt eorum decreta irrefragabilem vim sortiantur, ad Summos Pontifices pertinere in sequentibus demonstraturi simus; satis inde constabit, vt, post eorum definitiones, aliquod dogma tamquam hæreticum censeatur, absolutè necessariam non esse Generalis Concilij celebrationem, sed solùm ad melius esse, vt iam supra notauimus in primo sæculo, & patet ex hoc, quod primis trecentis Ecclesiæ annis huiusmodi Concilia non fuerint celebrata.

Quoad secundum admittimus, vbi aliquam Summi Pontificis condemnationem, aut definitionem in materia fidei, recipit vniuersalis Ecclesia, inde quidem colligi veluti à signo, & à posteriori, ob priuilegium quod habet non errandi in credendo, Summum quoque Pontificem non errasse in iudicando; cæterum inde talis condemnatio, vel definitio vim suam, aut robur non habet, siue quod idem est ratio determinans, seu declarans rem esse de fide, non est acceptatio Ecclesiæ, sed ipsamet definitio Summi Pontificis, ex vi priuilegij diuinitus illi concessi non errandi in dijudicandis rebus fidei, si quidem Christus Dominus non promisit infallibilitatem, aut indeficientiam fidei actiuam, siue in definiendo, Ecclesiæ acceptationi, sed Petro, & successoribus eius, vel seorsim à Concilio Generali, vel vnà cum illo, quod non deficeret fides eius, & quod ipse confirmaret fratres in fide, iterum quod portę inferi non essent aduersùs eum præualiturę, quodque suas oues pasturus esset, quarum primus, & maximè necessarius pastus futurus erat vera fidei doctrina, Igitur non innititur fidei confirmatio Ecclesiæ acceptanti, sed Petro, & suis successoribus, siue ipsius Sedi docenti, ac definienti. Vnde quemadmodum in omnium Catholicorum sententia, infallibilitas Summi Pontificis vnà cum Concilio Generali definientis, non dependet ab Ecclesiæ toto orbe diffusæ acceptatione, nisi tamquam à signo, aut ab effectu vt diximus, quatenus Ecclesia toto orbe diffusa; ob suum non errandi in credendo priuilegium, non potest non acceptare ea, quæ semel vt de fide, sunt à Concilio Generali determinata, ita nec alio modo eius infallibilitas dependere dicenda est, si consideretur, vt definiens seorsim, ab eodem Concilio. Et sicut insuper, ex hoc quod Ecclesia toto orbe diffusa præfata gaudeat prærogatiua, non arguitur propterea superfluum esse, quod Summus Pontifex vnà cum Concilio Generali gaudeat priuilegio infallibilitatis, vbi in aliquo casu illud conuocari necessè est ita nec superfluum, aut inconueniens, immò omninò necessarium iudicari debet, quod Summus Pontifex pro tempore existens gaudeat eodem priuilegio, vt in Ecclesia supremum fidei iudicem ordinarium, & ad manus habeamus, vbi aliquæ fidei quæstiones, aut controuersiæ occurrunt dirimendæ.

Itaque sicut, si Summi Pontifices numquam soli, sed semper simul cum Generali Concilio, aut hæreses damnassent, aut fidei definitiones edidissent libenter aduersarijs concederemus argumentum inde forsan efficax erui posse, ad probandum, quod illis seorsim à Concilio talia infallibiliter præstandi priuilegium non conueniret, sed tantùm cum illo, ita per oppositum fateri debent illud ipsis seorsim etiam competere, ex vsu, & praxi trium priorum Ecclesiæ sæculorum, quibus Summi Pontifices citra vllum Concilium Generale, & hæreses auctoritatiuè condemnarunt, & plura fidei decreta statuerunt Lucius item Papa, & Martyr in epistola ad Galliæ atque Hispaniæ Episcopos hæc habet versùs finem; [Hæc Sancta, & Apostolica, Mater omnium Ecclesiarum Christi, Ecclesia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, sed vt in exordio normam fidei percepit, ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus; illibata finetenus manet, secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem: qui discipulorum suorum principi in suis fatus est Euangelijs [Petre, inquiens, ecce Sathanas expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.] Consideret itaque vestra excellens prudentia, quàm bonum sit, persistere in dispensatione nobis credita; & in fide recta, atque hæreticis, & æmuli Christi repugnare: & numquam à veritatis tramite declinare, quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides est, qui pro nobis mori non dubitauit; & proprio nos suo redemit sanguine, fidem B. Petri numquam defecturam promisit; & confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum; Quorum, & pusillitas mea, licèt impar & minima, pro suscepto tamen, diuina dignatione, ministerio, pedissequa cupit existere.

Hoc eodem tertio sæculo, sub Stephano Papa, & Martyre, cum Nouationorum, & Cataphrygarum occasione magna inter Episcopos agitaretur controuersia, Num qui ab hæreticis baptizati erant, cum ad Catholicam Ecclesiam se conferent, essent denuò baptizandi, pluresque illorum primum in Oriente partem affirmatiuam tenerent, deinde in Africa ipsemet, præclarissimum eius lumen, D. Cyprianus Carthaginensis Episcopus

pus prædecessoris Agrippini vestigijs insistens tum maximè enituit quanta in Petri successore esset auctoritas, quàmque infallibile eius in quæstionibus fidei iudicium, quandoquidem S. Stephanus Papa, nullis alijs fermè armis, quàm maiorum traditione vallatus, cuius Sedes Romana fidelis semper, & inuicta custos extitit, omnem Orientalium, & Occidentalium impetum sustinuit Episcoporum, reddiditque prorsus inanem. Nam condemnata priùs Iconiensi, deindè Carthaginensi Synodo, statuit, ritè semel ab hæreticis baptizatos, non esse iterum baptizandos venientes ad Ecclesiam, cui statuto omnes, qui pro hæreticis haberi noluerunt, tamquam certę, & indubitatæ fidei definitioni, tam in Oriente, quàm in Occidente irrefragabiliter obedierunt. Imò de Cypriano ipso, qui plus satis contra Stephanum pro Anabaptismo pugnarat, scribit D. Augustinus epist. 48. ad Vincentium, [Non incongruenter existimandum esse, quod suam correxit sententiam, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati sunt; & tanto velut patrocinio carere noluerunt, quamquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant, sed sub eius nomine à præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum.] De his autem omnibus, cùm plures alij Patres mentionem faciant quantoque præsertim studio S. Stephanus in hac parte antiquorum Patrum traditiones custodiendas decreuerit, vnicum tamen placet audire huius veritatis testem Vincentium Lirinensem contra hæreses cap. 9. vbi planè admirabundus hæc ait. [Cum ergò vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquauersum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes cum cæteris quidem collegis suis; sed tamen præ cæteris restitit, dignum; vt opinor existimans, si reliquos omnes tantùm fidei deuotione vinceret, quantùm loci auctoritate superabat. Denique in epistola, quæ tum ad Africam missa est, idem his verbis sanxit, Nihil nouandum, nisi quod traditum est, &c.

Sixtus Papa II. epist. 1. ad Gratum quemdam Episcopum, cum in principio dixisset. [Memor enim sum, me sub illius nomine Ecclesiæ præsidere, cuius à Domino nostro Iesu Christo est glorificata confessio, & cuius fides nullum vmquam fallit, sed omnes quidem hæreses destruit, postea versùs medium subdit, De cætero tuam moneo dilectionem, vt cunctos; quos errare cognoueris; ad Catholicam fidem, & ad vnitatem rectè credentium, conuertere studeas, & tu numquam ab Apostolico tramite recedas. Si autem te non audierint, & errantes, quod absit, permanserint, nobis eos manifestare quàm citiùs poteris non tardes, vt Apostolica auctoritate, aut citò ad Ecclesiam conuertantur, aut ab Ecclesia separentur.] Quibus verbis rectè perpensis, nihil meliùs ad intentum nostrum, sicut nec illis, quæ scribit Dionysius Papa epist. 2. ad Seuerum Episcopum in principio. [Olim & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuersali Ecclesiæ, auxiliante Domino; subuenire, & quidquid nociuum est, auctoritate Apostolica corrigere, & emendare, & infra subdit. Vnumquodque tunc salubriter complectur officium, cum fuerit vnus, ad quem possit recurrere præpositus.] Quo attento, sicut ex Eusebio lib. 7. cap. 5. Dionysius Episcopus Alexandrinus ijsdem literis; quibus de baptismate, etiam de Sabelliana hæresi, tunc oriente Sixtum monuit. iuxta antiquum Ecclesię morem, ita quoque Dionysius Papa, in causa præfati Dionysij Alexandrini (quem quasi de fide non rectè sentientem Pentanopolitani quidam Episcopi ad ipsum detulerant) Romæ coegit Concilium, vbi eum suæ doctrinæ rationem reddere iussum, dijudicata tandem eius innocentia, absoluit Insuper Sabellij hæresim damnauit, editisque commentarijs profligauit, mediam, ac planè regiam sternens viam, qua contrariæ illæ hæreses, Sabellij scilicet; & Arij confutarentur Paulum quoque Samosatenum Antiochenum Episcopum hæresiarcham affirmantem Christum non esse Deum, sed hominem tantùm proscripsit.

Felix Papa; & Martyr epist. 1. ad Paternum, vbi ius appellandi Romanum Pontificem asserit, nec non tertia ad Benignum Episcopum, in principio [. Suscipientes fraternitatis tuæ epistolas, quibus me requisisti super fidei documentis, quæ ab alijs habebantur aliter, quàm recta fides contineat, Sacramenta, prout Dominus dedit, pro fraternitatis amore respondere non recusauimus. Semper enim dubia, & maiora negotia terminum ab hac Sancta Sede, à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueuerunt. Et ideò tu rectè fecisti, qui huius Sanctæ Sedis, consultis, te cæterosque firmari, & instrui voluisti, Deindè versùs finem ait; Hæc Sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia quæ per Dei Omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec ab hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed vt in exordio normam fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus illibata finetenùs manet, secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui suorum discipulorum principio in suis fatus est Euangelijs, Petre, inquiens, ecce Sathanas expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum, Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Hic etiam Pontifex insistens prædecessoris vestigijs cùm recens adhuc esset vulnus à Paulo Samosateno inflictum Catholicæ veriti, necdum obducta cicatrix de errore Sabellij, vtrumque iterum condemnauit, itemque de filij Dei diuinitate, & humanitate, naturisque duabus in vna persona distinctis ad Maximum Episcopum Alexandrinum Dionysij successorem, scripsit epistolam, quæ licèt exciderit, sicut aliæ plurimæ Romanorum Pontificum, eius tamen breue fragmentum habetur in Concilio Chalcedonensi act. 1. nec non apud Cyrillum in sua defensione duodecim capitibus scripta, testatur etiam Vincentius Lirinensis aduersùs hæres, ca. 42.

in Concilio Ephesino inter alia testimonia Patrum lectam fuisse quoque epistolam Felicis Papæ & Martyris. Eam autem fuisse Felicis Papæ I. & non alterius qui vixit sub Constantio imperatore, rectè probat Baronius tomo 2. ad annum Christi 273. nu. 13. contra aliquos contrarium tenentes, & ex hoc deceptos, quod tam in Synodo Chalcedonensi, quàm apud Cyrillum post epistolam Iulij Papæ, attexatur fragmentum præfatæ epistolæ Felicis I. nulla temporum habita ratione, quæ quod ad rem non pertineret in locis citatis prætermitti potuit, illam tamen Viucentius loco statim citato obseruauit, priorique loco Felicem nominauit, mox Iulium.

Idem supremum, atque adeo infallibile fidei magisterium, siue auctoritatem in docendo Sedis Apostolicæ metonymicè sumptę pro Summo in ea sedente Pontifice Romano asserit S. Caius Papa & Martyr in epistola ad Felicem Episcopum. [Et quamuis sonus eorum toto orbe diffusus, & vsque ad fines orbis terræ verba eorum, nimirum Apostolorum, distensa; dilectionis tuæ corda Christo probauerunt esse fidelia, tamen si quid ex his in Ecclesia, quæ tuæ gubernationi (Domino auxiliante) commissa est, nec dum plena luce claruerit, ad eumdem fontem, de quo illa salutaris manarat lympha, recurritis, id est, quod debita charitate sumus amplexi: quia fiducialiter de his, vndè apud vos obseruantiam esse dixistis ambiguam nostra voluistis responsione firmari. Quapropter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis, quid iuxta Catholicam disciplinam teneat Apostolicæ Sedis auctoritas, subiectis aliquibus etiam Sanctarum capitulis regularum, te credimus instruendum. Si autem Summus Pontifex infallibilem in rebus fidei ex Cathedra proponendis auctoritatem absolutè non haberet, non esset vndè eius responsione firmarentur illum consulentes in dubijs fidei, vt ait Caius; imò non esset cur ad illum fieret recursus; quandoquidem de cæteris etiam Episcopis potest dici, quod habeant infallibilitatem conditionatam, hoc est si iuxta Scripturam, & sacras traditiones doceant, quodque eorum definitiones, vtpotè non temerè sed de concilio Coepiscoporum factæ, præuijsque alijs diligentijs, moralem etiam certitudinem habeant; Igitur cum his non obstantibus semper ad Sedem Petri tamquam ad arcem veritatis in dubijs fidei quæstionibus recursum fuerit, dicendum est illam maiorem præ cæteris habere certitudinem in illis definiendis, fratribusque confirmandis; quæ alia esse non potest, quàm infallibilitatis prerogatiua diuinitùs illi concessa, qua non potest non vera docere, nec non conformiter ad regulas fidei; omnis enim alia certitudo ad hanc inferior æqualis est cæteris; nec excedit limites certitudinis moralis.

Tandem ex Patribus, ac Scriptoribus Ecclesiasticis, qui hoc tertio floruerunt seculo, primùm adduci possent huius veritatis testes, omnes illi, superiùs à nobis citati, qui Sedis Romanæ primatum agnouerunt; quatenùs in illo fundari, implicitèque contineri; imò necessariò illi annecti videtur hoc, de quo agimus, priuilegium; specialiùs tamen illud asseruere; Tertullianus lib. de præscriptionibus cap. 36. [Habes Romam, vndè nobis quoque auctoritas præstò est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt.] Vbi per totam doctrinam tam eius incorruptio, quàm firmitas intelligi debet; siue quod Sedes Romana non minùs in docenda, quàm in seruanda tradita sibi ab Apostolis doctrina fidelis semper fuerit. Origenes tractatu 1. in Matthæum ad illa verba; [Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.] Cùm enim hæ particulæ aduersùs eam videantur ambiguæ, & nùm ad petram, an verò ad Ecclesiam referri debeant? Respondet Origenes, [neque aduersùs Petram, super quam Christus ędificat Ecclesiam, neque aduersùs Ecclesiam portas inferi præualituras: quemadmodum nec via serpentis in petra potest inueniri, iuxta quod scriptum est in prouerbijs.] Vndè cùm hæc non Petro, vt particulari personæ, sed vt vniuersali Ecclesiæ pastori, atque adeo eius in hac dignitate successoribus dicta fuerint, concludendum est, nec eos etiam quatenùs Pastores, aut Ecclesiæ fundamenta, vllatenùs falsorum dogmatum ventis concuti, fideique erroribus in docendo agitari posse.

Diuus Cyprianus Epistola 55. ad Cornelium paulò post initium: [Neque enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm indè, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.] Similia habet in epistolis ad Rogatianum Episcopum, & Florentium Pupianum; libris item de vnitate Ecclesiæ, ac de zelo, ac liuore; videturque hunc loquendi modum, quem postea secutus est Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, desumpsisse ex Sancto Ignatio in Epistola ad Philadelphienses. [Vna est caro Domini Iesu, & vnus sanguis eius pro nobis effusus est: vnus etiam panis pro omnibus confractus, vnus calix totius Ecclesiæ, & vnus Episcopus simul cum omnibus presbyteris, & diaconis. Etsi autem Cyprianus alijs illis locis de se, & Episcopis omnibus loqui videatur, nempè quod omnes hæreses suum habuerint principium ex contemptu Episcoporum, id est, ex ipso schismate, quod à fortiori etiam debet intelligi de Summo Pontifice; attamen tum hoc loco ex epistola Cornelij, tum præsertim initio libri de vnitate Ecclesiæ, de illo solo loquitur; circumstantiæque textus, quæ hoc arguunt, sunt imprimis testimonia præmissa ex Deuter. cap. 17. lib. 1. Regum; Ioannis 18. & act. Apostolor. 23. quæ nonnisi in Summos PontificesIudæorum quadrare nemini dubium est, atque adeo aptiùs ad Summum Pontificem Romanum referuntur; Item quod loquatur de vno Sacerdote, seu vno Episcopo in Ecclesia, qui iudex vice Christi existat, quod idem est, ac esse Christi Vicarium; quæ appellatio nonnisi Romano Pontifici simpliciter competere potest; eamque Cyprianus pro eo solo vsurpat; quatenùs ex Cathedra Petri, eiusque præ singulis primatu, & monarchatu, vnitatem Sacerdotalem,

talem, nec non fidei, atque adeo in illa tradenda infallibilitatem, suam habere originem pluribus alijs locis docet: nam Epistola 27. ad lapsos, agens de prima eiusmodi vnitatis institutione hæc habet: [Dominus noster Ecclesiæ suæ rationem disponens in Euangelio loquitur, & dicit Petro, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. postea subiungit: [Indè per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur: Quod idem clariùs adhuc docet epistola 40. [Deus vnus est, & Christus vnus, & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut Sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum Sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit.] Item citata iam epistola 55. ad Cornelium. [Post ista adhuc insuper Pseudo Episcopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, à Schismaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides, Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.] Eodem modo epistola 52. ad Antonianum tractans de assumptione Cornelij ad Episcopatum Romanum, locum Fabiani, cui successit, vocat locum Petri, & gradum Cathedræ Sacerdotalis. Epistola etiam 76. ad Magnum: [Ecclesia, inquit, vna est, quæ vna & intus,& foris esse non potest.] Vndè infert, [si apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit, qui Fabiano legitima ordinatione successit; Nouatianus in Ecclesia non est.

Eadem, sed latiùs docet lib. de Vnitate Ecclesiæ non longè à principio. Loquitur Dominus ad Petrum: [Ego dico tibi,inquit, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris super terram,erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas. Super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat & dicat: sicut me misit pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur?] & paulò post. [Hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur & resistit, qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia, deserit; in Ecclesia se esse confidit?] En igitur quomodò gloriosissimus Martyr Cyprianus, in Cathedra Petri, Romanisque Pontificibus, in ea post illum sedentibus primatum agnouit; ab illa deindè originem vnitatis Sacerdotalis, ob dependentiam, & vnionem, quam cæteri Episcopi, & Ecclesiæ Prælati debent habere cum Sede Apostolica, Romanoue Pontifice, tamquam membra cum supremo totius Ecclesiæ capite, & pastore; tum denique ipsiusmet Ecclesiæ, siue fidei vnitatem; ad quam, cùm requiratur, quod suprema potestas determinandi infallibiliter res fidei sit etiam tantùm in vno; iure merito D. Cyprianus loco primùm citato ex epistola 55.ad Cornelium asseruit [non aliundè hæreses obortas esse, aut nata schismata, quàm indè, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur;] intelligendo per vnum Sacerdotem, ac vice Christi iudicem Romanum Pontificem Petri successorem, à quo Ecclesia potissimùm dicitur vna. Verùm de hac ratione, pro eius infallibilitate, desumpta ab vnitate, qua post Cyprianum toties illam inculcantem, D. Hieronymum,& alios inferiùs citandos, vtitur D. Thomas, fusiùs agemus infra cum ipso sæculo 13. interim qui plura de Cypriani mente circa præsentem materiam videre voluerit, consulat locis citatis, & alijs insignem eius Scholiasten Iacobum Pamelium S. Theologiæ Licentiatum, Ecclesiæ Brugensis Canonicum; Raymundum Rufum contra Molinæum; & Alanum Copum dial. 2. contra Magdeburgenses cap. 20.

At dicet aliquis; D. Cyprianus passim vocat Summum Pontificem Romanum collegam suum; igitur sicut cæteri Episcopi non gaudent priuilegio infallibilitatis, ita nec Summus Pontifex eorum collega. Insuper acerrimè pro Anabaptismo restitit S. Stephanò Papæ, quòd certè Sanctus Episcopus non fecisset, si in eo priuilegium infallibilitatis, vt nos intendimus, agnouisset.

Respondetur ad primum tàm istud collegæ nomen, quàm alia eiusmodi vt conserui, & confratris, quæ non solùm æqualitatem, sed plerumque etiam aliqualem inferioritatem significare videntur, imponi posse Summis Pontificibus, sub diuersis respectibus, sine vllo penitùs præiudicio primatus eorum, aut priuilegij infallibilitatis in rebus fidei, & religionis. Vndè ipsemet Cyprianus Epistola 4. S. Fabianum Pontificem, & Martyrem, modò collegam, modò verò Præpositum nominat, vtpotè qui cum coepiscopus esset, potestate tamen in hierarchico Ecclesiastico ordine cæteris ille præpositus esset Episcopis. Præterquàm voce collegæ, non semper in ordine pares, sed in ministerio consortes, Africani Episcopi consueuerunt nominare; quippe qui presbyteros etiam reperiantur appellasse collegas, Concil. Carthag. 4. cap. 25. & multò frequentiùs Primates ipsos dixisse collegas, Episcopos sibi subiectos; ibidem cap. 21. 22. 31.

Ad secundùm dicitur primò, ita Cyprianum Stephano Papæ restitisse, vt tamen euentus rei Stephani probauerit infallibilitatem, Cypriani verò, & aliorum errorem. Secundò respondetur, eum, qui agnoscit in Summo Pontifice priuilegium infallibilitatis

in rebus fidei, dupliciter illi resistere posse, vel antè, vel post earum definitionem; resistentia primo modo non arguit in illam facieute dubium de infallibilitate illius cui resistitur, cùm præuiè ad definitiones fidei, debeant fieri multæ inquisitiones, & disputationes, quæ vix sine aliqua ex parte alicuius resistentia contingere possunt; secùs autem si contumaciter illa fiat, rebus iam definitis; qua ratione D. Cyprianus numquam restitit Stephano, vt enim iam supra notauimus ex D. Augustino epistola 48. ad Vincentium, etsi eum suam correxisse sententiam non inueniatur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum, quod correxerit, imò cùm S. Ecclesia tàm Occidentalis, quàm Orientalis diem natalem eius semper celebrare consueuerit, omninò dicendum est eum post Stephani definitionem correxisse, quòd errasset, & in Ecclesiæ Catholicæ communicatione martyrium subijsse. Primo igitur, & non secundo modo Stephano restitit Cyprianus salua fidei integritate, nec non opinione de Stephani, & aliorum Pontificum Romanorum è Cathedra Petri loquentium infallibilitate; vndè Diuus Augustinus, qui cuncta, quæ eo tempore acciderunt scripta exactè peruidit testatur, numquam pacem inter Cyprianum, & Stephanum esse violatam, aut communicationem Ecclesiasticam intercisam; licèt fatendum sit, Cyprianum in hac disputatione, pro humanæ imbecillitatis, genijque Africani conditione plus æquo, & acriùs, quàm virum Sanctum decebat, contrarium se gessisse.

Quartum Seculum ab anno Dom.300. ad 400.

IN quarto seculo S. Marcellus Papa I. epistola 1. ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ explicans verba Christi Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam;] hæc habet pro suprema atque adeò infallibili Romanę Sedis auctoritate in negotijs fidei, & religionis. [Eius enim Sedes primitus apud vos fuit, quæ posteà, iubente Domino, Romam translata est, cui adminiculante gratia diuina, hodierna præsidemus die. Nec ab eius dispositione vos deuiare oportet, ad quam cuncta maiora Ecclesiastica negotia, diuina disponente gratia, iussa sunt referri, vt ab ea regulariter disponantur, à qua sumpsere principium.] Deinde paulò post subdit, [Apostolos eorumque successores, inspirante Domino constituisse, vt nulla Synodus fieret præter eiusdem Sedis auctoritatem, &c.] Eusebius epistolam tertiam Episcopis Tusciæ, & Campaniæ directam sic ad nostrum intentum incipit: [Benedictus Dominus Deus noster, qui per misericordiam suam, Romanam Ecclesiam B. Petri Apostolorum Principis Sacerdotio ditauit, vobisque viam monstrandam circa nos (propter vniuersalem curam, quæ nobis est propter priuilegium eiusdem Ecclesiæ) inuicem charitatis indulsit &c.

Melchiades in epistola ad omnes Hispaniæ Episcopos, de iudicijs Episcoporum maioribusque causis ad Apostolicam Sedem deferendis, circa principium hæc habet: [Episcopos nolite iudicare, nolite condemnare absque Sedis huius auctoritate. Quod si feceritis, irrita erunt vestra iudicia, & vos condemnabimini. Hoc enim priuilegium huic Sanctæ Sedi à temporibus Apostolorum statutum est seruare, quod illæsum manet vsque in hodiernum diem. Episcopos ergò, quos sibi dominus tamquam oculos elegit, & columnas Ecclesiæ esse voluit, quibus etiam ligandi, & soluendi dedit potestatem, suo iudicio reseruauit, hocque priuilegium beato clauigero Petro sua vice solummodò commisit. Quod eius iustè prærogatiuum succreuit Sedi, futuris hæreditandum, atque tenendum temporibus, quoniam & inter beatos Apostolos fuit quædam discretio potestatis. Et licèt cunctorum par electio foret, beato tamen Petro concessum est, vt alijs præemineret, eorumque, quæ ad querelam venirent, causas, & interrogationes prudenter disponeret. Quod Dei ordinatione taliter ordinatum esse credimus, ne omnes posterorum cuncta sibi vindicarent, sed semper maiores causæ, sicut sunt Episcoporum, & potiorum curæ negotiorum, ad vnam beati Principis Apostolorum Petri Sedem confluerent, vt indè susciperent finem iudiciorum, vndè acceperant initium institutionum, ne quandoque à suo discreparent capite.] Quibus nihil elegantiùs adduci potest, pro suprema, & vniuersali finaliterque terminante potiora fidei negotia Summi Pontificis auctoritate, ac propterea infallibili, hæc enim simul necessariò coniungi ostendimus lib. 2. sect. 6. nec aduersarij negant.

Eidem veritati testimonium perhibet Marcus in Epistola ad Athanasium, & Episcopos Ægypti vbi paulò post principium ait: [Et Sancta Romana Ecclesia, quæ semper immaculata mansit, & Domino prouidente, & B. Petro Apostolo opem ferente, in futuro manebit, sine vlla hæreticorum insultatione, firma, & immobilis omni tempore persisteret.] Deinde circa medium; [Hæc Sancta, & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probatur, nec hæreticorum nouitatibus deprauanda succubuit, sed vt in exordio normam fidei Christianę percepit ab auctoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus manet secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, &c. qui fidem Beati Petri non defecturam promisit, & confirmare eum fratres suos admonuit. Quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum: quorum & pusillitas mea, licèt impar sit, & infima, pro suscepto tamen diuina dignatione ministerio, pedissequa cupit existere.

Iulius I. in epistola 1. & 2. ad Orientales Episcopos, Romanam Sedem primam vocat, & ad illam pertinere dicit iura conuocandi Generales Synodos, iudicandi Episcopos, & maiorum causarum decisionem ad se reseruandi. [Ipsa namque omnibus maior, & prælata est Ecclesijs, quæ non solummodò canonum, & Sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obti-

obtinuit principatum. Tu es, inquit, Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.] deinde circa finem eosdem reprehendens Episcopos ob vsurpationis excessum ait: [in quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si vndè consecrationem honoris accipitis, indè legem totius obseruantiæ sumeretis: & B. Petri Apostoli sedes, quæ vobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticæ magistra rationis &c.] Quòd etiam repetit in rescripto contra Orientales, pro Athanasio, & cæteris, quos ipsi damnauerant. Liberius quoque in rescripto ad Athanasium, & Ægyptiorum Episcopos ait: [Olim, & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorum principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem pro vniuersali Ecclesia, ad rectam defendendam fidem, quatenus nulli liceat statum Sanctæ Ecclesiæ commouere, ad læsionem rectè credentium, absque periculo sui honoris.] Idem confirmant epistolæ Felicis II. ad Athanas. & cæteros Ægypti Episcopos; nec non Damasi Papæ I. sed potissimùm tertia ad Stephanum Archiepiscopum, & ad Concilia Aphricæ; vbi hæc habet paulò post principium. [Scitis fratres charissimi, firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque titulum lucidissimum suorum Sacerdotum, id est, omnium Episcoporum, Apostolicam Sedem esse constitutam, & veritatem Ecclesiarum. Tu es enim, sicut diuinum pronuntiat verbum veraciter, Petrus, & super firmamentum tuum Ecclesiæ columnæ, qui Episcopi intelliguntur, confirmatæ sunt: & tibi claues regni cœlorum commisi, atque ligare, & soluere potestatem, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, promulgaui. Tu prophanatorum hominum, & membrorum meorum, maximèque discipulorum meorum existis, vt princeps, & doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei, cuius vice hodie, gratia Dei, legatione pro Christo fungimur, & omnes huius Sanctæ Sedis præsules eius vicem gesserunt, gerunt, & gerent. Ideò omnia, quæ innotuistis, non licere mandarem, nisi vos tàm pleniter instructos esse scirem, quod cuncta, super quibus consulitis, illicita esse, non dubitetis. Discutere namque Episcopos, & summas Ecclesiasticorum negotiorum causas Metropolitano, vnà cum omnibus suis comprouincialibus, ita vt nemo ex eis desit, & omnes in singulorum concordent negotijs licet: sed definire eorum atque Ecclesiasticarum summas querelas causarum, vel damnare Episcopos, absque huius Sanctæ Sedis auctoritate, minimè licet, quàm omnes appellare, si necesse fuerit, & eius fulciri auxilio oportet. Nam, vt nostis, Synodum sine eius auctoritate fieri, non est catholicum: nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione congregata, definitè damnari potest; neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate. In quinta verò Epistola idem Damasus agens de Concilio Ariminensi ait: [Patrum sententiæ in Nicæa constitutæ, præiudicium aliquod fieri non potuisse per numerum Arimini congregatum, quando constat, neque Romanum Episcopum, cuius ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium, qui tantis annis episcopatum inuiolabiliter custodiuit, neque alios talibus præbuisse consensum &c.

Siricius epistola 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum. [Directa ad decessorem nostrum sanctę recordationis Damasum, fraternitatis tuę relatio, me iam in sede ipsius constitutum (quia sic dominus ordinauit) inuenit: quàm cùm in conuentu fratrum sollicitiùs legeremus, tanta inuenimus, quæ reprehensione, & correctione sunt digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. Et quia necesse erat, nos in eius laboribus, curisque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honore, facto, vt oportebat, primitus meæ prouectionis indicio, ad singula, pro vt Dominus adspirare dignatus est, consultationi tuę responsum competens non negamus: quia pro officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui grauantur: quin imò hæc portat in nobis Beatus Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus, administrationis suæ protegit, & tuetur hæredes.] Deindè in epistola 3. ad vniuersos Orthodoxos: [Quid in querelam veniat, tacere non licuit, sed nobis loqui necessitas imperauit, dicente Propheta. Exalta vt tuba vocem tuam, Et cui omnium Ecclesiarum cura est, si dissimulem, audiam, Domino dicente, Reijcitis mandatum Dei, vt traditiones vestras statuatis. Quid enim aliud est reijcere mandatum Dei, quàm priuato iudicio, & humano consilio nouis rebus constituendis liberiùs delectari?] Anastasius in epistola ad omnes Germaniæ, ac Burgundiæ Episcopos. [Exigit dilectio vestra charissimi, vt ex auctoritate Sedis Apostolicæ vestris deberemus respondere consultis; & posteà sub hac verborum forma respondet; quòd vt nullatenùs deinceps fieri sinatis, Apostolica auctoritate mandamus.

Ad supremam Romani Pontificis auctoritatem, eamque proindè in rebus fidei errandi periculo non obnoxiam facit, quod in Concilio Romano sub Siluestro, post Constantinum baptizatum celebrato in Thermis Traiani, sancitum fuerit: [Vt nemo dijudicet primam Sedem, quoniam omnes sedes à prima sede desiderant temperari: neque quoque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Iudex iudicetur;] quem canonem postea citauit Nicolaus Papa aduersùs Michaelem Imperatorem, de quo redibit sermo infra seculo 13.

Cùm in hoc etiam temporis interuallo, hoc est, iuxta probabiliorem sententiam anno Domini 325. celebratum fuerit primum generale Concilium Nicænum; quod interposita eiusdem sancti Siluestri Papæ auctoritate congregatum, postea verò petentibus ab illo eiusdem Concilij Patribus confirmationem eorum, quæ decreta essent, approbatum fuit, [id omninò prohibente, vt ait Socrates lib. 2. cap. 13. canone Ecclesiastico, ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesijs sancirentur;] ex tali Ecclesiæ canone, vel vsu, qui cùm in nulla Synodo reperiatur sancitus, dicendus est vti Apostolica institutio, vel traditio ad posteros iugi, & inuiolabili obseruatione deriuasse, clarè colligitur Diui-

uinitùs concessum successoribus Petri infallibilitatis priuilegium, à quorum approbatione, & confirmatione etiam Oecumenica Concilia vltimatè suam habent firmitatem; quod non solùm est verum, in probabiliori sententia illorum Theologorum, qui putant Concilium generale etiam ritè congregatum errare posse antè confirmationem Pontificis, & sine eius speciali instructione; ita quod non habeat infallibilitatem non errandi independenter à tali confirmatione; sed in opposita etiam sententia; quatenùs Concilium, quantùm est ex propria ratione Concilij, non est vltima quoad nos regula credendorum, siquidem per se non habet, quod omnes in eo concordent in ferenda sententia: quo casu certum est apud omnes posse esse obnoxium errori, & indigere consequenter vlteriori Pontificis regulatione; Admisso igitur, quod in aliquo casu Concilium errare non possit antè Summi Pontificis confirmationem, vbi videlicet vnanimis esset omnium sententia, nemine discrepante, quia tunc Concilium repræsentaret vniuersalem Ecclesiam, & auctoritatiuè esset tota Ecclesia, etsi non entitatiuè, quæ, vt superiori sectione diximus, cùm errare non possit in credendo, indè si omnes Concilij Patres in vnam conspirarent sententiam de fide, certum est eos non erraturos; Attamen quia maior pars Ecclesiæ errare potest, & Concilium ex vi Concilij non semper habet, immò fortè rariùs, quod ex communi, & concordi omnium sententia procedat, ideò per se loquendo non est vltima fidei regula, sed necesse est dari aliam, Summum videlicet Pontificem, cuius vt est proprium Concilia generalia congregare, vbi existit, ita & vltimam illis firmitatem dare.

Insuper licèt errare non possit Concilium generale, nihilominùs cùm in eo semper supponatur subordinatio ad Summum Pontificem tamquam ad supremum Ecclesiæ Caput, quam subordinationem si non haberet, non esset Concilium, sed Conciliabulum, sicut Ecclesia toto Orbe diffusa sine tali subordinatione vera Christi Ecclesia non esset, indè fit, ita illud errare non posse, vt id habeat supposita tali subordinatione, illaque stante, & non aliter; ac proindè vt illa subordinatio seruetur, necesse est, quod sicut Concilium iudicat, ità quoque Pontifex iudicet, & confirmet, quemadmodùm in omnibus causis subordinatis contingere videmus: quamvis enim homo generare possit alterum hominem tamquam propria, & per se causa illius, attamen quia id non habet, nisi cum subordinatione ad Solem, necesse est, quod Sol influat, nec superfluit eius causalitas, dicunturque Sol, & homo generare hominem. Sic etiam licet Ecclesia, vel eius repræsentatio, quæ est Concilium errare non possit, id tamen illi conuenit, vt causæ subordinatæ; atque adeò ex influxu superioris causæ, qualis est Summus Pontifex, non errabit; & illa subordinatione semel ablata, Concilium legitimum ampliùs non erit, errareque consequenter poterit.

Tandem si Concilium generale errare non posset, absque Pontificia confirmatione illi suam dante vltimam firmitatem, vel hoc haberet, quatenus suprema, & infallibilis determinandi res fidei auctoritas esset in omnibus personis illud componentibus diuisiuè, itaut quilibet seorsim haberet huiusemodi auctoritatem; vel quatenus esset in illis congregatis in vnum, idest in Concilio, seu in illis copulatim; primum dici non potest nullibi enim reperitur facta talis promissio, vt fusiùs probabimus sectione sequenti; secundum autem licèt sit verum, ad hoc ipsum tamen, vt congregentur in vnum, necessaria est suprema aliqua potestas, & consequenter ad cognoscendum de illa re, ad quam congregat, esset enim magnum absurdum, quod supremus quis Princeps haberet potestatem congregandi suos inferiores ad pertractandum aliquod magni momenti negotium, & ipse non posset cognoscere de eo, quod tractant, nisi tamquam vnus eorum, & non vt superior confirmando, vel infirmando ea, quę tractant. Præsertim cùm hæc potestas congregandi Concilia fundetur in potestate pascendi, & confirmandi cæteros, sicut dictum est Petro, [confirma fratres tuos,] non in vnitate personæ, sed successionis in eodem throno, & regimine, siquidem congregatio ista ordinatur ad rerum fidei confirmationē: igitur ad quem ex institutione Christi pertinet congregare Ecclesiam, ad eumdem ex illa pertinere debet vltima approbatio, & confirmatio eorum, quæ in illa, & ab illa quomodocumque sanciuntur, nimirum ad Summum Pontificem Petri successorem, vt sic vnitas fidei, & Ecclesiæ, quam in Petro commendatā agnouit Cyprianus libro superiùs citato de vnitate Ecclesiæ circa principium, nec non Diuus Augustinus lib. de Pastoribus cap. 13. perfectiùs conseruaretur.

At quia multi occasione canonis sexti huius Concilij, vbi ob ordinationes, quæ passim à Meletio per totam Ægyptum diuagante factæ fuerant, vetuit secundùm antiqua priuilegia Ecclesiæ Alexandrinæ, ne in Ægypto, Lybia, vel Pentapoli, aliquis ordinaretur Episcopus, absque ipsius Metropolitani scientia: quod etiam Sedi Antiochenæ veteri consuetudine debitum, voluit custoditum; idque, vt ait: [Quoniam & Romano Episcopo hæc esset consuetudo;] quia, inquam, aliqui Hæretici, vt Nilus, & alij occasione horum verborum in præfato canone contentorum, non solùm Summi Pontificis infallibilitatem, sed & primatum spiritualem, in quo illa fundatur, negare ausi sunt, quasi non à Christo Domino, primùm in Petro institutus esset; sed à Concilio Nicæno solùm emanasset, vt Episcopus Romanus primatum quemdam inter omnes Episcopos haberet, vt inquit Nilus, & præsertim ius appellationum ad ipsum ex omni Ecclesia; ideò in hunc locum distulimus de huius canonis intelligentia paulò fusiùs agere; primùmque ostendemus illum non facere peruersos, quos intendunt aduersarij sensus, deindè quis sit verus, ac legitimus declarabimus.

Primùm igitur, quod ibi sancta Synodus declarare noluerit, exæquatum ius Ecclesiæ Alexandrinæ cum Romana; quando ad id probandum aliæ testificationes, iuraque deficerent, quæ cap. 3. & sequentibus huius sectionis protulimus, facta ipsa satis clamant, dùm constat ex dictis superiori seculo Dio-

ny-

nysium Episcopum Alexandrinum ab Episcopis Lybiæ accusatum apud Dionysium Romanum Pontificem causam dixisse, in hoc verò Athanasium eiusdem Ecclesiæ Alexandrinæ Antistitem; & Arianos, Romam à Iulio Papa, ad iudicium vocatos, æquè causam dixisse. Secundò absurdiùs est, quod tunc institutus fuerit Romanus Primatus, aut Patriarchatus, atque tres alij, nempè Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus; ipsaque Romana Ecclesia ab eadem Synodo priuilegia, quibus potitur, sit sortita. Huius enim interpretationis assertores Theod. Balsamon in Nomoc. Photij, Nilus, & alij, non solùm ex dictis superiori loco, sed ab ipsis etiam canonis verbis apprimè refelluntur, dùm Patres declarant, se id, de quo agitur, secundùm morem antiquum, & vetustam traditionem decernere. Et quod ad ipsum Romanum Pontificem spectat, non ab aliqua Synodo, aut Ecclesiæ ordinatione, supremam illi in ipsam potestatem accessisse, sed solùm eam, quam ab ipso Christo Domino accepit, quæque consequenter ei iure Diuino conuenit, declaratam, & patefactam fuisse, constat quoque tùm ex huc vsque in hanc sententiam dictis; tùm ex epistola Nicolai inferiùs octauo seculo referenda ad Michaelem Imperatorem Romanæ Sedis, eiusque primatus acerbissimum hostem; tùm denique ex lege inter claras, cap. de Summa Trinitate, & Fide Catholica, vbi sic habetur: [Ecclesiam Romanam esse omnium Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ,& Principum statuta declarant.] Et Glossa explicans verba canonis Dudum 3. quæst.6. quibus Iulius Pontifex ait, Concilia potestatem Romano Pontifici dedisse, ità loquitur; [Sic ergo Concilia dederunt auctoritatem Pontificibus, quod verum est secundariò, sed ipse Christus principaliter.] Ex qua Patrum declaratione potestatis à Christo Sedi Romanæ principaliter concessæ, firmum pro nostro intento eruitur argumentum, qui enim ipsa omnium Ecclesiarum caput ex Patrum regulis, & statutis Principum legitimè declarari potuisset, nisi iàm illi conuenisset? & quomodò iàm conuenisset, nisi à Christo vt instituta, sic & collata fuisset.

Omnium autem absurdissimè plurimi Hæretici hodierni volunt sacram Synodum ità definijsse Ecclesiæ Romanæ, siue Episcopi Romani iurisdictionem, vt tantùm præesset suburbanis Ecclesijs. Huiusmodi enim canonis interpretatio non tantùm ijsdem argumentis, quibus supra clarè confutatur, sed etiam penitùs aliena est ab omnibus omninò editionibus, tam Chalcedonensi, & Dionysiana,de quibus statim,aliaque citata in Concilio sexto Carthaginensi, quàm quæ vulgatæ habentur in tomis Conciliorum, in quibus nulla prorsus est mentio Ecclesiarum suburbanarum. At hoc nouantes Hæretici collegerunt ex Ruffino lib.1. cap.6. qui Nicenos Canones non leui præiudicio in compendium redigens (homo alioquin imperitiæ, & nimis licentiosæ in scribendo libertatis à sancto Hieronymo, & alijs sæpè redargutus) de canone sexto sic ait: [Vt apud Alexandriam, & in Vrbe Roma, vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat.] Sed horum verborum nullus sensus elicitur, & sunt alioqui contra canonem, in quo non legitur, Vt, comparationem significans, sed Quoniam, causam reddens cur debeat permanere antiquus ille mos in Ægypto: ac demùm Ruffinus non tantùm suburbanarum, sed suburbicariarum Ecclesiarum curam Romano Pontifici tribuit; cuius vocis longè est amplior significatio; verùm, cùm de illa agere sit extrà præsens institutum, possunt consuli Cardinalis Baronius tomo 3. Annalium, Cardinalis Perronius in Respons. ad obiecta Regis Magnæ Britanniæ lib. 1. cap. 3. 32. & 33. Iacobus Gutherius, & Iacobus Sirmondus Galli, Hieronymus Aleander, & Marcus Antonius Capellus Itali; qui, vt notauit Illustriss. Spondanus tomo 1. Epitomes Annalium Baronij ad annum 325. num.36. in fine, varios adstruentes verborum Ruffini sensus, & ad diuersos Romani Pontificis muneris partes, & personas, quas sustinet aptantes, siue qua Prouinciam Romanam regit vt Metropolitanus, seu qua Italiam, vt Primas, vel Occidentem, vt Patriarcha; (non enim quæstio est de peculiari ipsius Vrbis Romæ Episcopatu) apprimè ostenderunt nullum eorum incommodari vniuersali totius Ecclesiæ Catholicæ regimini, quod à Domino accepit in persona Petri: qui quod Sedem Pontificalem Romæ constituit, fecit hoc quidem quoniam Vrbs Roma totius Orbis Romani Regina erat, sed non vt ab ea auctoritatem primatus acciperet; quo iàm antè adeò in vniuersum terrarum Orbem insignitus pro se, ac successoribus suis fuerat, vt nec Imperij Romani, quantumvis amplissimis terminis circumscribi, vel coarctari posset: qualem continuo vsu successores eius Romanos Pontifices exercuisse, quæ huc vsque in huius tractatus decursu diximus, ac deinceps dicemus, manifestè demonstrant.

Igitur cùm præfati canonis, ex varia translatione, & editione, sensus nonnihil redditus sit obscurus, indeque hæretici ansam errandi acceperint, priusquam veritatem illius declaremus, statuendum est quænam sit melior, si autem in edendo sinceritas, & in transferendo peritia quàm maxima requiratur, nulla exquiri potest editio purior, quàm quæ prolata est, & approbata in Oecumenica Synodo Chalcedonensi, nec translatio exactior, atque fidelior, quàm quæ elaborata est à Magno illo, sed cognomento Exiguo Dionysio, cuius eximiam in vtraque lingua peritiam Cassiodorus instit. diuin. lect: c.13. dignis laudibus mirificè prædicauit. Porrò Concil. Chalcedon. act. 6. sic à Paschasino Apostolicæ Sedis Legato hic canon recitatus est; [Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum: teneat autem, & Ægyptus, vt Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam, & Episcopo Romano hæc est consuetudo. Similiter autem, & qui in Antiochia constitutus est, & in cæteris Prouincijs primatus habeant Ecclesiæ ciuitatum ampliorum.] Eademque fermè est, immò & liberior versionis Dionysij verborum complexio atque sententia, cum sic absolutè habet. [Ecclesia Romana semper habuit primatum, mos autem antiquus perduret in Ægypto, &c.] Quod autem in alijs Nicæno-

norum Canonum editionibus desint illa verba: [Ecclesia Romana semper habuit primatum:] id inde Baronius, & alij credunt accidisse, quod ea non esse canonis, sed titulus fuerit existimatus; atque ideo prætermissus, quod desiderarentur in reliquis canonibus affixi tituli. Sed perperam quidem; non enim censendus est ille titulus, sed ipsius canonis esse verba: nam absque eo exordio redditur sensus planè obscurus, ac mutilus. Denique Chalcedonense Concilium approbasse lectionem allatam ab Apostolicæ Sedis Legato, ex eo datur intelligi, quod post eius recitationem ita interlocuti sunt Patres. [Perpendimus omnem quidem primatum, & honorem præcipuum, secundùm canones antiquæ Romæ Archiepiscopo conseruari.]

Quapropter tàm secundùm eam lectionem, quàm Dionysij versionem, Cardinales Baronius tom. 3. Annalium putant planissimum huius canonis sensum esse, vt significet, ex Romanæ Ecclesiæ auctoritate, quæ semper habuit in vniuersa Ecclesia primatum, Episcopum Alexandriæ omnium Ecclesiarum, quæ sunt in Ægypto (cuius etiam appellatione continebantur Lybia, & Pentapolis) habere potestatem; quoniam sic moris fuit Episcopo Romano illi concedere; siue quod Romanus Episcopus consueuit per Alexandrinum Episcopum illas Prouincias gubernare; vt pluribus probat Baronius loco citato.

Alter isque, vt multis placet, germanior huius canonis sensus est, quod vbi in illo Alexandrinus Episcopus decernitur omnium per Ægyptum habere potestatem; [Sicut Romano Episcopo consuetudo est:] non in primatu, aut suprema potestate cum Romano exæquatur, sed determinatur in quas Ecclesias Alexandrinus Episcopus, habeat Patriarchalem potestatem, scilicet in omnes Ecclesias Ægypti: hæc enim causa tunc agebatur in Concilio contra Meletium, nempè quænam Ecclesiæ deberent subesse Episcopo Alexandrino? & ita in eius fauorem lata est sententia, vt ad omnes Ægypti Ecclesias eius Patriarchatus extenderetur, quoniam ea est consuetudo Romani Episcopi, vt scilicet habeat potestatem Patriarchatus super Ecclesias, vndè comparatio fit quantùm ad hoc præcisè; quod est habere ius Patriarchatus firmum, & certum, non autem quo ad modum habendi illum, scilicet quoad vniuersalitatem potestatis super omnes Ecclesias. Romanus enim Pontifex, præter Summum totius orbis Patriarchatum, vel meliùs Pontificatum, cuius beneficio in quoslibet Patriarchas ius habet, quatuor alijs fulget dignitatibus, prima, quod sit Episcopus Romanus; secunda, quod Archiepiscopus, vel Metropolitanus; tertia quod Primas, & quarta quod Patriarcha, quatenus Episcopus, potestas eius Romano districtu coercetur; vt Archiepiscopus, vel Metropolitanus latiùs se extendit, sic enim vicini, nec non suffraganei Episcopi S. R.E. Cardinales Eminentissimi, Ostiensis, Portuensis, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus, Albanensis ei specialiùs, quàm reliqui totius orbis subijciuntur, quatenus verò Primas potissimum habet Italiam sibi subiectam; plures autem alias Prouincias, immò totum Occidentem vt Patriarcha; in his ergo quatuor parilis illi mos est cum Alexandrino, & cæteris Patriarchis, prout nempè suis prouincijs, vt Patriarcha præest: & præesset ad modum cæterorum Patriarcharum; etiamsi ad apicem Apostolatus non esset euectus, & hoc solùm canon ille sextus voluit, non autem, quod in Summo Pontificatu, quem à Christo Domino iure diuino accepit, æqualis sit cæteris Patriarchis.

Et ne vno, vel altero modo de Pontifice, vel vt Patriarcha, vel vt Summo Pontifice istud pro Alexandrino Patriarcha statutum intelligatur; certè non apparet, quem huius canonis verba legitimum sensum habere possint. Secundæ tamen explicationi potissimum fauet Nicolai I. auctoritas epist. 8. vbi loquens de Nicæna Synodo sic ait: [Si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur, inuenienter profectò, quod Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum, sed potiùs ex eius formula quid Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret particulariter sumpsit exēplum;] Ex his enim verbis videtur colligi Nicænum canonem ab eo intellectum fuisse de parificatione Alexandrinæ Ecclesiæ cum Romana, quantum ad formam, & ius Patriarchatus, quod habeat sibi subiectas Ecclesias sicut Romana, differenti tamen modo cùm vna vniuersalis sit, alia particularis Ecclesia, fateor tamen præfata verba, non ita esse secundæ explicationi affixa, quin etiam priori percommodè applicari possint, ita vt significent S. Synodum Nicænam pro potestate, & iurisdictione Patriarchæ Alexandrini determinanda sumpsisse exemplum ex Romanæ Ecclesiæ forma, quatenus in hoc obseruari voluit formam, quam iam Summus Pontifex, vel edicto, vel in praxi obseruarat aut obseruanda præscripserat. Tantùm pro instituti nostri ratione, de intelligentia Canonis VI. Nicænæ Synodi, nunc ad intentum redeamus.

Pro infallibili Romanæ Sedis in rebus fidei magisterio, insigne Ægyptiorum Pontificum testimonium habemus in epistola ab illis in sancta Synodo Alexandrina congregatis scripta ad Summum Pontificem Felicem, de infestationibus Arianorum. [Ideò Pater Beatissime, quia semper antecessores nostri, & nos à vestra Apostolica Sancta Sede auxilium hausimus, & nostri vos curam habere agnouimus, præfatam Apostolicam, & Summam expetimus iuxta canonum decreta Sedem, vt indè auxilium capiamus, vnde prędecessores nostri ordinationes, & dogmata atque subleuationes ceperunt; deindè paulò inferiùs: Ipsa enim firmamentum à Deo fixum, & immobile percepit, quoniam ipsam formam vniuersorum titulorum lucidissimam Dominus Iesus Christus vestram Apostolicam constituit Sedem. Ipsa est enim sacer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur, sustentantur, releuantur. Et sicut in Christo Christiani, & in petra, id est Christo, Petrus Petri renouantur Ecclesiæ.] Legendum videtur, & sicut in Christo Christiani, ita & in petra, id est Petro renouantur Ecclesiæ, vt sit sensus, Romanæ Ecclesiæ Pontificem, si

quid

quid in cæteris Ecclesijs vitiatum, aut depravatum sit, suprema sua, & infallibili auctoritate, & posse, & debere corrigere.] Tu es enim, sicut diuinum veraciter testatur eloquium, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est Episcopi, qui Ecclesiam sustinere, & proprijs humeris portare debent, tibi sunt confirmatæ, tibique claues Regni Cœlorum commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terra, & quæ in Cœlis sunt, promulgauit. Tu prophanarum hæresum, & imperitorum, atque omnium infestantium depositor, vt Princeps, & Doctor, caputque omnis Orthodoxæ doctrinæ, & immaculatæ fidei existis.]

Huic præclaro Athanasij, cæterorumque Ægyptiorum, Thebaidorum, & Lybiorum Episcoporum testimonio accedit aliud Stephani Archiepiscopi, & trium Conciliorum Aphricę in epistola ad Damasum Papam de priuilegio Romanæ Sedis. [Notum; inquiunt, facimus vestræ beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi, quosdam fratres nostros, venerabiles videlicet Episcopos, vobis inconsultis à proprio deijciunt gradu, vel deijcere moliuntur, cùm vestræ Sedi, Episcoporum iudicia, & Summorum finem negotiorum Ecclesiasticorum, in honore Beatissimi Petri, Patrum decreta omnium, cunctam reseruauere sententiam, inquirendi reuerentia de Dei rebus, quas omni cura, & sollicitudine obseruare debemus. Maximè verò iustè debent ab ipso præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quàm releuare laudanda. Antiquis enim regulis censitum est, vt quicquid horum quamuis in remotis, vel in longinquo positis, ageretur prouincijs, non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, vt eius auctoritate, iuxta quod fuisset pronuntiatum firmaretur;] Quibus profectò nihil elegantius pro infallibilitatis priuilegio Summo Pontifici Romano Diuinitùs concesso in definiendis rebus fidei, & religionis, si enim illo carere existimatus fuisset, non esset cur propter eas, ad ipsum finalis recursus semper habitus fuisset, non ex alicuius Synodi auctoritate, nisi declaratiuè, sed ex Ecclesiæ regula, & praxi omnibus Synodis antiquiore, quæque processit ex ipsa Apostolorum traditione, immò ex auctoritate ab ipso Christo Domino tributa Petro, & successoribus eius: cum constet Ecclesiam vnam esse, & eamdem esse nunc, quæ fuit ab initio, vna autem, & eadem esse non posset, si eadem forma regiminis, eademque auctoritas in illud tenentibus non maneret, igitur ea ratione, qua ob huiusmodi vnitatem voluit Deus, quod supremus Ecclesiæ Pastoratus ad Petri successores transiret, neque in solo Diuo Petro absolueretur, fatendum quoque nobis est promissionem Christi pro infallibilitatis priuilegio ad eosdem transijsse.

Quæ etiam in secunda Sancta Synodo Oecumenica Constantinopoli aduersùs Macedonium, & alios negantes diuinitatem Spiritus Sancti congregata, sub huius sæculi finem, anno videlicet Domini 381. Damasi verè Papę 15. acta sunt, non obscurè supremum Summi Pontificis Romani in rebus fidei magisterium arguunt, primum quod hæc Synodus iam ipsius præcepto, & auctoritate Constantinopolim vocata, & congregata ibidem perfici potuerit, quemadmodum testantur acta sextæ Synodi act. 16. his verbis: [Macedonius Spiritus negabat deitatem; & Dominum, eumque conseruum prædicabat: sed maximus Theodosius Imperator, & Damasus fidei Adamas obstiterunt;] Quatenus Damasus, non solùm hanc Macedonij, & Eunomij hęresim priùs damnauerunt, vt patet ex eius epistolis: [Sed hanc insuper de eorum damnatione sententiam confirmari præcipit in sancta secunda Synodo, quę pręcepto, & auctoritate eius apud Cõstantinopolim celebrata est;] vt habent vetera Romanæ Ecclesiæ monumenta, quibus res gestæ Damasi describuntur reuelata, à Baronio tom. 4. Annalium vbi rectè de his dubitari non posse affirmat; cùm constet, absque auctoritate Romani Pontificis eiusmodi Synodos congregare minimè licuisse; cuius quidem veteris obseruantiæ probatum antiquitus vsum, Lucentius Apostolicæ Sedis Vicarius in Concilio Chalcedonensi libera voce his verbis testatus est Act. 1. [Iudicij sui ipsum, nempè Dioscorum, necesse est reddere rationem; quia cum nec personam iudicandi haberet, subrepsit; & Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod ritè nunquam factum est, nec fieri licuit,] ita ipse, sed de his esse regulas Ecclesiasticas, & Patrum instituta, Paschasinus legatus addit, vt seculo sequenti videbimus. Testatur & ipse Damasus locis superiùs citatis, nec non Socrates, & Sozomenus.

Secundò potissimùm ad nostrum intentum facit, quod vt huius Synodi canon quintus significat, Patribus de fide tractaturis exhibitum fuerit volumen Occidentalium; per quod volumen nihil aliud intelligitur, vt loco citato demonstrat Baronius, quàm professio illa fidei à Damaso ex Concilio Romano scripta ad Paulinum Episcopum, non Thessalonicensem, vt ait Theodoretus lib. 5. cap. 11. sed Antiochenum, quæ continet anathematismos aduersùs omnes hæreses tunc temporis Orientalem Ecclesiam infestantes; inde enim elicitam esse plenissimam de Spiritus sancti diuinitate assertionem in Symbolo in hac Synodo instituto collocatam, omnes, qui eam legent, intelligent: vt non mirum sit, si de his, quæ ad fidem spectant, Damasus Oecumenicam hanc voluerit Synodum nominari, in qua quid Occidens, quid Oriens, quid vniuersa demùm Catholica Ecclesia, ipseque præsertim Romanus Pontifex, supremum eius Caput, & Magister, de Spiritu sancto sentiendum esset, paribus votis, vnaque sententia ediderunt. Tertiò, quod hæc eadem Synodus confirmata fuerit ab eodem Damaso, vt refert Photius in libello de septem Synodis; quod tamen intelligendum esse in his, quę spectant ad fidem Catholicam, clarissimè colligitur ex Gregorio Magno lib. 6. epist. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum; Quod autem adeò studiosè eadem Synodus expostularit à Theodosio Imperatore statuta in ea confirmari, atque sigillo muniri; id quidem prudenter, nec alio fine, quàm vt eo modo sibi fidem Imperatoris stabilem duraturam

Ss oppi-

oppignurarent: vtpotè qui experti essent Valentem Imperatorem in deteriùs esse mutatum; cùm tantum roboris, & firmitatis dumtaxàt quælibet Synodus consequi soleat, quantùm eidem auctoritatis impertit sola Romana Ecclesia, ipsa Apostolica Sedes. Quartò tandem & vltimò, siue huius Synodi canoni 4. alibi 5. hæc fuerint ab ea adiecta: [Constantinopolitanus tamen Episcopus obtineto præcipuum honorem, & dignitatem secundùm Episcopum Romanum, ideò quod Constautinopolis noua Roma est;] siue non, quod verius est, vt pluribus ostendit Cardinalis Baronius; eo tamen adhuc admisso inde mirificè commendatur tam Primatus summi Pontificis Romani, quàm suprema eius auctoritas in rebus fidei, & Religionis, siue Ecclesiasticis; sic enim in illo canone vnum supponitur, & aliud statuitur. Supponitur quidem summum Pontificem habere primatum in Ecclesia non solùm ratione politici ordinis, siue quoad aliquem externum splendorem, & honorem, sed etiam regiminis, & gubernationis vniuersalis Ecclesiæ; statuitur autem quod Constantinopolitanus Episcopus primas post illum obtineat præ cæteris Patriarchis; quæ secunda pars huius canonis, cum multis temporibus recepta non sit, vt constat ex Leone Papa epist. ad Anatolium cap. 2. & ex duabus sequentibus ad Marcianum, & Pulcheriam Augustos; ex Gregorio loco citato, Nicolao I. epistolis ad Michaelem Imperatorem, & ad Photium; Leone Nono in Apologia contra Michaelem,& Leonem cap.9. hæc etiam supremam Romanę Sedis auctoritatem ostendit in rebus Ecclesiasticis; ideò enim statutum illud, neque tunc, neque post multa tempora vim habuit, quia Romana Sedes illud non probauit, quando verò illa consensit, habere cæpit effectum, vt constat ex Innocentio III. cum Concilio Lateranensi cap. Antiqua, de priuilegijs.

Hoc idem probat, quòd cùm S. Damasus Pontificatus anno 16. iterum aliud Concilium Romæ celebrandum conuocasset, atque ad illud Orientales Episcopos inuitasset, illuc venire non recusarunt illi Episcopi, qui, anno superiori interfuerant Constantinopolitano Concilio,sub prætextu quòd in Romano Pontifice supremam congregandi, confirmandique Concilia auctoritatem non agnoscerent, sed ne ex eorum absentia maximam iacturam paterentur Orientales Ecclesiæ; qua de causa aliud pariter Concilium Constantinopoli celebrarunt (aduocato etiam Gregorio Nazianzeno, qui tamen venire noluit) vnde Legatos Romam miserunt, qui communionem Ecclesiarum Orientalium cum Occidentalibus stabilirent. Porrò in hoc Concilio Romæ celebrato ex Episcopis diuersarum Prouinciarum, nempè Orientis, aliarumque Catholici Orbis Regionum, iuxtà collectionem Cresconianam nobili antiquitate venerandam, post descriptos anathematismos, & allatas diuinarum Scripturarum auctoritates, eiusmodi de Sedium Patriarchalium prærogatiua editum habetur decretum. [Post has omnes Propheticas, & Euangelicas, & Apostolicas, quas superiùs deprompsimus, Scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est; etiam intimandum putauimus, quòd quamuis per Orbem Catholicæ diffusæ Ecclesiæ quasi vnus thalamus Christi sit: Sancta tamen Romana Ecclesia nonnullis synodicis constitutis cæteris Ecclesijs prælata est: sed & Euangelica voce Domini Saluatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: &c. Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia non habens maculam, neque rugam, neque aliquid huiusmodi.]

Tandem omnes ferè, meliorisque notæ Patres, qui in hoc quarto vixere seculo, hanc camdem summi Pontificis prerogatiuam non errandi in rebus fidei, vbi ex Cathedra loquitur, contestantur: Athanasius, & Episc. Ægypti in epistola ad Marcum, etsi enim Baronius putet illam esse dubiæ fidei, nihilominus plures alij eam habent pro legitima; vbi inter alia dicunt: [Optamus, vt à vestræ sanctæ Sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est Mater, & Caput omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem, & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præsentes Legatos mereamur, quatenus vestra fulti auctoritate, vestrisque precibus roborati, illæsi à memoratis æmulis sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris, euadere,nobisque commissos eruere valeamus. Verè nouimus Apostolatus vestri cor gratia sancti Spiritus in tantum esse accensum, vt omnibus oppressis succurratis, quantò magis nobis, qui, licèt exigui ordinis, tamen vestri sumus, vobisque obedientes, cum omnibus nobis commissis, & sumus, & semper esse volumus? Ideò decet,& oportet vos nobis hæc, & alia, quæ necessaria iuxtà sapientiam, quam vobis præsticit Altissimus, esse cognoueritis, absque tarditate præstare;] tali enim loquendi modo manifestè supponunt, sanam, & integram fidem in Romano Pontifice tunc fuisse,& prætereà in illo esse auctoritatem ad corrigendum hæreticos, & fideles in vera fide confirmandos, quod absque infallibilitatis priuilegio præstari non potest. Similia etiam docet idem Athanas. in epist. ad Felicem II. superiùs citata tomo 1. Concil. Eaque satis confirmat, quando præfatæ deessent epistolæ, quod & ipse Romam citatus à Iulio tamquam reus causam dicturus illuc continuò conuolauerit; quippe qui sciret causas Ecclesiasticas ibi finaliter à summo Pontifice Romano terminari debere, tamquam à supremo earum iudice.

In huius æquè probationem facit, quod D. Basilius ad eumdem Athanasium scribit epistola 52. de legatione Romam mittenda, & Roma postea ad Orientalem Ecclesiam delegranda, his verbis: [Visum est autem mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hìc geruntur consideret, detque consilium; Et quoniam difficile est, vt communi, ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur: ipse sua acctoritate in ista causa vsus, viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias Idoneos, verùm iuxtà ad hoc quoque accommodatos, vt mansuetudine, & facilitate ingenij eos,qui distorti, & obliqui apud nos sunt, corrigant, aptè, ac dispensatoriè sermonem attemperantes; omniaque secum habentes, quæ Arimini ad necessariam solutionem gesto-

ftorum illic facta sunt:] En quomodo Basilius agnoscens immensæ cladi, maximæque Orientis ruinæ impares esse vires Athanasij, iudicat necessariò requirendum esse Pontificis omnium maximi, nempè Episcopi Romani, pro suprema, & infallibili, quam habet in rebus fidei, & religionis auctoritate subsidium, à quo dirigerentur Legati in Orientem, qui nutantia roborarent, prostrata erigerent; quique nomine ipsius Ariminense Concilium irritarent; prout etiam Damasus in epistola ad Episcopos Illyrij illud reprobauit; & Diuus Gregorius lib. 4. epist. 34. ex dicendis infrà. Item epistola data Sabino Diacono ad Pontificem Romanum. [Re verà dignum est illa excellentissima voce, qua te beatum prædicauit, quod pietati tuæ donatum à Domino est, vt quod adulterinum est à legitimo, ac puro discernas, ac fidem Patrum sine subtractione vlla prædices.]

Insuper quod idem Basilius vnà cum alijs Orthodoxis Orientis Episcopis, Legatos ad Damasum, & cæteros Occidentis Episcopos pluries miserit, necnon etiam literas scripserit; quibus licèt desit germana inscriptio, sed tantùm ad Occidentales titulus ponatur, eas tamen primo loco ad ipsum Damasum Romanum Pontificem esse conscriptas, quæ statim dicta sunt ex epistola ad Athanasium clarè ostendunt, pluribusque insuper demonstrat Card. Baronius tomo 4. Annalium ad ann. Dom. 372. Satis inde colligitur, quanti fecerit in rebus fidei, & religionis Romanæ Sedis auctoritatem; vnde quod illa detrectante varias ob causas Legatos in Orientem mittere, suppetias ferre, atque demùm pacificas literas reddere, idem Basilius epist. 10. ad Gregorium Nyssenum, eam fastus, & ignorantiæ, necnon etiam hæreseos insimularit; veniam puto illi concedent, non autem cum Nouatoribus inde calumniandi ansam sument, Occidentales omnes, ac potissimùm ipsum Romanum Pontificem tamquam veritatis desertores, qui sanctissimis etiam viris afflictis animo, ærumnis pressis, oppressisque densa molestiarum caligine nonnulla interdum verba exorbitantia excidere considerabunt; eòque faciliùs itarem in Diuo Basilio maximè pio, maximè sancto se habuisse, suæ ipsius ad Occidentales datæ post hæc literæ, quibus nullæ officiosiores, animoque submissiori à quouis scribi potuerunt, apertè demonstrant: Cùm enim vetus illa inter Orientales, & Occidentales controuersia de vocibus, substantia & subsistentia, siue hypostasi, & persona, ob quam Basilius epistola citata Occidentales in crimen hæresis adduxerat, terminata fuisset, nomen videlicet hypostasis, æquè ac persona, à Latinis omnibus intrepidè, securèque vsurpari posse, tantum abest vt Basilius Damasum, cæterosque Occidentales Episcopos cum ipso sentientes hæresis suspectos habuerit, vt eos solos puriores remansisse prædicet Orthodoxos, vltimis literis ad ipsos anno sequenti 373. datis, in quibus hæc verba leguntur: [Cunctis mortalibus prædicamini, quod in fide illibati permaneatis, & Apostolicum depositum illæsum seruetis: non sic habent res nostræ, &c.] Epist. 1. in addit.

Hanc quoque supremam Romani Pontificis auctoritatem in rebus fidei agnouit Gregorius Nazianzenus, dum orat. 23. in laudem Heronis commemorat Petrum Alexandrinum Athanasij successorem à Sede sua pulsum à Lucio Ariano ad Romanum Pontificem Damasum confugisse; Oratione verò 52. quæ est 2. ad Cledonium, quòd insimulatus de communione cum Vitali Apollinaris sectatore, non alia se excuset ratione; nisi quod Romæ, vbi suam occultauerat hæresim, susceptus à Damaso fuisset, eiusque causa delegata ad Paulinum Episcopum Antiochenum, vt patet ex epistola Damasi ad eumdem, qui deinde præfati Vitalis fraude detecta, eum ab Ecclesiæ cætu abdicauit; libellumque ab eo editum cum anathematismo deleuit; satis inquam, inde colligitur eum supremam Pontificis auctoritatem recognouisse in dijudicandis rebus ad fidem spectantibus, quodque propterea res ab eo semel in hac materia approbatæ, approbari, improbatæ verò, improbari, ac reijci deberent à veris Orthodoxis: sicut etiam ex hoc, quod Oriente ab Occidente diuiso, citra tamen schisma, ob Meletium, atque Paulinum Catholicos Episcopos Antiochenos, studentibus Orientalibus Meletio; Paulino autem, quem creauerat Lucifer Calaritanus, fauentibus Ægypti Episcopis, & omnibus cum Damaso Occidentalibus, constanter istis adhæserit. Denique in carmine de vita sua id expressè docet, vbi ait: [Verus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet vrbem, quæ toti Orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habet.] Diuus Ambrosius in oratione de obitu Satyri fratris sui, prudentiam eius laudans ait; [Aduocauit ad se Episcopum, neque vllam veram putauit, nisi veræ fidei gratiam; percunctatusque ex eo est, vtrùmnam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia conueniret:] Non alia de causa, nisi quia ipsa ratione successoris Petri in ea sedentis est taliter regula fidei infallibilis, vt fides Catholica, & Romana non ponant in numero, idemque sit vniri cum Ecclesia, vel Sede Romana, ac cum Catholica. Et lib. 1. Epistol. in 4. ad Imperat. agens de vitandis Arianis; [Quomodo, inquit, fieri potest, vt eum, quem societati eorum insertum vidimus, non etiam assertorem perfidiæ iudicemus. Quid etiam si defuisset? tamen totius Orbis Romani Caput Romanam Ecclesiam, atque illam sacrosanctam Apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda foret clementia vestra, inde enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant, &c.] Eiusdem libri epist. 7. ad Siricium Papam, qui priùs Ecclesiæ Mediolanensi scripserat aduersùs Iouinianum hæreticum, eiusque socios, ab Ecclesiæ vnitate remouendos, Ambrosius vnà cum cæteris Episcopis, respondet: [Recognouimus literis Sanctitatis tuæ boni Pastoris excubias, qui diligenter commissam tibi ianuam serues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias, dignus quem oues Domini audiant, & sequantur. Et ideò quia nosti ouiculas Christi, Lupos facilè deprehendis, & occurris quasi prouidus pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ, feralique vlulatu Dominicum ouile dispergant.] Deinde paulò inferiùs; [Sed si doctrinis non credi-

ditur Sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium; Quia non est impossibile Deo omne verbum: credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit, & seruat;] vtique ob singulare infallibilitatis priuilegium summi Pontificis in ea sedentis, ad quem tamquam ad supremum Ecclesiæ Pastorem, Custodem, & Iudicem depositum fidei seruare, resque in illa dubias definire pertinet; Inde idem Ambrosius epistola 9. ad Theophylum Alexandrinum, cui contentionis de Episcopatu Antiochiæ inter Flauianum, & Euagrium causa à Capuana Synodo commissa erat, quærentem quid esset agendum, quia Flauianus ad Imperatorem confugerat, Flauianum grauiter culpans, respondet, vt ipse quod pacis, & vnionis est decernat, & ad Romanam referat Ecclesiam, vt quod ab ea fuerit comprobatum, omnes læti suscipiant: [Sanè, inquit, referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant.] Et infra. [Vt nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognouerimus, quod Ecclesia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum eius examinis adipiscamur.]

Sed omnium clarissimè hanc veritatem testatur Diuus Hieronymus varijs in locis; præsertim in epist. 11. ad Ageruchiam dicens, se aliquando iuuisse Damasum in respondendo ad Orientis, & Occidentis Synodales constitutiones; epistola 16. ad Principiam referens, quod Athanasius, & Petrus Alexandrinus persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerint: copiosiùs autem in epistola 57. ad Damasum; vbi ob Antiochenæ Ecclesiæ schisma, nomenque hypostasis in angustijs positus, quid acturus esset eum consulens, hisce verbis vtitur. [Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes; vt inter latus contritos, qui aquam non habent, difficilè vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam; inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum, me à pretiosæ margaritæ potuit inquisitione prohibere. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ: profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta patrum seruatur hæreditas. Ibi cespite terra fecundo, Dominici seminis puritatem centeno fructu refert: hìc obruta sulcis frumenta in lolium, auenasque degenerant. Nunc in Occidente Sol iustitiæ oritur; in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sydera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terræ: Vos aurea vasa, & argentea: hìc testacea vasa, vel lignea virgam ferream, & æternum opperiuntur incendium. Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ouis flagito. Facessat inuidia, Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, & discipulo Crucis loquor. Ergo nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest, Cathedræ Petri communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extrà hanc domum agnum comederit profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam solitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine disterminat; nec possum Sanctum Domini, tot interiacentibus spatijs, à sanctimonia tua semper expetere; ideò hìc collegas tuos Ægyptios confessores sequor, & sub onerarijs nauibus parua nauicula delitesco. Non noui Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, Antichristi est.] Paucis deinde interiectis de controuersia vocis hypostasis ait;] Discernite, si placet obsecro: non timebo tres hypostases dicere, si iubetis;] demùm in fine subdit; [Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum mundi salutem, per homousion Trinitatem, vt mihi epistolis, siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon detur auctoritas.]

Eadem ferè repetit epistola sequenti 58. cùm enim diù expectans, nondum tamen quid ageret, Damasi responsum accepisset, rursùs ad eum eodem argumento literas dedit, quibus hæc inter alia ad nostrum intentum: [Ita me incessabilis inimicus post tergum sequutus est, vt maiora in solitudine bella nunc patiar. Hinc enim præsidijs fulta mundi Ariana rabies fremit: hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa manentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito: si quis Cathedræ Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus, tibi hærere se, dicunt. Possem credere, si hoc vnus assereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obtestor Beatitudinem tuam per Crucem Domini, per necessarium fidei nostræ decus, per passionem Christi, vt qui Apostolos honore sequaris, & merito, Ita in solio cùm duodecim iudicaturus sedeas: ita te alius senem cum Petro cingat: ità municipatum cæli cum Paulo consequaris; vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est.] Hactenus ad Damasum Hieronymus, cuius loquendi, & scribendi modus satis indicat, quid ipse de suprema, necnon infallibili summi Pontificis Romani senserit auctoritate, in rebus fidei, & religionis; nec enim tam sollicitè ad eum recurrisset, tam anxiè responsum expetijsset, paratus omninò, quæ reijcere, vel quæ sequi iuberet, amplecti, nisi eamdem quæ Petro, Pontificibus quoque Romanis eius successoribus in regimine Vniuersalis Ecclesiæ, firmitatis prærogatiuam concessam credidisset.

Quin-

Quintum Seculum ab anno Dom. 400. ad 500.

IN quinto feculo, primus erit huiufce veritatis teftis Innocentius Papa Primus, in varijs locis fuarum epiftolarum; 2. ad Decentium Eugubinum Epifcopum vbi ex hoc quod in omnem Italiam, Gallias, Hifpanias, Aphricam, atque Siciliam infulafque adiacentes nullus inftituerit Ecclefias, nifi quas Venerabilis Apoftolus Petrus, aut eius fucceffores conftituerint Sacerdotes, indè concludit, oportere eos hoc fequi, & feruare, quod Ecclefia Romana cuftodit, à qua eos principium accepiffe, nedum dubium eft. Eadem habet in epiftola 2. ad Victricium Rothomagenfem Epifcopum & 3. ad Exuperium Epifcopum Tholofanum; necnon 22. ad Epifcopos Macedoniæ, nam cùm Innocentius ab his epiftolas accepiffet, [in eis, ait, multa pofita peruidi, quæ ftuporem mentibus noftris inducerent, facerentque nos non modicum dubitare, vtrùm aliter putaremus, an ita alia effent pofita, quemadmodum perfonabant. Quæ cùm fæpiùs repeti feciffem, aduerti, Sedi Apoftolicæ, ad quam relatio, quafi ad caput Ecclefiarum, miffa currebat, aliquam fieri iniuriam, cuius adhuc in ambiguum fententia duceretur] Item epiftola 26. ad Concilium Mileuitanum, cui fuper nouiter exortam Pelagij hærefim confultus ita refpondet; [diligenter ergo, & congruè Apoftolici confulitis honoris, inquam, illius, quem præter illa, quæ funt extrinfecùs, folicitudo manet omnium Ecclefiarum, fuper anxijs rebus, quæ fit tenenda fententia; antiquæ fcilicet regulæ formam fecuti; quam toto orbe mecum noftis effe feruatam. Verùm hæc miffa facio. Neque enim hoc veftram credo latere prudentium, qui id etiam actione firmaftis fcientes quod per omnes Prouincias de Apoftolico fonte petentibus refponfa femper emanent. Præfertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepifcopos noftros, nonnifi ad Petrum, id eft fui nominis & honoris auctorem, referre debere, velut nunc retulit veftra dilectio, quod per totum mundum poffit Ecclefijs omnibus in commune prodeffe.] Quod autem verbis docuit tam infignibus ad noftrum inftitutum; Item quoque operibus comprobauit Innocentius tùm in caufa Sancti Ioannis Chryfoftomi, tùm etiam in condemnatione hærefis Pelagianæ: vt magis ftatim dicetur.

Zofimus in Epiftola 1. ad Hefychium Salonitanum Epifcopum. [Igitur fi quid auctoritati tuæ, quod nos non opinamur, æftimas defuiffe fupplemus. Obfiftite talibus ordinationibus, obfiftite fuperbiæ, & arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta Patrum, tecum Apoft. Sedis auctoritas.] Deinde fubdit; [Sciet, quifquis hoc poftpofita Patrum, & Apoft. Sedis auctoritate neglexerit, à nobis diftrictiùs vindicandum] Nec obftat huic, quam propugnamus Pontificiæ auctoritati, & infallibilitati, eiufdem Zofimi decretum ex Gratiano defumptum 25. quæft. [Contra ftatuta patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem Sedis poteft auctoritas;] Cùm enim hoc potiffimùm intelligatur de ftatutis Patrum in rebus fidei, contra quas aliquid condere, vel mutare grauis error effet, manifeftè patet infallibilem Sedis Apoftolicæ auctoritatem ad hoc pertingere non poffe; nam vt ait D. Thomas quodlib. 4. art. 13. [Hoc non effet poffe pro veritate, fed contra veritatem. Eumdem rurfus Pontificem Zofimum audire præftat in epiftola ad Aurelium, & Concilium Carthag. vbi fic in caufa Cæleftij Pelagiani fcribit : [Quamuis Patrum traditio Apoftolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, vt de eius iudicio difceptare nullus auderet, idque per canones femper, regulafque feruauerit; & currens adhuc fuis legibus Ecclefiaftica difciplina Petri nomine, à quo ipfa quoque defcendit, reuerentiam quam debet, exoluat: tantam enim huic Apoftolo canonica antiquitas per fententias omnium voluit effe potentiam, ex ipfa quoque Chrifti Dei noftri promiffione, vt & ligata folueret, & foluta vinciret; par poteftatis data conditio in eos, qui fedis hæreditatem ipfo annuente, meruiffent. Habet enim ipfe tum omnium Ecclefiarum, tum huius maximè, vbi federat, curam; nec patitur aliquid priuilegij, aut aliqua titubare aura fententiæ, cui ipfa fui nominis firma, & nullis hebetata motibus conftituit fundamenta, & quæ fine periculo nullus temerè inceffet. Cum ergò tantæ auctoritatis Petrus caput fit, & feque omnium maiorum ftudia firmauerint, vt tam humanis diuinifque legibus, & difciplinis omnibus firmetur Romana Ecclefia, cuius locum nos regere, & poteftatem nominis obtinere non latet vos, fed noftis fratres chariffimi, & quemadmodum Sacerdotes, fcire debetis: Tamen cum tantum nobis effet auctoritatis, vt nullus de noftra poffit retractare fententia; nihil egimus, quod non ad veftram notitiam noftris vltrò literis referremus, dantes hęc fraternitati, vt in commune confulentes, non quia quid deberet fieri nefciremus, aut faceremus aliquid, quod contra vtilitatem Ecclefiæ veniens difpliceret; fed pariter vobifcum voluimus habere tractatum de illo qui apud vos (ficut ipfi per literas dicitis) fuerit accufatus, & ad noftram, qui fe afferere innocentem, non refugiens iudicium ex appellatione priftina, venerit fedem, accufatores fuos vltrò depofcens, & quæ in fe crimina per rumorem falsò dicebat illata condemnans.]

Bonifacius I. epift. 1. ad Epifcopos Galliæ, de Maximo Epifcopo, diuerfis criminibus accufato, ita concludit [Quicquid autem veftra charitas de hac caufa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, noftra, vt condecet, neceffe eft auctoritate firmetur] Quatenus in maioribus Ecclefiæ caufis, qualia funt Epifcoporum iudicia, fidei declaratio, alicuius hærefis damnatio, Synodorum congregatio, & confirmatio, non aliunde, quàm à fuprema Summi Pontificis Romani auctoritate, finalis earum determeninatio petenda eft, vel feorfim à Concilio vel fimul cum illo, vbi illud conuocari neceffarium effe iudicauerit; & patet etiam ex eiufdem epiftola 2. ad Hilarium Narbonenfem Epifcopum, vbi in commiffa illi à fe caufa præcipit, vt peractis omnibus Apoftolicæ Sedi, quicquid ftatuerit, ipfo referente, clarefcat.

Cæle-

Cælestinus Papa I. pro hac suprema Romani Pontificis auctoritate in rebus fidei, & Religionis, quàmprimum scripta Nestorij ad eius notitiam peruenerunt, ijsdem in fratrum Coepiscoporum consessu præcognitis, & horrendis confertis blasphemijs adinuentis, ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum scripsit, vt diligenter perquireret, nùm illa re vera fuissent à Nestorio exarata, vt idem testatur Cyrill. in primis ad eumdē Nestorium literis; de cuius frustra tentata emendatione, quam ex Cælestini Papæ iussu procurauerat, cùm eumdem certiorem reddidisset, ipsemet ad Nestorium scribens hæc habet in fine epistolæ verba; cuius cùm plura extent exempla ex Greco reddita, nos eam sequimur, quam habet vetus Cresconiaca collectio [Apertè igitur hanc nostram scias esse sententiam, vt nisi de Domino Christo nostro ea prædices, quę Romana, & Alexandrina, & vniuersalis Ecclesia tenet, sicut, & Sacrosancta Constantinopolitanæ vrbis Ecclesia ad te vsque optimè tenuit; & hanc perfidam nouitatem, quæ hoc quod venerabilis Scriptura coniungit, nititur separare, intra decimum diem à primo innotescentis tibi huius conuentionis die numerandum, aperta, & scripta confessione damnaueris ab vniuersaliter Ecclesię Catholicę communione deiectum. Quam formam nostri iudicij filium meum Possidonium Diaconum cum omnibus chartis ad Sanctum Consacerdotem meum memoratæ Alexandrinæ Vrbis antistitem, qui ad nos super hoc ipso plenius retulit destinauimus, vt agat vice nostra]. Hactenus Nestorio Cælestinus, qui ad ipsum Cyrillum Alexandrinum per Possidonium, quem ille miserat, respondens, certioremque ipsum faciens de his, quæ Romæ gesta essent aduersùs Nestorium, horum omnium, vt sit legitimus executor, his ad finem epistolæ 3. mandat verbis: [Quamobrem nostræ Sedis auctoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita feneritate sententia exequeris; nempè, vt nisi decem dierum interuallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eamque de Christi dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat quam, & Romanæ, & tuæ Sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique religio Christiana prædicat: illico Sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat;] Ex quibus tum ad Nestorium, tum ad Cyrillum datis litteris Cælestini, videre est ipsum, vt primum Catholicæ Ecclesiæ Episcopum, Summum Pontificium, summumque ius præseferentem, sic nempe loquentem, vt potestatem habentem, dum illum damnat, huic mandat, & sententiæ suæ executorem constituit, quem certum est inter Orientales Episcopos primam cathedram obtinere: in illumque sententiam damnationis intrepidè iaculari, qui, vt ait Baronius, regiæ vrbis, nouæque Romæ Episcopus existens, fastu, & arrogantia tumens, fauoreque pollens Imperatoris, nulli concedat; cuius etiam auctoritatis non leue est argumentum, quod idem Cælestinus haud cōtentus collecta Romę Synodo aduersùs Nestorianam hæresim, Nestorium, quamdiu hęreticus esse persisteret, condemnasse, atque Cyrillo Episcopo Alexandrino delegasse vices suas, literasque ad ipsum, necnon ad Nestorium dedisse, & ad Clerum Constantinopolitanum alias etiam addidisse Ephesinum insuper Concilium fauente Theodosio iudixerit, & ad illud ex Synodo tunc temporis adhùc perseuerante Romæ per legatos epistolam dederit; ex qua colligitur sic missos esse, non vt, redditis quæ anno superiori aduersùs Nestorium ab eodem Pontifice decreta essent, causa eiusdem nouo subiaceret examini; sed potiùs vt sententiæ in Nestorium ijdem legati essent executores: vt planè appareat, nihil præterea ab ipso Pontifice terea ab ipso Pontifice tributum Synodo, nisi vt cognitis, quę anno superiori ibidem Romæ statuta fuissent, eadem executioni mandari curarent; nec quicquam præter sententiam Cælestini sibi irrogasse œcumenicum tantum Concilium constat, Verba autem epistolæ sub fine sunt hæc iuxta Cresconianam collectionem; [Direximus pro nostra solicitudine Sanctos fratres, & consacerdotes nostros, vnanimes nobis, & probatissimos viros Arcadium, & Proiectum Coepiscopos & Philippum Presbyterum nostrum; qui his quæ agentur, intersint; & quæ à nobis antea statuta sunt exequentes: quibus præstandum per vestram sanctitatem non dubitamus assensum, quando id quod legitur, videatur pro vniuersalis Ecclesiæ securitate decretum.]

Item in Epistola ad Clerum, & populum Constantinopolitanum, vbi suum, Sedisque Apostolicæ studium in curando Nestorio exprimens hæc habet: [Sed ille abusus nostro studio, quo illum sequimur, qui nec de pusillis aliquem vult perire, mortem desperatus optauit. Denique, & medicinam respuens, elegit àbscindi; tulit de se Apostolicum, vel hoc nobiscum sentiens, ipse iudicium, vt abscinderetur, qui nos contristabat; volebat conuertere Euangelium Christi. Nulla suo vitio languenti medica, vt diximus arte defuimus. Non factum est nostræ celeritate sententiæ, vt esset nobis Publicanus, aut Ethnicus, Scimus qualiter, & quoties hoc, qui ad hæc tendunt, scriptura iubeat conueniri; quod nunc quoque videtur impletum. Dicendum denique adhuc. Tunc frater fratrem admonuit; dehinc pertinax vno, & altero, immò, & multis testibus conuentus est, consequenter ab vniuersali Ecclesia, nostro quoque sermone correptus, &c.] Et epistola 6. ad Ioannem Antiocheu. [Sciat Sanctitas tua, eiusmodi à nobis, vel ab ipso veriùs Christo Domino ac Deo nostro per nos sententiam in Nestorium latam esse, &c. Tandem nè proxilior sim diligenter, & accuratè perlegenti Cælestini epistolas, nec non Cyrilli, & aliorum ad ipsum in causa Nestorij clarè patebit, vltimum rerum fidei iudicium ad Summum Pontificem spectare, eòque solùm approbante, & confirmante ad Concilium Generale, quod non ignorantes nobiles illius temporis Scriptores, gloriosum affixere æternæ memoriæ tantæ victoriæ titulum, adscripsereque Cælestino. Qui enim inter præcipuos eminebat, Sanctus Prosper ita de ipso contra Collatorem propè finem. [Per hunc virum Cælestinum videlicet omnes Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandriæ vrbis Antistiti, glorio-

riosissimo fidei Catholicæ defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio: quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterum prosternerentur.] Ipsi quoque Patres, qui Ephesi conuenerunt, necnon Maximianus ipse recens creatus Episcopus Constantinopolitanus, atque etiam Theodosius Imperator, legationem miserunt ad ipsum Cælestinum Romanum Pontificem, eidem gratulantes de prostrata cum auctore hæresi Nestoriana. Non igitur, vt inde eius acta contra Nestorium firmitatem aliquam, aut robur maius obtinerent, congregauit Concilium Ephesinum, sed ad maiorem dumtaxàt rei solemnitatem; vel etiam, vt hanc non omitteret diligentiam in reducendo Nestorio, qui vt mos est plerumque hæreticis, illud expetierat; ex ipsomet Cælestino epistola statim citata ad Clerum, & populum Constantinopolitanum, vbi relato vt vidimus studio à se adhibito pro Nestorij conuersione subdit: [Ad hæc ille compendio totiens oblata remedia, campum ad certamen exposcit; Sacerdotale postulat, cui non erat interfuturus examen; egressurus ad bellum, castrorum dux hostem professus, & doctor fidei contra fidem portans arma perfidiæ, cùm non tam profectus, quàm videtur expulsus. Non quæro qualia tunc ad Dominum vestra vota fudistis, cùm exitus doceat, quid potueritis optare. Nec nos gestarum rerum putetis ignaros, quarum nobis Ordinem sancti fratris Cyrilli relatio patefecit. Admonuit hominem, quem nunc inexcusabilem faceret ex more conuentio: adesse contempsit. Quis petitorem Synodi, Synodo crederet defuturum?]

Sixtus Papa Tertius pro eadem suprema Romani Pontificis auctoritate, simul ac Petri thronum conscendit, cùm frustrà Nestorium in Monasterio S. Euprepij apud Antiochiam relegatum, datis ad eum literis, curare tentasset, non solùm de nouo, vt testatur Cyrillus in epistola ad Acacium Melytenum Episcopum, Ephesinum Concilium Pontificio adiecto decreto firmauit; sed quod sciret Petri munus esse fratres confirmare, atque collapsos erigere, in hoc ipsum totus incubuit, vt qui restiterant Ephesinis actis Orientales Episcopi, eosdem Catholicæ fidei redderet obsequentes; quamobrem ad primarium Nestorij fautorem Ioannem Antiochenum Episcopum literas dedit, à quo habito responso, necnon à suis collegis de legitima Nestorij, blasphemæque eius doctrinæ condemnatione, aliam iterum epistolam ad eum scripsit, in qua inter alia hæc habet ad nostrum institutum: [Hæc Sanctitatem tuam volumus prædicare, quæ scribis: expertus es præsentis negotij euentu, quid sit sentire nobiscum. B. Petrus Apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab eius se velit separare doctrina, quem ipse inter Apostolos primùm Magister edocuit?]

Leo Magnus in omnibus ferè suis epistolis, ac sermonibus, vt supremum se ostendit vniuersæ Ecclesiæ Pastorem, ita etiam non obscurè significat varijs loquendi, & agendi modis Pontificem Romanum, supremum quoque, siue vltimum esse, atque adeò infallibilem in causis fidei, ac religionis iudicem; vt enim iam multoties notauimus, & ex professo lib. 2. sect. 6. probauimus, docetque expressè Gersonius tractatu, an liceat in causis fidei à summo Pontifice appellare; [In causis, inquit, fidei iudicium inniti debet infallibili regulæ, sic quod vltimus, & supremus iudex, cui sententiæ necessariò standum est tam quam verè Catholicæ non sit à fide deuiabilis, alioquin staret in casu, quòd homines obligarentur assentire contra fidem;] vnde difficultas inter ipsum, eiusque sequaces Romani Pontificis infallibilitatem negantes, & nos illam asserentes in eo potissimùm versatur, an is re vera sit in causis fidei vltimus, ac supremus iudex qualem esse diuina traditione tenendum putamus, & in præsenti probare intendimus ex continua vniuersalis Ecclesiæ praxi, & vnanimi summorum Pontificum, sacrorum Conciliorum, tum generalium, tum particularium, sanctorumque Patrum, ac cæterorum Scriptorum Ecclesiasticorum per singula secula consensu.

Diuus igitur Leo serm. 2. de sua assumptione, cùm priùs summam in suæ consideratione personæ animi demissionem ostendisset, rursùm considerans, cuius locum teneret hæc ait: [Rationabili obsequio celebratur hodierna festiuitas, vt in persona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium pastorum sollicitudo cùm commendatarum sibi ouium custodia perseuerat, & cuius etiam dignitas in indigno hærede non deficit.] Item non satis sibi viso, quæsitos diù iam compertos habuisse Manichæos, eosdemque quales essent, populo frequenti admonitione significasse; voluit insuper, vt collecto Romæ Episcoporum Concilio, eorum causa publicè audiretur; vtque eorumdem scelera notiora redderentur, ipse S. Leo non Episcopos tantùm, atque Presbyteros, sed & Senatores complures, illustresque viros, imò & plebis partem iussit huic Concilio præsentem esse, vt testatur in epist. 93. ad Turibium cap. 16. qua etiam Hispaniarum Ecclesijs, quæ à Priscillianistis Manichæorum simillimis grauiter infestabantur, ea quæ Romæ contra istos gesta essent patefieri voluit; quorum etiam priùs reddiderat Italiæ Episcopos certiores, epist. 2. vbi apertè supremam suam in causis fidei, & religionis auctoritatem ostendit. Ad quam adhuc facit, quod ordinatus Dioscorus Alexandriuus Episcopus legationem ad eum ex more miserit per Possidonium presbyterum, quem secum aliquot diebus S. Leo retinuit, vt ex institutis Romanæ Ecclesiæ disceret quid emendandum esset in Ecclesia Alexandrina; cumque ab ipso ideo Pontifex quædam haud rectè in illa administrari intellexisset, redditis ad Dioscorum literis 81. quæ ea essent admonuit, & corrigenda præcepit; vnde satis colligitur Romanum Pontificem omnibus semper Ecclesijs præfuisse magistrum, cùm ita doceat Alexandrinum Episcopum, qui post Romanam primam Cathedram obtineret.

Item cùm vetus controuersia inter Episcopum Arelatensem, & Viennensem, quod ille pretenderet ius ordinandi Episcopos prouinciæ Viennensis spectare ad Episcopum Arelatensem, hoc tempore S. Leonis Papæ renata fuisset, delatusque ad ipsum Hilarius

Arelatensis, quod in Prouincia Viennensi ordinatum præsumpsisset Episcopum deponere Celidonium, rursùmque & alium in locum Episcopi Proiecti nomine nondum mortui substituere, aduersùs eum, qui haud expectata sententia, vel obtenta licentia, Roma quoad dicendam causam venerat, redierat Arelatum, Sanctus Leo ad Episcopos Galliæ Viennensis Prouinciæ epistolam dedit 89. vbi hæc de suprema Romanæ Sedis, vel Ecclesiæ auctoritate præfatur: [Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatiss. Petro, Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.] Declarata postmodum ex professo diuina institutione, de suprema, & Monarchica in Petro, & eius Successoribus Romanis Episcopis auctoritate; quam inter alia probat ex consuetudine consulendi eamdem sedem appellandi ad illam, & quod ab illa fuerint retractata, vel confirmata iudicia, hanc dignitatem diuinitus datam se tueri dicit, non sua quærens, sed quæ sunt Christi. Similia habet in sermonibus de assumptione sua præsertim in tertio, vbi docet Christum Dominum peculiarem pro conseruanda Petri firmitate solicitudinem exhibuisse; quia ex ipsius fidei stabilitate alij Apostoli firmitatem, & constantiam recepturi erant [Specialis, inquit, cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur] Quod à paritate rationis extendi debet à Romanos Pontifices supposito, quod vt fides docet, sint veri Petri successores in supremo Ecclesiæ Monarchatu, ne, si, vbi loquuntur ex cathedra errandi periculo essent obnoxij, portæque inferi aduersùs eos præualerent, cæterorum fidelium inde status periclitaretur, principis mente victa. Vnde apparet, quàm absurdè Petrus de Alliaco tractatu de Ecclesiæ auctoritate 3. par. cap. 1. asseruit [confirmationem in fide, de qua dicitur, quod Ecclesia non potest errare, iuxta illud: Petre rogaui pro te, vt non, deficiat fides tua, non esse in Papa; quia hoc non est dictum de fide personali Petri, cùm ipse errauerit] apparet enim contrarium tam ex hac Diui Leonis auctoritate, quàm ex alijs pluribus paragrapho secundo huius capitis adductis, præfatam nimirum Christi promissionem intelligendam esse de fide, non quidem personali Petri, siue vt erat persona particularis, sed vt futurus erat supremus Ecclesiæ pastor, quam proindè ex officio in fide cōfirmare debebat; qua de causa fatendum est, singulare hoc Petri, & successorum eius non errandi in fide priuilegium, vbi ex cathedra res ad eam spectantes definiunt, pertinere quidem ad Ecclesiam obiectiuè, & finaliter, quatenus non propter ipsos fuit à Christo concessum, sed propter Ecclesiam, & ad eam ordinatur ad finem, id est, ad eius ædificationem, subiectiuè autem, ac directiuè fuit in Petro, & ab eo vnà cum primatu transijt ad Romanos Pontificis eius successores; quo sensu verum est, quod hoc priuilegium, & similia nedum vni, sed vnitati collata passim dicuntur à Patribus, vt iam supra multoties monuimus.

In eo præterea suprema hæc resplendet auctoritas, quod Generali in vniuersa Hispania indicto à Leone Concilio aduersùs Priscillianistas, vt constat ex citata epistola 93. ad Thuribium cap. 17. Barbari etiam Reges, & Ariani tanti fecerunt mandatum eius, vt simul ac illud audiere, singuli in suis prouincijs liberam facultatem tribuerint Episcopis perahendi ad Concilium; vbi quod spectat ad fidei assertionem nihil nisi ex præscripto Leonis statutum fuit, quod enim reperitur ab eis primum superadditum fidei symbolo de Spiritu Sancto: A Patre, Filioque procedit, minimè id sua fecere auctoritate, sed ex verbis acceptis ab epistola ad eos scripta cap. 1. quæ attenta suprema Romani Pontificis auctoritate in rebus ad fidem pertinentibus, tanti ponderis fuerunt æstimata, vt mox illa tamquam sacrum diuinitus allatum oraculum à generali Episcoporum Concilio illata in Symbolum fuerint.

Anno insuper ante Chalcedonense Concilium quarto, idem S. Leo Papa è Sede deposuit Primatem totius Asiæ Bassianum Episcopum Ephesinum, eo quod vacantem illam Sedem inuasisset, atque seipsum in eam intrusisset. Testatur id Stephanus in actione vndecima Concilij Chalcedonensis, in quo etiam citatur epistola eiusdem S. Leonis Papæ ea de causa scripta, quæ licèt exciderit, sufficit tamen hoc factum insinuasse ad ostendendam supremam vndequaque Summi Pontificis Romani auctoritatem etiam in deponendis Metropolitanis, atque primatibus in leges Ecclesiasticas delinquentibus. Similiter, cùm S. Leo, nec reprimere Theodosium valuisset à cogendo in causa Eutychetis conuentu Episcoporum; neque vt in Italia ageretur persuadere potuisset; tamdem ne fidei causa dispendium aliquod pateretur, salubre illud inprimis consilium inijt, vt è latere legatos mitteret Ephesum ad Concilium, eisdemque daret litteras, non solùm ad Flauianum Episcopum Constantinopolitanum, de quibus infra; sed etiam ad ipsam Synodum, numero 15. in quibus ad nostrum intentum, quàm diligentissimè expendendum est, non sine auctoritate Romanorum Pontificum Imperatores consueuisse, aut legitimè potuisse indicere Synodos. Quantumlibet enim ipso ægrè ferente S. Leone, Theodosius instituisset cogendum Ephesinum conuentum, cui nec cuperet ipsum per suos interesse legatos: haud tamen id ausus est prosequi, neque perficere absque ipsius Romani Pontificis auctoritate, prout declarant verba in præfatæ epistolæ exordio collocata: [Hanc reuerentiam diuinis detulit institutis, vt ad Sanctæ dispositionis effectum auctoritatem Apostolicæ Sedis adhiberet, tamquam ab ipsa Petra cuperet declarari, quod in eius confessione laudatum sit, &c.] Ex eadem insuper ad Synodum epistola considerandum præscribere legem Romanum Pontificem Oecumenicæ Synodo, quid

quid decernendum sit, cum iubet Eutychetem debere suam hæresim abiurare, atque ita de eius restitutione tractandum; nec minimi adhuc negotij opus illud, vt de restitutione hæresiarchæ tractari posset, quod à Romano Pontifice Synodo indulgetur: nam auctores hæresum non recipiendos esse ad pristinum gradum, etiam si mille offerant libellos pœnitentiæ, legibus Ecclesiasticis sancitum, & in Ecclesia iugiter obseruatum Ecclesiasticæ testantur historiæ. Sed Leo id pro plenitudine auctoritatis Pontificiæ Eutycheti præstandum esse voluit, quod libellum miserat Romam, quo pollicebatur, si quid errasset, se se ex ipsius Romani Pontificis arbitrio correcturum; vt ipse tradit Leo epist. 12. ad Theodosium, & 13. ad Pulcheriam. Tamdem in hoc Concilio malè cœpto, sed infeliciùs absoluto, cùm omnes æquè Episcopi, & Eutychetis impietati, & eius restitutioni, nec non abrogationi Flauiani Episcopi Constantinopolitani, & Eusebij Episcopi Dorilæi, & aliorum suffragati essent, in tali, ac tàm horrendo Episcoporum Naufragio nauicula tantùm Petri saluata est emergens incolumis, soli, inquam. Apostolicæ Sedis legati Dioscoro Alexandrino Episcopo audacissimo in faciem restitere contestantes, nullius esse roboris, quæ per vim, & metum extorquerentur; etsi enim eiusmodi protestationis legatorum memoria desideretur in actis, quæ Dioscorus per suos notarios ad libitum confici voluit, est tamen de his expressa mentio in pluribus literis Leonis datis tùm ad Theodosium Imperatorem, tùm etiam ad Augustam Pulcheriam 25. & 26. Indeque meritò illud eiusmodi Synodus egregium nomen fuit consecuta, vt non Sacrosanctum Oecumenicum Concilium diceretur, sed Synodus prædatoria, vel latrocinium Ephesinum; præsertim vbi eam à Leone Romæ coacto Concilio condemnatam fuisse rescitum est; quòd etiam inter præcipua supremæ auctoritatis Pontificiæ argumenta reponi debet; iuxtà quam idem Leo acriter redarguit Anatolium Episcopum Constantinopolitanum epist. 53. decretumque eo instigante in Synodo Chalcedonensi clanculò factum de primatu Sedis Constantinopolitanæ Ecclesiæ, cessare se penitùs, & irritum facere testatur epist. 55. ad Pulcheriam Augustam his verbis ad finem: [Consensiones verò Episcoporum, & Sanctorum canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem Beati Petri Apostoli generali prorsùs definitione cassamus;] hæc S. Leo, magnis resistens animis, infringensque quicquid Anatolius tanto conatu per Synodum de primatu Constantinopolitanæ Sedis perficere nisus erat: planè docens super arenam erigere molem, qui absque Apostolicæ Sedis, in qua est firma petra, consensu, ædificium construit; Summorumque Pontificum, pro suprema, & infallibili eorum auctoritate munus esse, tàm confirmandi, ac defendendi sacra Concilia vbi sunt legitima, vt idem S. Pontifex Leo respectu Synodi Chalcedonensis præstitit, quàm eadem cassandi, & infringendi, vbi contra fidei regulas, quarum sunt custodes integerrimi, celebrata fuisse deprehendunt: de quo potissimum videnda est eius epistola 78. ad Leonem Imperatorem, qua omnes tamquàm Ecclesiastica regula erudiri debent, post sacrosancta Patrum in Spiritu Sancto legitimè simul congregatorum definitiones, non esse hæreticorum, aut aliorum petulantiæ, atque garrulitati vllatenùs assentiendum, vt rursum de iisdem agatur, atque Catholicæ veritatis amplitudo iterum subijciatur arbitrio iudicantium.

Hilarius simul, ac post obitum S. Leonis in Romanæ Ecclesiæ Apostolica Sede consedit; [Fecit decretalem, & per Vniuersum Orientem sparsit epistolam de fide Catholica, confirmans tres Synodos, Nicænam, Ephesinam, & Chalcedonensem, & tomum Sancti Archiepiscopi Leonis; & damnauit Eutychetem, & Nestorium, & omnes eorum sequaces, & omnes hæreticos, confirmans dominationem, & principatum sanctæ Sedis Catholicę, & Apostolicæ:] ex libro Pontificali, & Mariano Scoto in Chronico. Item in epist. 3. ad Ascanium Episcopum: [Diuinæ circa nos gratiæ memores esse debemus, qui nos per dignationis suæ misericordiam ob hoc ad fastigium Sacerdotale prouenit, vt mandatis ipsius inhærentes, & in quadam Sacerdotij eius specula constituti, prohibeamus illicita, & sequenda doceamus.

Simplicius in epistola 3. ad Zenonem Imperatorem, quem filium vocat, & ad fidem tuendam excitat, missa ad eum S. Leonis epistola, ait; [Perstat enim in successoribus suis, id est Petri, hæc & eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ouilis iniunxit, cui se vsque ad finem sæculi minimè defuturum, cui portas inferi numquam præualituras esse promisit; cuius sententiæ, quæ ligarentur in terris, solui testatus est non posse, nec in cœlo.] In epistola autem 5. ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum, qua eum rogat, vt omni conatu obsistat Timotheo Alexandrino Episcopo agenti apud Imperatorem Zenonem, pro nouo rursùs Oecumenico Concilio cogendo, hæc habet verba paulò post principium; [Vndè quia sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum extante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis rectè sapere videtur, nouis assertionibus non indiget edoceri:] Quod posteà subiungit, [Synodum non aliàs semper indictam esse, nisi cùm aliquid in prauis sensibus nouum, aut in assertione dogmatum emersit ambiguum, vt in commune tractantibus, si quæ esset obscuritas, Sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas;] ad hoc nihil præiudicat infallibilitati Pontificiæ seorsim à Concilio in tradenda fidei doctrina, aliàs malè dixisset, contra eam nefas esse disputare; sed tantùm ostendit, ea extante, plurimum adhuc suo tempore Concilia valere, vt adhibita plurium consultatione, pro rei grauitate, quæ sunt obscura, & ambigua meliùs dilucidentur, maturiùsque statuatur, vel definiatur, quòd conuenit. Vnde cùm asserimus supremam Romani Pontificis in dijudicandis fidei quæstionibus auctoritatem, seorsim à Concilijs generalibus, non propterea negamus summam eorum vtilitatem, & interdum etiam necessitatem attentis rerum, & temporum circumstantijs, vt sectio-

ne sequenti fusius aperietur. Ad eamdem auctoritatem spectat, quod idem Simplicius ita ab Imperatore Zenone rogatus dispensauerit in quodam canone Concilij Nicæni, vt qui à totius Syriæ Episcopis ordinari soleret Antiochenus Antistes, fuerit ab Acacio Constantinopolitano Episcopo ordinatus Stephanus iunior epistola 13. ad eumdem Zenonem. Eòque magis talem auctoritatem, siue Petri Cathedram, haud super humanam inniti potentiam, sed supra firmam petram, super quam fundauit eam Altissimus, cum Cardinali Baronio tom. 6. ad annum Domini 483. affirmandum est; quò deploratissimis hisce temporibus notat Simplicium, perindè ac in summa pace, otio, & tranquillitate fuisset, insedisse Cathedræ Petri, vniuersi orbis Ecclesijs Occidentalibus, & Orientalibus sancisse leges, cognouisse causas, definiisse sententias, illos exauctorasse, hos promouisse, illosque in sedes Episcopales restituisse, releuasse oppressos, fastu elatos deiecisse, coercuisse Imperatores, obstitisse omnibus barbaris victoribus Regibus, insuper ab Oriente, & Occidente suscepisse legationes, in omnibus denique arbitrum ipsis, atque iudicem consedisse; & vbi corpore non posset præsens assistere, legationum auctoritate, ac per vicarias præfecturas tùm Occiduo, tùm etiam Orientali semper orbi præstò fuisse, præfuisseque cunctis Ecclesijs.

Felix Papa III. hanc eamdem confirmat veritatem, tàm ex modo scribendi, quo vtitur in literis ad Zenonem Imperatorem, & ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum datis, quàm ex eo, quod creatus Pontifex pro sua suprema in rebus fidei, & religionis auctoritate confestim reiecit Zenonis Henoticum; susceptoque Ioannis Alexandrini appellationis, ac querelarum libello, Romæ Concilium quadraginta duorum Episcoporum coegit, vnde literas per legatos misit Constantinopolim ad Zenonem Imperatorem fortissimas ad redarguendum, & efficacissimas ad persuadendum, de proditione Catholicæ fidei in Oriente, aliasque ad Acacium de non defensa fide, deque ipsius conniuentia cùm hæreticis; addiditque libellum ad eumdem Acacium, instar citationis, vt responderet oblatis aduersùs ipsum in Apostolicæ Sedis iudicio, ab eodem Ioanne Alexandrino obiectionibus; aliumque item ad Imperatorem, vt cogeret ipsum Acacium Romam properare, & cùm accusatore experiri iudicium. Damnatus prætereà fuit in eadē Synodo Petrus Fullo, isque dictus Chnapheus, intrusus in sedem Antiochenam post eiectum Calendionem. Adeò vt, si vnquam, tunc maximè apparuerit suprema Romanæ Sedis auctoritas, ad quam venit Alexandrinus Patriarcha actor, à qua citatus est Constantinopolitanus, & Antiochenus sententiam damnationis ob hæresim accepit, sicut & posteà Constantinopolitanus in altera tamen Synodo, cùm fraternas omnes despexisset monitiones. In præfata autem Felicis Papæ sententia de damnatione Petri Fullonis, hæc valdè notanda ad nostrum intentum habentur verba tomo 2. Concil. & tomo 1. epistol. Decretal. Summorum Pontificum: [Nunc igitur sum exorsus aduersùs te proferre sententiam, magis autem Princeps Apostolorum Petrus, qui inter Sanctorum Apostolorum præconia præco veridicus est;] adeò verum est eamdem esse Petri, & successorum eius in rebus fidei veridicam, hoc est errandi periculo nullatenùs obnoxiam auctoritatem. In sententia autem Acacij ait; [Sublatum tibi nomen, & munus ministerij Sacerdotalis agnosce, Sancti Spiritus iudicio, & Apostolica auctoritate damnatus, numquamque anathematis vinculis exuendus.] Cui auctoritati nihil obest, quòd illi modestia iuncta scribens epistola 6. vniuersis Episcopis per diuersas Prouincias constitutis in fine hæc habeat: [His itaque ritè dispositis, & ad Ecclesiarum vestrarum notitiam nostra deliberatione perlatis, parere vos conuenit. Quibus licèt ad animarum reparationem nihil deesse videatur: tametsi cui noui aliquid, quod præterire nos potuit, fuerit reuelatum; secundùm beatum Apostolum Paulum, tacente priore, fideliter insinuet: quia Spiritus Sanctus vbi vult spirat, maximè cum sua causa tractatur, nec nos pigebit audire, & si quæ sunt omissa, non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare:] Ita enim ab alijs, si quid fuerit ipsis reuelatum, se paratum audire declarat, vt tamen illud examinare, & ordinare sibi reseruatum ostendat; quod est apertum infallibilitatis Pontificię argumentum, quodque ad eum finalis rerum fidei, & religionis sententia pertineat.

Gelasius quoque non minori vsus modestia cum Euphemio Constantinopolitano Episcopo, attamen in epistola ad illum rescripta supremam Romani Pontificis auctoritatem, ac in rebus fidei infallibilem profitetur his inter alia verbis: [Ait denique dilectio tua, nos diuinæ prouidentiæ gratiam, quod ille monstrauerit, Sanctarum Ecclesiarum non deserere charitatem: quia me in Pontificali sede locauerit non indigentem (sicut ait) doceri, sed intendentem omnia necessaria ad ecclesiastici corporis vnitatem. Ego quidem sum omnium hominum minimus, satis immeritus ad tantæ Sedis officium, nisi quod superna gratia semper operatur magna de paruis. Quid enim de me sentiam, cum hoc ipse de se Magister Gentium testetur, qui se vltimum, & non vocari dignum Apostolum profitetur? Verumtamen vt ad dilectionis tuæ verba redeamus, si veraciter executus es, hæc diuinitus mihi fuisse collata, quæ & profectò quæcumque sunt bona, dona sunt Dei: sequere ergò hortamenta non indigentis doceri, & secundùm supernam dispositionem vniuersa, cunctaque inspicientis, quæ ad Ecclesiarum pertinent vnitatem, & aduersùs diabolum conturbatorem veræ pacis, atque compagis, vt asseris, resistentem. Si ergò de me ista pronuntias, aut sectanda tibi sunt, quæ à Christo, vt perhibes, constituta sunt: aut palàm te, quod absit, Christi dispositionibus obuiare depromis, aut ad venam luxuriæ de me cognosceris ista iactare.] Similia habet idem Pontifex in epistola ad Laurentium, & alios Episcopos Macedoniæ: [In prolixitate epistolæ dilectionis tuæ magno nos gaudio replesti in ea parte, in qua dictum est, quod in Thessalonicensi Ecclesia, vel in alijs similiter recitata epistola prædecesso-

cesso-

cessoris nostri de excessibus Acacij, cuncti ei anathema dixerint, nec quisquam communioni prævaricatoris se se miscuerit. Vndè quia nos admones dilectione fraterna, vt velut medicinam quamdam fidei Episcopis per Illyricum, vel alijs ministrare debeamus: quamquàm hoc copiosissimè factum sit à beatæ recordationis prædecessore nostro: vt quia mos est Romanę Ecclesiæ Sacerdoti nouiter constituto formam fidei suæ ad Sanctas Ecclesias prærogare: hæc eadem compendiosa nimis breuitate studui renouare, vt sub qua fide viuendum sit, secundùm statuta Patrum, per hanc nostram epistolam propter breuitatem sine fastidio lector agnoscat.]

Item in commonitorio ad Faustum Magistrum fungentem nomine Theodorici Regis legationis officio ad Anastasium Imperatorē Constantinopoli, inter alia hæc tradit aduersùs Orientalium vanas querelas: [Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur: contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primæ sedi sana, rectaque suadenti parere fugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius Sedis examen voluere deferri: ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere, sanxerunt: Ac per hoc illam de tota Ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium: Nec de eius vmquàm præceperunt iudicio iudicari, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potiùs decreta sequenda mandarunt:] Deinde in fine: [Non est mirum si isti sedem beati Petri Apostoli blasphemare præsumunt, qui talia portenta vel corde gerunt, vel ore diffundunt, & nos inter superbos esse pronuntiant: cùm eis prima sedes, quicquid est pietatis, non resistat offerre, illi eam ipso proteruo spiritu subiugare se posse confidant; sed captos mente facere ista, non mirum est: sic phrenetici solent medicantes quosque, vel vt hostes putare, vel cædere. Quæro tamen ab his: iudicium quod prætendunt, vbinam possit agitari: an apud ipsos, vt ijdem sint inimici, & testes, & iudices? Sed tali iudicio nec humana debent committi negotia, nedùm diuinæ legis integritas. Si quantùm ad religionem pertinet: nonnisi Apostolicæ Sedi iuxta canones debetur summa iudicij totius: si quantùm ad seculi potestatem; illa à Pontificibus, & præcipuè à beati Petri Vicario, debet cognoscere, quæ diuina sunt, non ipsa eadem iudicare: Nec sibi hoc quisquam potentissimus seculi (qui tamen Christianus est) vendicare præsumitis, nisi religionem forsitan persequens. Quid tamen dicerent, si non chartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi seruent, nisi resipiscant potiùs, cogitantes Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni beati Petri Apostoli inferni portas nunquā præualituras asseruit. Quapropter non veremur, nè Apostolica sententia resoluatur, quam, & vox Christi, & maiorum traditio, & canonum fulcit auctoritas, vt totam potiùs Ecclesiam semper ipsa dijudicet. Sed cogitent magis (si quis in eis religionis est sensus) ne prauitatem suam nullatenus deponentes, apud Deum, hominesque Sedis Apostolicæ perpetua constitutione damnentur.] Eadem ferè docet in epistola ad Anastasium Augustinum omnino videnda; nec non ad Honorium in Dalmatia Episcopum aduersùs Pelagianos ibi iterum pullulantes; [Licèt, inquit, inter varias temporum difficultates continuis occupationibus implicati vix respirare valeamus; pro Sedis tamen Apostolicæ moderamine totius ouilis Dominici curam sine cessatione tractantes, quæ beato Petro Saluatoris nostri voce delegata est: Et tu conuersus confirma fratres tuos; & item: Petre amas me? pasce oues meas: dissimulare nec possumus, nec debemus, quæ nostram sollicitudinem forma perstringat, &c.]

In vtraque etiam epistola ad Dardaniæ Episcopos, secunda potissimùm hæc habet: [Non reticemus autem, quod cuncta per mundum nouit Ecclesia: quoniam quorumlibet sententijs ligata, Sedes Beati Petri Apostoli ius habet resoluendi; vtpotè quod de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus,] & paulò post, [Sed nec præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, vt dictum est, more maiorum, etiam sine vlla Synodo præcedente, & absoluendi, quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominùs Ioannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnarat: quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itemque sanctæ memoriæ Flauianum Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam sola Sedes Apostolica non consensit, absoluit; potiùsque qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ Sedis Præsulem sua auctoritate damnauit, & impiam Synodum non consentiendo submouit, ac pro veritate, vt Synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit, in qua Pontificibus innumeris qui latrocinio corruerant Ephesino veniam poscentibus sola concessit, & in sua perfidia permanentes nihilominus sua auctoritate prostrauit, quam congregatio, quæ illic pro veritate reparanda collecta fuerat, est secuta. Quoniam sicut id, quod prima Sedes non probauerat, constare non potuit; sic quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit, &c.] Hæc atque alia similia Gelasius ibi pro instituti nostri ratione, sed præ omnibus ad illud facit decretum ab ipso editum in Ecclesia Catholica perpetuò retinendum, in quo reiectis pluribus libris tamquàm spurijs, declarat eos qui pro canonicis habendi, siue qui in sacrę Scripturæ canonem recipiendi sunt, qua in re præstanda infallibilitatem requiri manifestum esse videtur. Anastasius Papa II. Gloriosissimo, & clementissimo filio Anastasio Augusto: [Sedes beati Petri in vniuersali Ecclesia assignatum sibi à Domino tenet principatum.]

Summorum Pontificum auctoritatibus pro suo non errandi in rebus fidei decernendis priuilegio, accedunt Concilia tùm Generalia,

ralia, tùm particularia hoc eodem quinto seculo celebrata plena clarissimis huiusce veritatis testimonijs; potissima sunt sequentia. In Concilio Toletano I. sub finem assertionis fidei: [Si quis in errore Priscilliani sectam sequitur, vel profitetur, vt aliud in salubri Baptismo contra Sedem sancti Petri faciat, anathema sit.] In Concilio Carthaginensi 3. cap. 47. post decretum de scripturis Canonicis ibi enumeratis; mox subijcitur pro earum confirmatione consulendam esse Ecclesiam transmarinam, hoc est Romanum Pontificem tunc in ea sedentem; [Hoc etiam fratri, & consacerdoti nostro Bonifacio, vel alijs earum partium Episcopis, pro confirmando isto canone, innotescat, quia à Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.] Item in epistola Concilij Carthaginensis ad Sanctum Innocentium Papam pro condemnatione hæresis Pelagianæ hęc habetur: [Hoc itaque gestum, Domine frater, sanctæ charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis, etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam etiam peruersitate corrigenda.] Et infra post multa ex Scripturis contra dictam hæresim allata; [Veremur, inquiunt, ne apud te ipsa ista commemorando, qui maiore gratia de Apostolica Sede prædicas, inconuenienter facere videamur;] in fine tandem concludunt, [Quæcumque autem alia eis obijciuntur, non dubium, venerationem tuam, cùm gesta episcopalia perspexerit, quæ in Oriente in eadem causa confecta dicuntur, id iudicaturam, vndè omnes in Dei misericordia gaudeamus.] Quibus respondens Innocentius pro supremo, atque adeo infallibili Sedis Apostolicæ iudicio ait; [Inquirendo de his rebus, quas omni cum sollicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, iustoque, & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla seruantes, & ecclesiasticæ memores disciplinę, nostræ religionis vigorem non minùs nunc in consulendo, quàm anteà cum pronuntiaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes quid Apostolicæ Sedi (cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus, & tota auctoritas nominis eius emersit. Quem sequentes, tam mala iam damnare nouimus, quàm probare laudanda: vel id verò, quod patrum instituta Sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda: quod illi non humana, sed diuina decreuere sententia: vt quicquid, quamuis de disiunctis, remotisque prouincijs ageretur, non priùs ducerent finiendum, nisi ad huius Seids perueuerit, vt tota huius auctoritate (iusta quę fuerit) pronuntiatio firmaretur: idque sumerent, cæteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte aquę cunctę procederent, per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorruptę manarent) quid percipere, quos abluere, quos veluti in cæno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus vnda vitaret.]

Mileuitanum quoque Concilium Carthaginensem imitatum Ecclesiam in eadem hæresis Pelagianæ causa ad eumdem Innocentium hęc scribit: [Quia te Dominus gratiæ suo pręcipuo munere in Sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus pręstitit, vt nobis potiùs ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem quę pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quàm ea tu possis vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus, adhibere digneris.] Deinde in fine epistolę. [Arbitramur (adiuuante misericordia Domini Dei nostri Iesu Christi, qui te, & regere consulentem, & orantem exaudire dignetur) auctoritati Sanctitatis, tuæ, ex claro Scripturarum lumine deprompta, faciliùs eos (qui tam peruersa, & perniciosa sentiunt) esse cessuros, vt de correctione potiùs eorum gratulemur, quàm contristemur interitu, Domine beatissime.] Quibus pariter rescribens idem Innocentius hęc ad pręsens, nostrum institutum habet: [Diligenter ergo, & congruè apostolici consulitis honoris arcana, alijs legunt arcam; honoris inquam, illius, quem pręter illa quę sunt extrinsecùs, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia: antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper orbe mecum nostis esse seruatam. Verùm hæc missa facio. Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes quod per omnes Prouincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent. Præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est, sui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse.] Deinde pluribus in hæresis Pelagianæ detestationem adductis concludit: [Quare Pelagium Celestiumque, id est, inuentores vocum nouarum, quæ, sicut dixit Apostolus, ædificationis nihilum, sed magis vanissimas consueuerunt parere quæstiones: Ecclesiastica communione priuari, Apostolici vigoris auctoritate censemus, donec resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur secundùm ipsius voluntatem: eosque interim Dominico ouili non recipi, quoad ipsi peruersæ viæ quem secuti sunt tramitem deserere voluerint.] En quomodo nullo interueniente Concilio Generali, nec illud præfatis Africæ Synodis petentibus, sed solùm ad Romani Pontificis auctoritatem recurrentibus, primùm ab eo non interlocutoriè, sed absolutè Pelagiani condemnati fuere pro hæreticis, talesque deinceps per vniuersam Ecclesiam habiti. De quo vide etiam Baronium tom. 5. ad annum Domini 416. Innocentij 15.

In Concilio Ephesino I. Oecumenico Summi Pontificis auctoritate contra Nestorium, ad Theodosij Imperatoris instantiam congregato; primùm lecta est eiusdem Summi Pontificis epistola de damnatione Nestorij, insuper, & epistola è Concilio Alexandrino, aliaque Cyrilli ad ipsum Nestorium tùm data de eius damnatione, nisi literis pareat Cælestini; nondum in illa actione præsentibus legatis Apostolicis Arcadio, & Proiecto Episcopis, atque Philippo sanctæ Romanæ

manæ Ecclesiæ Presbytero; satis enim Synodo visum fuerat, rem aggredi, quod loco ipsorum Cyrillus adesset, (interim dum venirent) qui ex Cælestini Papæ decreto vicem gerebat Romani Pontificis. Verùm post eorumdem aduentum, lectasque literas à præfato Pontifice ad Synodum datas, quæ omnium sententia Catholicæ prædicatæ, & acclamationibus faustis acceptæ sunt, Actione 4. Firmus Episcopus Cæsareæ Cappadociæ de his quæ hactenus acta essent in Synodo, quomodo videlicet ex præscripto literarum Cælestini Papæ ad Cyrillum, & ad Nestorium, & alios, eumdem Nestorium hæreticum, & contumacem omnium sententia condemnassent eosdem legatos reddidit certiores; qui petentes sibi legi, quæ hactenus decreta fuissent, gratias egerunt Patribus, [Quod literis Cælestini sanctissimi, beatissimique Papę ipsis recitatis, sanctæ Ecclesiæ membra, sanctis suis vocibus, pijsque præconijs, sancto suo capiti se exhibuerint, &c.] deinde actione sequenti in damnationem Nestorij suum calculum adiecere, sic loquente Philippo legato: [Nulli dubium est, immò sæculis omnibus notum est, sanctum, beatissimumque Petrum Apostolorum Principem, & caput, fideique columnam, Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino Iesu Christo Saluatore nostro, humanique generis Redemptore cælestis regni claues accepisse; soluendique, atque ligandi potestate vsum fuisse; nec non per successores suos huc vsque semper viuere, causasque decernere, semperque victurum esse. Huius itaque ordinarius successor, & Vicarius sanctus, beatissimusque Papa, & Episcopus noster Cælestinus nos suos pro se quasi Vicarios ad hanc sanctam Synodum misit, &c.] Quam veritatem non solùm Catholici omnes, qui aderant summa consensione pronis auribus acceperunt: sed eamdem ipsam præclarioribus quoque præconijs confessi sunt. Demum Synodi Patres ea absoluta, nec non Theodosius Imperator, atque etiam Maximianus ipse recèns creatus Episcopus Constantinopolitanus legationem miserunt ad ipsum Cælestinum Romanum Pontificem, eidem per literas suas gratulantes de prostrata cum auctore hæresi Nestoriana, nec non tamquam supremo pastori, ac fidei iudici in hunc modum scribentes: [Sanctitatis tuæ circa pietatem, zelum, eiusdemque circa fidei sinceritatem, curam nostri omnium seruatori apprimè gratam, & placitam cum omni admiratione complectimur: est enim vobis tàm eximijs in more positum, vt in omnibus celebres sitis, studiaque vestra solida Ecclesiarum firmamenta constituatis.] Vbi certè non tantùm de persona Cælestini, sed de more ipsius Sedis loquuntur, vndè subiungunt. [Quia verò necessitas exigebat, vt omnia, quæ in hac sacra Synodo acciderunt, Sanctitati tuæ declarentur, non potuimus hisce nostris literis ad tuam Sanctitatem non perscribere:] In epistola quoque ad Imperatores inter alia referunt, Cælestinum literas misisse ad Cyrillum, vt suas in hac parte vices subiens, Romæ definita perficeret, & postea misisse Philippum Presbyterum, [qui Sanctissimi Cælestini, inquiunt, personam sustinet.]

Ex hac Synodi Ephesinæ actorum seriè clarè, vt puto colligitur, quid de primatu Summi Pontificis Romani, illique annexa auctoritate in rebus fidei senserit, quam ni infallibilem esse credidisset, non erat cur ex præscripto literarum Cælestini in condemnando Nestorio processisset, tamque anxiè confirmationem ab eo expetijsset, cum enim huiusmodi Pontificia Conciliorum approbatio, vel confirmatio, ob quam etiam, vt sectione sequenti dicemus, potissimùm spectat ad Summum Pontificem præcipere omnibus fidelibus rerum à Concilijs decretarum executionem, & obseruantiam, nihil saltem sit aliud quàm vltima declaratio, qua Summus Pontifex fidem facit, certosque reddit omnes fideles ea Oecumenica, & legitima fuisse, & cùm leges omnes seruauerint, in Spiritu sancto definiuisse, quod definierunt, antequàm declarationem fideles haud illis obedire tenebantur, secus autem post illam, satis indè patet infallibilitatem ad hoc necessariò requiri.

Hanc eamdem veritatem non minùs agnouisse Patres Concilij Chalcedonensis, eius quoque acta manifestè comprobant. Primùm, quod S. Leonis Papæ auctoritate congregatum fuerit aduersùs Eutycheten, ac Dioscorum, præsidentibus pro eo quatuor è Synodo Romana missis legatis Paschasino Episcopo Lilibæi in Sicilia, Lucentio Asculano Antistite, Bonifacio, & Basilio sanctæ Romanæ Ecclesię Presbyteris Cardinalibus; cum quibus idem sanctus Leo voluit Iulianum Coensem Episcopum, solitum in Oriente agere res Romanæ Ecclesiæ, legati etiam munere fungi. Considentibus ergo omnibus, nec non Dioscoro Alexandrino, primus pro suprema Sedis Apostolicæ dignitate legatus eius Paschasinus hæc ad sanctum Synodum ait: [Beatissimi, atque Apostolici Papæ Vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est eius Apostolatus, vt Dioscorus Alexandrinus Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiendus intromittatur; hoc ergo obseruare necesse est, &c.] provt statim factum est; ex quo, sicut ex eo, quod omnium Patrum consensu admissus fuerit in Synodum Theodoretus, cui sanctus Leo Episcopatum restituerat, satis constat eos supremam eius auctoritatem in rebus fidei, & Ecclesiæ agnouisse; nec non etiam ex eo, quod Iulianus Coensis Episcopus, agens, & ipse vices Sancti Leonis Papæ, per interpretem in Synodo locutus fuerit, homo Græcus, perfectèque callens linguam Græcam inter Græcos: id enim non aliundè accidisse certum est, nisi quod (vt etiam docet Cardinalis Baronius primo Annalium tomo) ob excellentiam Romanæ Ecclesiæ, & in supremæ auctoritatis eius argumentum, moris esset legatorum Sedis Apostolicæ, latinè semper loqui. Deinde act. 2. cum magna illa S. Leonis Papæ epistola de Verbi incarnatione ad Flauianum nouissimè scripta, publicè recitari iussa esset, eam mirificis laudibus Patres prosecuti sunt, ita acclamantes: [Hæc Patrum fides: Hæc Apostolorum fides: Omnes ita credimus: Orthodoxi ita credimus. Anathema, qui non ita credit. Petrus per Leonem ita locutus est; Apostoli ita docuerunt. Piè, & verè Leo docuit.

cuit.] Vndè quando idem sanctus Leo epistola ad Theodoretum 73. cap. 4. scribit præfatam epistolam fuisse [Vniuersalis sanctæ Synodi assensu firmatam,] apparet quàm insulsè aliqui ex talibus verbis inferant decreta Summi Pontificis confirmari ab Ecclesia, seu à Concilio, loquendo de confirmatione, & approbatione auctoritatiua, non autem de illa per humilem fidei assensum, de qua præfata Leonis verba intelligenda esse, satis ostendunt relata ipsius Concilij verba, nec non sequentia: [Hæc vera fides, loquendo de dicta epistola, Catholici ita sapimus. Hæc Patrum fides. Hæc in Epheso lecta non sunt. Hæc Dioscorus occultauit.] En quomodo ex illius epistolæ occultatione turpiter in Synodo Ephesina secunda sub Dioscoro aberratum fuisse profitentur Patres; quam etiam, quia damnauit Leo, & eius acta irrita esse voluit, idcirco negant dici posse Concilium, vt in actione 10. refertur.

At rem totam mirum in modum demonstrant, quæ non obstante contradictione inter Sedis Apostolicæ legatos, & Anatolium Constantinopolitanum Episcopum pro Constantinopolit. Ecclesiæ priuilegijs habita, tàm ipse Anatolius, quàm ipsi adhærentes Episcopi dixerunt in fauorem S. Leonis; nam in postrema allocutione eiusdem sanctæ Synodi apud Marcianum Imperatorem hæc inprimis de ipso Leone habentur: [Vnde nobis impenetrabilem in omni errore propugnatorem Deus prouidit, & Romanæ Ecclesiæ Papam ad victoriam præparauit, & doctrinis eum per omnia veritatis adstringens: vt quemadmodum Petrus, & hic affectu feruentiore decertans, omnem ad Deum sensum, & intelligentiam perducat:] Tùm denique quod nouissimo loco Synodalem epistolam scripserint ad sanctum Leonem de cunctis rebus in Synodo pertractatis, petentes ab eo cuncta rata haberi, atque firmari; nec non, vt Constantinopolitana Ecclesia primum post Romanam locum obtineret. [Qui enim, inquiunt, locum vestræ Sanctitatis obtinent Sanctissimi Episcopi Paschasinus, & Lucentius, & qui cum eis est reuerendissimus presbyter Bonifacius ijs constitutis vehementer resistere tentauerunt: proculdubio à vestra prouidentia inchoari hoc bonum volentes, vt sicut fidei, sic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus;] En quomodo sexcenti Patres sacrosancti Concilij Chalcedonensis cognoscentes in Romano Pontifice summum auctoritatis Ecclesiasticæ culmen effulgere, cui sicut rerum fidei confirmatio, sic & summorum in Ecclesia graduum distributio spectat, putauerunt esse infirma, nec posse subsistere, quæ in duobus Oecumenicis Concilijs esse decreta dicebant, nempe Constantinopolitano, & Chalcedonensi, pro primo Constantinopolitanę Ecclesię post Romanam loco, nisi accederet ipsius Romani Pontificis approbatio. Sanctus autem Leo pro eadem suprema sua auctoritate, ita decreta fidei confirmauit, vt tamen illud de præeminentia Patriarchæ Constantinopolitani nullatenus admittere voluerit; quemadmodum constat ex epistolis eius ad Anatolium, nec non ad Marcianum, & Pulcheriam Augustos; ac demum ad eamdem Synodum Chalcedonensem, non quod adhuc Synodus Chalcedone perduraret, sed ad Episcopos omnes, qui ad ipsum Concilium conuenerant.

Sancta autem Synodus Romana sub Felice Papa anno 2. in epistola ad Presbyteros, & Archimandritas Orthodoxos Constantinopoli, & Bythiniæ consistentes, hæc habet: [Quotiens intra Italiam propter Ecclesiasticas causas, præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, consuetudo retinetur, vt successor præsulum Sedis Apostolicæ ex persona cunctorum totius Italiæ Sacerdotum, iuxta sollicitudinem sibi Ecclesiarum omnium competentem cuncta constituat, qui caput est omnium, Domino ad beatum Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Quam vocem sequentes trecenti decem, & octo Sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt.

In hoc pariter seculo plures vbique non defuere Patres, testes, & assertores huius supremæ, ac infallibilis auctoritatis Pontificiæ in rebus fidei, & religionis; primo loco sint duo præclarissima tunc Ecclesiæ Gallicanæ lumina Victricius Rhotomagensis, & Exuperius Tholosanus Episcopi, qui ambo, cùm in his, quæ ad fidei doctrinam, & Ecclesiasticam disciplinam pertinent, ab Innocentio Papa, vt patet ex ipsius ad eos epistolis, normam tenendam sollicitè petierint, satis ostenderunt, nec non alij Sancti eiusdem Ecclesiæ Episcopi, eorum imitatores, ad Sedis Apostolicæ doctrinam, tamquam ad Diuinum semper in Petro loquens oraculum confugiendum esse, illudque firmum, ac solidum existimandum, quod tantæ Sedis auctoritate semel fuerit comprobatum.

Eumdem in Diuo Ioanne Chrysostomo sensum fuisse testantur tùm eius appellatio, tùm etiam literæ ad Summum Pontificem Romanum Innocentium I. cùm enim nullam spem reliquam esse cognosceret, vt in Oriente meliori statu res collocarentur, sed certò intelligeret omnia in deteriùs prolapsura, haud diutiùs dissimulandum ratus, ad vnicum sibi relictum confugium conuolat, nimirum ad Romanum Pontificem, quem sciret omnibus esse Prælatum, ac pro suprema sua auctoritate perperam facta Pontificum posse corrigere. Sic igitur datis ad Innocentium literis inter alia hæc habet: [Ne igitur immanis ista confusio cuncta percurrat, & vbique dominetur: Scribite, precor, & auctoritate vestra decernite huiusmodi iniqua gesta, nobis absentibus, & iudicium non declinantibus, nullius esse roboris, sicut per suam naturam sunt profectò, & irrita, & nulla. Porrò qui talia gessere, eos Ecclesiæ censuræ subijcite: nos autem insontes, neque conuictos, neque deprehensos, neque vllius criminis reos comprobatos, Ecclesijs nostris iubete restitui.] Item cùm tertium in exilio Arabissi annum ageret, mittens Romam Ioannem Presbyterum, & Paulum Diaconum, ad eumdem Innocentium Romanum Pontificem vltimas literas dedit, quibus imprimis pro sedulo, & indefesso in sua causa exhibito studio ingentes gratias reddit: indè verò pro perse-

persecutoribus rogat, suadens mitiùs agere aduersùs canonum proculcatores, ne eos excommunicet, ob periculum vniuersalis in vniuerso orbe conflandi schismatis, sed vt expectet, orat, si fortè resipiscant. Nihilominus vt Innocentius Atticum Chrysostomi loco suffectum supersedere primum iussit; & Proclum Cizici Episcopum, Constantinopolitanam Ecclesiam tantisper pascere, donec causa perpenderetur; ita Arcadium Orientis Imperatorem, Eudoxiamque Imperatricem, quos relegationis tanti Doctoris reos comperit, à communione Ecclesiæ, & sacrorum submouit, ac pœnitentes postmodùm absoluit.

Quàm benè etiam Diuus Augustinus de suprema, & infallibili Romani Pontificis auctoritate in rebus fidei senserit, primùm colligitur ex hoc, quod cùm Bonifacius Papa Alypij Episcopi Tagastensis, qui Romam venerat, occasione vsus, per eumdem misisset in Africam Iuliani Pelagiani epistolas ad illum, vt contrarijs eas scriptis confutaret, quod ipse nauiter impleuit, scribens aduersùs eas libros quatuor disertissimos, eosdem ad ipsum Bonifacium Romam direxerit, vt eius auctoritate probarentur, lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 1. vbi de Romanæ Ecclesiæ Pontifice loquens, cùm commune esse dicat omnibus illis qui præsunt, benè fungi Episcopatus officio, ipsum tamen præeminentem celsiori fastigio speculę pastoralis pro omnibus inuigilare affirmat, & paulò post subiungit; [Hæc ergo, quæ istis, vt dixi, duabus epistolis illorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimùm dirigere sanctitatem, non tam discenda, quàm examinanda, & vbi forsitan aliquid displicuerit, emendanda, constitui. Indicauit enim mihi frater meus, Alypius videlicet, quod eas illi dare ipse dignatus es; quæ in tuas manus, nisi vigilantissima fratrum nostrorum, filiorum tuorum, venire non possent.] Deindè lib. 4. cap. 12. de Pelagianorum conatu, vt Synodus Oecumenica cogeretur, hæc addit: [Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit aduersùs Deum, vt non in illo velit, sed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniam Domino eis resistente, peruertere nequeunt, saltem commouere conantur. Cùm potiùs vigilantia, & diligentia pastorali post factum illis competens, sufficiensque iudicium, vbicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, siue vt sanentur, atque mutentur, siue vt ab aliorum salute, atque integritate vitentur.] Vbi per factum competens, sufficiensque iudicium in causa Pelagianorum, à Diuo Augustino intelligi iudicium Sedis Apostolicæ, vel eius auctoritate firmatum, & approbatum, clarè demonstrant testimonia, tam ex ipso, quàm ex alijs Patribus statim adducenda; quod ni seorsim à Concilio generali Diuus Augustinus infallibile credidisset, non esset cur illud competens, sufficiensque vocasset ad condemnationem Pelagianorum; nec non ad arguendum eos superbiæ, quod generale Concilium in sua congregari causa expetijssent. Quamuis haud multos post annos congregatum fuerit Concilium Oecumenicum Ephesinum in causa Nestorij, in quo pariter constat Pelagianos fuisse damnatos.

Igitur, præter allata iàm superiùs duorum Conciliorum Carthaginensis, ac Mileuitani testimonia, quibus, vt vidimus, Summi Pontificis Romani auctoritati, tamquam competenti, & sufficienti, atque adeò infallibili iudicio tribuitur hæresis Pelagianæ condemnatio, hoc idem pluribus in locis tradit Diuus Augustinus, nàm epist. 90. Innocentium obnixè rogat Apostolicæ Sedis auctoritatem, Concilij Carthaginensis, & mediocritatis suæ decretis contra Pelagium, & Celestium adhibere; eumdem sanctum Innocentium Papam de Synodi Diospolitanæ in Palæstina gestis iudicasse, quibus se Pelagius absolutum falsò gloriabatur, refert, & probat lib. de peccato originali cap. 8. vtriusque Concilij Carthaginensis, & Mileuitani relationes, ad Apostolicæ Sedis Antistitem missas, simùlque ab eodem responsiones ad Afros directas, agnoscit, probatque idem Augustinus epist. 92. & 106. lib. 1. contra Iulianum Pelag. & lib. 2. contra Pelagium, & Celestium cap. 7. Nec non sermone de verb. Apostol. [Iàm, inquit, de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, indè etiam rescripta venerunt, causa finita est, vtinam finiatur aliquando error.]

Item sanctum Stephanum Papam contra Anabaptismum ætate Cypriani in Africa vsurpatum scripsisse, & præcepisse confirmat lib. 5. de Baptismo cap. 23. Cæcilianum autem Episc. Carthagin. contemnere potuisse conspirantem multitudinem inimicorum Donatistarum ait epist. 162. [Cùm se Romanæ Ecclesiæ, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedrę principatus, per communicatorias literas videret esse coniunctum.] Quæ omnia, & similia Diui Augustini loca satis ostendunt cùm supremam, atque adeò infallibilem Romani Pontificis auctoritatem agnouisse in rebus fidei, & Religionis seorsim à Concilijs generalibus: itaut, si quandoque ea celebrari necessum fuerit, id non contigerit ob defectum Pontificiæ infallibilitatis in definiendis rebus fidei, vel vt eiusmodi definitionibus maior accederet firmitas, sed ob varios alios fines, de quibus fusiùs in sectione sequenti. Dixi vbi res fidei semel à Summo Pontifice fuissent definitæ, necesse non esse in hunc finem Concilia generalia congregari, aut ad illa à Summo Pontifice appellari; quia si sermo esset de rebus, aut quæstionibus meri facti, in quibus omnes admittunt errorem in Pontificem defectu debitæ informationis cadere posse, posset eiusdem Pontificis auctoritate Concilium celebrari, & huiusmodi quæstiones denuò recognosci, & iudicari, non quod in illis tale Concilium, præ Summo Pontifice, seorsimque ab illo, gauderet maiori priuilegio infallibilitatis, sed ad maiorem partium satisfactionem, vel quia in præfatis materijs plùs vident oculi, quàm oculus, vel ob alias rationes, quæ non currunt in rebus, aut materijs fidei, vbi Summus Pontifex, non ex humana informatione præcisè, vt in rebus meri facti contingit, sed insuper ex speciali assistentia Spiritus sancti infallibiliter

ter iudicare, & definite dicitur.

Et hoc modo ad summum intelligendus est Diuus Augustinus in epistola ad Glorium, & Eleusium, vbi de iudicio Melchiadis Papæ, quo Cæcilianus Carthaginensis absolutus fuerat, & condemnati Donatistæ accusantes eum, sæuiente Diocletiano, sacros libros prodidisse, sicque à dignitate Episcopali excidisse, quod ad metam facti controuersiam pertinebat, inter cætera ait: [Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos Iudices fuisse, restabat adhùc plenarium vniuersalis Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis Iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.] Quibus etiam verbis cùm Augustinus noluerit à plenario Concilio eumdem Melchiadem, seu ipsos Iudices, qui iàm Romæ de causa Cæciliani iudicauerant excludere, manifestè constat, vbi à iudicio Pontificis in huiusmodi causis ad Concilij tribunal prouocaretur, Concilium seorsim ab ipso Pontifice, qui iàm de re ipsa sententiam tulisset, sumendum non esse, vt perperam docent aliqui, sed vt in eo, vel per se, vel per Legatos præesset; aliàs sicut Concilium tunc legitimum non esset, sic etiam eo solo nomine illegitima esset, nulloque pacto admittenda appellatio; immò cùm tunc tribunal Concilij à tribunali Pontificis propriè non distingueretur, non tam esset appellatio, quàm appellantem velle fraudem ex priori iudicio factam retegere, & declarare, sicque emendationem prioris iudicij procurare; ad quod nulla cùm sit necessitas, vt ad Concilium recurratur, sed talem fraudem ipsimet Pontifici Iudici aperire sufficeret; indè quoque apparet, quod sicut in mera Summorum Pontificum libertate positum est eiusmodi appellationes admittere pro bono pacis, aut alia rationabili vrgente causa, ità rectè plures illorum eas, ob scandala, quæ indè oriri possent, prohibuisse; vt patet ex constitutione Pij II. data in Dieta, seu Congregatione Mantuana Cardinalium, Prælatorum, & Diuini, atque humani iuris Interpretum; quam constitutionem Iulius II. speciali diplomate renouauit; sed de his satis modò, de quibus infrà fusior redibit sermo tam Seculo 13. quàm sectione sequenti.

Interim ad auctoritatem Diui Augustini, quatenùs ex illa posset quis inferre, saltem in causa meri facti, licitum esse ad Concilium futurum prouocare, quod nos negamus, præsertim post editas in contrarium Summorum Pontificum constitutiones. Respondetur ibi sanctum Doctorem ad hominem, vt dicitur, tantùm loqui, & argumentari, itaut voluerit ipsos Donaristas potiùs ad Concilium generale post iudicium Melchiadis Pontificis appellare, quàm horrendum illud schisma, quo tota ferè Ecclesia Africana miserrimè deperijt, accendere; non quod eos à Melchiade Papa prouocantes, à peccato excusaret, sed tantùm, quod appellatio fuisset malum leuius, & minus ipso schismate, quod excirarunt. Dici etiam potest sanctum Augustinum loco citato Pontificem cùm Concilio plenario haud contulisse, sed appellationem ad Concilium cum appellatione ad Imperatorem, solùmque voluisse, quod si putassent Donatistæ, eos, qui Romæ iudicauerant malos Iudices fuisse, Donatistas ipsos ad Concilium vniuersalis Ecclesiæ, cui tamen semper præesset Pontifex, à quo prouocaretur, potiùs quàm ad Imperatorem, qui de numero Laicorum erat, debuisse appellare, vt refert Optatus lib. 1. nec non ad similem appellationem Constantinum Magnum ità respondisse; [O rabida furoris audacia, sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.] Extatque ipsa eiusdem Constantini epistola tunc ad Episcopos Catholicos, & à Cardin. Baronio tomo 3. Annalium ad annum Christi 313. relata, quæ inter alias vehementissimas aduersùs eiusmodi appellantium procaciam inuectiuas, ipsa quoque eadem ab Optato recitata verba continentur, itemque ista: [Dico enim, vt se veritas habet, Sacerdotum iudicium ità debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quæ Christi magisterio sunt edocti.]

Quid Cyrillus Alexandrinus? ipse in epistola ad Cælestinum, narratis quæ gesserat Nestorius aduersùs Catholicam fidem, quæue ipse Cyrillus pro eiusdem defensione operatus esset: quamuis sciret, quod & alijs prædicarat, scriptisque firmarat, Nestorij sententiam omni esse execratione dignam; tamen haud suarum partium esse ratus nouam hæresim condemnare, & quæ de fide exorirentur, quæstiones definire, sed id tantummodo muneris esse Romani Pontificis, vel in Concilio Generali, vbi ita expedire iudicaret, vel seorsim ab illo, pro suprema sua, & infallibili in Ecclesia auctoritate; ista ad finem epistolæ subijcit: [At quamuis res ita habeat, non priùs tamen illius communionem confidenter deserere ausi sumus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hìc sentias declarare; quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui huiusmodi erroneam doctrinam fouet, & prædicat. Porrò tuæ integritatis mens, & super hac re sententia non modò pijssimis Deoque deuotissimis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicuè per literas exponi debet: nam cupientibus illis ansam dabimus, vt omnes vno animo in vna sententia persistant, rectæque fidei, quæ iam impugnatur opem ferant.] Deinde cum à Cælestino in hac causa Romæ Synodus congregata fuisset, Nestorijque hæresis condemnata, idem Cyrillus de hoc per literas monitus, hæc ad Nestorium scripsit: [Et quid nunc obsecro consilij capiam? (tuam hic namque pietatem appellare compellor) quandoquidem Cælestino religiosissimo Romanæ Ecclesiæ Episcopo iubente, cæterisque pijssimis Episcopis, qui illi adfuere, ita postulantibus, inuestigare cogor, &c.] Eodem quoque scripsit argumento tum ad Ioannem Antiochiæ Episcopum; tum ad Iuuenalem Hierosolymitanum Episcopum, monens eos Cælestini Romani Pontificis in Romana Synodo decretis obediendum esse necessario ab illis, qui vniuersę Occidentis communioni adhærent. De alijs

eius

eius testimonijs à D. Thoma relatis forsan agemus infra, vbi de hoc eodem Angelico Doctore, sæculo 13.

Maximianus Constantinopolitanus Episcopus epistola ad Orientales: [Omnes fines terrę, qui Dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in potestatem Romanorum Pontificum, tamquam in solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt. Nec immeritò quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino reuelante, cum dixit: Tu es Christus filius Dei viui, &c. Decebat tantæ dignitatis; & sapientiæ virum non ab alio cælestis mysterij arcana requireret, nisi ab eo potissimùm, quem non potuit caro, & sanguis instruere, sed cui Dominus ipse sua secreta dignatus est aperire: Beatus es, inquit, Simon Bariona, &c. Hunc enim de cæteris mortalibus ex toto terrarum orbe conditor orbis elegit, cui Cathedram magisterij principaliter possidendam tenere perpetuo priuilegij iure concessit, vt quisquis diuinum aliquid, aut profundum non desiderat, ad huius præceptionis oraculum, doctrinamque recurrat: nec illi humiliter referre, quod soluendam est erubescat, etiam si ipse, quod quæritur non ignoret.

De hac eadem auctoritate Pontificia videnda sunt, quæ Socrates, & Sozomenus, qui hoc floruere sæculo referunt, & scribunt; primus lib. 2. cap. 5. & 11. lib. 4. cap. 30. lib. 5. cap. 8. alter autem lib. 3. cap. 7. & 9. libro 6. cap. 22.

Iuuat hìc referre Valentiniani Imperat. rescriptum, S. Leone Romano Pontifice expetente, ad Aetium agentem in Gallia Magistrum militiæ anno Christi 445. datum in causa Hilarij Episcopi Arelatensis, quo facilè persidetur suprema Romani Pontificis in omnes Ecclesias auctoritas, & ad hoc illi Imperatores inseruire, vt aduersùs omnes refractarios sarta tecta custodiatur; sic enim se habet Nouell. Valent. inter Nouell. Theodosij post Codic. Theod. tit. 24. de Episc. ordinat. [Certum est nobis, & Imperio nostro vnicum esse præsidium in supernæ diuinitatis fauore: ad quem promerendum pręcipuè Christiana fides veneranda nobis religio suffragatur. Cum igitur Sedis Apostolicę primatum, sancti Petri meritum, qui princeps est Episcopalis coronę, & Romanę dignitas ciuitatis sacrę etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid pręter auctoritatem Sedis istius illitum pręsumptio attentare nitatur: tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur si rectorem suum agnoscat vniuersitas. Hęc cum hactenus inuiolabiliter fuerint custodita Hilarius Arelatensis (sicut venerabilis viri Leonis Romani Papę fideli relatione comperimus) contumaci ausu illicita quędam pręsumenda tentauit; & ideò Transalpinas Ecclesias abominabilis tumultus inuasit, quod recens maximè testatur exemplum. Hilarius enim, qui Episcopus Arelatensis vocatur, Ecclesię Romanę vrbis inconsulto Pontifice, indebitas sibi ordinationes Episcoporum sola temeritate vsurpans, inuasit: nam alios incompetenter remouet: indecenter alios, inuitis, & repugnantibus ciuibus, ordinauit. Qui quidem, quoniam non facilè ab his, qui non elegerant, recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam, & claustra murorum in hostilem morem, vel obsidione cingebat, vel aggressione, reserabat; & ad Sedem quietis, pacem prędicaturus, per bella ducebat.]

[His talibus contra Imperij maiestatem & contra reuerentiam Apostolicę Sedis admissis per ordinem religiosi viri vrbis Papæ cognitione discussis, certa in eum ex his, quos malè ordinauerat, lata sententia est. Et erat ipsa quidem sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritate in Ecclesias non liceret? sed nostram quoque præceptionem hęc ratio prouocauit, ne vlterius, vel Hilario quem adhuc Episcopum nuncupari, sola mansueti Pręsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut pręceptis Romani Pontificis liceat obuiare. Ausibus enim talibus fides, & reuerentia nostri violatur Imperij. Nec hoc solum, quod est maximi criminis: submouemus: verùm ne leuis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur; hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum prouinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ auctoritate tentare, sed illis, omnibusque pro lege sit, quicquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas: ita vt quisuis Episcoporum ad iudicium Romani Antistitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiusdem prouinciæ adesse cogatur; per omnia seruatis, quæ diui parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt, Aeti pater charissime Augusti.

Hoc etiam tempore Turibius Asturicensis Episcopus in causa Priscillianistarum, haud satis ratus, de his, quæ viderat, admonuisse Hispaniarum Antistites, ad Dauidis turrim confugit, inde quæsitutus arma contra grassantem impietatem, legauit enim diaconum suum, cui de omnibus literas dedit ad sanctum Leonem Romanum Pontificem, addit eis, & commonitorium, insuper, & libellum: literis quidem, quis esset Ecclesiarum Hispaniarum status, eum reddidit certiorem: commonitorio sexdecim capita Priscillianistarum hæresis complexus est: libello verò supplici rogabat, vt afflictatis Ecclesijs pro sua summa in illas auctoritate subueniret. Quæ licèt Turibij scripta non extent, tamen ex redditis ad eum à S. Leone Papa literis perspecta habentur, quibus generalem in vniuersa Hispania, more maiorum, indicens Synodum, quod munus erat Apostolicæ Sedis Antistitis, impleuit, ibique fidei assertio ex eius præscripto constituta est.

Flauianus Episcopus Constantinopolitanus in responso ad sanctum Leonem Papam qui prius nimium eius in causa Eutychetis silentium redarguerat hæc habet: [Sed his ita gestis, literæ nobis datæ sunt vestrę sanctitatis per admirabilem Comitem Pansophium, per quas sumus edocti, quia idem Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia atque calliditate, dicens, iudicij tempore li-

 bel-

bellos se dedisse appellationis, & nobis, & hic conuenienti sancto Concilio, & appellasse vestram sanctitatem: quod nequaquam ab eo factum est. Sed etiam in hac parte mentitus est, tamquam per fallaciam mendacij subrepere se sanctis vestris auribus putans. Commotus itaque, sanctissime Pater, in his omnibus, quæ ab eo præsumpta sunt, & ob ea, quæ in nos, & sanctissimam Ecclesiam facta sunt, atque fiunt, pro consueta fiducia fiducialiter age, secundùm quod Sacerdotio competit; propriamque faciens communem caussam, & Sanctarum Ecclesiarum disciplinam, simul decernere damnationem aduersùs eum regulariter factam, & per propria scripta dignare; confortare autem, & pijssimi, & Christo deditissimi, nostri Imperatoris fidem. Causa enim eget solummodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cuncta perducere: sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quę propter eam factæ sunt, facilè destruentur, Deo cooperante per vestras sanctissimas literas: remouebitur autem, & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.] Hæc Flauianus, quibus primùm intelligitur absque controuersia profiteri eosdē inter se altercantes Flauianum, & Eutychetem supremum iudicem Ecclesiasticarum controuersiarum esse Romanum Pontificem, ad quem tam actor, quàm reus spontè currunt, sua iura prosecuturi: secundò tantam vim inesse decretis, ac literis Apostolicis, ob infallibilem eiusdem Romani Pontificis in quæstionibus fidei dirimendis auctoritatem, vt Concilio non indigeat Oecumenico, id quod semel fuisset ab illo definitum. Verùm cùm S. Leo nec reprimere Theodosium valuisset ab huiusmodi cogendo conuentu Episcoporum, neque, vt in Italia ageretur, persuadere potuisset, tamdem ne fidei causa dispendium aliquod pateretur, quam sciret appeti studijs summæ potentiæ fautorum Eutychetis eumdem Imperatorem præcipitem abducentium: salubre illud in primis consilium inijt, vt è latere legatos mitteret Ephesum ad Concilium, eisdemque daret epistolam quamuis frustra, vt quid de verbi Incarnatione sentiendum esset, ac definiendum, ex sententia Euangelicæ veritatis haberetur; de qua vt audiuimus supra elogium sexcentorum Sanctorum Patrum Chalcedone pro condemnatione Eutychetis congregatorum, nunc referre non pigebit quanti illam, nec non supremam Romani Pontificis auctoritatem fecerint Galliarum Episcopi.

Igitur cùm eam describendam accepissent Occidentales, & inter alios Episcopi Galliarum, ex illis tres insignioris nominis, Ceretius, Salonius, atque Veranus, ipsum ab eis exaratum exemplar Romam ad eumdem Sanctum Leonem mittendum putarunt, ne quid minus à prototypo in ea haberetur exscriptum, post enim multa de eadem epistola ab ipsis effusa præconia, hæc habent apud sanctum Leonem post epist. 51. [Deprecamur, vt opus, & præsentibus, & futuris temporibus profuturum, quod nos asseruandi studio folijs mandare curauimus, sanctitas vestra percurrere, & si quid librarij errore defuerit, emendare dignetur: vel si salutarem lecturis omnibus paginam aliquo, studij vestri accumulastis augmento, id ipsum addi libello huic, sollicita pietate iubeatis: vt non solùm plures sancti Episcopi fratres nostri per Gallias, verùm etiam multi ex laicis filij vestri, qui epistolam istam magnopere pro veritatis manifestatione desiderant, remissam ad nos, & sancta manu vestra emendatam transcribere, legere, & tenere mereantur.] Quibus sanè trium nominatorum Episcoporum verbis clarè constat, quatenus semper in Ecclesia Gallicanæ Antistitibus, & alijs viguerit erga Summum Pontificem cultus, & obseruantia, quodque supremam, & infallibilem in eo auctoritatem agnouerint, dum ab ipsius decretis, vel tenui linea declinare, duxerunt esse sacrilegum, atque impium, & à veritate omninò deficere.

Ad eiusdem rei probationem facit, quod præter tres dictos Episcopos, quadraginta quatuor alij Episcopi Galliarum simul, vbi eamdem S. Leonis epistolam accepissent, conuenientes in Gallia Narbonensi, gratias agentes reddiderunt Synodalem epistolam ad eumdem Romanum Pontificem, cuius est exordium: [Perlata ad nos epistola beatitudinis vestræ, quam ad Orientem pro Catholicæ fidei asseritione misistis, &c. vbi post alia Multi itaque in ea gaudentes pariter, & exultantes recognouerunt fidei suæ sensum, & ita semper ex paterna traditione tenuisse, vt vester Apostolatus exposuit, iure lætantur. Nonnulli verò sollicitiores facti, beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omnibus se gratulantur instructos, datamque sibi occasionem gaudent, qua liberè, ac fiducialiter, suffragante etiam Apostolicę Sedis auctoritate, loquantur, & asserat vnusquisque, quod credit, ad finem verò hæc de ipso S. Leone: Quod nos ante oculos semper habentes, non desinemus Deo, ac Domino nostro gratias agere, & pariter supplicare, gratulantes, quod tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apostolicæ Sedi, vnde religionis nostræ, propitio Christo, fons, & origo manauit; Antistitem dederit: petentes etiam vt datum, concessumque munus Pontificij vestri longissima ad ædificationem suarum Ecclesiarum ætate custodiat:] Ex quibus, & alijs similibus, quæ ibi præfati habent Episcopi, satis colligitur eos credidisse, ipsum Romanum Pontificem vniuerso Christiano orbi præsidere magistratum, ac velut ex eminenti Cathedra, docere omnes Catholicam fidem; quòd absque singulari in ea non errandi priuilegio fieri nequaquam potest. Vide etiam epistolam Episcoporum Metropolis Arelatensis ad eumdem Leonem, quæ extat apud Baronium tomo 7. Petrus Chrysologus epistola ad Eutychem ait; in omnibus hortamur te, frater honorabilis, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis præscripta sunt, obedienter attendas: quoniam beatus Petrus qui in propria Sede, & viuit, & pręsidet, pręstat quęrentibus fidei veritatem, & sermone 175. Edicto Cæsaris, & pagani Dominus obtemperaturus occurrit, & decreto beati Petri Principis Christiani seruus adhuc aliquis irreuerenter obsistit?

Theodoretus Episcopus Cyri, cùm audis-

disset se à pseudosynodo Ephesina esse depositum, Romanum agnoscens Pontificem vnicum esse reliquum legitimum iudicem, qui pro sua suprema in Ecclesia auctoritate perperàm à Synodis facta rescindere posset, ad eum, vti Flauianus fecerat, appellauit, honorificamque legationem misit, quam pluribus etiam ornauit epistolis, atque in primis ad ipsum S. Leonem Papam 113. cuius est exordium; [Si Paulus præco veritatis, tuba Sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs qui Antiochiæ contendebant, ab ipso afferret solutionem: multò magis nos, qui abiecti sumus & pusilli, ad Apostolicam vestram Sedem currimus;] deindè multis adductis eius præconijs, ac priuilegijs, loquens de præfata iam Leonis epistola ad omnes Ecclesias missa ait: [Nos autem spiritalem admirati sapientiam tuam, quæ per vos locuta est, Sanctissimi Spiritus gratiam laudamus: hortamurque, rogamus, obsecramus, & supplicamus Sanctitati tuæ, vt quæ tempestate agitantur, Dei Ecclesijs opem feras.] In Epistola verò ad Renatum Presbyterum Cardinalem tituli Sancti Clementis, vnà cum Iuliano, & Hilaro legatione functum in Ephesino Concilio hoc anno celebrato, inter alia hæc ad nostrum scribit intentum. [Cognouimus calidum, & feruentem, ac iustum tuæ pietatis zelum, ac iustissimam & legitimam auctoritatem, qua vsus, Domine, ea, quæ Ephesi audacter gesta sunt, arguisti & repressisti. Non autem nos soli hæc didicimus, sed in vniuersam terram tuæ rectitudinis sonus exiuit &c. Hac igitur de causa tuam oro Sanctitatem, vt persuadeas sanctissimo, ac beatissimo Archiepiscopo, vt Apostolica vtatur auctoritate, & præcipiat ad vestrum conuolare Concilium. Habet enim sanctissima illa sedes omnem per orbem Ecclesiarum ducatum & principatum multis quidem de causis, præcipuè verò, quod hæretica labe immunis permansit; & nullus, qui contraria sentit veritati, in illa vnquam sedit, sed Apostolicam gratiam integram & immaculatam seruauit.] Hactenùs Theodoretus, cuius testimonium pro singulari Pontificis Romani priuilegio non errandi in rebus fidei, adeo efficax esse plures crediderunt Doctores, vt illud etiam extendi velint ad eum, secundùm quod est persona, vel Doctor particularis. Consulendus est quoque lib. 2. Eccles. histor. cap. 22. & lib. 5. cap. 10.

Hoc eodem tempore, quo Sanctus Leo Romæ Synodum collegerat, cùm in Vrbe esset Valentinianus Imperator, vnà cum Eudoxia coniuge Augusta, & Galla Placidia ipsius Valentiniani matre, venerant enim, ex more, ad sacra Apostolorum limina, auditis illis, quæ Ephesi in Concilio tyrannicè facta essent, ea vt pij Principis exhorrescentes singuli singulas dedere in Orientem Literas, atque Valentinianus in primis ad Theodosium scribens hæc habet: [Cùm aduenissem in vrbem Romam, ad Diuinitatem placandam, sequenti die ad basilicam Apostoli Petri processi: & illic post venerabilem noctem diei Apostoli, & à Romano Episcopo, & ab alijs cum eo ex diuersis Prouincijs rogatus sum scribere vestræ mansuetudini de fide, quę cùm sit conseruatrix omnium animarum, dicitur perturbata; quam nos à nostris maioribus traditam debemus cum omni competente deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare; quatenùs beatissimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui Principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ac facultatem de fide, ac Sacerdotibus iudicare, Domine sanctissime Pater, & venerabilis Imperator. Hac enim gratia secundùm solemnitatem Conciliorum, & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit propter contentionem quæ orta est de fide.] Similia in suis habent literis Galla Placidia, & Eudoxia ad eumdem Theodosium Imperatorem; extant ante Concilium Chalcedonense tomo 1. Concil.

Defuncto Theodosio Imperatore, cùm voluntate S. Pulcheriæ ex Senatus-consulto delatum esset Imperium Marciano, illud exordiri meliùs haud putauit, quàm datis ad S. Leonem Romanum Pontificem literis sequentis tenoris, quibus satis agnoscit supremam eius, atque adeò infallibilem in rebus fidei auctoritatem. [Ad hoc maximum Imperium venimus Dei prouidentia, & electione Senatus Excellentissimi, cunctæque militiæ. Vnde pro reuerenda, & Catholica religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sanctitatem principatum in Episcopatu Diuinæ fidei possidentem sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam; inuitantes, atque rogantes, vt pro firmitate, statuque nostri Imperij æternam Diuinitatem tua Sanctitas deprecetur, & vt tale propositum, atque desiderium habeamus, quatenùs omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum, te authore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat, ab omni scelere pura, & intemerata consistens.] Quod idem repetit in responso ad litteras per legatos ad Theodosium Augustum à S. Leone missas, sed eo iam defuncto, Marciano nouo Augusto redditas; quibus de cogenda Oecumenica Synodo tractare cœpit; [vt omnes, inquit, sanctissimi, qui ad illam conuenerint Episcopi, quæ Christianæ religioni & Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent,] probè sciens nonnisi eiusdem primariæ Sedis Antistitis auctoritate solere Synodos Oecumenicas legitimè conuocari; res in illis ex eius præscripto definiri, definitasque rursùs confirmari debere, vt infallibilem apud omnes in Ecclesia obtineant fidem. Idem tradit Pulcheria Augusta in suis ad eumdem S. Leonem literis; opereque completum est in Concilio Constantinopolitano tunc ab Anatolio Flauiani successore habito, præsentibus in eo Sedis Apostolicæ legatis; deindè in Concilio Chalcedonensi vt vidimus supra.

Sanctus Prosper Aquitanus, Episcopus Rhegiensis non in Aemilia Prouincia Italiæ, sed in Prouincia Prouinciæ suffraganeus Archiepiscopi Aquensis, nam reperitur subscriptus in Concilio Prouinciali Vasensi, & Car-

pendoratensi; quod argumentum est, illum fuisse Episcopum in Prouincia Galliæ; sicut & quod illi successerit in Episcopatu Faustus Rhegiensis, quem omnes Episcopum Gallum faciunt non Italum; Hic, inquam, Prosper, eamdem clarè Pontificiam infallibilitatem pluribus in locis testatur, vbi agens de hæresi Pelagiana, docet plenam illius damnandæ, & anathematizandæ potestatem fuisse penes Romanum Pontificem; ante cuius sententiam, vt nemo ausus est Pelagium tamquam hæreticum damnatum detestari, ex Augustino epistola 94. ad Hilarium, ita post illam, probataque duorum Conciliorum Africanorum Carthaginensis, ac Mileuitani decreta, ab omnibus vt talis habitus est, non expectata Synodi Oecumenicæ sententia, Honorijque Augusti decreto etiam mulctati sunt exilio illius hæreseos rei, & inter cæteros eiectus est è Sicilia Iulianus. Audiamus Prosperum in Chronicis; [Ex Concilio, inquit, Carthaginensi ducentorum septemdecim Episcoporum ad Pontificem Zozimum Synodalia decreta perlata sunt: Quibus probatis per totum hæresis Pelagiana damnata est.] In carmine verò de ingratis laudans huiusmodi Africanorum Episcoporum aduersùs recens emergentem impietatem accensum præ cæteris incomparabilem zelum ait;

Tu causam fidei flagrantiùs Africa nostra,
Exequeris: tecumque suum iungente vigorem
Iuris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos.

Et quod non vno Concilio, sed duobus eadem in Hæresiarchas decreta fuerint, nempè Carthaginensi, atque Mileuitano ista mox subijcit;

Conuenere tui de cunctis vrbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cætu
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur.

Quamuis non desint qui hæc intelligenda putent de gemino Concilio Carthaginensi, vno sub Innocentio, & altero sub Zozimo Papa celebrato, quod parum refert ad præsens institutum.

Item contra Collatorem hæc per ironiam habet: [Errauit Sacrosancta benedictio Sedis Petri, quæ ad vniuersum orbem Papa Zozimus ore loquitur: Nos autem, tamen instinctu Dei, &c.] fuerunt autem eiusmodi literæ aduersùs emergentem hæresim scriptæ ab ipso Zozimo Papa ad vniuersam Ecclesiam; quas ipsi, qui considebant Episcopi Africani, redditis ad eumdem literis summopere laudarunt, ex eodem Prospero ibidem, qui post multa subdit: [Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zozimus sententiæ suæ robur adiunxit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antistitum.] Insuper quanta Summus Pontifex Bonifacius inuigilarit diligentia, nec damnata semel Romæ à suis prædecessoribus hæresis Pelagiana maiores acciperet vires, idem testatur Prosper aduers. collat. propè finem his verbis: [Sanctæ memoriæ Bonifacius pijssimorum Imperatorum Catholica deuotione gaudebat, & contra inimicos gratiæ Dei non solùm Apostolicis, sed etiam regijs vtebatur edictis.] Per Cælestinum verò Bonifacij successorem ait, [Omnes Orientales Ecclesias gemina peste purgatas fuisse, quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antistiti, gloriosissimo fidei Catholicæ defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem, Apostolico auxiliatus est gladio; quo etiam Pelagiani, dum cognatis confæderantur erroribus iterum prosternerentur.] Tandem cùm in partibus Galliarum quidam Presbyteri plus æquo Pelagianis fauentes temerè sugillarent Sancti Augustini aduersùs eos commentarios editos, vt eorum petulantia coerceretur, idem Sanctus Prosper cum collega Hilario Arelatensi ad Cælestinum Romanum Pontificem profectionem instituit, quippe qui sciret ad illum tamquam ad supremum fidei magistrum recurrendum esse, quodque ipse definiret firmiter tenendum esse, vt clarè docet loco citato aduersùs Collat. propè finem, loquens de epistola tunc ad Episcopos Galliæ per Cælestinum scripta.

In eadem sententia fuisse Vincentium Lirinensem, qui tunc florebat, colligitur ex eius libro aduersùs hæres. cap. vlt. vbi de dicta Cælestini epistola agens, tanti ponderis eam esse docet, vt satis sit ad omnes hæreses euerrendas, nouas sententias in Ecclesiam inducentes. Sed à Gallis ad Hispanos transeamus.

Ascanius Tarraconensis Episcopus, & qui cum eo conuenerunt omnes Prouinciæ illius Antistites in literis ad Hilarium Papam aduersùs Syluanum hæc scribunt: [Etsi nulla extaret necessitas Ecclesiasticæ disciplinæ: expetendum re vera nobis fuerat illud priuilegium Sedis vestræ, quo susceptis regni clauibus post resurrectionem Saluatoris per totum orbem beatissimi Petri singularis prædicatio vniuersorum illuminationi prospexit; cuius Vicarij principatus, sicut eminet, ita meruendus est ab omnibus, & amandus. Proindè nos Deum in vobis primitus adorantes, cui sine querela seruitis, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, indè responsa quærentes, vndè nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.]

Quod hoc seculo S. Cæsarius Arelatensis Episcopus, doctrina celebris, sanctitate conspicuus ad Felicem III. Romanum Pontificem de gratia & libero arbitrio librum scripserit; quem agnitum ipse Felix non solum probauit, sed & scripta de eo epistola confirmauit, vulgandumque vbique curauit; nec solùm, sed quod illum insuper, sicut & Sancti Honorati Massiliensis Episcopi illius temporis Scriptoris luculentissimi libros Gelasius Papa confirmarit, aliosque plures ad illum non tantùm ex Occidente, sed etiam ex Oriente missos; manifestum esse videtur argumentum, quod maiores omnes Orthodoxi absque controuersia intellexerint, penes Romanum Pontificem tamquam supremum doctrinæ fidei magistrum ac iudicem, scientiæ clauem esse, eaque proindè non præsentium tantùm, sed etiam præteritorum authorum

rum

rum scripta probanda, vel improbanda, quæ ipse pro sua auctoritate reciperet, vel reijceret.

Anastasius Hierosolymitanus Patriarcha epistola ad eumdem Felicem Papam; [Fuit semper Apostolicæ Sedis vestræ licentia, iniustè damnatos vel excommunicatos potestatis suæ auctoritate restituere, & sua omnia ijs reddere, & eos, qui eos condemnauerunt, aut excommunicarunt, Apostolico puniri priuilegio: sicut etiam nostris, & anterioribus nouimus factum temporibus &c. Antiquis regulis sancitum est, vt quicquid, quamuis in remotis Prouincijs, super eorum querelis, aut accusationibus ageretur, non priùs tractandum, vel accipiendum esset, quàm ad notitiam almæ Sedis vestræ esset deductum, vt huius auctoritate iuxta quod fuisset faciendum, infirmaretur, aut firmaretur.]

Cùm Gelasius sui Pontificatus exordio ad vniuersos Dardaniæ Episcopos literas dedisset monitorias per Tryphonem, quæ non extant, quibus illis præcipiebat vitare communionem Eutychianorum, hæc responderunt, quibus clarè ostendunt, se supremam, atque adeò infallibilem Summi Pontificis Romani auctoritatem agnouisse in rebus fidei, & religionis: [Saluberrima, inquiunt, Apostolatus vesti præcepta, Tryphone viro religioso filio nostro deferente, qua oportet deuotione suscepimus: & maximas Deo omnipotenti, & beatitudini vestræ referimus gratias, quod nos pastorali admonitione, & Euangelica doctrina visitare dignatus es, Domine sancte Apostolice, & beatissime Pater Patrum. Desiderij enim & voti nostri est, iussionibus vestris in omnibus obedire; & quemadmodum à Patribus nostris accepimus, Sedis Apostolicæ, quæ vitæ, & meritis vestris delata est, præcepta intemeratè seruare; atque religionem Orthodoxam, cuius estis prædicatores, fideli & inculpata deuotione, prout nostræ rusticitatis sensus patitur custodire; Qui autem talia, & similia proferre potuissent ni Sedis Apostolicæ Antistitem infallibiliter ex ea loqui credidissent, in rebus ad fidem, ac religionem spectantibus.

Sextum Sæculum.

Symmachus Papa supremam quoque auctoritatem, & consequenter infallibilem Romani Pontificis in rebus fidei, & religionis satis ostendisse videtur, tàm pluribus circa illam statutis, conuocatisque in hunc finem Romæ dumtaxat Synodis, quàm excommunicato ob hæresim Anastasio Imperatore; quod cùm ipse rescisset, omneque genus contumeliarum in Symmachum Papam conuertisset, eidem opus fuit scribere Apologeticum; Quod autem idem Symmachus ab inimicis suis accusatus cesserit iuri suo, subijcereque se voluerit sponte Synodi Romanæ iudicio, & expectare sententiam, quam non tenebatur excipere. Sed si voluisset, potuisset suo iure vtens effugere, nihil auctoritati Pontificiæ præiudicare, ipsius rei probauit euentus; quandoquidem in eadem Synodo allegatum fuit. [Ipsum, qui dicebatur impetitus debuisse conuocare Synodum; scientes, quia eius Sedis primum Petri Apostoli est meritum, vel principatus: deinde secuta iussione Domini Conciliorum conuocandorum auctoritas ei singularem in Ecclesijs tradidit potestatem: nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio, in propositione simili facilè forma aliqua testaretur; sed potentissimus Princeps, Theodoricus videlicet, ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse, significauit.] Insuper, cum cognita Symmachi innocentia, Synodi sententia absolutus fuisset; elaboratus eius iussu, ab eaque examinatus Ennodij Diaconi libellus apologeticus, vbi miris effertur modis suprema Sedis Apostolicæ auctoritas, non inter acta tantùm Synodalia, sed inter Pontificia meruit adnumerari decreta. Rogantibus autem Synodi Patribus, vt omnes accusatores Symmachi damnarentur, simulque, qui contra Synodum obloqui præsumpsissent, hisque faustas acclamationes iungentibus, ipse Symmachus Papa non consensit; sed cum delinquentibus, Christiana mansuetudine adhibita, mitiùs agendum esse suasit; immò, & penitus ignoscendum, sed tam de hoc Symmachi, quàm alijs similibus casibus redibit sermo infra sæculo 13.

Eamdem Romani Pontificis auctoritatem testatus est Hormisda Papa, cui cùm Anastasius Imperator priores dedisset literas nimiam prædecessorum Pontificum arguens duritiam, sic ad eas ille rescripsit: [Gratias supernæ virtuti, quæ per vestræ pietatis affatus diuturnum dignata est terminare silentium, tale præstans collocutionis exordium, vt de vestræ clementiæ prosperitate lætemur: & ad vnitatem, Deo donante, reuerti posse sanctam confidamus Ecclesiam. Hoc opus supernæ clementiæ, hæc, & prædecessorum nostrorum fuit semper oratio: quos etiam rerum actus paternæ traditionis ministros, & rectæ fidei declarant fuisse custodes.] Ipsi deindè petenti Concilium, plenissimum tunc pollicetur præbere responsum, [dum causam, inquit, congregationis nos volueritis euidenter cognoscere;] satis indicans huiusmodi verbis, decretum Concilij congregandi ad Romanum Pontificem, & causa cognita pertinere, pro suprema, quam habet in Ecclesia potestate; iuxta quam tantum abfuit, vt fieri Hormisda œcumenicum, quod indixerat Anastasius Concilium celebrari, quin potiùs absque Concilio per suos legatos bis Constantinopolim missos, leges ipse præscripserit Imperatori, & vniuersis Orientis Episcopis. Mortuo Anastasio, idem præstitit cum Iustino Imperatore eius successore, missis per suos legatos ad illum, & alios plures literis, nec non libello professionis fidei præstandæ ab Episcopo Constantinopolitano, cæterisque Orientalibus hæreticorum, Schismaticorumue communione coinquinatis; cuius initium est: [Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire, & à Patrum traditione nullatenus deuiare; quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica inuiolabilis semper Catholica custoditur religio

ſigio. De hac igitur fide non cadere cupientes, & Patrum ſequentes in omnibus conſtituta: anathematizamus omnes hæreſes, &c.] Tandem videnda eſt eius epiſtola 76. ad Iuſtinum Imperatorem, à quo conſultus, interpellatuſque tamquàm ſupremus Eccleſiæ Magiſter, circa tunc agitatam illam tàm in Oriente, quàm in Occidente quæſtionem de vno ex Trinitate paſſo in carne, non Imperatorem dumtaxat, cui reſpondet, erudiendum ſuſcepit, ſed omnibus agentibus vbique fidelibus, pendentibus ab ipſius ore Pontificis, expectantibuſque, quæ eius eſſet de re tanta ſententia, quam ad Imperatorem epiſtolam ſcripſit, publicam eſſe voluit instructionem, vt ipſe teſtatus eſt in epiſt.44. ad Iuſtinianum poſtea Imperatorem. In epiſtola quoque ad Remigium, Pontificiam præ Conciliari auctoritatem docet: [Quoties, inquit, vniuerſale poſcit religionis cauſa Concilium, te cuncti fratres conuocante conueniant: & ſi quos eorum ſpecialis negotij pulſat intentio, iurgia inter eos oborta compeſce, diſcuſſa ſacra lege determinando certamina. Quicquid autem illic pro fide,& veritate conſtitutum, vel prouida diſpenſatione præceptum, vel perſonæ noſtræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad ſcientiam noſtram, instructa relationis atteſtatione, perueniat.]

Bonifacius II. epiſtola ad Eulalium Epiſcopum Alexandrinum: [Olim, & ab initio tantam percepimus à beato Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuerſali Eccleſiæ (auxiliante Domino) ſubuenire, & quicquid nociuum auctoritate Apoſtolica corrigere, & emendare.]

Ioannes Papa II. in epiſtola ad Iuſtinianum Imperatorem: [Inter claras ſapientiæ, ac manſuetudinis veſtræ laudes, Chriſtianiſſime Principum, puriore luce tamquàm aliquod ſydus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis ſtudio, edocti Eccleſiaſticis diſciplinis, Romanæ Sedis reuerentiam conſeruatis, & ei cuncta ſubijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius auctorem, hoc eſt, Apoſtolorum primum, Domino loquente, præceptum eſt: Paſce oues meas. Quam eſſe omnium verè Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant, & pietatis veſtræ reuerentiſſimi teſtantur affatus, &c.] Quam Ioannis epiſtolam, quia Iuſtinianus Imperator, in perpetuum ſupremæ auctoritatis, ſupremique magiſterij Romani Pontificis argumentum, ipſimet Codicis fronti præfigi voluit, indè offenſi hæretici, quibus nihil odioſius Pontificia auctoritate, negant epiſtolam Iuſtiniani ad Ioannem Pontificem, illamque ab ipſo ad eum redditam, eſſe germanas; ſed tàm apertum mendacium eruditè Baronius refellit tomo 7. annalium ad annum Chriſti 537. relatis doctiſſimorum Alciati, & Cuiacij Iureconſultorum teſtimonijs, quæ ſuo etiam tempore nos forſan infra proferemus.

Mortuo Ioanne, & in eius locum creato Agapeto Romano Pontifice, cum Iuſtinianus Imperator morem maiorum ſecutus, qui conſueuerant ad ſingulos recens creatos Romanæ Sedis Epiſcopos, tamquàm ad ſupremos fidei iudices mittere Catholicæ, quam ſequerentur, fidei profeſſionem, id ipſum præſtitiſſet, eamdemque Agapeto direxiſſet fidei confeſſionem, quam Ioanni Papæ eius prædeceſſori miſerat confirmandam, quia, inquit in præfatione epiſtolæ, [noſtri ſtudij eſt, emergentes, fidei cauſas ad Apoſtolicæ Sedis veſtræ referre iudicium;] Ita Agapetus pro ſuprema ſua auctoritate reſpondit ſe illam firmare, laudare, & amplecti: [Non quia, inquit, laicis auctoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum noſtrorum regulis conueniens confirmamus, atque roboramus.] Ex qua Agapeti cenſura, ac monitione prudentior factus Imperator, non amplius priuatam à ſe editam fidei confeſſionem vſurpauit: ſed ne quid ſibi arrogare viſus eſſet, publicam miſit, & illam ipſam, quam olim Hormiſda Pontifex miſerat per legatos Conſtantinopolim ſubſcribendam ab ijs, qui Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ communionem conſequi vellent: hanc, inquam, ipſam iterum miſit Iuſtinianus Imperat. ad Agapetum Pontificem, cuius eſt exordium: [Prima ſalus eſt, &c.] vt ſupra. Idem Agapetus in reſponſo ad literas Concilij Africani, directas quidem Ioanni, ſed eo mortuo, quando peruenerunt, redditas Agapeto, quibus dicti Concilij Patres ad Sedem Apoſtolicam, tamquam ad fidei magiſtram, in aliquibus circa illam dubijs recurrerant, hæc reſcribit; [Quoniam ſicut, & ſapientes facere decebat, & doctos, immemores principatus Apoſtolici non fuiſtis; ſed quæſtiones illatæ volentes vincula diſſoluere, ab eius ſede requiſiuiſtis, ſicut decebat, aditum, cui poteſtas eſſet indulta clauſtrorum.] Et in epiſtola ad Reparatum Epiſcopum Carthaginenſem; [Charitati, inquit, tuæ metropolitana iura reparantes hortamur, vt ea, quæ tuo, vel aliorum nomine reſcripſimus, vniuerſis debeas innoteſcere. Metropolitani quippè auctoritate ſuffultus, ne quis ſe excuſabiliter aſſerat ignorare, quod Sedis Apoſtolicæ principalitas canonum conſideratione præſcripſit.] Tandem cùm Agapetus barbarico Gothorum regis Theodati imperio ſubire coactus fuiſſet difficillimæ legationis onus Conſtantinopolim ad Iuſtinianum Imperatorem; diuina indè prouidentia diſpoſuit, vt demonſtratiua ſupremæ poteſtatis Apoſtolicæ Sedis Antiſtitis haberemus argumenta, dum Anthimum Patriarcham fauore Iuſtiniani Imperatoris, & Theodoræ Auguſtæ pollentem, plurium iam antea Epiſcoporum ſuffragijs confirmatum ipſe Summus Pōtifex Agapetus, nullo ſuper hoc congregato, vt moris erat, ante Concilio, condemnauit. Quod enim ſciret in gratiam Auguſtorum eoſdem Epiſcopos facillimè conſpirare: ijs omiſſis, ſimplici habita diſcuſſione, ſimul, ac hæreticus Eutychianus idem Anthimus apparuit, ipſum cum ſequacibus Seuero, Petro, atque Zoara condemnauit, atque Mennam in locum eius protinus ſubrogauit. Vndè intelligere poſſumus, vſum ipſum plenitudine poteſtatis, qua vbi res ita exigunt, ſupra omnes canones Pontifex eminet, non ſeruata in omnibus ſolita iudicij forma; cum antea in ſimili cauſa Cæleſtinus Papa eiuſdem Eccleſiæ Pontificem deponendum Neſtorium ſcripſerit, & per Theodoſium Imperatorem

ea

ea de re non prouinciale dumtaxat, sed Oecumenicum Ephesi Concilium conuocandum curarit; Nec non maiori tunc niti solere auctoritate Apostolicæ Sedis Antistitem, quando magis videtur oppressa; quod certò sciat omnia illi cedere opus esse, si ea vti velit, secundùm, quod ipsi à Christo concessa fuit.

Vigilius, quantumlibet spurius, atque penitus, dum vixit Syluerius, illegitimus, quæ tamen Pontificij muneris essent, exequi minimè prætermittens, in responsione ad consultationem Eutherij Hispaniæ Episcopi, hæc habet: [Qua propter dilectionem tuam in Domino salutantes, de singulis quid iuxta Catholicam disciplinam teneat Apostolicæ Sedis auctoritas, subiectis aliquibus etiam sanctarum capitulis regularum te credimus instruendum;] deinde in fine concludit, pro supremo eius, atque adeò infallibili magisterio in rebus fidei, & religionis; [Nulli, vel tenuiter sentienti, vel pleniter sapienti dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum, & forma sit Ecclesiarum; à quo omnes Ecclesias principium sumpsisse, nemo rectè credentium ignorat. Quoniam licèt omnium Apostolorum par esset electio, beato tamen Petro concessum est, vt cæteris præemineret: vndè, & Cephas vocatur, quia caput est, & principium omnium Apostolorum, & quod in capite præcessit, in membris sequi necesse est. Quamobrem sancta Romana Ecclesia eius merito Domini voce consecrata, & Sanctorum Patrum auctoritate roborata, primatum tenet omnium Ecclesiarum: ad quam tam Summa Episcoporum negotia, & iudicia atque querelæ, quàm, & maiores Ecclesiarum quæstiones, quasi ad caput semper referenda sunt. Nam, & qui se scit alijs esse præpositum, non molestè ferat aliquem esse sibi prælatum. Ipsa namque Ecclesia, quæ prima est, ita reliquis Ecclesijs vices suas credidit largiendas, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vndè omnium appellantium Apostolicam Sedem Episcoporum iudicia, & cunctarum maiora negotia causarum eidem Sanctæ Sedi reseruata esse liquet: præsertim cum in his omnibus eius semper sit expectandum consultum, cuius tramiti si quis obuiare tentauerit Sacerdotum, causas se non sine honoris sui periculo apud eamdem Sanctam Sedem nouerit redditurum.] Similia scripsit legitimus iam Pontifex post Syluerij mortem electus in epist. ad Iustinianum, & ad Mennam Patriarcham Constantinopolitanum: [Quid est, inquit, charitati tuæ dignius honoris, quod conueniat nisi à Romanorum Præsulum non deuiare doctrina?] Si autem errandi periculo obnoxij essent, tale quid dici non posset: Item in constituto ad Imper. Iustinianum: [Inter innumeras sollicitudines, quibus oneratur Imperiale fastigium, laudabile clementiæ vestræ cognouimus esse propositum, per quod summotis omnibus discordiæ seminibus, quæ in agro Domini humani generis inimicus asperserat, vniuersos Domini Sacerdotes, præmissis ad testimonium conscientiæ suæ professionibus, per quas sanctorum Patrum, & venerabilium quatuor Synodorum, ac præsulum Sedis Apostolicæ inhærere definitionibus, atque iudicijs monstrarentur, ad vnitatem, atque concordiam restituere properastis.] En Præsulum Sedis Apostolicæ definitiones æquiparatæ Conciliorum Oecumenicorum decretis quibus aduersarij libenter concedunt infallibilitatem.

Talia autem non solùm scripsit, sed etiam opere confirmauit Vigilius, vt satis testantur ea, quæ manens Constantinopoli gessit, præsertim verò, quod nullius roboris habitum fuerit totius Orientis collectum Concilium, donec illud ipsum suo assensu voluerit effici Oecumenicum; cum planè non alia ratione ipsi etiam Græci illud comprobent Oecumenicum esse, nisi quod illi tùm Vigilij, tùm aliorum Romanorum Pontificum eius successorum consensus accesserit; quod eò clariùs diuinæ in illis assistentiæ argumentum est, vbi Ecclesiam ex cathedra docere debent, quo, humanitùs loquendo, ab isto Pontifice omnia mala erant expectanda, quem ante electionem præterita crimina adeo infamassent, & violenta præcedens intrusio, illicitæque atque probrosæ promissiones factæ Theodoræ Augustæ fœminæ hæreticæ contemptibilem reddidissent, atque demùm Siluerij Papæ obitus fermè omnibus detestabilem effecisset. Ita planè permisit Deus Apostolicam Sedem nonnumquam etiam in ea sedentium malitia, fluctuare, atque in discrimen adduci, vt ab omnibus intelligatur non humanis, sed diuinis illam fulciri præsidijs, nec alium quàm ipsum esse, qui regit Israel, & deducit velut ouem Ioseph; vt cum, inquam, omnis fermè spes videri possit esse consumpta, & animo concidant, deficiantque ipsi, qui contra vehementes ventorum flatus nituntur, & laborant in remigando; tunc ipse ex improuiso appareat, atque dicat: Confidite, ego sum nolite timere. Sum ego ille ipse quidem, qui Petro, cum cæpisset mergi, manum extendens, eduxi illum ex vndis. Sum ego, qui eidem Cœli claues tradidi & inferorum, quo scirent omnes, cęlicolas ipsum habere socios, & inferis dominari. Ego ipse sum, qui, ne aliquis eius successor posset diffidere demeritis, post triplicis reatum negationis eidem Petro vniuersalis gregis credidi perfecturam. Ego insuper ille ipse sum, qui eidem aliquando dixi: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam:] nec non; [Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Quibus omnibus haud obstat, quod Vigilius modò in approbatione, modò in condemnatione trium capitulorum, primi de Theodoro Mopsuesteno, secundi de Theodoreti causa, tertij de Iba quondam Edessenæ ciuitatis Episcopo, varium se ostenderit; cum enim in his disceptationibus de solis personis, nulla autem de fide esset quæstio, vt alter ab altero aliter sentiens dici posset hæreticus, immò vtraque pars in altercando, ac disserendo profiteretur, totum quod ageret, inde respexisse, vt consultum esset dignitati, sicut & auctoritati sacrosancti Concilij Chalcedonensis; certè si licuit Vigilio ex causa vitandi schismatis priorem mutare sententiam, & contraria ijs, quæ antea statuisset in constituto decer-

decernere; eadem etiam ex causa licuit ipsi mutato rerum statu, rursum mutare sententiam, itidemque eius successoribus in ipsius Vigilij abire sententiam, vt pluribus demonstrat Cardinalis Baronius tomo 7. Annalium ad annum Christi 553. Eiusdem Pontificis consulendæ sunt epistolæ ad Episcopos Galliæ, & ad Aurelianum Episcopum Arelatensem: item Pelagij Papæ I. ad Vigilium, & ad Sepaudum Arelatensem Episcopum.

Cùm Ioannes Episcopus Constantinopolitanus, prætextu quidem causæ Gregorij Episcopi Antiocheni de adulterio accusati, re vera autem, vt Oecumenici, siue vniuersalis Patriarchæ nomen vsurparet, Constantinopoli Synodum congregasset, Pelagius II. in epistola, cuius titulus: [Dilectissimis fratribus vniuersis Episcopis, qui illicita vocatione Ioannis Constantinopolitani Episcopi ad Synodum Constantinopolim conuenerunt, Pelagius;] quot verba, tot ferè habet argumenta supremæ, atque adeo infallibilis auctoritatis Pontificis Romani in rebus fidei, & religionis; primò, dum ait, illum verum, ac legitimum Petri Apostoli esse successorem; additque collata à Christo in eum priuilegia, eadem in ipsius successorum redundare præstantiam. Secundò, dum firmiter asserit ius generalis Synodi conuocandæ, eiusque firmandæ, vnius esse tantùm Romani Pontificis. Tertiò, dum quæ acta ab ipsis essent in eadem Synodo vniuersali, re ipsa Pelagius ipse nullius esse præcipit auctoritatis. Quartò, dum iudicium in Orientis omnes Patriarchas exercet, sententiã qua excommunicationis comminatur, si quid eiusmodi inconcessum presumant. Quintò, dum disertis verbis affirmat, predecessores eiusdem Ioannis Constantinopolitanos Episcopos, sępissimè (vt ait) epistolis scriptis, datisque libellis propria manu consignatis esse professos Romanorum Pontificum primatum, quem, & numquam in posterum sub obtestatione diuinę sententię labefactare polliciti sunt. Sextò, dum in eumdem ipsum Ioannem Constantinopolitanum Patriarcham fulmen excommunicationis interminatur, ni citò emenderet, quod deliquisset.

Septimò, dum totidem verbis Romanam Ecclesiam à Domino esse institutam caput omnium Ecclesiarum affirmat. Octauò, dum praxis ostenditur de Orientalibus Patriarchis consulere consuetis Apostolicam Sedem, atque ab ipsa de ambiguis expectare sententiam. Nonò, dum veteri consuetudine seruatum, & Synodali decreto firmatum tradit, vt ex vniuerso orbe maiores, & difficiliores causæ ad Sedem Apostolicam deferrentur. Decimò, dum eminentiori solio constitutus, lata sententia infames esse decernit, quicumque aduersùs Patres armantur, veluti eorumdem inuasores, & occisores. Vndecimò, dum ad calcem ait ipsos Romanos Pontifices in Ecclesia Catholica vindices canonum præsidere, eosdemque instaurare, ac renouare, quæ prauorum hominum essent labefactata conatu: tantùm ex præfata Pelagij epistola pro suprema Romanorum Pontificum super Ecclesiam vniuersalem auctoritate, vt mirum sit Molinæum, & alios Nouatores eius sequaces non vidisse, ipsum, dum ait nullum Patriarcharum dici debere vniuersalem, ad illos tantùm Orientales, ad quos scribit, habuisse respectum, maléque proindè ab illis inferri, primatum esse in Ecclesia non debere, eumque Romanos Episcopos sibi super omnes Ecclesias iniustè vendicare contra Pelagij assertam Sanctissimi Papæ sententiam, hoc enim ipse numquam somniauit. Tantùm Pontifices Romani huius seculi, nunc ad alia testimonia.

In Synodo Romana quarta sub Symmacho cap. 3. legenda, quæ Laurentius Episcopus Mediolanensis Ecclesiæ dixit pro suprema, & infallibili auctoritate Romani Pontificis per vniuersum orbem: [Qua, inquit, statutis Synodalibus consueuit tribuere firmitatem.]

Concilium Carthaginense in epistola ad Ioannem Papam: [Definitionibus autem Nicæni Concilij publica lectione transcursis, inter alia, de quibus nasci debuit, disputatione requiri iam cæperat: quomodo Arianorum Sacerdotes ad Catholicã fidem suscipi oporteat, vtrùm ne in suis honoribus, an in laica communione. Sic omnibus nobis vnanimitèr subitò placuit sciscitari primitùs beatitudinis vestræ sententiam. Potest enim Sedes Apostolica (quantum speramus) tale nobis interrogantibus dare responsum, quale nos approbare concorditer explorata veritas faciat. Ex omnium quidem collegarum tacitis motibus nemini placere sensimus, vt in suis honoribus Ariani suscipiantur. Verumtamen conuenire charitati credidimus, vt quid habeat sensus noster in publicam notitiam nemo perduceret, nisi priùs, vel consuetudo nobis, vel definitio Romanæ Ecclesiæ proderetur;] hactenus præfati Concilij Patres, qui ni supremam, ac infallibilem Romani Pontificis auctoritatem agnouissent, paratos haud se præbuissent, etiamsi diuersam ab eo sententiam meditati essent, ab ea tamen libenter recedere, si ipse Pontifex, quem consulunt diuersa rescriberet.

Etiam, cum de Paschatis die exorta esset controuersia, in Concilio quarto Aurelianensi hoc seculo celebrato, sanctissimi Episcopi Gallicani procul dubio credentes haud alibi, quam apud Sedem Apostolicam infallibilem fidei magistram veritatem inueniri, statuerunt: [De hac solemnitate quoties aliquid dubitaretur, inquisitam, vel agnitam per Metropolitanos à Sede Apostolica sacram constitutionem teneri.]

Synodus Mopsuestena, cuius acta habentur in quintæ Synodi actione quinta, eamdem supremam Pontificis Romani auctoritatem agnoscens, in causa Theodori eiusdem ciuitatis quondam Episcopi, aduersùs quem congregata erat, hæc ad Vigilium Papa scribit: [Decebat verè, cùm primam Sacerdotis dignitatem sortiti estis, sanctissime, ea quę ad Sanctarum Ecclesiarum statum respiciunt, manifesta vestræ diuinitus honoratę beatitudini fieri:] Deindè narratis, ac missis rebus per gestis concludit: [Petimus diuinitùs inspiratos vos religiosissimis, & Deum placantibus vestris orationibus nos humiles sufsulcire.]

Ex Concilio secundo Turonensi cap. 21. post decretum Innocentij Papæ recitatum;

[Qui

[Qui Sacerdotum contra decreta talia, quę à Sede Apostolica processerunt, agere pręsumat? & quorum auctorum valere possit pręedicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas.

In Concilio Bracharensi, cui præfuit Lucretius Bracharensis Episcopus Profuturi successor, primùm omnium ex præscripto Sedis Apostolicæ habetur damnata hæresis Priscillianistarum, & aliorum hæreticorum errores, capitulis decem, & septem. Sed sicut fides recta sancita est ex Apostolicæ Sedis instructione, ita pariter ex eiusdem scriptis ad Profuturum Episcopum Lucretij prædecessorem, quæ spectarent ad Ecclesiasticam disciplinam viginti duabus regulis sunt instituta. De literis autem à Romano Pontifice ad Profuturum antea datis ita ibi testati sunt Patres: [Si quid est illud magnum vel paruum, quo variari videmus: ad vnam (sicut dictum est) formulam, pręfixis rationabiliter capitulis, reuocetur: præcipuè cum, & de certis quibusdam causis instructionem apud nos Sedis Apostolicæ habeamus, quam ad interrogationes suas quondam venerandę memoriæ prædecessoris tui Profuturi prudentia ab ipsa Beatissimi Petri accepit cathedra.] Lecta est ipsa ibi epistola Romani Pontificis, quam se omnes sequi professi sunt, in ipsis præsertim sacris ritibus, & inter alia ita de missa: [Item placuit, vt eodem ordine Missæ celebrarentur ab omnibus, quo Profuturus quondam huius Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus ab ipsa Apostolicæ Sedis auctoritate accepit scriptum.] En quomodo more maiorum vsus semper ille viguit Ecclesia Catholica, qui ab exordio ipsius incipiens, idem ad posteros propagatus semper fuit, nempè, vt ad Apostolicam Sedem, ipsam Romanam Ecclesiam veniant omnes longè,latèque per orbem vniuersum sitæ Ecclesiæ, vt ab eadem tamquam à suprema, ac infallibili fidei magistra, tum de illa, tum de his quæ ad sacros Ritus, necnon ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, erudiantur.

In Concilio Lugdunensi primo ob scandala à quibusdam malis Episcopis tunc illata congregato, ex Gregorio Turonensi histor. Franc. lib. 5. cap. 20. cùm aliqui eorum Episcopatus honore priuati fuissent, accesserunt ad Regem Guntheramnum, deplorantes se iniustè remotos, sibique tradi licentiam petentes, vt ad Papam Vrbis Romanæ accedere possent; quorum petitioni Rex annuens, datis epistolis, eos abire permisit. Qui accedentes, coram Papa Ioanne exponunt se nullius rationis existentibus causis dimotos. Ille verò epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui iubet. Quod Rex sine mora, castigatis priùs illis verbis multis, impleuit. Ex quo satis intelligitur, attenta suprema Summi Pontificis Romani auctoritate, viguisse his etiam temporibus (vti semper viguerat) vsum illum à quouis Concilio ad Sedem Apostolicam appellandi; quantamque propterea reuerentiam exhibuerint Reges, atque Episcopi sententiæ Romani Pontificis, vt quamuis ijdem videri potuissent iniustè restituti esse, quos Synodus iustè damnasset, parere tamen ipsi minimè prætermiserint.

Inter Patres, ac Sciptores Ecclesiasticos Pontificiæ infallibilitatis in hoc sæculo testes primus occurrit S.Fulgentius Carthaginensis, Episcopus Ruspensis vir sanctissimus, & Doctissimus, in egregio illo de Incarnatione Verbi, & gratia,& libero arbitrio commentario, quod à se scriptum esse, ex Ecclesiæ Catholicæ præscripto, & Apostolicæ Romanæ consensu, ingenuè profitetur; vbi inter alias gemmas nitet de primatu Romanæ Ecclesiæ, ac supremo eius in fide magisterio ista sententia tanto digna doctore:[Duorum, inquit, magnorum luminarium, Petri scilicèt, Paulique verbis, tamquam splendentibus radijs illustrata, eorumque decorata corporibus Romana, quæ mundi caput est, tenet, & docet Ecclesia, totusque cùm ea Christianus Orbis, & ad iustitiam nihil hæsitans credit,& ad salutem non dubitat confiteri.]

Ennodius Diaconus, & postea Episcopus Ticinensis in libello pro Symmacho aduersùs schismaticos inter alia hæc habet:[Visitatores, inquiunt, & alijs Episcopis dedit ipse; & iustum est, vt facti sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis incesso diù mendacijs adhærentia verba non arguo: Dico tamen, latorem iuris definitionis suæ, nisi velit,terminis non includi:& nisi princeps fastigij summa modetetur,frustra ad illud,quod dederit ius vocatur. Lex probitatis, & mentis est, quæ hominem viuentem sine lege castigat: propriè moribus impendit, quia necessitati non debet disciplinam. Aliorum fortè hominum causas Deus voluit per homines terminare, sed Sedis istius præsulis suo sine quæstione reseruauit arbitrio: Voluit Beati Petri successores cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam. Nolite timere eas animas de inquisitione non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reseruauit examini: Dicas forsitan: Omnium animorum talis erit in illa disceptatione conditio. Replicabo vni dictum: Tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta, & in cœlis. Et rursum Sanctorum voce patet, Pontificum dignitatem Sedis eius Sanctam, toto Orbe venerabilem: dum illi quicquid fidelium est vbique submittitur, dum totius orbis caput esse designatur: de qua mihi videtur dictum per Prophetam Isaiam cap.10. Si hæc humiliatur,ad cuius confugietis auxilium? & vbi relinquetis gloriam vestram?] Hæc, & alia plura aureis notanda signis Ennodius pro suprema PontificisRomani auctoritate aduersùs schismaticos, qui ausi essent Visitatorem postulare,à RegeTheodorico contra Symmachum, Romanum Pontificem.

Orientalis Ecclesia in epist.ad eumdem Symmachum, quæ extat tomo 2. epist. Rom. Pontif.vehementioribus angustiata pressuris, & arctata malis, sic eum, tamquam supremum Pastorem, in quo Ecclesiasticæ auctoritatis residet plenitudo,interpellat auxilium ac remedium petens: [Tu autem affectuosus in filijs pater, non in visione, sed in veritate spiritualibus cernens oculis pereuntes in pręuari-

uaricatione patris nostri Acacij, noli remorari, magis autem, vt ita dicam sicut Propheta) non dormites, sed festina ad liberandum nos: quia non in ligando tantùm potestas est tibi data, sed in soluendo quoque diu vinctos ad imitationem magistri: neque in eradicando, vel diruendo, sed in plantando, & ædificando, secundùm Beatum Hieremiam, magis secundùm Saluatorem mundi Christum, in cuius ille extitit typo: neque in tradendo tantùm Satanæ in interitum carnis, sed & in charitate formando longa auersione deiectos: ne (quod absit) maiori tristitia absorptis nobis à Satana, videamini pertulisse dispendium. Non enim ignoras eius ingenium, qui quotidie à Sacro Doctore tuo Petro doceris oues Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi pascere non vi, sed spontè coactas, qui cum doctissimo Paulo clamas nobis subiectis, & dicis; Non enim dominabimur vobis in fide, sed cooperamur in gaudio;] & sic deinceps.

Hoc eodem tempore, cum Christiano Orbi innotuisset Hormisdam nouum Romanæ Ecclesiæ electum esse Pontificem, Clodoueus, primus Francorum Rex Christianissimus, supremam in eo, & vltra quàm maior in terris non datur, agnoscens authoritatem non temporalem, sed spiritualem, misit ad eum (vt auctor est Hincmarus in vita S. Remigij) coronam auream cum gemmis; quæ regnum appellari solet; cuius doni, eam à Deo ipsum consecutum esse mercedem declarauit euentus, inquit Baronius, vt Francorum regni corona hactenus perseueret. Certè quidem miraculi fermè loco ducendum est, vt in vna gente tanto tempore, tanta propagatione regnum permanserit, quæ de alia aliqua natione accidisse, haud facilè quis inueniet. De quo etiam hoc vnum, multis iam retro actis sæculis prædictum esse traditur, tamdiu scilicèt illud duraturum, & liliorum suorum puritatem, ac candorem seruaturum, quamdiu Diui Petri Vicarij Christi, summique in terris Ecclesiæ pastoris cathedræ iungetur, ac Pontificiæ dignitati fideliter adhærebit; ex Andrea Duuallio in fine tract. de Summo Pontifice.

Pax erit, & toto florebit Gallia mundo.
Donec adhærebunt lilia Pontifici.
Pax erit, & puro fulgebit lilia Gallia flore,
Dum claues cingent lilia Pontificis.

Sed, & ipse Francorum Apostolus Remigius, cuius suasu Clodoueus præfatam Hormisdæ direxit coronam, literis suis eum salutauit. Ad quem Hormisda rescribens, eidem ob præclaram meritorum excellentiam, & nobilissimæ Sedis prærogatiuam, vt in Francorum regno vicem gereret ipsius Romani Pontificis, dedit, ita tamen inquit; [Vt quicquid illic pro fide, & veritate constitutum, vel prouida dispensatione præceptum, vel personæ nostræ auctoritate fuerit confirmatum, totum ad scientiam nostram instructa relationis attestatione perueniat. Eò fit, vt, & noster animus officij charitate dati, & tuus securitate perfruatur accepti.]

Anastasius Imperator in epistola ad Hormisdam, quod sciret Romanum Pontificem in dubijs fidei quęstionibus arbitrum esse, ac sequestrem pacis Ecclesiasticæ, nec non cogendi in hunc finem Concilia, vbi ita opus esse iudicaret, hæc habet occasione dissidiorum Ecclesiæ Orientalis; [Nunc autem currens de vobis suauis opinio, ad memoriam nostram bonitatem paternæ affectionis adduxit, vt illa requiramus, quæ Deus, & Saluator noster Sanctos Apostolos diuino sermone docuit, ac maximè beatum Petrum, in quo fortitudinem Ecclesiæ suæ constituit. His igitur præfatis initijs, hortamur vt ad ea, quæ de Scythiæ partibus mota sunt, vndè, & Concilium fieri conuenire perspeximus, mediatorem se Apostolatus vester faciat, vt contentionibus amputatis, vnitas Sanctæ restituatur Ecclesiæ.

Sanctus Auitus Episcopus Viennensis in epistola ad Hormisdam, qua ab eo rescire desiderabat statum Ecclesiæ Orientalis, primùm hæc habet, [Eutychetis igitur, Nestorijque damnatio, quos iamdum per beatissimos prędecessores sanctæ Sedis vestrę calcauit auctoritas, ad notitiam iam pridem nostram Apostolicæ ad nos diligentiæ prouisione perlata est, deinde in fine subdit; [Quæsumus ergo seruitio meo iuncto, vt quid filijs vestris, fratribus meis, id est, Gallicanis, si consular, respondere debeam instruatis. Quia iam securus, non dicam de Viennensi, sed totius Galliæ deuotione pollicear, omnes super statu fidei vestram captare sententiam. Orate, vt sic nos prædictorum fucata professio non fallat, sicut ab vnitate, quam legitis, veritas comperta non separat.

Ioannes Episcopus Nicopolitanus Epiri veteris Metropolitanus; in epistola ad Hormisdam; [Votum autem mihi est vestram sequi doctrinam, sicut inter Sanctos prædecessor meus Alcyson extiterat. Et anathematizo Dioscorum, ac Timotheum appellatione Elurum, & Petrum eorum successorem, & Petri communione cum his per mixtum Acacium, & Petrum, qui Antiochenam perturbauit Ecclesiam; sequens in omnibus Synodicas, & Apostolicas epistolas scriptas à vero præsule Romanæ Ecclesiæ Leone. Rogo autem, pleniùs, atque perfectiùs, quæ seruari oportet, commonete; & à quibus abstinere debeam, vestris custodibus literis intimate; vt si forrassis adhuc inexercitatus ordini deputor lectionum, seu dixi, seu egi Apostolicis vestris doctrinis incongruum, vestris imbutus sermonibus possim hæreticorum obsistere machinis. Hoc enim facientes, sanctissime, firmiores nostræ sanctæ Synodi inuenietis Episcopos, & bonorum actuum clerum, & populum confirmabitis, tamquam familiarem vobis reddentes Sanctam Nicopolitanorum Ecclesiam. Venerabilem verò diaconum Ruffinum ad tam necessariam causam directum, pacificè, sicut decet, rogati suscipite; & fiduciam tribuentes, celerem eius recursum ad nos pręstare dignemini, portantem spiritualia, atque Apostolica, constituta.] Hæc Ioannes Nicopolis Archiepiscopus totius Epiri Metropolitanus, cùm recens creatus more maiorum, se communicare Ecclesiæ Romanæ significauit, totque ac tantus inter tunc orientis tenebras constitutus recurrit ad Summum Pontificem, tamquam

ad supremum, ac infallibilem fidei magistrum, & iudicem; non ipse tantùm, sed & Synodus prouincialis ab Episcopis Epiri tunc habita, vt patet ex eorum epistola, cuius titulus est, Synodus Veteris Epiri, Ioannes, Matthæus, Constantinus, Christophorus, Hilarius, Philippus, Iulianus, & Chrysippus, Domino nostro per cuncta Sanctissimo, & beatissimo, Patri Patrum, comministro, ac Principi Episcoporum Hormisdæ Papæ.

Possessor Episcopus Africanus ex more, de quæstionibus ad Catholicam fidem spectantibus, non alium quemquam, nisi quem præsidere sciret in Ecclesia Catholica, magistrum agnoscens, hæc ad Hormisdam Papam scripsit; [Decet, & expedit ad capitis recurrere medicamentum, quoties agitur de sanitate membrorum. Quis enim maiorem circa subiectos sollicitudinem gerit, aut à quo magis nutantis fidei stabilitas expectanda, quàm ab eius Sedis præside, cuius primus à Christo rector audiuit; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Cùm Orientales, qui extra Ecclesiam hactenus in castris hostilibus militarant, Episcopi ad vnitatem Catholicæ Ecclesiæ se velle redire significarent, libellos obtulerunt ipsi Iustino Imperatori, petentes, vt de his quæ ad fidem spectant, quæstiones aliquæ soluerentur, ne quis dubitationis scrupulus eorum mentibus insideret. Quibus acceptis Imperator probè sciens non esse sæcularium Principum de fide soluere quæstiones, sed primarij, qui Ecclesiæ Catholicæ præsideret Antistitis, easdem ad Hormisdam Papam definiendas misit, datis ad eum in hunc finem literis, vbi inter alia hæc habet; [Verùm quoniam preces nostro numini porrectæ sunt ex diuersis Eois prouincijs, certa quędam differentibus pro fide Catholica, secretaque suæ mentis declarantibus, quæ apud se pro indiuidua Trinitate constituta testantur, quæque firmiter se se recepturos ostenditur; hisque relictis, Dioscorus aliqua asseruit non conuenienti ordine inserta fuisse; meritò duximus aperienda vobis ea, quæ sumus edocti. Non multo itaque post à nobis quidam destinabitur ad certiorem faciendam beatitudinem tuam super omnibus, & insinuandas vobis supplicationes, quæ nobis oblatæ sunt, & responsum pietatis vestræ referendum, quo possint resecari tandem dubitationes incongruæ.

Eulalius Carthaginensis epistola ad Bonifacium II. [In sede Apostolica extra maculam semper est Catholica seruata religio: de qua spe, & fide minimè separari cupientes, & Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes, qui contra Sanctam Romanam & Apostolicam Ecclesiam superbiendo suas erigunt ceruices; sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & prædicantes eius omnia constituta, & per omnia spero, vt in vna communione vobiscum, quam Sedes Apostolica prædicat, esse merear, in qua est integra, & vera Christianæ religionis, & perfecta soliditas.]

Cassiodorus in epistola ad Ioannem Romanum Pontificem, [Monete me quæ sunt gerenda sollicitè, bene agere, vel correptus exopto, quia difficiliùs errat ouis, quæ voces desiderat audire pastoris; nec facilè efficitur vitiosus, cui admonitor insistit assiduus. Sum quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus; nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus.]

Iustinianus ante suam ad imperium assumptionem ita ad Hormisdam Papam scribit. [Propitia Diuinitate, quæ semper Ecclesiam Catholicam per incrementa fidei instituit, vnitas Sanctarum Ecclesiarum per doctrinam, & auctoritatem Apostolatus vestri prouenit, deindè post multa subdit, Post semel enim diuina misericordia donatam Ecclesiæ Catholicæ vnitatem, quidam asserunt, Christum filium Dei Dominum nostrum pro nostra salute carne crucifixum, vnum de Trinitate debere prædicari, quod si suscipiendum sit; paterna prouisione reuerentia vestra cautissimo suo rescripto, quid sequi, quidue super hoc vitare debeamus, nos certiorare dignetur, quoniam verba videntur facere dissensionem: nam sensus inter Catholicos omnes vnus esse probatur. Imponite igitur vobis semel susceptum laborem, sancte, ac venerabilis Pater; etiam in hoc prædecessores vestros sequentes, quorum memoriam, & amplectimini, & consortio Pontificatus ornatis, & de hac intentione liberos nos properate reddere, & securos. Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum.] Dignam profectò Iustiniano, cum suę esset mentis compos, atque præstaret pietate, sententiam, ex qua perspicuè satis quisque intelligere, manuque tangere possit, quàm infallibilis æstimaretur in dubijs fidei quæstionibus componendis Apostolicæ Sedis auctoritas, vt quod ab illa esset definitum, illud apud omnes Catholicum haberetur.

Item in alia ad eumdem epist. [Quanta reuerentia vestram beatitudinem veneremur multis epistolis; ex quo Serenissimus Imperator filius vester regnauit, cognoscitis. In præsenti quoque debito pudore salutantes tuam Sanctitatem, postulamus enixiùs, vt nobis tàm de sermone, de quo vertitur controuersia, quàm de nominibus Episcoporum sub Acacio defunctorum per Eulogium virum sublimem Tribunum, & Notarium dignetur Apostolatus vester integrum indubitatumque destinare responsum, omnibus videlicet, quæ præsentibus legatis vestris ordinata sunt, in perpetuo firmiter duraturis; paucis deindè interiectis. Aeternitatis igitur supernę, tremendiq; iudicij non immemor Sanctitas vestra, quæ sibi commissa sunt, efficacia tradi deproperet, vt intelligant cuncti, rectè vos Apostolicæ Sedis esse primatum sortitos. Hęc igitur, quæ à nobis scribuntur, affectu paterno iubete quantocyus adimpleri: scitis namque; quàm sit admirabilis glorię, tantorum errores annorum vestri Pontificatus tempore stirpitus aboleri.]

Factus postea Imperator tot, ac tanta in eamdem sententiam scripsit, & quamdiù sapuit, operatus est: vt de eius mente circa primatum Romani Pontificis super omnes Ecclesias, supremamque eius, & infallibilem in rebus fidei, & religionis auctoritatem nullatenus dubitari possit, primum enim delectis præcipuis Orientis Metropolitanis Epi-

scopis, nempè Cæsariensi, atque Ephesino ad obeundam legationem collegis; per eosdem hæc scripsit ad Ioannem Romanum Pontificem, lib. 8. cap. de summa Trinit. [Reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto, & fuit, & est) vt decet patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia, quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, festinauimus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis, quoniam semper nobis fuit magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis; & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hactenus obtinet, incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes Sacerdotes vniuersi Orientalis tractus; & subijcere: & vnire vestræ Sanctitati properauimus. In præsenti ergo quæ commota sunt quamuis manifesta & indubitata sint, & secundùm Apostolicæ vestræ Sedis doctrinam ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita, & prædicata, necessarium duximus, vt ad notitiam vestræ Sanctitatis perueniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium Sanctarum Ecclesiarum. Postea in fine, Petimus ergo vestrum paternum affectum, vt vestris ad nos destinatis literis, & ad sanctissimum Episcopum huius almæ vrbis, & Patriarcham fratrem vestrum (quoniam & ipse per eosdem scripsit ad sanctitatem vestram, festinans in omnibus Sedem sequi Apostolicam beatitudinis vestræ) manifestum nobis faciatis &c. Plus enim ita, & circa vos omnium amor, & vestræ Sedis crescit auctoritas; & quæ ad vos est vnitas Sanctarum Ecclesiarum, inturbata seruabitur, quando per vos didicerint omnes beatissimi Episcopi eorum, quæ ad vos relata sunt, sinceram vestræ sanctitatis doctrinam.] Quod præstitit Summus Pontifex Ioannes missis ad Iustinianum Imperatorem Apostolicis literis, quas, vt posteris omnibus perspicuæ semper essent, in recentiori tunc facta sui Codicis editione voluit exarari, vt iam notauimus supra, malèque Nouatores negare epistolam Iustiniani ad Ioannem Pontificem, illamque ab ipso ad eum redditam: esse germanas cum ex altera ad Senatores à Ioanne conscripta ambæ legitimæ declarentur, nec non ex Iustiniano in constitutione lib. 7. Cod. de sum. Trinit. ad Epiphanium Constantinopolitanum, cuius hæc sunt verba, [In omnibus, inquit, seruato statu vnitatis sanctissimarum Ecclesiarum cum ipso sanctissimo Papa veteris Romæ, ad quem similia hisce perscripsimus. Nec enim patimur, vt quicquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad eiusdem referatur beatitudinem, cum ea sit caput omnium Sanctissimorum Dei Sacerdotum, vel eo maximè, quod quoties in his locis hæretici pullularunt, & sententia, & recto iudicio illius venerabilis Sedis coerciti sunt. Similia habentur Nouel. 9. 42. & 131. c. 2.

Orientales Episcopi in libello; quem Agapeto Papæ tunc commoranti Constantinopoli obtulerunt, aduersùs Hæreticos, eorumque fautores: [Ex quo Christus Deus noster pro debitis vobis præmijs; propter ipsam in omni tempore cum vera fiducia sua inuisibili, ac terribili virtute diuulgatam confessionem super venerabile caput vestrum requiescere fecit, cùm Sedem Apostolorum vobis Pater beatissime, commisit, & firmauit supra firmam Petram pedes vestros, & dixererit gressus vestros, & impleuit os vestrum cantico nouo, hymno Deo nostro: sperauerunt in Domino secundùm Psalmidicum eloquium clarificari à spirituali splendore vestro, per quem tamquam lucerna splendens super sancto candelabro caliginem eorum, qui in tenebris sedent, & cæcos illuminastis, & oculos mentis ipsorum aperuistis. Et propterea confisi, & credentes diuino eloquio dicenti. In tempore non timebit cor confugiens ad intellectum. Et experientia intellectus cognoscentes vos esse diligentes custodes Thesaurorum Apostolicorum, exoramus &c. Hierosol. Synod. Act. 1. ad finem recitata in Synod. Constantinop. sub Menna Act. 1.

Ex veteri monumento Bibliothecæ Romanæ lib. num. 1538. apud regest. S. Greg. pag. 194. relato à Baronio tomo 7. ad annum Christi 536. vbi agitur de Agapeti Constantinopolim aduentu, hæc habentur; [At verò Agapitus iuxta præceptum Petri, vniuersis profuturus Ecclesijs, quæ per id tempus omnes in se inclinatæ recumbebant, in ipsarum se necessitatem conuertit, columnamque se suffulsit immobilem.] etenim, vt dictum est supra, vbi Constantinopolim venit, plures de miserando statu Ecclesiarum ei libelli oblati sunt, petentes omnes ab ipso, cui vniuersalis gregis cura in Petro credita fuit, cui & dictum est: confirma fratres tuos, auxilium impertiri.

Vltimò tandem habemus legationem Childeberti Francorum Regis Christianissimi ad Pelagium II. qua ab eo tamquam à supremo fidei magistro: & de illa instrui, & illius formulam expetijt: Childebertus, inquit Papyrius Masso Annal. Franc. lib. 1. Ruffinum in Italiam ad Pelagium Romanum Pontificem miserat; rogatum, an Catholicum Leonis tomum aduersùs Eutychetem sequeretur. Pelagius respondit librum illum Ecclesiæ probari, ipseque vt rex postularat, nouam fidei formulam scripsit.

Septimum Sæculum ab anno 600. ad 700.

Sanctus Gregorius Papa I. ob eximiam sanctitatem, ac doctrinam meritò Magnus appellatus, qui vsque ad sexcentesimum quartum annum Domini Ecclesiæ præfuit, eamdem supremam; & consequenter infallibilem Romani Pontificis auctoritatem, vt actibus exercuit, sæpè Episcopos confirmando, interdum deponendo; vel excommunicando, grauiter reprehendendo elationem Ioannis Constantinopolitani. & minando coercitionem, nisi resipiscat ab vsurpatione tituli Vniuersalis, aliaque eiusmodi præstando, quæ leguntur in eius vita, ita quoque pluribus in locis eam docuit; præsertim lib. 2. indict. 11. epist. 7. cap. 46. vbi potestatem supra omnes Episcopos, & ad omnes causas ar-

arduas terminandas profitetur, & epistola 7. ad Gennad. indict. 12. Cum ad Concilium celebrandum Numidiæ Prouinciæ Episcopi conuenissent, & præter ius, fasque aliqua statuissent, nullius ea declarauit esse auctoritatis; quatenus Romani solius est Pontificis ob supremam, quam habet in Ecclesia vniuersali auctoritatem, quæ ab alijs sunt facta Episcopis, decretaue in ipsorum Concilijs; probare, siue reijcere, vt illa dumtaxat firma sint, quæ ipse impartita sibi diuinitùs facultate firmauerit. Qua etiam de causa: cum idem S. Gregorius subodoratus esset peragi Synodum Constantinopoli, inscia Apostolica Sede, veritus ne quid noui ibi decerneretur de nomine Oecumenicis, siue Vniuersalis scripsit ad omnes Episcopos Orientis, licèt dumtaxat Eusebius Thessalonicensis Episcopus in Epistolæ inscriptione nominetur, monens vt Cyriaco talia præsumenti resistant: atque de Concilio ista subdit lib.7. epistol. indict. 2. epist. 69. vel 70. secundùm diuersitatem editionum. [Præterea peruenit ad nos, quod fraternitas vestra ad vrbem Constantinopolim sit conuocata. Et quamuis pijssimus noster Imperator agi illic illicita non permittat tamen ne peruersi homines conuentus vestri occasione reperta, aut pro huius nominis superstitione locum surreptionis requirant, aut ob aliam rem facere Synodum cogitent quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant: quamuis sint Apostolicæ Sedis auctoritate, atque consensu nullas quæcumque acta fuerint vires habeant, verumtamen coram omnipotenti Deo contestor, & admoneo, vt nullus vestrum illic quibuslibet suasionibus, quibuslibet blandimentis, quibuslibet terroribus teneatur assensus, sed pro æterni iudicij consideratione aduersùs praua desideria salubriter & vnanimiter vos exhibete, & pastorali constantia, atque Apostolica auctoritate suffulti, prædonem, irruentemque lupum excludite, & in discissionem Ecclesiæ sæuienti non credite, ne de hac re quacumque surreptione Synodum patiamini, quæ neque legitima quidem. nec Synodus dicenda est celebrari &c.] Tandem eiusdem lib. 7. epistola 125. [Quæ semel Apostolicæ Sedis auctoritate sancita sunt, nil egent firmitatis.] En quanta ex Diuo Gregorio, in vno Romano Pontifice insit auctoritas, atque potestas cuius decreta aliena non egere firmitate; nisi verò eius consensus accedat, omnia à quibusuis Episcopis, eorumque Synodis statuta inania penitùs reddi contestatur.

Dum ergò sanctissimus hic, atque doctissimus Pontifex, sed simul humillimus in epistola Mauritium Imperatorem lib. 2. indict. 11. ad epist. 82. & ibid. 65. ad Theodorum nimis abiectè loqui Nouatores plures inferunt malas consequentias, quasi docuerit subiectum à Deo Imperatori Sacerdotium fuisse, primum meminisse debuissent eorum, quæ idem S. Gregorius scripsit in Psal. pœnit 4. intellexissentque sic eum dicere voluisse subiectos à Deo Sacerdotes Imperatori Mauritio, quemadmodum Christus redemptor noster fatetur se diuina permissione subditum potestati Pilati: & sicut itidem dixit ijs, qui ipsum neci tradere satagebant: Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Iterum considerare debuissent, quæ Gregorius ipsius epistolæ ad Mauritium est præfatus exordio, & contestatus, se nimirum non vt Episcopum ea scribere, sed iure priuato loqui; cæterum sufficiens edidit specimen Sacerdotalis vigoris, Pontificiæ auctoritatis, & spiritualis super Imperium potestatis, quando constitutionis Imperatoriæ, vt nullus, qui actionē publicam egit, nullus qui officio, & manu signatus, vel inter milites fuit, habitus, et in monasterio conuerti liceat, nisi fortè si militia eius fuerit expleta, quædam expunxit, quædam addidit, iungens ac minuens pro arbitrio, vt ad rectam Catholicæ Ecclesiæ normam, & disciplinam aptaret: posteris egregium relinquens exemplum, quicquid leges sanciendo religioni aduersas delirant Imperatores, ac Reges à Romanæ Ecclesiæ Pontificibus pro suprema eorum in rebus fidei, & religionis auctoritaesse protinus emendandum, & corrigendum; sicque ab ipsis fauendum eorum votis, vt eos errantes cum mansuetudine exemplo Gregorij corrigant, & Pontificia potestate, quod perperam factum norunt, Apostolica censura castigent; de quo vide ejus epist. 11. l. 7. indict. 1.

Vt vinceret quoque Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, eò arrogantiùs cum Gregorio Magnò agentem, quò ipsum despectui habitum sciret ab Imperatore; vt eum, inquam, vinceret, imitatus est Dei filium, qui cum Sathana non in sua maiestate, sed in nostra congressus est humilitate: sicque Sanctus Gregorius pugans contra Ioannem, non egit ipsa summa qua pollebat Apostolica auctoritate, sed Christiana humilitate, se deprimens, vt iacentem erigeret, ac deorsum humilians, vt lapsum in profundum sursum subleuaret, qui se extollendo ceciderat, literas ad eum dedit, quibus veluti priuata persona significat se cum eo primùm seruasse [quod veritas præcepit, dicens: si peccauerit in te frater tuus &c.] deinde paulò post [Ego itaque per Responsales meos semel, & bis verbis humilibus, hoc quod in tota Ecclesia peccatùr corripere studui: nunc per me ipsum scribo. Quicquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea correptione despicior, restat vt Ecclesiam debeam adhibere.] Vbi hæc verba, [restat vt Ecclesiam debeam adhibere,] non faciunt hunc sensum, quem aliqui perperam illis tribuunt, de congregando Generali Concilio, quasi fateretur Diuus Gregorius se sufficientem non habere auctoritatem reprimendi audaciam, & arrogantiam dicti Ioannis, cuius oppositum satis constat ex innumeris, vt huc vsque vidimus, prædecessorum Pontificum factis, & verbis, sed ibi nomine Ecclesiæ seipsum significat, tamquam supremum eius caput, cum priùs de seipso tamquam persona priuata, & particulari locutus fuisset: quasi dixisset, si fraternæ meæ, vt priuatæ personæ, confratrisque tui monitiones dispiciuntur, restat, vt meipsum, tamquam supremum Pontificem, supremamque in Ecclesia auctoritatem habentem adhibeam. Deinde dato quod ibi per Ecclesiam vniuersale Concilium intelligendum foret, malè indè inferretur Summum Pontificem Romanum seorsim à Concilio Generali non habere supre-

premam, & infallibilem auctoritatem in rebus fidei, & religionis, sed tantùm Diuum Gregorium voluisse iustis de causis eum Concilio Gen. facere, quod ipse solus præstare poterat, vt contigit multis alijs Summis Pontificibus, quotiescumque ab illis Concilia generalia cougregata sunt.

At quia ob reprehensum à Gregorio in Ioanne Constantinopolitano Vniuersalis titulum, eumdemque ab ipsomet recusatum, multi Nouatores eorumque sequaces, indè primatum Romani Pontificis, atque adeò supremam eius, & infallibilem in Ecclesia vniuersali auctoritatem destruere conati sunt, breuiter notandum est, quid benè, vel malè sonet hoc Vniuersalis nomen. Primò igitur significare potest vniuersalitatem veluti in essendo, secundò veluti in causando; siue quod idem est, nomen Vniuersalis sumi potest pro singulari, & vno solo, præter, quem nemo sit; qua significatione dicitur Ecclesia Vniuersalis vna toto orbe diffusa, extra quam nulla esse potest Ecclesia: Vel pro eo, qui remanentibus cæteris partibus integris, ipse illis supereminet: si primis accipiatur modis, rectè Gregorius ab illo abhorruit; & in epistola 32. ad Mauritium Augustum lib. 4. Indict. 13. ait [Pro beati Petri Apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici oblatum esse: sed nullum eorum vnquam hoc singularitatis vocabulum assumpsisse, nec vti consensisse: ne, dum priuatum aliquid datur, vni, honore debito Sacerdotes priuarentur vniuersi. Et hoc etiam sensu docet Christum solum Vniuersale caput esse Ecclesiæ in epist. 32. ad omnes Episcopos de priuilegio collato monasterio Sancti Medardi libro 12.

At si vocabulum Vniuersalis secundo accipiatur modo, quo etiam vetuit inter Patriarchas dici aliquem Oecumenicum, de Orientalibus intelligens, certum est Romanum Pontificem debere dici vniuersalem Episcopum absque aliquo fastu, cum eo nomine id quod est, exprimatur, nempè quod ipsi cura pastoralis vniuersi gregis totius orbis superimmineat. Nam ipse Gregorius in citata statim epistola de priuilegio concesso S. Medardi Monasterio [Hæc, inquit, Sedes Romana speculationem suam toto orbi indicit, & nouas constitutiones omnibus mittit] Qua etiam significatione in Psalm. pœnit. 5. eamdem Ecclesiam dominam gentium appellat. Quod, & opere sæpe ostendit: Quis enim annus est eius Pontificatus, quo non appareat ipsum esse totius orbis Episcopum, Vniuersalis Ecclesiæ habenas regere, Orientalibus, & Occidentalibus, Episcopis iura dare, omnes audire, & omnes itidem iudicare, appellationes ab orbe vniuerso recipere, Concilia cognoscere, probare, vel reijcere, dare pallia Metropolitanis Episcopis, atque Ecclesijs priuilegia impertiri?

Cum igitur de re non sit dubium, conueniatque ipse Gregorius, parum interest de nomine, quod quia ipsi fastuosum esse videretur, atque superbum, & Christianæ humilitati parum congruens, non adeò mirum est, si præ talis virtutis amore noluerint vocari vniuersalem, qui in epistola 31. antea ad Mauritium scripta lib. 4. Ind. 13. sed etiam negauit Sacerdotem esse: sedi erfi, inquit, Sacerdos non sum: scio grauem esse hanc iniuriam Sacerdoti, vt veritati seruiens, fallax credatur] Nemo tamen dixerit, vt puto, Sacerdotem, Gregorium non fuisse, qui se non esse Sacerdotem testetur? sicut nullus negabit Paulum fuisse Apostolum, qui se indignum fuisse vocari Apostolum 1. Corinth. 15. cum ipsemet ibidem cap. 9. de seipso fateatur [An non sum Apostolus? Et: Bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet? Ob eamdem causam, necnon æquiuocationem in hoc Vniuersalis nomine, vt diximus latentem, quodque propterea aliqua insit differentia, vt quis Vniuersalis Episcopus diceretur, vel Vniuersalis Ecclesiæ, sæpè ait idem Gregorius, nullum vnquam Romanorum Pontificum illud sibi nomen vsurpasse, vt Vniuersalis Episcopus diceretur. Complura cæterùm exempla reperiuntur, vt Pontifices, qui ipsum Gregorium præcesserunt, se inscriberent Episcopos Ecclesiæ Vniuersalis: nam vt prætermittam eos, de quorum epistolis aliqua potest esse controuersia, ecce Sanctus Leo Magnus sæpius ea voce vsus est, vt in epistola 57. ad Marcianum Augustum, inscribitur, [Leo Episcopus Romanæ, & Vniuersalis Ecclesiæ:] ita etiam in epist. 69. ad Eudoxiam Augustam: sicut & ad Leonem Augustum 97. inscribitur [Leo Romæ, & Vniuersalis, Catholicæque Ecclesiæ Episcopus] Insuper cum æquippollere videatur, imò idem Catholicum sit, quod Vniuersale: habemus pariter eosdem Pontifices Romanos inscribi solitos Catholicæ Ecclesiæ Episcopos: ita sæpè idem Leo, & inter alia ad Maximum Episcopum Antiochenum scribens epistola 66. Leo inquit Catholicæ Ecclesiæ &c.

Quod quidem nomen, vt consuetus titulus in Ecclesia Dei, ab alijs item iisdem Romanæ Ecclesiæ Pontificibus impertitum sæpiùs reperitur, & inter alios à viro illustri Pompeio cognato Iustiniani Imperatoris, qui cùm ad Hormisdam Papam scribit, eum Vniuersalis Ecclesiæ Episcopum nominat: ita etiam Anastasia itidem eiusdem Augusti affinis. Sed & alij Episcopi cùm ad eos scriberent, quàm amplis sint vsi titulis, habemus exemplum in Synodo ab Epiri Episcopis celebrata, vbi in epistola ad Hormisdam Papam eiusmodi præfigunt titulum: [Patri Patrum, comministro, ac principi Episcoporum, &c.] atque ad eumdem Ioannes Episcopus Nicopolitanus, & Monachi vniuersæ Syriæ ita in libello supplici: [Vniuersi Orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ continenti Sedem Principis Apostolorum Petri;] Tandem, vt alia plura omittam, nonne Ioannes Episcopus Rauennas, in epistola ad ipsum Gregorium reddita, ait: [Quibus ausibus ego sanctissimæ illi Sedi, quæ vniuersali Ecclesiæ iura sua transmittit, præsumpserim obuiare? &c.]

Honorius I. tantum abest, quod Monothelitarum hæresi, vel minimùm infectus fuerit, vt sequenti capite contra Nouatorum calumnias Deo dante demonstrabimus, quin potiùs omnia in ea comprimenda studia pro suprema sua pastorali cura Ecclesiæ Vniuersalis adhibuit; qua etiam, cum ab Eduino in

An-

Anglia Rege legatio Romam ad ipsum missa esset, qua peteret mitti pallia tum Paulino, tum etiam Honorio Episcopis, petita annuens, ad Eduinum Regem literas reddidit exhortatorias, simulque ad præfatos Episcopos pallium misit. Deinde inuigilans, quibus præerat vniuersis totius Orbis Ecclesijs, cùm didicisset Scotos Christianos antiquos licèt, & Euangelicæ vitæ cultores eximios, habere nonnulla, quæ correctione digna essent, nimirùm quod Pascha Domini celebrarent non eo die, quo vniuersa Ecclesia celebrare consueuit: de huiusmodi siue alijs corrigendis erroribus literas ad eos dedit, ex Beda Histor. Angl. lib. 2. cap. 19.

Cùm Heraclius suasu Sergij Constantinopolitani Episcopi publicum promulgasset edictum ad stabiliendam Monothelitarum hæresim, quod Ecthesin, hoc est, expositionem nominauit, illudque per Isaacium Italię Exarchum ad Romanum Pontificem Seuerinum, vt ab eo approbaretur, misisset: ceciderunt à sua spe, mentiti contra caput proprium. Nec enim suscepta est omninò, aut admissa secundùm vanam eorum spem talis Ecthesis: magis autem ab eo condemnata est, & anathematizata, pro suprema, & infallibili, quam habet Summus Pontifex Romanus in rebus fidei, & religionis auctoritate: Ex actis Romanæ Synodi sub Martino Papa secret. 1.

Eadem auctoritate Ioannes Papa IV. eamdem Heraclij fidei expositionem collecta Synodo damnauit: cui damnationi cùm Heraclius videret se obijcere, atque resistere non posse, ne tanta infamia inde laboraret, vt vbique post Apostolicæ Sedis sententiam decantaretur hæreticus, illud excogitauit consilium, nouum scilicet promulgandi edictum, quo tam in Oriente, quàm in Occidente Orthodoxis omnibus innotesceret, Ecthesim illam suo nomine promulgatam, suam non esse, sed Sergij Constantinopolitani Episcopi, ab ipso conscriptam, pariterque curatam, vt Imperatoris nomine ederetur, quo maiorem vim sibi ex nomine compararet; ex Theophane, ac dialogo S. Maximi.

Cùm Paulus Constantinopolitanus Episcopus Sergij post Pyrrhum successor, vidisset ex literis tum à Romano Pontifice, tum etiam à Concilijs Africanis scriptis vniuersam Occidentalem Ecclesiam aduersùs se concitatam, persuasit Imperatori Constanti, edictum proponere, quo significaretur tacendum esse de ea altercatione, quæ vertebatur de vna, siue duabus voluntatibus, itemque affixa maioris Ecclesiæ ianuis scripta, quibus manifestè hæresis laudaretur, auferri praeciperet, ea id agens calliditate, vt quoquomodo, vel silentio saltem damnari videretur de duabus voluntatibus expressa sententia. Verùm frustrà iactum est simile rete ante oculos pennatorum, frustrà, inquam, tentata Sedis Apostolicæ firmitas; missum enim Romam præfatum edictum, quod Typum vocarunt, tantum abest vt receptum fuerit, vt etiam Paulus Patriarcha eius auctor, necnon Pyrrhus eiusdem Ecclesiæ Constantinopolitanæ Patriarcha, qui infeliciter in errorem pristinum post recantatam palynodiam relapsus fuerat, cum ipso pariter damnati fuerint à Theodoro Romano Pontifice collecta Romæ Synodo aliquorum Episcoporum, ex Anastasio in Theodoro, nec non ex actis Concil. Lateranensis sub Martino Secret. 4.

Vniuerso aduersùs Paulum declamante Christiano Orbe, Martinus Papa Theodori successor Synodum Lateranensem coegit, non tam vt Sergius, Pyrrhus, & Paulus damnarentur, quos probè sciebat non indigere alia damnatione, cùm damnati essent à prædecessoribus, quàm vt recens credendi formula ab Imperatore Constante suo edicto proposita, ac typus appellata omninò proscriberetur, atque anathemati subijceretur: Eòque magis ad hoc fuit excitatus, quo mox vt creatus est Pontifex, vbi ex prauo vsu illo, & vsurpata tyrannicè auctoritate Imperator eius electioni consensit, quasi pro quodam gratitudinis præmio ab eo exigere conatus est sui subscriptionem edicti, literis de his agens apud ipsum Martinum, qui execratus facinus, tantùm abfuit, vt ipsi consentire voluerit Imperatori, vt potiùs in contrarium nisus, indixerit Synodum, in qua promulgatam perfidiam condemnaret: cuius posteà condemnationis, pro ea, qua vniuerso Orbi vigilantia spirituali, supremaque auctoritate se præesse sciebat, non solùm synodalem epistolam circularem dedit, sed alias insuper familiares literas, inter quas habetur 5. ad Ioannem Episcopum Philadelphiæ; vbi pro suprema, & infallibili Romanorum Pontificum auctoritate in rebus fidei, & religionis inter alia hæc scribit: [Vt in hoc maximè, sicut oportet, suscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem sacerdotalis dignitatis, & nostræ Apostolicæ vicis. Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed fortitudinis, & dilectionis, & prudentiæ ad tollendam omnem hæresim, quæ verbo fidei aduersatur, & ad omne vitium expugnandum, quod virtuti diuinæ contrarium sit.] Deindè post nonnulla ait: [Defensores enim diuinorum Canonum, & custodes sumus non præuaricatores.] Qui autem talia dicere posset, si Romani Pontifices, vti cæteri homines mendaces, errandique periculo obnoxij essent in rebus fidei, & religionis, vbi illas ex Cathedra definire, ac docere tenentur.

Vitalianus scribens ad Paulum Cretensem Archiepiscopum, qui appellantem Ioannem Episcopum Lappensem cohibuerat, eumque redarguens, hæc inter alia habet pro suprema Romani Pontificis auctoritate epist. 2. tom. 2. epist. Rom. Pont. [Igitur præfatum Ioannem Antistitem ęquè inculpabilem reperientes iuxtà textum sententiæ à te nobis directæ, fecimus nobiscum cum Episcopis ad Missarum solemnia in Ecclesias Dei precedere. Itaque statuimus, atque firmamus per huius nostræ præceptionis auctoritatem omnia, quæ à te, tuaque Synodo contra canonum instituta, contra legum decreta gesta, confectaue sunt, vel sententiam promulgatam aduersùs eum, inania & vacua esse, &c. multa deinde reprehendit, & comminatur in eum Vitalianus.]

Agatho Papa congregata Romæ Synodo aduersùs Monothelitas inde literas dedit, Legatosque misit ad Constantinum Pogonatum Imperatorem. In præfatis autem literis hæc ad nostrum institutum habet: [Et ideò cum

cum corde contrito, & profluentibus lachrimis mente prostratus exoro, porrigere dignemini clementissimam dexteram Apostolicæ doctrinæ, quam cooperator piorum laborum vestrorum beatus Petrus Apostolus tradidit, non vt sub modio condatur, sed vt tuba clarius in toto Orbe prædicetur: quia eius vera confessio à Patre de cælis est reuelata, pro qua à Domino omnium beatus esse pronuntiatus est Petrus, qui & spiritales oues Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium terna commendatione pascendas suscepit. Cuius adnitente præsidio hæc Apostolica eius Ecclesia numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: cuius auctoritatem, vtpotè Apostolorum omnium Principis, semper omnis Catholica Christi Ecclesia, & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis secutæ sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam amplexi, per quam probatissima Ecclesiæ Christi luminaria claruerunt, & sancti quidem Doctores Orthodoxi venerati, atque secuti sunt, hæretici autem falsis criminationibus, ac derogationum odijs insecuti.] Deindè post nonnulla, de eadem semper Romana Ecclesia, Sedeque Apostolica loquens ait: [Hæc est enim vera fidei regula, quam in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit, ac defendit: hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, sed vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetenus permanet secundùm ipsius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam suorum discipulorum principi in sacris Euangelijs fatus est: Petre, Petre, inquiens ecce Satan expetiuit, vt cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum: quorum & pusillitas mea, licèt impar, & minima, pro suscepto tamen diuina dignatione ministerio pedissequa cupit existere. Væ enim mihi erit, si veritatem Domini mei, quam illi sinceriter prædicarunt, prædicare neglexero.]

Leo II. epistola 1. ad Imperatorem Constantinum Pogonatum pro approbatione, & confirmatione sextæ Synodi Generalis Constantinopolitanæ III. [Sancta Synodus, quia definitionem rectæ fidei plenissimè prædicarit, quam & Apostolica Sedes Beati Petri Apostoli (cuius licèt impares ministerio fungimur) veneranter suscipit: idcircò, & nos, & per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica concorditer, ac vnanimiter his, quæ definita sunt ab ea, consentit, & Beati Petri auctoritate confirmat, sicut supra solidatam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adepta virtutem. Proptereà sicut suscepimus, atque firmiter prædicamus Sancta quinque vniuersalia Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, Chalcedonense, & Constantinopolitanum, quæ & omnis Christi Ecclesia approbat, & sequitur: ita & quod nuper in regia vrbe celebratum est, Sanctum sextum Concilium pari veneratione, atque censura suscipimus, & hoc cum eis dignè connumerari, tamquam vna, & æquali Dei gratia congregatum, decernimus.

Cùm Sergij Papæ anno 5. celebratum esset Constantinopoli à Callinico eiusdem Episcopo Concilium, seu potiùs Conciliabulum, in quo nomine sextæ Synodi centum, & tres canones (quòd numquam hactenus in aliquo factum Concilio legitur) sanciti leguntur; quod scirent Episcopi, nullius eos esse roboris, nisi à Romano Pontifice probarentur; apud Iustinianum Imperatorem egerunt, vt hos confirmandos mitterent Romam ad Sergium Papam. Verùm Sanctus Pontifex, quod eos contra veritatem temeraria plura habere comperisset, ipsos nequaquam confirmandos, sed reijciendos esse pro sua suprema auctoritate decreuit; eligens ante mori, quàm nouitatum erroribus consentire.

Post summos huius seculi Pontifices in testes suæ supremæ, atque infallibilis auctoritatis adductos, primi eamdem contesteutur Cypri insulæ Episcopi, qui cogentes Synodum, Synodalem epistolam scripserunt ad Theodorum Pontificem, licèt in ea Metropolitani Episcopi nomen tantummodò exprimatur: fuit hic Sergius; epistola autem sic se habet: [Sanctissimo, & Beatissimo à Deo honorabili Domino meo Patri patrum Archiepiscopo, & vniuersali Papæ Domino Theodoro, Sergius humilis in Domino salutem. Firmamentum à Deo fixum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei, vestram Apostolicam Sedem constituit (ò sacer vertex) Christus Deus noster. Tu enim es (sicut diuinum veraciter pronuntiat Verbum) Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt. Tibi, & claues cœlorum commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terra, & in cœlis sunt, promulgauit. Tu prophanarum hæresum depositor existis, vt princeps, & doctor Orthodoxæ, & Immaculatæ fidei. Igitur non despicias patrum tuorum, Pater, fidem æstuantem, & ab aliquibus hæreticis ventis violentatam, nec non periclitantem. Resolue nebulam insipientium lumine tuæ diuinæ scientiæ, ò Sanctissime: Abscinde blasphemias, & iactantiam vaniloquorum nouiter emergentium hæreticorum Doctorum. Nihil etenim minùs est Orthodoxæ, & Apostolicæ vestræ definitioni, atque traditioni, quatenùs augmentum aliquod suscipiat à nobis fides.] Hactenus præfati Episcopi, cùm grauissimis fluctibus fides Catholica opera Monothelitarum hæreticorum, præcipuè verò Pauli Constantinopolitani Episcopi, quateretur in Oriente, vnum sibi illud tantùm, idque infallibile, reliquum esse remedium cognoscentes, in tanto naufragio recurrere ad Apostolicæ Sedis Episcopum, & conscendere nauiculam Petri, quam scirent promissione Christi inter fluctus seculi huius solam nauigare securam, nec vllis posse obrui vndis, neque vorticibus

absor-

absorberi. Ex actis Concilij Lateranensis sub Martino secret. 2.

Haud absimilia tradiderunt trium Conciliorum Africanorum Patres in epistola Synodali ad eumdem Theodorum scripta, & loco statim citato Concilij Lateranensis relata, qua rogant, vt nisi idem Paulus emendaret errorem, ab ipso excommunicationis sententia damnaretur. Verba epistolæ hæc sunt: [Domino Beatissimo Apostolico culmine sublimato Sancto Patri patrum, Theodoro Papæ, & Summo omnium præsulum Pontifici, Columbus primæ Sedis Episcopus Concilij Numidiæ, & Stephanus primæ Sedis Episcopus Concilij Bysaceni, & Reparatus Episcopus primæ Sedis Concilij Mauritaniæ, & vniuersi Episcopi de tribus Concilijs antedictis Africanæ prouinciæ. Magnum, & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo riuuli prodeunt affluenter vniuersum largissimè irrigantes orbem Christianorum; cui etiam in honore Beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ omninò, & sollicitè debent, maximè verò, iustèque ab ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cuius vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam Almę Sedis vestræ fuisset deductum, vt huius auctoritate iusta, quæ fuisset pronuntiatio firmaretur, indèque sumerent cæteræ Ecclesiæ velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta salutis, &c.]

Ex Sexta Synodo Generali ab Agathone Papa contra Monothelitas congregata, & Constantinopoli celebrata in Secretario Sacri Palatij, quod cognominatum est Trullus, id est locus testudine sursum erecta sui rotunditate conficiens emisphaerium; hoc enim vox ista Trullus, seu Trulla in genere ædificij significat, quod Italicè dicitur Cuppola: Ex hac, inquam, sexta Synodo ibi celebrata præclara quoque Pontificiæ infallibilitatis testimonia, & argumenta habentur. Primò quod actione 3. Georgius Constantinopolitanus Episcopus, & reliqui Episcopi, qui sub ipso erant, petierunt ante omnia legi in Synodo debere, quæ Romæ ab Agathone Pontifice, nec non quæ à Synodo Romæ ab ipso coacta ad Imperatorem scripta fuisset: quibus lectis in actione quarta, & iterum duos post menses elapsos in act. 7. Georgius Patriarcha professus est in scriptis duas naturas, duas voluntates, & operationes credere, & prædicare sicut Sedes Apostolica, iuxta scripta venerandi Agathonis Papæ. Reliqui etiam Episcopi, qui interfuerunt cùm codicum facta collatio fuit, id ipsum singuli professi sunt, Act. 8. & quidem non sine præconio Agathonis Romani Pontificis, vt cùm Domitius Episcopus Prusiados ita dixit: [Dictas suggestiones à Patre nostro Agathone Sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ, & principalis Sedis antiquæ Romæ ac à Deo coronatum, & mansuetissimum nostrum dominum, & magnum victorem Imperatorem, tamquam ex Spiritu Sancto dictatas per os Sancti, ac Beatissimi Principis Apostolorum Petri, & digito ter Beatissimi Papæ Agathonis scriptas, suscipio, & amplector, & ita credo.] Deindè quod Act. 17. in qua Orthodoxæ fidei decretum confirmatum à Patribus publicè lectum est, post Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, & quintum vniuersalia Concilia confirmata, eorumdemque Symbola recitata, demum apposita fuisse dicitur damnatio Monothelitarum hæreticorum, ex præscripto epistolæ Agathonis Romani Pontificis, atque Synodi Romæ ab eodem coactæ. Tertiò act. 18. in sermone acclamatorio dato Imperatori hæc habentur: [Proindè inspiratione Sancti Spiritus conspirantes, & ad inuicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis Sanctissimi Patris nostri, & Summi Papæ dogmaticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientes &c.] rursumque inferiùs de eodem Agathone ita magnificè: [Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum princeps: illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & diuini Sacramenti mysterium illustrantem per literas. Confessionem tibi à Deo inscriptam illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem à vespertinis partibus extulit charta, & atramentum videbatur, sed per Agathonem Petrus loquebatur.] Quartò quod Macharius Antiochenus Episcopus cùm suis amatoribus, ibidem vniuersalis conuentionis communi sententia de Sacerdotali dignitate repulsus, probationi Sanctissimi Papæ, ad quem appellauerat traditus fuerit. Quintò tandem, quod epistola Synodali ab eodem Concilio scripta ad Agathonem Romanum Pontificem, quæ inter epistolas eius successoris Leonis Papæ prima ordine ponitur, confirmari potissimùm petierit, quæ in eadem Synodo fuerant constituta: sic enim se habet.

[Sanctum, & vniuersale Concilium, quod per Dei gratiam, & piam sanctionem pijssimi, ac fidelissimi magni Imperatoris Constantini congregatum est in hac à Deo conseruanda, & regia Constantinopoli noua Roma in secreto palatij dicto Trullo, Sanctissimo, ac Beatissimo Papæ senioris Romæ Agathoni in Domino salutem.

[Maximi morbi maioribus indigent auxilijs, vt scitis, beatissimi: atque idcircò Christus verus Deus noster, virtus verè rerum omnium conditrix, & gubernatrix, sapientem dedit medicum, vestram à Deo honoratam Sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulsantem remedijs Orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Ecclesiæ largientem, Itaque tibi, vt primæ Sedis Antistiti vniuersalis Ecclesiæ, quid gerendum sit permittimus stanti supra firmam fidei petram, acquiescentes veræ confessionis literis à vestra paterna Beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis, quas vt à Summo Apostolorum vertice diuinitùs scriptas agnoscimus: per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus, Constantino nobis

ad decertandum hortatore, qui diuinè imperat. sceptraque clementissimè regit: Deindè in medio eiusdem epistolæ: Sic nos Sancto Spiritu illustrati, vestraque instituti doctrina, infesta dogmata depulimus; tandem in fine: Orthodoxæ autem fidei splendidam lucem vobiscum clarè prædicauimus: quam etiam vt per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam Sanctitatem:] En quomodò in tanta Orientalis Ecclesiæ clade, non aliundè, quàm ab Ecclesia Romana sperare salutem licuit; non aliundè subuentum, quàm ab ea, in qua Petrus sedere in successoribus comprobatur; quæ longè antequam ab excitatis longo somno stertentibus Orientalibus rogaretur adesse, iam ipso fermè eiusdem nascentis erroris exordio hæresim condemnarat, & Catholicam etiam Pontificis Romani Martini martyrio sanciuerat disciplinam; quam literis demum Agathonis Pontificis consignatam, resipiscentes, factique tandem sui compotes Orientales, quàm religiosissimè in Concilio suscepere. Quòd autem in illo fiat mentio Honorij Papæ tamquam hæretici Monothelitæ, id capite sequenti contigisse demonstrabimus ex eo, quòd tàm in Græcis, quàm in Latinis eius codicibus multa inuidiosè deprauata, atque calumniosè corrupta fuerint. Cùm tamen illud certum, indubitatumque sit, hac Sacrosancta Oecumenica Synodo esse Monothelitarum hæresim condemnatam: quod sufficit ad pietatem, fidemque Catholicam insinuandam, cùm ad hoc tantùm, & nullius alterius rei gratia ipsa Oecumenica Synodus fuerit ab Agathone conuocata, vt satis patet ex supracitatis eius ad Imperatorem Constantinum literis, nimirum vt noua hæresis, totius Catholicæ Ecclesiæ communicato consilio, & vnito consensu, penitùs damnaretur.

Ex huius seculi Patribus, ac Scriptoribus Ecclesiasticis S. Leander Episcopus Hispalensis supremum, ac infallibile Sedis Apostolicæ magisterium agnouisse videtur. Cùm enim ob Arianos recèns ad Catholicam fidem conuersos in Hispania de trina in baptismo mersione controuersia orta esset, & S. Leander cum alijs Episcopis optimè respondisset, nihilominùs idem voluit consuluisse Romanum Pontificem Gregorium Magnum, vt patet ex responsione eius lib. 1. epist. 41.

De eadem veritate persuasus Eulogius Patriarcha Alexandrinus Romam ad eumdem sanctum Gregorium misit cognoscendum, atque probandum commentarium suum aduersùs Agnoitas hæreticos scriptum, quod ipse Gregorius cognitum vt Catholicum laudauit lib. 8. epist. 42. ind. 3. Huiusmodi enim consuetudo Orthodoxorum Scriptorum, vt aduersùs Hæreticos, quæ scriberent, eadem antequam ederent, cognoscenda mitterent ad Romanum Pontificem, satis indicat eos existimasse, nullam ad conuincendos, aut condemnandos Hæreticos sua vim habere potuisse scripta, nisi priùs suprema, ac infallibili illius auctoritate firmarentur. Ad hoc idem referendum, quod sanctum Gregorium consuluerint Hiberniæ Episcopi, quid de Nestorianis agendum esset redeuntibus ad Ecclesiam, nùm denuò baptizandi? quibus ex antiquo Ecclesiæ Catholicæ instituto ipse respondit lib. 6. epist. 61. ind. 4.

Ioannes Episcopus Rauennatensis epistola ad Gregorium Magnum: [Recolo me in sinu, & gremio sacrosanctæ Ecclesiæ vestræ Romanæ enutritum, & Deo auxiliante pronectum. Et quibus ausibus, ego sanctissimæ illi Sedi, quæ vniuersali Ecclesiæ iura sua transmittit, præsumpserim obuiare?] Est inter epistolas Gregorij libro 2. indict. 11. epist. 5.

Sanctus Isidorus Hispalensis in præfatione opus Conciliorum: [Subiecimus reliqua Præsulum Romanorum decreta vsque ad sanctum Gregorium, & quasdam ipsius epistolas, in quibus pro culmine Sedis Apostolicæ non impar Conciliorum extat auctoritas &c. nullam Synodum ratam esse legimus, quæ non fuerit Apostolicæ Sedis auctoritate congregata, vel fulta.]

Anastasius discipulus sancti Maximi: [Cùm fides concordissimè ab omnibus exagitaretur, nisi speciali gratia opem tulerit, qui semper succurrit; semine Religionis apud veterem Romam nobis relicto, ad confirmandam promissionem mentiri nesciam, quæ facta est Principi Apostolorum.] Apud Gennadium Scholarium de primatu Papæ sect. 8.

Quod expetierat à Mauritio Imperatore Gregorius lib. 4. epist. 32. ind. 13. & non obtinuerat, vt Episcopum Constantinopolitanum titulum sibi indebitum Oecumenici vsurpantem compesceret: hoc à Phoca Imperatore obtinuit Bonifacius, non tribuente, vt perperam inferunt aliqui Nouatores Molinæus, Othomanus, & his similes, Romanæ Ecclesiæ super Constantinopolitanum primatum, sed sua tantùm sententia declarante, indebitè vsurpari ab Episcopo Constantinopolitano Oecumenici nomen, quod Romano dumtaxat deberetur Pontifici: cùm alioqui eum semper tenuisse primatum super omnes totius Orbis Ecclesias, ne ipsi quidem aduersarij tunc contradixerint; sed in eo dumtaxat cum illis controuersia erat, quod inuitis, ac reclamantibus Romanis Pontificibus, Constantinopolitani Episcopi titulum sibi Oecumenici vsurpassent. Satis autem hoc facto declarauit Phocas, quid de suprema Romani Pontificis auctoritate super omnem Ecclesiam, tam entitatiuè, quàm repræsentatiuè consideratam sentiendum esset, & consequenter quid de eius infallibilitate in definiendis ex Cathedra rebus fidei, & Religionis, quandoquidem, vt multoties iam notauimus, suprema in hac materia, necnon infallibilis auctoritas, necessariò coniunguntur.

Sergius Episcopus Constantinopolitanus in epistola ad Honorium Romanum Pontificem extante in sexta Synodo Act. 12. [In tantum vobis sanctissimis in omnibus vnanimitate spiritus constringimur, vt studeamus omnium consiliorum nostrorum, & actionum vos sacratissimos habere præsidentes, & nisi plurimum locorum distantia seiungeret, hoc vtique quotidiè gereremus, vestræ honorandæ, vnanimisque fraternitatis munito, murato que nosmetipsos circumsepientes consultu. Attamen quoniam nobis etiam sermo, atque absque labore litera, quod studemus impartit:

tit: confestim ea, pro quibus hoc scribimus, enarramus.] Hactenus Sergius, antequam in Monothelitarum hæresim turpiter incideret.

Sophronius Hierosolymorum Episcopus, ad cohibendam Cyri Episcopi Alexandriæ, cui antè pro viribus obstiterat, temeritatem, vnam prædicantis in Christo voluntatem, Legationem ad Honorium Romanum Pontificem tamquam ad supremum fidei magistrum misit. At quanta animi anxietate, quanta infallibilitatis eius opinione id fecerit, patet ex eius epistola ad Stephanum: [De finibus terræ, vsque ad terminos eius ambula, donec ad Apostolicam Sedem, vbi Orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, peruenias.] Idemque qui venit tunc missus ad Honorium Legatus Stephanus Episcopus ipse testatus est in Concilio Romano sub Martino Pontifice secret. 2. his verbis: [Annunciamus hæc omnia omnium præpositæ Sedi: dico autem summæ vestræ, & principali, ad medicinale consultum emersi vulneris: quippè quoniam hoc potestatiuè olim, & ab antiquitùs facere per Apostolicam, sine canonicam consueuit auctoritatem; dùm aperta lucubratione, non solùm claues Regni Cælorum creditæ sunt ei, atque ipse tantummodò ad aperiendum eas Fidelibus quidem dignè, minimè autem Euangelio gratiæ credentibus iustè claudere magnus secundùm veritatem, & Princeps Apostolorum meruit Petrus; sed etiam & pascere primus iussus est oues totius Catholicæ Ecclesiæ, cùm Dominus dicit: Petre, amas me? pasce oues meas. Et iterùm ipse præcipuè, ac specialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum nostrum, & immutabilem fidem, conuertere aliquando, & confirmare exagitatos consortes suos, & spiritales meruit fratres, vtpotè dispensatiuè super omnes ab ipso, qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens, & Sacerdotalem auctoritatem. Quod vtique sciens beatæ memoriæ Sophronius quondam Patriarcha sanctæ Christi Dei nostri Ciuitatis, sub cuius Diœcesi fungebar Sacerdotali officio, non acquiescens omninò carni, & sanguini, sed sola, quæ Christi sunt iuxtà sanctitatem vestram excogitans, studuit meam humilitatem sine mora pro huiusmodi tantùm capitulo cum sua suggestione ad hanc Apostolicam, magnamque dirigere Sedem.] En quomodo, quæ à Christo Domino promissa, concessaque fuere Diuo Petro infallibilitatis priuilegia in pascendis ouibus, confirmandisque fratribus, nequaquam in eo, aut cum eo cessasse, sed in eius Sede, hoc est, Romanis Pontificibus eius successoribus perseuerasse semper creditum fuit.

In eumdem sensum Iulius Victor, simul ac creatus est Carthaginensis Episcopus, scripsit epistolam ad Theodorum Romanum Pontificem, quæ extat in actis Concilij Romani sub Martino secret. 2. nec non Sergius Cyprius.

[Sanctissimo, & beatissimo, à Deo honorabili Domino meo, Patri Patrum, Archiepiscopo, & vniuersali Papæ Domino Theodoro Sergius humilis in Domino salutem. Firmamentum à Deo fixum, firmum, & immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram Apostolicam Sedem constituit, ò Sacer Vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut Diuinum veraciter pronunciat Verbum, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ confirmatæ sunt; tibi & claues Regni Cælorum commisit, atque ligare, & soluere potestatiuè, quæ in terra, & quæ in Cælis sunt promulgauit: tu prophanarum hæreseun depositor existis, vt Princeps, & Doctor Orthodoxæ, & immaculatæ fidei. Igitur non despicies Patrum tuorum Pater fidem æstuantem, & ab aliquibus Hæreticis ventis violentatam, nec non periclitantem: resolue nebulam insipientium lumine tuæ sapientiæ Diuinæ, ò Sanctissime, &c.]

Maurus Episcopus Rauennatensis epistola ad Martinum Papam: [Domino sancto, & meritis beatissimo, totoque Orbe Apostolico, & vniuersali Pontifici Martino Papæ Maurus seruus seruorum Dei Episcopus.]

Tandem ex venerabili Beda lib. 3. cap. 25. in collatione inter Scotos de celebratione Paschatis habita, duobus Regibus præsentibus patre, ac filio, Osuui, & Alchfrido, quorum alter, nempè pater Scotos in celebrando Paschate sequebatur, Alchfridus autem Romanæ Ecclesiæ vsum, cùm Colmanus Osuuis sententiam sequens, Alchfridi verò Wilfridus, in hoc consentirent, quod à Wilfrido in fauorem Paschatis à Diuo Petro Romanis dati allegatum fuerat: [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam; & tibi dabo claues Regni Cælorum.] Tunc scitè Rex Osuui respondit, totamque disputationem clausit hac sententia: [Et ego vobis dico, quia hic est Hostiarius iste, cui ego contradicere nolo; sed in quantum noui, vel valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis: ne fortè me adueniente ad fores Regni Cælorum, non sit, qui referet, auerso illo, qui claues tenere probatur.] Hæc dicente Rege, fauerunt assidentes quique, siue astantes maiores vnà cum mediocribus; & abdicata minùs perfecta institutione, ad ea, quæ meliora cognouerant, se se transferre festinabant.

Ex eodem Beda libro 3. citato Histor. Anglic. cap. 29. idem Rex Osuui cùm anno superiori in collatione statim dicta accepisset illam firmiter tenendam fidem, quam Romana doceret Ecclesia, cui Petrus, suisque in ea successoribus consignatam reliquit Euangelij doctrinam, audissetque pariter insignia Petri merita, & Diuina charismata præ cæteris eidem impertita: magno exarsit desiderio, vt indè acciperet Magistrum, atque Doctorem; qua de causa cùm electione, & consensu sanctæ Ecclesiæ gentis Anglorum, virum bonum, & aptum Episcopatui Presbyterum, nomine Wigardum, de Clero Deusdedit Archiepiscopi, & tunc Antistitem ordinandum Romam misit; quatenùs accepto ipse gradu Archiepiscopatus, Catholicis per omnem Britanniam Ecclesijs Anglorum ordinare posset Antistites. Verùm Wigardus Romam perueniens, priusquàm consecrari in Episcopum posset, morte præreptus est; & à Vitaliano Papa, interim dùm aliam aptam loco Wigardi reperiret, ac mitteret personam, præfato Regi Osuui rescriptæ sunt literæ, ex quibus, quæ ad ipsum Osuui scripserat circa prædicta, facilè possunt intelligi.

Octauum Seculum ab anno Dñi 700. *ad* 800.

IOannes Papa VII. cùm ad eum Iustinianus Imperator honorificentissimam Legationem, ac literas misisset, vt sancitos Constantinopoli in Synodo canones examinaret, & quos consentientes reperisset Catholicæ disciplinæ probaret, confirmaretque, cæteros verò pro arbitrio refutaret, quod aliundè, quàm à Romano Pontifice sciret res fidei, & Religionis vllàm firmitatem habere posse, noluit vel minimum quid ex illis comprobare, quantumuis natione Græcus esset. Incredibiles enim fuerunt Græcorum artes, quibus nisi sunt nedùm sibi subijcere, sed etiam, si licuisset, Romanam Sedem in errorem inducere. Quod enim confirmationi Romani Pontificis sibi tyrannicè vsurpatæ tandem renunciassent Imperatores, studuerunt alia via eidem Romanæ Ecclesiæ dominari, agentes nimirum, vt in Collegium Cardinalium allegerentur Orientales, qui etiam opera Exarchorum adnitente, crearentur Romani Pontifices. Hinc legimus post Benedictum Pontificem, Ioannem V. Syrum natione creatum successorem, deindè Cononem Thracem, posteà Sergium Syrum, Ioannem deindè Græcum pariter ordine Sextum dictum, indè hunc, de quo agimus, Ioannem Septimum itidem Græcum, posteà Sisinnium Syrum, & post eum Constantinum pariter Syrum, itidemque Gregorium Tertium Syrum etiam, nec non post eum Zachariam Græcum; vt appareat inter hos omnes vix fuisse vnum Gregorium Secundum intercalatum Romanum natione Pontificem. Verùm non est consilium contra Dominum, singulari namque eius prouidentia factum est, vt in Collegium ijdem cooptati sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & creati Pontifices Apostolicæ Sedis, spiritum pariter hæreditarint Apostolicum, quo assistente in rebus fidei, & Religionis firmiter starent aduersùs omnes conatus Imperatorum, & Orientalium Episcoporum, ne vel minimum quid cedendo.

Eodem spiritu ductus Constantinus Papa fidei professionem, quam Philippicus Imperator creatus ad eum de more miserat, tamquam hæreticam respuit; nec non Conciliabulum ab eodem Imperatore collectum ad perditionem sextæ Synodi, in qua hæresis Monothelitarum Hæreticorum damnata fuerat; sicque prodita, atque damnata fide Catholica in Oriente, integra, illæsa penitùs, & intacta conseruata est in Occidente, resistente impio Imperatori, eiusque sequacibus Romano Pontifice. Quo factum est ex Anastasio, Romanos adeò fuisse execratos Hæreticum Imperatorem, vt non solùm eum recipere, sed nec ipsius imaginem intueri voluerint, non modò coloribus pictam, sed nec cusam in nummis; illo deindè post oculos erutos in exilium eiecto. Qui Orthodoxæ fidei cultor in locum eius subrogatus est Anastasius, nihil antiquius habuit, quàm se talem publicis scriptis editis declarare, deque his reddere certiorem Romanum Pontificem, ad quem suæ professionis fidei literas scripsit, mittens eas per Scholasticum cubicularium Patriciũ, quem in Italiam misit Exarchum. Quibus acceptis Constantinus eumdem in Catholicam communicationem acceptum, in album Orthodoxorum Imperatorum, quo pro eo vniuersa Ecclesia exoraret, referri voluit; ad quē etiam ex more misit pro responsis Ecclesiasticis Michaelem Presbyterum Cardinalem Apocrisarium; nec non vt Constantinopoli esset, qui suprema Sedis Apostolicæ auctoritate lapsos Episcopos pœnitentes Catholicæ conciliaret Ecclesiæ. Quod enim fermè omnes nonnisi timore concussi consenserant in sextæ Synodi damnationem, perfacilis fuit eorum resipiscentia, gaudentibus cunctis sublatum esse tyrannum, qui ipsos coegisset turpiter adeò à Catholica fide, atque à debita Romanis Pontificibus obedientia desciscere.

Gregorius II. Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani à Philippico Imperatore intrusi, Synodalem epistolam, qua ipse, & alij cum eo Episcopi scribentes, communionem Catholicam, ab illo recèns creato Romano Pontifice suffurari tentabant, tamquam hæreticorum auersatus, pro sua suprema auctoritate ipsum Pseudo-patriarcham è throno deponendum curauit, & in eius locum sanctum Germanum substitui. Item in literis Apostolatus Bonifacij Angli ad Gentes hęc habet; [Igitur quia pręmissi conatus pium affectum vsque ad Apostolicę Sedis modesta prouisione perduxisti consultum, vt membrum ex membro proprij corporis caput requirens, morum mentis probares, capitisque arbitrio humiliter te submittens, & eius directioni, iusto tramite properans, soliditati compaginis plenitudo existas: ideo in nomine indiuisibilis Trinitatis, per inconcussam auctoritatem beati Petri Apostolorum principis, cuius doctrinę, & magisterio fungimur, & locum sacrę Sedis administramus, modestiam tuę religionis instituimus, &c.] Tandem per eamdem inconcussam Diui Petri auctoritem, cuius se, nec non cęteros Romanos Pontifices ait esse successores, & in doctrinę magisterio, & in Pontificia dignitate, nouam Iconoclastarum hęresim, non interlocutoriè, non per modum prouisionis, donec vniuersale congregaretur, aut celebraretur Concilium sed absolutè definitiuaque condemnauit sententia; indeque multa à Leone Isaurico Imperatore passus, eumdem, vtpotè impenitentem hęreticum cognitum, ac declaratum, anathemate execratus est. Idem eius exemplo præstitisse Gregorium III. collecto Romæ Concilio habetur ex Anastasio, qui etiam epist. 4. ad Bonifacium hæc scripsit: in Ijsdem literis quibusdam subnexuisti capitulis, sciscitando qualiter teneat, vel doceat hæc sancta Apostolica Romana Ecclesia. Bene nosti satis, quia beatus Apostolus Petrus, & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis, quasi ex nobis, sed eius gratia, qui aperit os mutorum & linguas infantium facit disertas, qualiter tenere debeas Apostolici vigoris doctrinam dicimus.]

Zacharias Papa in epistola ad Pipinum, & Episcopos Ecclesiarum in regione Francorum: [Itaque vt flagitauit à nobis cum vestro

stro consultu superiùs effatus filius noster Pipinus, vt de omnibus capitulis quibus innotuit; responsum demus: in quantùm Domino dante valemus: de vnoquoque capitulo inferiùs conscriptum, iuxta quod à sanctis Patribus traditum habemus, & sacrorum Canonum sanxit auctoritas; etiam nos quod, Deo inspirante, Apostolica auctoritate decernere potuimus, mandauimus in responsis.

Stephanus Papa III. Conciliabulum Constantinopolitanum, dictum septimam Synodum, aduersùs cultum sanctarum Imaginum, pro suprema sua auctoritate, irritum reddidit, adeoque felici euentu, vt nec vlla penitùs mentio de illo sit, nisi cum à Summo Pontifice legitur condemnatum: ex Hadriano Romano Pontifice in epistola ad Constantinum, & Irenem Augustos. Idem Stephanus in epistola ad Pipinum Regem Francorum hæc habet loquens de Ecclesia Romana eius ope liberata: [Explere lingua, excellentissimè fili, non valemus, quantùm tuo opere, tua vita delectamur; facta quippe diebus nostris virtute diuina miracula vidimus. Quod per excellentiam tuam sancta omnium Ecclesiarum Dei mater, & caput, fundamentum fidei Christianæ Romana Ecclesia, quæ valde ab hostium impugnatione lamentabatur; magna nunc gaudij soliditate nimirum est translata, atque confirmata, & mærentes Christianorum animæ, tuo fortissimo præsidio maximè sunt releuatæ lætitia.

Cum Imperatores Constantinus, & Irenes, de Tarasij promotione ex laicali cœtu ad Patriarchatus Constantinopolitani extemplò culmen, scripsissent ad Hadrianum Romanum Pontificem, nec non etiam Tarasius ipse, idem Pontifex redditis ad eos literis clarissimè supremam Romani Pontificis auctoritatem in rebus fidei, ac religionis declarat; primùm in datis ad Imperat. ex actis Concilij Nicæni II. actione 2. ex vers. Anastasij, acriter reprehendendo dictam promotionem: deinde nullatenus eam recipiendam esse rescribendo, nisi ipse Tarasius omnem penitùs hæresim aboleret, atque profligaret; ac demum omnia illis prospera fore promittendo: [Si, inquit, Orthodoxæ fidei sequentes traditiones, Ecclesiæ beati Petri Apostolorum Principis amplexi fueritis censuram; & sicut antiquitus vestri prædecessores sancti Imperatores egerunt, ita & vos eam honorificè venerantes, eius Vicarium ex intimo dilexeritis corde; paucis deinde interiectis: Etenim eius insignia dignitatis sacra pandit auctoritas, quantaque veneratio eius summæ Sedi exhibenda sit à fidelibus cunctis per orbem; Dominus enim eumdem clauigerum Regni Cælorum cunctis præposuit principem & hoc ab ipso honoratur priuilegio, quo ei claues collatæ sunt Regni Cœlorum. Isto igitur tàm præcelso prælatus honore promeruit confiteri fidem; supra quam fundatur Ecclesia Christi; beatam confessionem beatitudo sequuta est præmiorum, cuius prædicatione sancta venerabilis illustrata est Ecclesia, & ex ea cæteræ Dei Ecclesiæ fidei documenta sumpserunt. Nam ipse princeps Apostolorum beatus, qui Apostolicæ Sedi primitus præfedit, Apostolatus principatum, ac principalis curæ successoribus suis, qui in eius sacratissima Sede perenniter sessuri sunt dereliquit, quibus, & auctoritatis potestatem quemadmodum à Saluatore nostro Domino Deo ei concessa est, & ipse quoque suis contulit, ac tradidit diuino iussu successoribus Pontificibus.] Demum in fine coram Deo deposcit, & adiurat eos, vt sacratissimas imagines in ipsa à Deo conseruata regia vrbe, & cęteris Græcię partibus, in pristinum statum restituere, & confirmare iubeant. Obseruantes, inquit, traditiones huius sacrosanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, abijcientes, & respuentes antiquorum hæreticorum calliditatem, vt in huius nostræ sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ, ac irreprehensibilis Romanæ Ecclesiæ vlnis suscipiamini.] Eadem ferè habet, ac repetit in epistola ad Tarasium.

Sed & Felicis Vrgelitani, & Elipandi Episcopi Toletani nouam condemnauit hæresim, qua Christum esse filium Dei adoptiuum docebant renouantes Nestorianismum: vt patet ex eius literis conscriptis ad Episcopos Gallæciæ, & Hispaniarum, in quibus Prouincijs fuerat error disseminatus, & in Concilio Francofordiensi recitatis; [Quod si, inquit, exigentibus indignis meritis; tam insolubili eos malignus spiritus perfidiæ laqueo iusto Dei iudicio strangulauit, vt resolui nequeant; ex auctoritate prorsus Sedis Apostolicæ, ac beati Petri Apostolorum Principis, & per eum qui illi magister, & Dominus tradidit potestatem, & soluendi, ligandique licentiam tribuit (quod sine graui mærore dicere non possumus) perpetuo eos anathematis vinculo religatos vlcrici cum sequacibus suis iudicamus vindicta plectendos, ac per hoc à gremio matris Ecclesiæ, & à nostro consortio definio alienos.] Iuxta quarum literarum præscriptum, iterum in Concilio Francofordiensi ad instantiam Caroli Magni ab Hadriano Papa congregato, noua hæc hæresis fuit condemnata, & quantùm ad hoc præfatum Concilium approbatum ab eo, & confirmatum est, non autem in eo, quod ab aliquibus dicitur gessisse aduersùs Nicænam Synodum II. pro cultu sanctarum Imaginum, de quo redibit sermo sectione sequenti agendo de Concilijs.

In Synodo Augustana à S. Bonifacio Germanorum Apostolo iuxta literas à Gregorio Papa III. acceptas congregata, idem Bonifacius in epistola ad Cuthbertum Episcopum testatur hæc inter alia statuta fuisse: [Decreuimus, inquit, in nostro Synodali conuentu, & confessi sumus fidem Catholicam, & vnitatem, & subiectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ nostræ velle seruare, sancto Petro, & Vicario eius velle subijci.] Quæ sanè male statuta fuissent si Romana Ecclesia, Romanusue Pontifex in ea Petri successor errandi periculo obnoxius esset: vbi nota vsurpari impropriè vocem istam, Vicarius, vsu loquendi illius temporis, quod loco Petri Christi vicem Papa gerat in terris. Ex altera quoque Synodo Germanica per eumdem Bonifacium celebrata, vt quæ ibi aduersùs hæreticos erant decreta, tenaciori vinculo firmarentur, nempe vt damnati Aldbertus & Clemens ab Apostolica quoque Sede, tamquam à suprema fidei magistra, controuersiarum

rum

rumque ad illam spectantium iudice senrentiam damnationis acciperent, in hunc modum prædictus sanctus Bonifacius per Deneardum presbyterum scripsit Summo Pontifici Zachariæ tunc in Cathedra Petri sedenti: [Contra istos obsecro auctoritatem vestram, vt me defendere, & adiuuare, & populum Francorum, & Gallorum per scripta vestra corrigere studeatis, ne hæreticorum fabulas & vana prodigia, ac signa præcursoris Antichristi sectentur; sed ad canonica iura, & ad viam veræ doctrinæ conuertantur, & vt per vestrum verbum isti duo hæretici mittantur in carcerem, nullusque cum eis communionem habeat, ne fortè fermento doctrinæ illorum fermentatus aliquis pereat, sed segregati viuant,& iuxta dictum Apostoli tradiri Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Et si Ecclesiam non audierint, sint vobis iuxta Euangelicum præceptum, sicut Ethnici, & Publicani.] Quod fideliter præstitit Summus Pontifex Zacharias collecto Romæ in Patriarchio Lateranensi Episcoporum Concilio, in quo præfatos hæreticos condemnauit: cùmque sessione tertia dixisset, se indiscussam; & absque sententia causam hanc relinquere non posse: sancti Episcopi, & venerabiles presbyteri responderunt. Ex diuina illustratione cognoscimus cor sancti vestri Apostolatus illuminatum, & quæ à nobis dicta sunt, ex administratione Spiritus sancti emanarunt. Et idcirco vt à vobis præuisum fuerit, in vtrosque sententia promulgetur. Zacharias Papa dixit; Non vt à nobis solis præuisum fuerit, sed pariter cum sanctitate vestra, vt Domino placuerit, in futuro Secretario est pertractandum. Extant huiusSynodi acta Vit Bonifacij lib.2. cap. 4. apud Surium tom. 3. die 5. Iunij, & inde apud Cardinalem Baronium tomo 9. ad annum Christi 745.

Huius quoque supremi, ac infallibilis iudicij penès Summum Pontificem Romanũ existentis in rebus fidei, & Religionis præclara habemus argumenta, & testimonia in septima Synodo generali Nicæna secunda pro cultu Sanctarum imaginum hoc seculo celebrata aduersùs Iconoclastas; Nàm act, 11. cùm lectæ fuissent literæ Adriani Papæ ad Imperatores, nec non ad Tarasium Constantinopolitanum scriptas pro cultu Sanctarum Imaginum, interpellantibus Apostolicæ Sedis Legatis Tarasium ipsum, nec non cæteros Patres si admitterent literas sanctissimi Papæ senioris Romæ, responderunt omnes, [sequimur, & suscipimus, & admittimus;] quas deinde singuli summis extulerunt præconijs, suisque subscriptionibus probarunt. Iterùm actione 6. cùm recitata fuisset definitio facta ab Hæreticis Iconoclastis in pseudo-septima ab eis ità appellata Synodo Occumenica, nulla alia indita est efficacior confutatio, nisi quod nullus Episcoporum conuentus meretur nomen Oecumenicæ Synodi, cui non interfuerit Romanus Pontifex præsens, nec per Legatos, neque per literas Synodales. Tandem quod absoluta Synodo Tarasius eius nomine scripserit epistolam ad Adrianum ipsum Romanum Pontificem; vbi aliquibus circa hæresum ortum præmissis, hæc eum alloquens habet: [Vestra ergo fraterna, & summo Pontificio decorata sanctitas cum his, id est Apostolis, per Deiloquas suas doctrinas quodammodo sermocinatur, & ab eis accepto veritatis verbo, spinosas herbas, quæ nunc germinauerunt, fidelissimorum, & pacificorum Imperatorum veritati concordans euellere machera spiritus festinauit,mittens secundùm scriptam sibi petitionem nostram ad vniuersalem Synodum faciendam æquiuocos viros, Petros duos videlicet, Principis Apostolorum Petri.] Paucis deinde interiectis ad Synodi principium spectantibus ait: [Et cùm perlatæ primitus vestræ fraternæ Sanctitatis literæ legerentur, præstolabantur, omnes, spiritualibus edulijs tamquam in regalibus cęnis fruentes, quę Christus per literas tuas epulantibus pręparabat, & sicut oculus totum corpus ad rectitudinis & veritatis semitas ostendebat; sic ergo dirupta membra in vnum conueniebant; sic vera consonantia confirmabatur; sic Catholica Ecclesia vnitatem recipiebat: cum quibus, & earum, quæ de Orientali diœcesi missę sunt nobis literæ, lectione facta, integra paternæ traditionis pulchritudo demonstrabatur, ac vis veritatis roborabatur, propositis videlicet pluribus testimonijs Patrum.

Sanctus Bonifacius Germanorum Apostolus, Archiepiscopus postea Moguntinus, vnus è præcipuis huius seculi Patribus, clarè testatus est non alibi quærendum esse doctrinæ fidei magisterium, finaleque iudicium quarumcumque controuersiarum circa illam exortarum, quàm apud Sedem Apostolicam eam fideliter occasione illarum consulens, vt patet ex ipsius ad varios Summos Pontifices epistolis præsertim ad Gregorium II. qui rescribens ei hæc habet: [In ijsdem literis quædam subnexuisti capitula, sciscitando, qualiter teneat, vel doceat Sancta Apostolica Romana Ecclesia. Bene noscis satis, quia beatus Apostolus Petrus, & Episcopatus principium extitit, & consulenti tibi de statu Ecclesiæ, non ex nobis quasi ex nobis, sed eius gratia, qui aperit os mutorum, & linguas infantium facit disertas, qualiter tenere debeas, Apostolici vigoris doctrinam, dicimus. Quibus sanè verbis manifestè constat Romanos Pontifices non ex se quasi ex se, sed ex speciali Spiritus sancti assistentia gaudere priuilegio infallibilitatis in definiendis, ac docendis ex Cathedra rebus fidei, & religionis. Idem Bonifacius in epistola ad Zachariam Papam nouiter electum, sic eum alloquitur. [Ergo non aliter quàm vt ante vestigia vestra geniculantes intimis flagitamus precibus, vt sicut præcessorum vestrorum, pro auctoritate sancti Petri, serui subditi, & subditi discipuli sumus, sic & vestræ pietatis serui obedientes subditi sub iure Canonico fieri mereamur, optantes Catholicam fidem, & vnitatem Romanæ Ecclesiæ seruare, & quantoscumque audientes, vel discipulos in ista legatione mihi donauerit Deus, ad obedientiam Apostolicæ Sedis inuitare; & inclinare non cesso.

Quanti fecerit Carolus Magnus Rex Francorum Magisterium Ecclesię Romanæ, satis colligitur ex eo quod orta inter Romanos, & Gallos de cantu Ecclesiastico contentione, quinam meliùs illum callerent, ait pijssi-

pijssimus Rex ad suos cantores: Dicite palam quis purior est, & quis melior, aut fons viuus, aut riuuli eius longè decurrentes? Responderunt omnes vna voce, fontem velut caput, & originem puriorem esse, riuulos autem quantò longiùs à fonte recesserint, tantò turbulentos, & sordidos, ac immunditijs corruptos, & ait Domnus Rex Carolus: Reuertimini vos ad fontem S. Gregorij, quia manifestè corrupistis cantilenam Ecclesiasticam. Mox igitur petijt Domnus Rex Carolus ab Hadriano Papa cantores, qui Franciam corrigerent cantu, &c. Ita ex veteri chronico Caroli Regis Francorum, quod Pithæus edidit. Quod autem de cantu Ecclesiastico Carolus, id à fortiori de Romanorum Pontificum definitionibus in materia fidei credidit, indeque cum illis nullum errorem obrepere posse sciret, & firmiter, quod ipsi statuunt esse tenendum, iudicaret, non alio quàm ad Sedem Apostolicam pro obortarum fidei quæstionum decisione recurrere consueuisse patet ex eiusdem epistola ad Elipandum qua ait: [ad beatissimum Apostolicæ Sedis Pontificem de hac noua inuentione, nostræ deuotionis ter quaterque dereximus missos; scire cupientes, quæ Sancta Romana Ecclesia Apostolicis edocta traditionibus de hac respondere voluisset inquisitione;] & inferiùs de acceptis ab illa responsis sollicitùs custoditis, subijcit ista: [Apostolicæ Sedi, & antiquis ab initio nascentis Ecclesiæ, & Catholicis traditionibus tota mentis intentione, tota cordis alacritate coniungor.] Qua etiam de causa Felicem Vrgelitanum Episcopum è Concilio Ratisponensi, quantumuis in eo damnatum, ad præsentiam Hadriani Pontificis Romam mitti voluit: vbi rursus coram ipso in basilica sancti Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abiurauit. Tamdem inter viginti tria capitula legum Caroli Magni, hoc habetur recitatum etiam à Gratiano distinct. 19. cap. 3. [In memoriam beati Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas: vt licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum; tamen feramus, & pia deuotione toleremus.] Et lib. 6. cap. 276. dicit: Auctoritas Ecclesiastica, atque Canonica docet, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.

Nonum Seculum ab anno Domini 800. ad 900.

AD supremam Romani Pontificis, qua maior in Ecclesia non detur, cui subijci debeat, auctoritatem facit, qua de Leone III. narrant Anastasius, & alij, cum enim de multis criminibus à Romanis accusaretur, & Carolus Magnus tunc Romæ existens, nec non ipsemet Leo in Ecclesia D. Petri sanctissimos congregassent, ac residere fecissent Archiepiscopos, & Episcopos, & Abbates, vt crimina, quæ aduersùs almum Pontificem dicta fuerant, examinarent; tunc vniuersi vnanimiter dixerunt: [Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, iudicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit; sed sicut ipse Summus Pontifex consueuit iubeat, canonicè obediemus. At venerabilis verò Leo Præsul inquit: Prædecessorum Pontificum vestigia sequor, & de talibus falsis criminationibus quæ super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum.

Qua de causa alia die in eadem Ecclesia beati Petri Apostoli, in eorum præsentia amplectens venerabilis Pontifex sancta Christi quatuor Euangelia, coram omnibus ascendit ambonem, & sub iureiurando in hanc se purgauit formulam Pontificia auctoritate dignam: [Nota res est, fratres carissimi, malos aduersùm me homines insurrexisse, neque ac vitam meam grauissimis criminibus infamasse. Cuius rei cognoscendæ gratia clementissimus hic, ac Serenissimus Rex Carolus vnà cum Sacerdotibus ac Principibus suis in hanc vrbem se contulit. Quamobrem ego Leo Pontifex S. R. E. à nemine iudicatus, neque coactus, sed mea voluntate impulsus, purgo me præsentibus vobis coram Deo, & Angelis eius qui conscientiam nouit, & beato Petro Principe Apostolorum, in cuius conspectu consistimus, neque sceleratas res, quas mihi obijciunt perpetrasse, neque perpetrari iussisse, Deum testans, in cuius iudicium venturi sumus, & in cuius conspectu consistimus. Et facio, non legibus vllis obstrictus, neque hanc consuetudinem, aut decretum in Sancta Ecclesia successoribus meis & fratribus Coepiscopis imponere cupiens, sed vt certiùs iniquis vos suspicionibus liberem.] De qua iterum materia infra seculo 13.

Mirificè quoque testatur, & commendat supremam Romani Pontificis auctoritatem, quod hic idem Leo III. translatum ante Occidentale Imperium in Orientem reuocauerit in Occidentem, primumque Imperatorem constituerit, & vnxerit Carolum Magnum, & excellentissimum filium eius Regem in ipso die Natali Domini nostri Iesu Christi; de quo vide Baronium tomo Annalium nono ad annum Christi 800.

Gregorius Papa IV. in Epistola ad vniuersos Episcopos, quam inuentam in veteribus Vaticanæ Bibliothecæ monumentis describit Baronius tom. nono ad annum Christi 836. [Diuinis præceptis & Apostolicis saluberrimis incitamur monitis, vt per omnium statum impigro vigilemus affectu. Et quia cunctarum, diuina dispensatione Ecclesiarum curam gerimus: omnibus nostra poscentibus suffragia, Apostolica auctoritate subuenire optamus. Quoniam diuinæ virtutis, ac infirmitatis humanæ sanctio est, (ac si diceret, inquit Baronius, Dei & hominis Christi Iesu, eo quod dixit Petro: confirma fratres tuos) vt omnium Ecclesiarum negotia, ad nostræ reparationis tendant affectum. Quapropter has ad vos literas destinamus, quibus decreto nostro vestram rogantes charitatem, mandamus, vt si aliquis (quod non optamus) suorum æmulorum Aldricum Cenomanicæ Ecclesiæ Episcopum accusare damnabiliter attentauerit: vt honoretur beati Petri Apostolorum principis memoria, Ecclesiæque Romanæ,

næ, cui præsedit, priuilegium, & nostri nominis auctoritas: liceat illi post aditionem primatum Diœceseos, si necesse fuerit appellare, & nostra auctoritate, aut ante nos, aut Legatos nostros è latere missos, iuxta Patrum decreta, suas exercere, atque finire actiones: nullusque illum ante hæc iudicet, aut iudicare præsumat. Sed si (quod absit) graue, intolerandumque ei obiectum fuerit, nostra erit expectanda censura, vt nihil priùs de eo, qui ad sinum Sanctæ Romanæ confugit Ecclesiæ, eiusque implorat auxilium, decernat, quam ab eius Ecclesiæ fuerit præceptum auctoritate; quia sic vices suas alijs impertiuit Ecclesijs, vt in partem sint vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis;] Ita Gregorius, occasione, qua inter Episcopos æmulatione exorta, alter in alterius vindictam intendebat, & inter alios Aldricus Cenomanensis Antistes in Gallia grauem à comprouincialibus Episcopis patiebatur inuidiam, atque experiebatur persecutionem, supremam Romanæ Sedis auctoritatem in maioribus causis ostendere non destitit.

Verùm quid in hac non habetur materia ex Nicolai I. gestis & literis? quæ singula referre quia longius esset, insigniora dumtaxat insinuabo. Primum igitur in supremæ auctoritatis Pontificiæ argumentum occurrit, quod in causa Photij à Conciliabulo Constantinopolitano loco Ignatij in Patriarchatum intrusi scripsit Michaeli Imperatori; [Quapropter Deo omnipotenti multiplices referimus grates, qui vestro pectori hoc infundere dignatus es, vt fautores Ecclesiæ Dei effecti, concordiæ ipsius desideretis fauere, ne quauis rubigine erroris consumatur pulchritudo fidei, & frangatur intellectus Apostolicæ eruditionis. Ad eius etenim (sicut ipsi scitis) integritatem obseruationis, multoties conuentus factus fuit Sanctorum Patrum, à quibus & deliberatum, ac obseruatum extitit, qualiter absque Romanæ Sedis, Romanique Pontificis consensu, nullius insurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur à vobis Constantinopoli congregatum Concilium (vt vestris apicibus nostris intimatum est auribus) huius tenoris seriem parui pendens; ab institutis prædictis manum considerationis suæ reflectere non trepidauit: adeò vt Ignatium supra iam nominatæ vrbis Patriarcham sine Romani consultu Pontificis ibidem cætus conueniens proprio priuasset honore. Quod quantum sit reprehensione dignum, testes illi, qui ei oppositi sunt, manifestant &c.] Præfato postea eiecto Photio tamquam intruso, & incubatore Ecclesiæ alienæ, in pristinum verò locum restituto Ignatio à Nicolao I. iterum ipse ad eumdem Photium, Michaelemque Imperatorem literas Apostolico throno dignas dedit, vbi inter alia hæc habet: [Et quia vniuersitas credentium ab hac Sancta Romana Ecclesia, quæ caput omnium est Ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, & gratia Dei redempti, exorant: oportet nos, quibus commissa est, sollicitos esse, & ad speculationem Dominici gregis tantùm feruentiùs anhelare, quantùm hunc auidi lupi ad dilaniandum hinc inde patenti ore exquirunt, quod & audiendo co-nouimus, & experiendo comprobamus. Et quos per corporalem ob longinqua terrarum spatia, aut tumentes marinos fluctus, nequimus visitare præsentiam; saltem series apicum quasi viua voce declarent, vt nec à nobis silentij exquiratur culpa, nec audituris de ignorantia excusandi tribuatur facultas, quia & illud à nobis cauendum est, quod per Prophetam dicitur: Canes muti non valentes latrare: Nam & Apostolus ait: Insta opportunè, importunè. Constat enim Sanctam Romanam Ecclesiam per B. Petrum Principem Apostolorum, qui Dominico ore primatum Ecclesiarum suscipere promeruit, omnium Ecclesiarum caput esse, & ab ea rectitudinem, atque ordinem in cunctis vtilitatibus, & Ecclesiasticis institutionibus, quas secundùm Canonicas, & Synodicas, Sanctorumque Patrum sanctiones inuiolabiliter, atque irrefragabiliter retineret, exquirere, ac sectari. Et ideò consequens est, vt quod ab huius Sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, proprias rantùm sequendo voluntates, remoueatur, sed firmiùs, atque inconcusè teneatur.] Ita Nicolaus Papa ad Photium; eiusdemque tenoris sunt cæteræ, quas ad Imperatorem, & Orientales Episcopos scripsit, epistolæ.

Nec in Oriente solùm, sed & in Occidente Nicolaum supremam auctoritatem suam ostendisse testantur variæ eius ad Ludouicum Imperatorem, Lotharium, & Carolum Reges, aliosque plures datæ epistolæ; tum maximè ad Archiepiscopos in regno Ludouici Regis Germaniæ constitutos, pro abolitione Synodi Metensis, ac depositione Theutgaudi Treuirensis, & Guntharij Coloniensis Archiepiscoporum, qui illi præfuerunt; nec non ad Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem Concilij Suessionensis, itemque priuilegiorum suæ Ecclesiæ confirmationem petentem, vbi sic ait: [Proindè quia dilectio tua sequens instituta maiorum, ea, quæ possunt aliquam recipere quæstionem, ad nos quasi ad caput & ad apicem Episcopatus referre studuit: quod nos libenter accepimus, quia hinc dilectionem tuam memorem Canonum comprobamus: Synodum illam, quæ à te, & cæteris venerabilibus Archiepiscopis, atque Episcopis in vrbe Suessionum anno Incarnationis Dominicæ 853. Indict. prima, 5. Kal. Maij fuerat celebrata, & à decessore nostro beatæ memoriæ Benedicto Papa est confirmata; sicut idem sanctæ recordationis Pontifex illam confirmauit, ita & nos eam confirmatam, & irrefragabilem, perpetuòque mansuram, Apostolica auctoritate decernimus, saluo tamen Romanæ Sedis in omnibus iussu, atque iudicio; & sic deinceps;] circa quam clausulam in præfato Concilio confirmando, videnda est omninò eiusdem Nicolai epistola ad aliud Concilium Suessionense ipsius auctoritate congregatum scripta; nec non ad Hincmarum 47.

In alijs item ad eumdem Hincmarum, Conciliumque Siluanectense ab eo congregatum, ac cæteros tum Galliæ, tum aliarum nationum Episcopos, literis in causa Rothaldi Suessionensis Episcopi in præfato Concilio ab Hincmaro, nonobstante sua ad Sedem Apostolicam appellatione depositi, sed postea

stea à Summo Pontifice Nicolao in suam Ecclesiam post multos labores feliciter restituti, scriptis, ac missis docet causas Episcoporum, aliasque maiores pertinere ad Sedem Apostolicam, cuius est pro suprema sua auctoritate in rebus fidei, & religionis illa, quæ ad eam spectant probare, & reprobare. [Si enim, inquit, Summorum Pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur; ita vt quod Sedes Apostolica probat hodiè, teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenùs inefficax habeatur: quantò potiùs quæ ipsa pro Catholica fide, & profanis dogmatibus repellendis, pro varijs & multifarijs necessitatibus, & fidelium moribus diuerso tempore scripsit; omni debentur honore præferri, & ab omnibus prorsùs in quibuslibet opportunitatibus discretione, vel dispensatione magistra, reuerenter assumi.] Ita Nicolaus in epistola decretali ad Archiepiscopos, & Episcopos Galliæ pro restitutione Rothaldi, quem recedentem ab Vrbe pluribus alijs voluit Apostolicis literis abire munitum, in primisque ad Regem Carolum scripsit epistolam, qua, vbi maximè est detestatus Hincmari persecutoris contumaciam, atque superbiam, de legitimè facta Rothaldi restitutione eum reddidit certiorem, atque demum, vt faueat ipsi ad suam Ecclesiam reuertenti, primùm rogat, monet, ac nisi faciat excommunicationem comminatur: Hincmaro verò in sua ad eum epistola: [ab omni fore Sacerdotali dignitate, Dei per ipsum iudicio, & auctoritate Sedis Apostolicæ decreto, sequestrandum; ita vt numquam locum satisfactionis, aut ordinis restitutionem operiri debeat.

Hadrianus Papa II. in epistola ad Carolum Regem: [Actardus venerabilis quondam Nanneticæ vrbis Episcopus ad Apostolica perueniens limina vestræ celsitudinis epistolam detulit, quam quidem vos sanctæ memoriæ decessori meo Papæ Nicolao destinastis, sed nos iam vice illius in Apostolica Sede dignatione, ac miseratione diuinæ magnitudinis ordinati suscepimus. Vnde, quæ ab illo flagitata sunt, nos pro viribus indigni licèt hæredes supplere, & opitulante Christo fortè tamquam non ingrati filij paternum debitum persoluere maturauimus. Quamdiù enim merita beati Petri Apostoli Deo, cui omnia viuunt, non moriuntur, nequaquam fidei suæ, vel sollicitudinis hæredes deficient, nec deerunt prorsus, qui regulam, quam circa Dominum feruentissimæ charitatis ostendit, pro quantitate virium, proque capacitate diuinitus collati doni sequantur. Ipse namque quidquid ab indignis ministris negligenter agitur, supplet; ipse locum, quem olim delibatione proprij corporis Domino consecrauit, quiscumque, vel qualiscumque Vicarius extet, suæ tantùm claritatis lumine, hodieque indeficienter illustrat. Cui etsi desunt merita successoris, sed adsunt beneficia decessoris, ac primi Sedis eiusdem sessoris.] Eamdem supremam successoris Petri, Sedisque eius auctoritatem ostendit idem Hadrianus tam in his, quæ ad Basilium Imperatorem scripsit, quàm quæ gessit in causa Photij Constantinopolitani ex Anastasio, eum cum suo conciliabulo, complicibusque suis tertio anathemate percutiendo, &c.

Ioannes Papa VIII. etsi iure merito visus fuerit successoribus Pontificibus, cæterisque orthodoxis culpabilis, quod Photij artibus deceptus eum restituerit; haud tamen illorum reum esse criminum, quibus ab eodem Photio aspergitur in Synodo ab ipso Constantinopoli vnà cum Legatis Apostolicis habita, quam & nuncupauit octauam, sed ea potiùs è contra detestatum fuisse, iuxtaque supremam, ac infallibilem Romani Pontificis in rebus fidei, ac Religionis auctoritatem operatum semper fuisse testantur in primis duplices eius literę scriptę ad Basilium, & filios Imperatores, nec non ad ipsum Photium, à quo tamen falsatas, ac deprauatas fuisse, vt liberiùs præfatum Pontificem infamaret, clarissimè ostendit Cardinalis Baronius tom. 10. Annalium ad ann. Christi 879. In prima igitur ad Basilium epistola, prout eam Romæ scripsit, hæc habet: [Inter claras sapientiæ, & mansuetudinis vestræ laudes, ò christianissimi Principes, aliquando cum puriore luce summę deuotionis longè, latèque resplendet, quod amore fidei, quod charitatis studio, disciplinis Ecclesiasticis edocti, Romanæ Sedi reuerentiam more prædecessorum vestrorum pijssimorum Imperatorum conseruatis, & eius cuncta subijcitis auctoritati. Ad cuius auctorem, hoc est Apostolorum omnium Principem, Domino loquente præceptum est: Pasce oues meas; quam esse verè omnium Ecclesiarum Dei caput, & Beatorum Patrum præcipuæ regulæ, & Orthodoxorum Principum statuta declarant, & pietatis vestræ reuerendissimi apices attestantur. Nihil est enim, quod lumine clariore pręfulgeat, quàm pia deuotio, & recta fides in Principe. Et quia Pontifici nostri reuerentiam hoc ardore mentis, hoc religionis studio luculenter vestris mellifluis literis exornatis: id nos ratione, seu temporis necessitate inspecta, cum Sedis Apostolicæ nobis commissæ consensu; & voluntate perficere iure Apostolico decet; iuxta quod deinceps ostendit ad se pertinere dispensandi, ac Photium restituendi auctoritatem, provt ab Imperatore rogabatur.] Eadem passim habet, ac repetit pro suprema Sedis Apostolicæ auctoritate in epistola ad Photium. A quo rursus, nec non ab Imperatore Basilio datis per Legatos Romam reuertentes literis, quibus de restitutione Photij, cuius causa tantummodò missi erant, Ioannes certior redderetur, tacerentur verò aliqua, quæ de Synodo VIII. Oecumenica abroganda fuissent in Pseudo-Synodo Photij opera constituta, ipse respondens, in fine sic se probare dicit, quæ in Synodo acta essent de restitutione Photij Legatis in mandatis data, vt si quid ipsi præter voluntatem Apostolicæ Sedis plus his operati essent nullius esset penitus auctoritatis. Quo in responso mirum in modum consideranda est, ac laudanda Dei circa Romanæ Sedis indeficientiam prouidentia, quia, & si in maximum discrimen per Legatos Apostolicæ Sedis est adducta, vt à Photio plurima indigna pati coacta fuerit: tamen pro defensione eiusdem, vt perseueret illibata absque macula, & sine ruga, dederit eidem Ioanni suo Vicario, vt si non gladio saltem clypeo vsus sit, inquit Baronius,

ronius, nimirum, vt cum apud Imperatorem, tum apud Photium Patriarcham apertè contestaretur, se nihil recipere ex ijs, quæ in Synodo facta essen, nisi quod ipsis Legatis in mandatis datum esset, Photium videlicet misericorditer restituere. Clypeus inquam oppositus Græcorum audaciæ fuit, quo Ecclesia Romana seruaretur illæsa, nullaque fœdaretur participatione eorum, quæ in Photiana, Pseudo-Synodo proteruiter nimis, & impiè contra Oecumenicam octauam Synodum facta essent, dum expressè professus sit, ijs se minimè consensisse, vel fore aliquando consensurum. Immò post hęc ab ipso damnatum fuisse Photium, nec non Romanæ Sedis Legatos præuaricatores inuentos refert, ac probat vbi supra Cardinalis Baronius.

Eadem suprema auctoritate Marinus Ioannis successor in ipso suo Pontificatus ingressu, Photium damnauit, simulque cunctas res ab eo gestas ad munus Episcopale spectantes; indeque furore incensus Basilius Imperator Romam scribens dicebat, Marinum non esse Pontificem, eò quod alterius Ecclesiæ iam fuisset Episcopus ordinatus; multaque alia ignominiosa aduersùs eumdem Sanctissimum Pontificem effutiens, eum solio deponere satagebat, sed aduersùs eum pro Marino Stephanus Papa Sextus, vt decebat locupletissimè satisfecit, vt patet ex epistola ab eo ad Basilium Imperatorem scripta, postremis videlicet eius temporibus, quando à Photio seductus, scripsit Romam aduersùs sanctum Marinum Papam ad Hadrianum III. eius successorem. Qua in Stephani epistola mirum in modum ab eo commendatur suprema Romani Pontificis auctoritas: [Quo, inquit, pacto à Deo largitus es vobis, terrenis rebus præesse; ita etiam nos per Principem Petrum spiritualibus rebus Deus præfecit.] deinde: Oro itaque pietatem tuam, vt inhęreas decretis Principum Apostolorum, vt nomen eorum honores, & dignitatem. Institutio enim, & Sacerdotium omnium, quæ in orbe sunt Ecclesiarum à Principe Petro ortum accepit, per quem etiam nos sinceri ssima, & purissima doctrina monemus omnes, & docemus. Regnum verò tuum non minimarum rerum argumento ad ea, quæ præstantiora sunt, scrutanda se erigat, sed animaduertat qua auctoritate hæc facere aggreditur. Ille quidem, qui aduersùs Sanctissimum Marinum sacras aures tuas contumelijs maculauit: aduersùs Dominum nostrum Iesum Christum, qui nutu suo vniuersum orbem regit, blasphemias effutire, procul dubio non dubitauit. Quis inquam ille fuit, qui aduersùs immaculatum eius sponsum, & sacerdotem, & aduersus matrem omnium Ecclesiarum talia dicere ausus est? &c.]

Idem Stephanus in epistola ad vniuersos Episcopos, & reliquos Clericos, qui priùs ad ipsum de Photij depositione scripserant, multum interesse animaduertens, quod ille, vt scribebat Imperator Leo Quartus abrenuntiasset, aut, vt ipsi monebant, expulsus fuisset, sic respondet: [Nos igitur absque diligenti inquisitione qualecumque iudicium proferre non possumus. Quapropter nunc sententiam prorogauimus. Et opus est vtriusque partis religiosissimos Episcopos mitti, vt perpensa omni dubitatione, & veritate vtrimque manifestata, dicere possimus, quod Deus voluerit. Romana enim Ecclesia instar speculi, & exemplaris reliquis Ecclesijs constituitur. Et quodcumque definierit, in sempiternum manet incorruptum, & hac de causa sententias magna cum inquisitione ferre decet.] Ita ad Episcopos Stephanus Papa magna consideratione suspendens iudicium. Etenim si acquieuisset ijs, quæ scripta erant ab Imperatore de Photio spontè se abdicante, eius sessionem illegitimam quodammodo probasse videri potuisset. Cæterum nullus esse poterat locus renuntiationi ei, qui numquam legitimè sedisset; nemo potest dimittere, quod non habuit; sed eijciendus, vt latro, qui non sua diu mala fide possedit. Ne igitur probasse eo modo Photij restitutionem videri posset, non renuntiationem illius, sed eiectionem potiùs tam ab Imperatore, quàm ab Episcopis expectat audire.

Synodus Turonensis in epistola ad Nomenoium ducem Britonum: [Satis hæc ad tuam perditionem sufficiebant, sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem læsisti Christianitatem, dum Vicarium beati Petri Apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, spreuisti, &c.]

Supremam Romani Pontificis auctoritatem arguit, quod ab Ignatio Patriarcha Constantinopolitano celebrata Synodo, & lata in Gregorium Syracusanum Episcopum depositionis sententia, legati missi sunt ad Leonem Papam Quartum, vt eius assensu facta depositio rata haberetur. Leo autem illam confirmare differens, donec pars altera audiretur, interim obijt, & ad successorem Benedictum III. causa delata est, de quo vide Nicolaum Papam in epist. 9. ad Michaelem Imperatorem.

Britanni Episcopi supremum, ac infallibile Romanæ Sedis magisterium in rebus fidei, & religionis constanter agnoscentes, post mortem Nomenoij impij hominis atque sacrilegi, Synodali conuentu inter alia ad præfatam Sedem legationem decreuere, vt de nonnullis illam consulerent: quæ, & qualia fuerint, epistola Leonis Pontificis ad eos reddita docet, tomo 2. epistolarum decretalium.

Eadem Sedis Apostolicæ auctoritas ab ipsis eius aduersarijs cognita fuit; nam licèt Imperiali nisus potentia Photius, & Episcoporum consultu, ex congregato ad eam rem perficiendam Concilio, ab ipso Imperatore Michaele III. Barda operante, in patriarchalem eleuatus fuisset thronum; quod tamen sciretur omnis conatus Imperatoris esse irritus, nisi Ignatius è Sede depositus, auctoritate Papæ priuatus esset, & ipse Photius, quem euexisset Imperator in Sedem, manu Romani Pontificis firmaretur: iudicium, vel inuitus cogitur implorare Apostolicæ Sedis, missa legatione ad Nicolaum Papam; vtque omnino quod peteret, de legatione vicissim mittenda à Pontifice faciliùs obtineret: aliam quoque prætexit Photius simulatam occasionem, nempe causam sacrarum imaginum, nimirum vt sua auctoritate Pontifex pullulantem rursus errorem euelleret: de quo vide eumdem in epistola 16. ad Orientales Episcopos sub

Con-

Constantinopolitana Ecclesia consistentes.

Concilium Suessionense in fine Synodalis epistolæ ad Nicolaum Romanum Pontificem, qua eum de rebus in Synodo gestis certiorem reddit, hæc habet ad nostrum intentum: [Postremò supereminens sublimitatis vestræ sapientia hæc, & alia, quæ intellectus nostri exiguitas non valet attingere, perspicaci indagatione contemplabitur, multòque sollicitiùs prouidebit cauenda, nobisque significabit sequenda: vt, & præsentibus medelam, & futuris dignanter impendat custodiam. Apostolatus vestri decus præpollentissimum, ad Ecclesiæ sanctæ sublimitatem, & pacem optamus vbique pollere, & perpetua stabilitate ad suffragij nostri munimen, atque tutelam vigere.]

In eamdem animi sententiam Synodus Trecensis literas dedit ad eumdem Nicolaum, Romanum Pontificem, quæ defuncto illo, redditæ sunt eius successori Hadriano, quarum titulus est: [Reuerentissimo, & sanctissimo Domino patri, ac vniuersali Papæ Nicolao, Episcopi, qui præterito anno per gratiam Dei, & decretum vestrum, apud Suessonicam vrbem cum alijs, qui tunc nequiuerunt adesse, 9. Kal. Non. prima Indictione apud Trecas conuenimus.] Postea; [Nobis quoque in eiusdem rei negotio decertantibus, & quædam deflorantibus, non tamen terminantibus, eò vsque causam perduximus, vt solummodò magisteriali vestro culmini eorum assignaretur restitutio, attribueretur reformatio, adscriberetur redintegratio.] Demùm in fine: [His itaque pro quantitate intelligentiæ nostræ decursis, summissæ deuotionis obsequio vestri Apostolatus exoramus magnificam beatitudinem; vt sapientissima indagine consideratis vtriusque partis relatis, more beatissimorum prædecessorum vestrorum, quæ de statu sacri pontificalis ordinis ab eis statuta, & impreuaricabili auctoritate firmata sunt, & immota de cætero maneant, mucrone Apostolico quorumcumque Metropolitanorum temeraria præsumptione suppressa; quin etiam reliquorum Episcoporum quorumcumque, seu quantorumcumque audaci conniuentia penitùs summota, priuilegia, & decreta seruari innouata constitutione decernatis; ita vt nec vestris, nec futuris temporibus, præter consultum Romani Pontificis, de gradu suo quilibet Episcoporum deijciatur.] Quibus sanè verbis, modoque loquendi vix clarius quid haberi potest ad asserendam supremam, & impreuaricabilem Romani Pontificis auctoritatem in rebus fidei, & religionis.

Hoc quoque seculo celebrata est Synodus Constantinopolitana Oecumenica octaua, ex cuius actis non minùs probatam habemus summam Romanorum Pontificum auctoritatem; quod enim ibi rogati fuerint Apostolicæ Sedis Legati, mandatum eius à quo missi essent, ostendere, Bahanes famosissimus Patritius, & Præpositus, qui gerebat in Synodo munus iudicis cognitoris, dixit non propter inhonorantiam Apostolici Throni id factum fuisse; [Sed quia, inquit, anteriores vestri ascendentes missi Rodoaldus, & Zacharias deceperunt nos, alia in mandatis habentes, & alia facientes.] Primum igitur iussus est à Legatis Apostolicæ Sedis legi libellus, cui subscribere tenerentur, qui ex Schismaticis recipi in Ecclesiam vellent, & Hadriano Papæ, aut loco ipsius Legatis offerrent; quo in libello non ab Hadriano Pontifice primùm, sed ab eius prædecessore Nicolao facto, & misso Constantinopolim in remedium lapsorum, sed tunc sedente Photio, non admisso, hæc habentur verba; [Quia non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica immaculata est semper Catholica seruata religio, & sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide, atque doctrina separari minimè cupientes, & Patrum, & præcipuè sanctorum Sedis Apostolicæ Præsulum sequentes in omnibus constituta: anathematizamus omnes hæreses simul cum Iconomachis: anathematizamus etiam Photium, qui contra sacras regulas, & sanctorum Pontificum Romanorum sacra decreta repentè de curiali administratione, secularique militia sublatus, superstite Ignatio Patriarcha, in Constantinopolitana est peruasoriè, imò tyrannicè à quibusdam Schismaticis, vel anathematizatis, atque depositis institutus Ecclesia, donec Sedis Apostolicæ sanctioni inobediens perseuerans, eius sententiam tam de se, quàm de Patriarcha nostro Ignatio spreuerit, & conciliabuli acta, quod se auctore contra Sedis Apostolicæ reuerentiam congregatum est, anathematizare distulerit;] & sic deinceps.

Secundò inter huius Concilij canones sancitus est vigesimus primus de exhibendo honore, & reuerentia omnibus Patriarchis, præcipuè verò Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici. De quo speciatim ista: [Neminem debere conscriptiones contra sanctissimum Papam senioris Romæ, ac verba complicare, atque componere, sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum, quod nuper Photius fecit, & ante Dioscorus. Quisquis autem tanta iactantia, & audacia vsus fuerit, vt secundùm Photium, vel Dioscorum in scriptis, vel sine scriptis iniurias quasdam contra Sedem Petri Principis Apostolorum moueat: æqualem, & eamdem, quam illi condemnationem recipiat.] Et paulò post: [Porrò si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quęuis ambiguitas, & controuersia: oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, & aut proficere, aut profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices.]

Tertiò in epistola ex Synodo, vel ob Synodum ad Hadrianum Romanum Pontificem scripta, quæ incipit: [Opportunum est cum sapientissimo Salomone nunc, & nos clamare, &c.] qua commendatur Hadriani studium in Synodo Oecumenica colligenda, his quoque verbis, vt eam confirmet, exoratur: [Igitur libenter, oppidò, & grananter, imitatrice Dei sanctitate vestra, omnium nostrum conuentum, & vniuersalis huius, atque Catholicæ Synodi consensum, ac consonantiam reci-

cipiente, prædica eam magis ac magis, veluti propriam, & sollicitus confirma coangelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris, vt per sapientissimum magisterium vestrum etiam alijs vniuersis Ecclesijs personet, & suscipiatur veritatis verbum, & iustitiæ decretum.] Hanc autem Synodum Octauam pro vniuersali, & Oecumenica habitam fuisse pluribus ex Anastasio demonstrat Cardinalis Baronius Annalium tomo 10. ad annum Christi 869.

In Trecensi Synodo generali à Ioanne Papa VIII. congregata, cuique ipse fuit præsens, Episcopi hoc quod sequitur diploma illi porrexerunt excommunicationi contra hostes Romanæ Ecclesiæ consensionem præbentes: [Domine sanctissime, ac reuerendissime Pater Patrum Ioannes Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, sanctæ videlicet Romanæ primæ Sedis Papa, nos filij, famuli, ac discipuli vestræ auctoritatis Galliarum, & Belgicarum Episcopi, his, quæ super vulnera dolorum vestrorum maligni homines, ac ministri diaboli addentem ad sanctam Matrem nostram, ac magistram omnium Ecclesiarum commiserunt, compatimur, & dolori vestro consentes condolemus, atque iudicium vestræ auctoritatis (quod priuilegio beati Petri, & Sedis Apostolicæ in eos, & complices eorum iuxtà sacros canones, spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, ac secundùm eiusdem sanctæ Romanæ Sedis Pontificum prædecessorum vestrorum decreta protulistis) voto, voce, & vnanimitate nostra, atque auctoritate sancti Spiritus, cuius gratia in Episcopali ordine sumus congregati, gladio Spiritus sancti (quod est verbum Dei) eos interimentes persequimur, scilicet quos, sicut prædiximus, excommunicastis, excommunicatos tenemus; quos ab Ecclesia abiecistis, abijcimus: quos anathematizastis, anathematizatos esse iudicamus; & quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas, & Apostolica Sedes receperit, recipiemus.]

In Concilio Triburiensi in Germania opera Attonis Archiepiscopi Moguntini præsente Arnulpho Rege celebrato, cum tunc plerique mentitis vterentur Apostolicis literis, visum est Synodi Patribus aduersùs eiusmodi temerarium ausum legem statuere dignam planè tanto consessu, quæ sic se habet ad nostrum institutum: [In memoriam beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem; vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas; vt licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, conferamus, & pia deuotione toleremus. Si verò (quod non decet) quilibet siue sit presbyter, siue diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando redarguatur falsam ab Apostolico detulisse epistolam, vel aliud quid, quod inde non conuenerit: salua fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penès Episcopum sit potestas vtrùm eum in carcerem, aut in aliam detrudat custodiam, vsquequò per epistolam, aut per idoneos suæ partis Legatos Apostolicam interpellet sublimitatem, vt potissimùm sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuat desinire, vt & is corrigatur, & cęteris modus imponatur.]

Sanctus Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus, qui vixit tempore Leonis III. non obscurè testatur supremam Romani Pontificis auctoritatem in prolixa epistola ad præfatum Leonem scripta, qua simul ac ipsi liberum fuit, ei de sua rationem reddidit electione, necnon fidei suæ Catholicæ professionem fecit manifestam: habetur tomo 9. Annalium Baronij ad annum Christi 811.

Inter huius seculi Patres, & Scriptores Ecclesiasticos potissimùm floruit S. Theodorus Studites, vir admirandus, & potens opere, & sermone, quique dimicauit pro cultu sacrarum imaginum, & contra hæresim defendentem adulterium posse fieri licitum ex dispensatione, vsque ad exilia, carceres, & supplicia varia. Quàm etiam supremæ, ac infallibilis Romani Pontificis auctoritatis fidelis assertor fuerit comprobant plura testimonia ex epistolis ab eo ad varios datis deprompta. Primum enim in epistola ad Leonem Papam III. contra Synodum Constantinopolitanam ab eo dictam Moechosynodum hæc habet: [Quandoquidem Petro magnò Christus Deus post claues Regni Cœlorum pastoralis etiam principatus contulit dignitatem: ad Petrum vtique, vel eius successorem quicquid in Ecclesia Catholica per eos innouatur, qui aberrant à veritate, necesse est referri. Quod nos quoque humiles, & minimi à sanctis olim Patribus nostris edocti, postquam in Ecclesia nostra nouitas quædam nuper exorta est, & priùs quidem per religiosissimum Archimandritam fratrem, & conseruum nostrum Epiphanium, & nunc per simplices literas nostras ad supremæ beatitudinis tuæ Angelum de ea re referre nos debere, arbitrati sumus. [Deinde Mechianorum hæresi explicata subiungit. [Quid igitur ad hæc, ò beate, dicendum est, nisi Apostolicum illud; Nunc Antichristi multi facti sunt, si diuinis legibus, & canonibus omnes homines subditi non sumus? His ergo à simplicitate nostra sine fuco expositis, vocem nunc illam, quam coryphæus cum reliquis Apostolis Christo emisit, cùm maris fluctus excitarentur, apud Christi imitatricem beatitudinem tuam adhibemus: Salua nos, Archipastor Ecclesiæ, quæ sub cœlo est, primus. Imitare magistrum Christum, manumque Ecclesiæ nostræ porrige, sicut ille Petro; nisi quod ille incipienti in mare mergi, tu autem iam mersæ in hæresis profundo. Æmulare, precamur, cognominem tibi Papam, atque vt ille, pullulante tunc hæresi Eutychiana, leoninum in morem spiritu experrectus est, vt omnes norunt dogmaticis suis epistolis: sic & tu (dicere audeo) iuxtà nomen quod geris, irrugi diuinitùs, vel potiùs intona contra præsentem hanc hæresim, vt decet. Si enim isti, arrogata sibi auctoritate, hęreticam Synodum cogere veriti non sunt, qui ne Orthodoxam quidem absque cognitione vestra (vt antiquitùs mos obtinet) cogere potuerunt: quantò æquiùs vsque adeò necessarium fuerit (cum timore suggerimus) à diuino tuo principatu legitimam Synodum conuocari, vt Orthodoxum Ecclesiæ dogma hæreticum excluderet; & neque suprema digni-

gnitas tua cum Orthodoxis omnibus anathemate notetur à nouis nugatoribus; neque iniquitatis porrò classicum adulterinam hanc Synodum nacti, quibus id placet, in peccatum facilè prolabantur.

Item in epistola ad Basilium Abbatem Sancti Sabæ Romæ, quod sciret pro summa, & infallibili Romani Pontificis, sedisque eius auctoritate, per eum ex more damnandos esse hæreticos, hæc scribit: [Vtile autem fuerit (quod vnum est consilium nostrum, & desiderium) per supremum Apostolicum, sicut ab initio semper factum est, Synodicè damnari eos, qui contrà Euangelium Christi cætum inierunt, & anathemate illius defensores appetiuerunt; quod adulterium, & adulteri coniugium, & adulterij patrocinium mox receperint tanquam dispensationem Sanctorum, sicut Mæchiani statuerunt, &c.]

In epistola quoque ad Paschalem, qua cum alijs confessoribus opem ab eo petit in extrema Ecclesiæ Orientalis necessitate, hæc habetur inscriptio [Paschali Papæ Romæ. In omnibus summa virtute prædito, lumini magno, principi Sacerdotum primo, domino nostro Apostolico Papæ Paschali] & paulò post initium [Audi Apostolicum caput, à Deo proposite Pastor ouium Christi, ianitor regni cælorum, Petra fidei, super quam ædificata est Catholica Ecclesia. Petrus enim tu, Petri Sedem exornans, & gubernans] Deinde versùs finem [Huc igitur ab Occidente, O Christi imitator, resurge, & ne repellas in finem. Tibi dixit Christus Deus noster: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ecce tempus, ecce locus: opitulare nobis, qui es à Deo ad hoc ordinatus, porrige manum, quantum fieri potest. Habes potestatem à Deo, quod omnium princeps es, in quo positus es. Terreto supplicamus, hæreticas feras calamo diuini verbi tui. Pastor bone, pone animam pro ouibus supplicamus, Audiat Ecclesia, quæ sub cælo est, quod à vobis anathematizantur per Synodum, qui hæc ausi. Etiam Sanctos Patres nostros anathematizant. Hoc fuerit Deo acceptum, Angelis, & Sanctis gaudium, concussis firmamentum, fundatis stabilem, lapis resurectio, omni Orthodoxorum Ecclesiæ exultatio, & tuæ certè celsitudini secundùm eos qui antiquitus præcesserunt, æternum monimentum. Qui similibus temporibus cum fecerint ea, quæ à nobis peccatoribus nunc petuntur, Spiritu Sancto afflati, & commemorantur, & beati habiti sunt.

In alia ad eumdem Paschalem epistola, cuius titulus est; Per omnia religiosissimo Patri, supremo lumini. Vniuersali, domino nostro, Apostolico Papæ] hæc rursum ad nostrum intentum habet [Respexit nos Oriens ex alto Christus Deus noster, tuam in Occidente beatitudinem, tanquam facem quamdam diuinitus lucentem ad Ecclesiæ, quæ sub sub cælo est illuminationem, in Apostolica prima Sede constituens] paucisque interiectis [Ac reipsa cognouimus, manifestum Apostolorum principis successorem Romanæ Ecclesiæ præsidere; certòque nobis persuasimus Dominum Ecclesiam nostram minimè deseruisse, cui vnum, solumque à nobis auxilium hactenus, atque ab ipso exordio in occurrentibus molestijs Dei prouidentia concessum est. Vos igitur illimis, ac sincerus ab initio fons Orthodoxæ veritatis. Vos aduersùs omnem hæreticam procellam tranquillus sepositus portus Ecclesiæ vniuersæ. Vos à Deo electa ciuitas, refugij salutis. Sed quoniam temerarium est à nobis miseris, ac indignis encomia congeri diuino nomini vestro, quod diuina olim linguæ beatum prædicarunt, præstat vt ad ærumnas nostras veniamus]

In epistola quam è carcere idem Theodorus Naucratio filio scripsit, loquens de Paschalis Papæ literis Constantinopolim pro fide orthodoxa aduersùs Iconomachos nuper allatis, mox subdit: [Tesior nunc coram Deo, & hominibus. Seipsos auulserunt à corpore Christi, & supremo verticali throno, in quo Christus fidei claues posuit, aduersùs quē non præualuerunt vnquam, nec præualebuut vsque ad consummationem portæ inferi, ora scilicet hæreticorum, sicut pollicitus est, qui non mentitur. Gaudeat igitur beatissimus, & Apostolicus, & nomine suo dignus Paschalis, quoniam Petri opus impleuit] Locus iste Theodori epistolæ ad Naucratium totidem verbis à Gennadio Patriarcha Constantinopolitano citatur in expos. pro Concilio Florentino c.5. sect. 18. quibus ipse subijcit ista compellans aduersarium [Audis quo pacto ea, nempe Romana Ecclesia, caput est Ecclesiæ Christi, cuius Petrus est primus præses; & quod numquam præualuerunt, neque præualebunt vsque ad consummationem sæculi hæreticorum effrænata ora, secundùm promissionem veracis Saluatoris? Si numquam præualuerunt hæretici aduersùs Christi Ecclesiam: quomodo audetis dicere eam errare? &c. Sed, & idem in eodem capite sect. 2. alium elegantem profert eiusdem Theodori locum, sic dicens: de eadem Romana Sede, & Ecclesia. [Ergo ibi Ecclesiam confitebimur, vbi non est hæresis, nec iniquitas, neque infidelitas, immo verò firma fides, & inconcussa. At non ita apud Orientem, vbi abundat iniquitas, & infidelitas. Nec meus sermo hic est, sed Theodorus Studites procedat, & dicat testimonium, quod nemo poterit inficiari. In decima quinta Catechesi, quam legitis quidem, at non intelligitis, quia non vultis. Videtur enim doctor hic aduersùs impugnatores imaginum pugnare, quando dicit: Audio autem quod Romæ principis Apostolorum claues, proponuntur ad adorandum, honore haberi, quamquam non claues sensibiles Dominus eis tradidit, sed intellectuales ad ligandum, atque soluendum. At illi argenteas populo proponunt ad adorandum. Tanta igitur apud eos est fides, & ibi solida petra fidei secundùm Dei verbum fundata. Hic verò vt videtur, abundat infidelitas ac improbitas. Vides quod, & beatus hic, ibi confitetur solidam esse fidem, nec in Petro tantùm, sed, & in eius successoribus]

Ad eamdem supremam, ac infallibilem Romanorum Pontificum auctoritatem facit, quod primùm Carolus Magnus, deindè Ludouicus genitoris pietatis non minùs, quàm Imperij successor, non solùm eorumdem Pontificum consensu, atque hortatu suas leges, capi-

pitularia dicto sanciuerint, auctoritateque roborata esse voluerint, vt testatur Benedictus Leuita in præfatione ipsis proposita, se insuper ibidem decretorum Romanorum Pontificum obseruantiam religiosè præcipiant; quodque vbi in rerum consultationibus aliquid quod videri posset arduum, vel quid magni momenti consulendum esset: id nequaquam nisi consulta rursum Apostolica Sede definiri præsumeretur: & quid amplius? nullius prorsus esse auctoritatis quod contra Apostolica decreta sanciretur; quin etiam statutas ab eis Synodos per ipsos Romanos Pontifices, atque eius Vicarios irritas posse reddi sancita lege decreuerunt: de quibus vide præfator. capitul. lib. 6. c. 267. lin. 7. cap. 91. 104. 187. 205. 265. 297. & additione 4. ad lib. 7. c. 12. Illaque etiam perlegentibus clarè constabit, quanta sit Nouatorum, eorumque sequacium perfidia, qui exemplo Caroli, Ludouici, & aliorum Christianorum principum ius condendarum legum Ecclesiasticarum tribuunt Regibus, & Imperatoribus. Tantùm enim abfuit Ludouicus à condendis legibus ad Ecclesiæ personas, & res spectantibus, vt etiam nec putaret licere sibi, suisque Episcopis absque auctoritate Romani Pontificis de his, quæ spectant ad Ecclesiasticas controuersias, vel tantùm pertractare, atque disserere, nisi primùm de his licentiam accepisset ab ipso Romanæ Sedis Episcopo, vt patet ex superiùs allatis, & iam adducendis.

Primùm enim in huius rei probationem habetur epistola ex persona omnium Episcoporum, & Præpositorum ad Michaelem Imperatorem, qua monent non arbitrio eius tractanda esse diuina; Sed, inquiunt [si quid est eiusmodi, de quo ambigat, aut diffidat diuina magnificentia vestra piè à Patriarcha dissolui posse: iubeat magna ipsius, & à Deo confirmata manus ad communem vtilitatem à vetere Roma suscipi declarationem, ut prodit olim, & ab initio paterna traditione transmissus mos fuit: hæc enim, Christi æmule Imperator suprema est Ecclesiarum Dei in qua Petrus sedem primus tenuit, ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam locum hunc refert Gennadius in expos. pro Concil Florent. cap. sect. 16. ad demonstrandum supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem semper in Ecclesia cognitam, & prædicatam fuisse.

Eodem penitùs stylo Theodorus Studites lib. 2. epist. 129. Codic. Columnensis scribit Leoni Sacellario, Ecclesiastica nimirùm non Imperatoribus, sed Episcopis fuisse commissa, Romano præsertim Pontifici primæ Sedis Episcopo, ita vt eo inconsulto, impossibile sit, quod scissi ab Ecclesia vniantur, & & pax agatur, ad quam componendam primùm quidem ait opus esse, vt Oecumenicum agatur Concilium, sed auctoritate Apostolicæ Sedis, Vicarium suum mittendo, vel si prouincialem Synodum agat Catholicus Patriarcha, scribenda sit inde Synodalis ad ipsum Romanum Pontificem. Si verò impediatur Patriarcha, vt Synodus cogi per ipsum non possit, tum esse mittendas legationes ex vtraque parte ad ipsum Romanum Pontificem Hierarcham totius Ecclesiæ. Sicque in omnibus rebus ad fidem, ac religionem spectantibus primæ sint deferendæ Apostolicæ Sedis Antistiti.

Eadem de causa, cùm Imperator Orientis Michael Balbus legationem misisset ad Ludouicum Imperatorem Occidentis, ex eaque inter alia, quæ ad cultum Sanctarum imaginum viderentur spectare intellexisset: vt de omnibus diligentissima posset haberi discussio, legationem quamprimùm potuit, misit ad Romanum Pontificem, qua ab eo peteret non Synodi cogendæ dari licentiam, sed tantùm colligendi viros doctos, qui ea de re exquirerent, ac disputarent, vt ipse Ludouicus Imperator in literis ad Eugenium Romanum Pontificem datis profitetur. Cæterum cum missi ab eo Legati Romam peruenissent: Romanus Pontifex temeritatis eos redarguit, quod antiquam coalitam per multa sæcula Ecclesiasticam de sacris imaginibus consuetudinem immutare temerè conarentur. Ne tamen videretur rem agere auctoritate potiùs, quàm ratione, petitam ab Imperatore licentiam de his agendi, ac disputandi concessit. Sicque in Gallias redierunt ad eumdem, qui eos miserat, Imperatorem. Quid autem de collatione Parisiensi inde secuta, sub nomine Synodi Francofurti cusa in Wecheliana typographia sentiendum sit, consule Card. Baronium tomo 9. ad ann. Christi 825.

In supradictis autem ad Eugenium literis hæc insuper scribit Imperator Ludouicus: [Vnde sicut dignum, & verè dignum, & iustum est, vt præeunte Spiritus Sancti virtute, ille inter eos in nomine Domini talia correcturus, & ad viam veritatis sanctissimo moderamine reducturus, primus in hominibus arbiter occurrat; quem Deus omnipotens in Sede Apostolica collocare, eorùmque Vicarium eidem Sanctæ suæ Ecclesiæ dare dignatus est, & ob hoc ei nomen speciale in toto orbe terrarum ab eadem Sancta Dei Ecclesia, præ omnibus Pontificibus decretum est, vt solus, non sua abusione, sed Sanctorum Apostolorum auctoritate, vniuersalis Papa dicatur, scribatur, & ab omnibus habeatur; &c.] quibus satis agnoscit supremam Romani Pontificis auctoritatem Ludouicus; quamuis in sua ad Legatos Romam missos monitione suorum consiliorum opera, fermè in transuersum actus, iam labare pedibus visus sit, sed Deus eum cadere non permisit; imò quod Romanum Pontificem sciret supremum esse rerum fidei, & religionis magistrum misit Amalarium Fortunatum ad Gregor. Papam IV. vt ex Romana Ecclesia Gallicanos Antiphonarios corrigeret, emendaret, augeretque.

Et si Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus in aliquibus nonnihil nimis cum Romanis Pontificibus litigiosus fuerit, eum tamen illis, adeo potens est veritas, supremam auctoritatẽ in rebus Ecclesiasticis agnouisse plura eius demonstrant tum gesta, tum dicta. Primùm quod nata Gothescalci hæresi, de ea ad Nicolaum Papam epistolam scripserit, quæ extat apud Frodoardum in hist. de Eccles. Rhem. lib. 3. cap. 13. vbi rerum ad eam spectantium tamquam supremo hære-

seon

scon Iudici rationem reddit. Secundò quod ad eumdem literas de suæ confessione fidei, & de Apologia, quam pro fide Catholica contra errorem Gothescalci struebat, miserit. Tertiò in epistola apologetica ad Nicolaum, cuius titulus est: [Domino Sanctissimo, & reuerentissimo Patrum patri, Nicolao primæ, ac Summæ Sedis Apostolicæ, & vniuersali Papæ, Hincmarus Episcopus, & vestræ Sanctissimæ paternitatis deuotissimus famulus,] plura habet, quibus summam, ac supremam Romanæ Sedis auctoritatem se reuereri profitetur. Et cum ab Hincmaro Landunensi tamquam Pontificiorum decretorum contemptor, & præuaricator sæpius redargueretur, tantam sibi notam inuri dolens, in epistola in ipsum, & ad ipsum scripta hæc habet: [Post alia multa super dolorem vulnerum meorum addens, dicis (sicut in scriptis tuis peruersis inuenio) quia Apostolicæ Sedis potestati derogo. Vnde nemo sanum sapiens tibi vnquam credidit, vel credet, quoniam, & ipsa scripta, quæ ad Apostolicam Sedem misi, & illa, quæ tibi resultanti sæpe transmisi te retinent, & in isto sæculo, & in futuro iudicio. Non enim de me verum esse, valebis vnquam, vel vsquam probare quod dicis: ab his, inquiens, à quibus pro Apostolicæ Sedis priuilegijs, quæ Christi sunt, ad mortem fas erat decertare, prædicatur, & docetur in his, quæ eadem Sedes statuit, vel dum respuendum probari. Et inferiùs post illatas in eum ciminationes. Ego decretales epistolas Sedis Apostolicæ diuersis temporibus pro diuersarum partium consolatione ab eiusdem Sedis Pontificibus datas, & venerabiliter suscipio, & venerabiliter suscipiendas dico, & scribo, & Sacros Sanctorum Conciliorum canones, cum decretis Sedis Apostolicæ ex iisdem Sacris Canonibus promulgatis, & recipiendos, & custodiendos, & seruandos, sicut supra ostendi, profiteor, & cætera quæ superiùs.] Ita Hincmarus hìc, & aliqui vi veritatis adactus; quamuis, vt notat Cardinalis Baronius Annalium tomo 10. verbis captiosis, atque scriptis, factis enim secus se habuisse cuncta in omnibus causis cum Sede Apostolica habitis, satis apertè demonstrant, & quę in hac ipsa causa Landunensis Episcopi acerrimi Pontificiorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ decretorum defensoris gesta sunt, indicant, quam idem prosequitur Baronius, animaduertitque insuper hominis fallaciam: qui dum se decreta Romanorum Pontificum recipere profitetur, pariter diffitetur, cùm videlicet restringit ad ea, quæ de illis recepta esse noscerentur à Concilijs, & promulgata per canones. In quo sanè quod toto cælo erret, iam ostensum fuerat ab Hincmaro Laudunensi, in libello ab ipso oblato Synodo, cùm decreta Romanorum Pontificum inueniantur Concilia comprobasse, vel reprobasse, vt iam superiùs diximus, non autem eadem Conciliorum auctoritate, & comprobatione indiguisse. Deindè, vbi dicitur sic accipienda esse decreta Romanorum Pontificum, si ex Canonibus sibi vindicent auctoritatem, immò quod, & absurdius est, si non sint aduersantia priuilegijs collatis Ecclesijs, perindè est ac si qui ea contulit Romanus Pontifex, eadem ex causa reuocare non possit, & suadente ratione non liceat ei diuersa à sancitis canonibus constituere, ipsosque canones superponere Pontificiæ potestati, cum tamen omnem illi vim acceperint ab Apostolica Sede, à qua ijdem possint, poscente causa; & ratione suadente mutari, & priuilegia pari ratione auferri, minui & augeri, provt præterita, & præsenti, quotidianaque constat experientia, petentibus in dies omnium conditionum hominibus à Summis Pontificibus tot in illis dispensationes, restrictiones, ac mutationes de quarum validitate nullo modo dubitant.

Hoc eodem sæculo Lupus magni nominis Abbas Ferrariensis, diœcesis Senonensis consultorias dedit literas Romano Pontifici Benedicto Papæ III. tamquam supremo fidei, rerumque ad illum spectantium magistro. [Fratres, inquit, & compresbyteros nostros Adulphum, & Acaticum &c. specialiter vestræ mansuetudini commendamus, vt eos pietate competenti fouere dignemini, & consuetudinibus Ecclesiasticis, quæ variæ in diuersis locis tenentur, diligenter instruere vt per eos ad nos; & ad cæteros, quosque talia piè quærentes institutio Romana perueniat. Si quidem in quibuscumque ad religionem, & honestatem pertinentibus ambiguitatem creat varietas, vt optima quæque enireant, illuc sollicita inuestigatione credimus currendum, vnde vbique fidei manauit exordium.] In harum quoque literarum titulo tribuitur Summo Pontifici titulus vniuersalis in recto, quem in hoc sæculo potissimum in vsu fuisse testantur tum superiùs adductæ, tum inferiùs adducendæ diuersorum scriptæ ad Pontifices Romanos literæ.

Anastasius Bibliothecarius præfat, ad P. M. in vitam Ioannis Eleemosynarij à se versam. [Non fas est, vt absque Vicario Dei absque clauigero cæli, absque curru, & auriga spirituali Israelis, absque vniuersali Pontifice, absque vnico Papa, absque singulari Pastore, absque speciali Patre, absque Te omnium arbitro aliquid consummetur, aut diuulgetur. Tu enim tenes claues Dauid, tu accepisti claues scientiæ. In arca quippè pectoris tui, tabula Testamenti, & manna cælestis saporis requiescunt. Tu enim quod ligas, nemo soluit, quod aperis, nemo claudit, quod claudit, nemo aperit. Vicem namque in terris possides Dei, &c.

Cùm Carolus Francorum Rex non stetisset pactis in Synodo Confluentina conuentis, immò de inuasione cogitaret alienorum literæ Ludouici fratris eius, & Lotharij nepotis ad Nicolaum Pontificem [relatæ à Baronio tomo Annalium decimo clarè docent quantam de suprema Romani Pontificis auctoritate existimationem haberent, quarum etiam titulus sic se habet. [Domino verè Beatissimo, ac Sanctissimo totiusque Sanctæ Dei Ecclesiæ roseo pij Regis Christi sanguine acquisitæ Pontifici; & vniuersali Papæ Nicolao Ludouicus Magnus, & Lotharius diuina præueniente gratia, Reges; in Principe pastorum Christo sempiternam summæ fælicitatis pacem, & gloriam.] Ibidem refertur alia epistola ab Episcopis regni Lotharij ad eumdem Nicolaum Papam conscripta, cuius titulus est idem ferè, ac præcedens, initium autem sic se habet pro nostro institu-

to, [Apostolicis documentis, & Pontificalibus decretis multipliciter informamur, vt vestri Sanctissimi Apostolatus apicem, Principis Apostolorum fide, & nomine consecratam, quoties Sancta Ecclesia aliqua nouitate pulsatur, humiliter adeamus, ibique veri consilij saluberrima instituta sinceriter hauriamus, vbi mitis magister Christus, & summum caput nostrum fundamentum Ecclesiæ posuit. Sed & eiusdem Lotharij Regis studium erga Sedem Apostolicam, eiusque auctoritatem testantur literæ ab ipsomet scriptæ ad Nicolaum Papam, in quibus inter alia hæc habentur verba in principio: [Postquam nobis diuina dignatio sua gratuita clementia regni gubernacula commisit, more prædecessorum nostrorum Christianissimorum Regum, semper, & in omnibus sublimandam B. Petri Apostolorum Principis Sedem, vt dignum est, reuerenter diliximus atque instanter; quantum in nobis, illam exaltare parati sumus;deque vestro tamquam summo spiritualis patris regimine, semper salubria haurire cupientes, veritatis voce vobis dictum recolimus, Petre amas me, pasce oues meas. Et per Prophetam, Ego pascam oues meas, dicit Dominus Deus, quod perierat requiram, & quod obiectum fuerat, reducam, & quod confractum erat, alligabo; & quod infirmum consolidabo. Admodum quippè desideramus citiùs vobis nostram exhibere præsentiam. vt illud veriori experientia implere possitis; quod idem Propheta post pauca subinnuit; Et iudicabo illas in iudicio, & iustitia, & sic deinceps,

Quibus consonant, quæ etiam Carolus Rex Francorum eidem Summo Pontifici Nicolao scripsit; [Sanctissimo, ac reuerentissimo Patri Nicolao Catholicę, & Apostolicę Sedis Summo Pontifici, & vniuersali Papæ, Carolus gratia Dei Rex & spiritalis filius vester. Quia sicut deuotio nostra erga Sanctam Sedem Apostolicam,omniumque Ecclesiarum Matrem, atque magistram, & erga Sancti Apostolatus vestri honorem in istis cisalpinis regionibus longè, lateque gratias Deo cognoscitur, ita & colendæ cum summi amoris veneratione paternitatis vestrę benignitas, erga filialem nostram dilectionem non solùm nostris beneuolis, sed & ęmulis auctore Deo certis iudicijs, veluti sanctitatem vestram scilicèt religionis culmen decet, innotuit.

Aduentiùs Episcopus Metensis, in cuius fauorem statim citata Caroli epistola fuit scripta, vnus ex illis Episcopis Conciliabuli Suessionensis ductoribus, & seductoribus Theutgaudo Treuirensi, atque Gunthario Coloniensi Episcopo, qui anathemate à Sede Apostolica percussi fuerant tam in epistola,qua apud Nicolaum se purgat, & veniam postulat, quàm in alia ad eumdem missa pro gratiarum actione de venia; quam poposcerat impetrata pluribus commendat supremam ipsius auctoritatem, in prima, in cuius titulo Summum, & Vniuersalem Papam eum appellat; inter alia hæc scribit: [Magnum enim, & quasi totius meriti gaudium obtinerem, si ad limina Apostolorum, vestramque desiderabilem: & præeminentissimam præsentiam, virium imbecillitas meæ ire fineret. Sed quia podagrici dolores, & veterani mei artus optata denegant, omnipotenti Deo: & Sancto Petro, atque incomparabili clementiæ vestræ magnitudinis meæ paruitatis quantitatem committo, qui vices Dei tenetis, & in reuerentissima Summi Principis Cathedra, verus Apostolus residetis, vt vestris foueat solaminibus.] Secundam verò sic inscribit, & incipit: [Sanctissimo, ac per beatissimo,atque Angelico Domino Nicolao Summo Pontifici, & vniuersali Papæ Aduentius humilis Metensium Sedis Episcopus, nunc & in æternum feliciter valere.Apices Sanctissimi Apostolatus vestri nostræ paruitati nuper directi, præclara dispensationis Ecclesiasticæ dogmata affatim propinantes fulgido, ac viuido mentis fœnore, principem pastorum vos diligere declarant, & curam pascendarum ouium ineluctabiliter gerere testantur, quippè corpus Christi; quod est Ecclesia, per illum, & ipso salubriter exornare satagitis, qui vobis in Petro loquitur, si diligis me pasce oues meas. Re vera quia erga commissum gregem perspicacibus excubare vigilijs non negligetis, manifestum est, quod claritas superni luminis peruigilem circumfulget pastorem, imò æthereo Angelicæ visionis, vt credimus; blandimento solatiatur.]

His omnibus alios iterum duos è Gallia testes adiungo, Hincmarum Laudunensem superiùs citatum, nec non Fulconem Rhemensem Episcopum, quorum primus in epistola ad Hincmarum Rhemensem eum Romam pergere impedientem hæc ait. [Et nunc quoque obsecro, & idem declamo, & hactenus egi, quod vestræ Archiepiscopali auctoritati apud Domini nostri Regis gloriosissimi Caroli clementiam obtineatis, quatenus Domini, & vniuersalis Papæ præceptis, ac institutionibus Ecclesiasticis, mihi, (vt omnibus expedit, velut ei, qui de omni Ecclesia fas habet iudicandi, liceat obedire, videlicet vt ad limina Apostolorum Petri, scilicet & Pauli merear, vt deuoui, & ab eodem insuper vocatus sum, penetrare. Alioquin me vobis ab hinc, vt Archiepiscopo Episcopus obtemperare debet, canonicè sciatis obsequi non posse. Quia, vt decernit B. Papa Gelasius, nesciunt quid loquuntur, qui decretis S.Romanæ Sedis Præsulum quasi Canones opponunt, quibus contraire contra Canones est ipsos se erigere. Iste Gelasius Papa venerabilis,& Sanctus omnes decretales, epistolas venerabiliter sanxit suscipiendas Vt qui nec eas venerabiliter suscipit, licet ad Thomam, aliàs Romam caput inclinet, & eis non obedit, sed potiùs Petro obuians, manus inferens (quod sine periculo agi non potest) respuit, vt pote qui de se iudicari non prospicit. Nam velimus, nolimus, aut eis parebimus, aut eorum iudicio percellemur: quorum neminem quippè reprobare valemus.] Hactenus Hincmarus Laudunensis Hincmaro Rhemensi sibi quidem infensissimo sed inde laudatissimus ipse, quod pro Romanæ Ecclesiæ priuilegijs, potissimum verò pro auctoritate decretalium epistolarum aduersùs Hincmarum Rhemensem, qui eas enormiter sauciasset, nùlla habita ratione eius, quæ cum ipso consanguinitas intercedebat,

stre-

ſtrenuè laborauit. Tunc etiam Fulco Rhemenſis poſt Hincmarum Archiepiſcopus ſuis apud Frodoardum lib. 5. cap. 4. ad Stephanum Papam VII: literis ſatis oſtendit, quàm ſemper habuerit deuotionem circa glorioſam Principis Apoſtolorum Sedem, eiuſque Sanctos præſules, eòque magis quo delatum tunc fuerat in Gallias, defuncto Formoſo Pontifice, ſubrogatum illi fuiſſe præfatum Stephanum innumeris criminibus diffamatum, probè enim ipſe, & alij ſciebant etiam in ſucceſſoribus indignis eos venerari Petrum; atque in Petro Chriſtum, atque eos ſpernentes, ſpernere Petrum, non ſiue Chriſti contemptu.

Hæc dum in Occidente præſertim in Gallia ſcribuntur, & peraguntur non ſine manifeſto, & euidenti supremæ, & infallibilis auctoritatis Pontificiæ argumento, in Oriente quoque eidem teſtimonium perhibent illius præſules, vt colligitur primùm ex libello, qui continet omnia magni Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani geſta, ſcripto nomine ipſius ad Nicolaum Papam Romanum à Theognoſto Monacho, & Archimandrita, cuius tirulus eſt. [Ignatius tyrannidem paſſus, & multis tentationibus agitatus nec non qui mecum ſunt, & horum temporum iniquitatem experti didicerunt, decem Metropolitæ, & alij; qui adſunt Epiſcopi, & Præpoſitorum, & Præsbyterorum, & aliorum monachorum infinitus numerus Domino noſtro Sanctiſſimo, & Beatiſſimo Præſidi, Patriarchæ omnium Sedium, & Principis Apoſtolorum ſucceſſori, & vniuerſali Papæ, & Sanctiſſimis eius Epiſcopis, & vniuerſæ doctiſſimæ Romanorum Eccleſiæ in Domino ſalutem.] At ipſemet Ignatius iam ad proprium thronum reuocatus maiori adhuc cum emphaſi Pontificiam faſſus eſt auctoritatem in literis ad eumdem Nicolaum datis, quę recitantur in octaua Synodo Act. [Eorum, inquit, vulnerum atque liuorum, qui in membris hominum conſiſtunt multos medicos protulit ars, hanc quidem paſſionem alio accipiente, & alienam altero, & & per experientiam amputante; & medicante, eorum verò, quæ in membris ſunt Chriſti & Dei Saluatoris omnium noſtrum capitis, & Sponſi Catholicæ, & Apoſtolicę Eccleſiæ, vnum, & ſingularem pręcellentem, atque Catholiciſſimum medicum ipſe princeps ſummus, & fortiſſimus ſermo, & ordinator & curator, & ſolus ex toto magiſter Dominus omnium produxit, videlicet tuam fraternitatem, paternam almitatem. Propter quę dicit Petro magno, & ſummo Apoſtolorum, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non pręualebunt aduersùs eam. Et iterum, Tibi dabo claues regni cælorum, & quęcumque ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, ſolutum erit & in Cœlis. Tales enim beatas voces, non ſecundùm quamdam vtique ſortem Apoſtolorum Principi ſolùm circumſcripſit, & deſtinauit, ſed per eum ad omnes, qui poſt illum, ſecundùm ipſum efficiendi erant Summi Paſtores, & diuiniſſimi, ſacrique Pontifices, ſeniori Romæ tranſmiſit. Et ideo ab olim, & priſco tempore in exortis hæreſibus, & præuaricationibus eradicatores, & interemptores malorum zizaniorum, & tabefactorum, & penitùs inſanabiliter ægrotantium membrorum multoties facti ſunt eorum, qui ſanctitatem, & ſummam paternitatem tuam illic præceſſerunt, ſucceſſores ſcilicet Principis Apoſtolorum, & illius zelum in fide, quæ ſecundùm Chriſtum eſt imitantes; & nunc noſtris temporibus beatitudo tua dignè tractauit daram ſibi à Chriſto poteſtatem.] Qua etiam de cauſa idem Ignatius Patriarcha, & Baſilius Imperator miſerunt Romam mortuo iam Nicolao ad Hadrianum Papam II. Theognoſtum Abbatem, petentes, vt quę in Synodo remanſerant indefinita, definiret, atque etiam poſtulantes ab eo diſpenſari in his, quę in octaua Synodo ſtatuta fuerant, de non recipiendis promotis à Photio, vel qui ſubſcripſiſſe Photij Pſeudo-Synodo contra Nicolaum Papam factæ. Quod enim optimè ſcirent omnes, in ſancitis ſacris Canonibus diſpenſare, tantùm eſſe muneris primæ Sedis pro ſumma eius auctoritate: ad eam recurrunt pro diſpenſatione Patriarcha, & Imperator, quorum literæ extant in fine octauæ Synodi.

Huic tandem nono ſeculo finem imponet teſtimonium Styliani Epiſcopi Neocœſariæ; cum enim defuncto Baſilio Imperatore eodem die Leo VI. eius filius Imperium moderandum ſuſcepiſſet; indeque Photio depoſito, & relegato in Monaſterium Armenorum, in eius locum germanum ſuum Stephanum ſubrogandum curaſſet, à Romano Pontifice vt diſpenſaretur, quod ordinatus fuiſſet à Photio Diaconus, opus erat, cùm lex eſſet Eccleſiaſtica, vt ordinati à Photio ceſſarent omnino, nec maiori gradu eleuarentur; ideoque ſcripſit Imperator epiſtolam ad Stephanum Papam VI. Similiter etiam Stylianus Neocœſareæ Metropolita, cognomento Mapa, & alij eius in perſecutione Photij commilitones, Epiſcopi, Præpoſiti, Presbyteri, & Diaconi idem præſtiterunt, in quorum epiſtola, Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo Stephano, Domino, ac Oecumenico Papæ inſcripta, clarè legitur ab illis exiſtimatum fuiſſe, quod ſuprema, ac infallibilis definitio in rebus fidei, & religionis haud alibi, quàm apud Apoſtolicam Romanorum Pontificum Sedem quærenda eſſet. Quod idem in alia epiſtola deprecatoria iterum poſt annos tres ab illis miſſa ad eumdem Stephanum Papam Romanum teſtantur, cui cum morte præuentus, reſpondere minimè potuiſſet, reſcripſit Formoſus eius ſucceſſor.

Decimum Seculum ab anno Domini 900. *ad* 1000.

IN huius decimi ſeculi limine conſtitutus notauerim, magni prorſus argumenti loco tenendum eſſe pro ſuprema, & infallibili auctoritate Pontificia, quod cum in eo ita omnia Romæ, tam ſacra, quàm prophana factionibus permixta fuerint, vt penès illam partem eſſet promotio ad Apoſtolicam Sedem Romani Pontificis, quæ potentior appareret, indeque contigerit, vt ait Cardinalis Baronius tomo 10. tot improbos, ſceleratos,

impudicos, sanguinarios, & grassatores hoc tempore Sedem Apostolicam inuasisse, eamque deprauatis moribus conspurcasse, tam vitioso in primis ingressu, quàm detestando prauorum morum exemplo: nihilominus tamen re ita se habent, eò honoris, & reuerentiæ fideles omnes præsertim longè positi Boreales populi prosecuti sunt Romanam Ecclesiam, vt quemcumque in ea legitimè sedentem audierint, eumdem, mirum dictu, nulla habita discussione eius ingressus, pessimorumque morum ratione, vt Petrum coluerint, ad eumque tamquam ad supremum Christi Vicarium, veritatisque cum eo magistrum recurrerint, considerantes quod ipse, detestabiles Pharisæos, & Scribas, quorum praua essent opera, vitare admonens, vt potè mortifera, & eorum tamen præceptis parere iubens, id à fortiori de Summis Pontificibus Romanis suis Vicarijs, supremisque Ecclesiæ Pastoribus intelligi voluerit, vt in principio huius capitis fusè probauimus; quodque licèt aliquando ita alto sopore dormiat, in naui, flantibus huiuscemodi validis impietatum ventis, vt ipsa fluctibus operienda videatur, in eadem tamen naui, quæ typum Ecclesiæ gerit, constitit, nec ab ipsa recessit, semperque in Ecclesia mansit, in qua, vt ita dixerim, tenetur suis promissionibus vinctus, & suis verbis arctiùs alligatus, cum dixit Matth. 28. [Vobiscum sum vsque ad consummationem seculi:] obligatusque sponsionibus suis, ita Petro, eiusque successoribus nauis huius archinautis clauum tenentibus pollicitus, Lucæ 22. [Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua:] & Matth. 16. [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.]

Agapitus Papa II. legitur apud Frodoardum in historia Eccles. Rhemen. misisse Legatum à latere Marinum in Galliam tum ad stabiliendum Ludouici regnum, quod factione Hugonis principis varijs nutabat tumultibus; tum etiam ad cognoscendam cum illarum partium Episcopis causam Rhemensis Ecclesiæ, quisnam eius legitimus esset Episcopus Artaldus, vel Hugo. Vt enim in primo præclarum gratitudinis dedit argumentum, qua Romani Pontifices, memores beneficiorum antiquitùs acceptorum, cum scilicet Christianissimi Reges tam prompto animo toties descenderunt in Italiam, ad liberandam Romanam Ecclesiam oppressam multiplicium hostium inuasione, oblata etiam occasione non destiterunt occurrere semper periclitantibus Francorum Regibus, eisque pro viribus suppetias ferre; ita quoque in secundo suprema eorum apparet auctoritas, ad quam maiorum semper causarum pertinuit cognitio, finaleque iudicium.

Ex Matthæo Vestmonast. & apud Surium in actis sancti Osuualdi die 15. Octobris tomo 5. habetur à sancto Dunstano Cantuariensi Archiepiscopo auctoritate Ioann. XIII. Romani Pontificis celebratum fuisse generale Concilium aduersùs incontinentiam Clericorum; scilicet, vt canonici omnes, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, aut castè viuerent, aut Ecclesias, quas tenebant, dimitterent.

Cum in Pseudo Synodo Rhemensi, repugnante licèt Seguino Archiepiscopo Senonensi, degradatus fuisset Arnulphus Archiepiscopus Rhemensis, & in eius locum promotus fuisset Gerbertus Monachus, his auditis Ioannes Papa XV. non solùm quæ gesta sunt in Arnulphum non probauit, sed ea omnia pro suprema sua auctoritate penitùs abolenda conscripsi; interdixit verò sacris, & excommunicauit omnes illos Episcopos, qui in eadem Synodo aduersùs Arnulphum sententiam tulissent apud Aimonium lib. 5. cap. 45. quibus exacerbatus Gerbertus, in ipsum Romanum Pontificem ad Seguinum Archiepiscopum Senonensem literas dedit, equidem virulentas, Catholicoque homine prorsus indignas, vt dicetur infra.

Ad eamdem supremam Romanorum Pontificum auctoritatem commendandam, & probandam facit, quod pluribus docet Cardinalis Baronius collatam in hoc seculo fuisse à Gregorio V. facultatem eligendi Imperatorem Septem viris ad eius electionem concurrentibus.

In Concilio Suessionensi ab Heruæo, seu Heriueo Archiepiscopo Rhemensi celebrato in fine decimiquarti capitis, quam accepissent ab Apostolica Sede admonitionem de peruersa Orientalium doctrina auctore Photio, his significant verbis: [Sanè quia innotuit nobis sancta Sedes Apostolica, adhuc errores, & blasphemias cuiusdam vigere Photij in partibus Orientis in Spiritum sanctum, quod non à filio, nisi tantùm à Patre procedat blasphemantis: hortamur vestram fraternitatem, vt vnà mecum, secundùm admonitionem Domini Romanę Sedis Pręsidis, singuli nostrum, perspectis Patrum Catholicorum sententijs, de diuinæ Scripturæ pharetris acutas proferamus sagittas potentes ad conficiendam belluam monstri renascentis, & ad terebrandum caput nequissimi serpentis.] Hæc ibi, quibus in primis commendatur Gallicanorum Episcoporum reuerentia erga Romanam Ecclesiam tamquam supremam fidei magistram, dum minimè merita ista scribentis, & tunc in illa sedentis Sergij attendentes, sed ea tantùm, quæ ab eo dicerentur considerantes, ipsius obediunt iussionibus, secundùm quod fuerant olim admoniti à Christo Discipuli de sedentibus super cathedram Moysis, Scribis, & Pharisæis, vt facerent, quæ illi dicerent, & non quæ facerent. Sed & ex ijsdem habetur possè quidem aliquos homines monstruosos, vitaque turpissimos, qualis fuit hic Sergius, irrepere, vel irrumpere in Cathedram Petri, fide autem impium nullo modo, quique alia vnquam ex ea docuerit, vel præceperit, quàm quæ rectæ fidei in omnibus consona essent.

Quod in Pseudo-Synodo Romana præsente Othone Imperatore Ioannes Papa XII. impurissimus depositus fuisse legatur, & in loco ipsius subrogatus Leo dictus VIII. summa id temeritate erroreque contra supremam Romani Pontificis auctoritatem factum fuisse pluribus demonstrat Cardinalis Baronius tomo 10. Annalium ad annum Christi 963. Vt enim omittam intolerabilem errorem, & inter hæreses numerandum, quo asserunt huius Synodi Episcopi, quemque exemplo Iudæ confirmant, nimirùm propter peccata auferri à Pontificibus clauium potestatem, ligandique

dique, atque soluendi à Deo traditam facultatem; nemo non videt, vel mediocriter in historia Ecclesiastica versatus pluries quidem aduersùs Romanos Pontifices conuocata fuisse Concilia, in quibus etiam sæpè audacissimi non defuerunt accusatores accusationibus nefandissimis, numquam tamen permoueri potuisse Patres, nisi Hæretici ipsi fuerint, vel Schismatici, vt in Romanum Pontificem sententiam ferrent; quod non licere, omnes constantissimè affirmarent. Ita Patres Sanctæ Synodi in causa Marcellini thurificationis exhibitæ aræ deorum conuicti: [Tuo ore iudica causam tuam, dicebant, non nostro; ac rursum: Noli audiri à nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam: quoniam ex te iustificaberis, ex ore tuo condemnaberis, testimonio nostro excusaberis. & illud: Nostrorum nemo vnquam iudicauit Pontificem, nec Sacerdos præsulem suum. quoquam.] Id ipsum repetitum in Concilio Romano in causa Symmachi, cùm aduersùs eum horrendæ fuissent prolatæ calumniæ, assertumque [quod nunquam Antistes Romanæ Sedis subiacuit minorum iudicio. [Namque in his quæ ad mores spectant, totam causam Deo reseruandam esse, in Damasi Papæ iudicio comprobatum, fuisseque remissos eius accusatores à Gratiano Imperatore testantur eius acta. Tandem, vt alia prætermittamus iudicia, cùm causa Leonis III. tractaretur in Romano Concilio, cui interfuit Carolus Magnus, hæc vna vox omnium Episcoporum tam Francorum, quam Italorum: [Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum, iudicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes, & à Vicario eius iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur; quemadmodum antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse Summus Pontifex consueuit, iubeat, & canonicè obediemus.] Hæc illi Sanctissimi, atque doctissimi Patres ab his longè dispares, scientia, & probitate: vide quæ iterum de hac materia infra seculo 13. dicentur.

Qua de causa à Romanis reuocatus Ioannes Papa XII. in vrbem, collecta Synodo Leo VIII. deposuit, & eius gesta cassauit; statutum quoque est publico omnium iudicio, Synodum à Leone habitam, nec nominãdam Synodum, sed prostibulum, vt refert Sigebertus, fauens adulteris, nimirum quod adulter Leo dicendus esset, qui alterius Sponsam ipsam Romanam Ecclesiam inuasisset. Facessat igitur, inquit Baronius, eorum, qui post tempora ista vixerunt inscitia, qui Schismaticum Antipapam inter legitimos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifices numerarunt: damnetur verò illorum, qui ista tunc perpetrarunt, occasionemque posteris ità errandi dedere, temeritas, & in Sacerdotibus non toleranda, vel excusanda sacrorum Canonum ignorantia, & antiquarum traditionum Ecclesiæ imperitia. Imperatoris autem factum excusetur Apostoli verbis, Romanorum 10. dicentis: [Testimonium illis perhibeo, quod zelum habent, sed non secundùm scientiam;] leuiter nimis existimantis vnà cum moribus deprauatis, minui, atque penitùs tolli Romani Pontificis auctoritatem, quod erroneũm, immò verò, & hæreticum dictum nullus vnquam Catholicorum reperitur hactenus protulisse, sed è contra æquè omnes pariter Ecclesiasticos tractatores, præcipuè verò sanctum Augustinum pluribus in locis pugnantem contra Donatistas ea caligine obuolutos, esse tantam hæresim detestatos, vtpotè, quæ omnem simul perdat Ecclesiasticam Oeconomiam, quo errore cum Donatistis inuolui vnumquemque necesse est, qui sciens abrogatum velit per Conciliabulum Othonis auctoritate collectum, Pontificatu Ioannem, & subrogatum ab eo illi Leonem legitimum dici debere Pontificem.

Hoc tempore è Gallia insignem virum Heruæum Rhemensem Archiepiscopum consuluisse, Romanum Pontificem in aliquibus fidei dubijs circa Northmannorum conuersionem, ab eoque tamquam à supremo fidei Iudice, ac Magistro infallibilem decisionem expectasse testantur Ioannis Papæ IX. literæ ad eumdem hoc titulo notatæ: [Rescriptum Domini Ioannis Papæ ad consultum Heruæi Rhemorum Archiepiscopi de Northmannis nuper ad fidem conuersis, quorum alij baptizati fuerant, & rebaptizati, & post Baptismum Gentiliter vixerant, qualiter illis consulendum sit, vbi demùm habetur absolutio sui, suorumque.

Legatio quoque Brunonis Archiepiscopi Coloniensis ad Agapitum Papam II. satis ostendit summam eius ergaRomanam Sedem reuerentiam, quantique fecerit supremam eius auctoritatem; prout scripta habetur à Rotgero Monacho in vita S. Brunonis c. 23. apud Surium to.5. die 11. Octobris: [Seruus Domini Bruno secundùm dignitatem Sedis suæ, Romanæ quoque Sedis, & Apostolicæ benedictionis priuilegijs debuit insigniri, & cum eis pariter, qui traditam à beato Petro Apostolo sanam seruauere doctrinam, Catholicæ fidei integritate in vera confessione, & inuiolabili veritate prædicationis vniri. Synodicam suam epistolam per Hadamarum venerabilem Fuldensis Monasterij Abbatem Romam ad Agapitum miræ sanctitatis Papam dixerit.] Et paulò post: [Legatus ergo, vt loqui cœpimus, Roma rediens, bonum nuntium Coloniam ferre accelerauit, portans sacrum habitum, pallium videlicet, ab vniuersali Papa missum prætendentem iugum Domini suaue, & onus leue, & ipsum, quod sub eo dispensatur, humile ministerium, quod verba Domini testantur, dicentis: Qui maior est vestrum, erit minister vester. Ferens simul reliquias de proprio corpore sancti Pantaleonis martyris, & priuilegium Apostolicæ sublimitatis auctoritate traditum, quo & eodem pallio, præter consuetudinem Sacerdos Domini, quoties vellet, indui permissus est.]

Quod superiori seculo Hincmarus licèt magis subdolè contra auctoritatem Pontificiam docuerat, isto Gerbertus apertè renouare conatus est, cum enim à Ioanne Papa XV. eiusve iussu degradatus fuisset ab Archiepiscopatu Rhemensi, cui post degradatum à Pseudo-synodo Rhemensi Arnulphum, ab eadem subrogatus fuerat, multa iterùm congessit aduersùs Romanorum Pontificum, Decretaliumque ipsorum auctoritatem; sed frustrà, vt enim plura omittam, quæ doctè in contrarium adducit Cardinalis Ba-

ronius tomo 10. Annalium ad annum Christi 992. quæque satis ex huc vsque dictis, & insuper dicendis constant; modò ad eludendum omnes Gerberti conatus, recentiumque Nouatorum, qui nulla sugillandi Romanam Ecclesiam, supremosque eius Antistites occasione omissa, cuncta, quæ ab eo gesta, dictave fuere è latebris eruentes tamquam è sepulchro cadauer graue olens, iterùm edidere, satis superque esse cuique prudenti videri poterit, si primò respondeatur ex Aimonio libro 5. cap. 45. Venerabilem Segninum Archiepiscopum Senonensem numquam in præfata Synodo consentire voluisse, etiam vrgente Hugonis Regis iussione, in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti, quippè qui talia contra supremam Romani Pontificis auctoritatem, haudque expectato eius consensu fieri non posse probè sciret. Secundò, quod Summus Pontifex Ioannes XV. interdictis omnibus Episcopis, qui Arnulphum deiecerant, & Gerbertum ordinauerant, miserit Leonem Abbatem ad præfatum Segninum, qui vice sua in Vrbem Rhemensem aliam Synodum congregaret, mandans illi, vt sine dilatione reuocaret de carcere Arnulphum, & degradaret Gerbertum, prout factum est; cui posteriori Synodo nemo nisi vnus Gerbertus fuit refragatus, qui eius sententia à Rhemensi sede malè occupata exulare sit iussus, reliqui verò Episcopi, & ipsi Francorum Reges Hugo, atque Robertus eius filius, nullo resistente, nemine discrepante, in Apostolicæ Sedis Legati sententiam spontè omnes abierunt. Tertiò ipsa relata in publica monumenta disputatio illa, quam cum ipso Gerberto in vltimo Rhemensi Concilio Leo Abbas ab Apostolica Sede missus habuit, quàm ipsum redarguerit, & penitùs confutarit, qui ad Aimonium Auctarium adiecit, ostendit, quæ si extaret, & à Nouatoribus alia cariosa prodentibus bona fide edita esset, nullus de veritate rei daretur dubitandi locus. Quartò tandem cùm idem Gerbertus Archiepiscopus posteà Rauennatensis factus fuerit, & indè Summus Pontifex sub nomine Siluestri II. non leue est argumentum eum quoque factorum, ac dictorum contra Sedem Romanam seriò pœnituisse.

Sed, & ipse Hugo Rex Francorum Christianissimus cum audisset, Summum Pontificem Ioannem vehementer esse commotum ob eiectionem, & carcerem Arnulphi Rhemensis Archiepiscopi, quod legatione, & literis Synodalibus, vt supremæ par erat auctoritati Pontificiæ, significauerat: eum vt placaret, aliam adiecit, atque ad ipsum apud Masonium lib. 3. Annal. Franc. literas dedit, quibus erga Apostolicam Sedem consuetam Francorum Regum propensionem declarat, cuius se suosque iudicio subijcit, quod non solùm verbis, sed rebus præstitit, passus quæcumque in causa Arnulphi fuissent priùs Synodalia decreta definita irrita ab eo reddi atque penitus aboleri, duabus habitis in Gallia ex auctoritate eiusdem Synodis, vt iam diximus ex Aimonio, cuius etiam historiam textui Papirius Masonius loco statim citato.

Denique in eiusdem supremæ auctoritatis Pontificiæ argumentum, ac testimonium adijcio, quod vltimo huius sæculi anno Siluestri II. Papæ 2. S. Stephanus Vngarorum hactenus Dux, nec non Meisca, siue Meiscæ filius Boleslaus Christianam complexi fidem legatos suos Romam miserint, vt Pontificis benedictionem, & regium ipsi titulum impetrarent: rem gestam ex Cartuitio Episcopo, nec non S. Petro Damiano Episcopo Ostiensi S. R. E. Cardinali, veritatis in omnibus amantissimo refert, & narrat alter laudatissimus Scriptor Cardinalis Baronius tomo 10. Annalium ad præfatum annum.

Vndecimum Seculum ab anno Domini 1000. *ad* 1100.

INgemuerit licèt ad aspectum Catholicus orbis, haud mediocre passus scandalum in electione Benedicti IX. pueri, vt dicitur duodecim annorum, tyrannide Alberici Comitis Tusculani eius patris (quod non intelligentes aut intelligere nolentes Nouatores temporis huius, calumniosè Romanæ Ecclesiæ vitio vertunt, quæ ipsa nolens, & inuita, renitens, & reclamans, lugens, ac mærens pati acerbissimè cogeretur, sicut accidit quotiescumque principes non adiutores, sed tyrannos persecutores in electione Pontificum est experta) nihilominus tamen præfatum Benedictum in Christiano orbe cognitum fuisse, & habitum absque controuersia Romanum Pontificem plura testantur, quibus constant, ipsum exercuisse munera pontificalia, ab eoque petijsse pallium, & obtinuisse Archiepiscopum Hamburgensem Hermānum, eius successorem Bezelinum, & qui eidem subrogatus est, Adelbertum; tam alta mente fidelium tunc sémperque, fuit reposta suprema Romanæ Ecclesiæ, Romanorumque Pontificum auctoritas, indeque orta erga eos obseruantia, vt quęcumque veri fideles audirent throno insidere Petri, colere eum, & venerari non detrectarent, cum non ipsum sedentem, sed eum cuius vice sederent, ac docerent, in primis attenderent.

Quod Santissimus Papa Gregorius VI. in Sutrino Concilio pontificatum reliquerit, nihil supremæ auctoritati Pontificiæ præiudicare faciē deprehendet, qui considerauerit non sic in præfato Concilio ventilatum esse iudicium, quasi ab eo lata in Pontificem Gregorium sententia fuerit, siue reus iudicandus in Synodum ductus, coram omnibus iudicium subiturus steterit; sed quod ipse idem Concilio congregato præfuerit, imitatusque Gregorium Nazianzenum, qui ob pacem conciliandam Ecclesiæ, sponte se abdicauit, & ipse eodem animo, eademque virtute Pontificia Sede sponte cesserit, attenta detestanda Henrici II. Imperatoris præsumptione, qua eum deponere intendebat, indeque ni cessisset dirum Schisma conflaturus erat, existimans, vt non, quem elegisset Romanus Clerus, & populus postulasset, vt in Gregorio contigerat, Pontifex esset accipiendus, & in Ecclesia Orthodoxa colendus, sed quem Imperator, siue Germaniæ Rex (si ille non esset) in sacrosanctum Petri thronum intruderet. Qui quidem peruicax error transijt in heresim dictam Henricanam, communem cum pluri-

pluribus nostri temporis Politicis, qui volunt Imperatoribus siue Regibus non temporalia tantùm, sed spiritualia esse subiecta; potissimùm vero Sanctam Romanam Ecclesiam, quibus cum per annos octoginta successoribus Pontificibus indefesso labore certandum fuit: illis potentia, minis, & quibuscumque alijs adhibitis malis artibus rem agentibus; istis verò, obice sacrarum Ecclesiæ legum constantissimè repugnantibus.

In Leone IX. supremæ primum ex eo auctoritatis, Apostolicæque vigilantiæ argumentum habemus, quod ipsomet primo suæ electionis anno Romæ celebrato aduersùs Simoniacos Concilio, indè Italiam, Gallias, Germaniasque lustrarit ad componendas præsertim res, & statum Ecclesiarum duobus habitis Concilijs Rhemensi, & Moguntino. Secundò, quod iterùm Romæ, deindè Vercellis habito Concilio, delatam, vt ait Lanfrancus, ad Apostolicam Sedem Berengarij hæresim, ac personam primùm condemnauit, docentis in Eucharistia non esse verum Christi Corpus, & Sanguinem, deindè hoc errore reuocato, cum Corpore Christi esse etiam substantiam panis, ac tandem, paruulos non esse baptizandos, sed adultos tantùm. Itaque viam aperuit Hæreticis nostri temporis, Zuinglianis in primo errore, Lutheranis in secundo, & Anabaptistis in tertio: tamdem tamen resipuit, & in fide Catholica obijt. Tertiò Legatione accepta à Petro Patriarcha Antiocheno, qui more maiorum sapiens, quæ sunt Catholicæ fidei, simul, ac creatus est Patriarcha, expetens Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ communionem, miserat in hunc finem epistolam, vnà cum fidei professione, reddidit ad eumdem ipse literas tomo 3. ep. Rom. Pontificum cusas, in quibus, inter alia, hæc pro suprema, & infallibili Romanæ Sedis auctoritate testatur: [Ab Apostolica tua Sede nostram Apostolicam Sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deuiare à Dominico, & omnium sanctorum Patrum concordi decreto, quo inuiolabiliter cunctis in toto Orbe terrarum Ecclesijs sancta Romana, & Apostolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores, & difficiliores causæ omnium Ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia veneranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse Sanctus Sanctorum, Rex Regum, & Dominus dominantium confirmat, quatenùs ibi principalis dignitatis, & totius Ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat, & præcellat, vbi ipse vertex, & cardo Apostolorum Petrus carnis suæ beatam resurrectionem in nouissimo die expectat. Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret eius fides, Dominus, & Saluator asserit se rogasse, dicens: Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenùs fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius vsque in seculum seculi, sed confirmabit corda fratrum, varijs concutienda fidei periclitationibus, sicut vsque nunc confirmare non cessauit.]

Quartò cùm Michael cognomento Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, nec non & Leo Acridanus Archiepiscopus Bulgarorum, in sugillationem omnium Latinorum, aduersùs sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, immò contra omnem Occidentalem Ecclesiam scripsissent epistolam, misissentque ad Ioannem Tranensem in Apulia Episcopum, peruulgandam apud Latinos omnes, Humbertus S. R. E. Cardinalis Episcopus Syluæ-candidæ Trani cum esset, eam in Latinum transtulit, detulitque ad ipsum Leonem Pontificem, qui ea perlecta, prolixam illam ad eumdem Michaelem, & Leonem Acridanum epistolam scripsit, quæ inter cusas ipsius Leonis epistolas prima ordine ponitur; vbi cap. 1. vt pacis filius, pacem si accipere velint, insinuans benignus offert: cap. 2. & 3. eam per Schismaticos, & Hæreticos labefactari dolet, Ecclesiæque vnitatem commendat; cap. 5. & 6. deplorat ipsorum procaciam in condemnando receptum vsum azymi in sacrificio Missæ; cap. 7. 8. 9. & 10. Romanæ Ecclesiæ firmitatem, & auctoritatem in cunctis hæresibus damnandis ostendit; cap. 10. & 11. hæreses numerat, quæ à Græcis inuentæ, ac propagatæ fuere: ipsos Episcopos Constantinopolitanos in transuersum actos; Romanam verò Ecclesiam à nemine iudicari debere demonstrat; cap. 12. 13. & 14. ex priuilegio, quod dicitur Constantini, multa depromit; sequentibus autem vsque ad 21. inclusiuè ostendit, quod sua priuilegia Ecclesia Apostolica per Petrum accepit à Christo; contra verò vsque ad caput 27. exprobrat Ecclesiæ Constantinopolitanæ leuitatem in ordinandis Eunuchis eius Episcopis, locoque vnius ex ijs ordinatam fuisse fœminam ferri; eidemque arroganti sibi primatum, & deroganti Ecclesiæ Romanæ omnium matri, pœnas ingerit, quas Deus filijs de matre malè merentibus est comminatus. Insuper cap. 28. de beneficijs ipsi Constantinopolitanæ Ecclesiæ ab Ecclesia Romana collatis agens, ità illi impartita tradit, vt salua voluerint Romani Pontifices iura antiqua Patriarchalium Ecclesiarum. Deindè inculcatis cap. 30. 31. & 32. ipsorum exprobrat ingratitudinem; improbat verò multò magis, quod ipse Michael ex Laico peruaserit eius Ecclesiæ thronum, quem multa arrogantia possideret.

Rursum cap. 32. ad Romanam cathedram stylo recurrens, hæc de ipsius solius perpetua ingerit firmitate. [Romanæ Ecclesiæ fides per Petrum super petram ædificata, nec hactenus deficit, nec deficiet in secula, Christo eius Domino rogante pro ea, ceu testatur sub ipsa passione sua: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Quo dicto demonstrauit, fidem fratrum varia defectu periclitandam, sed inconcussa, & indeficiente fide Petri, velut firmæ anchoræ subsidio figendam, & in fundamento vniuersalis Ecclesiæ confirmandam. Quòd nemo negat, nisi qui euidenter hæc ipsa verba veritatis impugnat. Quia sicut cardine totum regitur ostium; ita Petro, & successoribus eius totius Ecclesiæ disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens ducit,

ducit, & reducit ostium; sic Petrus, & sui successores liberum de omni Ecclesia habent iudicium, cùm nemo debeat eorum dimouere statum, quia summa Sedes à nemine iudicatur; vnde clerici eius Cardinales dicuntur, cardini vtique illi, quo cætera mouentur, viciniùs adhærentes &c.] ex quibus tandem cap. 36. auream planè sententiam istam infert: [Quisquis Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, vel priuilegia euacuare, seu imminuere nititur, non hic vnius Ecclesiæ, sed totius Christianitatis subuersionem, & interitum machinatur. Cuius enim compassione, vel sustentatione respirabunt filiæ à quouis oppressæ, vnica illa suffocata matre? cuius refugium appellabunt? ad quam confugium habebunt &c.] cùm prius cap. 34. & 35. præmonuisset, [quod etsi successores Petri non sint meritis sicut Petrus, tamen indignum sentire, vt quod Deus tribuit cathedræ Moysi, negauerit cathedræ Petri, cùm ipse Iesus sedentibus super cathedram Moysi, licèt longè virtutibus degeneres essent, parendum tamen esse præceperit.

Quintò idem Pontifex Leo rescribens ad Episcopum Carthaginensem, appellantem Romanæ Sedis auctoritatem, hæc habet in epist. 3. [Hoc autem nolo vos lateat, non debere præter sententiam Romani Pontificis vniuersale Concilium celebrari, aut Episcopos damnari, vel deponi: quia etsi licèt vobis aliquos Episcopos examinare; definitiuam tamen sententiam absque consultu Romani Pontificis, vt dictum est, non licet dare, quòd in Sanctis canonibus statutum si quæritis, potestis inuenire. Quamuis enim omnibus generaliter Apostolis dictum sit à Domino: Quæcumque ligaueritis in terra, ligata erunt, & in cœlo: & quæcumque solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo: tamen non sine causa specialiter, & nominatim dictum est Beato Petro Apostolorum Principi: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & alio in loco: Confirma fratres tuos, scilicet quia omnium Ecclesiarum maiores, & difficiliores causæ per sanctam, & principalem Beati Petri Sedem à successoribus eius sunt definiendæ.] Missa quoque legatione Constantinopolim pro Ecclesiastica pace inter Latinos, atque Græcos conciliaṅda, in epistola ad Imperat. Constantinum Monomachum ita scribit: [Porro hæc Catholica mater, & incorrupta virgo, quamuis omnem terram, & fines orbis occupauerit membris suis, & repleuerit; tamen vnum caput omnibus reuerendum, & suscipiendum exerit, & prætendit. Quòd quicumque exhonorat, frustra se in ipsius membris computat. Illud autem quid sit, tua Imperialis claritas omninò nouit: illud nimirum, quòd Christi vox prætulit, & præeminere voluit vniuersis, & subsequens Ecclesiæ pietas, & generalis Sanctorum Patrum consensus iugiter hactenus celebrauit.] Similia docet in altera iterum epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum occasione præfatæ legationis, ad cuius munus delecti sunt duo Cardinales, nempe Humbertus Episcopus Siluæcandidæ, Fridericus Archidiaconus, & Cancellarius, & Petrus Archiepiscopus Amal-

Victor II. pro suprema auctoritate, qua Summus Pontifex rebus componendis, & restituendis Ecclesiæ Sanctæ probatis moribus, sanaque eius doctrina conseruanda incumbere debet, in hunc finem Concilium Florentinum celebrauit, deinde in Gallias Legatum à latere misit Hildebrandum tunc Subdiaconum, qui postea creatus Pontifex fuit Gregorius VII. qui vbi illuc peruenit, Lugduni celebrauit Concilium, deinde Heduæ, ac tandem Turonis, vt Berengarium, rursùm hæresim, quàm fuerat detestatus, defendentem, ac propalantem, in Concilio Episcoporum conuentum, Apostolica auctoritate, vel hæresim rursùs damnare cogeret, vel Synodali eum sententia anathematis condemnaret. Vt testatur eius temporis Scriptor Guitmundus Auersanus Archiepiscopus lib. 3. de Sacram. his verbis: [Inde enim, inquit, ipsa Romana Ecclesia per Beatum Leonem Papam hæc Berengariana figmenta mox suo exortu damnauit: deinde per hunc ipsum qui nunc præest, dominum Gregorium Papam, tunc Subdiaconum eiusdem Romanæ Sedis in Concilio Turonensi conuicit: ipsumque Berengarium, vt videbatur, correctum, ac propriæ manus Sacramento satisfacientem clementer suscepit, &c.

Stephanus Papa X. cùm ad eum recens creatum Vvillelmus Archiepiscopus Rhemensis epistolam scripsisset officij plenam, qua ipsi omne studium pollicitus, fidelem in omnibus se fore Ecclesiæ Romanæ spopondit, hæc illi respondet: [Ne deficiat, aut frangaris, si aduersarios pro fidelitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, imò pia Sanctorum Canonum defensione pateris, sciens secundùm Apostolum, quòd in hoc positus sis. Auxilium enim nostrum, & consilium tibi pro iustitia agonizanti tempore nostri Pontificatus, ad quem nullo meo merito videor assumptus, non deerit: & secundùm quod oras, orabimus Dominum Iesum, ne à bono proposito aliquando decidas. Cæterum Romæ quinto die post Sanctum Pascha Synodum celebraturi, tuam fraternitatem cùm suffraganeis eius volumus, & auctoritate Apostolica iubemus interesse absque ineuitabili necessitate.] Eadem quoque suprema auctoritate decreuit legationem in Orientem ad Ecclesiam Constantinopolitanam, schismate scissam, Catholicæ, & Apostolicæ communioni consociandam. Verùm quominùs ea legatio suum consequeretur effectum, Pontificis obitus intercessit.

Nicolaus II. prædecessorum vestigia secutus damnatam iam ab illis Berengarij hæresim, ac pro tali ab omnibus habitam, ad maiorem solemnitatem celebrato Romę Concilio 113. Episcoporum illam iterum condemnari voluit, euocato etiam ad illud ipso Berengario, qui detestatus suum errorem Catholicam quidem professus est fidem, sed rursum in hæresim relapsus est. In hoc quoque Concilio idem venerabilis Pontifex auctoritate Apostolica decernens de electione Summi Pontificis constitutionem edidit; quam tamen posteà labefactatam fuisse malo schismaticorum dolo, nec non etiam deprauatam ostendit Cardinalis Baronius tomo Annal. 11. ad annum Christi 1059. Eamdem supremam

mam auctoritatem testantur, quæ hoc eodem anno scripsit ad Vuillelmum Rhemensem Archiepiscopum de nonnullis eum admonens; nec non ad Burchardum Halberstadensem Episcopum, inuadentem iura aliena.

Alexander II. vt pro sua suprema in Ecclesia auctoritate multa præclarè gessit Concilia conuocando, Episcopos deponendo, ac restituendo, Henricum Regem Germaniæ Romam ad iudicium in materia Simoniæ subeundum vocando, ita quoque in eiusdem auctoritatis, infallibilitatisque illius argumentum, ac testimonium plura in suis epistolis decretalibus scripta reliquit præsertim in illa de rebus statutis in Synodo Lateranensi; quæ sic incipit: [Alexander Episcopus seruus seruorum Dei, omnibus Episcopis Catholicis; cunctoque Clero, & populo salutem, & Apostolicam benedictionem. Vigilantiam vniuersalis Ecclesiæ regiminis assiduam sollicitudinem debentes omnibus, quæ in Constantiniana Synodo nuper celebrata coram centum amplius Episcopis, licèt nobis immeritis præsentibus, sunt canonicè instituta, vobis notificare curamus; quia ad salutem vestram executores eorum vos esse optamus, & Apostolica auctoritate iubendo mandamus; &c.]

Gregorius quoque VII. in vita, & in morte miraculis clarus, tot inter rerum discrimina, quibus Deus toto ferè Pontificatus tempore permisit eius patientiam ab impijs schismaticis probari, quot gessit, quot scripsit, tot posteris clarissima supremæ auctoritatis Pontificiæ reliquit argumenta, quæ facilè tum in historia vitæ ipsius, tùm in epistolis decretalibus consuli possunt, præsertim apud Cardinalem Baronium tomo 11. Annalium; solùm hìc multis ex priuilegijs Romani Pontificis, atque Apostolicæ Sedis, quæ habentur lib. 2. epist. 55. inscripta Dictatus Papæ, ea referam, quæ potissimùm nostro conducunt instituto: [Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata. Quod solus Romanus Pontifex iure dicatur vniuersalis. Quod ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare. Quod illi soli licèt pro temporis necessitate nouas leges condere, nouas plebes congregare, de canonica Abbatiam facere, & è contra, diuitem Episcopatum diuidere, & inopes vnire. Quòd nulla Synodus absque præcepto eius debet Generalis vocari. Quòd nullum capitulum, nullusque liber canonicus habeatur absque illius auctoritate. Quòd sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit. Quòd à nemine ipse iudicari debeat. Quòd nullus audeat condemnare Apostolicam Sedem appellantem. Quòd maiores causæ cuiuscumque Ecclesiæ ad eum referri debeant. Quòd Romana Ecclesia numquam errauit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit.] Ita Gregorius ob emergentes tunc, & vrgentes casus, vt ita ex his, quæ hactenus in Ecclesia Catholica vsu recepta fuerant, reprimeretur audacia Schismaticorum Episcoporum, & Principum illo tempore in Romanam Ecclesiam insurgentium.

Vrbanus II. pro suprema auctoritate Pontificia plura vbique Concilia celebrauit, vt salutaribus decretis lapsam diuersarum Ecclesiarum disciplinam erigeret. In Claromontano præsertim Henricum III. Imperatorem, & Guibertum Antipapam, eisdem de causis, quibus Gregorius VII. & Victor III. eius prædecessor diro anathemate obstrinxit; insuper, & Philippum Regem Galliarum, eo quod propria vxore dimissa, militis sui vxorem sibi in coniugium sociarat; quem posteà, dum adhuc in Gallijs moraretur, pœnitentem absoluit, & in suam gratiam recepit, Rex autem se in seruitium Domino Papæ promptum exhibuit. Ibidem concionem clarissimam ad omnes habuit, qua sacram Ierosolymæ recuperandæ expeditionem, incredibili sententiarum grauitate, verborum copia, & animi ardore suasit; indeque leguntur centum millia Christianorum ex diuersis partibus signo crucis suscepto, arma in hunc finem sumpsisse.

Ex actis Concilij Lemouicensis, cùm orta esset grauis controuersia in Aquitania de Sancto Martiale Christi discipulo, qui primus in ea prouincia Euangelium prædicauit, esset ne in sacris precibus nominandus Apostolus, sicut in Ecclesia Lemouicensi ab eo erecta hactenus factum esse constaret: contradicentibus alijs nonnullis, atque contendentibus, non Apostolum, sed Confessorem tantummodò nominandum, consulta est Apostolica; [Super quo, inquit Iordanus Lemouicensis Episcopus, Dominus Ioannes Papa exemplar epistolæ nobis est dignatus destinare, magnoperè testificans Apostolatus eius gloriam, & redarguens omnes, qui eum contradicunt esse Apostolum. Quæ epistola sacra conseruata in promptu habetur, in qua facilè claret testimonium verum Romanæ Sedis.] In huius quoque concilij actis frequenter interlocuri inueniuntur Episcopi, tenendum quod Ecclesia Romana probasset, à qua recedere nefas; cum capite enim sentiendum ijdem sæpe obtestati sunt Patres.

Carthaginensi Episcopo appellanti Romanæ Sedis auctoritatem, penes quam sciret supremum, ac infallibile fidei magisterium esse, respondet Leo IX. [Sed quamuis in tali, tantoque defectu Religionis plurimùm doleamus; multum tamen gaudemus, quia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mamatris vestræ sententiam requiritis, & expectatis super quæstionibus vestris, & quasi riuulis ab vno fonte erumpentibus, & in suo se cursu per diuersa spargentibus, ad ipsius fontis primam scaturiginem reuerti debere, optimum putatis, vt inde resumatis directionis vestigium, vnde sumpsistis totius Christianæ Religionis exordium] Deinde paucis interiectis [Quamuis enim omnibus generaliter Apostolis dictum sit à Domino: quæcumque ligaueritis in terra, ligata erunt, & in cælo: & quæcumque solueritis in terra, soluta erunt, & in cælo: tamen non sine causa specialiter, & nominatim dictum est Beato Petro Apostolorum principi; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo Claues regni cælorum; & alio in loco: confirma fratres tuos, scilicet, quia, omnium maiores, & difficiliores causæ per Sanctam, & principalem Beati Petri sedem à successoribus eius sunt definiendæ]

In Concilio Accitano hoc sæculo in Hispania

pania celebrato ordinatum fuit, ne alio quàm Romano more Sacræ preces in Ecclesia, persoluerentur, qua in re si qui illic interfuere Patres Romanæ Ecclesiæ magisterium agnouerunt, multò magis in rebus ad fidem pertinentibus, ob supremam, necnon infallibilem, qua in illis gaudet auctoritatem.

Inter Ecclesiasticos huius sæculi Scriptores primus à Gallia supremæ auctoritati Pontificiæ testimonium perhibeat acerrimus eius defensor Fulbertus Carnotensis in epistola ad Ioannem XIX. contra Rodulphum comitem vbi vocat eum Dominum Sanctum, & vniuersalem Papam, recurritque ad eum tamquam ad supremum in rebus fidei, ac Religionis iudicem, rogans ne præfatum Comitem sacrilegum inuasorem, quem, ob necem illatam clerico suo anathemate condemnarat, quemque pro absolutione Romam profecturum audierat, absolueret.

Ob eamdem causam Libentius Archiepiscopus Hamaburgensis misit Oddonem Legatum ad Sergium IV. Papam, pro definienda lite, & componenda discordia inter ipsum atque Bernarium Episcopum Verdensem exorta de parochia, Ramsola dicta, quæ intra terminos suæ esse diœcesis ab hoc dicebatur: contra verò eam vendicare conabatur sibi Libentius Archiepiscopus eo quod Sanctus Ansgarius, primus prouinciæ illius Apostolus fugiens incendium vrbis Hamburgi, illic erexerit Oratorium, collocauerit reliquias, & Monachorum conuentum. Præualente apud Pontificem tanti memoria præsulis, Archiepiscopo Hamburgensi causam adiudicauit Sergius; ex Adamo Histor. Eccles. lib. 1. c. 23. & lib. 2. cap. 32.

Berno Augiensis libro de rebus ad missam spectantibus hæc habet: [Cum Romanorum presbyteri ab Henrico Imperatore, tunc Romæ existente, interrogarentur, cur post Euangelium (vt in alijs Ecclesijs fiebat) symbolum non canerent, me (inquit Berno) assistente audiui eos eiusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando vlla hæreseos fece infecta; sed secundum Sancti Petri doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa & ideo magis ijs necessarium esse illud symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando vlla hæresi potuerunt maculari.] At Imperator Summo Pontifici Benedicto VIII. persuasit, vt ad publicam Missam illud decantarent.

Durandus Leodiensis Episcopus in epistola ad Henricum Galliæ Regem, & quem audierat aduersùs Brunonem Andegauensem Episcopum, & Berengarium Concilium aduocasse hæc habet: [O pia voluntas, & verè Rege dignissima; quæ vtinam effectum habere posset, vt in tanto sacrilego conuictos (quod certè facillimum est) absque vlla dilatione debita vltio consequenter, despetamus id fieri posse, cùm Cruno existat Episcopus: Episcopum autem non oportet damnationis subire sententiam præter Apostolicam auctoritatem &c. Ergo maiestatem omnes exoratam vellemus, vt interim illorum impiam sacrilegam, & nefariam assertionem audire contemneretis, donec accepta Romanæ Sedis audientia damnandi potestatem haberetis]

Sanctus Odilo Abbas Cluniacensis legatis Polonorum Ducem suum Casimirum monachali habitu vestitum, iamque Diaconũ requirentibus respondit apud Longinum rerum Polonarum Scriptorem [Se quidem ad gerendum petitioni, & requisitioni eorum morem ex compassione, & affectione singulari, vt calamitates Polonici regni depelli, & sanari possint, beneuolum, atque pronum esse; non tamen suæ potestatis fore, vt & Monachum, & Diaconum à Religione professa emancipet, & in terreni regimine, præuaricato professionis suæ tenore, succedere permittat. Proinde supremum in terris tribunal, supremamque potestatem, Sedem videlicet Apostolicam Romanam, & Vicarium Christi adirent, &c.] prout contigit, Summusque Pontifex tunc Benedictus IX. legatorum precibus annuens, Casimirum illis precariò Regem donauit; vxoremque illi ducere, & filios procreare concessit.

S. Petrus Damianus præclarissimum huius sæculi tum sanctitate tum doctrina ornamentum cùm pluries rogatus fuisset, vt circa agitatam controuersiam de ordinatis ab Episcopis Simoniacis an iterum ordinandi essent suam exponeret sententiam, in epistola, seu potius libro inscripto gratissimus, quod in eo pluribus demonstret argumentis, eiusmodi nequaquam iterum ordinari debere, hæc habet. [Quod quidem diutiùs detrectaui, sperans me videlicet ab amabilissimo priùs Apostolicæ Sedis antistite licentiam accepturum (hac quidem transiturus in proximo ferebatur) sic namque integrum decernebam, Ecclesiasticam quamlibet tractare materiam, si ab ipso Ecclesiæ principe tractandi mihi auctoritas aspiraret]. Deinde cap. 30. in fine sic enim compellat [Immo, qui vice Petri claues tenet Ecclesiæ, ipse potissimùm aduersus nouum dogma consurgat, & introductores prauitatis diuinæ sententiæ iaculatione confodiat, & qui clauum regit, è sagena, quæ piscatoribus est commissa, malos pisces à bonis studeat sub hac dispensatione secernere, &c.] Quibus sanè verbis in reprobationem, ac detestationem nouæ hæresis, quod ordinati ab Episcopis Simoniacis iterum essent ordinandi, satis ostendit Petrus se in Summo Pontifice Romano supremam, ac infallibilem agnouisse auctoritatem pro definiendis fidei, religionisque controuersijs; in quibus ne quidem ipse sine sua licentia, quicquam loqui voluisse profitetur. Quod adhuc manifestiùs testatur in relatione suæ ad Mediolanenses legationis scripta ad Hildebrandum, qui ex Subdiacono tunc à Nicolao II. in Archidiaconum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fuerat exaltatus, vbi sic præfatur: [Priuilegium Romanæ Ecclesiæ, quantas habeat vires ad fernandam canonicè æquitatis, & iustitiæ regulam, quantum vigorem ad disponendam ecclesiastici status contineat disciplinam: solus ille dilucidè comprehendit, qui ecclesiastici consueuit insudare negotijs. Quod vtique priuilegium, qui inexpertus est paruipendit, exercitatus amplectitur. Quia sicut arma non curat, qui certamen ignorat; sic à diuerso telis inhianter accingitur, qui ad reportan-

tandos ex more Victoriarum, titulos animatur. Armis autem priuilegium Romanæ Ecclesiæ non incongruè comparauimus, quia dum hæc vna per cathedram Beati Petri totius Christianæ Religionis caput effecta, cunctis, orbe terrarum principetur Ecclesijs, velut dux ante aciem fidelium cuneis fulta, ac specialis prærogatiuæ auctoritate munita, & euangelico mucrone veritati resistentium ceruicem obtruncat, & ad inuictissimè dimicandum totam Christi militiam in vnius charitatis, ac fidei vnanimitate confirmat. Hoc tu subtiliter, & alia multa perpendens frequenter à me charitate, quæ superat omnia, postulasti, vt Romanorum Pontificum decreta, vel gesta percurrens, quicquid Apostolicæ Sedis auctoritati specialiter competere videretur hinc inde curiosiùs excerperem, atque in parui voluminis vnionem nouæ compilationis arte conflarem. Hanc itaque tuæ petitionis instantiam, cùm ego negligens flocci penderem, magisque supersluitati; quam necessitati obnoxiam iudicarem diuinitus, vt reor, actum est, vt Mediolanensem vrbem Beatissimi Nicolai Papæ legatione functus adirem.] Deinde narrato, quomodo negotijs, quæ eum attraxerant intimatis, post diem alterum factione clericorum repentè in populo murmur exortum fuisset; non debere Ambrosianam Ecclesiam Romanis legibus subiacere; nullumque iudicandi, vel disponendi vim Romano Pontifici in illa Sede competere, vixque eo sedato pulpitum ascendisset, huiusmodi se verbis exorsum ait, ad nostrum intentum planè aureis.

[Nouerit charitas vestra, dilectissimi, non me pro Romanæ Ecclesiæ huc honore venisse, sed vestram gloriam quærere, vel salutem, & gratiam, quæ in Christo est, cum eius auxilio si permittitis, prouidere. Quo enim pacto honore indiget paruuli hominis, quæ laudes, atque præconia ex ipsius ore sortita est Saluatoris? Quæ autem Prouincia per omnia regna terrarum ab eius ditione extranea reperitur, cuius arbitrio ipsum quoque cęlum ligatur, & soluitur? Omnis autem siue patriarchatus cuiuslibet apicem, siue Metropoleon primatus, siue Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cuiuscumque ordinis dignitates, siue Rex, siue Imperator, siue cuiuslibet conditionis homo purus instituit, & prout voluntas, aut facultas erat, spiritualium sibi prærogatiuarum iura præfixit: Romanam autem Ecclesiam solus ille fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato vitæ æternę claurigero, terreni simul & cęlestis Imperij iura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum, per quod constructum est cęlum, & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam; illius certè priuilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniuriam facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur; hic proculdubiò in hæresim labitur: & cum ille notatur iniustus; hic est dicendus hęreticus. Fidem quippè violat, qui aduersùs illam agit, quæ mater est fidei, & illi contumax inuenitur, quæ eam cunctis Ecclesijs prætulisse cognoscitur.] Hactenùs sanctus Petrus Damianus; Quì autem illa Sedes mater fidei dici potest, cęterisque in hoc præferri? quam simul cum illis errandi periculo in rebus fidei, & religionis obnoxiam esse contendunt aduersarij.

In fine tandem huius epistolæ habet: [Ecce omnem discretionis illius ordinem apud Mediolanensem Ecclesiam habitum breuiter exposuimus: adhuc tamen vtrùm Sedis Apostolicæ iudicio placeat, ignoramus. Nos enim, si quid errauimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc est enim illa, vt ita loquamur, officina fabrilis, cui nimirùm is, qui fabri dicebatur filius, pręsidet; ad cuius regulam omnis meritò moneta reducitur: ad cuius rectitudinis lineam, quidquid vspiam deprauatum fuerit reformatur.] Et his vbique similia docet, præsertim autem in disceptatione synodali inter Regis aduocatum, & Romanæ Ecclesiæ defensorem, recitata in Concilio collecto in Germaniæ loco, qui dicitur Osborium, ex Episcopis Germaniæ, & Italiæ illis, quos tunc apud Regem ibi reperiri contigit.

Petrus Patriarcha Antiochenus, more maiorum sapiens, quæ sunt Catholicæ fidei, simul ac creatus est Patriarcha, expetens Catholicæ, & Apostolicę Ecclesiæ communionem, misit epistolam ad Leonem IX. Romanum Pontificem, vnà cum fidei Catholicę professione, tamquam ad supremum eius arbitrum. Quod autem posteà in epistola responsiua ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum Romanam Sedem redarguat, & imperitiæ nomine sugillet, inde ipsum haud liberioris affectus fuisse colligendum est, sed temporibus inseruisse, fidemque pro persona mutasse. Quod enim sub Constantinopolitano Imperio Antiochia erat, & mutarentur eius arbitrio Patriarchæ offensam veritus est incurrere Michaelis. Cęterùm si Petrus Romanæ Ecclesiæ fidem pro infallibili non habuisset, aut non probasset, mox vt est creatus Episcopus, suæ fidei professionem Romam, vt diximus ad Romanum Pontificem non misisset; & si imperitam, errandique periculo in rebus fidei obnoxiam credidisset, eisdem suis literis haud eumdem Pontificem de illis consuluisset. Quod autem præfatus Michael in sua ad Petrum epistola, tot inania, tot vana, falsaque objiciat, ridenda sunt magis, quàm confutanda, cùm ex ijs potiùs Romanæ Sedis sinceritas demonstretur, & prædicetur integritas, quàm erroris labe aliqua ostendi possit aspersa: imò si rem hanc attentè considerare velimus, vt in alijs pluribus nullum veritatis earum fortiùs habemus argumentum, quàm inueteratum aduersùs eas hæreticorum odium, ità quod ipsi Romanę Sedis primatum, eiusque non errandi in rebus fidei priuilegium probrosis adeò semper laborauerint inquinare calumnijs, talia nobis credendi, eorumque veritatem constanter propugnandi motiuum efficax esse debet. Vt tunc contigit Humberto S.R.E. Cardinali vnà cum alijs duobus Legatis Constantinopolim à Leone IX. misso, qui duos in hunc finem edidit tractatus, alterum contra

dictum Michaelem Cerularium de azymo, & fermentato, alterum contra Nicetam cognomento Pectoratum. De qua Humberti, & collegarum legatione Constantinopolim, vbi præfatum Michaelem excommunicatum denuntiarunt, agens Rupertus Abbas Tuitiensis his temporibus proximus lib. 2. de diuinis officijs cap. 22. & aduersùs Grecos de azymis disputans, hæc inter alia habet: [Tantis autem hęresibus fermentata est Gręcia, vt mirum videri non debeat hoc, quod de fermento immolat. Tantæ è contra sinceritatis semper fuit sancta Romana Ecclesia, vt cui deest scripturarum notitia, vel argumentandi facultas, sola illi de azymo contra Gręcos sufficere debet eius auctoritas. Nam Constantinopolitana non solùm hæreticos, sed & hæresiarchas protulit multos: Romana verò Ecclesia super Apostolicę fidei petra altiùs fundata, firmiter stetit, & tam Græcię, quàm totius Orbis hęreticos semper confutauit, & de excelso fidei tribunali, data sententia iudicauit.] Et in fine: [Quæ beata Ecclesia, quæ in fundamento suo petram illam excepit, quam in suo veritatis ore laudauit, & beatificauit: tali structura super illam ædificata est, vt contra omnes hęreses perstaret murus inexpugnabilis. Et quacumque mundi ex parte periclitata fides ad illam confugit: mille clypeos ex ea, omnemque armaturam fortium, qua se defenderet, pendentem, & præparatam inuenit.] Ita Rupertus loco citato.

Hac de causa Archiepiscopum Rhemensem Vuillelmum ad recens creatum Romanum Pontificem Stephanum X. epistolam scripsisse officij plenam habemus apud Papirium Massonem, qua ipsi omne studium pollicito, fidelemque in omnibus se fore Ecclesię Romanæ, respondit [Ne deficias, aut frangaris, si aduersarios pro fidelitate Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, immo pro Sanctorum canonum defensione pateris, sciens secundùm Apostolum quod in hoc positus sit. Auxilium enim nostrum, & consilium tibi pro iustitia agonizanti tempore nostri Pontificatus, ad quem nullo meo merito videor assumptus, non deerit &c.

Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis vir sanctus, & doctus, Berengario hæresiarchæ, quem in Concilio Romano sub Nicolao II. Pontifice conuicerat, ad vomitum redeunti, & in Romanam Ecclesiam blasphemias effutienti, hæc in eius defensionem respondet in libro de veritate Corporis Domini in Eucharistia: [Verùm ò infelix anima, de hæresi ad periurium priùs transijsti; nunc iterum de periurio ad hæresim remeasti. Propterea traditus in reprobum sensum, Sanctam Romanam Ecclesiam vocat Ecclesiam malignantium, concilium vanitatis, sedem Sathanæ: & hoc impio ore garristi, quod garrisse nemo legitur, non hæreticus, non Schismaticus, non falsus aliquis Christianus. Quotquot enim à primordio Christianæ Ecclesiæ, Christiani nominis dignitate gloriati sunt; & si aliqui relicto veritatis tramite, per deuia erroris incedere maluerunt: Sedem tamen Sancti Petri Apostoli magnificè honorarunt, nullamque aduersùs eam huiusmodi blasphemiam vel dicere, vel scribere præsumpserunt, quod indubitatum habet, qui eorum scripta legit, quæ diuersis temporibus, ac diuersis de causis Sedes Apostolica ab eis, vel transmissa, vel porrecta recepit. Denique ipse Dominus honorificè alloquitur eam in Euangelio suo dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Et tibi dabo claues regni cęlorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cęlo: Et quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cęlis. Quæ tametsi de pastoribus sanctæ Ecclesiæ dicta esse credantur; præcipuè tamen de Romana Ecclesia intelligenda esse sacri canones, & Pontificum decreta testantur.] Hactenus Lanfrancus, quibus satis intelligitur, Nouatores Berengarij erroris hęredes, eiusdem mores pariter assecutos fuisse. Deinde iterum ipsum redarguens de blasphemijs in Romanam Ecclesiam, ista habet: [Dum ipsum Humbertum contra Catholicam veritatem scripsisse asseris, non ipsum solum, sed Romanos Pontifices, Romanam Ecclesiam, multosque sanctos Patres redarguis; incurrisque in illud, quod beati Doctores, si non ijsdem verbis, ijsdem tamen sententijs multis in locis concorditer astruxerunt: Hęreticum esse hominem, qui à Romana, & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat;] vbi dum hic doctissimus, atque sanctissimus Pater Romanam Ecclesiam cum vniuersali coniungit, eique in fidei doctrinæ discordantem, hęreticum appellat, clarè eiusdem, siue Romanorum Pontificum, vbi ex eius Cathedra loquuntur, ab omni infidelitate immunitatem attestatur.

Eamdem quoque veritatem docuit in Concilio Anglicano, vbi Episcopo Eboracensi negante priuilegium primatus à S. Gregorio concessum Ecclesiæ Cantuariensi super Eboracensem extendendum esse ad successores eius Sedis primi Archiepiscopi Augustini, eò quod de successoribus eius nulla ab eodem S. Gregorio mentio facta esse reperiatur, sicut aduersarij negant priuilegia Petro à Christo concessa transijsse ad Romanos Pontifices eius successores, cuius oppositum nos affirmamus (illis dumtaxàt exceptis, quæ ipsi personaliter collata fuisse dicuntur) Lanfrancus inanem tergiuersationem aduersarij eodem penitùs exemplo confutauit, successorumque Petri auctoritatem asseruit: [Porro quod dicis, potuisse beatum Gregorium, si voluisset, successoribus Augustini confirmare dicto, quod concesserat Augustino verum omninò est, nec potest ambigi, sed quod quæso præiudicium hoc Cantuariensi sedi affert? A simili causam propono. Nam quando Dominus, & Saluator noster Iesus Christus dixit beato Petro: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claues Regni Cælorum; potuisset adijcere si voluisset: eamdem potestatem successoribus tuis concedo. Verùm dicti prætermissio nihil reuerentiæ imminuit successoribus Petri. Ibisne his verbis obuiam? refersne aduersa? Enimuerò omnium Christianorum conscientijs est inditum, vt nihilo minus quàm beato Petro, successoribus eius obediant, & minantibus attremant, & serenam

nam dignitatem indulgentibus gaudenter applaudant. Estque tunc demum omnium Ecclesiasticarum rerum rata dispensatio, si successorum beati Petri fuerit comprobata iudicio. Quid illud agit, nisi vis diuinæ liberalitatis per Dominum Iesum à beato Petro in Vicarios eius diffusa?

Clerus, ac populus Florentinus in epistola ad Alexandrum II. Summum Pontificem contra Petrum Episcopum simoniacum, hanc in fine apostrophen ad eum tamquam ad supremum religionis arbitrum habet: [Sed quia sapienti de multis pauca sufficiunt demum ad paternitatem vestram oramus, cuius Vicarium tam in cœlis, quàm etiam in terris vos esse cognoscimus; dignamini plebi tam longa peste demolitæ consilium pariter, & defensionis auxilium impendere; dignamini nos miseros ab importunis luporum faucibus abstrahendo eripere. Dignamini deprecamur, arma contra hostes Petri Apostoli mouere, acies instruere, vires sumere, sancta bella committere, & nos oues Christi beato Petro, tibique vice eius commissas, contra simoniacos præliando de captiuitate liberare.] Paucis deinde interiectis; [Nunc itaque domine pater sancte, quia fiducia recuperationis nostræ secundùm Deum in sancta Sede Romana posita est: vos, qui ipsi presidetis, oramus, vt rapacibus lupis ex aduerso ascendatis, atque auctoritate Sacerdotalis culminis pro ouibus vice Petri creditis, opponatis. Iterum, atque iterum cernui sollicitudinem vestram oramus pater, vt quod pastoris est, nobis dilaniatis ouibus ne pigritemini clementer impendere.] Exitus autem respondit eorum votis, Alexander enim Papa rebus cognitis præfatum Petrum Simoniacum de omni Episcopali officio deponere curauit.

Ex Saxone Grammatico histor. Dani. lib. 11. Cùm Haraldus Rex Daniæ post duos annos ex hac vita decessisset, in eius locum germanus eius, Kanutus dictus, subrogatus, statim ad Gregorium Romanum Pontificem, quem agnouit patrem, legationem misit, qua quidem in primis significat, se profiteri filium esse Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, eidemque obedientem, à qua & cuperet institui, & erudiri, & proculdubio tamquam à suprema, ac infallibili fidei magistra.

Sanctus Anselmus quondam Lucensis Episcopus acerimus supremæ auctoritatis Pontificiæ defensor scripsit Apologeticum vnum ex diuersis Sanctorum Patrum voluminibus compilatum, quibus Domni Papæ Gregorij auctoritatem, & vniuersa eius facta atque præcepta Canonicis defendit rationibus.

Cardinalis quoque Deusdedit diri sub eodem Gregorio VII. schismatis occasione, egregium, hisque temporibus peropportunum edidit commentarium pro Ecclesia Romana contra Schismaticos, quem & dedicauit Victori III. successori huius Gregorij, ad quem præfixa operi data extat epistola nuncupatoria, quæ sic incipit: [Nouit beatitudo, vestra, quod Sancta Romana Ecclesia idcirco omnium Ecclesiarum mater scribitur, & creditur, &c.] In eaque de primatu Ecclesiæ Romanæ attingens aliqua, ostendit quoque auctoritate sancti Cypriani martyris non solùm viuentem Pontificem Romanum præscribere leges, vniuerso Christiano orbi, sed etiam eo defuncto, vacante Sede, Romanum Clerum pariter in Catholica Ecclesia cognitum esse supremum, cuius literis vniuersi parerent Episcopi, sine dubio ob eorum erga primam Sedem reuerentiam, quod tamen cum hoc discrimine intelligendum est, vt in huiusmodi legibus vniuerso orbi Christiano præscribendis solus Pontifex, non autem eius Clerus gaudeat priuilegio infallibilitatis, qui etiam solus est legitimus Diui Petri in Romana Sede, supremoque Ecclesiæ vniuersalis Monarchatu successor.

At dum negant proximi, & insequuntur, confitentur, & colunt remotissimi: dum inquam in Occidente tot aduersùs Gregorium VII. legitimum Pontificem Schismatici pugnarent; legatio Romam ab Oriente venit ab Armenorum Patriarcha ad eum tamquam ad supremum fidei, de qua huiusmodi legationis occasione eos instruxit, magistrum, vt patet ex epistola eiusdem Gregorij 26. lib. 7. ad eumdem Armenorum Antistitem, vbi errores damnandos enumerat, à quibus eos præcipit abstinere, licèt negaret Legatus illis esse eos implicitos, huiusmodi autem errores sunt isti: Quod non miscerent in sacrificio aquam vino: Quod sacramentum Chrismatis non balsamo, sed butyro conficerent: Quod Dioscorum hæreticum diu antea condemnatum colerent: atque demum, quod sacro Thrisagio more hæreticorum crucem adderent. Laudat autem quod ex antiquo Ecclesiæ ritu Eucharistiam in azymo conficerent, ob idque Græcos ipsis infestos experirentur, commendans demum Romanæ Ecclesię integritatem, vtpotè Petri Sedem, in ea nullum vmquam hæreticum Pontificem sedisse gloriatur, nec in futurum fore sessurum ex præscripto diuinæ promissionis asserit. Immò idem Gregorius, quod certò sciret, hallucinatos omnino, qui Liberium Papam Ariana hæresi labefactatum assererent, vt videbimus capite sequenti, eumdem vt videbimus capite sequenti, eumdem vti confessorem sanctissimum fine optimo in Domino quiescentem populo Christiano venerandum proposuit, quod aduersarij eius Cardinales Schismatici, præcipuè verò Benno ille nefandus, eidem vitio vertit, & inter alias mendacissimas contra eum accusationes annumerauit.

Deposito ab Vrbano II. ob enormia eius crimina Gaufredo, in eius locum ab eodem Vrbano consecratus fuit Episcopus Carnotensis Dominus Iuo sancti Quintini Belluacensis præpositus, vir eo tempore probitate, atque doctrina conspicuus; verùm cùm minimè reciperetur à suo Archiepiscopo Senonensi, sed ab eo potiùs literas contumeliosas accepisset, ad eas ipse constans animo eum rescripsit numero octauas, ex quarum tantùm titulo, & salutatione instrui, ac respicere si saperet, valuisset, sic enim se habet: [Richerio Dei gratia Senonensi Archiepiscopo, Iuo per eamdem gratiam Petri manibus Ecclesiæ Carnotensi consecratus, & delegatus Episcopus, à Romanæ Ecclesiæ pace non discedere, & si quid aliter sapuit, valde celeriter resipiscere.] Deinde in decursu epistolæ ad eius

obiectionem quod Sedem inuasisset Gaufredi sic respondet, supremamque auctoritatem Pontificiam ostendit. [In hoc, inquit, manifestè contra Sedem Apostolicam caput erigiris, dum quod illa ædificat, vos quantum in vobis est, destruitis, & quod illa destruxit, vos ædificare contenditis. Cuius iudicijs: & constitutionibus obuiare planè est hæreticæ prauitatis notam incurrere, cùm Scriptura dicat hæreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat.] Rursus quod benedictiones per manus impositionem Papæ illi datam, & Cardinalium Romanæ Ecclesiæ, non simpliciter benedictionem, sed qualemcumque hostili irrisione appellaret in suis idem Richerius literis, respondet, eum in hoc euidentissimè, & irreuerentissimè os suum posuisse, in cœlum, & linguam suam transisse in terra; [Cum, inquit. ad Romanam Ecclesiam principaliter, & generalissimè pertineat tam Metropolitanorum, quàm cæterorum Episcoporum consecrationes confirmare, vel infirmare, constitutiones vestras, & iudicia retractare, suas verò inconcussas detinere, & nullius inferioris iudicio retractandas, vel corrigendas concedere: quod pluribus deinceps probat.] Ad eamdem propterea recurrit auctoritatem, iterum vexatus ab eodem Archiepiscopo Senonensi, & vt ab ea contra illum protegeretur, & in aliquibus religionis dubijs, quomodo se gerere deberet instrueretur, vt patet ex epistola 12. ad eumdem Vrbanum Papam II. data, cuius titulus est: [Reuerendissimo Patri patrum Vrbano, fidelissimus eius filius Iuo Carnotensium Episcopus non deficere in tribulationibus.] Qui priùs occasione eius in vrbem reditus consternatis schismaticis aliam scripserat congratulatoriam cum hoc titulo; [Domino, & Patri suo Vrbano Carnotensis minister cum Petro pugnare, & cum Petro regnare.] Vnde iuxta hic, & alibi ab eo dicta debent intelligi, & etiam si opus est, corrigi, quæ in epist. 65. ad Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, Sedis Apostolicæ legatum, de inuestituris vetitis nimis abiectè scribere videtur.

Huic tandem sæculo finem imponet sancti Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis testimonium, qui scriptum de Incarnatione verbi librum mittens ad Vrbanum Secundum Papam, eius scribendi occasionem in nuncupando ipsum, ita ad nostrum institutum præfando declarat: [Domino, & Patri vniuersæ Ecclesiæ in terra peregrinantis Summo Pontifici Vrbano frater Anselmus, vita peccator, habitu monachus, siue iubente, siue permittente Deo, Cantuariæ Metropolis vocatus Episcopus, debitam subiectionem, cum humili seruitio, & deuotis orationibus. Quoniam diuina prouidentia vestram elegit sanctitatem, cui vitam, & fidem Christianam custodiendam, & Ecclesiam suam regendam committeret: ad nullum alium rectiùs refertur, si quid contra Catholicam fidem oritur in Ecclesia, vt eius auctoritate corrigatur; nec vlli alij tutiùs si quid contra errorem respondetur, ostenditur, vt eius prudentia examinetur. Quapropter sicut nulli digniùs possum, ita nulli libentiùs præsentem epistolam quam vestræ destino sapientiæ, quatenus si quid in ea corrigendum est, vestra censura castigetur, & (quod regula veritatis tenet) vestra auctoritate roboretur.] Quibus sanè verbis apparet, quem recognoscat sanctus Anselmus caput totius Ecclesiæ, supremum, atque adeo infallibilem doctrinæ arbitrum, & dogmatum cognitorem, atque iudicem pergit postea nouæ hæresis, immò veteris restitutæ insaniæ Sabellianæ narrationem. Eamdem quoque animi sui sententiam aperuit in conflictum cum Rege Angliæ volente ipsum iurare, ne vlteriùs pro quauis causa Romam appellaret, apud Wilelmum Malmesburiensem.

En quomodo tot inter ærumnas quibus hoc potissimum seculo Romana Sedes afflicta, eiusque auctoritas impugnata fuit ab impijs Schismaticis, Simoniacis, Nicolaitis alijsque eiusdem farinæ hominibus, tot etiam inuictos habuit defensores, quot illa ætas protulit viros sanctitatis, ac doctrinæ gloria illustres, adeo vt quando cętera deficerent, hoc vnum sufficere posset ad demonstrandam ex illo causæ, quam pro suprema, ac infallibili Romanorum Pontificum auctoritate gerimus, veritatem, ac iustitiam.

Seculum duodecimum ab anno Domini 1100. *ad* 1200.

QVod Paschalis II. coactè, dum ab Henrico IV. Imperatore proditoriè captiuus duceretur vnà cum multis Cardinalibus, ei concesserit priuilegium inuestiturę Episcoporum, Abbatum, &c. Non solùm Pontificiæ infallibilitati nullum infert præiudicium, vt contendunt aliqui; qui eum in hoc errasse putant, sed eam inde potiùs assertam puto, huiusque dicti testem adduco Iuonem Carnotensem in epistola 238. ad Archiepiscopum Lugdunensem, eum ad Concilium, quod in hac inuestiturarum causa congregare volebat, inuitantem: Vbi præmisso non videri ipsi vtile consilium, ad illa Concilia conuenire [in quibus, inquit, non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel iudicare; qui nec nostro, nec vllius hominum probantur subiacere iudicio. Vnde nos constat esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus, cùm ipse mediator obedire eis præcipiat, & si tales sint, quales erant Pharisæi, si ea, quæ ad cathedram pertinent, rectè præcipiant, ea verò, quæ contra cathedram faciunt, minimè faciant.] deinde aliquibus interiectis, quibus factum etiam Paschalis excusat, & probat, ostendit insuper actum inuestiendi hæresim dici non debere. [Postremò, inquit, quod quidam inuestituram hęresim vocant, cùm hæresis non sit, nisi error in fide. Sicut enim fides cordis est ad iustitiam, oris autem confessio ad salutem: ita hæresis error est ad impietatem, professio verò eiusdem erroris est ad perniciem, & fides, & error ex corde procedunt. Inuestitura verò illa, de qua tantus est motus, in solis est manibus dantis, & accipientis, quę bona, & mala agere possunt, credere, vel errare in fide non possunt. Ad hæc, si inuestitura hæc hæresis esset, ei renuntians sine vulnere ad eam redire non posset. Videmus

autem in partibus Germaniarum, & Galliarum, multas honestas personas, purgato isto næuo per quamlibet satisfactionem, pastorales virgas reddidisse, & per manum Apostolicam refutatas inuestituras recepisse. Quod Summi Pontifices minimè fecissent, si in tali inuestitura hæresim, & peccatum in Spiritum sanctum latere cognouissent.] Vbi nota quæso rationem, & conclusionem Iuonis, quæ nullius momenti penitus essent, nisi tam ipse, quàm illi quibus respondebat, credidissent credendumque tenuissent, Summos Pontifices Romanos haud esse in rebus fidei errandi periculo obnoxios: aliàs enim facilè responderi posset, talia, nec non similia Romanos Pontifices, vt pote in fide defectibiles præstare potuisse.

[Cum ergo ea, quæ æterna lege sancita non sunt,] prosequitur idem auctor, [sed pro honestate, & vtilitate Ecclesiæ instituta, vel prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur, pro qua inuenta sunt: non est institutorum damnosa præuaricatio, sed laudabilis, & saluberrima dispensatio. Quod cùm multi minùs studiosi minimè attendant, ante tempus iudicant, spiritus mobilis, & spiritus immobilis non intelligentes differentiam. Si qui verò laicus ad hanc prorumpit insaniam, vt in datione, & acceptione virgæ putet se tribuere posse Sacramentum, vel rem Sacramenti Ecclesiastici: illum prorsus iudicamus hæreticum, non propter manualem inuestituram, sed propter præsumptionem diabolicam. Si verò congrua volumus rebus nomina dare: possumus dicere, quod manualis illa inuestitura per laicos facta, alieni iuris est peruasio, sacrilega præsumptio, quæ pro libertate Ecclesiæ, & honestate, saluo pacis vinculo, si fieri potest, funditus abscindenda est. Vbi verò sine schismate auferri non potest, cum discreta reclamatione differatur,] hactenus Iuo, quibus sanè ad præsens institutum præclarius nihil dici potest, resoluiturque omnis quæstio, quando in hoc peccasse, hæresis sit; cum videlicet, inuestituras à laicis iure dari, vt dogma defenditur. Quo sensu reperiuntur esse locuti Sancti Pontifices, & alij, qui eam opinionem, hæresim esse dixerunt, & hæreticos dici debere, qui eam essent secuti sententiam: at huic assertioni Paschalis cum semper fuerit aduersatus, vt patet ex eius epistolis ad Guidonem Viennensem Archiepiscopum, nec non ex actis in Concilio Lateranensi ab eo celebrato; procul absit, vt vel hæresis vmbram incurrerit, licèt inuestituras ex causa Henrico concesserit: indeque, qui hoc tempore ex aduerso illis steterunt, non tam insurrexerunt in Paschalem Pontificem, qui idem ipse est detestatus, quod cogente necessitate fecerat, & paratum se emendare, ad diuersos iam Episcopos scripserat: quàm aduersùs Regem Henricum, quem excommunicandum esse, clamarent; qua etiam in re ob iuramentum Henrico datum, molliùs Paschalem, quàm par erat, se gerere putantes, plures inde ad eum scribendi literas aliquantulum amaras occasionem sumpsere, huiusmodi præsertim sunt illæ S. Brunonis Cassinensis Abbatis Signini Episcopi; verùm tam in eum, quàm in alios constanter egit, qui sibi eiusmodi iudicium aduersùs Pontificem sumerent, cuiquam hactenus in Ecclesia inconsensum; mox tamen vt est regressus in vrbem, ad vniuersum Catholicum orbem dedit literas de his, quæ gesta essent, quibus se excusaret, quod ad euitanda imminentia mala, & redimendam pacem Ecclesiæ; ita cessisset ad tempus. Quarum literarum est mentio in Iuonis Episcopi Carnotensis epistola 235. reddita ad Henricum Abbatem Angeliacensis Monasterij, qui ipsum de his antea consuluisset, ex qua, quomodo ab eo accepta fuerunt ista perperam facta Paschalis, qui eam legerit, intelliget, & iam ex dictis sufficienter patet.

Callistus Papa II. in Concilio Rhemensi hæc habet: [Quæ Sanctorum Patrum sanctionibus de prauitate simoniaca stabilita sunt: nos quoque Sancti Spiritus iudicio, & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmamus, &c.] Idem tempore Quadragesimæ, Generale Romæ apud Lateranum celebrauit Concilium (cui interfuisse trecentos, & amplius Episcopos testatur, qui præsens extitit Sugerius Abbas S. Dionysij in vita Ludouici Regis) vbi in primis pluribus editis canonibus pro restitutione pristinæ disciplinæ, diuturnis Schismaticorum factionibus admodum labefactatæ, exinde legationem in Germaniam misit; factoque à legatis ibi vniuersali conuentu apud vrbem Wormatiam, tamdem flexo diuinitus, & vltrà plurimorum spem, corde Imperatoris ad agnoscendam supremam Romani Pontificis auctoritatem, reddendamque illi debitam obedientiam; idem in manus eius legatorum remisit in perpetuum omne prætentum ijs Inuestitutarum Ecclesiasticarum per annulum, & baculum, pro quibus tantoperè tam ab eo, quàm ab ipsius prædecessoribus dimicatum esset; liberamque dimisit præsulum electionem, & consecrationem. Vt planè omnibus perspicuè constiterit non fuisse humanæ potentiæ, tot tantosque simul in Petri nauiculam ventos è portis inferi per Angelos malos immissos compescere; sed illius, cui mare, atque venti simul obediunt, quique fluctus ad perpendum ne fluant, obdurat in petram, & Petro dixit: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.]

Innocentius II. datis primum literis ad Episcopos, & ad sanctum Bernardum simul, de Petro Abailardo, & de Arnaldo de Brixia includendis, alias insuper scripsit de damnatione errorum ipsius Abailardi ad eosdem Episcopos, simulque ad sanctum Bernardum Abbatem, ad quarum finem hæc de sententia in eum lata habentur apud sanctum Bernardum epistola 194. ad Henricum Senonensem, & cæteros Episcopos: [Nos itaque, qui in beati Petri Cathedra (cui à Domino est dictum: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos) licèt indigni residere conspicimur: communicato fratrum nostrum Episcoporum, & Cardinalium consilio, destinata nobis à vestra discretione capitula, & vniuersa ipsius Petri peruersa dogmata, Sanctorum canonum auctoritate cum suo auctore damnauimus; eique tamquam heretico, perpetuum silentium imposuimus. Vniuersos quoque errores damnantes, eorum sectatores, & defenso-

fensores à fidelium consortio sequestrandos, excommunicationisque vinculo innodandos esse censemus. Datum Laterani 17. Kalendas Augusti:] hæc Innocentius II. Quem, & acquieuisse Abbatis Cluniacensis petitioni, vt idem Petrus Abailardus in Cluniacensi monasterio monachus esset, certum est ex ijs, quę idem Petrus Abbas affirmat. Et quod mirandum valdè est, quod, & fit raro contingens, idem hæreticus pænitens perseuerans vsque ad finem in arctissima monastica obseruantia magnum edidit specimen Sanctitatis, dignusque habitus est, qui ab eodem venerabili Petro Cluniacensi scripta epistola 20. lib. 5. post obitum magnoperè laudaretur.

Eugenius Papa III. indicto Rhemis Generali, cui ipsemet præfuit Concilio, inter alia, quæ supremæ, & infallibilis auctoritatis Pontificiæ argumenta reliquit, Gilberti Porretani Episcopi Pictauiensis errores damnauit; quod pertinet tamen ad sancti Bernardi quatuor capita: [De primo tantùm Romanus Pontifex,] inquit Otho Frisingensis lib. 1. cap. 57. [definiuit (vt puta maioris momenti, in quo, & totius quæstionis cardo verteretur) ne aliqua ratio in Theologia inter naturam, & personas diuideret; neue Deus diuina essentia diceretur ex sensu ablatiui tantùm, sed etiam nominatiui.]

Hadrianus Papa IV. quod supremæ auctoritatis suæ esse sciret, vniuersalis Ecclesiæ populum in Catholicam coagmentare concordiam; ad Græcos sæpè scissura diuisos solidæ vnitati compaginandos, legatos misit ad Constantinopolitanum Imperatorem Emmanuelem, quibus inter alia pro eadem sancienda firma concordia literas dedit ad Basilium Achridenum Thessalonicensem Archiepiscopum huius temporis in Orientali Ecclesia magni nominis virum: in quibus hæc de Romana habet Ecclesia: [Traditum est, quonam modo Sancti Patres diuino spiritu illuminati, omnium Ecclesiarum primatum Sacrosanctam Romanam Ecclesiam absolutè obtinere iusserint, & ad eius sententiam omnium iudicium referri præscripserint, & ad tollendam de medio diuisionem, ad vnionem Ecclesiæ, ad coniunctionem diuisi parietis, propter Dei dilectionem, propter animæ salutem, & propter fruitionem gloriæ, quæ non marcescit vigilanter aduerte. Primùm apud teipsum, deinde in alijs, quatenus diuina gratia largitur, da operam, vt grex cum Ecclesia vniatur, & qui seipsos Dominicas oues confitentur, ad gregem beati Petri reuertantur, qui Domini iussu eorum curam suscepit. Nos quidem in hoc non temporariam laudem spectamus, non prætereuntem gloriam quærimus, qui pascendi suscepimus officium (seruos nos omnium Dei seruorum confitemur) sed cùm Dominum, & magistrum nostrum, vt vnum mortuum suscitaret in corpore, profectum fuisse, & lachrymatum legimus ad sepulchrum, & dixisse, Lazare veni foras: iudicamus indignum si Domini retineamus talentum, & quos possumus in anima resuscitare negligamus.]

Alexander Papa III. cuius quot gesta tot ferè irrefragabilia fuere summæ auctoritatis Pontificiæ testimonia, legatis ab Imperatore Friderico Aenobarbo missis, eiusque nomine ipsi significātibus, quod ob auditam, quæ in Romana Ecclesia emerserat dissensionem, conuocatis Papiam de quinque regnis Catholicis personis, illuc conueniret in octaua Epiphaniæ ad eius præsentiam, auditurus, & recepturus, quod in ea curia dictaretur, respondit: [Nos recognoscimus Dominum Imperatorem ex collato sibi dignitatis debito Aduocatum, & specialem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ defensorem. Vnde ipsum (si per eum non steterit) præ cæteris Principibus orbis intendimus honorare, & præ omnibus ei primatum deferre, in quibus Regis Regum honor nullum capiat detrimentum. Vbi verò quidquam occurrit, quod absque Summi Regis offensa effectum habere nequeat, si honorandus terræ Imperator videtur, ille potiùs à nobis timeatur; & illius honor in primis conseruetur, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, & qui animam, & corpus perdere, atque in æternam ignis gehennam mittere potest. Miramur itaque illum sincerè, vt conuenit, diligentes, & excellentiam eius honorare propensiùs volentes, ab eo nobis, immò beato Petro, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, honorem debitum denegari. In literis enim, quas ex parte ipsius nobis, nostrisque fratribus detulistis, hoc inter cætera tenebatur expressum: quod ipse audita dissensione, quæ in ipsa Ecclesia emerserat, de quinque regnis personas Ecclesiasticas conuocauerat, &c. Nimirum longè à consuetudine prædecessorum suorum recessisse videtur, & dignitatis suæ terminum excessisse, dum sine conscientia Romani Pontificis Concilium conuocauit, & nos ad præsentiam suam, sicut homo super nos potestatem habens, præcepit conuenire.]

[Sanè Beato Petro, & per eum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, cuius ipse per Deum magister extitit, & fundator, hoc priuilegium legitimè à Domino Iesu Christo, Sanctisque Patribus traditum est, & per prospera & aduersa etiam cum sanguinis effusione cum oportuit, vsque ad hæc tempora conseruatum, vt vniuersarum Ecclesiarum causas ipsius auctoritate discuteret, ac finiret, ipsa verò nullius vnquam iudicio subiaceret. Vnde quia nunc ab eo contra priuilegium Ecclesiæ inculcatum fieri videmus, per quem deberet ab aliorum impugnatione defendi; & quia ita scriptum est matri, sicut cuilibet abiectæ personæ: hoc absque admiratione nimia ferre non potuimus, nec debemus. Ad curiam verò eius, vel ad sententiam accedere, canonica traditio, & reuerenda Patrum auctoritas non permittit. Vnde cum nec in minoribus Ecclesijs aduocati earum, & singulares principes, vocationes, disceptationes, ac decisiones huiusmodi causarum sibi aut curijs suis vsurpent, sed suorum Metropolitanorum, aut Apostolicæ Sedis semper notitiam, & definitionem habere expectent: diuina videtur animaduersione dignissimum, & ab omni Ecclesia tantò duriùs arguendum, quantò ampliùs ad vniuersalis Ecclesiæ periculum redundaret, si per ignorantiam nostram, aut pusillanimitatem spiritus à capite (quod auertat Deus) diebus nostris iste morbus inciperet, & nos Ecclesiam, pretioso sanguine Christi redemptam, in seruitutem

redigi sineremus.] Ergo pro cuius libertate tuenda Patres nostri proprium sanguinem effuderunt, & nos ipsi ad eorum exemplum, exigente necessitatis articulo, extrema audemus pericula sustinere.] Ita Alexander apud Radeuicum lib.2.cap.54. qui exinde eumdem Imperatorem benignè, ac frequenter, sed frustra admonitum, cum Episcopis, & Cardinalibus suis in cœna Domini apud Anagniam tamquam principalem Ecclesiæ persecutorem excommunicationis vinculo solemniter innodauit, pro eo quod Octauianum schismaticum Antipapam Victorem dictum recepit & ei pertinaciter adhærere præsumpsit.

In literis canonizationis S.Eduardi Regis Angliæ hæc habet: [Quamuis negotium arduum, & sublime non frequenter soleat, nisi in solemnibus Concilijs de more concedi; de communi tamen fratrum nostrorum consilio, iuxta votum, & desiderium prædicti filij nostri Regis, ac vestrum corpus ipsius Confessoris ita glorificandum censuimus, & debitis præconijs adorandum in terris, sicut eumdem Confessorem Dominus per suam gratiam glorificauit in cælis. Quibus sanè verbis apertè declaratur Romanum Pontificem æquè seorsim à Concilio Generali, quàm vnà cum illo, secundùm quod melius expedire iudicat, posse ad Sanctorum canonizationem, multòque magis ad controuersiarum fidei definitionem procedere, ob infallibilitatis quo gaudet priuilegium tam seorsim à Concilio, quàm simul cum illo,

Tandem, quæ inter Alexandrum, & Henricum Angliæ Regem in causa S.Thomę Cantuariensis contigisse testantur acta eius vitæ, nec non inter Fridericum Imperatorem in causa schismatis, quos excommunicauit, quos absoluit, quorum decreta, & constitutiones in Ecclesiasticæ libertatis, Romanæque Sedis præiudicium editas annullauit, luce meridiana clarius supremam vbique Romanorum Pontificum auctoritatem in rebus fidei, & religionis arguunt. Quod tamen aliqui dicunt humiliatum ad pedes Pontificis caput Imperatoris pede ipsum pressisse, atque insultasse, verbis illis ex psalmo 90. petitis: [super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem;] & quod læsus Imperator in ipsum illud intorserit: [Non tibi sed Petro;] cui retorserit Alexander: arrogantiùs dictum huiusmodi: [Et mihi, & Petro;] omninò reijciendum est tamquam abhorrens à tanti Christi Vicarij mansuetudine turgens fastu facinus; penitusque alienum ab ipsius moribus tot actionibus probè notis, vt sciтè aduertit Cardinalis Baronius; nec profectò vbi tot, tamque clara suppetunt argumenta, & testimonia, indigemus huiuscemodi fabellis, ad tuendam supremam, eamque in rebus etiam fidei, & religionis infallibilem Romanorum Pontificum auctoritatem. Quam vltimo ostendit loco, congregato Romæ Generali Concilio ad expurganda mala, quæ siue per schismaticos, siue per alios irrepsissent; cuius in literis conuocatorijs hæc habet: [Id autem licèt vniuersis Ecclesiarum rectoribus incumbat; multò tamen fortiùs imminet Romanæ vrbis Antistiti, qui à Domino Iesu Christo, vt caput esset Ecclesiæ in B. Petro accepit, & de pascendis dominicis ouibus, & fratribus confirmandis, expressum, & speciale noscitur habuisse mandatum, &c.

Cælestinus Papa III. in Bulla Canonizationis S.Vbaldi Episcopi Eugubini. [Tu autem frater Episcope, apud Sedem Apostolicam constitutus, opportunè, importunè in humilitate, qua decuit institisti, vt memoriam prædicti Confessoris canonizare, & ipsum adscribere Sanctorum cathalogo auctoritate Apostolica deberemus consideratione habita ad religiosam vitam ipsius, & ad multa miracula, quæ per eum, postquam migrauit à sæculo, omnipotens dignatus est operari. Nos verò opus istud intuentes sensum, & intelligentias nostras excedere, quia potiùs est diuini iudicij, quàm humani, cùm ipse solus nouerit, qui sunt eius; suspendimus desiderium tuum aliquandiu vt nobis, & fratribus nostris, quid potiùs agendum esset, Spiritus Sancti gratia reuelaret, &c.] Vbi dum ait canonizationem Sanctorum non humani, sed diuini iudicij opus esse, proindeque quid in illa agendum sit Spiritus Sancti gratia reuelandum esse, satis ostendit ita præuiè ad canonizationes Sanctorum, adhibendas esse more humano necessarias diligentias, vt tamen illæ finaliter ab infallibili Romanorum Pontificum iudicio quoad nos dependeant ob specialem gratiam, qua Spiritus Sanctus tam in hoc negotio, quàm in alijs fidei rebus definiendis illis semper assistit.

Item in epistola, quam occasione designandi in Legatum Apostolicum Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum scripsit Eboracensi Archiepiscopo, & vniuersis Episcopis, Abbatibus, Prioribus, & alijs Ecclesiarum prælatis per regnum Angliæ constitutis hæc habet: [Diuinæ sapientiæ inscrutabilis altitudo Sacrosanctam Ecclesiam in huius mundi latitudine stabiliuit, & ita regimen, & gubernationem in ipsius inimitabili prouisione esse voluit, vt ad eam salubriter gubernandam plures assumerentur in partem sollicitudinis, quamuis pro vnitatis Ecclesiasticæ firmamento Romana Ecclesia acceperit plenitudinem potestatis. Voluit enim, vt secundùm quod Ecclesiam alloquitur in Propheta, pro patribus eius nascerentur filij, qui super omnem terram constituti, virtutum meritis, & verbo doctrinæ rudes ad fidem, prouectos ad iustitiam erudirent. Vnde Sacrosancta Romana Ecclesia, cui Dominus super cæteras contulit Ecclesiæ magistratum, pium ad alias materna prouisione respectum habens prouidit ab initio, & laudabili hactenus consuetudine custodiuit, vt de diuersis mundi partibus ad earum ministerium implendum viros prudentes assumeret, quorum authoritas, & doctrina sub Romani Pontificis moderamine constituta; quod ipse non poterat, procul distantibus Ecclesijs ministraret, &c.] Eadem tradit in altera ad Lincolniensem Episcopum scripta: [Cùm Sacrosancta Romana Ecclesia super immobile fundamentum lapidem scilicèt angularem, & verum, perpetua stabilitate fundata, de seipsa veritate dicente: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, per B.Petri merita Ecclesiarum omnium magisterium cedit, & primatum, ad Principem Apostolorum Domino protestante: Si diligis me,

pasce

pasce oues meas, & non solùm corporum, sed etiam animarum iudiciariam accepit potestatem; eodem Apostolorum Principe audiente à Domino; Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis: nos, quos non propria merita, sed sola diuina miseratio ad Summi Pontificatus apicem euocauit, si iudicia nostra recta volumus, & prouida deliberatione formare, & potestate nobis tradita non abuti, illius debemus, quantum humana permittat fragilitas, exempla sectari, in quo Sedes Apostolica fundata consistit, & à quo cæterarum Ecclesiarum curam suscepit, & ligandi, atque soluendi plenitudinem potestatis.

In Concilio Generali Romano I. sub Paschali II statuta fuit professio fidei occasione tunc vigentis schismatis inter præcipuas hereses computati; quam exhibere tenebantur, etiam cum iuramento Episcopi, Archiepiscopi, & omnes, à quibus Romanus Pontifex exigere vellet: quod tunc Archiepiscopum Panormitanum occasione accipiendi pallium præstare detrectantem Paschalis Papa corripiens ita ad eum scripsit: [Aiunt in Concilijs statutum non inueniri: quasi Romanæ Ecclesiæ Concilia vlla legem præfixerint; cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, & facta sint, & auctoritatem, & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.] Idem docet in altera ad Archiepiscopum Poloniæ epistola eadem occasione scripta: [Aiunt in Concilijs statutum non inueniri, quasi Romanæ Ecclesię legem Concilia vlla præfixerint: cùm omnia Concilia per Ecclesię Romanæ auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum statutis Romana patenter auctoritas excipiatur. Nonne in Chalcedonensis Concilij Actione XVI. statutum est; Ante omnia quidem Primatus honorem præcipuum secundùm canones antiquæ Romæ Reuerendissimo Archiepiscopo conseruari? Itaque, quod censuerunt Rex, & Magnates à supradicta Sacramenti conditione te quiescere: videtur ne vobis iudicium Euangelicum? videtur ne primatus nostri honor præcipuus? Numquid animo cecidit illa sententia Domini: Non est discipulus super magistrum? Numquid Vngarico Principi dictum est: Et tu conuersus confirma fratres tuos? Numquit hæc nos commodi nostri profectione requirimus, & non vnitatis Catholicæ statuimus firmamentum? Possunt Apostolicam Sedem contemnere, possunt aduersùm nos calcaneum eleuare: datum à Deo priuilegium euertere, vel auferre non possunt, quo Petro dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Et tibi dabo claues regni cælorum.

In altero Concilio Romano ab eodem Paschali celebrato, times ipse, ne quod fuerat coactus contra deliberationem suam, pro redemptione Ecclesiæ Henrico IV. Imperatori de inuestituris, quas sæpiùs prohibuerat, scriptum concessionis dare in posterum detrimentum aliquod Ecclesiæ, aut animæ suæ veritatem Sanctis Patribus, per omnia congruentem in audientia totius Concilij exposuit, asserens se Scripturas Sanctas veteris, & noui testamenti, & Concilia vniuersalia veneranda suscipere, ac venerari, quæ Catholica Ecclesia suscipit, & veneratur, ita dicendo: Amplector omnem diuinam Scripturam scilicèt veteris, & noui testamenti, legē scriptam à Moyse, & à Sanctis Prophetis: amplector quatuor Euangelia, septem canonicas epistolas, & epistolas gloriosi doctoris B. Pauli Apostoli, Sanctos canones Apostolorum, quatuor vniuersalia Concilia, sicut quatuor Euangelia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, decreta Sanctorum Patrum, Romanorum Pontificum, & præcipuè decreta Domini mei Papæ Gregorij, & beatæ memoriæ Papæ Vrbani. Quæ ipsi laudauerunt, laudo: quæ ipsi tenuerunt, teneo, quæ confirmauerunt, confirmo; quæ damnauerunt, damno, quæ repulerunt, repello, quæ interdixerunt, interdico; quæ prohibuerunt, prohibeo in omnibus, & per omnia, & in his semper perseuerabo. [Quo loquendi modo, toto audiente, & applaudente Concilio satis ostendit agnoscendam esse in Romanis Pontificibus, vbi ex cathedra res ad fidem, ac religionem spectantes definiunt, infallibilitatem, non minùs quàm in plenarijs Concilijs eorundem auctoritate congregatis, & confirmatis.

In Concilio Viennensi, damnata quoque ab eius Patribus tanquam hæresi inuestitura Episcopatuum, & Abbatiarum, & omnium ecclesiasticarum rerum de manu laica, S.R.E. auctoritatem sequendo, nec non Henrico IV. Imperatore excommunicato, ijdem Patres ea Romam confirmanda ad Paschalem miserunt; & quamuis nimis tenax custos præstiti, immo per vim, & metum extorti iuramenti, illa confirmare distulerit, nihilominus post annos quatuor in Concilio Lateranensi III. à se celebrato confirmauit omnia, quæ per Legatos gesta essent, nominatim verò per Archiepiscopum Viennensem. Quod autem in hoc Concilio statutum legitur, hæresim esse de manu laica inuestituram, accipere, non sic intelligendum est, vt iam notauimus supra, quod sit hæresis, ipsas inuestituras dispensando concedere; sed asserere, atque defendere de iure esse, & debere fieri inuestituras per laicos, cùm id sit falsum dogma, bonis moribus, & sacris Patrum institutionibus repugnans, in Ecclesiam introducere. Eo proportionali modo, quo dicitur absque hæresi, licitam esse, Ecclesia ita dispensante, communionem sub vtraque specie, sicùt & sub vna tam laicis, quàm clericis non conficientibus, hæreticum autem, si asseratur eos aliquo diuino obligari præcepto ad Eucharistiæ Sacramentum sub vtraque specie sumendum.

In Concilio Generali Lateranensi III. sub Paschali Papa; Bruno Siguino Episcopo altiùs exorso, gratias agendum esse omnipotenti Deo, quod Dominum Papam Paschalem præsenti Concilio præsidentem audijssent proprio ore damnantem illud priuilegium, quod prauitatem, & hæresim continebat; deindè cauillatoriè subiungente: [Si priuilegium illud hæresim continebat: qui illud fecit hæreticus fuit.] Ioannes Caietanus Episcopus ad hæc commotus, illi respondit: [Tu ne hic, & in Concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas hæreticum?

scri-

scriptum quod fecit Dominus Papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit.] Et alter quidam adiecit: [Immo nec malum dici debet. Quia si liberare populum Dei bonum est: quod Dominus Papa fecit bonum fuit. Sed liberare populum Dei bonum est auctoritate Euangelij, qua præcipimur animas quoque pro fratribus ponere.] Ad hæc patientia Domini Papæ horrendo hæresis nomine pulsata, expergefacta est, & manu silentium indicens, dissidentium clamores, & murmura tali oratione compescuit. [Fratres & Domini mei, audite: Ecclesia ista numquam habuit hæresim; immo hic omnes hæreses conquassatæ sunt. Hic Arriana hæresis, quæ per trecentos ferè annos viguit, annullata est. Ab hac Sede hæresis Eutychiana, & Sabelliana contrita, Photinus, cæterique hæretici destructi sunt. Pro hac Ecclesia Filius Dei in passione sua orauit, cum dixit: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.]

Quæ hoc etiam sæculo plures ad Eugenium Papam III. venere legationes ex Anglia, Armenia, Syria, apud Othonem Frisingensem illis præsentem lib. 7. cap. 31. 32. & 33. supremam satis ostendunt, ac infallibilem Romanorum Pontificum auctoritatem in rebus fidei, & religionis, attestantibus præsertim Armeniæ legatis se vt de illis instruerentur venisse, & ob natas inter se controuersias de ritu sacrificij Romanam Ecclesiam iudicem elegisse, formamque sacrificij iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcere; vt contigit, miraculoque confirmatum fuisse narrat præfatus auctor probitate insignis, & veritatis cultor exactissimus.

Cùm ex toties dictis nullum sit Pontificiæ infallibilitatis, supremique in Ecclesia magisterij fortius argumentum quàm hæresum condemnatio, Ad iudicium Eugenij III. delata est hæresis Gilberti Episcopi Pictauiensis à duobus Archidiaconis suis, quibus auditis Senis Eugenius dum ab vrbe in Gallias tenderet, causaque viæ cognita, breuiter respondit, se Gallias introire, ibique de hoc verbo, eo quod propter literatorum virorum copiam ibidem manentium opportuniorem examinandi facultatem haberet pleniùs velle cognoscere; vt accidit, præfatique Gilberti coram ipso Pontifice in diuersis conuentibus, primùm Antissiodori, deindè Parisijs, postremò in pleniori Concilio Rhemis se sistere coacti, errores condemnauit. Absoluto Rhemensi Concilio, cùm Eugenius Papa per Adalberonem Treuirorum Archiepiscopum deuocatus Treuiris moraretur; [Visum est, (inquit Theodorus Abbas in rebus gestis Sanctæ Gildegardis) Pontifici Moguntinæ Ciuitatis, & maioribus Cleri ad Apostolici cognitionem esse veniendum, quatenùs ipsius auctoritate nosceretur, quid de compertis Sanctæ Hildegardis virginis monialis visionibus recipiendum, ac reputandum foret.] Non alia profectò ratione, nisi quod omnes crederent penes Romanum Pontificem esse supremum, adeòque infallibile iudicium in rebus fidei, & religionis. [Igitur Papa summę discretionis, prosequitur idem author, auditu tantæ nouitatis attonitus, cùm Deo sciret cuncta esse possibilia, rem diligentiùs inuestigare gestiens, venerabilem Virduni præsulem, & cum eo Adalbertum Primicerium, aliasque personas idoneas dirigit ad cœnobium, sub quo eadem Virgo tot annis degebat inclusa, vt sine strepitu, vel curiositatis acumine, quid rerum esset, ab ipsa sciscitarentur. Quibus humiliter inquirentibus, cùm illa simpliciter, quæ de se erant, aperuisset, ad Apostolicum redierunt, & magna ipsius, magna cunctorum adstantium expectatione, quæ audierant, retulerunt. His Papa recognitis iubet repræsentari scripta Beatæ Hildegardis, quæ sibi de præfato cœnobio perlata susceperat, & ea manibus proprijs tenens, ipseque recitatoris vice functus, Archiepiscopo, & Cardinalibus, omnibusque, qui de Clero aderant, publicè legit, ac responsa virorum, quos ad hæc indaganda miserat, pronuntians: omnium mentes, & voces in laudem Conditoris, & congratulationem excitauit. Aderat etiam ibidem sanctæ recordationis Bernardus Abbas Claræuallis, quo mediante, cæterisque annitentibus, monebatur Summus Pontifex, ne tam insignem lucernam silentio tegi pateretur, sed gratiam tantam, quam tempore ipsius Dominus manifestare vellet, sua auctoritate confirmaret. Ad hæc Reuerendus Pater Patrum tam benignè, quàm sagaciter assensum præbens, literis salutatorijs beatam Virginem visitauit, in quibus concessa sub Christi, beati Petri nomine licentia proferendi quęcumque per Spiritum Sanctum cognouisset, eam ad scribendum animauit; sed & locum, quo illa fouebatur, honorauit, datis ad Abbatem, & fratres cænobij gratulatorijs ex suo nomine literarum apicibus.]

In Concilio Anglicano sub Alexandro III. inter canones ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam sancitos, eosdemque omnes concinnos, & accommodatos decretis Romanorum Pontificum, decimus quartus prohibet ex decreto Alexandri III. tunc Romani Pontificis, ne quis nouam præfationem vltra decem, quæ essent in vsu Romanæ Ecclesiæ, addere missis aliquo pacto præsumeret. In eiusdem supremæ auctoritatis Pontificiæ argumentum, cùm plures ibidem pertractatæ fuissent Ecclesiasticæ controuersiæ diuersi generis; illæ maioris momenti, quæ emerserant inter duos ipsos primarios Angliæ Archiepiscopos, nempè Cantuariensem, atque Eboracensem delatæ sunt per appellationem ad Apostolicam Sedem, quarum causa, Rege petente, ab Alexandro Romano Pontifice decreta est in Angliam legatio à latere; de qua plura Rogerius in Annal. Anglic.

Defuncto Ruberto Episcopo Bambergensi, cùm ab Henrico Imperatore substitutus fuisset Otho Cancellarius eius, cognita est in eo mutatio dexterę Excelsi. Si quidem execratus mox schisma, verum in Ecclesia Catholica caput agnouit, Paschalem Romanum Pontificem, interimque dum ad illum Romam veniret, voto peracto numquam se in Episcopatu mansurum, nisi & consecrationem pariter, & inuestituram canonicè consensu, & petitione Ecclesiæ suæ à manu Domini Apostolici suscipere mereretur, nuntios misit, & literas in hunc modum.

[Domino & Patri suo Paschali Sanctæ & Apostolicæ Sedis vniuersali Episcopo, Otto Bambergensis Ecclesiæ id quod est, tam de-

uotæ, quàm debitæ subiectionis orationes, & seruitium. Quia totius Ecclesiasticæ dignitatis, ac Religionis firmamentum in Christo petra est, & in Petro eius discipulo: & eius successoribus; idcircò ab hac linea, ab hac virga directionis, virga Regnorum, Pontificatuum, & omnium potestatum in Ecclesia, insanum duxi aberrare. Vobis igitur, Pater Sanctissime, & Sanctæ Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ collum deuotè submittens, auxilium, & consilium de rebus meis flagito. In obsequio enim Domini mei Imperatoris per aliquot annos degens, & gratiam in eius oculis inueniens, suspectam habens in manu Regis inuestituram; semel, & iterum cum dare vellet, renui Episcopatum: nunc verò iam tertiò in Bambergensi Episcopatu me ordinauit. In quo tamen minimè permanebo, nisi vestræ complaceat Sanctitati per vos me inuestire, & consecrare. Quidquid ergo placeat discretioni vestræ de me, per nuncios mihi significate seruo vestro, ne fortè in vanum curram, si ad vos currere incipiam.] Hactenùs Ottonis literæ apud Halberstadensem Vit. Otton. lib. 1. cap. 3.]

Qui hoc seculo quatuor Summos Pontifices Paschalem Secundum, Gelasium Secundum, Eugenium Tertium, & Alexandrum Tertium, maximo cum amore, & honore Galli excepere, narrante Conrado Abbate Vspergensi in Chronico Paschalem non aliter in Gallia, quàm legiferum de cælo missum, susceptum, tractatum, atque auditum fuisse; vbi etiam Alexandro Tertio Parisios properanti Ludouicus, tamquam pius, & mitis Rex. ex eiusdem Alexandri vitæ actis, [cum Baronibus, & militibus suis, per duas leucas occurrit: quo viso statim descendit, ad streguam eius festinanter ac currens, humiliter deosculatus est pedes ipsius, & statim ad eius oscula cum deuotione fuit receptus. Deindè singulariter procedentes intrauerunt prædictam ciuitatem.] Qui talia, inquam, aliaque similia tunc, & alia quacumque data occasione Galli, eorumque Reges non ob temporalem Summorum Pontificum potentiam præstitere, satis ostenderunt quanti semper fecerint, quantique ab omnibus veris fidelibus facienda sit suprema, & vniuersalis eorum super omnes auctoritas in rebus fidei, & religionis diuinitùs illis concessa. Adeò vt Baronius reflectens ad illa verba Gelasij Secundi fugam in Gallias parantis; [Sequamur Patres nostros, quoniam valdè bonum est, antiquos sequi parentes; ita quidem, inquit, benè prouocat Gelasius, vt audisti, ad antiquitatem. Si quidem vnicum illud vsitatum, tutum, certumque refugium fuit semper Romanis Pontificibus persecutione vexatis, Regnum Francorum, ipsos Francorum Reges adire, à quibus & dignè consueuissent suscipi, digniùs retineri, atque dignissimè, cùm facultas adesset, compressis hostibus, ad Romanam Ecclesiam reuocari. Adeò vt si quis dicat, portum Romanæ Ecclesiæ fluctuantis nauiculæ Petri Galliam esse, non mentietur. Hinc Sugerius Abbas Sancti Dionysij in Ludouico hæc de nostro Gelasio: cum tyrannide Imperatoris per Romanos à sancta Sede Romanæ Ecclesiæ arceretur, ad protectionem Serenissimi Regis Ludouici, & Gallicanæ Ecclesiæ compassionem, sicut antiquitus consueuerunt, confugit:] Hactenùs doctissimus, veritatisque amantissimus Cardinalis Cæsar Baronius. Nec talis profectò Gallorum ergà sanctam Sedem, Summosque eius Pontifices vana fuit religio, sed illa creuit semper coronæ Gallicæ maiestas: crescetque magis in dies, quantò maiorum pietatem imitati Reges nostri Christianissimi Pontificiæ dignitati deuotiùs se subiecerint, amandatisque sinistris omnibus in contrarium consilijs, in rebus fidei, & religionis, vt oues pastoris vocem fideliter, indubitanterque audierint.

Hugo Victorin. lib. 1. Erudit. Theol. de Sacramen. Eccles. cap. 43. [Papa dicitur, quia Pater Patrum. Hinc Vniuersalis dicitur, quia vniuersæ Ecclesiæ præest; hic quoque Apostolicus vocatur, quia Principis Apostolorum vice fungitur, hic etiam Summus Pontifex nuncupatur, quia caput est omnium Episcoporum.]

Sed veniamus iam ad Sanctum Bernardum, qui floruit hoc seculo, quique non minùs totius Ecclesiæ Catholicæ vocari debet ornamentum simul, ac fulcimentum; quàm Gallicanæ summum decus, summa gloria, summa felicitas; hic autem vt quacumque oblata occasione, supremam, ac infallibilem Romanorum Pontificum in rebus fidei auctoritatem factis propugnauit, ita quoque illam passim in suis libris docuit; potissimùm in epistola 131. ad Mediolanenses: [Romana, inquit, Ecclesia valdè clemens est, sed nihilominùs potens. Fidele consilium, & omni acceptatione dignum. Noli abuti clementia, ne potentia opprimaris. Sed dicit aliquis: Debitam ei reuerentiam exhibebo, & nihil amplius. Esto, fac quod dicis, quia si exhibeas debitam, & omnimodam exhibebis scilicèt. Plenitudo siquidem potestatis super vniuersas orbis Ecclesias singulari prærogatiua Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Potest, si vtile iudicauerit, nouos ordinare Episcopatus vbi hactenùs non fuerunt. Potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit: ita vt de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & è conuerso, si necesse visum fuerit. Potest à finibus terræ sublimes quascumque personas Ecclesiasticas euocare, & cogere ad suam præsentiam non semel, aut bis, sed quoties expedire videbit &c] quæ omnia clarè probant plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, ac auctoritatis in Summo reperiri Pontifice, proindèque finaliter, ac infallibiliter ortas fidei quæstiones eum definire posse, quæ est præcipua supremæ auctoritatis Ecclesiasticæ, plenitudinisue eius pars, ac prærogatiua, necessariòque cum illa coniuncta.

Item in epistola 189. ad Innocentium Papam II. vbi loquens de congressu coacto ab ipso cum Abailardo hæc habet: [Porrò capitula iudicio omnium examinata, inuenta sunt fidei aduersantia, contraria veritati, hæc pro me, ne leuitate, aut certè temeritate vsus in tanto negotio putarer. Verùm tu ò successor Petri iudicabis, an debeat habere refugiū ad Sedem Petri, qui Petri fidem impugnat. Tu inquam, amice sponsi prouidebis, quomodò liberes sponsam à labijs iniquis, & à lin-

à lingua dolosa. Rursus in epistol. 237. 238. 239. ad Eugenium III. agens aduersùs Vuilelmum bis intrusum in Archiepiscoparum Eboracensem, vt in ipsum damnationis sententiam pro sua suprema auctoritate iacularetur, air: [Quis enim in manu forti sagittas mittere potest, nisi filius excussorum? Qui locum Petri tenet, potest vno ictu extinguere Ananiam, vno Simonem magnum. Et vt planius, quod loquimur, fiat; peremptoriam dare sententiam ad depositionem Episcoporum, solius Romani Pontificis noscitur esse, pro eo nimirum, quòd etsi alij multi vocati sunt in partem sollicitudinis, solus ipse plenitudinem habet potestatis. Solus proindè, si dicere audeam, in culpa est, si culpa non feritur, quæ ferienda est.] Quam supremam adhuc auctoritatem, eamque in rebus fidei infallibilem clariùs prædocuerat in epistola 190. ad Innocentium Papam: [Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt; Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum; hæc quippe huius prærogatiua Sedis: cui enim alteri aliquando dictum est: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur: [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.]

Insuper quod Summum Pontificem sciret esse regulam fidei animatam, siue in eo determinarè esse infallibilem auctoritatem ad explicandam, & proponendam fidem, ita quod in se gereret personam omnium Patrum, per quos de fide est, locutum fuisse Spiritum Sanctum, vt ab ipsis res fidei traderentur per reuelationem, hæc habet lib. 2. de consideratione ad Eugenium: [Indagemus, inquit, quis sis, quam geras videlicèt pro tempore personam in Ecclesia Dei. Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus.] De quo etiam videndus est lib. 4. Tandem serm. de priuilegijs Beati Ioannis Baptistæ air: [Hinc enim mater, & magistra omnium Ecclesiarum Ecclesia Romana, cui dictum est: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, in honorem Ioannis Baptistæ post Saluatoris nomen consecrata est, & signata.] Ita Diuus Bernardus locis citatis, alibique passim: cui in testificanda suprema, necnon infallibili auctoritate Pontificia in rebus fidei, & religionis, eo faciliùs, ac firmiùs fidem præstare debemus, quò ea, qua dono spiritus dicendi libertate imbutus erat, acriùs interdum reprehendere, ac monere non dubitauit Romanos Pontifices, Romanamque Sedem, vbi illos alicui errori obnoxios esse cognouit, vt patet ex epistola 178. ad Innocentium Papam; cùm enim contigisset surreptione malorum ipsum decipi, vt præter ius, fasque è manibus eius rescriptum eliceretur aduersùs optimè iudicata per Adalberrum Archiepiscopum Treuirensem, S. Bernardus ad eumdem Innocentium pro eo literas dedit, in quibus inter alia hæc habet de ira Dei, super Romanam Ecclesiam ob iniustitias vigilante: [Pro his ac similibus, nec dum auertitur furor Domini, sed adhuc brachium eius extentum, & virga illa apud Ieremiam vigilans super peccata nostra. Et quidem iratus est Deus Schismaticis, sed Catholicis nequaquam propitius &c.] deinde recenset plura, vt Gallus, quique sciret mala gentis suæ, quę indigerent in Gallijs correctione, rursumque additis ad istas alijs literis 180. hæc ait obseruatione digna de reuocandis iudicijs perperam factis, & rescriptis surreptione emissis: [Hoc, inquit, solet habere præcipuum Apostolica Sedes, vt non pigeat reuocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate, & laude digna, vt de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam, & summam sedem.] Ista Bernardus quàm sapientissimè.

Vnde non est, quòd ex prællata Sancti Bernardi auctoritate, alijsque similibus insultent aduersarij infallibilitati Pontificię, quam ipse, nosque cum illo defendimus nunc tantùm in rebus fidei, vbi Romani Pontifices ex cathedra illas definire dicuntur, non autem in iudicijs particularibus, siue in rebus meri facti, in quibus contra multas virtutes errare possunt, sed adhuc numquam contra fidem, aliquid illi aduersum sentiendo. Multò minùs fauet præsentis temporis Nouatoribus, quòd ait epist. 124. videns Sanctam Romanam Ecclesiam per schismaticum Pseudopontificem Anacletum lancinatam: [Cernitur abominatio stare in loco sancto, quem vt obtineret, incendit igni Sanctuarium Dei, persequitur Innocentium, & cùm eo omnem innocentiam:] quo tamen loco abutuntur ad probandum Romanum Pontificem esse Antichristum. Sed delirant miseri, nescientes, seu potiùs nescire dissimulantes, non ista de legitimo Romano Pontifice locutum S. Bernardum, sed de schismatico Papa Anacleto, cùm legitimum Pontificem Innocentium II. non Antichristum, sed verè Christi Vicarium, imò Christum ipsum ob vnctionem appellet, nam ista de Innocentio paulò superiùs: [Ecce Christus Domini iste Innocentius positus est in ruinam, & resurrectionem multorum. Nam qui sunt Dei, libenter iunguntur ei: qui autem ex aduerso stat, aut Antichristi est, aut Antichristus.] Vnde ex hoc, quanta etiam sit in alijs rebus, hæreticorum procacia, & impudentia conijci potest: cùm luce meridiana clarius pateat, quem S. Bernardus Christum, quem verò nominet Antichristum. Qui & in epistola 126. ad Gaufredum de eodem pseudopontifice Anacleto habet ista, comparans ipsum iterum Antichristo: [Bestia illa de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum Sanctis, Petri Cathedram occupat tamquam leo paratus ad prædam:] rursum eadem habet epist. 126. ad Episcopos Aquitaniæ.

Qui inter Scriptores Ecclesiasticos hoc seculo floruit, Potho Presbyter Prumiensium, in operis de domo Dei quinque libris absoluti exordio declarans quid per domum Dei intellexerit, hæc habet: [Domus Dei, quæ in terris construitur, ad similitudinem cælestis habitationis, quæ est æterna, construitur Hæc nimirum domus Ecclesia est columna,

& firmamentum veritatis, quæ in vnitate indiuisa firmatur, quæ vna columba, vna perfecta, Deo vnicè dilecta, scriptura teste declaratur. In tota hac Domo solus beatus Petrus cum suis successoribus plenitudinem potestatis accepit. Vnde quicumque in partem sollicitudinis vocati sunt, vt ea, quæ in partē gerenda susceperunt, prouida dispensatione gubernent; eius auctoritate roborandi, eius exemplo informandi sunt, qui in plenitudine potestatis toti Ecclesiæ præesse dignoscitur, &c.] Qui autem Petrus, Romanique Pontifices plenitudinem potestatis habere, cæteros roborare, & informare dici possent? qui ob defectum infallibilitatis, vt dicunt aduersarij, hæretici esse, hæresesque ex Cathedra docere: credendasque proponere etiam possent.

Petrus Blesensis epist.45. ad Pontificem Romanum: [Domus Dei, quæ in lapide adiutorij super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum stabilita est; à Petro, & successoribus suis formam eruditionis, & statum sublimitatis accepit. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod soli radij: quod fonti riuuli, hoc Apostolicæ Sedis eminentiæ debent omnes Ecclesiæ; quas vbique terrarum religio Christiana fundauit.

Hugo Etherianus lib.3. de process. Spiritus sancti cap. 17. [Æquum est ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex enuntiat: siue quo vigor calami omnis Ecclesiasticæ traditionis arescit, vt memorandus inter sanctos B. Iunior Stephanus asserit, &c. Christus Petrum, eiusque successorem Principem, & caput, non modò Latinorum, Græcorum, Occidentis, ac Septentrionis vniuersi; verùm Armenorum, Arabum, Indorum, Madianitarum, Amalechitarum, & totius Orientis, & Meridiani climatis in perpetuum constituit.

Ioannes Saresberiensis Anglus narrans in Policratico suo lib.6. cap.24. congressum, quem cum Hadriano Papa IV. habuerat, & in quo, populus quid non tam aduersùs Romanam Sedem, quàm curiam obloqueretur aperuerat, eidem interroganti; Et tu quid sentis? respondit: [Quia ergo instas, vrges, præcipis, cùm certum sit, quod Spiritui sancto mentiri non licet, fateor, quia quod præcipis, faciendum est, etsi non sitis omnibus operibus imitandi. Nam qui à doctrina vestra dissentit, aut hæreticus, aut schismaticus est:] At cur quæso, hæreticus haberetur, qui à Romana Sede in fidei doctrina discordaret si ex ea Romani Pontifices hæresim, aut errorem definiendo possent docere, vt aduersarij contendunt? Igitur in Romana licèt curia, immò vniuersali Ecclesia numquam defuerint, nec ad finem vsque mundi defuturæ sint muscæ morientes, quæ perdant odorem vnguenti, quo Fideles omnes, præsertim prælati Christi bonus odor vbique esse debent: In Romana etiam Sede, non omnes re, sicut nomine sanctissimi fuere, nullus tamen vnquam in ea fuit, aut futurus est, qui ex ea hæreticæ prauitatis venenum fidelibus, aut propinauerit, aut aliquando propinaturus sit. Item lib. 8. cap. 17. [Ecclesiam Romanam, quæ parens (auctore Deo) & nutricula fidei, & morum est, & non potest ab homine iudicari, & argui, cœlesti priuilegio munita, relinquo intactam.] Ibid. cap.23. [Quis præsumet summum iudicare Pontificem, cuius causa Dei solius reseruatur examini? Vtique quisquis hoc attentauerit laborare quidem, sed proficere nequaquam potest.]

Rainaldus Cancellarius cùm Regi Francorum Ludouico loqueretur in hæc verba: [Mandat vobis Dominus noster Fridericus Imperator Romanorum, & specialis Romanæ Ecclesiæ aduocatus, quod ad nullos Ecclesiarum Prælatos de causa electionis Romani Pontificis iudicium facere pertinet, nisi ad eos tantùm, qui sub Romano Imperio existunt: ideoque bonum videtur, & iustum, vt cùm Episcopis, & Clero vestro ad eumdem Imperatorem tamquam amicum, & socium accedere, & illius sententiam audire debeatis;] his auditis, Rex modicùm subridens, respondit ei in hunc modum: [Miror prudentem virum vana mihi, & fabulosa verba misisse. An ignorat prædictus Imperator, quod Dominus noster Iesus Christus, cum esset in terris, beato Petro, & per eum vniuersis successoribus eius oues suas pascendas commisit? Nonne audiuit in Euangelio ab eodem Dei filio eidem Principi Apostolorum dictum: Simon, diligis me? pasce oues meas. Numquid sunt hic Francorum Reges, vel aliqui Prælati excepti? An Episcopi Regni mei non sunt de ouibus, quas filius Dei beato Petro commisit? Et his dictis, vertit habenas equorum cum contemptu, &c.] Ex actis Pontificatus Alexandri III.

Hoc eodem sæculo anno 1180. misit Rex Scotiæ ad Alexandrum Papam Nuntios suos, postulans, vt ipse pro bono pacis concessisset hanc fieri Sedium commutationem, nempe vt Ioannes sancti Andreæ Episcopatum dimitteret, acciperet verò alium, quem vellet in Scotia, sed Dominus Papa, inquit Rogerius, hoc concedere noluit. Singulari quoque exemplo, apud Longinum Casimirus Rex gloriæ, quem Ducem vocat, cùm constitutiones quasdam pro bene disponendo Principatu sanciturus esset; eas priùs Romano Pontifici Alexandro confirmandas per Nuntios misit. [Cuius confirmationis pro rescindendo dubietatis scrupulo, inquit præfatus Auctor, exemplar subnectimus, cuius à nobis originale, in Ecclesia Cracouiensi conditum, sæpe & attrectatum, & visum est.]

Cum circa sui initia Pontificatus Vrbanus Papa III. ad Balduinum Cantuariensem Archiepiscopum pallium misisset vnà cum legatione, vt Matthæus Paris testatur ad annum 1186. his ipse acceptis, dignas tanto viro, qui misit, & Petro Blesensi, qui scripsit, has literas dedit. [Sanctissimo Patri Vrbano Dei gratia Summo Pontifici Balduinus Cantuariensis Ecclesiæ minister salutem, & debitum deuotionis obsequium. Domus Dei, quæ in lapide adiutorij, super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum stabilita est, à Petro, & successoribus eius formam semper eruditionis, & statum incolumitatis accepit. Quod enim stipiti rami, quod capiti membra, quod radij Soli, quod fonti riuuli: hoc

Apo-

Apostolicæ Sedis eminentiæ debent Ecclesiæ omnes, quas vbique terrarum religio Christiana fundauit, &c.] Quis autem verè dicere posset domum Dei à Petri successoribus formam semper eruditionis, & statum incolumitatis accipere, accepturamque esse, si ipsi pro doctrina fidei errores, & hæreses, vbi etiam ex Cathedra loquuntur, possent ex aduersarijs obtrudere.

Gotifridus Viterbiensis, siue Vitembergensis Friderici Imperatoris, necnon, & Henrici eius filij Notarius, vt ipse sæpè testatur, eam, quam elaborauit historiam, prosa, metroque contextam, quam Pantheon appellauit ob rerum vniuersalitatem, offerens Vrbano Papæ III. quantæ apud eum vertex Pontificalis fuerit æstimationis, & pretij, ostendit ex præfatione, quam operi præfixit, sequentis tenoris: [Summo & vniuersali Papæ Vrbano III. domino, & Patri suo reuerendissimo, Gotifridus Viterbiensis Sacerdos indignus, seipsum in omni obsequio, & obedientia subiectissimum. Dum sacrosanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ culmen inspicio, & eius eminentiæ considero maiestatem: illud ante omnia necessarium esse intueor, vt sicut ipsa omnibus noscitur præesse Principibus: ita omnes Reges, principes, & vniuersæ orbis Ecclesiæ, doctrina eius, & regimine adornentur: & ab ea, tanquam à fonte iustitiæ, totius sapientiæ regulis instruantur quia nullum Scripturarum elogium noscitur esse authenticum, nisi ab eius sapientiæ fluminibus, sitientibus propinetur. Quare si quod historiarum opus noua per aliquem institutione conficitur, ratio suggerit, vt antequam in publicum deueniat, Apostolico examini præsentetur: quatenus, si acceptione dignum esse perpenditur, eius mandato, & iudicio approbetur; & ab eo vires, auctoritatemque recipiat, cui terrena, & cœlestia diuinitus sunt commissa. Ea propter, Reuerendissime Pater, hoc opusculum longo tempore simplicitatis meæ studijs aggregatum, & de veteri, & nouo testamento, atque de omnibus ferè historijs in vnum volumen sub compendio redactum, ad honorem Dei, & emendationem, seu approbationem S.R.E. ante vestrum examen perferre disposui, vestræque gratiæ præsentare curaui, &c.]

Gaufredus Monachus sancti Bernardi reddito Episcopo Cardinali Albanensi certiore de ventilata in Gallijs quæstione, asserentibus alijs, in sacrosancto Missæ sacrificio aquam vino mixtam mutari in Christi sanguinem, alijs verò negantibus, timens, ne vtriusque partis increbrescentibus studijs, vt solet accidere, in his obstinatio pareret hæresim, in fine epistolæ ad præfatum Cardinalem scriptæ hæc habet: [Ac proindè placeat vestræ dignationi, cum dominis nostris fratribus vestris super hoc verbo, cùm opportunum tempus affuerit, diligenti collatione tractare, vt auctoritas S.R.E. definiat, quid super hoc credi debeat, vel doceri.] Definire autem, quid in aliquo fidei dubio tenendum, & credendum sit, manifestum est infallibilitatis in definiente signum, & argumentum, vt satis per se patet.

Ad supremam quoque Romanorum Pontificum auctoritatem facit, quod in fine huius seculi contigisse narrat Arnoldus Abbas Lubecensis lib. 6. cap. vltimo de Archiepiscopo Moguntino sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Episcopo Sabinensi misso ad coronandum Regem Armeniæ; [Ipse enim Rex, inquit, omnimodis hoc affectans, audita fama virtutis populi Dei,] in expeditione scilicet Terræ sanctæ per Principes Christianos, & quia Dominus ad introitum omnes inimicos eorum terruisset, & quia gloriosè multa loca munita obtinuissent: missis Nuntijs honoratis cum muneribus non paucis, ipsos principes deuotè salutauit, & quanto desiderio ipsorum aduentum expectauerit, per scripta simul, & verba amplissima intimauit, paratissimum se dicens Romano subdi Imperio, si coronam diu desideratam ab ipsius mereretur suscipere Nuntio. Gloriatur Ecclesia Romana, quæ non solùm in spiritualibus, sed etiam fauente Christo, dilatatur in temporalibus, vt etiam Reges Transmarini hoc titulo affectent insignia. Viderint tamen illi, qui hac dignitate neglecta, plus diminutionem, quàm Romani orbis attendunt dilatationẽ:] hactenus Arnoldus; cuius textum labefactatum fuisse: rectè notat Baronius, ita vt, vbi prima pingitur stellula, expunctum fuerit nomen Romani Pontificis, vbi verò secunda, loco Romani Orbis, restituendum sit, Romanæ Ecclesiæ, vt apparet ex antecedentibus, & consequentibus, intelligiturque apertè ex epistola Gregorij Armeniæ Patriarchæ data ad Celestini III. successorẽ Innocentium III. Romanum Pontificem, quæ sic se habet, posita in primo libro eiusdem Innocentij ordine 206. [Vobis, qui estis caput post Christum, consecrati ab eo, & caput Catholicæ Ecclesiæ Romanæ Matris omnium Ecclesiarum, adeò prudentes, & sancti, quod debetis esse in loco Apostolorum sublimis Papa, & vobis sanctis Archiepiscopis, Episcopis, Cardinalibus, Presbyteris, Clericis, & omnibus, qui sunt de vestra sancta Ecclesia, salutem, & fraternitatem. Pax Dei sit inter vos, Gregorius homo Iesu Christi per gratiam Dei Catholicus totius Ecclesiæ Armenorum, filius vestræ sanctæ Ecclesiæ, quæ est fundamentum legis totius Christianitatis.

Sciatis, quod nos Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, & Clerici oramus Iesum Christum, qui est caput omnium nostrum, vt seruet vos, & vestros ab omnibus malis: quia cum vos, qui estis caput, estis incolumes, nos, qui sumus corpus, benè valebimus per vestrã bene dictionem. Noueritis Domine, quod ad nos venit nobilis, sapiens, & sublimis Archiepiscopus Moguntinus, qui nobis attulit ex parte Dei, & ex parte sublimitatis Ecclesiæ Romanæ, & ex parte Magni Imperatoris Romanorum sublimem coronam, & coronauit Regem nostrum Leonem, & nobis reddidit coronam, quam nos perdidimus à longo tempore. Vnde nos fuimus elongati à vobis, & nos recepimus eam libenter, & cum magno gaudio, & inclinamus, & regratiamus Deo, & S. R. E. & alto Imperatori Romanorum. Sciatis, Domine, quod ipse nobis monstrauit vestra præcepta, & nos ea multùm libenter audiuimus, & libenter volumus legem, & fraternitatem sublimis Ecclesiæ Romanæ, quę est Mater omnium Ecclesiarum: & nos solebamus

bamus eam habere, & nunc eam habemus, & libenter volumus esse ad vestrum mandatum. Et firmiter sunt ad mandatum vestrum omnes Archiepiscopi, Episcopi, & omnis Clerus nostræ Ecclesiæ, qui sunt in terris nostris, & sunt multi per Dei gratiam, &c.] Extant ibidem aliæ literæ Regis Armeniæ ad eumdem Pontificem, & aliæ redditæ ab Innocentio tam ad Patriarcham, quàm ad Regem literæ 207. 208. & 209. de quibus in seculo sequenti.

Quod autem Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus Schismaticus, & Romanæ Ecclesiæ hostis infensissimus, qui in fine huius seculi vixit, in suis super canones commentarijs Georgio Xiphilino Patriarchæ Constantinopolitano dedicatis, ediderit Cõstantini decretum, à nullo Græcorum hactenùs in lucem proditum, vt indè Patriarchatum Constantinopolitanum priuilegijs parem ostenderet esse Romanæ Ecclesiæ, quasi ista sua primùm à Constantino habuisset, sicut ille ab alijs Imperatoribus eius successoribus, facilè conuincitur falsitatis, ex huc vsque dictis; quidquid sit de huius decreti veritate, in quo improbando, non erat etiam quod tam inani studio laborarent Nouatores, cùm in his nostram potiùs causam agere, quàm contra nos pugnare videantur, qui profitemur cum huc vsque citatis Patribus, alijsque omnis generis testibus Romanæ Ecclesiæ priuilegia non ab hominibus, sed à Christo in Petro esse collata, & à Petro in successores transfusa: Barlaam S. R. E. Apocrysiarius ad Græcos; [Omnibus, inquit, modis, quibus iustè aliquid possidetur, totius Ecclesiæ primatum Romana obtinet; scilicet, Diuina sententia, Apostolorum institutionibus, Synodorum canonibus, Sanctorum decretis, populorum, & nationum consensione, multitudinis assensu, temporis præscriptione, & à superioribus temporibus in omnes Christi-fideles dominio.]

Seculum decimumtertium ab anno Domini 1200. *ad* 1300.

Mirum, quot ex vno habemus Innocentio III. supremæ auctoritatis Pontificiæ testimonia, sed illustriora dumtaxat proferemus. Primum, qua suprema auctoritate spirituali Pontifices per vniuersum Mundum Fideles in quantauis dignitate constitutos de suis reprehenderunt vitijs, eadem Innocentius, statim ac Ecclesiæ clauum arripuit, plures magnos Principes redarguit, Regem Legionensem ob incestas eius nuptias cum nepte sua Castellę Regis filia; Philippum Francorum Regem ob diuortium cum Regina Inseburgæ Regis Danorum sorore: cùm enim à Celestino III. sententia à Conciliabulo Rhemensi pro diuortio pronunciata rescissa fuissa fuisset, dicta Regina Inseburge Pontificis fidem implorante, prouocanteque ad Apostolicam tamquam ad supremam, & vniuersalem omnium Sedem, nec propterea Philippus resipuisset, sed spretis Pontificis iussis, Morauiæ Ducis filiam, Inseburge in sacrarum Virginum Monasterium relegata, sibi coniunxisset, Innocentius tantum scandalum, ne plures exempli improbitate corrumperentur, tollendum ratus, neruos omnes contendit, vt Inseburgim Regio throno restitueret, nec ab incępto destitir, donec felicissimè tandem illud in opus perduxit, obtemperante Vicario Christi Christianissimo Rege Galliæ. Secundò cùm per id temporis in Aquitania, & alijs Galliarum Prouincijs, variarum sectarum hæreses grassarentur, totus in illis euertendis fuit, missis in hunc finem Legatis, & alijs, scriptisque contra eos grauissimis ad plures Archiepiscopos, & Principes literis; at in 95. ad Aquensem Archiepiscopum, & suffraganeos ipsius; dùm specialiter ait de Hæreticis, quod, [Magisterium Romanæ Ecclesiæ refugiunt, & nouis adinuentionibus auditorum corda seducunt, trahentes post se simplices, ac indoctos; satis innuit singulare præfatæ Ecclesiæ, Summorumque Pontificum in ea sedentium priuilegium non errandi in rebus fidei, si enim illo non gauderent, tam Hæretici, quàm omnes alij rationabiliter eorum magisterium in rebus ad fidẽ pertinentibus refugere possent. Tertiò è munere supremi, & vniuersalis Ecclesiæ pastoris esse putans Græcorum Ecclesiam ad Apostolicæ Sedis obedientiam, à qua contumaciter tamdiu defecerat, reuocare, nuntios, & literas in hunc finem Constantinopolim misit ad Alexium Imperatorem, nec non ad Patriarcham, admonens eum vt Imperatorem ad id impellere omni studio niteretur: primùmque ostenso, quod Diuinum numen repudiata Synagoga Ecclesiam ex gentibus sibi condiderit: asserit illud eam beato Petro, & successoribus eius regendam commisisse his verbis: [Hanc autem idem Dominus Iesus Christus in seipso lapide angulari fundauit, & eius magisterium Apostolorum Principi beato Petro, cui (licèt insufficientes) in Apostolatus successimus dignitate, concessit; Tu es, inquiens, Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & paulò post subdidit: Et tibi dabo claues Regni Cœlorum, & etiam curam ouium suarum eodem verbo tertio repetito commisit, dicens: Pasce oues meas, & quod eius fides numquam deficeret, se orasse fatetur, loquens ad eum in Euangelio: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua; & tu conuersus aliquando confirma fratres tuos. Præterea licèt vniuersis Apostolis dixerit in communi: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis; ad eum tamen vtitur verbo speciali, dicens: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis. Hoc autem Græcorum populus non attendens, aliam sibi confinxit Ecclesiam, si tamen, quæ præter vnam est; Ecclesia sit dicenda, & ab Apostolicæ Sedis vnitate recessit: nec constitutionem Domini, nec Petri magisterium est imitatus, & inconsutilem vestem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum vestium diuisione pepercit, scindere vsque hodie, licèt frustrà, conatur.]

Verùm tantum abest, vt tam humanæ quidquam profecerint Innocentij litteræ, quin potiùs Camaterus Patriarcha inde perfidiam

fidiam suam ostendendi occasionem sumens, percontatur Innocentium cur Romanam Ecclesiam vnam, & vniuersalem appellasset, atque Ecclesiarum matrem? & cur is dignitatis titulus Hierosolymitanæ attribuendus non sit? cùm ex ea fides Christiana emanarit: Quibus dignum eo, qui Christi vices gerit in terris responsum dedit Innocentius epistola 201. lib. 2. ex qua ea tantùm, omissis cæteris, adducemus, quæ nostro fauent instituto, defendendi nimirum supremam, & vniuersalem, nec non etiam infallibilem in rebus fidei auctoritatem Romanæ Sedis, Sanctissimorumque illius Antistitum. [Huic, inquit videlicet Petro, Dominus oues suas pascendas, vocabulo tertiò repetito, commisit, vt alienus à grege dominico censeatur, qui eum etiam in successoribus suis noluerit habere pastorem. Non enim inter has, & illas oues distinxit, sed simpliciter inquit: Pasce oues meas, vt omnes omninò intelligantur ei esse commissæ. Iacobus enim frater Domini, qui videbatur esse columna, Hierosolymitana sola contentus, vt ibi semen fratris præmortui suscitaret, vbi fuerat crucifixus, Petro non solùm vniuersam Ecclesiam, sed totum reliquit seculum gubernandum;] multis deinde in hanc sententiam congestis iterum de Petro subdit: [Ipse quidem primus Iudæos, ipse quoque primus Gentiles post Ascensionem Christi conuertit ad fidem, vt super vtrosque fideles se primatum accepisse monstraret. Cùm ipso die Pentecostes ad verbum exhortationis ipsius circiter tria millia Iudæorum baptismi receperint Sacramentum, ac deinde Cornelium centurionem, & suos quasi primitias gentium ad reuelationem Angelicam baptizarit. Cùm autem inter Apostolos ad consultationem credentium magna fieret conquisitio, vtrùm oporteret circumcidi fideles, & legem Mosaicam obseruari, Petrus principali fretus auctoritate respondit: Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Cuius sententiam subsecutus, Apostolicum super ipsa quæstione decretum Iacobus promulgauit. Paulus etiam postquam abijt in Arabiam, & iterum redijt in Damascum, deindè post tres annos venit Hierosolymam, vt Petrum videret, cum eo Euangelium, quòd in gentibus prædicauerat, collaturus: ne fortè in vacuum curreret, aut etiam cucurrisset.] Quibus nihil præstantiùs, pro vniuersalitate primatus Petri successorumque eius, nec non eorumdem indeficientis iudicij priuilegio in rebus ad fidem spectantibus.

Demum ad dubia Patriarchæ directè respondens hæc habet: [Quæsiuisti dubitans, & addiscere volens, qua ratione Romanam Ecclesiam vnam, & vniuersalem in nostris literis vocauerimus, velut in quasdam species specialissimas iam diuisam, cum & vnus sit pastor, & vnum ouile, licèt sub vno pastorum principe Christo plures sint constituti pastores. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd Ecclesia duabus de causis vniuersalis vocatur: intelligentia namque ex causis assumenda dicendi, cùm non res sermoni, sed rei sit sermo subiectus. Dicitur enim vniuersalis Ecclesia, quæ de vniuersis constat Ecclesijs, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur, & secundùm hanc acceptionem vocabuli, Ecclesia Romana non est vniuersalis Ecclesia, sed pars vniuersalis Ecclesiæ, prima videlicèt, & præcipua velut caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit: ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur; & dicitur vniuersalis Ecclesia illa vna, quæ sub se continet Ecclesias vniuersas. Et secundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Ecclesia vniuersalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis priuilegio dignitatis cæteris est prælata, sicut & Deus vniuersalis Dominus appellatur, non quasi iam diuisus in species, aut specialissimas, aut etiam subalternas, sed quoniam vniuersa sub eius dominio continentur. Est enim vna generalis Ecclesia, de qua Veritas inquit ad Petrum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et sunt multæ particulares Ecclesiæ, de quibus Apostolus ait: Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum, ex omnibus vna consistit, tamquam ex particularibus generalis, & vna præeminet omnibus, quoniam cùm vnum sit corpus Ecclesiæ, de quo dicit Apostolus: Omnes vnum corpus sumus in Christo, illa velut caput cæteris membris excellit.] Ponderent hæc attentè, qui perperam volunt Ecclesiam Romanam dici tantùm vniuersalem, Summosque eius Pontifices Sacrosanctæ Romanæ, & Catholicæ, siue vniuersalis Ecclesiæ Papas, vel Episcopos, quia, inquiunt, sunt Episcopi Romanæ Ecclesiæ, quæ Catholicam religionem, ac fidem profitetur, videbunt enim, quantum hæc glossa longè à recto veritatis aberret tramite: de quo redibit sermo infra in hoc eodem seculo.

In altera quoque epistola 104. quam capta iam à Latinis Constantinopoli, scripsit ad Henricum Imperatorem idem Innocentius III. misso etiam Pelagio Cardinali Episcopo Albanensi, vt Græcos, qui Latinis parebant, à schismate abduceret, atque ad Ecclesiæ sinum reuocaret, hæc habet pro eadem vniuersalitate primatus, supremoque, & infallibili magisterio Romanæ Sedis in rebus fidei, & religionis: [Ipse summus angularis lapis Iesus Christus, in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino, Ecclesiæ fundamentum, & fundator existens, inter cætera, quibus salutaria prouidit remedia populo Christiano, ad consolidandam fidei vnitatem, vt & vnus pastor esset, & vnum ouile, Sedem Apostolicam totius Christianitatis caput instituit, & magistram, à qua sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron, & ad oram etiam vestimenti, panis intellectus, & vitæ ad alias procedat Ecclesias cum doctrina fidei, & aqua sapientiæ salutaris.] At dico ego, si Sedes Apostolica, supremique in ea sedentes Pontifices possent esse hæretici, doctrinamque hæreticam docere, quì posset dici, inter cætera, quibus salutaria prouidit remedia Christus populo Christiano ad consolidandam fidei vnitatem, &c. annumerandam esse Sedis Apostolicæ institutionem, tamquam totius Christianitatis caput, & magistram.

Qua etiam proprium est vniuersalis, & infallibilis auctoritatis munus canonizare San-

Sanctos, aut expresse per bullam, vel declarationem Pontificis, aut tacitè & præsumptè per communem consensum populorum: & consuetudinem receptam cultus, in qua interuenit etiam tacita voluntas Pontificis, vt expressè docet S. Thomas 2. 2. quæst. 97. [Ita, inquit, alicuius Sancti cultus ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus vim habet ex approbatione tacita, vel expressa Summi Pontificis,] prout tam antiqua, quàm recentia testantur exempla, Leonis III. qui ad instantiam Caroli Magni, & Hilebaldi Archiepiscopi Coloniensis Suibertum Confessorem solemni ritu Sanctorum numero adscripsit, Innocentij II. qui Sanctum Hugonem Episcopum, Alexandri III. qui Bernardum Clareuallensem, Eduardum Anglorum Regem, Helenam viduam genere Vvisigotham, Canutum Danorum Regem, ac Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, & Martyrem, Clementis item III. qui Othonem Episcopum Bambergensem, Cælestini pariter III. qui Vbaldum Eugubinum Episcopum, in eiusdem quoque supremæ: & infallibilis auctoritatis argumentum Innocentius III. Homobonum, & Chunegundem Augustam in Sanctorum catalogum retulit.

Lugdunensi Archiepiscopo pro more grauissimas fidei quæstiones proponenti Summo Pontifici tam quam supremo earum iudici, respondit Innocentius epist. 62. lib. 5. quæ incipit, Cùm Marthæ, quæque extat in titulo de celebratione missarũ, vbi præuiè ad solutiones quæst. quæ ibi videri possunt, hæc ad nostrum scribit intentum. Lippitudini Liæ Rachelis pulchritudinem præferentes, eam in te credimus vigere intelligentiam Scripturarum, vt non solùm paruulis frangere possis panem, sed prouectis etiam cibum solidum ministrare; ac nodos soluere difficilium quæstionum. Verùm quoniam in primatu Apostolorum principis Apostolicæ Sedis magisterium recognoscens, ad eam credis maiores causas Ecclesiæ referendas, consultationibus tuis, quas non ob commodum vtilitatis terrenæ, cum non ciuilem contineant quæstionem, sed animarum profectum vt videlicet in lucem prodeant obscura Scripturæ, nouimus te mouisse, libenter quod nobis inspirat Dominus, respondemus, &c. & in alia ad eumdem epist. 14. Quod pietatem colendo in mandatis diuinis te libenter exerceas, & in lege Domini iugiter meditando consideres vias eius, epistolarum tuarum verba demonstrant, & testantur fortiùs quoties quibus Apostolicam Sedem pulsas, vt pulsanti ianuam veritatis aperiat, & quæ obscura videntur suæ responsionis verbum illustret,]

Vltimò tandem, quod est argumentum supremæ, & infallibilis auctoritatis Pontificiæ omnium euidentissimum. Concilium Generale Lateranense conuocauit, suaque præsentia confirmauit, quicquid in contrarium obganniant hæretici, eorumque sequaces, dum illud infirmitate conantur, adducentes aliqua Imperatorum exempla, qui visi sunt conuocare Concilia, immò & in ijs præfuisse, etiam Legatis Pontificum Romanorum præsentibus. Respondetur enim potuisse quidem, & adhuc posse Imperatores & Reges, vti defensores, & curatores, vel aduocatos Ecclesiæ, vbi ita expedire credunt, Summis exponere Pontificibus necessitatem conuocandi Generalia Concilia, ijsque sub hoc titulo adesse, nec aliud probant aliqua ab aduersarijs adducta ex historia Ecclesiastica exempla, at eos illa ex sua propria auctoritate, absque consensu, vel saltem permissione Romanorum Pontificum conuocasse, aut conuocare posse, illisque præsedisse, aut præsidere posse falsum est, sique id ab illis attentatum fuisset, aut ab alijs aliquando attentaretur, non indè iure talia fieri sequeretur, aut rectè deduceretur Summorum dumtaxat Pontificum id proprium munus, non esse, vt enim, quæ sunt iniusta, & per tyrannidem vsurpata nihil ijs, qui talia agunt iuris tribuunt, ita nec ijs, qui talia pati nimia præualente potentia coguntur, quicquam adimere possunt. Cæterum sola auctoritate, & consensu, vel saltem permissione Summorum Pontificum Romanorum, quod est inuictum vniuersalis, supremæ, & infallibilis auctoritatis ipsorum argumentum, quodque propterea hæretici illius inimici omnibus modis eneruare conantur, Generalia Concilia celebrari, & approbari debere ijsque neminem vmquam præter ipsum; aut eius Legatos præsedisse, aut præsidere posse, quæ huc vsque data occasione: in vnoquoque Ecclesiæ sæculo notauimus pro hac traditione, satis superque demonstrant.

De Niceno enim Concilio: cuius auctorem faciunt Constantinum, habetur in sexta Synodo actione 18. [Cõstantinus semper Augustus, & Siluester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant,] cui nomine Siluestri præfuit Hosius. Auctor quoque vitæ Siluestri ait: [Huius temporibus factum est Concilium cum eius consensu in Nicæa Bythyniæ.] De Constantinopolitano idem constat, testante Damaso sub quo celebratum fuit apud Theodoretum lib. 2. cap. 22. [Nullius momenti esse decreta eius Synodi, cui ipse non præbuisset assensum.] Et actione 18. sextæ Synodi legitur quoque: Macedonio Theodosius, & Damasus obstiterunt. Pro Concilio Ephesino, cui nomine Cælestini præfuit Cyrillus Alexandrinus, & Chalcedonensi, cui pro Leone Paschasinus, & alij Legati præsederunt, præter suo loco adducta firmum habemus argumentum, quod actione 1. contra Dioscorum obijcitur [Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod numquam licuit, numquam factum est.] Hoc enim verum esse non posset, si vel Ephesinum, quod ante Chalcedonense celebratum fuit, sine auctoritate Cælestini, & ipsum, quod eo nomine Dioscorum condemnauit Chalcedonense, inconsulto vel inuito Leone conuocatum fuisset, & sic de reliquis, de quibus redibit sermo sectione sequenti. Indeque Pelagius Secundus in epistola ad Synodum illegitimam Constantinopolitanam, vbi Ioannes Patriarcha vniuersalis sibi nomen vsurpare conatus est, ita scribit. [Relatum est ad Apostolicam Sedem Ioannem Constantinopolitanum Episcopũ vniuersalem se scribere vos ex hac sua præsumptione ad Synodum conuocare Generalem, cùm generalem Synodum

nodum

nodum conuocandi auctoritas Apostolicæ B. Petri Sedi singulari priuilegio sit tradita, & nulla vmquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta.]

Quare quod dicitur, & principaliter ab hæreticis obijcitur de Constantino Pogonato, ipsum sextam Synodum congregasse, eique præsedisse sua Imperatoria auctoritate nequaquam sustineri potest, sed eum dumtaxat prædecessorum suorum vestigia secutum, dictā Synodum celebrari curasse, ad extirpandam hæresim Monothelitarum, eique præsentem fuisse, vel vt habetur in actis Synodi præsedisse, non vt eam dirigeret, non vt dijudicaret, ac definiret quæstiones; & controuersias, quæ ad fidem, & religionem, cultumque diuinum pertinent, sed vt tamquam defensor, & vindex fidei sua auctoritate Concilij Patres protegeret, ijsque patrocinaretur, quemadmodum à Theodosio in Ephesino, & à Martiano in Chalcedonensi factum fuisse supra suis vidimus locis, cuius rei argumentum est, primò quod idem Constantinus, scriptis ad Donum tunc Romanum Pontificem literis, eum rogauerit, vt ad se legatos mitteret, qui generali Concilio præsiderent, mandaritque Theodoro Exarcho, vt illis, & alijs in hunc finem naues idoneas, & sumptus necessarios suppeditari curaret, sed Dono interim mortuo, Agatho eius successor, cum priùs Romæ conuentu Episcoporum Occidentalium centum viginti quinque habito. definijsset in Christo duas esse naturas, & duas voluntates, Legatos tres Constantinopolim misit, qui suas implerent vices, Secundò præfatum Constantinum sextæ præfuisse Synodo, eam protegendi; suaque præsentia tantùm honorandi gratia non autem vt arbitrum, patet ex eo, quod nouissimo loco in ea subscripserit, quod profectò non fecisset, si ibi tamquam arbiter præsedisset, vt asserunt hæretici; eorum sequaces Nec illis fauet, quid Albertus Pighius Pontificiæ auctoritatis defensor acerrimus contrarium doceat, indeque acta, quę circumferuntur VI. & VII. Synodorum parengrapha esse; & minimè germana, hæc hæreticis, inquam, non fauent; talia haud asserente Pighio; quia putet eum ipsis proprium Principum Laicorum munus esse congregandi Concilia, eisque præsidendi, sed potiùs, quia præfatæ Synodi sextæ acta, quæ præ manibus habemus, id insinuare videntur de Constantino Pogonato, si interpretationes; quas attulimus, quæque videntur genuinę, & præcedentium Conciliorum vsui; & regulis consentaneæ, non admittantur: ideo illa spuria, & supposititia esse arbitratur. Adeò verum est sola auctoritate Pontificia, tamquam vniuersali, & infallibili Concilia Generalia conuocari, dirigi, confirmari, & approbari debere, nulliusque sine illa roboris esse in rebus fidei, & religionis.

Quidquid sit, an Principes Laici conuocare, & congregare possint Concilia præcisè considerata secundùm materialem illam coniunctionem in loco, ad quem vocantur Episcopi, non autem spiritualem, siue in ordine ad dirigenda eorum suffragia, & decreta, quod aliqui putant illis concedi posse saluis iuribus Pontificijs, & Ecclesiasticis, exemploque Summi Pontificis Vigilij probari, qui rogatus à Iustiniano venir quidem ad Concilium, sed cum iam esset Constantinopoli tempore Concilij, noluit illi interesse quasi significaret aduentum, nihil officere auctoritati suæ, secus autem præsentiam in Concilio, quia vocari: & venire, non videtur inuoluere quicquam spirituale, sed esse quid ante Concilium, & extra illud, quare illud Principibus laicis concedere, nihil est illis in Concilio, vel intra Concilium dare nihil iuris in Episcopos sua, idest spiritualia & Ecclesiastica tractantes conferre. Vnde quod Vigilius sponté, nullaque vi illata, Constantinopolim ierit, vocatus à Iustiniano Imperatore, citra præiudicium auctoritatis ipsius, aut aliorum etiam, qui ita iuissent fieri potuit, noluit tamen interesse Concilio ne videretur in hoc, cum aliquo Pontificię auctoritatis periculo, Iustiniano nimis imperitandi auido cedere, quam in Siluerio fædissimè priùs violarat, inuitè, & coactè à Belisario extracto Italia, & in Græciam auecto. Verùm de his iterum in sectione sequenti.

Præallata Innocentij testimonia tam claré nostrum intentum comprobantia conantur aliqui eludere per vnicum ex epistola 104. ad Philippum Francorum Regem desumptum, vbi vt ei omnem dissoluendi coniugij spem adimeret, hęc scripsit: [Si super hoc absque generali deliberatione Concilij determinare aliquid tentaremus; præter diuinam offensam. & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsitan ordinis, & officij nobis periculum immineret, cum contra præmissam veritatis sententiam (quod Deus coniunxit homo non separet) nostra non possit auctoritas dispensare. Verùm hoc testimonium non solùm priora non eneruat, sed potiùs confirmat, quasi diceret Innocentius in argumentum Pontificiæ infallibilitatis à se quidem posse in multis dispensari, quasi Rex peteret, libenter eum exaudiret, non autem contra veritatis sententiam aliquid definiendo. Secundò responderi potest hæc verba intelligenda esse de errore facti sine vlla penitùs iuris læsione, sicut si dispensasset in matrimonio Philippi rato, & consummato, ad satisfaciendum eius desiderio, non credendo tamen, aut non ducendo licitam esse talis matrimonij dissolutionem, cui errori facti, nec non alijs similibus, sicut si committeretur simonia, non tamen eam licitam esse affirmaretur, cum Romani Pontifices, Generaliaque etiam Concilia non solùm per ignorantiam, sed peccaminosè quoque obnoxia esse possint, iure meritò Innocentius scribit Philippo conditionatè, quod si in fauorem ipsius super matrimonio suo dissoluendo absque generali deliberatione Concilij determinatè aliquid tentaret, præter diuinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo posset incurrere, forsitan ordinis, & officij illi periculum immineret. Vbi hæc verba absque generali deliberatione Concilij non sunt intelligenda, quasi ab ea in rebus facti, & iuris dependeat Pontifex, aut quasi cum tali deliberatione Innocentius dissoluens Philippi matrimonium, id licitè potuisset, sed illa addidit exagerandi gratia

 deter-

deterrendique Philippum à sua petitione. & quia non aliundè, quod adhuc dubitanter dicit: posset illi imminere aliquod periculum Pontificatus amittendi, quàm si absque generali deliberatione Concilij, quod congregare nolebat, nec erat operæ pretium, talem commisisset errorem, si enim cum illa, reprehendi non potuisset facti, cuius ipsum Concilium fuisset in errando socium; sed omnes simul illius pænitentiam agere debuissent Quod insuper ait serm. 2. de consecrat. Pontificis. [In tantum mihi fides necessaria est, vt in cæteris peccatis Deum iudicem habeam propter solum peccatum, quod in fide committitur possim ab Ecclesia iudicari,] debet intelligi de ipso vt persona priuata est, vt infra in fine huius capitis dicemus.

Vt omittam plura, quibus tam Honorius III. quàm Gregorius IX. & Innocentius IV. suam vbique supremam auctoritatem in vniuersali ostenderunt Ecclesia, vt patebit eorumdem acta perlegentibus, aliqua dumtaxat referam ipsorum testimonia clariùs intentum nostrum probantia. Primùm Honorius rescribens Reginæ Georgiæ hæc ait epist. 434. lib. 8. [Multum gauisi sumus in Domino super deuotione, quam habes ad nos, & ad Romanam Ecclesiam, matrem Christianorum omnium. & magistram.]

Gregorius IX. vt pro sua suprema auctoritate, in seruanda doctrinæ fidei puritate lib. 2. epist. 20. Sacræ Theologiæ professores publicè in Academia Parisiensi docentes grauiter reprehendit, quod quidam apud eos ostendendæ Philosophiæ causa, Scripturarum difficultates ex sententijs Philosophorum potiùs, quàm è Sanctorum Patrum sensu explicarent, ita sequenti anno 1228. cum ob exortam Parisijs grauissimam inter eos, qui literis operam dabant, ac regios administros discordiam in maximo versaretur discrimine nobilissima illa Academia ad illam sedandam omnes vires adhibuit, & in hunc finem ad Ludouicum adolescentem, eiusque matrem Blancham præclaram illam scripsit epistolam 95. quæ habetur lib. 3. [In tribus, inquit, quæ appropriatione nominis tribus in SS. Trinitate personis attributa noscuntur, potentia, sapientia, & benignitate videlicet Regnum Francorum eiusdem SS. Trinitatis imitando vestigium, patet præ regnis alijs à longis retro temporibus floruisse: in strenuitate militum potens, in clero literarum scientia prædito sapiens, & in clementi Principum bonitate benignum, quorum medio si duo destituantur extrema, in vitia conuertentur quoniam potentia nisi fuerit sapientia temperata in præsumptionem luxuriat, se inarrogantiam extollendo, benignitas verò, si eadem suffulta non fuerit, in dissolutionem degenerat, & efficitur fatuitati cognata. Igitur sapientia necessaria est vtrique, sine qua neutra illarum nomen virtutis obtinet, vel effectum. Sapientia verò nutritur studio litterarum, quo quasi fluuio de loco delitiarum egresso, non solum regnum prædictum irrigatur, & fœcundatur post Spiritus Sancti gratiam, verùm etiam paradisus Ecclesiæ generalis, cuius alueus Parisiensis ciuitas, ex eo quod idem studium Parisijs viguit, hactenùs noscitur extitisse, vnde vestra credimus interesse solicita diligentia, & solicitudine satagere diligenti, vt studium diebus vestris translatum alibi à Parisijs, illuc quasi flumen ad alueum reuocetur, &c.] Scripsit eodem argumento literas tum Episcopo Parisiensi, tum alijs, deinde anno Domini 1231. vt præfatam academiam, quæ præteritis temporibus quasi dissoluta erat, pristino splendori restituerent, vetera illius priuilegia renouauit; deque ijs ad magistros & scholasticos diploma dedit lib. 5. ep. 23. cuius initio ingentes in eam laudes cumulat, dum ipsam sapientiæ officinam, Lutetiamque scientiarum parentem appellat. dein tenendum in ea ordinem sancit, quæ omnia procul dubio sunt clara supremæ auctoritatis Pontificiæ per vniuersum orbem christianum argumenta,

Idem Gregorius rescribens Germano Patriarchæ Constantinopolit. lib. 6. epist. 56. hæc ad nostrum intentum habet: [Fuit enim Paulus ex verbo Domini Petro, & cęteris Apostolis vniuersaliter sic dicentis. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, cum Petro mysterium dignitatis exercens, & ex verbis eiusdem auctoritatis singulariter Petro propositis: Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cęlis. & quodcumque solueris super terram erit solutum & in cælis, in Petro auctoritatis officium recognoscens, & ideo ad eum tamquam primatem, & Euangelij Dominici fontem venit Hierosolymam & postmodum cum ipso, & alijs secundùm reuelationem contulit Euangelium, ne in vacuum curreret, vel cucurrisset. Quod iterum ex verbo Domini confirmatur, cùm soli Petro si frater suus in se peccauerit, non tantùm septies, sed septuagies septies præcipitur dimittendum: ipsi soli oues suas indistinctè committens, qui tam speciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis, & grabatis positis ad vmbram eius sanabantur infirmi. Cuius auctoritas ex eiusdem Domini verbis expressiùs roboratur, cùm sibi soli dictum est, Duc in altum, & pluraliter subinfertur, Laxate retia in capturam. Si ergo Petrus, propter excellentiam fidei, qua in vno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit; Tu es, Christus filius Dei viui; claues regni cælestis in terris, solus accepit, cùm vnus sit Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnum principium, vnum corpus Ecclesiæ militantis, & corpus cum pluribus capitibus monstruosum, & sine capite acephalum censeretur, restat, vt ad regimen generalis Ecclesiæ, quam ipse cum Paulo, & cęteris de gentibus, Græcis, Latinis, Barbaris congregauit, caput eiusdem, suumque Dominus, per ea, quæ promissa sunt, manifestè ostenderet successorem. Præuidens autem Dominus, quod Ecclesia Dei conculcaretur à Tyrannis, laniaretur ab hæreticis, & à Schismaticis scinderetur, ait: Pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Ex quo colligitur euidenter, quod ad Sedem Petri omnis sit quæstio fidei referenda.]

Aliquibus deinde interiectis iterum subdit: [Tuæ prudentiæ conscientiam sine ali-

qua superstitione regula, & illuminatus inuenies, quod Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum caput est, & magistra, in speculo à te proposito, Euangelij videlicet, & epistolarum, & doctrina aliorum doctorum nihil contrarium inuenit, quod interpretatiuè, vel dispensatiuè, secundùm statuta sanctorum Patrum, in vnitate fidei, & spiritus non concordet.]

Idem penitùs docet in alia ad eum Germanum epistola 111. lib. 7. vbi primùm ostendit Romanum Pontificem vtroque gladio, humana nimirùm, ac diuina auctoritate pollere, augustissimas Christi Domini in terris vices gerere, à quo Græci ingenti suo damno desciuissent: tum ritum Romanæ Ecclesiæ in Corpore Christi in pane azymo consecrando beati Petri traditionem esse; [Verùm siue in fermentato, siue in azymo Sacramentum conficiatur, in Dominicum corpus diuinitùs conuerti: sed vterque panis simplex ante sacrificium panis est, transubstantiatione verò facta per verba Dominica, panis non est, & ideò nec fermentatus, nec azymus dici potest, sed ille potiùs creditur esse panis viuus, qui de cœlo descendit, & tribuit vitam mundo, &c. Hæc, inquit, & his similia docuit Petri Sedem vnctio Spiritus, & sanitas intellectus; quibus sanè verbis exprimitur specialis Spiritus sancti assistentia, qua Petri Sedes edocta, hoc est Romanus Pontifex Petro in supremo Ecclesiæ Monarchatu succedens infallibiliter ea, quæ ad fidem pertinent, declarare dicitur.

Ludouico IX. Regi Francorum in numerum Sanctorum postea relato, oratorum opera flagitanti, vt contrahendi cum Margareta Comitis Prouinciæ filia matrimonij canonicum impedimentum auferret, dato diplomate lib. 7. epist. 441. Gregorius annuens, pro suprema auctoritate pontificia hęc in eius principio tradit: [Dixisse Petro Dominus: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, solutum erit & in cœlis; ac ei claues legitur tradidisse, in altera dans scientiam discernendi, & in altera plenitudinem potestatis, ne vel potestas crudelis existeret, si non esset discretionis sale condita; vel discretio esset inutilis, si non potestatis subsidio fulciretur, quatenus & potestatiua discretio, & potestas nihilominus sit discreta. Vnde Romanus Pontifex, qui claues in beato Petro discretionis, & potestatis accepit, &c.] Vbi per scientiam discernendi singulariter Petro, ac eius successoribus concessam, infallibile eorumdem non errandi priuilegium in rebus fidei, & religionis significatur, cùm aliquam ex illis credendam fidelibus proponere, ortamue circa illas controuersiam dirimere debent.

In alia quoque epistola 253. lib. 10. ad Fridericum II. Imperatorem, qua eius refellit obiecta, inter alia hæc habet: [Et ideò si prudenter attenderęs, quod lignum vitæ est in paradisi medio positum, sic in centro tuorum finium prudenter persisteres, quod nequaquam incautè ad iudicanda secreta conscientiæ nostræ, cui iudex in cœlo est conscius in excelsis, propriæ ruinam conscientiæ metuens euolasses, cùm Regum colla, & principum submitti videas genibus Sacerdotum, & Christiani Imperatores subdere debeant executiones suas, non solùm Romano Pontifici, quin etiam alijs præsulibus non præferre, nec non Dominus Sedem Apostolicam, cuius iudicio orbem terrarum subijcit, in occultis & manifestis à nemine iudicandam, soli suo iudicio reseruarit.] De qua nulli subiecta nisi soli Deo, Romanorum Pontificum auctoritate redibit sermo infrà in hoc eodem seculo.

Item lib. 13. epist. 198. ad Rusudam Reginam, & Dauid natum eius Georgianorum Regem Romanę Ecclesiæ se se coniungere cupientes, primùm ostendit, illi omnes Christianos ad salutem adipiscendam subesse debere, cùm ea vna sit Ecclesia Catholica Christi sponsa, indeque eius, suorumque Antistitum primatum, ac supremum in rebus fidei magisterium pluribus demonstrat, audiamus eius verba: [Vna est enim Ecclesia Catholica Christi sponsa, qui beato Petro Apostolorum principi ligandi, & soluendi potestatem committens, & Petrum ostendens: super hanc, inquit, ædificabo Ecclesiam meam; vt ostenderet solum Petrum, & singularem Ecclesiam diceret, plures Ecclesias esse, & diuersos Ecclesiæ præponi pastores apertiùs prohiberet. Propter quod soli Petro, vt eius oues pasceret, perpetuo edicto præcipiens, & conuersionem gentium futuram esse prædicens, se illas Ecclesiæ primitiuæ de Iudæis exortæ aggregaturum fore prædixit, apertiùs imperans, vt ex ijs vnum ouile fieret, & Ecclesiæ de Iudæis, & gentibus aggregandæ pastor vnicus præsideret. Istud idem Ezechiel Propheta in spiritu præuidens, palàm inquit, quod Dominus omnes filios Israelis, per quos conuersos ad Deum intelligimus, ita gentem vnam efficeret, quod in duo regna non diuideretur vlteriùs, & Rex vnus eis omnibus imperaret; ex quo patenter plures Ecclesias esse prohibuit, & plures Ecclesiæ pręfici vniuersali pastores penitùs interdixit; quia plura vnius esse capita corporis, & vni diuersa coniungi corpora capiti non permittit ratio naturalis. Licèt enim plures populi in cultum sint Catholicæ fidei congregati, omnes tamen vna censentur Ecclesia, dum vni Capiti Christi Vicario, & beati Petri successori ceruice reuerentiam exhibent inclinata. Reliqui verò qui eiusdem capitis se non membra constituunt, quasi monstra sine capite in viam perditionis abscedunt, quia sicut nec Christus diuiditur, nec in se deitas separatur, sic etiam Christus ascendens in cœlum vnum reliquit in terris Vicarium; sic necesse est, vt ei omnium, qui Christi esse cupiunt, subdantur capita populorum. Sed nec ex hoc fratribus, & Episcopis nostris debitum honorem subtrahimus, quos à beato Petro, & eius successoribus in partem sollicitudinis euocatos vices Dei, & Apostolicæ Sedis gerere minimè dubitamus. Quare oportet filij charissimi, vt & vos, & cęteri vestræ iurisdictioni subiecti Romanum Pontificem beati Petri successorem, & Christi Vicarium patrem, & caput fidei nostræ humiliter agnoscentes, & dolentes, quod id bonum præteritis temporibus non fecistis; ei & Ecclesiæ Romanæ vniri, & in ijs, & quæ ad salutem animarum vestra-

rum, quam & nihil aliud postulamus à vobis, obedire curetis: cùm enim solum ab homine requiramus, vt Deum timeat, & ex tota mente ipsum diligens in eius iustificatione procedat, non videtur sani spiritum habere consilij, qui suam in hoc negat nobis obedientiam impertiri. In hac quidem obedientia nullius quantumcumque potentis imperium, nullius honor Regis minuitur: sed ex hac omnium potestas, & libertas augetur: quia illi dignè populorum præsunt regimini, qui sicut ipsi alios præcellere cupiunt, sic diuinæ studeant Excellentiæ famulari:] Et ità deinceps vsque ad finem.

In Encyclicis denique literis Archiepiscopo Senonensi inscriptis, quibus omnes Christiani Orbis Præsules proxima Christi resurgentis celebritate ad se accedere iussit, hæc leguntur: [Æterna prouidentia conditoris sanctam, & immaculatam Ecclesiam à suæ fundationis exordio eo voluit ordine gubernari, vt vni pastori potestatis plenitudinem obtinenti cęteri partem sollicitudinis assumentes, tamquam membra capiti communicatis alterutrum emergentibus casibus, vnione indissolubili cohærerent, per quam eis consensibus mutuis solidatis caput famulantibus membris vigorem assumeret, & membrorum conditio de sui principij robore firmaretur. Quia igitur grandes Apostolicæ Sedis euentus, & causas te ignorare non conuenit, tamquam necessarium matris Ecclesiæ muniméntum, propter quæ necessitate vrgente tuam & aliorum videmus præsentiam plurimùm opportunam, fraternitatem tuam rogamus, & hortamur attentiùs, per Apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, quatenus vsque ad proximum festum Resurrectionis Dominicæ ad nostram præsentiam personaliter venire procures omni occasione cessante, vt habeat Ecclesia mater in filio speratum in tua visitatione solatium, & gradum prouidi consilij fulcimentum.]

Vt supremæ auctoritatis pontificiæ nullum euidentius habemus argumentum, quàm ea Concilia Generalia celebrari, summos illis Pontifices præesse, suaque confirmatione rebus in illis statutis pondus, ac robur adijcere; Innocentius IV. Generale Concilium Lugduni congregauit, eique per semetipsum præfuit, ac in eo Fridericum II. Imperatorem illi se sistere, ac subijcere recusantem, necnon per oratorem suum ad Concilium celebrius prouocantem condemnauit; eius sententiæ hæc sunt vltima verba: [Nos itaque super præmissis, & quampluribus alijs eius nefandis, & execrandis excessibus, ac flagitijs, cum fratribus nostris Cardinalibus, & sacrosancto Concilio deliberatione præhabita matura, & diligenti; cùm Domini nostri Iesu Christi vices licèt immeriti teneamus in terris, nobisque in beati Petri Apostoli persona sit dictum: Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, &c. memoratum principem, qui se imperio, & regnis, omnique denique honore, ac dignitate reddidit tam indignum; quique propter suas iniquitates, atque scelera à Deo, ne regnet, vel imperet, est abiectus; suis ligatum peccatis à Deo abiectum, omnique honore, ac dignitate priuatum à Domino ostendimus, ac denuntiamus, & nihilominus sententiando priuamus; &c.]

Lib. 2. epist. 167. vbi concessas Virziliacensi Conuentui à Romanis Pontificibus suis prædecessoribus prærogatiuas confirmauit, hæc habetur subscriptio: [Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.] Item lib. 3. epist. 476. qua Russis ad Ecclesiæ Romanæ gremium redeuntibus gratulatur, hæc præmittit: [Cùm in partibus vestris mores, & ritus Græcorum, qui superstitiosè, ac damnabiliter ab vnitate Ecclesiastica recesserunt, fuerint hactenus non sine animarum periculis obseruati; & nuper gratia faciente diuina illuminata fuerint corda vestra, vt recognoscentes Romanam Ecclesiam matrem aliarum omnium, & magistram; ac summum Pontificem successorem Petri, cui collatæ sunt claues regni cęlestis ligandi, & soluendi, & Iesu Christi Vicarium esse caput; quia cùm vnus sit Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnum principium, vnum corpus Ecclesiæ militantis, corpus cum pluribus capitibus monstruosum, & sine capite acephalum censeretur; ad deuotionem, & obedientiam Apostolicæ Sedis, & nostram redire, sicut accepimus, affectetis;] nos ei assurgentes in laudem, &c.

Ad hoc idem fidei magisterium, quoad eius vnitatem seruandam, Deus vnus Sedem Petri, eiusque in ea successores vnicè præcellere voluit, ex trium præfatorum Pontificum testimonijs, pertinent varia eorumdem, secundùm quod à fidelibus consulti fuere statuta, & responsa. Gregorius IX. lib. 3. cp. 13. consultus ab Argentinensi Episcopo, num puer quadriennis in patris iam Christianis sacris imbuti domo, an apud matrem in Iudaismo perstantem educari deberet, respondit in fauorem fidei, vt apud patrem Christiana religione instituendus aleretur. Consulenti Archiepiscopo Barensi inter alia, an ij, qui à puro Sacerdote sacro chrismate inuncti fuerant, confirmationis Sacramento reipsa essent insigniti, respondit negatiuè: [Quia de solis Apostolis, inquit, legitur, quorum sunt Episcopi successores, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabant, & ideò tam illi, quàm confirmandi de cętero à solis Episcopis consignentur.] lib. 5. ep. 154. quæ responsio debet intelligi de confirmationis ministro ordinario, non autem extraordinario, qui potest esse simplex Sacerdos, habens summi Pontificis commissionem, vti patet ex Concilio Florentino in decreto de Armenis, & Tridentino sess. 7. can. 3. de confirmatione, necnon etiam sess. 23. de sacramento Ordinis cap. 4. & can. 7. cuius etiam insigne habemus exemplum sancti Gregorij Magni, qui nonnullis Sardiniæ presbyteris eam potestatem permisit, in quibus locis Episcopus nullus eo munere perfungeretur, lib. 3. epist. 9. indict. 12.

Itaque Christus Dominus sic instituit Sacramentum Confirmationis, vt solus Episcopus, ex sua ordinatione habeat completam potestatem illius conferendæ: simplex autem Sacerdos habeat illam inchoatam, quæ possit compleri per commissionem Papæ, & accessionem entis moralis. Eo ferè modo, vt explicant aliqui, quo eidem Sacerdoti, habenti vi ordinationis suæ, absoluendi potestatem

ordi-

ordinis incompletam; illa compleri dicitur per Episcopi approbationem, & iurisdictionis concessionem; fitque inde idoneus minister Sacramenti Pœnitentiæ, qui priùs haud erat talis.

Nidrosiensi in Noruegia Archiepiscopo consulenti, num ob maximam in illis Regionibus frumenti, viniqne inopiam, vini loco cereuisia, atque ex altera specie, quàm frumento confectus panis consecrari ad Christi Corpus conficiendum posset, respondit lib. 11. epist. 70. fieri non posse.

Innocentius IV. Russorum Regi Danieli concessit lib. 5. epist. 174. vt qui Romanæ Ecclesiæ non repugnarent ritus in ipsius regno seruarentur; ac fermentato pane pro conficiendo Christi Domini Corpore Sacerdotes vterentur. Idem præstitit cum nonnullis proceribus Græcis schisma abiurantibus, vt patet ex eius literis ad Tusculanum Episcopum lib. 11. epist. 502. vbi aliquas etiam controuersias, quas Græci, & Latini magna animorum contentione ventilabant, diremit.

Alexander Papa IV. pro eadem etiam suprema auctoritate, quia ad Romanam Sedem maiores semper, ac difficiliores causæ in rebus præsertim fidei pertinuere, Guillelmum quemdam Matisconensem Canonicum, Romam euocatum, in publico Cardinalium consessu damnauit: ac non solùm eius librum, quem in suo edicto non rationabilem, sed reprobabilem, non veritatis, sed mendacij; non eruditionis, sed derogationis, non monentem, sed mordentem, non instruentem veraciter, sed fallentem appellat, in omnium conspectu igni tradi voluit; sed ipse insuper tum Ecclesiastici Ordinis functione, tum omnibus etiam redditibus priuatus est, atque à Ludouico Rege tota Gallia interdictus. Ab eodem quoque Alexandro condemnatus est Ioannes Parmensis, necnon flammis addictus liber eius, Euangelij æterni titulo diuulgatus, putidissimis erroribus, ac blasphemijs refertus.

Vrbanus IV. Gallus in epist. 134. ad Michaelem Palæologum Imperatorem pro vnione facienda Orientalium cum Occidentalibus; [Mediator Dei, & hominum Deus, & homo Dominus Iesus Christus, qui Ecclesiam suam congregatam ex gentibus non habentem maculam, neque rugam, super gentes, & regna constituit, extenditque palmites eius, vsque ad mare, & vsque ad terminos terræ ipsius propagines dilatauit. Ad hoc beatum Petrum Apostolorum Principem ipsius Ecclesiæ caput instituit, & magistrum, vt tam ipse, quàm cæteri eius successores oues Dominicas eidem Apostolorum Principi confidenter à summo Pastore verbo ter repetito commissas, fidei Catholicæ documentis imbuerent, morum instituerent disciplina, & viuendi norma dirigerent in cęlestium semitam mandatorum, &c.] deinde versùs medium; [Vnde à nobis cum multa instantia petiuisti, vt nos, qui principatum habemus omnium Sacerdotum, summusque Doctor vniuersalis Catholicæ Ecclesiæ ad vniendam amodò hanc Ecclesiam, cui constanter affirmas Deum nos loco B. Petri singulariter præfecisse, ardenti semper desiderio laboremus, præsertim cum ad hoc tua tranquillitas, seu benignitas adeò in omnibus, & per omnia prompta sit exposita penitùs & parata, quòd prædictæ Romanæ Ecclesiæ matri tuæ, tamquam totius Catholicæ Ecclesiæ corpori prępositæ, & Magistræ, omnes nationes & gentes, cunctasque patriarchales Sedes extenso per diuinæ virtutis gratiam præcelso Imperij tui brachio, sicut tua Serenitas obtulit plenè subijcies, ad laudem, & gloriam diuini nominis, & Christianæ religionis augmentum, &c.]

Clemens IV. etiam Gallus cum eidem Palęologo Imperatori Græcorum spem Concilij iniecisset; qua mente, quoue fine id indicere cuperet, indicendumque potissimùm esse doceret, sequentibus verbis disertè declarauit: [Porrò præscriptam purissimam, certissimam & solidissimam Orthodoxæ fidei veritatem, Euangelicæ doctrinæ consonam, à sanctis Patribus traditam, & Romanorum Pontificum, in suis Synodis definitione firmatam, sicut nec decet, sic nec volumus nouæ discussioni, ac definitioni subijcere, ipsam quasi per hoc, quomodolibet contra fas, & licitum in dubium reuocando. Ideòque licèt in pręfata Scriptura, de conuocatione Concilij ageretur, licèt per tuas pręfatas literas, Concilium in terra tua conuocari petieris, nos tamen nullo modo proponimus Concilium ad discussionem, seu definitionem huiusmodi conuocare. Non quod cuiusquam faciem vereamur, vel eamdem Sacrosanctam Romanam Ecclesiam Gręcorum superari præsentia timeamus, sed quia prorsùs indecens foret, immò nec licet, nec expedit, in dubium reuocari præmissam veræ fidei puritatem tot sacræ paginæ auctoritatibus, tot Sanctorum roboratam sententijs, tot Romanorum Pontificum stabili definitione firmatam: pro cuius defensione si necesse foret, parari essemus subire martyrium, & morti etiam exponere corpus nostrum, quam ideò ad præsens nequaquam auctoritatibus, quarum tamen satis copia nobis pro voce suppeteret, iuuare curabimus, sed in simplicitate veridica, sic purè, sic explicarè, tam prædictis tuis exhibendam nuncijs, quam tibi decreuimus destinandam.]

Item in constitutione pro conseruatione vrbis Ecclesiæ, & Regni Siciliæ [Fundamenta militantis Ecclesiæ, in montibus Sanctis Propheta rememorans per montes Apostolos, & Prædicatores patenter insinuat, quibus tota huiusmodi ædificij fabrica confidenter innititur: qui firmæ bases Ecclesiæ super fundamento, præter quod nemo aliud ponere potest, quod est Christus Iesus, veluti summo angulari lapide solidantur: vt veritas, quæ antea legis, & Prophetarum præconio vehebatur, per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret: sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Huius autem muneris Sacramentum, ita Dom. ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in beato Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat

Do-

Dominus voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: vt æterni templi fluctura Deo ædificante constructa, mirabili munere gratiæ Dei, in Petri consisteret firmitate]

Gregorius Papa X. in Concilio Lugdunensi, vt multa reformandę disciplinæ necnon libertati Ecclesiasticæ necessaria sanxit, ita non minus salubriter edidit constitutionē pro futura deinceps Romanorum Pontificum electione. Nicolaus Papa III. in præclara, quam edidit constitutione, Pro amplificatione cultus diuini in Basilica Vaticana, se subscripsit, [Ego Nicolaus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. Nicolaus quoque Papa IV. in suis passim litteris ad varios Principes etiam infideles Romanam Ecclesiam cunctorum matrem fidelium, & magistram appellat; hortaturque eos ad fidem Catholicam, vel Christianam amplectendam, quam à sacrosancta Romana Ecclesia firmiter, inuiolabiliter, & inconcusè teneri, ac seruari asserit, ita vt veræ fidei nota, infallibileque signum sit, eam vt talem ab Ecclesia Romana seruari, & doceri, quæ quomodo compati possint cum eius, Romanorumque Pontificum in ea, & ex ea docentium fallibilitate, fateor me nullatenus capere posse; sed potiùs inde necessariò inferendum esse singulare eorum non errandi priuilegium, rebus fidei, & religionis (nisi, quis continuò paralogizare, velit) vbi illas auctoritatiuè, siue iudicialiter, definiunt.

Postremo tandem loco sit Bonifacius VIII. vltimus huius sæculi Pontifex, qui prædecessorum exempla secutus in asserenda Pontificia auctoritate, cùm ita Dei gloria, & reipublicæ Christianæ necessitas exigebat, celebrato Romæ Concilio, edidit insignem illam constitutionem, quæ incipit, [Vnam Sanctam Ecclesiam Catholicam] cuius in fine declarat [esse de necessitate salutis omni humanæ creaturæ subesse Romano Pontifici] quod est verissimum; nec illi repugnat, quasi Bonifacius maiorem, quàm Summo Pontifici deberetur auctoritatem tribuerit, vt ineptè contendunt aliqui, quod priùs Innocentius III. cap. per litteras, qui filij sint legitimi, asseruisset Regem Galliæ superiorem in terris minimè recognoscere, postea verò Clemens Quintus Extrauaganti meruit, in Synodo Viennensi declarauit hanc Bonifacij constitustitutionem ad Gallos, & Galliæ regnum non pertinere: Innocentius enim loquitur de superiori in temporalibus; nullius enim cuiuscumque dignitatis, etiam Papalis, Rex Gallię est feudatarius, & vassallus, non autem de supremo in spiritualibus Pastore, qualis est Romanus Pontifex, cui subesse Christianissimos Reges gloriatos semper fuisse, quę huc vsque occasione data de ipsis adduximus, manifestè demonstrant præsertim illud superiori sæculo Ludouici VII. qui allatis verbis à Christo Domino Principi Apostolorum dictis [Pasce oues meas,] vt responderet Cancellario Imperatoris; [Numquid sunt, inquit, hìc Francorum Reges, vel aliqui Pręlati excepti] Clemens pariter V. citata Extrauaganti in contrarium non abiit. Nec enim Galliæ Regem, eiusque subditos, Pontifici minimè subesse definiuit, sed tantùm post Bonifacij constitutionem, non magis, quàm antea subiectos esse, quàmque Christus voluerit de omnibus fidelibus, censuit, & meritò: æquè enim esset absurdum dicere, post Clementis Extrauagantem, Meruit, Pontificem, tamquam superiorem in spiritualibus, non amplius in Gallia debere agnosci; ac asserere Bonifacij Extrauagante, vnam Sanctam, nouum ius in Regnum Galliæ Pontifici Romano quæsitum esse. Etsi autem in eum aliqui Scriptores franci stylum acuerint; laudari tamen ab alijs, qui eius vitam descripserunt tamquam Ecclesiasticæ libertatis egregium defensorem aduertit Illustrissimus Spondanus præclarissimum Galliæ nostræ lumen in auctuario ad annum 5303. citatque Genebrardum id pariter obseruantem.

Vauriensis Synodi iuxta Tolosam in causa Raymundi eius comitis habitæ Patres supremam Romani Pontificis auctoritatem agnouisse in rebus fidei, testantur eorumdem literæ, quibus Innocentio III. ob nauatam contra hæreticos operam gratias egere, cum hoc titulo: [Sanctissimo in Christo Patri, ac beatissimo Domino suo Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, deuoti, & humiles serui eius Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarum prælati in Concilio apud Vaurum, pro Sanctæ fidei congregati negotio] Ex qua etiam Synodo scribentes legati Pontificij, quibus Concilij Patres auctores fuerant, ne Raymundi purgatio reciperetur, hæc habent: [Volentes igitur finem mandati diligentissimè custodire, meram, & plenam veritatem, scilicet totius facti seriem, & processum beatitudini vestrę breuiter intimamus; cui soli Dominus imponendi finem tantis cladibus plenissimā scientiam, & potestatem concessit.]

In Concilio Lateranensi cap. 5. vbi Patriarchalium Sedium ordo firmatur, hæc ait idem, qui illi præerat, Innocentius III. [Antiqua patriarchalium Sedium priuilegia renouantes, Sacra vniuersali Synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, vtpotè mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, seruata cuilibet propria dignitate, ita quod postquam eorum Antistites à Romano Pontifice receperunt pallium, quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento, licenter, & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem. Dominicę verò crucis vexillum ante se faciant vbique deferri nisi Pontifex præsens extiterit, vel eius Legatus vtens insignijs Apostolicæ dignitatis. In omnibus autem prouincijs eorumdem iurisdictioni subiectis ad eos, cum necesse fuerit, prouocetur, saluis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum]

En etiam ad hæc vsque tempora firmiter perseuerans ius, ac vsus appellandi ad Sedem Apostolicam, ex quo sine dubio, quicquid in con-

contrarium obganniant hæretici demonstratiuum, eruitur argumentum pro suprema Summorum Pontificum in Ecclesia vniuersali auctoritate; ibique esse culmen, & fastigium spiritualis potestatis, cui nulla par est, vbi vltimus habetur terminus appellationis in rebus fidei, & religionis; ita enim ab Episcopis inferioribus ad superiores, id est à Diæcesanis ad Metropolitanos, ab ijs ad Patriarchas appellari potest, vt tandem ab omnibus illis semper appellatum fuisse ad Romanos Pontifices testentur cunctis obuia historiæ Ecclesiasticæ monumenta, quæque suo loco retulimus exempla, sancti Athanasij Alexandrini, & Pauli Episcopi Constantinopolitani ad Papam Iulium I. Diui Ioannis Chrysostomi ad Innocentium I. Flauiani Episcopi Constantinopolitani ad Leonem I. Theodoreti Cyrorum Episcopi ad eumdem Leonem; Hadriani Thebanę ciuitatis Episcopi ad Gregorium primum, vt patet ex eius epistolis 6. & 7. lib. 3. necnon 52. lib. 4. in qua Virgilio Arelatensi vice sui in ijs prouincijs constituto iubet, ne quam magnam causam iudicandam suscipiat, sed eam ad Sedem Apostolicam remittat. [Quatenus, inquit, valeat à nobis congrua sine dubia sententia terminari. Cuius adhuc rei præclarius habetur testimonium lib. 5. epist. 24. ad Episcopum Rauennatem super controuersia cum Claudio Abbate: [Nunquid non ipse nosti quia in causa, quæ à Ioanne Presbytero contra Ioannem Constantinopolitanum fratrem, & coepiscopum nostrum orta est secundùm Canones ad Sedem Apostolicam recurrit, & nostra est sententia definita? Si ergo de illa ciuitate vbi princeps est, ad nostram causa cognitionem deducta est, quantò magis negotium, quod contra vos est, hìc est veritate cognita terminandum?

Et vt in hac re ipsimet inimici nostri sint iudices, quod tantæ semper fuerit Romanæ Sedis, in vtramquæ partem existimatio, vt quem illa in communionem reciperet, cuiusque doctrinam approbaret, Catholicus, quem autem reijceret, hæreticus haberetur; quot hæretici, vel dissimulatis, vel palliatis ad tempus suis erroribus, vel sub aliqua pietatis specie Romanam Sedem appellarunt, communionemque cum illa obtinere tentarunt? qui postea comperta eorum hæresi, peruersaque doctrina, à Summis condemnati fuere Pontificibus, aut reiecti, Marcion, ab Aniceto Pontifice; Felix, Iouinus, Maximus, & alij à à Patribus Africanis damnati à Cornelio; Basilides Legionensis, nec non rebaptizantes. à Stephano: Ariani concordiam simulantes, à Iulio I. vt constat ex eorum ad Iulium, & Iulij ad ipsos litteris; Vitalis Appolliuaris sectator Damaso; Pelagius, & Cælestius à Zozimo cùm priùs litteris ad Innocentium missis, sed eo interim mortuo à Zozimo receptis illi imposuissent, se in nulla re fidei à Romano Pontifice dissentire; Nestorius à Cælestino, ad quem contra Cyrillum appellarat; ac tandem, vt plures alios ommittam Eutyches à Leone.

Adeò verum est, pro vt ductus ab Ecclesiæ initio mos, tot Patrum testimonijs, necnon Episcoporum, & aliorum ad Sedem Romanam appellantium exemplis confirmatus demonstrat, tale appellandi ius, summis eius Pontificibus, vnà cum potestate clauium, supremumque pastoris vniuersalis Ecclesiæ munere, cuius dictum ius vna, & præcipua est pars, diuinitus fuisse concessum; indeque in eisdem semper agnitum fuisse singulare non errandi priuilegium in rebus fidei, & religionis, vbi de illis agebatur, quandoquidem omnes tot diligentijs eos ad suas partes pertrahere conabantur, & eam solàm sententiam, cui finaliter accederent, secum veritatis pondus, ac auctoritatem trahere credebatur. Cuius præter dicta, habemus alia Pseudo Synodi Ariminensis, Ancyranæ, Lampsacenæ, & aliarum exempla, quæ omnes eò intenderunt, vt Romani Pontificis aut assensum, aut approbationem obtinerent, ratæ sine illa nullam in rebus fidei firmam esse posse sententiam. Eadem de ea tantam adhibuit diligentiam Zeno, tantam Anastasius Imperator, vt Enoticon, de quo supra sæculo quinto, à Romanis Pontificibus approbaretur; tantam Iustinianus cum Papa Vigilio, vt tria capitula, de quibus sexto sæculo, damnaret; adeo vt manifestiùs nunquam, quàm in hoc casu apparuerit, quantum valeat in vtramque partem Romani Pontificis auctoritas. Quamdiu enim Vigilius in prima sua perseuerauit sententia, quæ tria capitula non damnabat, Iustinianus nihil penitus, nec sui promulgatione edicti, nec Episcoporum Orientalium in V. Synodo congregatorum consensu profecit. Verùm statim ac re composita, sublataque omni suspicione Vigilius tria capitula damnari permisit, & Synodo assensit, eamque confirmauit, nullus fuit, qui edictum Iustiniani non admiserit, & sententiæ Patrum acquieuerit.

Aduersarij haud ignorantes vim huius argumenti ex iure appellationum Pontificem debeat esse supremæ auctoritatis spiritualis prærogatiua, indeficientisque iudicij in rebus fidei priuilegium, si semel verum sit ad eum toto orbe licere prouocare in rebus fidei, & religionis, debereque ab illo expectari vltimam rerum controuersiarum definitionem; totis viribus id ipsi non conuenire nituntur ostendere, pluraque in hunc finem adducunt; ex quorum solutione, & explicatione, quia rem totam clariorem, adhuc fore spero, ea nolui hìc omittere.

Primùm igitur obijciunt sub Felice I. circa annum Domini 273. appellationes Episcoporum vnanimi consensu attributas fuisse Episcopis prouincialibus; peregrina autem iudicia, id est aliorum, quàm Episcoporum omnino prohibita: non igitur ius appellationis singulariter, aut vniuersaliter ad Romanum spectat Pontificem.

Respondetur Felicem, vt patet ex eius actis, quatuor epistolas conscripsisse; Primam ad Paternum Episcopum; Secundam ad Episcopos Galliæ: Tertiam ad Benignum; Quartam verò, cuius fragmentum superest, ad Maximum, & Clericos Alexandriæ. In prima pro iure appellandi ad Romanum Pontificem hæc habentur verba, vt iam supra in tertio notauimus sæculo; [Si quis super quibuslibet criminibus Clericum pulsandum crediderit, in prouincia, in qua consistit ille, qui pulsatur, suas exerceat actiones.] Et

pau-

paulò post. [Ille verò, qui pulsatus fuerit, si iudices suspectos habuerit, liceat appellare Primates: Primates quoque accusatum discutientes Episcopum, non ante sententiam proferant damnationis, quàm Apostolica freti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per innocentes, & canonicè examinatos regulariter testes conuincatur, aliter irritam censemus, & inanem Episcoporũ damnationem.] Idem quoque docet tertia ad Benignum epistola, asserens; [semper dubia, & maiora negotia, terminum à Sancta Sede Apostolica, à tempore Apostolorum, qui eam suis documentis instruxerunt, accipere consueuisse, &c.] Vnde satis constat, qua ratione intelligendum sit quod in epistola secunda Felicis, ad Galliæ Episcopos, ex 70. Episcoporum consilio, causarum cognitio, & dijudicatio Episcopis prouincialibus attributa fuerit, ex auctoritate nimirum Apostolica; ita vt tunc lites, & accusationes illas Episcopi prouinciales, tamquam Sedis Apostolicæ delegati terminarentur; Et sic etiam pro quibusdam casibus sess.2. Concil. Trident.cap.10.& sess.23.cap.2.omnis ad Romanam Curiam appellatio præscinditur, & extremum iudicium Episcopo loci, tamquam Romanæ Sedis delegato, committitur; Hoc autẽ nihil penitùs obstare, quinius admittendarum appellationum singulariter, ac vniuersaliter ad Romanum spectet Pontificem, quinque in eo illibatum semper remaneat; non minùs quàm in supremis Principibus laicis, etiam si supremis Curijs, seu parlamentis auctoritatem omnium sui fori controuersiarum definiendarum committant, manifestè patet. Cùm enim iustæ appellationum causæ sint iudicium improbitas, vel imperitia, vbi videret Summus Pontifex in Episcopis, aut Primatibus neutram existere, citra vllum iuris sui dispendium, posset illis, causas omnes, etsi grauissimas extremo terminandi iudicio facultatem impertiri præterquam in rebus ad fidem spectantibus definiendis, tale enim priuilegium à se abdicare, vllique alteri delegare nequaquam potest.

Objicitur secundò: dictum ius admittendarum appellationum, à Sardicensi dumtaxat Concilio, non autem à Christo fuisse Summo Pontifici collatum; malè igitur, ex tali iure non diuinitus, sed humanitus concesso, colligitur suprema eius auctoritas, eaque infallibilis, vbi pro rebus fidei eiusdem iudicio sistitur.

Verùm huius obiectionis vanitas, ex eo patet, quod vt statim vidimus ex Felice I. nec non ex alijs superius dictis, longè ante Concilium Sardicense, variæ Episcoporum, & Presbyterorum appellationes ad Apostolicam Sedem in vsu fuere; vt Marcionis ad Pium I. Fortunati,& Felicis in Africa ad Cornelium; Basilidis Hispani, & ab Hispaniæ Prælatis depositi ad Stephanum; Athanasij denique ad Iulium I. Non igitur à Sardicensi Concilio primam originem habuerunt appellationes, quasi illud potestatem fecerit Romano Pontifici illas admittendi; quin eam potiùs jam antea illi conuenisse manifestè supponit, ejusque dumtaxat vsum declarat. Dubitantibus enim aliquibus, num Ecclesiæ vniuersali conducerent huiusmodi ad Romani Pontificem appellationes, ne si indifferenter omnes admitterentur, nullus esset litigandi finis; & è contra, si omnes adimerentur, inferiores iudices, quales sunt Episcopi, in tyrannidem suam potestatem conuertendi, occasionem sumerent, in præfato Concilio conclusum fuit, pro appellationibus admittendis, tamquam Ecclesiæ gubernationi apprimè conducentibus præscriptusque, modus illas admittendi, sub beneplacito adhuc Sedis Apostolicæ, vt patet ex cap. 7. vbi expresè dicitur. [Erit in potestate Episcopi, nempè Romani, quid velit, & quid æstimet; talia enim verba, & cætera tam in præfato capite, quàm in tertio, & quarto contenta, manifestè constat, ad formam iudicij exercendi, non ad iuris, potestatisque concessionem referri; mittere nempè, vel non mittere à latere suo presbyterum, si crediderit Episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant. Vnde Socrates lib.2.histor.cap.11. mentione facta huiuscemodi canonum Concilij Sardicensis, de appellationibus Episcoporum ad Sedem Apostolicam subiungit editos fuisse:[Propter prærogatiuum ius, quod præter cæteras Romana Ecclesia obtinebat;[Sozomenus verò lib.3. cap.7.narrat Iulium Romanum Pontificem, cùm propter Sedis suæ dignitatem, cura omnium ad ipsum spectaret, singulis ab Arij fautoribus pulsis suas Ecclesias restituisse; quia nimirum iure diuino Papa est Summus Ecclesiæ iudex, Christique Vicarius vniuersalis, ad quem consequenter causæ omnes graniores, & quæstiones difficiliores referri debent, possuntque Episcopi iniuriam passi prouocare, vt patet ex Christi verbis Pasce oues meas, per oues enim agnorum matres, rectè intelliguntur Episcopi, quibus ex officio incumbit, filios spirituales Christo in dies suscitare.

Tertiò objicitur; agitata in Concilio IV. Africano ista de appellationibus controuersia, occasione Apiarij Africani, qui Zozimum appellaret, cùm huius Legati ius appellantis tuerentur, obstiterunt Africani Patres negando licere per Concilium Nicenum; quibus cùm Legati responderent omninò licere, & duos canones præfati Concilij Sardicensis, pro Nicænis adducerent: decreuerunt Patres, inter quos erant Augustinus, & Alipius, vt seruarentur acta Pontificis, vsque ad diligentiorem inquisitionem Concilij Nicæni. In quo cùm illi canones inuenti non fuissent ad Bonifacium Zozimi successorem ijdem scripserunt, ne vellet eiusmodi appellationes admittere; Atsi tale ius Romano Pontifici diuinitùs cum potestate clauium collatum fuisse Patres Concilij credidissent, nec ipsi ita se illi opposuissent, aut illud in Nicænis Canonibus quæsiuissent; nec Faustinus Zozimi Papæ Legatus, ad illius probationem Canones Sardicenses loco Nicænorum produxisset; qui tamen à Concilij Patribus haud recepti fuere; Igitur non solùm non diuino, sed nec Ecclesiastico iure videtur competere Romano Pontifici causas appellantium admittere.

In cuius adhuc confirmationem facit, quod in Concilio Mileuitano sub Innocentio I. Zozimi prædecessore celebrato, cui etiam Sanctus Augustinus, interfuit, cap 22. habetur; [Qui ab Episcopis prouocandam putauerint,

uerint, non prouocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates prouinciarum suarum; ad transmarina autem, (quo nomine Sedem Romanam intelligit,) qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem recipiatur.] Immò longè ante diuus Cyprianus libro primo Epistolarum, epist.3. huiusmodi extra prouinciam appellationes improbans ait: [Oportet eos, qui præsunt non circumcursare &c. Sed agere ibi causam suam, vbi, & accusatores habere, &. testes sui criminis possunt. Eòque magis quo, vt ad Cęlestinum Pontificem Bonifacij successorem, Africani quoque scripserunt Patres, non est credibile, Deum vni alicui iustitiam inspirare, eamdem vero plurimis in Concilio congregatis Sacerdotibus denegare.

Respondetur hanc obiectionem nullius roboris esse aduersùs doctrinam catholicam, qua defendimus quidem ius appellandi ad Romanum Pontificem, non autem abusus, qui occasione illius interdum contingere possunt, aut in modo, aut in causis appellationum, cum in his priuilegio non gaudeat infallibilitatis; quemadmodum enim, licèt ad fidem pertineat, quòd Summus Pontifex excommunicandi, ferendique leges potestatem habeat, aliquando tamen illa imprudenter vti potest, ita quoque dici potest de iure appellandi, æquè per defectum, vbi v.g. nullas omninò admittere vellet appellationes, non obstante quòd vna sit, & magna pars muneris pastoralis; ac per excessum, vbi nimirum omnes indifferenter acciperet, absq; vllo delectu, & discrimine, indeque impij ad liberiùs peccandum excitarentur, aliaque similia incommoda consequerentur; In quem sensum diuus Bernardus libro tertio de consideratione ad Eugenium ita loquitur: [Quousque non euigilat tua consideratio ad tantam appellationum confusionem? ambitio in Ecclesia per te regnare molitur, præter ius, & fas, præter morem, & ordinem fiunt.]

Ad argumentum igitur neganda est maior, dubitatio enim illa, vel controuersia Africanorum Patrum, & inquisitio Canonis Nicœni, quasi eo iure appellatio ad Romanum Pontificem visa esset, non fuit de ipsa appellatione, vt ita dicam, quo ad substantiam, vel de appellatione iusta, & idonea, quasi præfati Patres illam tollere, aut improbare voluerint, & ad eius probationem Nicœni, alteriusue Concilij auctoritatem expetierint: sed de illa solùm quo ad modum, dolosèque, & fraudulenter facta: cuiusmodi erat illa Apiarij, & Celestij, minùs congruo modo suscepta, & acta, nempe missis Roma Legatis à Latere, cum pompa, & satellitio, manuque, vt dicitur, armata; id enim, cùm alienum prorsùs à paterna charitate, & pastoritia clementia videretur, ipsis displicuit; & forsan, vt illud excusarent Legati, Canones Sardicensis Concilij, quibus appellationes ad sedem Romanam continentur, sub nomine Canonum Nicęnæ Synodi à Zozimo missos protulerunt.

Quam interpretationem, aut aliam similem, saluo appellationum iure ad Sedem Apostolicam, si non admitteret, sicut re vera admittit, præallati Concilij factum, cui aliud simile in causa Antonij Fussalensis Episcopi apud Augustinum Epistola 262. statim adducemus, liberè concedendum esset, turpiter illud aberrasse contra certam vniuersalis Ecclesiæ in hac re traditionem, temerèque voluisse à Maiorum suorum vestigijs, & exemplis recedere; siquidem paucis ante hoc annis, Stephanus Numidiæ Archiepiscopus, alijque Africani in tribus Concilijs congregati, ad Damasum Pontificem, vt suo iam loco notauimus, expressè scripserant, neminem Episcopum, quantùmcumque disiunctum, nisi consulto Romano Episcopo damnari debere, & omnes grauiores causas ad illius sacrum tribunal esse referendas; Et in praxi, nulla fortasse Ecclesia frequentiùs ad Romanam Ecclesiam appellasse videtur, quàm Africana, vt mox Cypriani, & Augustini, quos aduersarij maximè nobis opponũt, testimonijs ostendemus; immò quòd tã frequẽs erat in ea vsus appellandi, inde abusus exortus est, quẽ præfati Patres locis superiùs citatis improbant.

Cur autem pręfati Concilij Patres, Canones Sardicensis Concilij, pro iure appellationum ad Sedem Apostolicam, sub nomine Canonum Nicœnæ Synodi à Zozimo Papa per suos legatos, vt diximus, ad illud missos, recipere noluerint: Respondent aliqui id contigisse, quia Conciliũ Sardicense Oecumenicũ non fuit, verùm talis responsio est falsa, fuit enim Sardicense Concilium propriè Oecumenicum, si vnquam aliquod tale extitit; concurrentibus in illo omnibus, quę ad rationem Concilij Oecumenici desiderantur. Primùm 300. Episcopi ex Oriente, Occidente, & Septentrione illuc, ex Athanasio, in historia, quam de eo scripsit, congregati sunt: nec defuit auctoritas Romani Pontificis, illi enim nòmine Iulij Osius Episcopus Cordubensis, Archidamus, & Philoxenus Presbyteri, & Protogenes Sardicensis præfuerunt; vt causa Athanasij, de qua iam Iulius ipse iudicauerat, ex ipsius consensu denuò tractaretur, & ad iustitiæ normam examinata vltimo iudicio definiretur, vt contigit, Athanasio innocente declarato, simulque ea, quæ ad vniuersam religionem toto orbe propagandam spectarent, constituerentur. Quamobrem meritò vocatur ab Athanasio apolog.2. [Instar Nicænæ magna Synodus.] Ab Augustino epist. 162. [Plenarium vniuersæ Ecclesiæ Concilium.] A Seuero Sulpicio lib.2. histor. [Concilium ex toto orbe conuocatum,] & à Socrate lib.2. histor. cap. 16. Generale Concilium. Quod etiam ex fine apertè constat, vbi dicitur: [Vniuersa, quæ constituta sunt, Catholica Ecclesia in vniuerso orbe diffusa custodiat.] id enim Patres Concilij numquam pręcepissent, si Concilium dumtaxat prouinciale fuisset: cum prouincialia, aut nationalia Concilia numquam id sibi arrogarint, vt totum orbem suis decretis, ac legibus obligarent.

Respondetur ergo secundò, quòd nonnulli Patres Orthodoxi Sardicense Conciliũ in vniuersum reiecerint, neque in Africano Concilio illius Canones, allati à Faustino Zozimi Papæ Legato, recepti fuerint, causam fuisse primò, quòd cùm quo Sardicensia Concilia circumferantur, vnum legitimum, alterum verò spurium, & illegitimum ab Arianis, Philippopoli ab vrbe Sardica, monte dumtaxat separata celebratum, & ementito

nomine Sardicense appellatum, hoc posterius pro priori acceperunt: Vel etiam secundò, quia non duo Concilia Sardicensia, sed vnicum ab Arianis celebratum putauerunt, si quidem Ariani ex Concilio Sardicensi fugientes, ad Vrbem Philippi in Tracia sitam se contulere, & ibi conciliabulum fecere, cuius, vt acta faciliùs per Ecclesiam, tamquam legitima disseminarent, ea sicut si in vrbe Sardica, Oecumenico Concilio iam praeclara acta fuissent, Ariani Constantij Imperatoris patrocinio fulti, & confisi falsò promulgare ausi sunt; indeque multi fideles decipi potuerunt, & inter eos Africani Patres, dum nullum aliud Sardicense, praeter istud Arianorum Concilium esse putantes, Canones à Faustino Zozimi Legato citatos tamquam spurios, & illegitimos reiecerunt.

Si autem inquirat aliquis, cur tres Canones Sardicensis Concilij, quos Zozimus Papa Africanis Patribus, pro iure appellationum per suos Legatos misit, nomine Nicoenorum Canonum insignierit? Responsio est in promptu, primò quia dicti Canones priùs Nicaenae Synodi esse potuerunt, postea verò renouari à Sardicensi; qui licèt in exemplaribus Concilij Nicoeni, quae prae manibus Africani Patres habebant, non inuenirentur, poterant tamen cogitare multos alios Canones à Patribus Orthodoxis, & etiam ab ipsismet Africanis obseruatos, in his quoque exemplaribus, non extare: vt Canonem illum, cuius mentionem facit Augustinus epist. 110. tamquam Nicoenae Synodi: Ne, scilicèt, [Episcopus sibi successorem faciat.] Et alium à Concilio Carthaginensi citatum: [Ne quis, nisi ieiunus, sacrificet:] Qua de causa putant aliqui praefatos Patres temerè, nimisque audacter Canones Sardicenses à Zozimo, tamquam Nicoenos productos reiecisse, vt vidimus supra. Secundò respondetur Zozimum Papam id fecisse, quia olim Nicoenum, & Sardicense Concilium vnum, & idem habebatur, cum paruo temporis interuallo, viginti nimirum annis à se inuicem distarent, & ijdem ferè Patres vtrique interfuissent, idem praefuisset Legatus Apostolicus, Osius Episcopus Cordubensis, nihilque aliud in Sardicensi, quàm quod in Nicaeno praescripsisset; si quidem eius Canones, vel explicarunt tantùm, vel iterato suo calculo corroborarunt; qua etiam ratione Constantinopolitana Synodus contra Macedonium pro diuinitate Spiritus Sancti, plerumque vocatur Nicoena, quia est explicatio eius. Inde Canones vtriusque Concilij Nicaeni, & Sardicensis in Romana Bibliotheca, & in quodam vetusto exemplari, quod Dionysius ante mille annos è Graeco in Latinum conuertit, quodque etiamnum Atrebati, in Monasterio Sancti Vedasti extare dicitur, ita coniuncti habentur, vt vnius & eiusmodi Concilij appareant.

Ad confirmationem ex Canone 22. Mileuitani Concilij desumptam, respondetur illum de inferiori Clero, non de Episcopis loqui; clarus, si quidem est Canon quintus Nicaeni Concilij, [vt per Episcopos Prouinciae, & per Concilia eiusdem Clericorum inferiorum causae terminentur.] Idemque in Sardicensi Concilio canone 17. statuitur, sed, & Iulius, Papa inferiori Clero priuilegium hoc esse concessum meminit epistola secunda ad Orientales Episcopos cap. 17. quin, & tertij commonitorij Papae Zozimi caput est, inferiorum Clericorum causas, si à suis excommunicati perperam fuerint, apud finitimos Episcopos tractari; Quod adhuc totum factum esse, & idem à fortiori dici debet, si etiam pro Episcopis, quid simile statutum reperitur in certo aliquo casu, v.g. condemnatione Episcopi ab omnibus collegis prouincialibus vnanimiter facta, quòd ab eo appellare non possit, vt videtur habere can. 5. Concilij Antiocheni; talia, inquam, statuta, vel permissa fuisse, ad euitanda peregrina iudicia, quaeque inde oriri solent incommoda, non autem ad Romanae Sedis auctoritatem, vlla ex parte minuendam, aut euertendam, quasi ius appellationum ad illam non pertineret, clarissimè definit Fabianus epist. 3. c. 2. [Peregrina iudicia, salua in omnibus Apostolica auctoritate, generali sanctione prohibemus, quia indignum est, vt ab externis iudicetur, qui prouinciales, & à se electos debet habere iudices, nisi fuerit appellatum.] Ex hac enim restrictione, quam habet etiam Innocentius I. epistola 2. alijque Pontifices, [Salua in omnibus Apostolica auctoritate, & nisi fuerit appellatum,] euidens est omnium Ecclesiasticorum causas per viam appellationis posse à Summis Pontificibus cognosci, & iudicari; sique de facto in aliquibus regnis, aut prouincijs tali aliquando iure vsi non sunt, nec vtuntur, id singulari priuilegio tribuendum esse, quòd vt ab illis liberaliter fuit concessum, ita quoque iuxta ex causa reuocare potuerunt, ac possunt.

Quamuis etiam dici possit huiusmodi statuta de non appellationibus vbi reperiuntur, intelligenda esse, vt cùm semel Patriarcha, vel Primas in rebus praesertim minoris momenti iudicauerit, ampliùs in Prouincia illa Patriarchali, vel Primariali non appelletur; semper tamen illaeso manente iure communi, cui nullus illi inferior derogare potest; secundùm quod, vt toties vidimus, debet ad Sedem Apostolicam per appellationem confugi, saltem pro maioribus, & grauioribus causis, nec non etiam minoribus, quando pars laesa vellet ab ea audiri, & iudicari, vel in casu, quo nullus in Prouincia Patriarcha, aut Primas, nec Metropolitanus esset, vt expressè docet diuus Gregorius in Regist. lib. 2. epist. 54. mentionem faciens constitutionis Iustiniani Imperat. Codice in authentica de sanctissimis Episcopis, collatione noua; qua dum decernit, vt controuersijs Ecclesiasticis [Patriarcha secundùm Leges, & Canones finem praebeat:] quam eamdem posteà Legem retulit Leo Imperator; Canones autem ius appellationum ad Sedem Apostolicam disertè statuant; manifestè constat talem Iustiniani constitutionem, & Leonis de iure Summi Pontificis nihil planè detraxisse, tantumque intendisse, vt cùm semel Patriarcha iudicasset, ampliùs in Prouincia illa Patriarchali non appellaretur; aut etiam extra ad Magistratus seculares, vt mox dicemus; non autem quin ad Petri Sedem appellari posset; aliàs, iniqua, & violenta censeri deberet huiusmodi sanctio; sicut etiam malè quis inferret, Principes, Magistratusque seculares de

cau-

causis Ecclesiasticis posse denuò cognoscere sine potestatem, secluso omni Sedis Apostolicæ priuilegio, recipiendarum appellationum in causis Ecclesiasticorum habere; eo quod Donatus ad Constantinum Imperatorem à iudicio Episcoporum; imò quod in cælum vsque aliqui politici attollunt, ab ipsius Papæ Melchiadis iudicio appellarit, vt post Optatum lib. 1. refert August. epist. 162. Item Athanasius ad eumdem, vt ipsemet scribit Apolog. 2. qui appellatione acceptata, ad Episcopos Tyri coactos rescripsit, [vt sine mora ad pietatis suæ castra properarent, ac re ipsà quàm rectè, ac sincerè iudicassent, ostenderent, idque coram ipso &c.] Ad Imperatores autem Valentinianum, & Theodosium prouocasse refert Socrates lib. 1. cap. 33. Flauianum à Dioscoro Patriarcha condemnatum.

Hæc enim, & alia similia, si quæ afferrentur exempla, nihil penitùs officiunt iuri Sedis Apostolicæ in fauorem Principum secularium, cùm tales appellationes, si in rebus, & causis merè Ecclesiasticis factæ fuissent, nullæ omninò, & illegitimæ censeri deberent: excusari autem, vbi à sanctis aliquibus viris interiectæ legerentur, vt se in rebus, & causis, præsertim ciuilibus, contra præsentem aliquam persecutionem, externasque iniurias communirent; vt de S. Athanasio constat, qui homicidij, sacrilegij, reique frumentariæ iniquè ab Arianis accusatus, ad Imperatorem Constantinum prouocauit, non à Synodo, sed malignantium conuentu, vt ipsemet tota sua Apologia testatur, & præcipuè his verbis: [Preclari Eusebiani, vt veritatem, scriptaque sua obliterent, nomen Synodi suis actis prætexerunt, cùm res ipsa negotium Imperatorium, non Synodale haberi debeat; quippè vbi Comes præsideat, & milites Episcopos suo Satellitio cingant, & Imperatoria edicta, quos ipsi volunt, coire compellant.] Quod idem confirmat Alexandrina Synodus: [Cùm nihil, inquit, culpæ in comministro nostro Athanasio reperirent, Comesque summa vi imminens, plura contra Athanasium moliretur, Episcopus Comitis violentiam fugiens, ad religiosissimum Imperatorem ascendit, deprecans, & iniquitatem hominis, & aduersariorum calumnias, postulansque vt legitima Episcoporum Synodus indiceretur, aut ipse suam audiret defensionem.] En quomodò Athanasius ad Constantinum recurrit, non quòd illi ius appellationum in causis Ecclesiasticis competere crederet, sed vt à violenta sententia, quæque via facti procedebat, & cui ferendæ Comes præfuerat in materia ciuili se defenderet. Vbi enim actum est de sua postmodùm à Concilio Eusebianorum depositione, vna sine dubio ex maioribus Ecclesiæ causis, tunc cum alijs Episcopis ab Arianis è suis sedibus etiam pulsis, ad Summum Pontificem Iulium I. appellauit; qui non humana fretus potentia, vt ineptè dicunt aliqui, sed, vt iam notauimus ex Sozomeno lib. 3. cap. 7. [Cùm propter Sedis dignitatem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suas Ecclesias restituit.].

Eodem modo Flauianus, à vi sibi à Dioscoro illata ad Imperatores Valentinianum, & Theodosium prouocauit, eodemque tempore à Synodali eius condemnatione ad Leonem Papam; vndè patet ipsum statum vtriusque causæ sua appellatione distinxisse; nam pro vi externa ad Imperatores, pro Synodali verò condemnatione, quæ erat Ecclesiastica sententia, ad Leonem Pontificem, propter prærogatiuum ius, quod præter cæteras Romana obtinet Ecclesia legitimè, tamquam ad sacram anchoram, siue asylum per appellationem confugit.

Eamdem aliqui responsionem adhibent, quòd Donatus in causa Cæciliani ad Constantinum appellarit in causa merè ciuili, verùm quidquid sit de tali causa, dicerem ego homini schismatico, & hæretico omnia per fas, & nefas licuisse; Cæterùm quid de huiusmodi appellatione senserit Constantinus, quidque ad eius exemplum Principes Christiani sentire, & quo pacto se in talibus casibus gerere debeant, doceat nos Augustinus, & Optatus. Augustinus siquidem epist. 166. ita loquitur: [Post iudicium Episcoporum de causa Cæciliani cognouit Constantinus, non quia necesse erat, sed vt eorum, nempè Donatistarum, peruersitatibus cederet, omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere, nec quia hoc ius ad eum pertineret, sed vt expresè hic ait, à Sanctis Antistitibus posteà veniam petiturus.] Optatus verò Mileuitanus lib. 1. contra Parmenian. refert Imperatorem aduersùs ipsos Donatistas exclamasse: [O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.]

Redeundo iam ad auctoritatem Cypriani, in confirmationem tertiæ obiectionis adductam, respondeo Sanctum Episcopum, ac Martyrem, nequaquam ibi rem, aut ius appellandi ad Romanum Pontificem improbasse, sed modum dumtaxat, & causam, quodque crederet non decere conuictos, & damnatos hæreseos, & schismatis, atrocissimorumque scelerum, quales erant Fortunatus, & Felicissimus, de quibus in illa epistola loquitur, à Concilio Romam prouocare, accusando iudicium, & calumniando sententiam. Hanc autem esse Diui Cypriani mentem, non solùm colligitur ex illa eadem epistola ad Cornelium, vbi inter alia hæc habentur verba: [Post ista adhuc insuper Pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri cathedram, vndè vnitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis, & prophanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum? Quæ autem causa veniendi, & Pseudo-Episcoporum contra Episcopos factum nunciandi &c.] non solùm, inquam, hæc verba ostendunt quod dicimus, sed quæ insuper aliàs scripsit, & gessit; primùm enim detulit ad Clerum Romanum tempore interpontificij, mortuo Fabiano Ecclesiæ clauo assidentem causas lapsorum, eumque de gestis à se edocet: eidem quoque exposuit causam Luciani; posteà verò electo iam Cornelio, scribens illi quomodò se gesserit Ecclesia Africana cum lapsis pænitentibus hæc habet [Quod credimus vobis quoque paternæ misericordię contemplatione placiturum;] quid enim velle Cyprianum sui rationem Cornelio;

reddere, gestaque à se illi placere? quid hæc cum Romana Ecclesia,& non cum alijs communicare, & ita ad illam recurrere, nisi fateri, & agnoscere ibi tantùm esse caput, & fastigium totius spiritualis potestatis; vndè quandò asserit ab omnibus constitutum, vt illic causa audiatur, vbi crimen est admissum, solùm intendit, causam ibi primùm discutiendam, & iudicandam esse, nisi sit vna forsan ex maioribus, quod libenter admittitur, nihilque obstat quominùs secundò alibi iudicetur; si enim rigidè dictum Cypriani sumeretur, nullis ferè appellationibus locus esset, nisi qui extremo iudicio causam terminat, in eo, in quo crimen commissum est loco demoraretur, quod quàm rarum sit, ac difficile nullus est, qui non videat.

Sanctum pariter Augustinum, nonnullorum appellationes, quippè qui hominum manifestissimis criminibus iam conuinctorum, & iudicatorum ægrè tamen tulisse, nec non modum illum mittendi Legatos à latere more militari haud probasse, numquam tamen dixisse, aut tenuisse absolutè, non licere ad Summum Pontificem transmarinum prouocare, duo præclarissima demonstrant exempla; Primum habetur epistola 262. in causa Antonij Fussalensis Episcopi, qui cùm opera Diui Augustini Fussalæ oppido Diœcesis Hipponensis præfectus fuisset, posteà verò ob multa, & grauia ab eo perpetrata scelera depositus à Patribus Numidiæ Prouinciæ, de hoc apud Bonifacium per literas conquestus est: quo rescribente, vt si vera referret restitueretur, mansit priuatus ob falsam narrationem. Mortuo interim Bonifacio, iterum scripsit Cælestino successori, & sparsit in vulgus ab eo se per vim restituendum, missis etiam apparitoribus,& satellitibus ad cogendum armis populum Fussalensem, si minùs vellet obedire. Qua fama commotus Augustinus scripsit quoque ad Celestinum epistolam omninò ad præsens institutum legendam; si quidem in ea clarè fatetur Romano conuenire Pontifici ius appellandi, solùmque adductis aliorum exemplis, qui Romam prouocarant, & sine tumultu depositi fuerant, ac sine cunctatione obedierant, nimirùm Prisci Cæsariensis Primatis, & Victoris, & Laurentij Prouinciæ Cæsariensis Episcoporum; Cęlestinum hortatur ne velit credere Antonio Fussalensi, qui nullo iure querebatur de pœna sibi inflicta, quod est adhuc euidens argumentum, Augustinum in Romano Pontifice prædictum ius agnouisse, deindè illud ab eo deprecatur, quod vim præseferre videbatur, vt patet ex eius epistola in fine, qua nihil humilius, ac subiectius, tantum abest, quod vnquam in dubium reuocauerit ius ad Sedem Apostolicam appellandi: [Accipe nunc, inquit ad Cęlestinum, quæ post eius sanctæ memoriæ viri (Bonifacij papæ) literas gesta sunt, & subueni hominibus opem tuam in Christi misericordia multò auidiùs, quàm ille poscentibus: à cuius inquietudine desiderant liberari. Iudicia quippè illis, & publicas potestates, & militares impetus, tamquam executores, Apostolicæ Sedis sententiam siue ipse, siue rumores crebrerrimi comminantur, vt miseri homines Christiani Catholici grauiora formident à Catholico Episcopo, quàm cùm essent hæretici à Catholicorum Imperatorum legibus formidarent. Non sinas ista fieri obsecro te per Christi sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum Præpositos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres. Ita D. Augustinus Cęlestino, non vt par ad parem, sed minor ad maiorem, subditus ad superiorem.

Aliud exemplum habetur in causa Primi Diaconi Spaniensis Ecclesiæ, de qua idem Augustinus epist. 169. ad Eusebium ita scribit. [Si malè facio per tuam beneuolentiam ista corrigenda curare, de me nullus queratur, si hæc illi perferri in notitiam per codices publicos fecero, qui mihi negari, vt arbitror in Romana ciuitate non possunt.] Querebatur enim Proculianus, qui nolebat Priscum perditum hominem condemnare, de Augustino quod vellet communi Episcoporum opera eum ab Ecclesia remouere; qua in re Eusebio se remissiùs gerente, & minùs fortasse Augustino assentiente, scripsit ad eum Augustinus monens, si obtinere correctionem in Africa non posset, Romam pro ea obtinenda missurum, vt iudicio Sedis Apostolicę controuersia finiretur. Quo sanè facto satis ostendit se de iure appellandi non dubitasse, seque de illo gaudere velle, & vti, nec quemquam de se queri posse, quòd ad Romanum Pontificem causas Africanorum, cùm terminari rectè non poterant, tamquam ad supremum Ecclesiæ Pastorem deferret, nec ille tunc quærebat Canonem Concilij Nicæni, quo niteretur, sed altius in Christi doctrina, & traditione Ecclesiæ principium habens operabatur. Vndè plusquam satis constare puto, quod dixi supra, controuersiam nimirum Concilij Carthaginensis, cui Diuus interfuit Augustinus, non extitisse de ipso iure appellandi, sed de certo quodam modo & forma; priuato scilicèt, & suspecto homine, iudicium vnius integri, & iusti Concilij improbante, & fugiente, nec non petente in Africam mitti legatos cum satellitio more militari; de quo sine iniuria Sedis Apostolicæ dubitari cùm posset, an liceret, & quamuis interdùm iustè fieri posset, an ita expediret; hoc propterea Decreto, & Canone grauissimi Concilij sibi ostendi Patres petebant.

Quod autem idem Patres Africani ad Cęlestinum scripserint, non esse credendum vni Deum inspirare iustitiam, & plurimis in Concilio congregatis eam denegare, respondetur hanc propositionem, quidquid sit de quæstionibus facti, quales sunt illæ, quæ pro Tribunalibus discutiuntur, de quibus aliqui eam esse intelligendam volunt, si de quæstionibus iuris intelligeretur omnino falsam esse, cùm, vt huc vsque probauimus, Pontifex à Christo hoc priuilegio, præ omnibus Concilijs prouincialibus, donatus fuerit, vt nihil quidquam contra veritatem, tam in fide, quàm in moribus possit definire: sique insuper præfati Patres hac sua propositione appellationes ad Summum Pontificem infirmare voluerunt, in eo temerè egerunt, recedentes, vt vidimus, à maiorum suorum vestigijs, & exemplis, sanctæque Sedis Apostolicæ primatum offendentes; quia Summum Imperium penes eum est, ad cuius tribunal prouocatur, & à quo

amplius prouocari non licet: sic enim definitur appellatio, ius, quo interim prima sententia extinguitur, vel suspenditur, & iterum causæ cognitio ad Iudicem superiorem deuoluitur. Absque cuius tamen supremi iudicij, vel auctoritatis læsione, Summi Pontifices aliquas interdum appellationes recipere noluerunt, vel quòd de integritate iudicij iam in partibus facti, vel de iudicum probitate, ac peritia priusquam fieret non dubitarent, ac proinde absoluendum illis reliquerunt; vel etiam iudicibus à se in partibus delegatis causas ibi, aliquando vsque ad sententiam definitiuam inclusiuè, aliquando exclusiuè, iuxta earum grauitatem, examinandas, vel terminandas commiserunt, cum propter locorum distantiam, testes, accusatores, ipsæque partes Romam promiscuè commeare non possent. Tantùm de iure appellandi ad Sedem Apostolicam occasione Concilij Lateranensis hoc seculo celebrati, in quo de illo agitur, rectèque colligitur suprema Romani Pontificis auctoritas, eaque infallibilis in rebus fidei, vbi pro illis definiendis appellationes fiunt.

In Concilio Lugdunensi hoc etiam seculo celebrato Innocentius IV. Fridericum Imperatorem condemnaturus hæc præfatur. [Ad Apostolicæ dignitatis apicem, licèt indigni, dignatione diuinæ maiestatis assumpti, omnium Christianorum curam vigili, sedulaque solertia gerere, ac intimæ considerationis oculo singulorum facta, & dicta discernere, & prouidæ deliberationis statera librare debemus, vt quos iusti rigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus, & euehamus fauoribus; quos autem reos, & culpabiles inuenerimus, pœnis debitis pro grauitate culpæ afficiamus, & deprimamus:] quæ sanè verba sunt habentis supremam in Ecclesia vniuersali auctoritatem spiritualem.

Primum in hoc seculo, post Summos Pontifices, & Concilia, testem pro suprema Romanorum Pontificum in vniuersali Ecclesia auctoritate, eaque infallibili, vbi dubia fidei ex cathedra declarant, audire libet Christianissimum Galliarum Regem ad Innocentium Papam III. scribentem cum hoc titulo: [Sanctissimo Patri, & Domino Dei gratia Sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici charissimo consanguineo suo, Philippus eadem gratia Francorum Rex salutem, & tam debitæ, quàm deuotæ subiectionis obsequium;] Qua in inscriptione, aliisque similibus, nec non ipsorummet Romanorum Pontificum in suis decretalibus, aut alibi, quod sint: [Papæ, vel Episcopi Catholicæ Ecclesiæ Romanæ, vrbis Romæ, Romanæ, & Catholicæ, vel Vniuersalis Ecclesiæ, &c.] vt duo extrema sunt accuratè vitanda, primum quòd Summus Pontifex præcisè, vt Episcopus Romæ summam in vniuersali Ecclesia dicatur habere potestatem ac iurisdictionem; aut quod in illa ita Summus Pontifex eam habeat, vt cæteri Episcopi, non sint propriè Episcopi, sed nomine dumtaxat, vicariam vnius Summi Pontificis præfecturam quasi administrando, quæ duo falsa esse iam sufficienter ostendimus supra. Alterum, quòd huiusmodi inscriptiones, vel subscriptiones nihil aliud sonent, quàm hunc, vel illum, v. g. Innocentium, ad quem scribit Philippus, Episcopum esse Romanæ Ecclesiæ, quæ Catholicam Religionem, ac fidem profitetur, vt ridiculè aliqui interpretantur Moderni. In præfatis, inquam inscriptionibus, & subscriptionibus, vt hæc dua vitanda sunt extrema, ita media incedendo via, concludendum est necessariò ex illis, tam à scribentibus, quàm à subscribentibus agnitam fuisse in Romanis Pontificibus supremam in vniuersali Ecclesia auctoritatem, nec non etiam infallibilem in rebus fidei ex cathedra docendis, aut proponendis.

Primum ostenditur, quia ita ratione Episcopatus cæteri Episcopi vocantur fratres, collegæ, comministri Romanorum Pontificum, vt attenta Summi Pontificatus dignitate cum Episcopatu Romano coniuncta, dicantur etiam eorum filij, oues, serui, ipsimet verò Summi Pontifices, Patres patrum, Principes Sacerdotum, habere plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis, & sic de alijs titulis, quibus ad hoc iudicandum tota referta est Ecclesiastica historia: Igitur dum vocantur Sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Papæ, vel Episcopi, non solùm intelligi debet eos esse Episcopos Romanæ Ecclesiæ, quæ Catholicam Religionem, ac fidem profitetur, sed eos præterea, vt Summos Pontifices amplissima in vniuersali, totoque orbe diffusa Ecclesia potestate gaudere. Insuper si tale quid solùm huiuscemodi verbis exprimeretur eodem modo cæteri Episcopi, v. g. Parisiensis posset appellari Sacrosanctæ Parisiensis, & Catholicæ Ecclesiæ Papa, vel Episcopus, quia est Episcopus Ecclesiæ Parisiensis, quæ Catholicam profitetur Religionem, at hoc esse absurdum patet ex intentione, & inscribentium, & subscribentium, qui per talem loquendi modum, & similes, voluerunt aliquid tribuere solis Summis Pontificibus Romanis singulari prærogatiua proprium, nullaque ratione cæteris Episcopis commune; vt manifestè colligitur ex præaddocto Philippi epistolæ ad Innocentium titulo, vbi non solùm quia est Episcopus Ecclesiæ profitentis Catholicam fidem, sed quia insuper supremam habet in vniuersa Ecclesia spiritualem potestatem, ratione cuius omnes fideles, quantauis dignitate Ecclesiastica, & temporali fulgentes, sunt eius filij, eiusque oues, eum Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Summum appellat Pontificem; nec dubitat asserere se illi, vt tali, tam debitæ, quàm deuotæ subiectionis præstare obsequium; & in principio epistolæ ait: [Nouit Sancta Paternitas vestra, nouit & mundus, quomodo nos, & progenitores nostri Ecclesiæ Romanæ obedientiam, reuerentiam, & in omnibus, & per omnia exhibuimus famulatum, &c.]

Secundum quoque explicatur, quod nimirum, vbi Summi Pontifices nuncupantur [Sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Antistites,] inde etiam eorum infallibilitas in rebus fidei ex cathedra docendis argui debeat: tum quia suprema auctoritas spiritualis in Ecclesia essentialiter connectitur cum priuilegio non errandi in rebus fidei decernendis; eo enim ipso, quod talem quis habet supremam potestatem, non potest non esse supremus fidei iudex, animataque eius regula,

gula; vt autem iam multoties notauimus, & ex professo probauimus huius operis lib. 2. sect. 6. supremus controuersiarum fidei iudex necessariò debet esse in illis dirimendis infallibilis, sic petente natura supremi iudicij, nec non rerum ad fidem pertinentium, ob firmum & certum, quem vndequaque requirunt à fidelibus assensum, quibus ad credendum obligatoriè proponuntur. Tum, quia ex dictis sectione huius libri tertia capite vltimo, Romana, & Catholica, siue vniuersalis Ecclesia toto orbe diffusa, quæ Romano paret Pontifici pro tempore existenti, dicuntur ad conuertentiam, vnde sicut extra vnam, ita extra aliam non datur salus, & vtraque est infallibilis, indeque Lanfrancus, qui in Parisiensi Academia scholas rexit, tract. de Eucharistia contra Berengarium: [Beati doctores, inquit, si non ijsdem verbis, tamen sententijs ijsdem multis in locis concorditer adstruxerunt, hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana, & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat:] quod idem longè ante docuerat Alcuinus origine quidem Scotus, sed præceptura Caroli Magni, & Academiæ Parisiensis fundatione Gallus, lib. 1. de diuinis offic. cap. 19. [Religionis cultum sic Dominus instituit, vt in beato Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso, quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare. Vnde constat ab vniuersi orbis communione separatos esse, sicut docet beatus Pelagius, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam secundùm consuetudinem non frequentant.] Cur autem hæretici dicerentur, cur ab vniuersi orbis communione separati, qui à Romana in fidei doctrina discordarent Ecclesia, quique Apostolici Pontificis memoriam non frequentarent, si Romana Ecclesia, Romanusque Pontifex ponerent in numero cum vniuersali Ecclesia in doctrina fidei, possentque consequenter contra illam in hæresim, aut errorem incidere; aliàs etiam, quod hic singulari priuilegio dicitur de Romana Sede, vel Ecclesia, communiter quoque asseri posset de quacumque alia particulari Ecclesia, eum videlicet hæreticum fore, qui à Parisiensi, & vniuersali Ecclesia in doctrina fidei dissentiret, quamdiu nimirum esset vnita cum vniuersali, vt posset quis allatas interpretari auctoritates de Romana Ecclesia, sed cauillosè, in illis enim, & similibus alibi productis, manifestè tribuitur quoddam speciale priuilegium Ecclesiæ Romanæ, quod alijs particularibus Ecclesijs non competit; consistitque in eo, quod licèt ab istis, quamdiù sunt cum vniuersali Ecclesia coniunctæ in doctrina fidei, atque adeo cum Summo Pontifice Romano supremo eius capite, & pastore, discordare quis non possit in eadem fidei doctrina, absque manifesta hæreseos nota; nihilominus, quia huiusmodi particulares Ecclesiæ, ob vniuscuiusque fallibilitatem, non coniunguntur necessariò cum Ecclesia vniuersali, immò præcipuæ ab ea defecerunt, Constantinopolitana, quæ tres hæresiarchas tulit, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana, quæ suos etiam habuere, inde absolutè ab illis dissentire, non est in hæresim incidere: secus autem à Romana, attenta necessaria, quam vniuersali cum Ecclesia habet, connexione, ob infallibilitatis priuilegium vtrique commune, ratione cuius dicuntur ad conuertentiam, ita vt idem sit discordare à Romana, & ab vniuersali Ecclesia in doctrina fidei: cùm Romana Ecclesia, vt de ea in præsenti loquimur, intelligendaque sunt allata testimonia, nihil sit aliud, quàm vniuersalis Ecclesia per totum orbem diffusa, quæ Romano subiecta est Pontifici, tamquam Christi Vicario, Petri successori, supremoque & vniuersali omnium fidelium Pastori. Cuius adhuc satis clarum videtur esse iudicium, quod subindè vniuersalis, subindè verò Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summus seorsim vocatur Pontifex, aut Episcopus.

Vulcanus Diocliæ, atque Dalmatiæ Rex Diuinitùs ad Romanæ Ecclesiæ obsequium reuocatus, ad Innocentium literas cum hoc titulo scripsit; [Beatissimo, atque Sanctissimo Patri, & Domino Innocentio Dei gratia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, & vniuersali Papæ, Vulcanus eadem gratia Dioclíæ, atque Dalmatiæ Rex salutem, & deuotionis affectum.] Qui etiam Eugenio se iam submiserant Gregorius Armeniorum Catholicus, ita vocabatur eorum Patriarcha & Leo Rex minoris Armeniæ nuntios, & literas Innocentio transmiserunt, quibus, quod, vt diximus supra, intellectu difficile videbatur Constantinopolitano Patriarchæ, Romanam scilicet Ecclesiam matrem esse omnium Ecclesiarum, pleno ore, vt rem notissimam certissimamque profitentur. Promulgata Coloniæ Othonis confirmatione in Regem Romanorum, sic quoque eidem Pontifici literas inscripsit: [Reuerendissimo in Christo Patri, & Domino charissimo Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, & vniuersali Papæ, Otho eadem gratia Romanorum Rex, & semper Augustus debitam deuotionem, & fidelem subiectionem: pluresque Germaniæ Principes in literis, quibus Philippum Sueuiæ Ducem de Imperio deiectum falsò conqueruntur, quamuis acerbo, infensoque forent animo, eumdem tamen Innocentium, atque Apostolicam Sedem consuetis gloriæ titulis, attenta suprema, & vniuersali primatus eius auctoritate, ornare non prætermiserunt. [Sanctissimo, inquiunt, Patri, & Domino Innocentio Sacrosanctæ Romanæ Sedis Summo Pontifici vniuersali, Dei gratia Magdeburgensis, Bremensis Archiepiscopi, &c.

At ipsummet Philippum Othonis in Imperio æmulum in suis ad Innocentium literis eiusdem supremæ auctoritatis Pontificiæ, neminique in terra subiectæ testem audiamus. [Item si nos in aliquo vos, vel Sacrosanctam Romanam Ecclesiam (quam, vt præmiserat, nos recognoscimus esse matrem, & dominam omnium Ecclesiarum, & quam nos semper revereri volumus, & honorare sicut matrem nostram Catholicam, & Apostolicam) offendisse videmur, non pro honore Domini nostri Iesu Christi, cuius vicem in terris geritis, & ob reuerentiam beati Petri Principis Apostolorum, cuius Vicarius estis, & ob salutem nostram nos ad satisfaciendum vobis suppo-

supponimus, si verò vos in aliquo nos, vel Imperium læsisse videmini, conscientiæ vestræ super ijs vos relinquimus. Cum enim nos piè credamus, & ante passionem, & post passionem Dominum nostrum Iesum Christum beato Petro Apostolo claues Regni Cœlorum contulisse, & tradidisse ius ligandi, atque soluendi, scimus & protestamur, quòd vos, qui in locum suum cum plenitudine potestatis successistis, in huiusmodi articulis ab homine non estis iudicandus, sed iudicium vestrum soli Deo reseruatur, cuius iudicium & examen, quod sibi soli debetur, nobis non quærimus vsurpare.] En ad hæc vsque tempora diuina transmissa traditio, quòd Summus Pontifex Romanus nullum penitus habeat superiorem in terris, à quo possit iudicari: & cogi,

Cuius primum habuimus exemplum in Concilio pro casu Marcellini congregato, [Prima Sedes non iudicabitur à quoquam:] quam sententiam refert, varijsque etiam testimonijs, & argumentis confirmat Nicolaus Papa I. epist. 1. aliàs 8. ad Michaelem Imperatorem. Secundum in Synodo Romana à Syluestro Papa post baptizatum Constantinum collecta in Thermis Traiani, vbi iuxta illorum temporum traditionem sancitum est, [Vt nemo dijudicet primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede iustitiam desiderant temperari; neque quoque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Iudex iudicetur.] Quod respondent aduersarij suppositum esse hoc Concilium, vt gratis ab illis asseritur, eadem quoque libertate negatur, varijsque eorum coniecturis, preferenda est vnica Summi Pontificis Nicolai I. auctoritas, qui in epistola statim citata ad Michaelem Imperatorem, huius canonis expressam facit mentionem; qui adhuc si præfati Concilij verus canon haud esset, saltem haberemus hanc propositionem non esse, nouum aliquod curiæ Romanæ mancipiorum, vt aiunt, figmentum, sed antiquissimum dogma Ecclesiasticum, & vt tale fuisse à Nicolao allatum, qui ex dicta propositione vniuersali concludit, [satis euidenter colligi, à seculari potestate, nec ligari prorsus, nec solui posse Pontificem.

Tertium habetur exemplum in quarta Synodo Romana Palmari dicta, à loco vbi habita est, nempe à porticu basilicæ sancti Petri, quæ Palmaria vocabatur, vbi cùm Symmachi ad Theodoricum Regem Italiæ Arianum de grauissimo crimine accusati causa tractari deberet, ipseque ad hunc finem visitatorem Ecclesiæ Romanæ dedisset Petrum Altinensem Episcopum. [Memorati Pontifices, vt aiunt acta præfatæ Synodi, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuocare, scientes quia eius Sedi primùm Petri Apostoli meritum, & Principatus, deinde secuta iussione Domini, Conciliorum veneranda auctoritas singularem in Ecclesijs tradidit potestatem, nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio, in propositione simili facilè forma aliqua testatetur.] Quibus verbis duo significantur primum, ab eo, qui dicebatur impetitus, Symmacho nimirum Romano Pontifice, conuocandam fuisse Synodum; secundùm, Apostolicæ Sedis Antistitem minorum non subiacere iudicio. Quod secundum, de quo modò est difficultas, nam de primo suis supra locis iam egimus, præcipuè in principio huiusce met sæculi; Ennodius Diaconus rectè confirmauit, in libello, quem pro Symmacho, & Synodo, vt Apologeticum aduersùs Schismaticos composuit, vbi acriter eos reprehendens, quòd ausi essent Visitatorem à Rege postulare Romani Pontificis, hæc habet: [Videamus si superest aliqua de regulari propositione defensio. Visitatores, inquiunt, & alijs Episcopis ipse dedit, & iustum est vt facti sui lege teneatur. Non vos in hoc titulo falsitatis incesso: diu mendacijs adhærentia verba non arguo. Dico tamen latorem iuris definitionis suæ, nisi velit, terminis non includi, nisi princeps fastigij summa moderetur frustra ad illud, quod dederit, ius vocatur. Lex probitatis, & mentis est, quæ hominem viuentem sine lege castigat: propriè moribus impendit, qui necessitati non debet disciplinam. Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: Sedis istius præsulem, suo sine quæstione reseruat arbitrio. Voluit beati Petri Apostoli successores Cælo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolata exhibere conscientiam.] Hactenus Ennodius.

Ad hæc tam clara, & aperta testimonia respondet aduersarij, per illam particulam in primo contentam [minorum, &c.] haud intelligendos esse Episcopos, qui non minores, sed collegæ, sed fratres, consacerdotes, comministri, & Coepiscopi Romanorum Pontificum appellantur; sed eam pertinere ad Romanos plures Clericos, ad Senatum, & populum, qui se se in Symmachi causa feruentiori, quàm par erat, studio interposuerant. Qua etiam ratione contendunt interpreranda esse Ennodij verba, vel de occultis tantùm criminibus, quæ nec probantur, nec legitimè probari possunt; quæ si benigna interpretatio non admittatur; aut Ennodij verba eam non ferant, dicendum eum Apostolicæ traditionis ignarum fuisse, nec mirum, quippè cum scripsit Apologeticum, annos ferè natus non erat plures, quàm triginta.

At quantùm huiusmodi responsiones alienæ sint à vero, connaturalique sensu præfatorum testimoniorum, patebit Lectori ea animo non præoccupato consideranti: Primò enim, dùm à Patribus, quibus in Concilio allegandi prouincia incumbebat, asseritur Romanæ Sedis Antistitem minorum non subiacere iudicio, hoc ad Episcopos ibi congregatos, nec non ad omnes alios absolutè extendi, non autem ad Romanos Clericos, ad Senatum, & Populum, aut alios præter Episcopos restringi; colligitur primò ex eo, quod ibi fuerit sermo de illis, qui ex præcepto Regis Theodorici conuenerant ad Synodum, quosque à Symmacho Synodaliter conuocari debuisse prætendebant allegantes; sed hi fuere soli Episcopi, igitur non ad alios, quàm ad ipsos referenda sunt eorum verba, dùm ad illos ab hac Theodorici violentia auertendos, affirmant, Romanæ Sedis Antistitem minorum non subiacere iudicio. Eòque magis quò ipsemet Theodoricus

à Pa-

à Patribus consultus, quid vellet agi in causa Symmachi, respondit: [In Synodi esse arbitrio, in tanto negotio sequenda præscribere; nec aliquid ad se præter Reuerentiam de Ecclesiasticis negotijs pertinere;] non igitur Theodoricus, non Romani Clerici, non Senatus, & populus, sed ipsimet Episcopi sunt intelligendi, quando ab allegantibus indubitatè profertur Romanæ Sedis Antistitem minorum non subiacere iudicio. Tertiò ibi minores sumendi sunt correlatiuè ad Ecclesias, in quibus Romanæ Sedi singularem diuinitùs traditam fuisse auctoritatem præmittitur, sed hos esse talium Ecclesiarum Episcopos nemo non videt, igitur hi sunt minores, quorum antedictæ Sedis Antistitem dicitur non subiacere iudicio. Quartò quia omnes etiam Episcopi, ad summum, de quo ibi agebatur, Pontificem relati, sunt minores: ita enim ratione æqualitatis in potestate ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis vocari possunt consacerdotes, & coepiscopi, vnde ipsemet Symmachus in epistola ad Aeonium Arelatensem Episcopum ait; [Ad Trinitatis instar, cuius vna est, atque indiuidua potestas, vnum esse per diuersos Antistites Sacerdotium.] Vt tamen, si consideretur secundùm supremam, quam habet in Ecclesia vniuersali potestatem, sicut ille superior, & maior omnibus vbique in historia Ecclesiastica vocatur, ità alij Episcopi minores, & inferiores appellari debeant. Quintò hoc ipsum Synodi exitu comprobatum fuisse videtur, illius enim Patres ità Symmachum à criminibus illi obiectis liberum, & immunem declararunt, vt non Iudices, sed innocentiæ illius testes solùm fuerint: [Quia totum, inquiunt, causis obsistentibus superiùs designatis constat arbitrio Diuino fuisse dimissum;], quæ causæ obsistentes superiùs designatæ, cur Symmachi causa ab illis Diuino remissa fuit arbitrio, vel iudicio, aliæ non fuerunt, quàm illegitima eorum ad Synodum conuocatio, non à Symmacho, sed à Theodorico præcepta, quodque Romanæ Sedis Antistes minorum iudicio non subiaceat, nisi ipse velit, aut petat, suaque ipse auctoritate in hunc finem congreget, aut congregatam acceptet Synodum, vt dicemus infrà. Sextò tandem rem totam confirmat epist. Auiti Viennen. Episcopi, Cleri etiam Gallicani nomine scripta, in hoc Symmachi casu, ad Faustum, & Symmachum Senatores Vrbis, vbi primùm hæc habet: [Perlata est sollicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis forma decreti, quam de Papa Symmacho apud vrbem collecti Italiæ Antistites ediderunt. Quam constitutionem licèt obseruabilem numerosi, reuerendique Concilij reddat adsensus, intelligimus tamen, Sanctum Symmachum Papam, si à seculo primùm fuerat accusatus, consacerdotum suorum solatium potiùs adsciscere, quàm recipere debuisse iudicium:] quibus sanè verbis luce meridiana clariùs Gallicani Episcopi ostendunt se omninò improbare, non modum iudicandi, vt glossant aliqui, sed ipsummet iudicium, quod Symmachus à suis consacerdotibus recepisse illis videbatur, à quibus non iudicium, sed solatium in his, de quibus accusabatur eum recipere oportere credebant; quem sensum alia, quæ sequuntur verba demonstrare videntur, vbi huius sui dicti rationem, & causam reddentes aiunt: [Non datur facilè intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur.] Vbi per inferiores in iudicando intelligi Reges, & principes, quàm sit absurdum, patet ex dictis, quandoquidem, vt statim vidimus, nequaquam Theodoricus, aut alij principes Symmachum iudicarunt, vel iudicare prætenderunt, sed hoc totum Theodoricus Episcopis Synodaliter congregatis reliquit; ad quod, his quoque suam auctoritatem haud pertingere posse censentibus, subdit Auitus; [Quòd Synodus ipsa venerabilis laudabili constitutione prospiciens, causam, quam, quod salua eius reuerentia dictum sit, penè susceperat inquirendam, diuino potiùs seruauit examini: perstringens tamen, prout breuiter potuit, nihil vel sibi, vel gloriosissimo viro Theodorico Regi de his, quæ Papæ dicebantur obiecta patuisse.] Qui Auiti loquendi modus valdè notandus est, [Quod salua, inquit, eius reuerentia dictum sit; illo enim Synodum, quamtumuis ipsa causam Symmachi non iudicandam, sed vix inquirendam suscepisset, reprehendere videtur, quasi etiam in hoc, contra stabilitam huc vsque à nobis traditionem, circa supremam, & independentem Romani Pontificis auctoritatem, potestatis suæ limites, ac terminos transgressa fuisset.

Ex quibus omnibus constat quoque, Ennodium Diaconum, vbi ait: [Aliorum fortè hominum causas Deus voluerit per homines terminare: sedis istius præsulem, suo sine quæstione reseruauit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam:] constat, inquam, talia verba nec posse explicari de occultis tantùm criminibus, aut de publicis à Principibus dumtaxat non iudicandis, secùs autem ab Episcopis; Siquidem Ennodius tàm his, quàm alijs verbis in Apologetico contentis intendit ostendere singulare Romanorum Pontificum, præ alijs omnibus, cuiuscumque sint conditionis hominibus priuilegium; at si præfatam admitterent glossam, tale non esset priuilegium; cum numquam Deus voluerit in occultis aliorum hominum causas per homines terminari, sed ea etiam sibi reseruarit, sicut nec ipsimet Episcopi in publicis criminibus principum subduntur iudicio: Igitur vt intenta, & debita saluetur differentia inter alios homines, & Sedis Romanæ præsulem, concludendum est cæteros homines, attenta diuersa eorum conditione, ita externo hominum foro subijci, vt Sedis Romanæ præsul ab illo quocumque sit exemptus, solique Deo reseruatus; rectè dicente vbi supra Auito Viennensi, [non esse gregis pastorem proprium terrere, sed iudicis:] Quis autem neget etiam Episcopos pertinere ad gregem, cuius solus Summus Pontifex Romanus, est supremus, & vniuersalis Pastor.

Vltimum denique effugium, quòd Ennodius, si modo explicato debeat intelligi, Sedis Apostolicæ traditionem ignorauerit, subsistere nullatenùs potest. Quis enim rationabiliter credat virum doctum, vt Ennodium,

non

non à casu, sed præmeditatè, non in quacumque, sed in Pontificia, eaque grauissima causa, non apud quoscumque, sed apud Synodum agentem, Apostolicæ Sedis traditionem ignorasse, aut eam priùs diligenter non inuestigasse? Sed esto, res ita se habuisset, saltem Patres Synodi huius traditionis cognitione non carebant, contra quam si in eorum præiudicium Ennodius, pro suprema, & à quocumque humano iudicio independenti Romani præsulis auctoritate allegasset, sine dubio reclamassent, acriterue eum reprehendissent, aut de suo ad minùs errore, vel ignorantia monuissent: at tantum abest vt id fecerint, quin potiùs eadem Synodus iterum sequenti anno Romæ congregata, quod Schismatici complura scripto libello obijcerent contra ipsius decreta, ac præsertim ob non condemnatum ab ea Symmachum, prouinciam Ennodio tradidit, vt dictam aduersùs eos scriberet apologiam: & cùm id ipse fortiter, & accuratè præstitisset, Synodi Patres defensorium illum ab eo elucubratum libellum non solùm comprobarunt, sed etiam inter Synodalia, Pontificiaque iusserunt adnumerari decreta, vt declarant ipsa acta Concilij.

Quartum est argumentum in Leone III. contra quem seditio cùm Romæ orta esset, & Carolus Magnus ad illam sedandam venisset, & in Basilica Sancti Petri adstante populo, & Clero Episcoporum omnium, qui eò ex tota Italia, & Francia conuenerant, sententias, & vota de vita, & moribus Pontificis rogaret, ab omnibus vna voce responsum est, [Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput à nemine iudicari debere,] Carolus autem audito tam graui responso, quæstionem omisit, vt suo supra loco diximus secul. 8.

Quintum denique sit ex Octaua Synodo Generali Constantinopolitana IV. cuius vigesimus primus canon sancitus est de exhibendo honore, & reuerentia omnibus Patriarchis, præcipuè verò Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici. De quo speciatim ista: [Neminem debere conscriptiones contra Sanctissimum Papam senioris Romæ, ac verba complicare, atque componere, sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum, quod nuper Photius fecit, & ante Dioscorus. Quisquis autem tanta iactantia, & audacia vsus fuerit, vt secundùm Photium, vel Dioscorum in scriptis, vel sine scriptis iniurias quasdam contra Sedem Petri Principis Apostolorum moueat: æqualem, & eamdem, quam illi condemnationem recipiat:] & paulò post de eodem Romano Episcopo hæc: [Porrò si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia: oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, & aut proficere, aut profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices.

Ex hoc ergo tàm antiquo, & constanti dogmate, per traditionem de seculo in seculum habito, hausit Philippus Sueuiæ Dux, quòd eum supra Innocentio III. scripsisse retulimus: [Scimus, & protestamur, quòd vos, qui in locum Petri cum plenitudine potestatis successistis, in huiusmodi articulis ab homine non estis iudicandus, sed iudicium vestrum soli Deo reseruatur, cuius iudicium, & examen, quòd sibi soli debetur, nobis non quærimus vsurpare.] Colligiturque insuper priuilegium hoc Summi Pontificis non humanitus, sed diuinitùs illi fuisse concessum, quia neque ipse sibi arrogare illud facto vnquam ausus fuisset, nisi iure potuisset: nec etiam tanta facilitate, & consensione ab Ecclesia, & Principibus Christianis, sine vlla vi, vel coactione, quæ ab ipsis Pontificibus inferri non poterat, admissum fuisset, nisi hanc auctoritatem, & potestatem ratione suæ dignitatis à Christo recepissent; qua proinde retenta tali priuilegio renuntiare non possunt, ita vt se submittant in foro exteriori iurisdictioni Ecclesiasticæ, seu spirituali alteri commissæ, quoad vim coactiuam eius, vt pluribus docet Suarez lib. 4. contra Regem Angliæ cap. 7.

Aduertendum est tamen Summum Pontificem haud quidem posse se subijcere iudicio alterius, tamquam proprio iudici, iurisdictione vtenti in ipsius personam, secùs autem vt arbitro, in causis personalibus, de quibus præcipuè agitur; vt rectè docet Diuus Thomas 22. quæst. 67. art. 1. ad 2. [Dicendum quòd in rebus humanis aliqui propria sponte possunt se subijcere aliorum iudicio, quamuis non sint eis superiores, sicut patet in his, qui compromittunt in aliquos arbitros. Et inde est, quòd necesse est arbitrium pœna vallari, quia arbitri, qui non sunt superiores, non habent de se plenam potestatem coercendi. Sic ergo, & Christus propria sponte humano iudicio se subdidit: sicut etiam & Leo Papa se iudicio Imperatoris subdidit.] Ratio est quia in tali subiectione voluntaria, non fertur sententia iuridica in iurisdictione, seu superioritate fundata, sed fertur tantum sententia arbitraria fundata in facto, seu conuentione aliqua. Et ita in illo actu non se gerit Pontifex, vt Pontifex, committendo iurisdictionem suam, sed vt homo, qui voluntariè vult facere, quòd quilibet priuatus posset præstare, ad innocentiæ suæ probationem.

Præter exemplum Christi Domini à D. Thoma allatum, quòd, vt rectè aduertit Caietanus, intelligi non debet, quasi Christus, secundùm quod homo, Rex regum, commiserit Pilato potestatem supra se: quoniam Christus secundùm quòd homo, non administrauit regnum mundi ante resurrectionem, ideoque dixit: [Regnum meum non est de hoc mundo; sed quia Pilato præsidenti in Iudæa nomine Imperij Christus Dominus se exhibuit, sicut vnum de subditis: qua de causa Pilatus non peccauit iudicando Christum peccato vsurpati iudicij, sicut iudicans non sibi subditum; licèt peccauerit peccato iniqui iudicij damnans innocentem, dicente ipsomet: [Ego nullam causam inuenio in eo.] Præter hoc, inquam, exemplum Christi Domini, necnon ad eius imitationem Leonis Papæ IV. respectu Michaelis Imperatoris, & Legatorum eius, vt refertur in cap. Nos si incompetenter 2. quæst. 7. vbi non excessit prædictum modum arbitrariæ sententiæ, dum ait: [Quod si iniustè egimus cuncta volumus vestro emendare iudicio:]

non desunt alia eorumdem Pontificum Romanorum exempla; Sanctorum Siluestri, & Damasi ex Romano Concilio in epistola 3. ad Imperatores Gratianum, & Valentinianum: [Accipite, inquit, aliud quoque, quod vir Sanctus (Damasus) vestræ magis conferre pietati, quàm sibi præstare desiderat, nec derogare cuiquam, sed principibus adrogare. Quoniam non nouum aliquid petit, sed sequitur exempla maiorum, vt Episcopus Romanus, si Concilio eius causa non creditur, apud Concilium se Imperiale defendat. Nam & Siluester Papa à sacrilegis accusatus, apud parentem vestrum Constantium causam suam prosecutus est.] Quæ verba non de necessaria, sed voluntaria, & arbitraria subiectione intelligenda esse demonstratiuè colligi videtur, tùm ex illis verbis, non nouum aliquid petit, quæ aliquid non coactiuè, sed voluntariè fieri satis significant; tùm maximè ex illa disiunctione, qua Concilia duo, apud quæ se defenderet Damasus, proponuntur, Ecclesiasticum vnum, Imperiale alterum, cui Summum Pontificem necessariò subesse, nullus nisi hæreticus audebit asserere: Quemadmodum si Concilij Ecclesiastici iudicio necessariò subderetur, nec in Siluestri, nec in Damasi, ad eius exemplum, arbitrio fuisset se Concilio Imperiali submittere, relicto Ecclesiastico, & ab eius se subtrahendo iurisdictione.

Præsenti quoque intento debet accommodari, quòd Sixtus III. in cap. Mandasti 2. quæst. 5. ait, cùm iniustè criminaretur, coram Valentiniano Augusto, & Synodo se purgasse; [Sed non alijs, qui noluerint, aut spontè hoc non elegerint, faciendo formam, exemplumque dans.] Item casus Symmachi, nec non Bonifacij II. qui, vt Anastasius in illius vita narrat, [cùm priùs congregasset Synodum in Basilica B. Petri Apostoli, & fecisset constitutum, vt sibi successorem ordinaret, quo constituto cum chirographis Sacerdotum, & iureiurando ante confessionem Beati Petri Apostoli in Diaconum Vigilium constituit; eodem tempore facta iterum Synodo hoc censuerunt Sacerdotes omnes propter reuerentiam Sanctæ Sedis, & quia contra canones hoc fuerat factum, & quia culpa eum respiciebat, vt successorem sibi constitueret, ipse Bonifacius Papa reum se confessus est maiestatis, quòd Diaconum Vigilium sua subscriptione Chirographi ante confessionem Beati Apostoli Petri constituisset, ac ipsum constitutum in præsentia omnium Sacerdotum, & Cleri, & Senatus incendio consumpsit.

Leo etiam III. quamuis ab omnibus vna voce in Synodo Romana responsum fuisset, [Sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum Caput à nemine iudicari debere;] in ea tamen à falsis criminibus illi impositis purgare se voluit, suamque innocentiam ostendere; quibus omnibus exemplis satis patet, quod diximus de arbitraria subiectione, nihilque ex illis posse inferri contra supremam, nullique iudicio humano subiectam Romanorum Pontificum auctoritatem, nisi in casu hæreseos personalis, si de illa accusarentur, vt docet Hadrianus II. de Honorio agens in Romana Synodo: [Licèt, inquit, Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia super heresi accusatus fuerat, propter quam solùm licitum est minoribus maiorum suorum moribus resistere, vel prauos sensus liberè respuere, quamuis & ibi nec Patriarcharum, nec cęterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit, proferendi sententiam, nisi eiusdem primæ Sedis Pontificis consensu, præcessisset auctoritas.] Sed de hoc redibit sermo infrà cap. 16. in fine, vbi examinabitur, num Summus Pontifex vt persona priuata in herisim cadere possit? quidque in tali casu: necnon etiam cap. 17. quomodo intelligendum sit, quod in pręfata Hadriani auctoritate dici videtur de Honorij hęresi.

Quod aliqui adducunt ex Gregorio Primo in lib. 2. Indict. 10. epist. 37. ad Natalem Salonitanum Episcopum, quem propter conuiuia minùs sobria non arguerat: [Ecce fraternitas tua ægrè tulit, se de conuiuijs à me esse reprehensam, cùm ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab omnibus emendari paratus sum;] non habet hìc locum, fraternam enim correctionem, de qua loquitur Gregorius, habere posse locum erga summum Pontificem, quatenus est charitatis officium, & intra illud sistitur, haud negamus, hoc enim modo potest interdum maior à minore, & Prælatus à subdito corripi, & emendari, sicut Paulus cum Petro se gessit, vt supra explicuimus ex Augustino epist. 19. ad Hieronymum, Gregorio homil. 18. in Ezechiel. & alijs pluribus. Cessat autem correctionis progressus, quando ad viam coactionis fit transitus, cui summum Pontificem subesse non posse satis huc vsque dicta demonstrant, quęque iterum sectione sequenti de Concilijs dicturi sumus.

Idem iudicium ferendum est de alijs verbis, quæ à Gratiano in cap. si quis 42. 2. qu. 7. referuntur, suntque Gregorij IV. in epistola vnic. ad Episcopos Europæ, quam scripsit in defensionem Aldrici Episcopi, qui accusatus ab aliquibus, ad Sedem Apostolicam confugerat, eiusque auxilium implorauerat. Qua occasione, priùs ostenso, Apostolicæ Sedis priuilegium esse, vt omnibus liceat ad illam appellare, [& vt nihil priùs de eo, qui ad sinum Sanctę Romanę confugit Ecclesiæ, eiusque implorat auxilium, decernatur, quàm ab eiusdem Ecclesiæ fuerit præceptum auctoritate:] mox subiungit citata in præfato canone verba; [Super quibus si quis nos arguere voluerit, aut extrà auctoritatem nos facere contenderit, veniat ad Sedem Apostolicam;] quibus clarè constat, ipsum non tractare de aliqua propria causa, vel iudicio personę suæ, sed de dogmatibus fidei, & de auctoritate Sedis Apostolicæ, ad cuius iudicium, non ad aliud humanum prouocat cum dicit: [Veniat ad Sedem Apostolicam, quò omnia Ecclesiastica negotia, de quibus quæstio habetur, confluere iussa sunt.] Ad demonstrandam autem fiduciam de veritate doctrinæ addidit idem Pontifex, [vt ibi ante confessionem sancti Petri mecum iustè decertet,] vtique non in Forensi iudicio, sed in veritate inuestiganda iuxtà regulas fidei, quatenus inibi, inquit, vnus ex nobis sententiam suscipiat suam; idest, vt ille vincat, qui suam senten-

tentiam meliùs probauerit: quod non dubitanter, sed vt statim notaui, certus de suæ doctrinæ veritate dixit; vt Propheta Elias 3. Regum 18. accedens ad omnem populum ait: [Vsquequò claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum, &c.]

Vulcanus Dicliæ, atque Dalmatiæ Rex diuinitùs ad Romanæ Ecclesiæ obsequium post longum schisma reuocatus, vt dictum est, literis ad Innocentium III. datis hunc præfixit titulum: [Beatissimo, atque Sanctissimo Patri, & Domino Innocentio Dei gratia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, & vniuersali Papæ.] Suas autem ad eumdem Armeniorum Patriarcha sic incipit: [Post Deum, qui est Caput omnium bonorum, Apostolicam Sedem tenenti, & summo Capiti totius Ecclesiæ, & totius terrenæ Sedis magno Christo Confessori, primæ domui hospitalitatis totius populi, & religionis, & successori beati Petri maioris nati post Christum principis, & patris totius mundi, sedenti secundùm Deum, & portanti Christum in corpore suo, Innocentio Dei gratia summo Pontifici, & vniuersali Papæ summe Sedis Romanæ Vrbis, qui imperiali triumpho vniuersum mundum suo subiugauit dominio, & nostro in Christo Patri spirituali tantę ciuitatis gloria sublimato, Gregorius minimus, Episcopus Catholicus omnium Armeniorum, peccator, & seruus fidelium Christi, &c.]

Eodem vniuersalis titulo vsus est Otho in literis, quas post suam in Regem Romanorum electionem scripsit Innocentio III. [Reuerendissimo in Christo Patri, & Domino charissimo Innocentio Dei gratia summo Pontifici, & vniuersali Papæ, Otho eadem gratia Romanorum Rex, & semper Augustus debitam deuotionem, & fidelem subiectionem.]

Supremum quoque, & vniuersale magisterium Romani Pontificis agnouisse tunc Archiepiscopum Lugdunensem testantur grauissimæ fidei quęstiones ab eo Innocentio III. propositæ, & huius ad illas responsa lib. 5. epist. 121. & lib. 6. epist. 14.

Blachorum etiam, & Bulgarorum Princeps Calo Ioannes eidem Innocentio III. suæ, suorumque cum Ecclesia Romana coniunctionis desiderium literis exponens, vocat eum [Sanctissimum Dominum fidei Christianorum ab Oriente vsque ad Occidentem Patriarcham Papam Romanum;] necnon adhuc, [Sanctissimum Dominatorem, & vniuersalem Papam sedentem in Sede beati Petri, & Dominum Patrem Regni sui, Papam Sedis Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ, & magistrum totius mundi.]

Hispaniæ Prçsulibus Bracharensi, & Auriensi Episcopis per Sedem Apostolicam, tanquam per supremam fidei magistram edoceri quęrentibus circa aliqua religionis dubia, Innocentius III. ex illa debita dedit responsa lib. 9. epistola 3. & 33. Necnon eius successor Honorius III. epistola 44. Pragensi Episcopo consulenti, an à gerendis sacerdotijs natalibus illegitimis procreati submouendi essent, carnesue in feria sexta, cùm in illam festum Natalis Domini incurreret, degustari possent?

Leskus Poloniæ Dux in suis ad Honorium III. literis hæc habet pro suprema, quam intendimus Ecclesiæ Romanæ auctoritate: [Omnes, inquit, quos aqua baptismatis in vnitate Ecclesiasticę disciplinæ solidauit, scire debent & confiteri Sanctam Romanam Ecclesiam esse totius Orbis Magistram, & Dominam. Nam vt ex instructione Patrum nostrorum Episcoporum, & aliorum Ecclesiæ Rectorum didicimus, quod hæc Ecclesia est mater nostra, quæ ex vberiori iure cœlitus sibi concesso, in soluendo, & ligando plenitudinem habet potestatis.]

Flagitante per id tempus patrocinium Apostolicæ Sedis Florensi ordine, quod nonnulli exprobrarent Ioachimum Abbatem, eius sacræ familiæ fundatorem, hęreseos labe inquinatum fuisse, atque obijcerent commentarium in Petrum Lombardum conscriptum, sententiâ Lateranensis Concilij fuisse damnatum; Honorius III. eosdem monachos ab aduersariorum iniurijs vindicauit, ac Ioachimum Catholicum habendum esse censuit l. 5. epist. 268. quamuis notatus Patrum censura ob fœdissimos errores esset; ipse enim scripta omnia Romano Pontifici tradi iusserat, ab Apostolica Sede vel comprobanda, vel corrigenda, dictaratque epistolam, quam suo chirographo munierat, vbi illam se fidem tenere constanter professus est, quam Romana Ecclesia omnium mater, & magistra teneret.

Misit quoque ad Sedem Apostolicam Stephanus Seruiæ, Dicliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, atque Obblumię Rex oratores, vt initam iam tempore Innocentij III. cum Romana Ecclesia vnionem confirmaret, datis ad Honorium III. literis, quas in manifestum supremæ auctoritatis Pontificiæ in vniuersali Ecclesia argumentum sic inscribit: [Sanctissimo Patri, & Domino Honorio Romanæ Sedis Ecclesiæ vniuersali Pontifici, inclinationem summæ fidelitatis constantia, &c.]

Per id tempus Archiepiscopum Lundensem de sacris quibusdam ceremonijs, quorum maior pars ad augustissimum Missæ Sacrificium pertinebat, Romanum Pontificem consuluisse, quod in eo dubio procul supremum agnosceret fidei magisterium, testantur Honorij III. ad eum responsa lib. 10. epist. 16.

Gallicanus Clerus ad Gregorium Papam IX. confugiens, ob decimarum impositionem, qua se nimium grauari conquerebatur, occasione expeditionis in Albigenses, suis hunc titulum præfixit literis: [Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino Gregorio miseratione diuina summo, & vniuersali Pontifici, deuoti & humiles eius famuli P. . . . . . Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Parisiensis subiectionis, deuotionis, & totius obedientiæ plenitudinem.]

Innocentio Papa IV. schismaticos populos quamuis ad extremas Orientis plagas submotos ad Ecclesiæ Romanę sinum, & vnionem reuocare summo studio allaborante; nonnullæ Patriarcharum eius literæ ad Innocentium transmissæ reperiuntur, quibus eos supremam Romani Pontificis auctoritatem ex Apostolica traditione agnouisse demonstrant honorificentissimi dati ab illis tituli. Orientis enim Catholicus apud Innocentium lib. 4. epist. 119. ita scribit: [Ad præsentiam

Papæ magnifici ex parte illius, qui petit orationes eius in subsidium debilitatis suæ, Raban Ara Vicarij Orientis adorantis inter manus eius, Patri Patrum, decori pastorum, misericordiæ vitę, fonti pietatis, & indulgentiæ; intercedenti pro populo Domini, perfecto in diuinis, excellenti in spiritualibus, soli iustitiæ, cuius lux oritur super quatuor mundi climata, qui lucet, & splender in Ecclesijs Catholicis Sanctis, Cherubin corporeo, & Seraphin carneo, tenenti Sedem beati Petri; Domino meo sanctissimo Papæ Vrbis Romæ, & omnium climatum mundi coram Deo, &c.] Ibidem extat epistola 120. Patriarchæ Iacobitarum cum hoc titulo: [Illi generi supremo constitutiuo omnium specierum, quod ita vocatur genus, quod non contingit ipsum vocari speciem; Patri patrum, sanctissimo Innocentio tenenti Sedem beati Petri Principis Apostolorum, glorificato à Christo Deo, qui credidit beato Petro claues regni cœlorum, & posuit eum fundamentum Ecclesiæ; Seruus seruorum Christi Ignatius debilis, cui creditum est à Spiritu sancto, vt sit pastor Syriæ, & totius Orientis populo Iacobitarum; adorationem sinceram in spiritu, & corpore, &c.]

Nec à Patriarchis solùm Orientis, sed & ab ipsis Sultanis infidelibus agnitam fuisse supremam Romani Pontificis auctoritatem, clarè quoque ostendunt eorumdem literæ ad summos Pontifices datæ; eòque magis, quò talia eos non ex se, sed ex communi inter Christianos sensu scripsisse credendum est, nec alios dare voluisse titulos, quàm ex traditione Apostolica ferret Ecclesiæ Catholicæ vsus, & praxis; fidem nos adhibere debemus eorum testimonijs: extat apud Gregor. IX. lib.8. epist. 443. Alatini Sultani Iconij, cum hoc titulo: [Sanctissime, & Angelis æqualis Archiepiscope magnæ Romæ, & magne Papa omnium per orbem terrarum Christianorum, &c.] Item apud Innocentium IV. lib.3. ep.29. Soldani Ægypti ita inscripta: [Presentiæ Papæ, nobilis, magni, spiritualis, affectuosi, sancti, tertijdecimi Apostolorum, vniuersalis loquelæ Christianorum manutenentis, adoratoris crucis, iudicis populi Christiani, ductoris filiorum baptismatis, summi Pontificis Christianorum.] Eiusdem tenoris sunt apud eumdem Innocentium lib. 4. epist. 115. 116. 117. necnon 118. diuersorum Sultanorum.

In hoc eodem sæculo cùm Vrbanus Papa Quartus pro sua supremâ in vniuersali Ecclesia auctoritate Constantinopolim misisset Nicolaum Crotoniensem Episcopum ad Michaelem Palęologum Imperatorem, necnon etiam per eum scriptum, in quo Ecclesiæ Romanæ doctrinam illi exponebat, eo perlecto Michael eumdem Nicolaum Crotoniensem Episcopum Legatum ad Vrbanum Pontificem remisit, literasque scripsit ordine 30. inter epistolas Vrbani: in quibus illa omnia de quibus eum edocuerat Romanę Ecclesiæ dogmata suscipere profitetur, offertque insuper se velle vnire, subijcereque omnes alias Patriarchales Sedes summo Pontifici Romano, quem principatum habere super omnes Sacerdotes, Doctoremque esse summum Vniuersalis Ecclesiæ, necnon loco Petri à Deo esse prælatum omnibus Ecclesijs, constanter affirmat: [Cęterum, inquit, vestram sanctam Paternitatem rogamus, quatenus sicut Princeps omnium Sacerdotum, & Vniuersalis Doctor Catholicæ Ecclesiæ sollicitetis continua promptitudine, & ad reuniendum eamdem Ecclesiam amodò, cui loco beati Petri Deus præcipuè vos præfecit, quia iam & nostram tranquillitatem ad hoc peragendum Sanctitas vestra habet.]

Quam iterùm supremam Romanę Sedis, Romanique Pontificis auctoritatem clarius agnouit in alijs literis, quas eius Nuntij ad Generale Concilium Lugdunense missi Gregorio X. illic præsenti obtulerunt, vnà cùm illis plurimorum Gręciæ Prælatorum. Cùm enim in professione fidei prius à Gregorio ad Michaelem Imperatorem missa, hęc inter alia de Romana Sede haberentur: [Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum, & plenum Primatum, & Principatum, super vniuersam Ecclesiam Catholicam obtinet: quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe, siue vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter, & humiliter recognoscit. Et sicut præ cęteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri. Ad quem potest grauatus quilibet super negotijs ad Ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subiectæ, ipsarumque Prælati obedientiam, & reuerentiam sibi dant. Apud hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cęteras ad sollicitudinis partem admittit, quarum multas, & Patriarchales pręcipuè, diuersis priuilegijs eadem Romana Ecclesia honorauit: sua tamen obseruata prærogatiua, tum in Generalibus Concilijs, tum in aliquibus alijs semper salua;] Cùm hæc, inquam, ad verbum ex prefata fidei professione in suis ad Gregorium literis protulisset Imperator, mox subiungit: [Primatum quoque eiusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut in præmissa serie continetur, ad ipsius Sanctæ Ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur, & recognoscimus, acceptamus, & spontè suscipimus.]

Eiusdem quoque tenoris sunt literæ à præfatis Gręciæ prælatis missæ, nec non Sacramentum eorum nomine emissum: [inquit, nuncius habens ab eisdem sufficientem ad infrascripta mandata subscriptam fidei veritatem, prout plenè lecta est, & fideliter exposita à me, Dei & Domini nostri nomine, veram, sanctam, catholicam fidem esse cognosco, eam accepto, & corde & ore confiteor: ipsamque prout tenet, & fideliter docet, & prædicat Sancta Romana Ecclesia, inuiolabiliter seruaturum in omni tempore perseueraturum, nec ab ea vllo vnquam tempore recessurum, vel quoquo modo deuiaturum, nec discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, pro vt in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesię obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto, & spontè suscipio, & ipse omnia præmissa, tam circa fidei veritatem,

tem, quam circa eiusdem Ecclesiæ Romanæ Primatum, & Episcoporum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam, ac perseuerantiam seruaturum, proposito corporaliter iuramento, promitto & confirmo. Sic Deus ipsum adiuuet, & hęc Sancta Euangelia.]

Tandem Ioanne Papa XXI. statim post susceptum Pontificatum petente, & adhortante eumdem Michaelem Palæologum Imperatorem, & filium eius Andronicum, ad seruanda & ratificanda in Concilio Lugdunensi per Nuntium promissa, ipso Iosepho Patriarcha in ordinem redacto, & Ioanne Beco in eius locum subrogato professionem fidei Romanę, ex Symdolo sibi à Sede Apostolica, vt supra præscripto coram eiusdem Legatis vnà cum Patriarcha Constantinopolitano emiserunt; datisque insuper litteris, & missis Apocrisiarijs ad Ioannem Pontificem, eam toti mundo testatam reddere; nec non sequenti iuramenti formula in perpetuum firmatam esse voluit: [Michael in Christo Deo fidelis Imperator, & moderator Romanorum Ducas Angelus Comnenus Palæologus omne schisma prorsus abiuro, & suprascriptam fidei veritatem prout plenè lecta est, & fideliter exposita, veram, Sanctam, Catholicam, & Orthodoxam fidem esse cognosco, eam accepto, & corde, & ore profiteor, ipsamque prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia me inuiolabiliter seruaturum, nec ab ea vllo vnquam tempore recessurum, vel quoquo modo deuiaturum, vel disceptaturum promitto. Primatum quoque ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ prout in præmissa serie, continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, recognosco, accepto, ac spontè suscipio: Et omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quàm circa eiusdem Ecclesiæ Primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam, ac perseuerantiam seruaturum, præstitū in animam meam corporaliter iuramentum prædicti, Logothetæ nostri approbo, & ratifico, sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.]

[Hæc autem omnia suprascripta facit Imperium nostrum ad Sanctissimum, & Beatissimum, & Summum Pontificem, & Venerabilem Patrem nostri Imperij vniuersalem Papam Dominum Ioannem Vigesimum primum, & per se ipsum ad omnes successores suos, roborans ipsa per propriæ manus Dei gratia Imperialem subscriptionem suam, & per sigillum potentiæ suæ Mensis Aprilis, quintæ Indict. sexto milleno, septimo centeno, octuagesimo quinto anno. Actum est hoc in vrbe nostra Constantinopolitana in Sacro nostro palatio, Blachernarum]

At præ omnibus irrefragabiles in hoc tertiodecimo sæculo testes haberi debent, sacræ huius traditionis, ac veritatis de suprema, nullique subiecta, aut alteri potestati, aut defectui in rebus fidei, & religionis auctoritatiue Romanorum Pontificum, duo Sanctissimi Doctores Angelicus Thomas, & Seraphicus Bonauentura, ambo præclarissima Ecclesiæ, nec non Academiæ Parisiensis lumina, qui fideliter, quam à maioribus in hac parte doctrinam hauserant, camdem in suis vbique scriptis posteritati commendatam esse voluerunt. Primum enim Diuus Thomas in 4. distinct. 7. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. inquirens, num Sacerdos simplex ex commissione Papæ confirmare possit? respondet affirmatiuè ex principio; [Sciendum est, inquit, quod cùm Episcopatus non addat aliquid supra Sacerdotium per relationem ad corpus Domini verum, sed solùm per relationem ad corpus mysticum, Papa, per hoc quod est Episcoporum Summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad corpus mysticum, &c.] Ibidem dist. 20. art. 4. quæst. 3. [Dicendum quod Papa habet plenitudinem Pontificalis potestatis quasi Rex in regno: Sed Episcopi assumuntur in partem solicitudinis quasi iudices singulis ciuitatibus præpositi, propter quod etiam solos eos in suis litteris fratres vocat, reliquos autem omnes vocat filios; & ideo potestas faciendi indulgentias,] quam priùs dixerat pertinere ad clauem iurisdictionis, non ad clauem ordinis, [plenè residet in Papa, quia potest facere quod vult, causa tamen existente legitima, sed in Episcopis est taxata secundùm quod eis taxatum est, & non amplius. Tandem distinct. 27. quæst. 3. artic 3. vbi inquirit, vtrùm cum bigamo liceat dispensare? respondet in corpore: [Papam posse dispensare in tali irregularitate totaliter. Deinde ad secundum dicendum, quod hoc verum est eum quippe dispensare non posse, quantum ad ea, quæ sunt de iure naturali, & quantum ad ea, quæ sunt de necessitate Sacramentorum, & fidei;] sed in alijs, quæ sunt de institutione Apostolorum, cùm Ecclesia habeat nunc eamdem potestatem statuendi, & destruendi, quæ tunc habuit, potest per eum qui primatum in Ecclesia tenet dispensari. Sic Lucius Papa dispensauit cum Panormitano Episcopo, qui erat bigamus De Sponsal. & Matrim. cap. Requisiuit.

In quæstionibus disputatis quæstione 10. de potentia art. 4. vbi inquirit: Vtrùm Spiritus Sanctus procedat à Filio? cum decimò tertiò obiecisset in gestis 1. Ephesinæ Synodi perlecto Symbolo Nicænæ Synodi, decretum fuisse illam fidem nulli licere proferre, vel conscribere, &c. Respondet Sanctus Doctor: [Quod doctrina Catholicæ fidei sufficienter tradita fuit in Symbolo Nicæno: vnde Sancti Patres in sequentibus Synodis non intenderunt aliquid addere: sed propter insurgentes hæreses, id quod implicitè continebatur explicare studuerunt: Vnde in determinatione Chalcedonensis Synodi dicitur: Præsens nunc Sancta, & magna, atque vniuersalis Synodus, prædicationem hanc ab initio inconcussam docens, definiuit principaliter 317. Sanctorum Patrum, qui scilicet in Nicæa conuenerunt, fidem manere intentabilem: Et propter illos quidem, qui aduersùm Spiritum Sanctum pugnant, posteri tempore à Patribus apud Constantinopolim centum quinquaginta congregatis, de substantia Spiritus traditam doctrinam corroborat, quam illi omnibus notam fecerunt, non quasi quidem aliquid esset minus in præcedentibus inferentes: sed de Spiritu Sancto intellectum eorum aduersùs eos, qui dominium eius respuere tentaue-

nerunt, Scripturarum testimonijs declarantes. Et per hunc modum dicendum est, quod processio Spiritus Sancti à filio implicitè in Symbolo Constantinopolitano continetur ibi quod procedit à Patre: quia quod de Patre intelligitur, oportet, & de filio intelligi, cum in nullo differant, nisi quia hic est Filius, & ille Pater: sed propter insurgentes errores eorum, qui Spiritum à filio esse negabant, conueniens fuit, vt in Symbolo poneretur, non quasi aliquid additum: sed explicitè continebatur. Sicut si insurgeret hæresis, quæ negaret Spiritum Sanctum esse factorem cæli, & terræ, oporteret hoc explicitè poni, cum in prædicto Symbolo hoc non dicatur, nisi de Patre.]

[Sicut autem posterior Synodus potestatem habuit interpretandi Symbolum à priore Synodo conditum, ac ponendi aliqua ad eius explanationem, vt ex prædictis patet: Ita etiam Romanus Pontifex hoc sua auctoritate potest, cuius auctoritate sola, Synodus congregari potest, & à quo sententia Synodi confirmatur, & ad ipsum à Synodo appellari: Quæ omnia patent ex gestis Chalcedonensis Synodi. Nec est necessarium, quod ad eius expositionem faciendam vniuersale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum dissidia sicut in septima Synodo legitur, quod Constantinus Augustus dixit quod propter imminentia bella vniuersaliter Episcopos congregare non potuit: sed tamen illi, qui conuenerant, quędam dubia in fide exorta, sequentes sententiam Papæ, determinauerunt scilicet quod in Christo sint duæ voluntates, & duæ actiones; & similiter Patres in Chalcedonensi Synodo congregati, secuti sunt sententiam Leonis Papæ, qui determinauit Christum esse in duabus naturis post Incarnationem.]

Quodlibeto 4. articulo 13. vbi inquiritur, vtrùm Papa possit dispensare in bigamiæ irregularitate? hæc habet in corpore: [Respondeo dicendum, quod Papa habet plenitudinem potestatis in Ecclesia, ita scilicet quod quæcumque sunt instituta per Ecclesiam, vel Ecclesiæ prælatos, sunt dispensabilia à Papa. Hæc enim sunt, quæ dicuntur esse iuris humani, vel iuris positiui. Circa ea verò, quæ sunt iuris diuini, vel iuris naturalis dispensare non potest, quia illa habent efficaciam ex institutione diuina, &c. hoc enim non esset posse pro veritate, sed contra veritatem. Manifestum est autem quod bigamum non promoueri, neque est de lege naturæ: neque pertinet ad articulos fidei: neque est de necessitate Sacramenti, quod patet ex hoc quod si bigamus ordinetur, recipit ordinis Sacramentum, sed hoc pertinet ad quamdam determinationem diuini cultus. Vnde circa hoc potest Papa dispensare, licèt dispensare non debeat, nisi ex magna, & euidenti causa. sicut etiam posset dispensare circa hoc quod aliquis Sacerdos non indutus vestibus sacris consecraret corpus Christi. Et eadem ratio est de omnibus alijs huiusmodi, quæ ex institutione humana processerunt.]

In opusculis, opusculo 1. contra errores Græcorum versùs finem ad hominem ex auctoritatibus ipsorum Gręcorum Doctorum ostendit Primò: Quod Pontifex Romanus est primus, & maximus inter omnes Episcopos. Secundò, quod idem Pontifex in totam Ecclesiam Christi vniuersalem prælationem habet. Tertiò, quod idem habet in Ecclesia potestatis plenitudinem. Quartò, quod in eadem potestate, quæ collata est Diuo Petro à Christo, Romanus Pontifex sit eius successor. Quintò, quod ad eum pertinet determinare, quæ sunt fidei. Dicit enim Cyrillus in libro Thesaurorum. Vt membra maneamus in capite nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum, à quo nostrum est quærere quid credere, & quid tenere debemus. Item Maximus in epistola Orientalibus directa dicit: [Omnes fines Orbis, qui Dominum sincerè receperunt, & vbique terrarum Catholici veram fidem confitentes in Ecclesiam Romanorum tanquam in Solem respiciunt, & ex ipsa lumen Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt, nec immeritò. Nam Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino reuelante cùm dixit Matth. 16. Tu es Christus filius Dei viui. Vndè & idem Dominus dicit: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.]

Idem habetur in opusculo 20. de regimine Principum lib. 3. cap. 10. & cap. 19. & quamvis aliqui dubitent, an hoc opusculum sit Diui Thomæ, saltèm dubitari non potest eius auctorem, quicumque sit ille, eamdem cum Angelico Doctore sententiam tenuisse de suprema, & infallibili Romanorum Pontificum auctoritate in rebus fidei, & religionis, si eorum dicta inter se conferantur.

In summa contra Gentiles lib. 4. cap. 76. sequentibus probat rationibus. Necesse esse vt in toto populo Christiano sit vnus, qui sit totius Ecclesiæ caput, Romanus videlicet Pontifex, Christi Vicarius, Petri verò successor.

[Manifestum est autem, quod quamvis populi distinguantur per diuersas Diœceses, & Ciuitates, tamen sicut est vna Ecclesia, ità oportet esse vnum populum Christianum. Sicut igitur in vno spirituali populo vnius Ecclesiæ requiritur vnus Episcopus, qui sit totius populi caput; ità in toto populo Christiano requiritur, quod vnus sit totius Ecclesiæ caput.]

Item. [Ad vnitatem Ecclesiæ requiritur, quod omnes Fideles in fide conueniant: circa verò ea, quæ fidei sunt, contingit quæstiones moueri, per diuersitatem autem sententiarum diuideretur Ecclesia, nisi in vnitate per vnius sententiam conseruaretur. Exigitur ergo ad vnitatem Ecclesiæ conseruandam, quod sit vnus, qui toti Ecclesiæ præsit. Manifestum est autem, quod Christus Ecclesiæ in necessarijs non deficit, quam dilexit, & pro ea Sanguinem suum fudit, cùm & de Synagoga per Dominum: Quid vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? Isa. 5. Non est igitur dubitandum, quin ex ordinatione Christi vnus toti Ecclesiæ præsit.]

Adhùc. [Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen sit optimè ordinatum, vtpotè per eum dispositum, per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, optimum autem regimen multitudinis est, vt regatur per vnum; quod patet ex fine regi-

regiminis, qui est pax. Pax enim, & vnitas subditorum est finis regentis. Vnitatis autem cõgruentior causa est vnus, quàm multi. Manifestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, vt vnus toti Ecclesiæ præsit.]

[Ampliùs, Ecclesia Militans ex Triumphanti Ecclesia per similitudinem deriuatur; vndè & Ioannes in Apocal. vidit Hierusalem descendentem de Cælo; & Moysi dictum est, quod faceret omnia secundùm exemplar ei in monte monstratum. In Triumphanti autem Ecclesia vnus præsidet, qui etiam præsidet in toto vniuerso, scilicet Deus. Dicitur enim Apocal. 21. Ipsi populus eius erunt, & ipse cum eis erit eorum Deus, ergo & in Ecclesia Militante vnus est, qui præsidet vniuersis.]

[Hinc est, quod Oseæ 1. dicitur: Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum, & Dominus dicit Ioannis 16. Fiet vnum ouile, & vnus Pastor. Si quis autem dicat, quod vnum caput, & vnus Pastor est Christus, qui est vnus vnius Ecclesiæ sponsus: non sufficienter respondet. Manifestum est enim, quod omnia Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit. Ipse enim est, qui baptizat: ipse est, qui peccata remittit: ipse est verus Sacerdos, qui se obtulit in ara Crucis, & cuius virtute Corpus eius in Altari quotidiè consecratur; & tamen quia corporaliter nõ cum omnibus Fidelibus præsentialiter erat futurus, elegit Ministros, per quos prædicta Fidelibus dispensaret, vt supradictum est. Eadem igitur ratione, quia, præsentiam corporalem erat Ecclesiæ subtracturus, oportuit, vt alicui committeret, qui loco sui vniuersalis Ecclesiæ gereret curam. Hinc est, quod Petro dixit antè Ascensionem: Pasce oues meas Ioannis vlt. & antè passionem: Tu iterùm conuersus, confirma fratres tuos. Lucæ 22. & ei soli promisit: Tibi dabo claues Regni Cælorum, vt ostenderetur potestas clauium per eum ad alios deriuanda ad conseruandam Ecclesiæ vnitatem. Non potest autem dici, quod etsi Petro hanc dignitatem dederit, per eum tamen ad alios non deriuatur. Manifestum est enim, quod Christus Ecclesiam sic instituit, vt esset vsque ad finem seculi duratura, secundùm illud Isa. 9. Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia, amodo & vsque in sempiternum. Manifestum est igitur, quod ità illos, qui tunc erant, in ministerio constituit, vt eorum potestas deriuaretur ad posteros pro vtilitate Ecclesiæ vsque ad finem seculi; præsertim cùm ipse dicat Matth. vlt. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.]

[Per hoc autem excluditur quorumdam præsumptuosus error, qui se subducere nituntur ab obedientia, & subiectione Petri, successorem eius Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes.] Tantùm loco citato Diuus Thomas, ex quibus in fine commentarij infert Ferrariensis, vanam esse, & à fide Christiana alienam opinionem dicentium Concilium, & Ecclesiam esse supra Papam, & ipsum Papam ab Ecclesia auctoritatem habere tamquam ab ipsa institutum. [Nàm manifestum est, inquit, ex prædictis, vt etiam nos in toto huius tractatus decursu ostendimus, quod Christus ipse regimen Ecclesiæ suæ instituit, non autem ipsa Ecclesia, aut populus Christianus, & quod in Ecclesia Petrum suum Vicarium, & successores eius instituit, sicut & ad Sacramenta dispensanda instituit Ministros.] Vndè cùm dixit Petro, [Pasce oues meas,] præmisit interrogationem, [Simon Ioannis, diligis Me plùs his?] vt ostenderet se auctoritatem Petro dare, vt distincto ab alijs Discipulis præsentibus, propter quod exponens Chrysostomus prædicta verba ait, Præteriens alios, Petro loquitur, Præpositus loco mei esto, & caput fratrum tuorum.

Tandem in Summa Theologica par. 1. quæst. 36. artic. 2. ad secundum. [Quia igitur in tempore antiquorum Conciliorum, nondùm exortus fuerat error dicentium Spiritum Sanctum non procedere à Filio; non fuit necessarium, quod hoc explicitè poneretur. Sed posteà insurgente errore quorumdam, in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato, expressum fuit auctoritate Romani Pontificis, cuius auctoritate etiam antiqua Concilia congregabantur, & confirmabantur. Continebatur tamen implicitè in hoc ipso, quod dicebatur Spiritus Sanctus à Patre procedere.]

Secunda 2. quæst. 1. artic. 10. vbi inquirit, vtrùm ad Summum Pontificem pertineat fidei Symbolum ordinare, respondet affirmatiuè, probatque in argumento, sed contra. [Quod editio Symboli facta est in Synodo generali: sed huiusmodi Synodus auctoritate solius Summi Pontificis potest congregari: vt habetur in Decret. distinct. 17. ergo editio Symboli ad auctoritatem Summi Pontificis pertinet.]

Conclusio. [Cùm Summus Pontifex caput sit totius Ecclesiæ à Christo institutus, ad illum maximè spectat Symbolum fidei edere, sicut etiam generalem Synodum congregare.]

[Respondeo dicendum, quod sicut supradictum est, noua editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, vt ab omnibus inconcussa fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, vt dicitur in Decret. distinct. 43. Vndè & Dominus, Lucæ 22. Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit, [Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Et huius ratio est: quia vna fides debet esse totius Ecclesiæ: secundùm illud, 1. Corinth. 1. Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: quod seruari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest: vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, & ideò ad solam auctoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio Symboli; sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, vt congregare Synodum generalem, & alia huiusmodi.]

Deindè cùm priùs sibi obiecisset tertio loco, Athanasium non fuisse Summum Ponrifi-

tificem, sed Alexandrinum Patriarcham; & tamen Symbolum constituisse, quod in Ecclesia cantatur: atque adeò non magis videri pertinere editionem Symboli ad Summum Pontificem, quàm ad alios. Respondet, quod Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum Symboli, sed magis per modum cuiusdam doctrinæ, vt ex ipso modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem eius doctrina breuiter continebar, auctoritate Summi Pontificis est recepta, vt quasi regula fidei habeatur.

Item quæst. 11. de hæresi artic. 2. ad 3. dicendum, quod sicut Augustinus dicit epistola 162. & habetur in Decret. 24. qu. 3. 11. Dixit Apost. [Si qui sententiam suam, quamvis falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem tota sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm inuenerint, nequaquàm sunt inter Hæreticos deputandi; quia scilicet non habent electionem contradicentem Ecclesiæ doctrinæ. Si ergo aliqui Doctores videntur dissensisse, vel circa ea, quorum nihil interest ad fidem, vtrùm sic vel aliter teneantur, vel etiam in quibusdam ad fidem pertinentibus, quæ nondùm erant per Ecclesiam determinata. Postquàm autem essent auctoritate vniuersalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, Hæreticus censeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice. Dicitur enim quæst. 24. cap. 1. Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros, & Coepiscopos nonnisi ad Petrum, idest ad sui nominis auctoritatem referri debere. Contra cuius auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus; nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit. Vndè dicit Hieronym. ad Damasum Papam: [Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Catholica didicimus Ecclesia: in qua si minùs peritè, aut parum cautè fortè aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & Sedem tenes. Si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non Catholicum, non me Hæreticum comprobabit.]

Ibidem quæst. 89. artic. 9. vtrùm aliquis possit in iuramento dispensare, ad tertium. Quandoque verò sub iuramento promittitur aliquid, quod est manifestè licitum, & vtile. Et in tali iuramento non videtur habere locum dispensatio, vel commutatio, nisi aliquid melius occurrat ad communem vtilitatem faciendum: quod maximè videtur pertinere ad potestatem Papæ, qui habet curam vniuersalis Ecclesiæ; vel etiam absoluta relaxatio, quod etiam ad Papam pertinet in omnibus generaliter, quæ ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis.]

Tertia parte quæst. 72. artic. 11. ad primum ergo dicendum, quod Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit beatus Gregorius Papa libro 3. epistola 26. quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum, videlicet Confirmationis, conferrent, quamdiù scandalum tolleretur.]

Hæc sunt præcipua loca, quibus Diuus Thomas supremam Romani Pontificis auctoritatem, eamque infallibilem in rebus fidei, ità apertè docet, ac tradit, vt de eius in hac re sententia, vel mente minimum dubitare, esset in meridiana luce velle cœcutire.

Sanctus Bonauentura parte 6. Breuiloquij cap. 12. [Quia excellentia quantò magis descendit, tantò magis dilatatur; & quantò magis ascendit, tantò magis vnitur: hinc est, quod plures sunt Episcopi, pauciores Archiepiscopi, paucissimi Patriarchæ, & vnus Pater Patrum, qui Papa meritò appellatur, tamquam vnus, primus, & summus Pater spiritualis omnium Patrum, immò omnium Fidelium, & Hierarcha præcipuus, sponsus vnicus, caput indiuisum, Pontifex summus, Christi Vicarius, fons, & origo, regula cunctorum Principatuum Ecclesiasticorum, à quo, tamquàm à summo, deriuatur ordinata potestas, vsque ad infima Ecclesiæ membra, secundùm quòd exigit præcellens dignitas Ecclesiæ in Ecclesiastica Hierarchia.]

Item in 4. Sentent. distinct. 19. dubio 6. [Et quoniam Dominus Papa non est subiectus constitutionibus Patrum, sed super omnes est; ideò potest in eis dispensare: & tunc benefacit, quando necessitas, vel vtilitas hoc requirit, &c.]

Albertus ob sapientiam singularem cognomento Magnus, Diui Thomæ magister, ad cap. 16. Matthæi: [Dico autem tibi, &c. Singulariter: non quòd Petrus singulariter acceperit claues, sed quia in vnitate ordinis Ecclesiæ vnus est, qui accipit in plenitudine potestatis, qui est successor Petri, & Petrus in potestate: alij autem in eadem vnitate accipiunt in parte potestatis, eo quod vocantur in partem sollicitudinis.] Et cap. 22. Lucæ: Ego rogaui pro te, &c. Hoc argumentum efficax est pro Sede Petri, & successore ipsius, quod fides eius non finaliter deficiet.]

Henricus Ostiensis Cardinalis de auctoritate, & vsu pallij, §. Et quo loco: [Speciale est in Papa, quod semper, & vbique pallio vti potest: item quia vniuersa Christianitas sua prouincia intelligitur: item & respectu ipsius vnus est Episcopatus, nedùm quo ad hoc, vt intelligatur sponsus vnus Ecclesiæ (quia hoc commune est sibi, & omnibus Episcopis) quinimmò etiam quoad administrationem: item & respectu huius generalis administrationis potest dici, quod alas habet latas, & liberas, qui nulli subest, & vbique dominatur; sed alij habent ipsas alligatas nexibus præceptorum.]

Vincentius Bellouacensis Episcopus ex Ordine Prædicatorum prologo in quatuor specula, Doctrinal. cap. 13. [Sancta Romana Ecclesia nullis Synodicis institutis cæteris Ecclesijs prælata, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri primatum obtinens, dicentis: Tu es Petrus, & super hanc pe-

petram ædificabo Ecclesiam meam.]

Guillelmus Tornacus de officiò Episcopi cap. 35. [Sola Romana Ecclesia, cuius fides in nulla tentatione deficit, vtpotè supra petram stabilem solidata, nullis hæresibus, nullis erroribus potest, vel potuit, vel poterit inquinari. Licèt enim prora vacillet in mari, licèt carina elidatur fluctibus, puppis tamen permanet immobilis, &c. Papa typum tenet indiuidualiter Domini Nostri Iesu Christi, de cuius potestate magis est reuerentialiter subticendum, quàm temerè discutiendum.]

Richardus de Mediauilla in 4. Sentent. distinct. 24. artic. 5. quæst. 3. [Cùm Ecclesia sit vnum corpus Christi mysticum, ex diuersis statibus, & membris constitutum, ad obseruationem huius veritatis oportet esse vnum caput omnium statuum Ecclesiæ, & membrorum vniuersali regimine regitiuum, sub quo diuersi status Ecclesiæ, & membra diuersa conueniant, secundùm debitam proportionem in vnum: vt sic conformetur Ecclesia Militans suo exemplari in Cœlo. Ille autem Episcopus, qui præest toti Ecclesiæ, est Episcopus Romanus.]

Ægidius Romanus ex nobili familia Columnensium, Ordinis sancti Augustini Prior generalis, ac posteà Archiepiscopus Bituricensis, sancti Thomæ auditor.

Henricus Gandauensis Archidiaconus Tornacensis, vir doctissimus in egregio Quodlibetorum opere, quodlibet. 6. quæst. 23. [In Ecclesia Militante sub Deo Christus, (secundùm quòd homo) Caput est, & Monarcha. Hierarcha primus post Christum Petrus erat, cui ambas claues tradidit, & duos gladios commisit. Vndè Papa habet vtrumque gladium spiritualem, & temporalem, in auctoritate quadam prima, & superiore.]

Andronicus Imperator Græcorum, ex Imperatoria Comnenorum familia, in epistola, quæ extat græcè in Bibliotheca Palatina ex Coccio: [Hæc similiter sacrosancta Romana Ecclesia, supremum, absolutumque Principatum, potestatemque super vniuersam Ecclesiam Catholicam habet: quamquidem potestatem in se ipsa iure, & humiliter agnoscit esse, atque accepisse cum plena auctoritate ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum Principe, ac vertice, cuius Romanus Pontifex est successor. Et quemadmodùm præter alias Ecclesias habet potestatem de fide iudicandi; sic & quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, huius iudicio dissoluendæ sunt. Ad hanc vnusquisque vexatus prouocare potest, & in omnibus causis, quæ ad examen Ecclesiasticum spectant, ad huius iudicium potest quisque recurrere. Et huic omnes Ecclesiæ sunt subiectæ.]

Engelbertus Abbas Admontensis in lib. de ortu, & fine Romani Imperij cap. 21. Apostolus quoque 2. Thessal. 2. loquens de aduentu Christi, dicit, [quòd nequaquam veniet ille iniquus, nisi venerit discessio primùm, de qua discussione dicitur in glossa ibidem, quod triplex discessio præceder aduentum Antichristi, videlicet primò discessio Regnorum à Romano Imperio, secundò Ecclesiarum ab obedientia Sedis Apostolicæ, tertiò verò discessio Fidelium à fide; quia stante adhùc capite Ecclesiæ in spiritualibus, scilicet Apostolica Sede; & capite in temporalibus, scilicet Imperio Romano: & stantibus adhùc Fidelibus in fide, locum, & commoditatem non habebit deceptio, & dominatio Antichristi, capitibus prædictis, & membris ipsorum ei resistentibus. Cùm verò corpus Ecclesiæ factum fuerit acephalum, & per consequens membra singula sine motu, & sensu, quantùm ad veritatem, & vnitatem, ac firmitatem fidei, tunc locum, & effectum habebit aduentus Antichristi, & malitia ipsius.]

Decimumquartum Seculum ab anno Domini 1300. *ad* 1400.

CVm exarsisset diù grauis inter Clerum, & Religiosa Sodalitia controuersia, an qui apud Religiosos sacra exhomologesi crimina expiarant, ad illa iterùm Parocho aperienda tenerentur, nec illam Bonifacius Octauus, licèt tulisset de pluribus alijs controuersijs sententiam, diremisset: Benedictus XI. pro suprema in huiusmodi religionis, ac fidei quæstionibus auctoritate Romani Pontificis, pronunciauit ea reperere necessarium non esse, nec censuras, ac sententias in religiosos viros, qui sacras Fidelium confessiones exceperant, latas quidquam valere. Contra quæ posteà Ioannes è Poliaco Parisiensis Doctor ausus est quidem inanes aliquas argutias effutire, sed ipsemet eas in Cardinalium Consistorio Ioanne XXII. Summo Pontifice damnauit.

Clemens Papa V. vt ex suprema, quam habet in Ecclesia potestate Romanus Pontifex, in causa Templariorum, nec non ad reformationem morum, Concilium Generale Viennense plusquàm trecentum Episcoporum, Patrum, atque Prælatorum, præter Cardinales, duosque Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum, indixit; ità eamdem in literis pro tali indictione datis ad omnes Ecclesiasticos, ac Principes Christianos testatam his verbis esse voluit: [Sancta Romana Ecclesia mater alma Fidelium caput est, disponente Domino, Ecclesiarum omnium aliarum, & magistra, à qua veluti à primitiuo fonte ad singulas Ecclesias eiusdem fidei riuuli deriuantur; ad cuius regimen voluit Christi clementia Romanum Pontificem vice sui deputare ministrum, vt instructionem, ac doctrinam ipsius eloquio veritatis Euangelicæ traditam cuncti renati fonte baptismatis teneant, & conseruent.] Qui autem id singulari priuilegio præstare posset Pontifex, si Fideles hæresim docere, credendamque illis proponere posset, vt asserunt aduersarij eius infallibilitatem negantes in rebus fidei, ac religionis. Ex eadem auctoritate supradicti Concilij decreta solemni Ecclesiæ consuetudine promulgauit duodecimo Kalen. Aprilis Montilijs in Diœcesi Carpentoracensi. Ritum etiam creandi Romanos Pontifices præscripsit; Dulcini Sectam, Begardorum, & Beguinarum hæreses condemnauit; Petrum Moronæum Expontificem

ficem cœlitibus adscripsit; aliaque permulta in argumentum supremæ, ac infallibilis auctoritatis suæ præstitit.

Ioannes Papa XXII. priùs Iacobus Ossa, seu Deusa Cardurcensis, Cardinalis Episcopus Portuensis, quàmplura etiam sanciuit; quibus clarè potestatis Pontificiæ in vniuersam Ecclesiam amplitudo demonstrata habetur; præcipua sunt, diploma, quo Tholosanum Episcopatum in nouam Metropolim erexit, cumque à cura Metropolitani Narbonensis exemit; Depositionis sententia lata in Hugonem Cathurcensem Episcopum ob varios excessus; Eius rescriptum aduersùs Fraticellos hæreticos, quod incipit, [Sancta Romana, atque Vniuersalis Ecclesia;] nec non aliud contra quosdam ex Ordine Minorum, quod incipit, [Gloriosam Ecclesiam,] vbi primùm eorum reprehendens errorem aduersùs Ecclesiam Romanam, ait: [Vna est igitur Sancta Vniuersalis Apostolica, atque Romana Ecclesia, quæ non humana præsumptione, seu potestate nititur, sed Diuina, & prorsùs incommutabili auctoritate fundatur; cuius egregium Primatum, si quis impiè docendo negat, non solùm criminosus, aut schismaticus esse conuincitur, sed hæreticus impietatis suæ merito, Diuina etiam, atque humana ratione, & auctoritate censetur. Quia peccatum paganitatis incurrit, quisquis dùm se Christianum asserit, Sedi Apostolicæ obedire contemnit: cui inter cætera dona hoc priuata largitione concessum est, vt saluberrima fides, quam beatus Petrus Cælesti Patre reuelante cognouit, & immensa potestas, quam ei in eodem Apostolorum Principe Christus indulsit, sic per legitimam Romanorum Pontificum successionem illibata decurrat, vt illam vsque ad finem seculi, nec perfidia maculet, nec adulterini Pastoris Pontificium interrumpat, &c.] Quis hæc cum Romani Pontificis deficientia ab aduersarijs asserta concordet.

Occasione Decretalis Papæ Nicolai IV. [Exijt,] quam pro Regulæ Diui Francisci declaratione ille ediderat, cùm Fraticellorum, seu Beguardorum aliqui, in vulgus spargerent, Christum Saluatorem quamdiù inter homines versabatur, nihil proprium in communi, aut particulari vsu possedisse, sed omninò pauperrimam vitam absque omni peculio egisse; Ioannes XXII. qua fuit prudentia, ne temerè quidquam in re maximi momenti statueret, eam omnibus Academijs, ac doctissimis viris vbique disceptandam proposuit; indéque edictum [Ad conditorem canonum,] de vsu rerum à dominio distincto promulgauit; quod iterùm anno sequenti longè magis amplificauit, principalemque controuersiam absoluit, alia edita constitutione, [Cùm inter nonnullos viros, &c.] in qua declarat, hæreticum esse affirmare, quod Dominus Iesus Christus, eiusque Apostoli nihil habuerint in speciali, nec etiam in communi. Quæ definitio vehementer torsit Ludouicum Bauarum, & reliquos Gibellinos, quibus cordi erat, omnes Ecclesiasticos possessione bonorum exuere, vel hoc præcipuè cauillo; quod non æquum esset, Christi Vicarium, & Apostolorum successores, illis locupletiores esse: cùm neque Christus, neque Apostoli quicquam proprium in possessione, suum censuerint. In hac autem definitione Ioannem à Nicolao minimè discordare, vel inter se contrarios esse patebit legenti eorum constitutiones, necnon ex dicendis infrà cap. 17. & 19.

Immò cùm à præfato Ludouico Bauaro iam ob graues eius excessus anathematis sententia percusso, sparsa in vulgus fuisset epistola calumnijs plena, aduersùs Ioannem, nec non alia Scriptura, qua ab eius sententia ad futurum prouocabatur Concilium, eas quidem literas in cæteris, appellationemque tamquam nullius momenti magno contempsit animo, sed quòd constitutiones in materia de paupertate Christi, hæresis nota iniquè aspergerentur, in præiudicium Pontificię infallibilitatis minimè patiendum esse ratus, tam illam, quæ incipit: [Ad conditorem, &c.] quàm alteram, quæ habet, [Cùm inter nonnullos viros, &c.] alia sanctione, [Quia quorumdam mentes, &c.] iustificare voluit, simulque hæreticos, ac Romanæ Ecclesiæ rebelles ab omnibus euitandos decreuit, qui deinceps scienter, verbo, vel scripto aliquid defendere, vel approbare contra dictas constitutiones præsumerent.

Tandem iuxta promissionem Christi Domini de non præualituris vmquam aduersùs Vicarium suum inferi portis, Marsilium Paduanum, Ioannem Iandunum, Michaelem Cesenatem, & alios plures hæreticos condemnauit, Petrumque Corbarium Antipapam Nicolaum dictum errores commissos eiurantem, ac ingenti cordis amaritudine detestantem ad pœnitentiam recepit.

Quod autem Caluinus primarum institutionum cap. 8. num. 233. ait Ioannem XXII. palam asseruisse animas esse mortales, vnàque cum corporibus vsque ad diem Resurrectionis interire, manifestum est mendacium. Namque nedum Ioannes Summus Pontifex, sed nemo Christianorum vmquam asseruit, animas esse mortales, sed tota quæstio in eo versabatur: An Sanctorum animæ à Dei facie, seu essentia, ante diem iudicij clarè cernenda retardarentur; in cuius partem affirmatiuam, nihil vmquam vt Pontifex, qua solùm ratione certum est eum gaudere priuilegio infallibilitatis in rebus fidei, determinauit, quin potiùs contrarium sensisse clarè colligitur ex eius diplomatibus in canonizatione sancti Ludouici Tolosatum Episcopi, sancti Thomæ Herefordensis, sanctique Thomæ Aquinatis. Vt priuatum etiam Doctorem, nihil in hac re errasse magis certum, tum quia circa illam nihil adhuc fuerat ab Ecclesia, Summisque Pontificibus definitum, tum quia, quæ pro illa protulit argumenta, antiquorumque Doctorum testimonia, non tam ab eo afferendi, quàm disputandi, veritatemque disquirendi gratia fuisse allata, testari videtur eius constitutio, [Ne super his, quæ de animabus purgatis,] qua antequam rebus humanis eximeretur, quid de visione animarum ipse ex animo censeret, vel olim censuerit aperire voluit; illudque & omnia alia quæcumque dicta, prædicata, & scripta submittere determinationi Ecclesiæ, ac successorum suorum; quibus sanè verbis satis ostendit se nihil in dicta quæstione determinasse,

Pon-

Pontificiamque in Ecclesia infallibilitatem agnouisse dum illorum determinationi, quæ vt priuatus doctor dixit, prædicauit, & scripsit humiliter submittit. Et ita hæc submissio aliæque similes diuersorum Pontificum, in quibus aduersarij magnam vim faciunt ex ore ipsorummet pro deficientia Romani Pontificis in rebus fidei, nihil aliud probant, quàm eum, vt priuatam personam errare posse, secus autem vt Pontificem in definiendis rebus fidei, aliàs se, suaque non subiecisset Ioannes successorum determinationi, si eos, vt tales errandi periculo obnoxios esse credidisset, cùm cæcus cæcum ducere, errantemque in via ad rectum iter reducere non valeat.

Benedictus XII. Fraticellorum errores, & hæreses, quas priùs inter Cardinales existens confutarat, refertque auctor directorij Inquisitorum, condemnauit epist. 410. Quanta quoque possent scandala suboriri considerans, ex præmissis tempore Ioannis antecessoris sui concertationibus non solutis, super visione animarum iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile cum de hoc seculo decesserunt, vel si fuerat iam purgatum ex toto, an diuinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem, & iudicium generale; partem affirmatiuam in sua Decretali, quæ incipit, [Benedictus Deus in donis suis,] definiuit ab omnibus fidelibus esse tenendam, quodque contra eos, qui contrarium scienter, & pertinaciter tenere, conferre, prædicare, docere verbo, vel scripto præsumpsissent, sicut contra hæreticos modo debito procederetur. Quod idem & ex eodem communi infallibilitatis priuilegio præstitisset Ioannes, nisi Deo ita disponente morte præuentus fuisset: vt in præfata Decretali asseritur. [Cùm, inquit, idem prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet in suo consistorio publico, tam fratribus suis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quàm Prælatis, & Magistris in Theologia, qui multi aderant præsentes iniungendo districtiùs, & mandando, vt super materia de visione prædicta, quando requirerentur ab eo deliberatè vnusquisque diceret, quod sentiret; tamen morte præuentus, sicut Domino placuit, perficere illud nequiuit.

Idem Benedictus in principio Constitutionis pro surrogatione Patriarcharum hæc habet: [Sancta Romana Ecclesia, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum à Deo, vt potè mater vniuersorum Christi fidelium, & Magistra, quatuor Patriarchales Sedes instituit, &c.]

Clemens Papa VI. in principio diplomatis confirmationis electionis Caroli IV. Marchionis Morauiæ in Imperatorem, hæc pro suprema Romani Pontificis auctoritate præmittit: [Romanus Pontifex, cui Rex æternus, & Summus in persona beati Petri Apostoli æterni Viceclauigeri, cœlestis simul, & terreni iura Imperij, & plenitudinem potestatis concessit, super cunctos fideles suæ curæ commissos, considerans, & intendens, &c.]

Plura quoque in eiusdem supremæ, & infallibilis auctoritatis Pontificiæ argumentum habet in Bulla ad Patriarcham Armenorum, quæ incipit. [Super quibusdam articulis, &c.]

Innocentius Papa IV. in suis passim literis, præsertim ad Ioannichum Patriarcham Seruiæ, vt ad Ecclesiæ Romanæ rediret vnitatem, de ea vt non ponente in numero cum Summo Pontifice, ita scribit pro eius indefectibilitate: [Mediator Dei, & hominum Christus Iesus in Petri petra, Romana videlicet, & Catholica, & Apostolica Ecclesia omnium fidelium Christi matre, quam solus ipse fundauit, & rexit, ac regit, & quæ super cunctas alias Orbis Ecclesias, diuina dispositione primatum fidei, cuius idem ipse Christus auctor est, sic solidè fundamenta locauit, sicque illam insolubili vinculo, & inseparabili vnione copulauit eidem, quòd licèt multos ab ipsius Ecclesiæ corpore fallente diabolo, vel contagiosus hæresis morbus abiecerit, vel scissura damnati schismatis separarit, ipsius tamen fidei immaculata sinceritas apud eamdem Ecclesiam inseparabiliter permanens, velut granum tritici, quod per abscessum paleæ purgatius remanet, & lux fulgentis syderis, quæ apparet clarior per excussionem offuscantium nebularum semper purior elucescit.

Vrbanus Papa V. in formula fidei, quam Ioanni Paleologo Imperatori Græcorum misit, pro illis ad Ecclesiæ Romanæ vnitatem reducendis, hunc inter alios proponit articulum. [Ipsa quoque Sacrosancta Romana Ecclesia, Summum, & plenum primatum, & principatum super vniuersam Ecclesiam Catholicā obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe, seu verticē, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit: & sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest grauatus quilibet in negotijs ad forum Ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed & in omnibus causis, examen Ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest recurri iudicium.] Item in epistola ad tres Patriarchas Græcos habet: [Cæterùm valde gratum habebimus, quod cum magnifico viro Ioanne Paleologo Imperatore Græcorum illustri, & cum multis alijs viris literatis, & authenticis de clero, & populo Græcorum, ad Sanctam Sedem Apostolicam Matrem, & Magistram cunctorum fidelium, ad quam idem Imperator venturum se obtulit veniatis, vbi vos libenter videbimus, & condignis honoribus prosequemur, ac dante Deo tollentur schismata, & aliàs saluti dictarum prouidebitur animarum.

Bonifacius Papa IX. legitimus successor legitimi etiam prædecessoris Vrbani VI. in Sede Apostolica, aduersante quantumuis per grauissimum, & longissimum schisma Roberto Gebennensi sub nomine Clementis, vt in canonizanda sancta Birgitta Sueca, supremæ & infallibilis auctoritatis Pontificiæ specimen dedit, ita quoque verbis illam confirmauit in publicato ea de re diplomate §. 1. [Tamdem verò de mundo transiturus ad Patrem, ait loquens de Christo, Principi Apostolorum

rum cœlesti clanigero, in suam, suorumque successorum Pontificum personas, collatis clauibus, ligandi videlicet, & soluendi tradita potestate, supremum Pontificium, specialem curam sui gregis, & regimen vniuersale commisit; pollicitus nihilominus Ecclesiam in æternum se non deserturum eamdem.] Cuius tamen oppositum sequi, & argui videretur, si Summus Pontifex Romanus, cui Christus supremum Ecclesiæ Pontificium, specialemque curam sui gregis, & regimen vniuersale commisit, cuique proinde iuxta collatam ei talem, ac tantam potestatem omnes fideles obedire tenentur, eos hæresim ex Cathedra docere posset, ob assertum in eo ab aduersarijs infallibilitatis defectum, in rebus, ad fidem, ac Religionem spectantibus. Sed audiamus iam, quid præter adductos Pontifices, in hac causa supremæ, & infallibilis auctoritatis ipsorum, deponant quamplures alij omnis generis testes, qui in hoc decimoquarto vixere seculo.

Philippus Galliarum Rex Christianissimus, quidquid sit de priuatis eius cum Bonifacio discordijs, in suis ad Benedictum XI. successorem gratulatorijs literis, hoc vtitur titulo: [Sanctissimo Patri Domino Benedicto, diuina prouidentia Sacrosanctæ Romanę, ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Philippus Dei gratia Francorum Rex deuota pedum oscula Beatorum.] Deinde in fine ait nuntios suos ad Sanctitatis suæ præsentiam destinasse ad exponendum perfectiùs, & pleniùs illi exhibẽdum omnimodæ reuerentię & deuotionis indicia: [Quod certè omnimodam in Romano Pontifice agnosceret auctoritatem spiritualem.

Episcopus Orientalium Hiabalaba, literis quoque ad eumdem Benedictum Chaldaicè scriptis, quibus fidem Catholicam est professus, quàm augustè de Romani Pontificis, Romanæque Sedis primatu, & auctoritate senserit, testantur eius verba in principio: [Superabundanti Patri in Sanctitate, & superexcellenti in spiritualibus donis Vicario Domini nostri Iesu Christi super totam fidem Christianam sedenti, super Sedem beati Petri Apostoli pastoris nostri, & patroni, Patri patrum, Regi Regum, Sanctissimo Papæ Benedicto, quem Deus induit Sanctissima, ac dignissima veste.] Paucis deinde interiectis de morte Bonifacij per fratrem Iacobum Ordinis Prædicatorum manifestata: [Insinuauit insuper nobis, inquit, quod istud donum per maximum, & maxima Sedes throni Apostolici, ac vniuersalis paternitas omnium fidelium, ac Summus Pontificatus omnium Pontificum in omni Ecclesia Catholica, & Apostolica à Deo Omnipotente, & pijssimo vestræ collatus fuit Sanctitati, quam Deus custodiat, & conseruet. In fine demum ait: Profitemur insuper Sanctum Romanum Summum Pontificem, & patrem vniuersalem omnium fidelium Christi: & confitemur, quod ipse est successor beati Petri vniuersalis Vicarij Iesu Christi super omnes filios Ecclesiæ ab Oriente vsque in Occidentem; cuius amor, & dilectio in nostris cordibus est firmata, & nos sub eius obedientia sumus, & requirimus, & imploramus suam benedictionem, & sumus parati ad omne eius pręceptum, &c.] Habetur lib. priuil. Roman. Eccles. tomo 3.

Henricus VII. in professione fidei, quam consecratus Imperator edidit, hæc ad Romanæ Ecclesiæ, & ipsius Antistitis supremam auctoritatem habet: [Sanctam Romanam Ecclesiam sicut matrem, & ipsius Sedis Antistitem tamquam Christi Vicarium, & beati Petri Apostoli successorem veneramur, & pręcipimus à cunctis ex debito venerari; Ipsam enim Romanam Ecclesiam in spiritualibus, diuinæ prouidentiæ altitudo vniuersis dispositione incommutabili Ecclesijs prætulit, & totius orbis laurea præcipua insigniuit, & ideo hanc esse omnium Ecclesiarum caput, & Patrum regulæ, & Principum statuta declarant, ac Serenissimi nostri testantur affatus.] Ex M. S. Vaticano apud Bsouium tom. 14.

Michael Catharus Andronici Græcorum Imperatoris ex filio nepos ad vnitatem Ecclesiæ à Ioanne XXII. susceptus fuit, ex formula fassus, ea se credere, quæ Sancta Romana Ecclesia corde credit, & ore confitetur; quam etiam is ipse Matrem omnium Christi fidelium, magistram vniuersarum Ecclesiarum, Romanumque Pontificem caput, Pastorem, & vniuersalem Antistitem, adeoque Principem Episcoporum: disertis verbis pronunciauit, seque in vnione Romanæ Ecclesiæ, ac obedientia Romani Pontificis fore spopondit. Ciaconius in Ioanne XXII.

Ludouicus Bauarus in literis ad Benedictum XII. datis pro sua absolutione, & restitutione, & alijs hunc habet titulum: [Sanctissimo in Christo Patri; & Domino suo Domino Benedicto XII. diuina prouidente clementia Sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici. Ludouicus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus suus filius deuotus, cum sui, & Regni Romanorum recommendatione deuota pedum oscula Beatorum.] Eiusdem tenoris est ille, quo Germaniæ Antistites in sua ad eumdem Benedictum epistola vsi sunt: [Sanctissimo in Christo Patri, ac Domino suo, Domino Benedicto Sacrosanctæ Romanæ, & vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Henricus Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Moguntinus, &c. cum omnimoda subiectione, humilitate, & reuerentia, seipsos ad pedum oscula Beatorum.] Eumdem quoque adhibuit Carolus IV. Imperator in suis ad Clementem VI. literis: [Sanctissimo in Christo Patri, & Domino suo Domino Clementi Sacrosanctæ Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici Carolus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Bohemiæ Rex, cùm reuerentia debita, & deuota pedum oscula Beatorum :] item in suo ad Innocentium VI. diplomate, pro sua iuxta formam antiquam Romæ inauguratione.

Ioannes Paleologus Græcorum Imperator, cùm, vt ipse ait in principio professionis fidei, Spiritus sancti lumine illustratus, volens saluti animæ suæ prouidere, spontè venisset ad Sacram Vrbem Romanam, Sanctissimum Patrem Dominum Vrbanum diuina prouidentia Papam V. & Sanctam Sedem Apostolicam visitaturus, hæc, coram quatuor Cardinalibus à Summo Pontifice Romano deputatis, vt eius professionem fidei excipe-

cipere iuxta priscam Romanę Ecclesię formulam, de suprema eius auctoritate professus est: 15. [Ipsa quoque Sacrosancta Romana Ecclesia, summum, & plenum primatum, & principatum super vniuersam Catholicam Ecclesiam obtinet, quem scilicet ab ipso Domino, in beato Petro Apostolorum Principe, seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum plena potestate recepisse veraciter, & humiliter recognoscit: & sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones suo debent iudicio definiri: ad quam potest grauatus quilibet in negotijs ad forum Ecclesiasticum pertinentibus appellare: Sed, & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius recurri potest iudicium, & eidem omnes Ecclesiæ sunt subiectæ: ipsarumque Episcopi obedientiam, & reuerentiam sibi debent: apud quam sic plenitudo potestatis consistit, quòd Ecclesias cæteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas, Patriarchales præcipuè, diuersis priuilegijs eadem Romana Ecclesia honorauit, sua tamen prærogatiua & excellenti dignitate, & superioritate, tam in Generalibus Concilijs, quàm in quibuscumque alijs semper salua. Vnde suprascriptam fidei veritatem, provt plenè lecta est, & fideliter exposita, veram, sanctam, & orthodoxam fidem esse recognosco, eam accepto, & corde, ac ore profiteor, ipsamque provt eam veraciter tenet, & fideliter docet, & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia, me inuiolabiliter seruaturum, & in ea omni tempore perseueraturum, nec ab ea vllo tempore recessurum, seù quoquo modo deuiaturum promitto, & abrenuntio omni schismati, 16. Primatum quoque ipsius Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius Ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens fateor, & recognosco, accepto, ac spontè suscipio; & me omnia præmissa, tam circa fidei veritatem, quàm circa dictæ Ecclesiæ primatum, & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, obseruantiam, & perseuerantiam seruaturum, præstito corporali iuramento promitto, & confirmo. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.] Exemplar asseruatur in archiuio molis Adrianæ.

Cùmque idem Imperator alijs iterum diplomatibus fidem Catholicam magis disertè professus, pacta cum Sede Apostolica sancita confirmasset, in vno ex illis declarare voluit, quam Romanæ Ecclesiæ nomine intelligeret Ecclesiam, quando in professione fidei ait; [Credo hanc esse veram fidem Catholicam, & quòd hanc super dictis articulis tenet & prædicat Sacrosancta Romana Ecclesia,] &c. [Dicimus, inquit, ad omnem ambiguitatem tollendam, nos credere, & intelligere Romanam Ecclesiam, cui nunc præest præfatus Dominus Papa, & sui prædecessores Romani Pontifices præfuerunt, pro vt credimus intelligunt Catholici Christiani in occidentis partibus constituti.]

Eamdem quoque supremam Romanæ Sedis auctoritatem, agnouisse Ioannem Cantacuzenum Eximperatorem Constantinopolitanum, D. Basilij institutum amplexum, nec non pro ea apud Græcos stabilienda strenuè adlaborasse, testantur literæ Greg. Papæ XI. ad eum datæ Auenione 5. Kal. Febr. Pontificatus anno quinto. [Quia, inquit, venerabilis frater noster Ioannes Episcopus Taruisiensis lator præsentium nobis exposuit, quòd in quadam disputatione, quam nuper tu, & quidam alij Græci, tam prælati, quàm alij cum quibusdam fratribus Ordinis Prædicatorum, quos ad Patres Armeniæ maioris ad conseruationem fidelium, & conuersionem infidelium dictarum partium mittebamus, super his, in quibus Græci à Latinis discordare noscuntur, in ciuitate Constantinopolitana habuistis, non immemor, verbi Saluatoris nostri, qui dixit beato Petro, cuius sumus diuina permissione successor, tu es Cephas, spontè confessus es, te credere, & tenere sanctam Romanam Ecclesiam, quæ mater est omnium fidelium, & magistra, super omnes orbis Ecclesias obtinere primatum: & quòd ad hoc defendendum, si expediret, morti exponeres corpus tuum: cuius quidem Episcopi vti fide digni relationi huiusmodi, nos fidem indubiam adhibentes, quamplurimam sumus de dicta confessione lætati, agentes Deo gratias, qui cordi tuo est dignatus infundere, vt verbum tam bonum, tamque salutiferum eructaret.]

Carolus IV. Romanus Imperator, in literis ad Gregorium XI. quibus ipsi significat filium suum Wenceslaum in Regem Romanorum ab Electoribus esse concorditer electum, nec non idem Wenceslaus in alijs, quibus procuratores constituit ad petendam ab eo imperij coronam, aliaque necessaria in hunc finem præstanda, hac vtuntur inscriptione: [Sanctissimo in Christo Patri, & Domino nostro Reuerendissimo Domino Gregorio, digna Dei prouidentia Sacrosanctæ Romanæ, ac vniuersalis Ecclesiæ Summo Pontifici, deuota pedum oscula Beatorum.]

Petrus Bertrandus Episcopus Eduensis postea verò Cardinalis, in libello aduersùs Petrum de Cugneris pro Ecclesiastica libertate, nec non tractatu de origine, & vsu iurisdictionum, siue de spirituali, & temporali potestate, Pontificium primatum apprimè defendit, quæstione præsertim 4. dicti tractatus: [Respondeo, & dico quòd potestas spiritualis debet dominari omni humanæ creaturæ, per rationes, quas Hostiensis induxit in summa, qui filij sint legitimi, §. qualiter, & à quo. Item, quia Iesus Christus filius Dei; dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturalis Dominus fuit: & de iure naturali, in Imperatores, & quoscumque alios depositionis sententias ferre potuisset, & damnationis, & quascumque alias; vtpotè in personas, quas creauerat, & donis naturalibus, & gratuitis dotauerat, & etiam conseruabat; & eadem ratione etiam eius Vicarius potest. Nam non videretur discretus Dominus fuisse (vt cum reuerentia eius loquar) nisi vnicum post se talem Vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset. Fuit autem iste Vicarius eius Petrus apud Matthæum. Et idem dicendum est de successoribus Petri: cùm eadem absurditas sequeretur, si post mortem Petri humanam naturam à se creatam, sine regimine vnius personæ reliquisset. Argumentum ad hoc, qui filij sint legitimi cap. per venerabilem, vltra medium, de hoc notat Innocent.

in

in cap. licèt de foto compet. Et ideo Bonifacius Octauus motus multis alijs efficacibus rationibus, & exemplis, & auctoritatibus Sacræ Scripturæ, declarauit, dixit, & definiuit subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, de necessitate salutis; vt in Decretali vnam Sanctam: quam de verbo ad verbum in fine huius opusculi inserere curaui, quoniam elucidat, & declarat materias huius quartæ quæstionis.]

Nicephorus Callistus historic. Græcus lib. 4. cap. 38. & lib. 9. cap. 8. [Athanasius Romæ agebat, venit eò Constantinopolitanus quoque Paulus, & Marcellus Ancyranus, Lucius quoque Adrianopolitanus Romam confugit. Horum causa Iulius Antistes Romanus cognita, pro amplitudine Sedis suæ, ex veteri priuilegio, & prærogatiua persuasum habens, omnium vbique Episcoporum curam, & iudicium ad se pertinere, datis cuique liberrimè scriptis literis, suas eis Ecclesias reddidit, eosque in Orientem remisit, eos, qui temerè illos exauctorassent, perstringens.] item cap. 37.

Nicephorus Gregoras Historicus quoque Græcus ab anno Domin. 1200. vsque ad annum 1344. loquens de inita à Michaele Palæologo cum Papa veteris, ac nouę Romæ Ecclesiarum concordia; [Eius, inquit, hæc tria fuerunt capita: primò, vt in sacrorum voluminum hymnodijs Papæ cum quatuor Patriarchis fieret mentio: alterum, vt liceret cuiuis Romam veterem, quæ curia maior, & perfectior esset appellare: tertium, vt illi principatus in omnibus deferretur.]

Rainerus Pisanus in Pantheologia capit. 31. de ordine: [Supra potestatem Episcopalem debet esse in Ecclesia potestas Papalis. Primò, quia optimum regimen multitudinis est, vt regatur per vnum. Quod patet ex parte finis regentis, qui est pax: nam pax, & vnitas subditorum est finis regentis, &c. Ergo cùm regimen Ecclesiæ sit optimum vtpotè per eum dispositum, & ordinatum, per quem reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, oportet, quòd vnus toti Ecclesiæ præsit, scilicet Papa. Secundò, quia in triumphante Ecclesia, vnus præsidet in toto vniuerso, scilicet Deus: Ergo etiam in Ecclesia militante vnus est, qui præsidet vniuersis. Hinc est, quod dicitur Oseæ 1. Congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, scilicet Papam &c. Sic igitur patet, quòd Papa est super omnes Episcopos, vel Archiepiscopos, & super omnes gradus aliarum dignitatum.]

Durandus à S. Portiano Ordinis prædicatorum, & Episcopus Meldensis in 2. sentent. distinct. 44. quæst. 5. Vtri monachus teneatur plus obedire, an prælato suo religioso, an Episcopo, seu Papæ; docet, [omnium Superiorum Ecclesiasticorum potestates procedere à potestate Papæ, & vnam subijci alteri tantùm in certis casibus, pro vt volunt iura canonica, quorum Papa est conditor.] Item in 4. dist. 24. quæst. 5. vtrùm in Ecclesia sit aliqua potestas maior Sacerdotali, ait, distinctione præmissa de potestate iurisdictionis, & consecrationis, multos esse maiores simplici Sacerdote quoad primam. [Quia potestas, quæ tota data est vni in suo fonte non est in alijs, nisi deriuata, & limitata pro illius voluntate: sed potestas iurisdictionis, quæ est ad regendum populum tota, & in suo fonte data fuit soli Petro, & successoribus eius, quando cura Ecclesiæ ipsi fuit commissa, dicente Domino Ioann. vlt. Pasce oues meas. Hoc enim nulli aliorum Apostolorum dictum est: nec tunc, nec ante, nec post, ergo talem potestatem plenam, & perfectam habet solus successor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quasi Pater patrum. In alijs autem non est nisi deriuata, & limitata prout Papæ placet.] Quomodo autem dicta potestas ad regendum populum Dei, dici posset data Summis Pontificibus Romanis à Christo Domino tamquam suis Vicarijs, tota, plena, & perfecta; si priuilegium infallibilitatis non haberent; sed in docendis fidelibus errores, ac hæreses illis credendas proponerent. Ea igitur ratione, qua super omnes Papa collocatur, residetque penès ipsum plenitudo, & primitas huius potestatis, necessariò inferendum est, eum quoque infallibilem esse in rebus fidei, vbi illas ex cathedra definit; adeovt, omnino inconsequenter loquantur, qui semel admissa in Romano Pontifice tali potestate, eius postea negant indeficientiam, quæ non potest non esse præcipua, & potissima pars plenitudinis huius potestatis, quæque ab aduersarijs rationabiliter concedi non potest Generalibus Concilijs seorsim à Summo Pontifice, nisi admissa in illis eadem dictæ potestatis plenitudine, & primitate ad regendam Ecclesiam.

Eamdem tradit doctrinam Herueus Natalis, eiusdem Ordinis Prædicatorum Magister Generalis in tractatu de potestate Papæ; nec non alio de vtraque potestate Papali, & Regali.

Augustinus Triumphus Ordinis Eremitarum sancti Augustini vir pius, & doctus scripsit egregiam summam de potestate Ecclesiæ centum, & duodecim quæstionibus distinctam, in quibus passim, sed præcipuè decima, eamdem supremam, & infallibilem Papæ auctoritatem docet; proposito enim, vtrùm spectet ad eum determinare, quæ sunt fidei, respondet affirmatiuè, & in argumento, sed contra, illud probat auctoritate D. Augustini tomo 6. capit. 5. contra epistolam fundamenti, vbi dicit: [Ego autem non crederem Euangelio, si non crederem Ecclesiæ. Ex mandato ergo Papæ, qui est caput Ecclesiæ, illa quæ sunt fidei, roborantur, & terminantur.] Deinde in corpore articuli ait: [quod vna est fides totius Ecclesiæ, & modernorum, & antiquorum. Iuxta illud Apostoli ad Ephesios 4. Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Ad illum ergo pertinet determinare, quæ sunt fidei, qui est caput totius Ecclesiæ. Talis autem est Summus Pontifex successor Petri, pro cuius fide singulariter rogauit Saluator Lucæ 22. quando dixit: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Istud autem satis figuratum est Exod. 18. vbi dictum est Moysi, qui fuit Rector Iudæorum, sicut Papa est rector omnium Christianorum: Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt ostendas ei ceremonias, & ritum colendi Deum. Sicut ergo omnes quæstiones emer-

emergentes de lege, & de cultu Dei reseruabantur Moysi determinandæ: sic omnia, quæ sunt fidei Christianæ, Papæ est propriè determinare, vnde dicit Cyrillus in lib. Thesaur. Vt membra maneamus in capite; in nostro Apostolico throno Romanorum Pontificum maneamus; à quo nostrum est quærere, quid credere, quid tenere, & quid quærere debeamus. Et Maximus in epistola Orientalibus missa dicit: Omnes fines Orbis terræ, qui Dominum sincerè receperunt, & vbique rerarum Catholici veram fidem confitentes, in Pontificem Romanum, tamquam in Solem respiciunt: & ex ipso lumine Catholicæ, & Apostolicæ fidei recipiunt veritatem. Nec immeritò? quia Petrus legitur primò perfectam fidem esse confessus, Domino reuelante, cum dixit Matth. Tu es Christus filius Dei viui.]

Postea ad secundum respondet: [Iustum quidem esse, & rationabile, vt cùm quæstiones aliquæ, & dubia insurgunt de fide, quod Papa, Doctores, & Magistros in sacra pagina sibi adiungat, vt per eos plenè veritas discutiatur. Sed talibus quæstionibus finem, & terminum imponere ad solius Papæ potestatem pertinere.]

Pelagius Aluarus, Ordinis Minorum, & Episcopus Syluensis, vt Summi Pontificis Ioannis XXII. defensor accerrimus fuit, ita quoque supremæ auctoritatis Pontificiæ in insigni opere de planctu Ecclesiæ; præsertim lib. 1. cap. 45. & 58. vbi hæc habet verba: [Sciendum est, quòd potentia Summi Pontificis, & Christi Vicarij plena dicitur. Primò, quod ab hac potentia nullus ad Ecclesiam militantem qualitercumque pertinens excipitur, sed omnis homo in præsenti Ecclesia existens ei subijcitur. Secundò, quia omnis potestas ad gubernationem fidelium à Deo ordinata, & hominibus data, siue spiritualis, siue temporalis, in hac parte comprehenditur. Tertiò, quia omnis potestas in Ecclesia ab hac potestate deriuatur. Quartò, quia à nulla potestate humana exceditur.] Vide eumdem lib. 2. cap. 11.

Petrus Paludanus, Ordinis Prædicatorum, & Patriarcha postmodum Hierosolymitanus in 4. sentent. distinct. 24. quæst. 6. [Potestas iurisdictionis, quæ ad regendum populum tota in suo fonte data fuit soli Petro, & in eo successoribus eius, quando cura Ecclesiæ sibi soli commissa fuit, dicente Domino Ioann. 21. Pasce oues meas. Hoc nulli aliorum dictum fuit, nec tunc, nec ante, nec post. Ergo talem potestatem plenam, ac perfectam habet solus successor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quasi Pater patrum.]

Ludolphus Saxo Carthusianus vitæ Christi par. 2. cap. 1. [Ex quo patet, quod præcipuè ad Petri successorem pertinet certificatio dubitationum de fide, & pertinentibus ad eamdem.]

Guido Carmelita, primùm Generalis Ordinis, ac postea Episcopus Maioricensis de Waldensibus errore primo: [Constat, quod Dominus Petrum, & in Petro Petri successore, posuit omnium fidelium caput, cui ait Dominus Lucæ 22. Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: tu autem aliquando conuersus, confirma fratres tuos: ita quod in directione, & confirmatione fidei, Petro, & Petri successoribus est standum, & obediendum, &c. Manifestum est, quòd in Petro omnes continentur, vt in capite post Christum, & ouium Christi pastore. Sic, quòd Petri fides non deficiet à Sede Apostolica, nec à Romana Ecclesia Christi sponsa, quæ tota pulchra est, & labes hæresis, seu macula non est in ea, &c. Item nolentes obedire Romano Pontifici pastori ouium Christi, cui in Petro Dominus ait: pasce oues meas, desinunt esse oues Christi: quia oues Christi vocem eius audiunt, Ioann. 10. Et Christus cum Petri successoribus adest, per suam gratiam eos dirigens, & confirmans in fide, vt eorum doctrina, & regimine perseueret Sedes Apostolica, & Romana Ecclesia, sine ruga, aut macula hæreticæ prauitatis.]

Lupoldus Bambergensis vir eruditus scripsit librum de veterum Principum Germanorum zelo, & feruore, &c. in cuius capit. 4. hæc leguntur: [Cùm Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex sit in terris Vicarius Christi Iesu, vt ipsa quoque Romana Ecclesia, mater, & magistra omnium fidelium, cunctarumque Ecclesiarum caput existat: tantò maiorem, quis zelum Christianæ religionis habere perpenditur, quantò eamdem Ecclesiam, ac Romanum Pontificem potioribus attollit beneficijs, & maioribus honoribus veneratur. Veteres igitur Germani principes moti consideratione prædicta, Ecclesiam Romanam, eiusque rectores Summos Pontifices, grandibus, & varijs beneficijs, & honoribus extulerunt.]

Sancta Catharina Senensis tract. 3. capit. 115. [Clauem huius pretiosi sanguinis Apostolo Petro reliquit, cæterisque successoribus eius præteritis, & qui succedent in futurum, vsque in vltimum iudicij diem, habent, & habebunt eamdem auctoritatem, quæ Petro data fuit. Nec ex aliquo defectu commisso per eos hæc auctoritas vllo modo minuitur.]

Thomas de Argentina Ordinis Sancti Augustini Prior Generalis in 4. Sentent. distinct. 24. art. 4. [Ratione officij super presbyteralem dignitatem inueniuntur in Ecclesia quinque gradus singularis dignitatis, quorum primum tenent Episcopi, secundum Archiepiscopi, tertium Primates, quartum Patriarchæ, quintum Papa, siue Romanus Pontifex, à quo tota monarchia fidelium, tamquam ab vno principe, vniuersalem, & cum hoc immediatam habente potestatem super omnes, & singulos fideles, cuiuscumque conditionis existant, conuenientissimè gubernatur.]

Nicolaus de Gorram Ordinis Prædicatorum in Commentarijs ad capit. 16. sancti Matthæi: [Petrus, & successores eius vocantur in plenitudinem potestatis, cæteri in partem sollicitudinis.]

Baldus Vbaldus celeberrimus Iureconsultus in Proœmio Decretalium num. 6. [Papa est seruus seruorum Dei, quantum ad humilitatem. Nam quantum ad potestatem, est Dominus Dominorum, & quæcumque potestas est sub Cælo, est in Summo Pontifice.]

Manuel Caleca, Græcus, vir doctus scripsit

psit librum contra errores Græcorum pro Latinis, quem vertit in Latinum idioma Ambrosius Camaldulensis, & in libros quatuor partitus est: Capit. 26. lib. 4. hæc habet ad præsens intentum: [Perspicuè liquet, nullam illis excusationem relinqui, qui de processione Sancti Spiritus aduersùs Romanam Ecclesiam contendere instituerunt. Quocirca, quisque mente, & ratione præditus, eamdem cum illa opinionem de S. Spiritus processione tutissimè tueri debet. Et quam in Symbolo vnam, Sanctam, & Apostolicam confitemur Ecclesiam, hanc esse, iustissimè asseuerauerit: eumque, qui ita confitetur, catholicam fidem tenere, illa duce, non ambiget. Ad hæc, & illud intuendum, quanta sit Ecclesiæ magnitudo, quanta rerum moles, vtque ab ea nulla vmquam hæretica sententia manarit, quam beatus fundauit Petrus; quæ, semper ad omnes fluctus immobilis perstitit; quia supra petram, id est, super ipsum Dominum fundata erat, siue super beati Petri firmissimam fidem: quem illi Dominus, cùm corporali præsentia mundum desereret, præfecit, beatum illum appellans; quia non illi caro, & sanguis, sed cælestis pater veram reuelauit fidem. Inde iam principijs Ecclesiastici Principatus iactis, cum interrogatis discipulis, quem esse homines putarent filium hominis, cæteros præueniens, dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Cui responsum protinus est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Rursumque illi hanc commendans dicebat: Si me amas Petre pasce agnos meos; pasce oues meas. Et, de quo ait; Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et, tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, &c.]

Deinde cap. 27. de Constantino, & Siluestro; [Ista, inquit, neque Christianorum Reges ignorantes, quorum primus fuit beatus Constantinus, Siluestrum tunc Romanæ Ecclesiæ gubernacula regentem, communi decreto vbique per orbem promulgato, Petri, & Christi successorem appellat; pastoremque primum, & magistrum Ecclesiæ totius vocat: liquidòque comprobat, se quam inter Christianos inuenerat consuetudinem hoc decreto roborasse. Neque enim nuper ex gentilium errore conuersum ad Christum, noui aliquid in Ecclesia moliri voluisse putandus est, &c.]

[Hæc & hi, qui postea fuere Christianorum Reges agnoscentes, atque in his manere coacti, siquidem hæretici fuissent, Romani Episcopi sententiam, in quibus poterant, secum habere modis omnibus moliebantur, dignitatem eius probè scientes, vtque sufficeret ad omnia sententia illius: Turpe enim simul, atque audax videbatur, Christi cum essent, imprudenter agere: nisi quis fortassis ad omnes leges rebellare instituisset. Sin vero pij, ac religiosi essent, de his, quæ quomodolibet essent ambigua, eius expectabant iudicium, vt, cùm illud haberetur, alijs alia dicentibus, nullus vltra amplius inquirere permitteretur.]

[In Synodis verò ipse omnium princeps præsidebat; &, vel per eum, vel per alios, qui vice sua fungerentur, recta fides roborantur: sine quo aduersùs hæreticos obsisti nequibat, atque non solùm non congregare Synodum, sed neque contra aduersarios dimicando præualere, sine illius auctoritate quispiam poterat, &c.]

[Hæc autem non Romanæ vrbis gratia, illi dignitas, contigit: sed quia successor beati Petri fuit. Eum verò Dominus pro se Ecclesiæ præfecit, atque propter eximiam præficientis gloriam, successor eius, & ea, quam per successionem cæpit Ecclesia, vbicumque terrarum, vel vrbium esset ædificata, idem profectò valeret in omnibus Ecclesię negotijs. Sin verò eam, qua sub cœlo nulla est maior, ciuitatem oportuit præcipuè ad Sedem eligi magnitudini Ecclesiæ Christi congruentem: vt, sicut humanarum illic rerum omnium imperium fuit; ita illic etiam caput Ecclesiæ Christi, fidei per totum orbem edicta promulgaret, atque vnde idololatriæ præcepta manauerant, inde Ecclesiastici principatus vbique terrarum edicta innotescerent, ac faciliùs vnico sub principatu, vbique prædicatio diffunderetur, idcirco etiam Romam in tantum creuisse, quantum in humanis rebus dici potuit, vt rerum dignitati æqua esset proportio, & vndique nobilitas, & magnificentia fidei Christianæ colligeretur: id quoque eius est, qui contraria, ex contrarijs virtutis magnitudine conficit, & fundamento iacit, atque his, quæ proposita sunt, optimè quadrat.]

[Prædicta verò, etiam rebus roborantur. Nam portas inferi Sancti esse hæreticos dicunt, & omnes omnino, qui illi aduersantur; quos Ecclesiæ non præualituras in Petri petra fundatæ, prædixit Dominus. Constat autem, quod alijs quidem Ecclesijs, quas Apostoli ædificauerunt, hi, qui varias, & alijs temporibus alias inuexere hæreses, præualuerunt. Etsi enim non vsquequaque malitia obtinuit, in quantum tamen obtinuit, præualuit. Romanæ autem Ecclesiæ, quam Petrus solidauit, nullus omnino inquam præualuit. Neque enim hoc quæritur, an aliquis ei præfuerit, qui contrarium aliquid Catholicæ fidei pronuntiauerit: quamquam, & si quid contigisset eiusmodi, protinus Ecclesiæ sententia deiectus, Petri sede simul, & dignitate excidisset. Neque enim vltra esset Romanus Episcopus, neque Christi, Petrique Vicarius; aliusque dignus Apostolicæ Sedi subrogatus esset, Ecclesiæque status idem perseuerasset, nemine illi præualente, neque vel parum patre illa, vel pastore destituta esset. Vt inde quoque vera Domini sententia probetur: Ego vobiscum sum, inquiens, omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: cum necesse sit, ne nunc quidem infidelium prædictam sententiam excedere, vt & alia simul vera esse credantur, & consona per omnia sibi inuicem, & cohærentia appareant. Nempe enim, & beatus Maximus in disputationibus aduersùs Pyrrhum, Honorium, quem aliqui vt hæreticum; Romanum tamen Episcopum, causabantur, purgat: cùm hæreticus Pyrrhus Constantinopolitanam tunc Ecclesiam regeret, & ad munimen erroris sui Honorium proferret: Et verò iste respondit: Honorium pietatem colere, sibique ipsi, in his quæ dixit, illius sensum congruere, simulque ipsi, & illius verba Pyrtho proposuit, quosdam asserens, illius sen-

sensum ignorantes siue etiam calumniantes, falsam de illa disseminasse famam.]

[Veram autem fuisse excusationem, hinc liquet. Præter id enim, quod nullus facilè crederet, Sanctum Maximum mentiri posse, idque cum plurimum temporis Romæ tunc fuerit, pro Ecclesiasticis negotijs, &, neque impiè sentiente Honorio, rectè sensisset Ecclesia; sed, vel cum illo ipsa falsa; vel, cum ipsa ille vera sentiret: id profectò verum esse cernitur; & ex his, quæ D. Maximus illum excusans dixit, cum quo, & ipse stans aduersùs Pyrrhum, Constantinopolitanamque Ecclesiam pro pietate pugnabat. Et ex eo etiam, quod nil tale blaspemum de illa per id temporis historia tradidit.]

[Non ergo illud inquiritur: an aliquis ipsi præfectus contra Catholicam fidem vnquam aliquid protulerit, quippe, si talis esset, Romanus Episcopus non esset: huiusmodi enim semper vera prosequi necesse est; sedemque illam numquam patre priuari, qui inde de dogmatibus vera decernat: quamuis ne sic quidem tale aliquid contigit. Sed an aliquid vnquam ab Ecclesia Romana, tale prolatum sit, & vel ad modicum ei præualuerit, quod nunc anathemati communiter subiectum sit; sicut sæpe in alijs Ecclesijs contigit, quæritur: Hoc autem nemo vlla ratione monstrare potest.]

Deinde paucis interiectis, de infallibilitate Ecclesiæ Romanæ, non vt est Ecclesia particularis, sed in ea sedet, & eam dirigit Summus Pontifex; vt multoties notauimus, id ipsum asserere videtur, dum ait: [Et, quod Dominus secundùm hominem orauit dicens: Simon, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, hoc, in Petri successoribus seruatum est, cuius fides in ipsis numquam defecit. Oportebat enim orationem illam ipsis rebus non posse decidere: Ego enim, inquit, sciebam, quia semper me audis, & aliquos semper in terra, in illius veritate seruari, pro quibus oratio illa fusa: serua eos in veritate, Pater sancte, vt sint vnum, & quæ illic addita sunt: Vndisque, & ventis alijs alias contra Saluatoris ædificium se erigentibus, electos illos infractos præcipuè in petra stare: &, qui alios seruaturi erant, tempestate, vndisque iactatos, infirmosque curaturi; ipsos illos primùm in tuta crepidine solidari, semperque sanos, & inuiolatos esse. Quod in Petro, eiusque successoribus, eiusque omnino Ecclesia concurrit. Nam cùm Apostolicorum successorum nemo fuerit, quem Sathanas non cribrarit vt triticum, zizania sua subseminans; Petrus numquam in suis successoribus defuit, sed etiam per hos, deficientes quoque alios, iuxta edictum confirmauit.]

[Neque enim solùm de resurrectione Saluatoris, si quis ad hoc [id verbum trahat, dictum putare debemus, quod Petrus conuersus fratres confirmare debeat, quos multis modis ipse per seipsum de illa roborauit, sed etiam de Petro per successores suos aliorum corrigente infirmitatem.]

[Neque magis, ne per negationem Petri deficeret fides, orationem illam fusam esse putandum est: quod, & ipsum verum est; quàm, ne vmquam Ecclesiæ confessio, quæ sibi cœlitus reuelata est, in suis successoribus infirmaretur, neque vmquam nutaret fundamentum. Orationem enim illam, in eo, quod numquam Petri defectura esset fides: ad omnes quoque illius successores efficacia virtutis se extendisse, constantissimè putandum est: quem Dominus, vt voluit, alijs præferens, per ipsum, roborauit, crepidinem suæ Ecclesiæ subijciens, præsensque inuisibiliter in veritate semper conseruauit, immò, & vsque in finem iuuans, conseruabit. Filius enim hominis in terram veniens, inueniet fidem. Aliter quippe inanis esset Ecclesia, quam in terra Dominus statuit, nisi vsque ad consummationem seculi seruanda ex omnibus esset, de qua, vt conseruanda, prædixit: Ecce, ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. Quam profectò ideo cæteris præesse voluit, vt alijs, veluti de specula, iura dictaret, ac de longè omnes eam intuentes, absque ambiguitate illius decreta susciperent, quænam sit Ecclesia, manifestè scientes, persuasumque habentes, eam semper vera necessariò prosequi.] Hactenus præfatus auctor pro suprema, & infallibili successorum Petri auctoritate, si considerentur vt Pontifices, & ex eius Sede loquentes, vel vt ait, inde de dogmatibus vera decernentes; quidquid sit de illo vt priuata, & particulari persona sumpto, de quo modo non quæritur. Quàm autem benè res tota in adducto explicetur testimonio, patebit diligenter illud consideranti, ideòque placuit, illo, quantumuis prolixo, hoc seculum claudere.

Decimumquintum Seculum ab anno Domini 1400. ad 1500.

CVm per voluntariam Gregorij XII. solius, vt à multis credebatur, legitimi Pontificis cessionem in Concilio Constantiensi, necnon depositionem Ioannis XXIII. & Benedicti XIII. concorditer in Romanum Pontificem electus fuisset Cardinalis Oddo de Columna, ipso die sancti Martini, qui propterea Martinus Papa V. nominari voluit; ipsemet pro suprema, ac infallibili auctoritate, qua solùm spectat, ad legitimos Summos Pontifices, Conciliorum etiam Generalium approbatio, & confirmatio, vt ex praxi Ecclesiæ hucusque vidimus, & iterum de illa redibit sermo sectione sequenti, dicto Constantiensi Concilio perpetuæ firmitatis robur adhibuit, in rebus fidei conciliariter ibi definitis, & non aliter, nec alio modo. Sess. 45. & vltima. Eadem quoque auctoritate Concilia Papiense, & Senense inchoauit, Basileense verò futurum renunciauit, destinato in eius suo loco præside Iuliano sancti Angeli Diacono Cardinali, per Bullam datam Romæ apud sanctos Apostolos Kalend. Februarij, Pontificatus sui anno decimoquarto, quo eum talia, bono publico totius Christianitatis meditantem, apoplexia oppressit, extinxitque.

Huic autem supremæ Pontificum Romanorum auctoritati, qua absolutè in Ecclesia nulla datur maior, nihil præiudicat factum Concilij Constantiensis, vt malè inferunt aliqui, cùm præfatæ auctoritatis Pontificiæ defensores libenter admittant, vt iam notaui su-

pra cap. 9. & 14. & iterum sectione sequenti dicetur, quod occurrentibus huiuscemodi casibus, Summus Pontifex Conciliorum auctoritati subiaceat; nimirum vbi à magna Ecclesiæ parte dubitaretur, an verus, ac legitimus esset Pontifex, vel etiam, vbi quis occasione schismatis Concilium conuocasset, in eoque promisisset se iure Pontificio, ac titulo decessurum, modisque omnibus, qui à Patribus meliores iudicarentur, vnitatem Ecclesiæ procuraturum; sic enim non tantùm in dubium, & incertum Papam, sed etiam in verum, & indubitatum, ex voluntaria eius submissione, auctoritatem aliquam acquirerent, ni interim iusta superueniente causa se à promissis dispensare vellet: In his autem duobus dumtaxat casibus Patres Constantienses æquè de Ioanne XXIII; atque de Benedicto XIII. iudicarunt, neque forsan minùs de Gregorio XII. ob secundam iudicassent causam, nisi tale iudicium spontanea Pontificatus abdicatione præuenisset, cuius licèt, iuxta probabiliorem opinionem, verus, ac legitimum post Innocentium VII. possessor esset, promiserat tamen, ac Deo vouerat, iureque iurando sanxerat, si sibi contingeret ad Pontificatum assumi, aduersario Petro de Luna sub nomine Benedicti XIII. statim scripturum, inuitaturumque ad se se inuicem abdicandos, nec non insuper procuraturum omni via, & modo Ecclesiæ vnitatem, idque bona fide, & sine vlla fraude; quæ omnia post electionem iteratò renouauerat, ita de vnione loquens, vt si cætera defuissent, pedibus, & baculo se se iturum ad eam conficiendam affirmaret.

Et in his quoque duobus duntaxat casibus debet intelligi decretum eiusdem Concilij; primum sess. 4. [Quod ipsa Synodus in Spiritu sancto congregata legitimè, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinet ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris.] Quo iterum sessione 5. repetito; [Item declarat, quod quicumque cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus aut præceptis huius sacræ Synodi, & cuiuscumque alterius Concilij generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subijciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.

Tale, inquam, Concilij decretum, non absolutè, & citra casus adductos, aut similes, intelligi debere, manifestè colligi videtur, primò ex ipsismet eius verbis, quibus dicitur illi præstari debere obedientiam restrictiuè in his, quæ pertinent ad ea, pro quibus congregatum principaliter fuerat, extirpando nimirum Schismate, reddendaque Ecclesiæ pace. [Non enim, inquit Illustrissimus Spondanus ad ann. 1415. num. 21. de quocumque Concilio vniuersali locutam esse Synodum, sed de ipso tantùm Constantiensi collecto ad prædicta, cùm nullus certus esset Pontifex; & ipsa eius verba indicant, & fusè disputauit olim Ioannes de Turrecremata Card. lib. 2. de Eccles. cap. 99. præterquamquod cum non posset tunc dici hæc Constantiensis Synodus planè vniuersalis, quæ ex sola Ioannis obedientia constabat, impugnantibus adhuc eam obedientijs Gregorij, & Benedicti; haud proinde, quamuis omnino voluisset decernere Papam in omnibus subesse Concilio generali, possit hoc dici decretum Concilij generalis.] Secundò, cum nec ipsi Concilij Patres illud, aut indixerint, aut inchoarint, aut authotizauerint, sed Ioanni XXIII. vt hæc omnia præstaret, supplices potiùs fuerint: Deinde Gregorium XII. proprio nomine, cum se se verum Pontificem reputaret, Concilium, priusquam aliquid aggrederetur, indicentem, conuocantem, & auctorizantem audierint; Cardinales ab eo creatos, intra Collegium admiserint; Ioannem Episcopum Ostiensem, qui aliàs Concilio præsidebat, tunc cùm Gregorius illud indiceret, conuocaret, & auctorizaret, præesse, vetuerint; omniaque ab illo, vsque ad tempus cessionis, seu voluntariæ abdicationis, in Concilio, per procuratores, siue facta, siue relata, non sub titulo, neque sub nomine, vel anno Sedis vacantis, receperint, inde Papam absolutè supra Concilium esse, non autem vice versa factis ipsis ostenderunt. Tertiò, quia in Concilijs Florentino, & Lateranensi, vt dicemus infra, ita expressè definitum fuisse videtur; sessione 11. enim Concilij Lateranensis: vbi abrogatur Pragmatica Sanctio, hæc habentur verba: [Nec illud nos mouere debet, quod Sanctio ipsa, & in ea contenta, in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta, & acceptata fuerunt, cùm ea omnia post translationem eiusdem Basileensis Concilij, per rec. mem. Eugenium Papam IV. prædecessorem nostrum factam, à Basileensi conciliabulo, seu potiùs conuenticula, quæ præsertim post huiusmodi translationem Concilium ampliùs appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint; cùm etiam solùm Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, nedùm ex sacræ Scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constet: quorum aliqua referre placuit; reliqua verò, vtpotè notoria, silentio prætetire.] Ità Leo X. in Concilio Oecumenico Lateranensi. Igitur ne veritatem cum veritate pugnare dicamus, necessariò fatendum est, decretum Constantiense de potestate Concilij super Papam, intelligendum esse in adductis dumtaxat casibus, non autem absolutè, & simpliciter de vero, eoque indubitato Pontifice; sic enim, omnibus eum Concilijs præcellere, clarè demonstrat probata huc vsque traditio, & fundata in illa statim præallata Leonis definitio. Quartò tandem cùm ad intentum Patrum Constantiensium

sufficeret dicta secundùm quid Concilij super Papam auctoritas, hoc est in casibus dubiæ electionis, voluntariæque ipsius submissionis, rationabiliter eorum decretum plùs extendi non potest, nisi tot stantibus in contrarium pro suprema Summi Pontificis auctoritate testimonijs, eos in hac parte grauiter errasse velimus dicere, vt contigisse Patribus Basileensibus, meritò docent aliqui (supposito, quod decretum Constantiense ab illis sessione secunda renouatum, in alium à dicto sensum detorquere, absolutamque Concilij supra Papam auctoritatem stabilire intenderint) factaque proindè eadem suppositione, non fuisse, quantum ad hoc, approbatum à Martino V. Concilium Constantiensē, [vtpotè contrarium, (inquit Illustriss. Spondanus ad annum 1418. num. 5.) existimatum, & praxi antiquioris Ecclesiæ, & collatæ à Christo Domino Petro, eiusque successoribus auctoritati, ac potestati; ipsique demùm naturæ rei, qua caput debet membra regere, non regi à membris.]

Sicut hac etiam de causa, Basileense Concilium, etsi primùm quidem fuerit legitimè congregatum, nusquam tamen Pontificia auctoritate confirmatum fuit, immò reprobatum, præter illa acta, quæ ad censuras, & causas beneficiales attinent, quæ Nicolaus V. approbauit; Concilia autem generalia, quantumvis legitimè coacta, ni Pontificia muniantur confirmatione, nullius roboris esse, immò turpiter errare posse, si non legitimè procedant, clarè testatur infelix huius Concilij euentus; in illo enim continuato contra Eugenij IV. auctoritatem, Præside Ludouico Alemando Cardinali Archiepiscopo Arelatensi, creatus fuit Antipapa Amedæus, olim Sabaudiæ Dux, tunc verò in solitudine, vitam Eremiticam agens, qui dictus est Felix V. vt de quo scitè à sancto Antonino Florentino Archiepiscopo dictum est, [Basilea peperit Basiliscum.] Eiusdem rei habemus exemplum in Concilio Ephesino secundo, etiam Leonis auctoritate coacto, in quo Legatis eius repugnantibus, Episcopi ferè omnes Dioscori hæresi subscripserunt. Vndè idem Eugenius IV. in decreto vnionis Armenorum, præmisso, quod ipsi, præter has tres, Nicænam, Constantinopolitanam, & Ephesinam primam, Synodos, nullas alias vniuersales posteà celebratas admitterent, subiungit, se illis præcepisse, vt habito inter sanctos Leone Papa, non solùm dictas tres Synodos, sed & omnes alias vniuersales auctoritate Romani Pontificis legitimè celebratas, sicut & cęteri Fideles reuerenter susciperent; adeò verum est, non tantùm requiri illius auctoritatem, vt legitimè cogantur, sed etiam vt legitimè celebrentur, & legitimè celebratæ confirmentur. De quo iterùm redibit sermo sectione sequenti.

Dictus itaque Eugenius IV. Martini V. successor, pro hac suprema auctoritate, Concilium Basileense, quamvis legitimè coactum, illegitimè tamen posteà procedens, suaque potestate abutens sub prætextu componendi motes Reipublicæ Christianæ, Legato Sedis Apostolicæ reuocato dissolui iussit, & Ferrariam transferri, vbi inchoatum fuit quinto idus Aprilis anno Salutis 1438. sed ingruente peste, translatum est Florentiæ, vbi ipsemet præfuit Eugenius, adfuitque Ioannes VIII. Paleologus Græcorum Imperator, cum Demetrio fratre Peloponnesi Principe, Iosepho Patriarcha Constantinopolitano, Bessarione Trapezuntino Episcopo Nicæno, Isidoro Thessalonicensi Archiepiscopo Ruthenorum, alijsque magni nominis ex Oriente Antistitibus, & doctis viris, cum pluribus Cardinalibus, & Episcopis Occidentalibus, quibus tandem Cardinales etiam Basileenses se iunxere, solo Ludouico Alemando Basileæ manente, Eugenio infensissimo, ibique contra illum Concilium continuante; cuius auctoritati nihil penitùs patrocinatur, quod dictum Ludouicum Clemens Papa VII. veluti Beatum coli permiserit exarato diplomate Pontificio 9. Aprilis anno 1517. ipsum enim ob præstita in illo Concilio, negatamque cum illo obedientiam vero, ac legitimo Pontifici Eugenio, sanctum fuisse nullus affirmabit vir prudens, sed ex hoc potiùs, quod talium tandem pœnituerit, quæ tunc, vel ex nimio, sed non secundùm scientiam zelo, vel ex erronea conscientia committere forsan potuit; ex qua, vt ait Gersonius in septima ex thesibus ab eo propositis, quomodò Fideles tempore schismatis se gerere debent: [Possibile est aliquos veræ parti assentientes esse veraciter schismaticos, & aliquos falsæ parti assentientes non esse schismaticos.]

Præclarum aliud huiuscemet rei exemplum habemus apud S. Gregorium lib. 4. dialog. cap. 40. in Paschasio Romanæ Ecclesiæ diacono, eximiæ sanctitatis, & doctrinæ viro, post cuius obitum, etsi priùs Laurentio schismatico contra Symmachum Papam adhæsisset, ibi refertur, dæmoniacum tactu eius dalmaticæ feretro superimpositę sanatum fuisse, dum adhuc ipse, in pœnam participationis schismatis, haud sufficienter in vita per pœnitentiam expiati esset in Purgatorio, deputatusque à Deo seruiret ad tempus in Angulanis thermis, à quibus posteà orationibus Sancti Germani Capuani Episcopi liberatus fuit.

Ad eamdem supremam, & absolutam Romani Pontificis super omnia Concilia Generalia potestatem facit, quod Nicolaus Papa V. Eugenij IV. successor, pro vnico tandem, ac indubitato Summo Pontifice agnitus ab ijs, vt ipse ait in Bulla [Vt pacis.] qui Basileę post modum Lausannę sub nomine generalis Concilij hactenus congregati permanserunt, ad eorumdem humiles preces approbauerit illius acta ad censuras, & causas beneficiales spectantia, quod enim sine tali approbatione, nullius valoris, aut roboris fore intelligerent, ad illam volentes, nolentes recurrere coacti sunt. Eiusdem auctoritate reformationes quoque Cleri diœcesis Leodiensis per R. P. D. Ioannem Episcopum Leodiensem tunc factæ, & per capitulum maius Leodiense sigillatæ, confirmatæ fuerunt anno Incarnationis Dominicæ 1451. 17. Calend. Nouembris Pontificatus sui anno 5.

At Pius Papa II. antea Aeneas Syluius dictus, quantum occasione Schismatum, huius veritatis de suprema, atque adeo infallibili Romani Pontificis auctoritate, dum esset iuuenis, vt ipse ait, impugnator fuit, tan-

tumdem senex factus, & Pontifex Maximus acerrimum se eius defensorem ostendit, editis præsertim duabus Bullis: quarum prima quæ incipit Execrabilis. Ob multa, quæ causantur mala ex prouocationibus ad futurum Concilium, tales damnauit appellationes, atque annullauit. Contrauenientes, pœnis excommunicationis, criminisque læsæ Maiestatis diuinæ & humanæ subiecit. Secunda verò, quæ incipit in minoribus, quia vt statim diximus, dum in illis erat, ignoranter Ecclesiam Dei persecutus est pro concilio Basil. ad imitationem D. Augustini sua dicta, & scripta retractauit. Quia autem præfatæ Bullæ, vel Constitutiones rem totam mirum in modum explicant, libenter hic illas exscriberem, sed cum in Bullario, & tomis Conciliorum omnibus sint obuiæ, sequentia tantùm verba ex secunda proferam, quibus: postquam occurrit obiectioni eorum, qui dicerent, ipsum Pontificem mutasse propositum, multaque de Pontificis Romani auctoritate adduxit, sic illam concludit, [Hæc nos de Romani Pontificis auctoritate, & potestate sentimus; cui & congregare generalia Concilia, & dissoluere datum est, qui & si filius est propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur, & sicut filiationis causa, vel vt aliàs legitur, propter regenerationis causam venerari debet Ecclesiam tamquam matrem, ita & prælationis, causa præfertur: vel iuxta aliam lectionems præest ei, vt pastor gregi, princeps populo, rector familiæ. Cum his & generalis Concilij auctoritatem, & potestatem complectimur, quemadmodum & æuo nostro Constantiæ: dum ibi fuit Synodus vniuersalis, declaratum, definitumque est. Veneramur enim Constantiense Concilium, & cuncta, quæ præcesserunt, à Romanis Pontificibus nostris prædecessoribus approbata, inter quæ nullum inuenimus vnquam fuisse ratum, quod stante Romano indubitato præsule, absque, ipsius auctoritate conuenerit, quia non est corpus Ecclesię sine capite, & omnis ex capite defluit in membra potestas. Hæc nostra sententia, est, filij, hæc credimus: & profitemur, hæc iam senes, & in Apostolatus apice constituti, pro veritate asserimus. Si quæ vel vobis, vel alijs conscripsimus aliquando, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tamquam erronea; & iuuenilis animi parum pensata iudicia, reuocamus, atque omnino respuimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum 6. Kalendas Maias, millesimo quadringentesimo tertio.]

Definitiuam quoque rerum fidei sententiam spectare ad Romanum Pontificem satis ostendit idem Pius II. in constitutione ineffabilis, vbi continetur prohibitio prædicandi, disputandi, aut suadendi, hæreticum vel peccatum esse, credere, Iesu Christi sanguinem in triduo suæ passionis: ab ipsa Diuinitate diuisum, vel non diuisum esse: [Donec, inquit, super dubitatis huiusmodi decisione, quid tenendum sit, fuerit per Nos, & Sedem Apostolicam deffinitum:] Contrauenientes autem, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurrere, & Sedi Apostolicæ eos denuntiari iubet.

Sixtum Papam IV. auditis Ludouici Regis legatis ad eum missis occasione qua Florentinis Sacris interdixerat, Laurentium verò Mediceum anathemate perculerat, ob Archiepiscopum Pisanum laqueo ab illis suffocatum, qui ni talia statim reuocaret, Concilij Generalis conuocationem petebant hæc pro suprema auctoritate Pontificia respondisse narrat ex Cod. Vaticano Illustrissimus Spondanus ad ann. Christi 1478. nu. 11. [Si Rex Christianissimus æqui, & iusti amantissimus, atque libertatis Ecclesiasticæ, & totius religionis orthodoxæ obseruantissimus vt audiuit Laurentij Medicei querelas, aliquem pariter pro parte Pontificis audiuisset, nunquam eiusmodi legationem missurum fuisse: Nec consueuisse Christianissimos Reges facilè se committere iudicio Dei, & pœnis quas lex diuina resistentibus iudicio Summi Sacerdotis infligit. Quin potiùs Carolum Magnum à cuius sanguine deriuantur, imitari, cuius hæc fuit sententia, vt in memoriam Beati Petri Apostoli honoretur S.R.Ecclesia & Apostolica Sedes: vt quæ Sacerdotalis Mater est dignitati, sit etiam Ecclesiasticæ magistra rationis; ac præterea seruandam esse cum omni mansuetudine humilitatem, & licèt vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur iugum, tamen ferendum esse, ac pia deuotione tolerandum. Licèt autem Pontifex iuxta decreta Patrum de iudicijs suis nulli teneatur exhibere rationem: nihilominus de singulis Regi per nuncium ad eum missum, eiusque oratoribus proprio ore rationem reddere, facturumque diligentiùs, cùm primum ad Vrbem redijsset.] Erat enim tunc propter pestem Romæ grassantem, in oppido Bracciano.

[Ad petitionem autem Concilij Generalis respondit, si facilis eius conuocatio esset nihil sibi conducibilius in præsenti causa esse: Non enim in ijs Reges, ac Principes sęculares præsidere debere, sed Romanum Pontificem, & quorum est ijs interesse Antistites & Sacerdotes, neminem eorum non dicturum libertatem Ecclesiasticam conseruandam esse & ius fori, quod nec ipse Romanus Pontifex tollere Sacerdotibus potest illibatum permanere, quod adeo turpiter Laurentius violauit, cum Archiepiscopum non legitimè damnatum, non ritè degradatum, turpissima morte sustulit. Opportunissimum igitur futurum Pontifici, si Concilium ad hæc congregari posset, verùm multo tempore indigere, quoniam consulendus esset Imperator, & alij Reges Christiani, vocandique ex vniuerso orbe prælati, cum & alioqui non ad Regum libitum Concilia conuocanda sint, sed solius sit Romani Pontificis de necessitate Concilij iudicare, quæ nullo modo videretur satis conueniens.

Ad eamdem supremam, ac infallibilem Romani Pontificis auctoritatem spectat, quod idem Sixtus IV. errores Petri Oxomensis, quibus pręcipuè in Romanę Sedis maiestatem, & pœnitentiæ Sacramentum contumeliosus, Romana responsa errori obnoxia affirmabat &c. primum eius iussu ab Alphonso Carillio Archiepiscopo Toletano examinatos, & condemnatos, rursum examinatos Romæ sua constitutione condemnarit, rata habita præfati Archiepiscopi sententia

tia Bullar. tomo 1. Sixtus IV. constitutione 17.

Qua ratione ad Summum Pontificem Romanum, ita pertinet supremum ac indeficiens fidei violatæ iudicium, cum etiam Innocentius VIII. delatus fuisset libellus Nongentatum Conclusionum Ioannis Pici Mirandulæ, & concordię comitis, quod non paucæ in ijs essent rectæ fidei suspectæ, pro munere suo eum nonnullis doctis Episcopis, & doctoribus examinandum commisit, eorumque relatione intelligens, quamquam in eo essent aliqua, quæ nihil vitij continerent, esse tamen nonnulla hæretica, aut hæresim sapientia &c. dictum libellum omnino damnauit ac reprobauit: & sub pœna excommunicationis legere, vel tenere prohibuit: ipsum autem eius auctorem, quoniam eiusmodi conclusiones, scholasticæ tantummodo disceptationis causa, & sub Apostolicæ Sedis correctione se publicasse asserebat, atque etiam quia iure iurando promiserat nullo se tempore talia defensurum, nullam ob præmissa, incurrisse excommunicationis pænam declarauit. Decretum extat in collect. Concil. Colon. Quod Onuphrius in Chron. habet Noruegis ab hoc Pontifice permissum fuisse sine vino sacrificare, quod ob immensum frigus vinum in eas Regiones importatum mox acescat, hausisse id videtur ex Volaterrano Geograph. lib. 7. ex quo & quidam alij, sed tum sibi ipsi Volaterranus aduersatur, dum ait permisisse Pontificem sine vino sacrificare calicem, tum verò non potuisse hoc à Pontifice concedi, communior est Theologorum sententia, quòd sit de necessitate diuinæ institutionis, vt incruentum sacrificium sub speciebus panis, & vini conficiatur. Quare & falsa omnino hæc esse assertio putatur, cuius nec vllam Krantus, diligentissimus cæteroqui rerum Septemtrionalium, adeoque Noruegiensium Scriptore nec vllus alius, præter Volaterranum mentionem fecisse reperiatur.

Dissolutione Concilij Basileensis per Eugenium facta, Concilium Oecumenicum Ferrariæ ab eodem inchoatum est, quod inde ingruente peste Florentiam transtulit. Vbi post multas disputationes, tandem non tantùm Græcorum cum fide Latinæ Ecclesiæ: sed etiam Armenorum vnio stabilita est, receptumque ab ijs Confirmationis Sacramentum. Processio Spiritus Sancti à Patre filioque admissa, nec non primatus Romanæ Cathedræ in vniuersum orbem assertus, ac super his, senis vtrimque delectis viris, literæ vnionis, cum expressione dogmatum controuersorum, Græcè, & Latinè conscriptæ fuere: ac sexta die Iulij octaua SS. Apostolorum Petri, & Pauli, post sacrum solemni ritu à Pontifice celebratum, cunctis Præsulibus sacris vestibus indutis, à Iuliano Cardinale primùm Latinè, deinde à Bessarione Nicęno Græcè publicè in maiori Ecclesia lectę, ac ingenti omnium lætitia auditæ. Earum autem tenor, quoad articulum Primatus Romani Pontificis, hic est,

[Item diffinimus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem, & doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur.]

Hac Generali Synodi Florentinæ definitione, vel decreto; videtur declarata fuisse suprema, & absoluta Romani Pontificis etiã supra Concilia Generalia vniuersalem Ecclesiam repræsentantia auctoritas, improbataque consequenter tam Concilij Constantiensis, quàm Basileensis decreta, quatenus oppositum in illis asseri quis crederet: Quomodo enim affirmari posset: Romano Pontifici in Beato Petro pascendi, regendi & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam fuisse, si Concilio Generali, eam dumtaxat repræsentanti, absolutè & ad nutum, vt volunt aduersarij, sonareque videntur acta potissimum Concilij Basileensis, subijceretur, obedireque teneretur, profectò non tam plenam, quàm valdè diminutam vocandam fore eius potestatem, testes omnes adhibeo. Qui insuper speciali priuilegio dici posset omnium Christianorum Pater & doctor, ad distinctionem omnium aliorum Ecclesiæ prælatorum, si eos etiam hæreses ex cathedra docere posset; sique supremum consequenter, & infallibile iudicium in rebus fidei exercere non valeret, quòd tamen est præcipua plenæ auctoritatis Ecclesiasticæ pars, propriumque munus omnium Christianorum Patris, & Doctoris per excellentiam, qualis vocatur Summus Pontifex.

Dixi præfata Concilij Florentini definitione, nec non Lateranensis, improbatum fuisse Concilij etiam Constantiensis decretum, supposito quòd aduersarij illud intelligendum putent de absoluta, & omnimoda Conciliorum auctoritate, & non in casibus dumtaxat, de quibus tunc agebatur, iuxta legitimam, quam supra ostendimus interpretationem, quibusque libenter admittimus, dictum Concilium super tres illos, qui de Pontificatu contendebant, iurisdictionem exercere potuisse; nimirum quod incertum esset, quis eorum existeret verus Pontifex; & quod singuli eorum se se abdicationi Pontificatus subiecissent, quotiescumque deliberatum esset quis verus existeret: ita vt tunc Sedes Apostolica vacare censeretur; ac proindè ritè Concilium, vel vnum contendentium confirmandi, vel alterius electionem Collegio Cardinalium præcipiendi auctoritatem haberet, vt de facto contigit.

Qua etiam ratione, Illustrissimus Spondanus in continuatione Annalium Baronij ad annum 1415. num. 54. putat intelligi debere, tam ipsum Ioannem Gersonium, quàm alios eius temporis auctores, apud quos reperitur assertum Concilium esse supra Papam subesse Ecclesiæ, tempore videlicet schismatis, aut quando agitur de fide: quoniam si Papa fieret fortè hæreticus, desineret esse Papa, vt explicabitur infra in fine huius capitis; tempore verò schismatis incertus est. Non enim

resi,] Igitur per corpus separatum ab eo (quod sine capite virtutem non habet can. cum non liceat de præscriptione) iudicari non potest, sicut nec Episcopus à suo, capitulo de maior. & obed. Nec obstant rationes, quas quidam in contrarium persuadere nituntur, vt patet ex sequentibus. Et primùm dum dicitur, quòd quando Petrus claues accepit Ecclesiam Sanctam significauit; vt in cap. quodcumque 24.q. igitur. Respondetur, illud intelligendum fore secundùm doctrinam dicti canonis, ita dominus 19.dist. Ad secundum dicitur quòd Papa subijcitur concilijs, vt in can. sicut Sancti 15.dist. respondetur illud verum esse, quod ad obseruantiam articulorum fidei, & ibi nota per gloss. & ad can. quæ ad perpetuam, & can. sunt quidam. Vnde nota, quòd Papa quandoque dispensat contra generale statutum Ecclesiæ, & etiam contra Apostolum, quod intelligo, quando sic dispensatio non offendit articulos fidei, sicut Sancti, nec ob. no. per glossator. in can. si duo contra fas. 79. dist. vbi dum dicitur, quod in contentione Papatus, Concilium potest esse iudex: & idem videtur sentire Hugutius, & Ioannes in can. de renunc. lib. 5. in nouella: quoniam dicta opinio repugnat iuribus: siue in prima quæstione deductis, nisi prætenderetur contra prætendentes schisma importans hæresim, sicut factum fuit contra Petrum de Luna, & Gregorium, nec obstant per glossatorem adducta in dict. cap. si Papa, quia iura allegata per eum, non probant intentum glossatoris, extra hæresim propriè sumptam.

Secundò. [Quæritur si diffinitiones, & statuta fienda in hoc Sacro Concilio generali sub nomine Papæ, vel Concilij, vel vtriusq; fieri debeant?] At quod sub nomine Papæ, debent, patet, quia à Papa procedit virtus, & auctoritas Concilij, vt patet per iam dicta; poterit tamen addi, Sacro approbante Concilio, patet in can. damnamus, can. nos autem de Summa Trinit. in antiquis, & in can. vnico, c. 2. lib. 6. & in cap. vbi maius de elect. & can. ad Apostolicæ de re iudic. can. 2. & can. vno de Summa Trinit. in clem. & can. ad naturam de hæreticis; & can. de vsuris in clem. Item quòd talia fieri debeant sub nomine Papæ secundùm tempora antiqua patet in can. Adrianus 63. dist. & in can. in nomine Domini 23. dist. Nec obstant scripta, in quibus dicitur Concilium diffinit sic &c. quoniam vel locum tenent, cùm Papa deprehenditur à fide deuius pertinaciter: vel si sit Catholicus cum in Concilio Papa non erat, sed aliàs illis auctoritatem prestabat; vel si erat, quoniam sic fieri sui humilitate permittebat, & ad hoc auctoritatem præstabat, sicut factum fuit in Concilio congregato contra Symmachum Papam, de quo habetur in can. hinc etiam 17. dist. Et si dicatur quod cum de reformatione capitis Ecclesiæ agitur non videtur honestum quòd Papa sit præsidens, & iudex. Respondetur, quod alius, quàm ipse, hoc casu non potest esse iudex, iuxta iam dicta in prima quæstione, nisi ex sui humilitate (quod facere non tenetur de necessitate) alijs hoc committeret, & ad hoc auctoritatem præstaret. Cessat quòd hoc casu illius tituli can. ne quis in sua causa, quoniam in Papa non habet locum, vt patet in dicto can. si Papa, & alijs iuribus ad hoc supra allegatis. Et hæc sunt dicta sub correctione vestra, & determinatione vestræ Sanctitatis. [Ioannes Patriarcha Antiochenus deuotus Orator vester.]

Ioseph Patriarcha Constantinopolitanus: [Quoniam ad extremum vitæ meæ perueni, idcircò pro meo munere dilectis filijs benignitate Dei meam sententiam his literis palam facio. Nam quæ Domini Iesu Christi Catholica, & Apostolica Ecclesia Romæ veteris sentiat, ac celebret, omnia quoque me sentire, credereque profiteor, ac ipsis plurimùm acquiesco. Beatissimum autem patrum Patrem, ac Summum Pontificem, Romæque veteris Papam Domini nostri Iesu Christi Vicarium esse concedere non inficior.] In Concilio Florent. sessione vltima.

Cùm Eugenius Papa IV. ad Orientis, & Æthiopum Patriarchas scripsisset, illi in suis epistolis de Pontificis auctoritate quàm honorificè sentirent responderunt. Ioannes enim Alexandrinus Patriarcha Pontificem Romanum Sacerdotij perfectionem, & omnium Ecclesiarum Apostolicum pastorem vocat, Sacerdotum Principem, peregrinantium, qui cæteris viam ostendat ducem, & languentium medicum: ipsius verò vicarius Hierosolymitanus Andreas Abbas Syrus, caput, & vniuersalis Ecclesiæ Doctorem appellat. [Ex Iacobo Nauarcho in epistola Asiatica.

Beatus Laurentius Iustinianus lib. de obedientia cap. 12. [Hanc Petro datam potestatem quotquot post illum electi canonicè in ipsa resederunt, sortiti sunt, qui respectu cęterorum summi sunt nuncupati Pontifices. Istis vtique tamquam Christi Vicarijs, totius Ecclesiæ attributa est facultas, conferendi videlicet beneficia, peccata soluendi, præstandi gratias, Ecclesiæ spirituales thesauros diuidendi, instituendi per Ciuitates Episcopos, & per Prouincias Metropolitas ordinandi, congregandi Concilia, decreta faciendi, infringendi, atque modificandi. Ipsis profectò summis Pontificibus omnis deferendus est honor, singularis reuerentia, obedientia summa. Quicquid indixerint peragendum, quicquid prohibuerint cauendum, pro lege suscipiendum est. Cęteri Præsules certis deputati sunt præesse in locis, istis verò vniuersalis Ecclesiæ incumbit regimen. Magnus proculdubiò honor est iste, præcelsa dignitas, auctoritas veneranda, priuilegium præcipuum, vni tantùm ex omni hominum numerositate prærogatum, sed onus quàm maximum, officium laboriosum, ministerium vigiliarum plenum, & sarcina penè intolerabilis.]

Beatus Ioannes de Capistrano Ordinis Minorum in libro, quem scripsit de potestate Papæ, & Concilij, hæc habet: [Papa vocatus est in plenitudinem potestatis, cęteri autem Episcopi in sollicitudinis partem: Item. Auctoritas Papæ protenditur ad omne bonum, & ad nullum malum: est enim quasi Deus in terris, maior homine, & minor Deo, plenitudinem obtinens potestatis.] At si Papa non solùm priuatus hęreticus esse, sed suam quoque hæresim ex Cathedra Ecclesiam docere posset, proculdubiò nec maior homine dici posset, nec eius auctoritas protendi ad vllum malum: igitur licèt vt homo multis

malis

malis obnoxius esse possit, nequaquam tamen vt Pontifex, ea docendo, vel definiendo.

Ioannes de Turrecremata Ordinis Prædicatorum, posteà Cardinalis ab Eugenio IV. creatus in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 93. [Romanus Pontifex, verus & indubitatus extrà casum heresis, pro sublimitate principatus sui, iudicem non habet superiorem in terris. Nam ille, qui est omnibus superior in terris, non habet iudicem superiorem in terris: quoniam idem non potest respectu eiusdem, vel eorumdem esse superior, & inferior. Sed Papa est omnibus Catholicis superior, cùm sit princeps, & caput eorum. Ergo Romanus Pontifex non habet iudicem superiorem in terris.]

Et libro 3. cap. 28. [Sicut in superioribus ostensum est, Romano Pontifici cura totius Ecclesiæ commissa est, & non alteri personæ, aut congregationi, cùm dictum sit soli beato Petro, pro se, & suis successoribus: Petre pasce oues meas, Ioann. 21. super quo dicit Theophilus: Finito prandio commissionem ouium mundi Petro commendat. Igitur ad solius Romani Pontificis auctoritatem spectat prouidere, & dare pabulum toti Ecclesiæ, quod fit in vniuersalibus Concilijs, disponendo, ordinando, constituendo, corrigendo, definiendo, interpretando, &c. Ergo tota potestas vniuersalis Concilij pendet à Romano Pontifice, sicut à capite, & pastore totius Ecclesiæ.]

Georgius, vel Gennadius Scholarius, quippè qui mutauit nomen, assumptus ad Patriarchatum Constantinopolitanum in libro de Primatu Papæ c. 9. [Quomodo Athanasius ad Iulium, Chrysostomus ad Innocentium, Ignatius Tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, & cęteri Orientis Sacerdotes eiecti, ac suis sedibus pulsi, vel ipsi venientes confugerunt, vel literas dantes significauerunt, vnde literis acceptis suas Sedes receperunt, nisi ij summum Pontificem, ac Petri successorem agnouissent, vt qui poterat ijs esse in præsidio? Quomodo Reges, ac Principes inspectis Papæ literis tacuissent, ac illis permisissent suas recipere Sedes, si Petri tantùm potestas fuisset, ac non eius successorum?] Et cap. 16. [Pontifex Romanus est Petri successor, & Vicarius Saluatoris nostri Iesu Christi, isque solus obtinet omnem potestatem ligandi, atque soluendi, vel arguendi, benedicendi, maledicendi, corrigendi, & medendi: solus habet facultatem de fide, & Sacerdotio exquirendi,] quod intelligi non potest nisi respectu totius Ecclesiæ, & ex priuilegio infallibilitatis specialiter illi concesso; nam etiam Episcopi in suis diœcesibus facultatem habent exquirendi de fide, errorésque in illa, & moribus notoriè scandalosos doctrinaliter condemnandi, non autem finali, & indeficienti iudicio, quod solius primæ Sedis est proprium, præcipuumque priuilegium. Eumdem auctorem consule in exposit. pro Conc. Florent. cap. 5. sect. 1. [Quod iustè, veréque dictum sit, Papam Caput esse totius Ecclesiæ Christi.]

Nicolaus Cardinalis Cusanus epistola 2. ad Bohemos de vsu communionis: [Si scire velis, an in Ecclesia existas, hac vestiges ratione: si Cathedræ Romani Pontificis adhæreas, quæ per continuas successiones bonorum, malorumque in Petrum principem continuatur. Credendum est, hanc Sedem sacratissimam, quoad locum, etiam inexterminabilem. Et tamen si casu Roma deficeret, ibi veritas Ecclesiæ remanebit, vbi erit principatus, & Petri Sedes modo prædicto. Cùm enim Episcopi succedant Apostolis, primo Apostolo rectè primus succedit Episcopus, ad quemcumque particularem locum alium à Romana Vrbe fuerit Sedes contracta.] At si Cathedra Romani Pontificis, siue quod idem est, Romanus Pontifex, vbi ex ea loquitur, hæresim docere posset, vt volunt aduersarij, profectò adhærentia Cathedræ Romani Pontificis, non posset cui certum esse argumentum, aut signum existentiæ in vera Ecclesia; in tantum igitur tale est, ex præfato auctore, qui ex sanctis Patribus præfatam desumpsit regulam, in quantum re vera Summus Pontifex Romanus gaudet priuilegio infallibilitatis in rebus fidei, proptereàque eadem penitus est vera fides, ac fides Romana, siue à Romano Pontifice edocta, veraque Ecclesia, ac Romana; hoc est, Romano Pontifici subiecta, tamquam supremo vniuersalis Ecclesiæ Pastori.

Georgius Trapezuntius in epist. ad Cretenses: [Est vna Ecclesia Catholica, vnius Ecclesiæ Romanę coniunctione, quæ ipsa cum Pontifice vno vnitur: ita fit vt omnes Ecclesiæ Catholicæ cum Romana vniantur, & Romana cum Pontifice, ac proinde omnes cum Pontifice.] Quis autem prudenter credat principium vnitatis Ecclesiæ, eam per hæresim diuidere posse, vt accideret si Romanus Pontifex in rebus fidei decernendis errandi periculo obnoxius esset, vt contendunt aduersarij.

Hieronymus Sauonarola de veritate fidei lib. 4. cap. 6. [Vnum militantis Ecclesiæ præsidem esse oportet. Videmus vbicumque in naturalibus regimen apparet, ad vnum redigi: quemadmodum omnes motus ad vnum primum motorem, apes ad vnum regem, omnia animalis membra ad cor diriguntur. Ergo in Ecclesia Dei tantò magis necessarium est caput vnum ad totius populi Christiani gubernationem, quantò omnia regimina sua dignitate excellit, &c. Singulariter Christus Petro iniunxit: Pasce oues meas, & iterùm: Petre rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Quapropter Petrum Vicarium suum ostendebat. Quod etiam apertiùs expressit, cùm dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Non autem dicendum est, hanc dignitatem vni Petro, & non eius posteris esse concessam, cùm Ecclesiam pari ordine vsque in finem seculi duraturam Christus instituerit, &c. Sequitur ergo, vt ministerium hoc perpetua successione, vsque ad consummationem seculi, tamquam ipsi Ecclesiæ perutile, omninòque necessarium sit confirmatum. Cùm itaque Petrus fuerit à Christo Vicarius, totiusque Ecclesiæ pastor subrogatus, consequens est, vt omnes Petri successores eamdem habeant potestatem. Cùmque Episcopi Romanæ Sedis locum Petri teneant, manifestum est Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum esse du-

ducem, atque magistram, omniumque fidelium congregationem Romano esse Pontifici vniendam. Qui ergo ab vnitate Romanæ Ecclesiæ in doctrina dissentit, proculdubiò per deuia oberrans, à Christo recedit.]

Tandem cum hoc seculo in Concilio Basileensi post legitimam illius dissolutionem per Eugenium factam, in manifestum auctoritatis pontificiæ contemptum, Pragmatica Sanctio primam originem suam habuisset; collectisque interim à Carolo VIII. in Ciuitate Biturigum Antistitibus, & Principibus regni sui, ibi admissa, & approbata fuisset, ideòque vocata Sanctio Pragmatica, secundùm vocis Græcæ proprietatem in iure receptam, quæ sumitur pro re, quam Princeps de consilio procerum statuit pro rebus communibus, & vniuersitatis: Non defuere tamen etiam in Gallia plures, qui illam impugnauerint, iuraque pontificia firmiter tuiti sint: Illustris. Spondanus ad ann. Christi 1438. refert contra dictam sanctionem, ipsosque eius fabricatores, ac Regis Caroli edictum, Archiepiscopum Tolosanum Bernardum, vt putat, de Rossergio, inclytum iuris professorem, eodem tempore tractatum edidisse, pro auctoritate Sedis Apostolicæ tit. [Accensus veri luminis Francorum Christianissimi Regis, & Regni contra tenorem Pragmaticæ Sanctionis.]

Ad hæc quoque tempora existimat idem Spondanus pertinere tractatum alium satis prolixum, quem æquè, ac superiorem reperit in Bibliotheca Collegij Nauarrici Parisiensis, auctore Guillelmo de Montioye Episcopo Biterrensi, quem Rex de his consuluerat: distinctum in quatuor Auisamenta, vt vocat, hoc est monita, seu consilia 1. vt ab vnitate Ecclesiæ nullatenus se abripi fineret. 2. Vt processus factos per paucos segreges contra Papam Eugenium nullo modo admitteret. 3. Vt diligenter curaret Schisma hoc extingui. 4. Ne permitteret vlteriùs in suo regno audiri Concilium Basileense, sed in omnibus adhæreretur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedi. Sub tempus etiam Ludouici XI. Elias Burdelius Archiepiscopus Turonensis, Ordinis Minorum, vir doctus, valdèque pius, & auctoritatis Sedis Apostolicæ studiosissimus tractatum edidit contra eamdem Pragmaticam, multis rationibus, & argumentis demonstrans, quanto ea esset dedecori non solum Ecclesiæ, & Pontifici Romano, verùm etiam Regi, ac Regno Christianissimo.

Quod igitur dicta Sanctio Pragmatica non parum in auctoritatis Apostolicæ præiudicium vergere crederetur, adeò vt Pontifices Romani in conferendis sacris beneficijs, causisque eorum cognoscendis, ac controuersijs dijudicandis propè in ordinem coactos, vellet, inde Romani Pontifices ab ipso exordio tanto ardore eius abrogationi incubuerunt, præsertim Pius II. ne quid ex reprobatis actibus Concilij Basileensis, cuius partus Pragmatica erat, cuique ipse Pius Pontifex tunc Aeneas Siluius toto corde, & stylo eo tempore adherebat, superesset, quod ei exprobrari posset, aut in Ecclesia Dei occasio offendiculi remaneret, misso propterea ad Ludouicum XI. nouum Regem, Ioanne Episcopo Attrebatensi Legato; qui vicissim Pontifici respondens, obedientiamque ei filialem, ac plenos deuotionis affectus offerens, misit epistolam sequentis tenoris, quam hìc libenter exscribo in argumentum supremæ auctoritatis ab eo in Summis Pontificibus Romanis agnitæ, nec non in exemplum omnium Principum Christi fidem profitentium, quomodo se erga eius Vicarium gerere debeant.

Literæ Ludouici Regis Franciæ abrogationis Pragmaticæ Sanctionis.

LVdouicus Dei gratia Francorum Rex, tibi sanctissimo, ac beatissimo patri nostro Pio Papæ Secundo, obedientiam filialem, & plenos deuotionis affectus. Deum solum scientes, cuius prouidentia benè consulitur rebus humanis, meliùsque regna, & vrbes religione augeri, atque defendi, quam armis, & mœnibus, te Vicarium Dei viuentis ea veneratione prosequimur, vt sacra præsertim in Ecclesiasticis rebus tua merita, veluti vocem pastoris audire, illisque parere prompta mente velimus. Quapropter beatissime pater, etsi constitutio quædam in Regno nostro, quam pragmaticam vocant, magno Prælatorum conuentu, magna temporis deliberatione conclusa fuerit, & iam callum obducens, quietum propè fixerit statum, tu tamen tuis ad nos literis illam à Regno nostro auferri, explodi, abrogarique flagitas. Nobis quoque dilectus, & fidelis consiliarius noster Ioannes Episcopus Attrebatensis, quem cum potestate legati de latere ad hoc nostrum Regnum misisti, commemorauit ea, ad quæ per ipsum tibi nostro nomine pollicenda, vouenda, expromittenda, nos antequam regnum suscepissemus, religionis in se ritus quidam deduxerat. Nos nostra promissa exequi, accedente moderatrice rerum Ecclesiasticarum tua auctoritate studemus, ac volumus, & id quidem tantò volumus animo propensiori, quantò nobis Regnum Franciæ florens, & bello vacuum tuetur Deus, & protegit. Omnibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes assensi sumus his, quæ tuo nomine nobis aperta sunt, ipsam scilicet pragmaticam Sanctionem, tibi, tuæque Sedi esse infensam, vtpote quæ in seditione, & Schismatis tempore, atque per seditionem, sectionis à tua Sede figuram, mota sit; & quæ, dum tibi, à quo sacræ leges oriuntur, & manant, quantamlibet eripit auctoritatem, omne ius, & omnem legem dissoluit. Illud enim exoritur, quod idem consiliarius in nomine tuæ sanctitatis adstruxit, vt dum per pragmaticam Sanctionem ipsa summa in Ecclesia tuæ Sanctitatis auctoritas minuitur, dum prælatis in Regno nostro quoddam licentiæ templum præstruitur, dum congruens vnitas ad Regna conformitasque tolli videtur, abroganda sit ipsa pragmatica, tollendaque à Regno nostro, quippe quæ aduersùs tuam Sedem omnium Ecclesiarum matrem, ab inferioribus Prælatis lata sit, tamquam, vt Scriptura loquitur Isaiæ 10. Quomodo si eleuetur virga contra leuantem se, aut baculus, qui vtique lignum

est: quicquid, Beatissime pater, licèt plerique docti homines conspirare niterentur, atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare Sanctionem ipsam, te tamen principem totius Ecclesiæ Antistitem sacrorum, te Dominici gregis pastorem profitemur, & scimus, teque iubentem sequimur, tibi, & beatissimi Petri cathedræ consentimus, & iniungimur. Itaque sicut mandasti Pragmaticam à Regno nostro, nostroque Viennensi Delphinatu, & omni ditione nostra per præsentes pellimus, deijcimus, stirpitusque abrogamus, & quam qualemue ante Pragmaticę ipsius editionem, circa Ecclesiarum, beneficiorum, aliarumque rerum spiritualium dispositionem, censuram, moderationem in Regno nostro, omnique ditione nostra, tui prædecessores Martinus Quintus, & Eugenius Quartus Romani Pontifices habebant, & exercebant, talem, eamdemque nostro adiutorio beatissimo Petro, tibique ipsius successori reddimus, præstamus, & restituimus cum summo imperio, cum iudicio libero, cum potestate non coarctata. Tu enim, cum scias, quid auctoritate diuinitus tibi tradita possis, quas pro Regni nostri, & Ecclesiarum in eo tranquillitate postulabimus, non negliges res necessarias: poterisque semper, quod opportunum fuerit iudicare. Vtere igitur deinceps in Regno nostro potestate tua, vt voles, atque illam exerce. Nam vt hominum membra nulla contentione, capite vno, atque vna mente ducuntur, sic tuis sacris decretis Ecclesiæ Prælati in Regno nostro, & Delphinatu consonantiam, & obedientiam plenam refundent. Quod si fortè obnitentur aliqui, aut reclamabunt, nos in verbo Regio pollicemur tuæ beatitudini, atque promittimus exequi facere tua mandata, omni appellationis aut oppositionis obstaculo prorsus excluso, eosque, qui tibi contumaces fuerint, pro tuo iussu comprimemus, & refrænabimus. Datæ Turonis sub magno sigillo nostro, die 27. mensis Nouemb. Anno Domini 1461., & Regni nostri primo]

Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus Theoremate 3. [Ad Romanam Ecclesiam, caput, & magistram Ecclesiarum, mentis acies dirigenda est: atque huic ipsi Ecclesiæ, hoc est Apostolicæ Sedis Petri Christi Vicarij sanctissimi viri adhæserunt semper. & dictis, scriptisque fauerunt: vbi dum ab hoc auctore, & alijs passim, vt audiuimus, Romana Sedes ob supremum in ea sedentem Pontificem vocatur cæterarum Ecclesiarum magistra manifestè intelligunt eam debere esse in docendo infallibilem; si enim sermo sit de magisterio fallibili, errandique periculo in rebus fidei obnoxio: non minùs etiam aliæ Ecclesiæ, ac Romana dici possent fidelium magistræ, nec non omnes earum Episcopi: quod est falsum, cùm hoc de sola Sede Romana per excellentiam asseratur ob diuinitus concessum illius Pontificibus infallibilitatis priuilegium in definiendis ex cathedra controuersijs fidei ac religionis.

Cyprianus Benetus Ordinis Prædicatorum scripsit quatuor tractatus, qui extant, vnum de prima orbis Sede: alterum de Concilio; tertium de potestate Ecclesiastica: quartum de Pontificis maximi potestate.

Thomas Vualdensis, Ordinis Carmelitarum Doctrinalis fidei lib. 2. art. 3. cap. 32. [Cur inquit, contra Romanum primatum insurgis? Cur sic irasceris, audiens, quod Episcopus Romanæ Ecclesiæ præemineat capitaliter super omnes alios Episcopos? Sanctissimi Christi Pontifices hunc primatum in vniuersa Ecclesia confessi sunt. Beatus Augustinus Episcopus fuit, & huic primatui non inuidit, sed eum humillimè recognouit.]

S. Antonius 3. p. tit. 22. cap. 10. §. 4. Summę Historicę: & 2. p. tit. 3. cap. 11 Summę Theologicę supremam Romani Pontificis auctoritatem etiam supra Generale Concilium asserit.

Decimum sextum Sæculum, ab anno Domini 1500. *ad* 1600.

Avxiliante Ludouico XII. Galliarum Rege Christianissimo, cùm Iulius Papa II. dirissimum monitionis nomine in Venetos edictum euulgasset, vt intra viginti quatuor dies vrbes occupatas cum vectigalibus, ac redditibus perceptis Ecclesiæ Romanæ restituerent; aduersùsque illud fuisset ab ignotis hominibus paulò post libellus, Romæ Ducis, ac Reipublicæ Venetæ vulgatus, quo post longam, acerbissimamque in Pontificem, ac Regem Galliæ querelam, ad futurum Concilium prouocabant; illius notitia Pontifex habita in argumentum supremæ auctoritatis suæ, constitutionem statim aduersùs illum promulgauit Kalendis Iulij, qua memorans illam, quam olim Pius II. in conuentu Mantuano fecerat contra eiusmodi appellationes, quaque Veneti in suæ excusationem afferebant non ligari, nisi qui in ipsa actuali appellatione, & illius interpositione, vel scripturæ compositione se immiscuissent, ad huiusmodi interpretationis periculum tollendum, declarauit, sanxitque prædictam Pij Constitutionem, tam citrà, quàm vltra montes, & tam contrà Ecclesiasticas quàm seculares personas, etiam regali dignitate, ac Cardinalatus honore fulgentes, Capitula, Vniuersitates, Communitates, Collegia, Synodos, ac Parlamenta valuisse, valere, ac perpetuò valituram, cum suppletione solemnitatis cuiuslibet, etiamque publicationis omissæ: ac præter pœnas in eo contentas, quoscumque eius violatores, aut quomodolibet eis consentientes, pro veris Schismaticis, ac de Catholica fide malè sentientibus, habendos esse, ac pœnis contra tales statutis subiacere, & cum Dathan, & Abiron partem, & damnationem habere: ipsamque postremò Venetorum appellationem, nullius roboris, vel momenti esse declarauit, & quæcumque loca, ad quæ violatores declinare contingeret, Ecclesiastico supposuit interdicto. Ext. Bull. tom. 1. Iul. II. const. 22.

Cùm Maximilianus Imperator, & Ludouicus Galliæ Rex tunc Iulio Secundo infensi, pessimo consilio, inquit Spondanus ad annum 1510. n. 9. & tam Imperatore Romanorum præcipuo Romanæ Ecclesiæ Aduocato,

to, & defensore, quàm Rege Christianissimi nomen ferente prorsùs indigno, hortantibus maximè nonnullis Cardinalibus malè in Iulium affectis, in Kalendas Septembris anno 1511. Concilium Pisis celebrandum indixissent; Iulius pro summa auctoritate sua, qua Concilia Generalia ad solum verum Pontificem pro tempore existentem conuocare pertinet, etiam si ijs omnibus vitijs esset infectus, quæ aduersarij Iulio obijciebant, modò ab hæresis priuatæ suspicione esset immunis, alioquin enim in paucorum potestate foret, vel ambitione, vel priuatis odijs, inquit præfatus auctor, quotidiè tranquillum Reipublicæ Christianæ statum immutare, dictam Pisani conuentus, non Concilij, sed Conciliabuli iure appellati, tamquam Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Catholicæ diuidendæ Seminarij indictionem, conuocationem, & publicationem, nec non schedulas procuratorio nomine Maximiliani Romanorum Imperatoris electi, & Ludouici Francorum Regis Christianissimi, præter eorum mentem, vt par est, inquit credere factas, cum omnibus quomodocumque ad illa pertinentibus, de plenitudine Apostolicæ potestatis, nulla, irrita, & inania, declarauit, eademque reprobauit, reuocauit, irritauit, ac sub anathematis, & maledictionis æternæ, alijsque pœnis insertis, fauorem vllum eis à quocumque cuiuscumque dignitatis Ecclesiasticæ, vel sæcularis impertiri prohibuit. Vtque suam nihilominùs bonam intentionem exequeretur, ad extirpationem hæresum, & schismatum, reformationem morum tam Ecclesiasticarum, quàm sæcularium personarum, quæ de iure, vel consuetudine reformationi, vel determinationi Concilij subijciuntur, bellorum Christianorum extinctionem, & vt vnicuique quod iustum est, redderetur, atque expeditionis aduersùs infideles susceptionem Oecumenicum, vniuersale, ac generale Concilium in alma Vrbe Roma communi omnium patria, apud Lateranum, vbi plurima alia Concilia habita sunt, inchoandum anno proximo millesimo quingentesimo duodecimo, decimo nono mensis Aprilis, feria secunda post Octauam Resurrectionis Domini, nunciauit, & indixit. Ext. Constit. Bullar. tomo 1. Iulio II. Const. 27. & tom. Concil. General. eiusque prima hæc sunt verba: [Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, Martyrum sanguine consecratæ, magistræ fidei, veritatis alumnæ, omnium errorum expertis, vnicæ, & immaculatæ, diuina institutione Sanctorum auctoritatibus Conciliorum, Canonumque omnium testimonio, Ecclesiarum cunctarum primatum tenentis, fidelium matris, regimini superna dispositione præsidentes, circa Religionis Christianæ, puritatem, ipsiusque vnitatem, pacem, & tranquillitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput, Christum videlicet, cuius vices in terris gerimus, principaliter tendit, diuisionem ouilis nobis ex alto commissi, in illoque schisma, per quod Ecclesia scindi, & scandalizari, grexque Dominicus nobis creditus turbari quoquomodo possit, quantùm cum Deo possumus prohibentes, ac damna, & scandala, quæ indè euenire possent, eneruantes, ac palmites futuros infructuosos succidere, & quoscumque aliter, quàm per ostium ad ouile ingredi cupientes, ac à via Domini, postquam illam semel cognouerant, retrocedentes, ad semitam veritatis reducere, vulpeculasque ex vinea eiusdem Domini per ministerium Summi Apostolatus etiam expellere desiderantes, de opportunæ prouisionis remedio prouidemus, aliaque ordinamus, & mandamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Quod Iulius inchoarat, eadem suprema auctoritate Leo X. eius successor continuauit, & absoluit Concilium Generale Lateranense, vbi adhuc illam, vt dicetur infra, aduersùs prauas aliquorum Concilij Constantiensis, & Basileensis intelligentias apertiùs declarauit; nec non in hoc, quod ortas postmodùm Lutheri hæreses duabus editis constitutionibus damnarit, quæ extant Bullar. tom. 1. 40. & 41. Prima sic incipit: [Exurge Domine, & iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum, quæ ab insipientibus fiunt tota die: inclina aurem tuam ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cuius tu torcular calcasti solus, & ascensurus ad Patrem, eius curam, regimen, & administrationem Petro tamquam capiti, & tuo Vicario, eiusque successoribus instar triumphantis Ecclesiæ commisisti.] Deindè vno & quadraginta erroribus in exemplum adductis; illos auctoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & sua, tamquam, vt præmisit, respectiuè hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensiuos, vel simplicium mentium seductiuos, & veritati Catholicæ obuiantes damnat, reprobat, atque omninò reijcit, ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis, ab omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus haberi debere, decernit, & declarat. Qua damnatione, & benigna Summi Pontificis, vt resipisceret admonitione, cùm Lutherus nequaquam profecisset, sed potiùs in furorem versus ad Concilium denuò à Papa prouocasset; libros omnes Iuris Canonici, vnà cum prædicta Leonis constitutione ipsius damnationis publicè incendisset; idem Leo Pontifex alteram in eum constitutionem edidit: qua recitatis, quæ priori decreta fuissent, non solùm ipsum hæreticum esse declarauit, verùm etiam eos omnes cuiuscumque auctoritatis, dignitatis, vel conditionis, qui ei patrocinati essent, aut fauorem, consilium, auxilium præbuissent, veluti & ipsos hæreticos, in pœnas, & censuras à canonibus in hæreticos inflictas, & alias quascumque in priori Decreto contentas, incidisse declarauit. Quæ omnia nonnisi à suprema, eaque infallibili auctoritate in rebus fidei proficisci possunt, vt iam multoties monuimus, & probauimus.

Paulus Papa Tertius tot hæresibus, ac malis, quibus tunc tota penè affligebatur Christianitas, extinguendis nullum opportunius remedium adhibere posse putans, quàm si more maiorum Oecumenicum celebraretur Concilium, illud pro suprema auctoritate sua Tridenti indixit, vt patet ex eius Bulla data Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1542. 11. Kalendas Iunij: Pontificatus anno 8. Extat eiusdem alia Bulla facultatis transferendi Concilij de ciuita-

te Tridentina in aliam, quæ fuit Bononia, vbi ad tempus fuit intermissum.

Sed interim Paulo Tertio viam vniuersę carnis ingresso, Iulius Tertius successor illud reassumi, ac Tridentum reduci mandauit, vt patet ex eius Bulla data Romę apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1550. 18. Kalend. Decembris, Pontificatus anno 1. vbi supremam auctoritatem Pontificiam declarans ait, ad illam spectare generalia Concilia indicere, & dirigere, quod sine dubio euidens est superioritatis ad illa in Summis Pontificibus argumentum, quis enim id superioris, vel capitis proprium esse neget.

Cùm ita ferente, & petente, temporum conditione Tridenti Concilium suspensum fuisset, & interim Mortuus Iulius Tertius, nec non Marcellus Secundus, & Paulus IV, eorum successor Pius IV. suspensione sublata, illud ibidem continuari voluit, vt constat ex eius Bulla data apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1560. 3. kalendas Decembris, Pontificatus anno 1. quo tandem absoluto anno 4. idem Pontifex accepta supplicatione Cardinalium Moroni, & Simonetæ nomine Synodi Tridentinæ, cui ipsi præfuerant, eis Decretorum confirmationem petentium, prout in ea deliberatum fuerat, illa absolutè confirmauit, vt patet ex eius Bulla quæ incipit, [Benedictus, vbi propè medium hæc habentur verba. Cùm autem ipsa Sancta Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reuerentia antiquorum etiam Conciliorum vestigijs inhærens, Decretorum suorum omnium, quæ nostro & prædecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmationem à nobis petierit, Decreto de ea re in publica sessione facto: Nos ex Legatorum literis priùs, deindè post reditum eorum, ex ijs quę Synodi nomine diligenter retulerunt, postulatione ipsius Synodi cognita, habita super hac re cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, Sanctique Spiritus in primis auxilio inuocato, cùm ea Decreta omnia Catholica, & populo Christiano vtilia, ac salutaria esse cognouissemus, ad Dei omnipotentis laudem, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, & assensu, in Consistorio nostro secreto, illa omnia, & singula auctoritate Apostolica hodiè confirmauimus, & ab omnibus Christi fidelibus suscipienda, ac seruanda esse decernimus, sicut harum quoque literarum tenore ad clariorem omnium notitiam confirmamus, & suscipi, obseruarique decernimus.] Eadem postea auctoritate inhibens omnibus, tam Ecclesiasticis personis, cuiuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocumque honore, ac potestate præditis, ne quis sine illa audeat vllos commentarios, glossas, annotationes, scholia, vllumue omninò interpretationis genus super ipsius Concilij Decretis quocumque modo edere ait: [Si cui verò in eis aliquid obscurius dictum, & statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione, aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicèt Apostolicam, omnium fidelium magistram, cuius auctoritatem etiam ipsa Sancta Synodus tam reuerenter agnouit. Nos enim difficultates, & controuersias, si quæ ex eis Decretis ortæ fuerint, nobis declarandas, & decidendas, quemadmodùm ipsa quoque Sancta Synodus decreuit, reseruamus; parati sicut ea meritò de nobis confisa est, omnium Prouinciarum necessitatibus ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, prouidere, &c.]

Extant aliæ duæ eiusdem Bullæ, prima super declaratione temporis ad obseruanda Decreta Sacri Oecumenici, & generalis Concilij Tridentini, quia inquit: [Sicut ad Sacrorum Conciliorum decreta, ac canones, auctoritas, atque confirmatio Apostolicæ Sedis & debet, & solet accedere; ita si quæ super eis exorta sit dubitatio, eiusdem Sedis iudicio, & declaratione tollenda est.] Altera motus proprius est, per quem deputantur octo Reuerendissimi Cardinales, qui obseruare faciant reformationes ab eo editas, nec non decreta Sacri Concilij Tridentini; refertque Spondanus ad annum Christi 1564. num. 1. [Ipsummet Pontificem de se in Cardinalium consessibus professum esse, vtcumque non teneretur, tamen ea se obseruaturum, nunquamque eis derogaturum, nisi vrgenti de causa, & de consensu Cardinalium: negotio etiam Morono, & Simonetæ dato, vt diligenter attenderet, si quid aduersùs ea in consistorio proponeretur.]

Quod ad Summos Pontifices Romanos finale, ac indeficiens rerum fidei iudicium pertineat, vel cum Concilijs generalibus, ea vbi opus est, & ita expedire iudicant cogendo, dirigendo, confirmando, vel etiam fine illis definiendo, quæ exoriuntur, controuersias, aut dubia, indè Pius V. sua constitutione, aliquas Michaelis Baij, Concilij Tridentini olim Theologi, Vniuersitatis Louaniensis Decani propositiones doctrinæ fidei aduersas condemnauit; nec non etiam eius successor Gregorius XIII. qui insuper, ne altiores Louanij radices agerent, illùc misit Franciscum Toletum ex Societate Iesu virum doctissimum S. R. E. postea Cardinalem, vt dictum Michaelem ad illas propositiones, quæ eius scriptis in publicum editis continebantur, emendanda induceret, vt feliciter ex sententia contigit. Quænam autem, qualesue illæ fuerint videre est in constitutionibus à præfatis Pontificibus editis, quas refert Posseuinus in suo Apparatu tomo 2. in Michaele Baio.

Idem Gregorius XIII. in professione fidei à Græcis emittenda, iuxtà constitutionem eius 33. tomo 2. Bullarij, hunc articulum ex antiqua forma posuit: [Item profiteor Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem, ac doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris canonibus continetur.

Sixtus Papa V. eamdem supremam, & indeficientem in rebus fidei auctoritatem pluri-

pluribus in constitutionibus à se editis ostendit, præsertim 74. de institutione quindecim congregationum S. R. E. Cardinalium; vbi de prima, pro Sancta inquisitione agens ita loquitur: [In primis igitur, quoniam fides, sine qua impossibile est placere Deo, totius spiritualis ædificationis fundamentum est, cupientes hoc pretiosum depositum, quod nobis potissimùm à Christo Domino in Beato Petro Apostolo est creditum, aduersùs omnes inferorum portas integrum, inuiolatumque custodire, Congregationem Sanctæ inquisitionis hæreticæ prauitatis magna prædecessorum prouidentia, tamquam firmissimum Catholicæ fidei propugnaculum, in vrbe institutum, cui ob summam rei grauitatem, Romanus Pontifex præsidere solet: nos quoque confirmamus, & corroboramus.] Quis autem fidei depositum potissimùm à Christo Domino Romanis Pontificibus creditum esse dicat, si hæreses, etiam vt aduersarij dicunt, ex cathedra docendo, illud dissipare possint.

Ob dirissima quibus tunc Ecclesia vexata fuit schismata, quasi mos inoleuisset, varijs sub prætextibus, summo non ampliùs obediendi Sacerdoti, inde Pisanus congressus, vel potiùs Conciliabulum suam habuit originem; aliqui enim Cardinales, non tam publico Reipublicæ Christianæ bono attendentes, quàm proprijs studijs, & odijs ducti, protegentibus etiam eos aliquibus Principibus Laicis, Pisas conuenerunt, & altare contra altare erigere cæperunt; sed frustra, Iulius enim Secundus nihil cunctatus, eos omni dignitate, & titulis Ecclesiasticis priuauit, omnesque item tanti facinoris, & sacrilegij fautores, hæreticos, & schismaticos, interdici per aliquorum ditiones rerum sacrarum vsu pronuntiauit, & pro occurrentibus Ecclesiæ necessitatibus generale Concilium Lateranense indixit. Quòd vt diximus supra ipsius morte est interruptum, & postcà continuatum, & absolutum à Leone X. anno 1517. 17. kalend. Aprilis. In huius autem Concilij sessione vndecima, vbi abrogatur Pragmatica Sanctio, de qua superiori seculo actum est; hæc audiente, & approbante Concilio habentur verba pro suprema Romanorum Pontificum, etiam supra Concilia Generalia auctoritate, & potestate.

Nec illud nos monere debet, quod sanctio ipsa, & in ea contenta, in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, à Bituricensi congregatione recepta, & acceptata fuerunt, cùm ea omnia post translationem eiusdē Concilij, per Re. me. Eugenium Papam IV. etiam prædecessorem nostrū factam, à Basileensi Conciliabulo, seu potiùs conuenticula, quæ præsertim post huiusmodi translationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cùm etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constet: quorum aliqua referre placuit, reliqua verò vtpotè notoria, silentio præterire. In Alexandrina enim Synodo Athanasio ibidem existente, Felici Rom. Pont. ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus, Nicenam Synodum statuisse, non debere absque Rom. Pont. auctoritate concilia celebrari. Neque nos latet, etiam eumdem Leonem Pontificem Ephesinam secundam Synodum ád Chalcedonensem transtulisse. Martinum etiam Papam V. præsidentibus suis in Concilio Senensi potestatem transferendi Concilium, nulla consensus ipsius Concilij mentione habita, dedisse. Ephesinam quoque primam Synodum Cœlestino, ac Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Hadriano, octauam Nicolao, octauam etiam Constantinopolitanam Synodum Hadriano Rom. Pont. prædecessoribus nostris maximam reuerentiam exhibuisse, eorumdemque Pontificum institutionibus, & mandatis in Sacris Concilijs per eos editis, & factis, reuerenter, & humiliter obtemperasse. Vnde Damasus Papa, & cæteri Episcopi Romæ congregati, scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, præiudicium aliquod numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur: quandoquidem constet, Romanum Pontificem, cuius ante omnia decebat spectari decretum, talibus non præbuisse consensum: eumdemque Leonem Pontificem, vniuersis Siciliæ Episcopis scribentem, idem voluisse apparet. Consueueruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in suis Concilijs gesta fuerunt, corroboratione à Rom. Pont. subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere, provt ex Nicena, & Ephesina, ac Chalcedonensi huiusmodi & 6. Constantinopolitana, & 7. eadem Nicena, & Romana sub Symmacho Synodis habitis, earumque gestis, nec non in Aimari libro de Synodis manifestè colligitur, quòd etiam nouissimè Constantienses Patres fecisse constat: quam laudabilem consuetudinem si Bituricenses, & Basileenses secuti fuissent, huiusmodi molestia proculdubio careremus. Hactenus ex præfata Concilij generalis Lateranensis sessione.

In Concilio quoque Tridentino hoc etiam seculo celebrato, eadem suprema Romani Pontificis auctoritas fuit agnita sessione 25. vbi de recipiendis, & obseruandis decretis Concilij loquentes Patres aiunt.] [Quòd si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur; aut aliqua inciderint, quæ declarationem (quòd non credit) aut definitionem postulent; præter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit Sancta Synodus Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, vt vel euocatis, ex illis præsertim prouincijs, vnde difficultas orta fuerit ijs, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilij generalis celebratione, si necessarium iudicauerit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, prouinciarum necessitatibus pro Dei gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.

Ibidem de fine Concilij, & confirmatione petenda à Sanctissimo Domino nostro.

[Illu-

[Illustrissimi Domini, Reuerendissimique Patres. Placet ne vobis, vt ad laudem Dei omnipotentis huic sacræ Oecumenicæ Synodo finis imponatur? & omnium, & singulorum, quæ tam sub fel. record. Paulo III. & Iulio III quàm sub Sanctissimo Domino nostro Pio IV. Romanis Pontificibus in ea decreta, & definita sunt, confirmatio nomine huius Sanctæ Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, & præsidentes à Beatissimo Romano Pontifice petatur. Responderunt, placet. Illustrissimus Spondanus ad annum Christi 1563. num. 64. aduertit in editione Anteruerpiensi anni 1564. post illa verba in fine Synodi posita fuisse additum, tres è Patribus fuisse, qui dixerunt, se confirmationem non petere. [Qui autem fuerint, inquit, non dicitur, nec alibi reperimus; sed nec multùm referr. Reperimus quidem, quando in congregatione propositum fuerat de confirmatione petenda, dubitatum fuisse à quibusdam de modo, at à nemine de re ipsa.

Scriptores autem Ecclesiastici, qui hoc sæculo floruere, quique hanc veritatem de suprema auctoritate Romanorum Pontificum, eaque indefectibili in rebus fidei, & religionis, à maioribus acceptam tradidere, precipui sunt, Thomas de Vio, patria Caietanus, Ordinis Prædicatorum Prior generalis, ac posteà Cardinalis Presbyter à Leone X. creatus, vir summi ingenij, nec minoris pietatis inquit Bellarminus, qui passim in suis operibus, sed tribus præsertim tractatibus tomo 1. opusculorum contentis, doctissimè Pontificium Primatum, ac in rebus fidei, vbi ex cathedra definiuntur, indeficiens iudicium demonstrat.

Dominicus Iacobatius Romanus, Rotæ auditor, & posteà Cardinalis à Leone X. creatus in præclaro tractatu de Concilijs decem libris distincto.

Franciscus Ferratiensis, Ordinis Prædicatorum Prior generalis in egregijs commentarijs, quæ scripsit in Summam S. Thomæ contra gentes, lib. 4. cap. 76. vbi consuli potest.

Syluester Prieras eiusdem Ordinis, ac Sacri Palatij Magister in Summa tomo 1. verbo Concilium §. 2. docet non standum esse sententiæ Papæ, quia meliores habeat rationes, [sed quia caput Ecclesiæ habens determinare dubia in fide; cuius auctoritate semota nihil potest Concilium, & à quo sententia Concilij confirmatur:] ibidem §. 5. Vtrùm appellari possit à Papa ad Concilium, vel ad eius successorem? dicit quòd non; sed esse hæreticum hoc asserere: [Nam qui priuilegium Romanæ Ecclesiæ à Christo traditum (de quo infra Ecclesia) auferre conatur, hæreticus est d. 22. omnes: sed qui sic asserit, est huiusmodi: quia cùm appellatio non sit nisi à minori ad maiorem: qui sic asserit, primò asserit Papam non esse vnicum, & summum caput totius Ecclesiæ, nec habere plenitudinem potestatis super omnes, nec sententiam eius esse stabilem, & firmam, & inconcussè tenendam, nec carere iudice in terris, quæ omnia sunt contra Ecclesiæ priuilegia, vt patebit. Et si proprio motu, vt singularis persona erraret in fide notoriè, adhuc ab eo non esset appellandum, sed esset monendus per Cardinales, qui in eius electione totum corpus Ecclesiæ repræsentant: quibus si nollet assentire, sed erraret in fide perseueranter, vel potiùs obstinatè; eo ipso esset Pontificatu deiectus in conscientia 24. quæst. 1. audiuimus, deijciendus iuridicè per Concilium. Idem penitùs asserit verbo Ecclesia §. 2. & 3. nec non verbo fides §. 6. [Adde, inquit, quòd Ecclesia si errare non potest, sec. Arc. est Ecclesia Romana, quòd etiam probatur per Diuum Hieronymum ad Damasum 24. quæst. 1. hæc est fides, & per dicta Lucij Papæ, & ex hoc, quòd caput eius, id est Papa non potest errare.] §. autem 7. ait editionem symboli, & determinationem dubiorum in fide pertinere primò, & principaliter ad Papam, & non ad Concilium; posseque tantùm illum errare, vt singularis est persona, non autem vt Papa, siue caput suorum membrorum auxilio vtens per consilia, & orationes, & faciendo, quod in se est, &c.

Ioannes Reuchlinus, seu Capnion de arte Cabalistica ad Leonem X. sub finem libri: [Totum hunc librum tuæ subijcio auctoritati, cuius in arbitrium collata est totius mundi censura, vt quæ displiceant reijcias, & tunc lætabor cætera placuisse.

Ioannes Echius vnus ex primis, qui hæresiarchæ Luthero, & coram disputando, & scriptis libris strenuè se opposuit, in libris tribus de Primatu Sancti Petri.

Ioannes Episcopus Roffensis, ac posteà S. R. E. Cardinalis, &, quod longè gloriosius est, Martyr Christi, occisus Henrici Octaui Regis Anglorum iussu, in libro aduersùs articulos Lutheri, quos Leo X. Papa damnauerat.

Ioannes Faber Episcopus Viennensis in libro de potestate Summi Pontificis contra Lutherum.

Ioannes Cochlæus in opusculis contra Lutheranos, & alios sectarios: & in 4. Philippica.

Franciscus Victoria Ordinis Prædicatorum in relect. de potest. Ecclesiæ, & de potestate Concilij.

Martinus Nauarrus vir doctissimus, & pijssimus varijs in locis, sed præsertim tom. 1. commentr. 4. de regularibus num. 20. ait, & vt certum supponit, [quòd Sancta Sedes Apostolica in his, quæ sunt fidei, & morum errare non potest.

Alphonsus Aluarez Guerrero in thesauro Christianæ Religionis cap. 1. agens de vnitate, & plenissima potestate Sacri Summi Romani Pontificis ostendit ita omnes Apostolos fuisse pares in auctoritate gubernandi Ecclesiam, atque à Iesu Christo immediatè eam accepisse, vt tamen Petrus solus fuerit institutus pastor vniuersalis Ecclesiæ, & maior auctoritate super alios Apostolos. Et sic Ecclesia vna sub vnico tantùm capite, Petro scilicet, & eius successoribus. Vnde notat quinque esse differentias inter potestatem Petri, & aliorum Apostolorum. [Prima est in modo dandi, & accipiendi, quia Petro data est ordinariè, Apostolis alijs autem ex speciali gratia, vt dictum est. Secunda est in officio, sequitur ex prima; quia Petrus factus est Vicarius Generalis Christi; alij verò Apostoli facti sunt legati, seu delegati, iuxta il-

lud Pauli, legatione pro Christo fungimur. Item ad Ephesios legatione fungor in catena ista. Tertia est in obiecto potestatis, quia aliorum potestas iurisdictionis non erat supra inuicem, sed super alios, Petri verò potestas erat, & super alios, & super ipsos reliquos Apostolos, dicente sibi soli Christo: Pasce oues meas, in quarum numero sine dubio erant Apostoli, vbi Chrysostomus dicit in persona Christi ad Petrum, loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum. Quarta in perpetuitate potestatis; quia potestas aliorum Apostolorum finienda erat: quoniam data est eis in personis proprijs, pro solis personis proprijs, & non pro eorum successoribus, Petri verò potestas vsque ad consummationem perseuerat: quia data est sibi in persona propria, non solùm pro seipso, sed pro omnibus successoribus suis, quod sancti Doctores exprimunt sub alijs verbis dicendo, quòd data est potestas Petro in persona Ecclesiæ. Et ex hac differentia oritur, quòd nullus est successor Ioannis, aut Iacobi, nec etiam Pauli Apostoli in auctoritate Apostolatus vniuersalis gubernationis Ecclesiæ, sicut Apostoli gubernabant vbique, sed succedunt tantùm in potestate ordinis, & regiminis vnius certæ Ecclesiæ, vt hodie succedunt, sed solius Petri successor est, vt dicitur Papa, vt patet in toto isto capitulo. Quinta est in ipsa essentia potestatis, quia auctoritas communiter data Apostolis fuit velut potentia executiua, vnde à sancto Thoma vocatur auctoritas gubernandi. Auctoritas verò data soli Petro, cùm factus est Papa, dicente Christo; Pasce oues meas, est potentia præceptiua, & propterea vocatur à sancto Thoma auctoritas regiminis. Propter quod dixit sanctus Thomas: Paulus fuit par Petro in executione, non in auctoritate regiminis ad Galat. cap. 2. & ad Corinth. 12. vide etiam S.Thom. Dedit enim Saluator omnibus Apostolis, vt exequi possent in eis, ad quos mittebantur; omnia, quæ poterat exequi Petrus, puta instituere Ecclesias, & Episcopos, docere excommunicare; Petro autem dedit absolutè potestatem omnium, &c.] Deinde capit. 2. & 3. apertè docet ad solum Summum Sacrum Romanum Pontificem spectare de fide, & hęresi determinare. Licèt enim vbi agitur pręcisè de scientia in disquirendis, & examinandis fidei veritatibus multi Doctores, aut Theologi Summis pręcellere possint Pontificibus, attamen quia vbi definiendæ sunt, non solùm est necessaria scientia, verùm etiam potestas soli Petro, eiusque successoribus concessa, inde iuxta rerum exigentiam, ita Doctores, & Magistros sibi adiungere debent, per quos plenè veritas discutiatur, vt tamen vltimum, finaleque, & indeficiens illius iudicium ad solam ipsorum potestatem pertineat.

Bartholomęus Fumus Ordinis Prædicatorum, in summa aurea armilla nuncupata verbo Papa: [Papa habet iurisdictionis suæ auctoritatem à Christo, mediante electione Ecclesiæ, vel habentis vicem Ecclesiæ, & omnis alia potestas in Ecclesia, ab ista, & sub ista est quantùm ad institutionem, seu collationem.

Item verbo Concilium. [A Papa ad Concilium appellari non potest, quia Papa confirmat, & sententiat Concilium, & est eo maior, vt dictum est: & appellatio non fit nisi ad maiorem. Immò hoc asserere hæreticum esset, quia hoc esset auferre priuilegium traditum à Christo Ecclesiæ Romanæ, quod est hæreticum, vt in cap. omnes dist. 22.

Si Concilium, & Papa discreparent de fide, & Papa videretur habere meliores rationes, non propter meliores rationes standum est sententiæ Papæ, sed quia est caput Ecclesiæ, habens auctoritatem determinandi ea, quæ sunt fidei, aliter oporteret esse aliquem iudicem determinantem; quæ essent meliores rationes, secundùm Thom. de pot. quæst. 10. art. 4.] Quod debet intelligi de Concilio, vt præscindit à Papa: vt enim subsequenter ait idem auctor, non potest esse controuersia inter Papam, vt Papam, & Concilium, intellige eiusdem auctoritate confirmatum, de fide, quia neutra pars potest errare, & in hoc etiam sensu interdum asseritur; in concernentibus fidem Concilium esse supra Papam, quatenus in his non potest contra Concilium disponere, auctoritate videlicet Apostolica confirmatum: quia aliquando sine illa potest in rebus etiam fidei errare, sicut de facto, inquit idem auctor, errauit circa matrimonium inter raptorem, & raptam, & sententia Hieron. præualuit 30. quæst. 2. cap. Tua, & cap. placuit, quo in casu certum est Pontificem non solùm posse, sed etiam debere ire contra Concilia, vt multoties contigisse iam vidimus, & iterum sectione sequenti dicetur.

Stanislaus Hosius in confessione Catholicæ fidei cap. 28. [Sola Romana Ecclesia, qua ab exordio fidei Christianæ normam accepit, in ea semper illibata permansit. Defecit Hierosolymitana Ecclesia, cui pręsedit Iacobus: defecit Achaia, vbi Andreas: defecit Asia, vbi Ioannes: defecit India, vbi Thomas, defecit Persis, vbi Matthæus: defecit Phrygia, vbi Philippus: defecit Gręcia; vbi Paulus. Sola fuit, & est Romana Ecclesia, ad quam, sicut præclarè scribit Cyprianus, numquam accessum habere potuit perfidia: quæ mille iam quingentis, & ampliùs annis ita est Catholica semper, & Apostolica habita, numquam vt vlla fuerit hæræseos labe maculata. In qua videre etiamnum licet viros, & vitæ sanctimonia, & doctrina pręstantissimos. Neque enim existimandum est, si quando ad Petri cathedram de causis maioribus refertur, solum esse Paulum, aut Iulium Pontificem, qui de illis iudicet. Habet ille lateri suo assidentes totius orbis viros doctissimos, quibus ipse minimè doctrina secundus pręsidet, de quorum consilio de rebus grauioribus pronunciat. Quamobrem ferendi non sunt, qui Pontifici se dicto audientes fore profitentur, non autem Paulo, aut Iulio, sibique hoc arrogant, suum vt esse velint iudicium, quando vt Pontifex; quando vt Iulius decernat. Quæ si semel admissæ fuerint captiones, omnis erit è terris obedientia sublata.] Eumdem vide in lib. de auctor. S.Pontif. lib. 2. contra Brentium, & in explicatione Symboli, cap. 26.

Alexander à Turre, Canonicus Regularis

ris Lateranensis, de fulgenti radio Hierarchiæ Ecclesiæ militantis lib. 5. radio 18. de vero, ac certo Apostolicæ Sedis oraculo; [Quemadmodum stellæ à solis splendore illustrantur; ita cęteri Doctores, qui in Ecclesia, veluti in Cœli firmamento elucent, in dilucidandis perobscuris fidei dogmatibus, ab ipso Romanæ plebis Antistite splendorem iugiter mutuant. Celeberrimæ totius Christiani orbis Synodi in ipsum, vt in fulgentissimam lucem respiciunt: maioresque Ecclesiæ causas ad ipsum Romanum Episcopum referunt, quoniam Christi oratione obtentum est à patre, ne Petrus, Petrique successor, & ipsius Christi Vicarius, cum de fide publica, publicisue fidei quęstionibus decernendis pronunciat, aberrare possit. Petro enim non vt homini priuato, sed vt Ecclesiæ pręfecto, quippe quem in Ecclesiastica Hierarchia perseuerare oportet, quousque Ecclesiæ regnum perdurabit apertè pronunciatum est Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando couersus confirma fratres tuos, &c.

Siud, siue Sulaka à Nestorianis Syriæ, Assyriæ, & Persidis, Patriarcha Mozal, siue Seleuciæ Parthorum designatus, Romam venit consecrandus, cum epistola illorum populorum, qua Summum Pontificem pro vniuersi Orbis pastore agnoscunt: in professione autem fidei Siud, quam fecit Romæ ann. 1552. edita, & versa ab Andrea Masio, vbi eiurauit nominatim Nestorium, hęc habentur: [Synodus scripsit de Ecclesia Sancta Romana, quæ est Sedes Petri, quòd sit caput omnium Ecclesiarum, quòd donum dedit illi Christus per illa verba, quæ dixit ad Petrum plantatorem illius nimirum, Tu es petra, & super istam petram ædificabo ipsam Ecclesiam meam. Habetur apud nos illa fides; &c. Recipimus omnia illa Concilia, quæ recipit Ecclesia Romana, excommunicamus quos excommunicat Ecclesia Romana. Veneramur quoque, exaltamus, atque laudamus Ecclesiam Romanam, & caput eius Papam Sanctum, atque omnes proles ipsius benedictas.

Abdisus etiam ex ciuitate Gesira in Tigri flumine Monachus sancti Antonij, Primas, siue Patriarcha ciuitatis Muzal in Assyria: Romam venit ad obtinendam confirmationem, obtulitque Pio IV. Pontifici tunc in Cathedra Petri sedenti professionem fidei 7. Martij, anni 1562. cuius hæc, inter alia, sunt verba; [Ego Abdisus iuro, quòd ita credo, & ore confiteor, Sanctęque Romanæ Ecclesiæ fidem, approbatis omnibus, & singulis alijs, quæ ipsa approbat, & damnatis similiter omnibus, quæ ipsa damnat, amplector, & perpetuò me amplexurum, & retenturum esse profiteor, & promitto, & omnes fratres meos Metropolitas, siue Episcopos, ac Diœcesanos quouis modo meæ iurisdictioni subiectos ita credendum, & tenendum esse docebo, & modis omnibus, quibus potero, persuadere conabor, ita me Deus adiuuet; & hęc Sancta Dei Euangelia.] At si Ecclesia Romana infallibilis non esset, siue, quod idem est, Romanus Pontifex, qui cum ea non ponit in numero, cuiusque ratione etiam hoc, quàm alia quęcumque habet priuilegia; quomodo in materia fidei regula esse possent acceptandi, vel damnandi ea, quæ ad illam spectant, vel non?

Exeunte anno 1594. aduenit Romam missa legatio à Patriarcha Gabriele, & vniuersa Ecclesia Alexandrina, pro communione Sedis Apostolicæ impetranda, & obedientia ei præstanda: quod solemni celebritate peractum est sequenti Ianuario, in eius epistola ad Clementem Octauum hæc habentur verba: [Humilis Gabriel Dei gratia famulus Sedis S. Marci in Vrbe Alexandrina Ægyptia, &c. salutem impartimur, atque osculum offert spirituale Patri Domino, Patrum Patri, Patriarcharum Principi, tertiodecimo Apostolorum, gloriosi Domini nostri Iesu Christi, & quinto SS. Euangelistarum, & sancti Petri Apostoli successori, Petræ fidei, super eius Cathedram in magna Roma sedenti, cui data est à Deo potestas ligandi atque soluendi, cuius mentio fit in sacro Euangelio, cum dicit; Tibi ò Petre, dedi claues Regni Cœlorum, &c. Tu enim loco eius constitutus, & successor es super terram, Pater noster, & Dominus noster, atque corona capitis nostri, Dominus Papa Clemens Octauus. Gratias agimus Deo altissimo, eumque sanctificamus, & magnificamus, quòd te constituit Christus Catholicæ fidei habenas tenentem, misericordem, & pium super vniuersum populum Christianum, ac diligentem omnes in Christum credentes, instar beatissimi Petri, qui te fecit succedere in eius Cathedram. Tu qui effectus es caput, & maximus Patriarcharum, & Magister, & Predicator totius populi Dei.

In confessione autem fidei; [Teneo, & confiteor Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesię esse caput, & omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse. Itaque promitto me tamquam obedientiæ filium ordinationibus, pręceptis, censuris, & iussionibus Sanctissimi Domini nostri D. Clementis diuina prouidentia Papę Octaui, & successorum suorum Romanorum Pontificum Canonicè intrantium, & Sedi Apostolicę semper, & fideliter obtemperaturum.

Eodem quoque anno 1595. Hypathius Wlodimiriensis Episcopus, & Cyrillus Luceoriensis, à Michaele Metropolita Kiouiensi, cæterisque Russorum Episcopis Romam missi ad ineundam, & suscipiendam cum Romana Ecclesia vnionem, in fidei professione, quam emiserunt, similia superæ, ex antiqua, vt multoties vidimus forma, hæc habent: [Credo sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum Orbem tenere primatum: & ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Apostolorum Principis, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, atque doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro

Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.]

Decimum septimum Seculum, ab anno Domini 1600. *ad* 1700.

EX multis, quæ passim leguntur in Bullis Clementis VIII. pro suprema Sedis Apostolicæ auctoritate, eaque infallibili in rebus fidei, & religionis, vnum, aut alterum proferam testimonium. Primum habetur in Bulla VIII. indictionis Visitationis omnium Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum Almæ Vrbis: [Quemadmodum igitur stabilis illa fidei Catholicæ petra, aduersùs, quam inferorum portæ præualere non possunt, diuino consilio in hac Vrbe, quæ prima Sedes est, consurgit, hic Beatissimi Apostolorum principis Petri cathedra collocata, vnde omnis existit Ecclesiæ vnitas, & communio, hic orthodoxæ fidei integritas, & sana doctrina, & verus Dei cultus semper viguit, ac viget, atque ab hac Ecclesia omnium matre, & magistra, tamquam ab ipso fonte in alias Ecclesias promanat;sic vicissim summoperè cupimus, vt omnis ex Vrbe auferatur iniquitas, & vt Clerus, & Populus Romanus, vitæ innocentia, Ecclesiastica disciplina, omni denique Christianæ pietatis exemplo cæteris præluceat.]

Alterum in Bulla 27. Canonizationis S. Hyacinthi Poloni: [Denique omnibus ritè, ac piè peractis, quæ in hac re alij Romani Pontifices prædecessores nostri seruanda esse statuerunt, Sanctoque Spiritu, cuius diuino numine Ecclesia afflata numquam fallitur, multis cum precibus inuocato. Ad honorem Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, ad exaltationem fidei Catholicæ, ac Christianæ religionis augmentum, auctoritate eiusdem Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra, de fratrum nostrorum consilio, decreuimus, & definiuimus, bo.mem. Hyacinthum Polonum Ordinis Fratrum Prędicatorum, Sanctum esse, ac Sanctorum cathalogo adscribendum, sicut per præsentes definimus, decernimus, & adscribimus.]

Agitaram quoque celebrem illam quæstionem de auxilijs gratiæ diuinæ ad liberum hominis arbitrium, quæ inter Patres sancti Dominici, & Societatis Iesu controuertebatur, magnis vtrinque studijs, ad se tamquam ad supremum fidei arbitrum euocauit, institutis coram se disputationibus,& Cardinalibus S. Inquisitionis, ac selectis ex omnibus ordinibus Theologis.

In eiusdem supremæ, & infallibilis auctoritatis Pontificiæ argumentum, alia non desunt testimonia, tum in Bullis, quibus eius successores Paulus V. sanctam Franciscam Romanam, & sanctum Carolum Borromæum Sanctorum numero adscripsit; Gregorius XV. Sanctos Ignatium Loiolam, Franciscum Xauerium, Isidorum Agricolam, Philippum Nerium, & sanctam Theresiam Virginem; Vrbanus VIII. S. Elizabeth Reginam Portugalliæ, & sanctum Andream Corsinum Ordinis Carmelitarum Episcopum Fesulanum; tum etiam in alijs pluribus.

Tamdem Innocentius X. & Alexander VII. vt cætera omittam, controuersias super quinque propositiones in materia fidei definierunt. Tam autem Innocentij in hac re constitutionem, quàm literas ad Regem, & Episcopos Galliæ, quibus illam direxit, præstat hic singulariter referre.

LITERÆ

INNOCENTII X. Pontificis Maximi ad LVDOVICVM XIV. Regem Christianissimum.

Charissime in Christo fili noster, salutem, & Apostolicam benedictionem.

COnstitutionem, qua post longam accurati examinis indaginem, & Spiritus Sancti lumen publicè, ac priuatim sæpiùs imploratum, quid sentiendum sit de quibusdam propositionibus declarauimus, & definiuimus, Maiestati tuæ cum his literis mittimus. Ex ea sententiam Catholicæ fidei in graui hoc negotio à nobis audies: nec dubitamus quin eadem futura sit cum populis Christianis salutaris, tum summoperè grata pietati tuæ; cum præsertim, & ipse per Oratorem tuum pro Sanctæ huius Sedis super his decisione apud nos institeris. Maiestati tuæ benedictionem Apostolicam amantissimè impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 31. Maij 1653. Pontificatus nostri anno nono.

F. Florentinus.

LITERÆ

INNOCENTII X. ad Episcopos Galliæ.

Innocentius Papa X.

Venerabiles fratres, salutem, & Apostolicam benedictionem.

REctè, atque ordine fecit fraternitatum vestrarum pietas, quæ cùm in Ecclesijs istis propositionum, de quibus ad nos scripsistis, occasione turbas ingentes excitari cerneret, ascendit ad locum hunc Sanctum, quem elegit Dominus, vt Catholicam super his veritatem à nobis quæreret. Nos igitur post longam accurati examinis indaginem, & preces luminum Patri Deo enixè porrectas, quid sentiendum sit de propositionibus illis declarauimus, ac definiuimus hac constitutione, quam cum his literis ad vos mittimus. Ex ea sententiam orthodoxæ fidei in graui hoc negotio à nobis audietis, nec dubitamus quin futura sit cum populis Christianis salutaris, tum summoperè grata insigni zelo fraternitatum vestrarum, quibus benedictionem Apostolicam peramanter impertimur. Datum

Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris, die 31. Maij 1653. Pontificatus nostri anno nono.

F. Florentinus.

CONSTITVTIO

Sanctissimi in Christo Patris, ac Dñi Nostri D. INNOCENTII Diuina Prouidentia Papæ X.

Qua declarantur, & definiuntur quinque propositiones in materia fidei.

INNOCENTIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei.

Vniuersis Christifidelibus salutem, & Apostolicam benedictionem.

CVm occasione impressionis libri, cui titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, præsertim in Gallijs, controuersia super quinque ex illis; complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, vt easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum Propositionum est prout sequitur.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.

III. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

IV. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, vt Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis prauarum opinionum erroribus, tutò militare, & tamquam nauis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè nauigare, & ad optatum salutis portum peruenire possit.

Pro rei grauitate, coram aliquibus sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis, à pluribus in sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, vt supra nobis oblatas, fecimus singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scripto relata maturè considerauimus, eosdemque Magistros, varijs coram nobis actis congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audiuimus.

Cum autem ab initio huiuscemodi discussionis ad diuinum implorandum auxilium multorum Christi-fidelium preces, tum priuatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem feruentiùs, ac per nos sollicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tamdem Diuino Numine fauente, ad infra scriptam deuenimus Declarationem, & Definitionem.

I. prædictarum propositionum: [Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilla fiant:] temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vtì talem damnamus.

II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur: hæreticam declaramus, & vtì talem damnamus.

III. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione: hæreticam declaramus, & vtì talem damnamus.

IV. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: falsam, & hæreticam declaramus, & vtì talem damnamus.

V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; falsam, temerariam, scandalosam: & intellectam eo sensu, vt Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, diuinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & vtì talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in iure expressis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, alisque locorum Ordinarijs, nec non hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, vt contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque iuris, & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sęcularis, omninò coerceant, & compescant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque Propositionibus factam, approbare vllatenus alias opiniones, quę continentur in prædicto libro Cornelij Iansenij. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kalen. Iunij, Pontificatus nostri anno nono.

Iam, quia difficile, immò ferè impossibile esset referre omnes, ac singulos cuiuscumque

que status, & nationis auctores, qui hoc seculo supremam Romani Pontificis auctoritatem, eamque indefectibilem in rebus ad fidem spectantibus propugnauerunt, pro omnibus sufficiat, & coronam cæteris huc vsque relatis imponat præclarum Illustrissimorum Galliæ Præsulum testimonium, desumptum ex literis, quas morem maiorum secuti in præfato quinque propositionum negotio scripserunt ad Pontificem Maximum Innocentium X. tàm ante, quàm post emissam ab eo statim adductam constitutionem. Tenor illarum est, prout sequitur.

LITERÆ

Gallicanorum Episcoporum ad Pontificem Maximum INNOCENTIVM X.

Beatissime Pater.

MAiores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri numquam deficiens perpetuò retineri pro iure suo postulat. Æquissimæ huic legi obsequentes, de grauissimo circa religionem negotio Sanctitati Tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mærore commouetur, ob librum posthumum, & doctrinam Reuerendi Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat tùm Concilij Tridentini auctoritate, tùm Bullæ illius, qua Vrbanus VIII. felicis memoriæ aduersùs Iansenij dogmata pronunciauit, & decreta Pij V. & Gregorij XIII. in Baium edita confirmauit. Atque huius quidem Bullæ veritatem, ac robur nouo diplomate vindicasti; sed quia nulli singillatim propositioni certa censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cauillis, & effugio relictus est. Intercludendum autem penitùs speramus, si, vt precamur, Sanctitas Tua, quid in hac re sentiendum sit clarè, distinctèque definiat. Obtestamur ergo, vt has præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas Tua expendat, ac perspicuam, & certam de vnaquaque sententiam ferat.

I. Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque ijs gratia, qua possibilia fiant.

II. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.

III. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.

IV. Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Experta est nuper Beatitudo Tua, quantùm Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ capitis errore profligando valuerit auctoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem, & imperium venti, & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, vt clara, firmaque de propositionum istarum sensu prolata sententia, cui Reuer. ipse Iansenius morti proximus opus suum subiecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restituas. Dùm hæc spes mentibus nostris affulget, Sanctitati Tuæ multos, & prosperos annos, seculoque beatissimam æternitatem Rex seculorum immortalis adijciat, optamus, ac vouemus.

Subscripserunt Episcopi octogintaquinque.

LITERÆ

Episcoporum Galliæ ad Pontificem Max. INNOCENTIVM X.

Sanctissimo Patri INNOCENTIO X. Summo Pontifici.

Beatissime Pater.

OPtata peruenit ad nos tandem Constitutio illa, qua Vestræ Sanctitatis auctoritate quid sentiendum sit de controuersis quinque propositionibus, quæ sunt excerptæ è Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi libris, perspicuè decernitur. Excitatæ in Belgio contentiones flagrabant etiam in Gallijs, & latissimum incendium per vniuersas Ecclesiæ partes minabantur, ni pesti grassanti, & certissimam perniciem allaturæ obstitisset Beatitudinis Vestræ indefessum studium, & ex alto petita potestas, quæ sola acerrimam illam animorum collisionem compescere poterat. Agebatur de re magni momenti; de aditu scilicet ad salutem per necessaria Christianæ gratiæ præsidia, & humanæ voluntatis adiumentis illis excitatæ, ac foræ conatus liberos; atque de Diuina Christi pietate, ac beneficentia in vniuersum genus humanum. Huius doctrinæ lucem recentioris illius auctoris disputationibus obscuratam, pristino nitori restituit, iuxtà veterem fidei regulam, ex Scripturis, & antiqua Patrum traditione, in Concilijs olim, & nuper auctoribus Summis Pontificibus constitutam, prolatum à Sanctitate Vestra postulantibus compluribus Galliarum Episcopis Decretum. Quo in negotio, illud obseruatione dignum accidit, vt quemadmodum ad Episcoporum Africæ relationem, Innocentius I. Pelagianam hæresim damnauit olim, sic ad Gallicanorum Episcoporum consultationem, hæresim exaduersò Pelagianæ oppositam, Innocentius X. auctoritate sua proscripserit. Enimverò vetustæ illius ætatis Ecclesia Catholica, sola

Cathedræ Petri communione, & auctoritate fulta, quæ in Decretali Epistola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi altera ad vniuersos Orbis Episcopos epistola subsecuta est, Pelagianæ hæresis damnationi absque cunctatione subscripsit. Perspectum enim habebat, non solùm ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis aduersùs Apollinarium, & Macedonium, nondùm ab vlla Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulò antè iactis, iudicia pro sancienda regula fidei à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (siue suam in actis relationis sententiam ponant, siue omittant, prout illis collibuerit) Diuina æquè, ac summa per vniuersam Ecclesiam auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur. Ea nos quoque sententia, ac fide imbuti, Romanæ Ecclesiæ præsentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio X. viget, auctoritatem, debita obseruantia colentes, Constitutionem Diuini Numinis instinctu à Beatitudine Vestra conditam, nobisque traditam ab Illustr. Athenarum Archiepiscopo, Nuncio Apostolico, & promulgandam curabimus in Ecclesijs, ac Diœcesibus nostris, atque illius executionem apud Fideles populos vrgebimus. Neque verò pœnæ deerunt aduersùs temerarios illius violatores, quæ à iure Hæreticis infliguntur, quibus iuxtà Constitutionis tenorem, & Breue Sanctitatis Vestræ nobis directum, contumaces omnes, nullo conditionum, vel statuum discrimine facto, perstringemus: præsertim cùm in Gallijs ad Episcopos in solidum isthæc cura pertineat, vbi nullos hæreticæ prauitatis Inquisitores constitui patitur mos antiquus ex iure communi profectus. Sanè spondere possumus Beatitudini Vestræ, nihil fore, quod Decreto Apostolico, nostræque in eo exequendo sollicitudini moram afferre possit; præcipuè cùm Pijssimus, ac Christianissimus Rex noster, cui Breue Apostolicum vnà cum exemplo Constitutionis Illustriss. Nuncius tradidit, interpellato quoque Regiæ Maiestatis præsidio: nos ad illius decreti executionem, Edicto suo ad nos dato, pro ea, quam debet Ecclesiæ constitutis tuitione, constanter hortetur: Et Magistratibus vniuersis, atque cæteris sibi subditis, tùm ad vim arcendā, tùm ad amputandas, quæ fortè possent ab hæreseos Atteis excitari de foro competenti cauillationes, præcipiat, quatenus illam omni studio, & opera iuuent, atque tueantur. Quare cùm Rex Cælestis hac in causa fœderatum habeat Regem terrarum (si fas ità loqui cum Sixto Tertio) Sanctitas Vestra, per Petræ soliditatem, iàm confusis veritatis hostium animis, securos ab omni externa perturbatione de noua hæresi triumphos aget. Porrò nos Innocentio X. cuius ore Petrus locutus est, vt Leoni I. acclamabat quarta Synodus, hanc Diuinam lauream gratulati, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitum, Constitutionem istam ab eo editam lubentes ex animo reponemus; cui optatissimam in longæua vita felicitatem adprecantur, qui sunt cum ea, quæ par est, veneratione.

Beatissime Pater

Deuotissimi, & addictissimi Sanctitatis Vestræ filij, Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi Galliæ in Parisiensi Vrbe congregati.

Iulius Cardinalis Mazarinus Episcopus Metensis electus.
Victor Archiepiscopus Turonensis.
De Grignan Archiepiscopus Arelatensis.
Henricus Archiepiscopus Burdegalensis.
G. Daubusson Archiepiscopus Ebrodunensis.
Franciscus Archiepiscopus Rothomagensis.
Petrus de Marca Archiepiscopus Tholosanus nominatus.
Leberon Episcopus Valentinensis, & Diensis.
Ægidius Episcopus Ebroicensis.
Anthymius Dionysius Episcopus Dolensis.
Petrus Episcopus Montis Albanensis.
Antonius Episcopus Grassensis, & Venciensis.
P. de Broc Episcopus Antissiodorensis.
Robertus Episcopus Dolensis.
Henricus Episcopus Redonensis.
Iacobus Episcopus Tholonensis.
Felix Episcopus Cathalaunensis.
Dionysius Episcopus Briocensis.
Henricus Episcopus Aniciensis, C. de Velay.
Ferdinandus Episcopus Maclouiensis.
Claudius Episcopus Constantiensis.
Iacobus Episcopus S. Flori.
Hyacinthus Episcopus Arausiensis.
Harduinus Episcopus Ruthenensis.
Philebertus Emmanuel Episcopus Cœnomanensis.
Franciscus Episcopus Madaurensis, Coadiutor Corisopitensis.
Franciscus Episcopus Glandeuensis, Ambianensis Episcopus nominatus.
Gabriel Episcopus Abrincensis.
Ioannes Episcopus Oloronensis.
Abbas de Seruient Episcopus Carcassonensis nominatus.
Abbas Tubeuf Episcopus Sancti Pontij Torneriarum nominatus.

Parisijs die 15. Iulij 1653.

En suprema tandem, qua in Ecclesia nulla maior, vniuersalis, ac independens Romanorum Pontificum auctoritas, eaque infallibilis in rebus fidei, & religionis, vbi ex Cathedra loquuntur, confirmata, numquam interrupta Ecclesiæ de seculo in seculum praxi, nec non omnis generis testium dictis, atque depositionibus; quatenus, vt ex illis vidimus, primò, Romani Pontifices, semper in alios vbique Episcopos, iurisdictionem quamdam superiorem exercuere, confirmando electionem eorum vel per se, vel per suos Legatos, aut Vicarios, quos ferè semper in varijs Orbis Prouincijs habuere, quibus etiam in alijs rebus suas committebant vices, reseruatis sibi tamen causis maioribus; secundò, semper tulerunt leges, & præcepta, quæ ad totius

totius Ecclesiæ gubernationem spectarent, eamque obligarent, potestate etiã coerciriua compellendo Fideles ad illis obediendum; tertiò, dispensauerunt etiam cum alijs Episcopis, in Ecclesiasticis canonibus; quartò, occurrentibus dubijs de rebus ad fidem, vel mores Ecclesiæ pertinentibus, ad eos vndique, tamquam ad supremos Iudices, recursus semper habitus est, atque eorum sententia, & definitio expectata; quintò, ad eos, ab aliorum Episcoporum, Conciliorumq; sententijs appellatum fuit, quas, vbi iustæ, firmabant, vbi iniquæ, rescindebant, Iudicesq; ipsos, qui illas tulerant, & reprehendebant, & castigabant, interdumque etiam deponebant: Sextò, curam semper habuere de fidelium conuersione, & Ecclesiæ vniuersalis propagatione, nouas in hunc finem missiones, & Episcopales Sedes vbique instituendo; septimò, singulari quoque priuilegio ad eos semper spectauit solemniter Sanctos canonizare, item Concilia Generalia congregare, regere, confirmare, & vbi opus fuit abrogare; aliaque huiusmodi sexcenta, quæ videntur esse irrefragabilia supremæ, vniuersalis, & infallibilis auctoritatis argumenta, proindèque collectiuè sumpta (licèt aliqua seorsim tantæ forsan efficaciæ non sint) rem intentam ita clarè demonstrare; vt existimem, non solùm hanc veritatem vniuersalitatis primatus, sed & infallibilitatis, siue priuilegij Romanorum Pontificum non errandi in rebus fidei, vbi ex cathedra illas definiunt, pertinere ad fidem, esseque saltem quoad se de corpore credendorum, sufficienti sinè quidem insinuatam in sacris noui Testamenti scripturis, iuxta præallatas sanctorum Patrum explicationes, formaliùs autem, & expressiùs reuelatam à Christo Domino inter alias fidei veritates, quas traditas appellamus, quasque suos edocuit Apostolos, quando illis [præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei,] Act. cap. 1. vt ijdem Apostoli suis eas successoribus consignarent; prout ab illis fideliter adimpletum fuit; ipsique successores fideliter etiam, & illibatè illas omnes conseruarunt, maximè autem istam de infallibilitate Pontificia, quam vel expressis, vel æquiualentibus, vel necessariam cum illa connexionem habentibus terminis, loquendique modis passim docuere, nullus autem vnquam expresse negauit, vel impugnauit.

Solùm à ducentis circiter annis, quibus, vt supra notauimus, in Ecclesiam horrenda schismata irruerunt, aliqui doctores inde occasionem contrarium scribendi sumere cæperunt, contorquendique ad suum sensum sub obscura interdum aliqua sanctorum Patrum testimonia, & vbi apertè, pièque loquuntur in Pontificiæ auctoritatis fauorem, id calumniosè tribuendi turpissimo adulationis vitio, quod, vt in hac re à me alienissimum sentio, qui istam sententiam sola veritate conuictus amplector, ita de alijs per memetipsum, rectiusque adhuc iudicans, tali nota eos temerariè configi arbitror; quique illam inurunt suas potiùs examinare, probareque conscientias deberent, & quo spiritu ducti, ita se Vicarij Christi vniuersalitati, & infallibilitati infensos vbique profiteantur; sic enim se mirum in modum hæreticorum partibus fauere deprehenderent, seque forsan cum multis eorum, non minùs spiritualis, quàm temporalis Monarchiæ osores inuenirent. Cumque insuper, vt alia omittam, ex illa, quam tuemur sententia, quaque Pontificia propugnamus iura, præsertim illud non errandi in rebus fidei, vbi ex cathedra docentur, nullum oriatur incommodum, nullum sequatur inconueniens, immò suauitati diuinæ prouidentię in sua Ecclesia gubernanda sit omninò consentanea, vt mox dicemus, opposita verò in contrarium plura secum trahat pericula, quis nostram illi prudenter non præferat, si nulla præuentus passione, si nullo partium abreptus studio sincerè de rebus iudicium ferre velit.

Quod enim aliqui, non tam Theologi, quàm Politici, vltimam inde particularibus Ecclesijs, aut regnis, eorumque iuribus, ac libertatibus ruinam imminere suspicantur, si Pontificia semel admittatur infallibilitas; salua tantorum virorum pace, verba sunt trepidantium timore, vel potius incutientium timorem pusillis, vbi non est timor. Si enim à Conciliari, quam ipsi libenter admittunt, indefectibilitate, talia nullatenus sunt metuenda, nec etiam à Pontificia, nullaque rationabilis adduci potest differentia, cur malæ, quæ ab aduersarijs finguntur consequentiæ, potiùs ex ista, quàm ex illa inferri debeant; cùm Summis Pontificibus Romanis nos aliud non errandi priuilegium tribuamus, quàm illud, quod ipsi Concilijs Generalibus concedunt, in dirimendis videlicet fidei, ac religionis controuersijs, non autem in quæstionibus puri, & meri facti, vt sæpiùs notauimus. Præterquam optimè norunt ijdem aduersarij, si quæ fiut à Summis Pontificibus iustè Christianis timenda Principibus, talia haud esse infallibilitatis eorum, sed alterius supremæ auctoritatis effectus, quæ salua fide illis denegari non potest, quare non est, cur inde, ita se dicto infallibilitatis priuilegio infensos ostendant.

Nota me dixisse hanc nostram sententiam esse de fide quoad se, si enim sermo sit de illa quo ad nos, id affirmare non audeam cùm nullibi expressè, aut clarè definita, omnibusque fidelibus ad credendum proposita reperiatur. Vnde ab hæresi formali excusari possunt, ac debent omnes Doctores Catholici, qui contrariam docent, procul dubio parati illam relinquere, si nostra semel vt de fide amplectenda ab Ecclesia decerneretur.

Cur autem, cùm alia via potuisset Deus infallibili suæ Ecclesiæ regimini prouidere, de facto tamen voluerit, quòd Summi Pontifices Romani, certa essent in ea veritatum fidei oracula, per concessum illis singularissimum non errandi in rebus fidei, & religionis priuilegium, vbi ex cathedra eas definiunt, credendasque vniuersali Ecclesiæ proponunt, non desunt plures huiusce rei congruentissimę rationes. Prima desumi potest ex dignitate, ac præcellentia noui Testamenti respectu veteris, cuius si Summo Sacerdoti concessum fuit priuilegium non errandi in rebus fidei, & religionis, vt probauimus in principio huius paragraphi, multò magis id asserendum

est,

est, de Summo Pontifice Romano, supremo Ecclesiæ Militantis toto Orbe diffusæ Pastore in statu legis Euangelicæ.

Secunda ex forma regiminis, quam in eodem statu Monarchicam esse voluit, cæterisque alijs, vt vidimus supra, anteposuit; sic enim consequenter exigebatur, vt qui supremus in Ecclesia futurus erat Monarcha, qualis est legitimus Pontifex Romanus pro tempore existens, supremam quoque, atque adeo infallibilem haberet auctoritatem in dirimendis fidei, ac religionis controuersijs, cùm tale priuilegium potissima sit eius pars, præcipuumque munus.

Tertia ex vnitate fidei, necnon Ecclesię, ad quam requiritur, quòd omnia eius membra in eadem fide conueniant: Eo enim ipso, quod fides vna debet esse apud omnes, meliùs id efficitur per vnum, cuius sententiæ, ac determinationi vltimatè sistatur in dubijs fidei quæstionibus, quàm per plures eamdem etiam supremam potestatem, siue copulatim, siue diuisim habentes, siquidem illi adhuc omnes deberent in vno conuenire, aliàs si vnus ab alio dissentiret, iam periret vnitas fidei, & consequenter Ecclesiæ; difficiliùs autem est; maiusque miraculum plures habentes supremam potestatem conuenire omninò, & numquam discrepare, quàm quod ab vno id præstetur: Igitur ne absque necessitate, aut multiplicemus miracula, aut requiramus maiora, fatendum est conuenientius fuisse, quòd Christus Dominus in vno solo Romano Pontifice, tamquam supremo Ecclesiæ vniuersalis Pastore, suoque in ea regenda Vicario, singulare collocaret priuilegium finaliter determinandi, ac definiendi res fidei, absque vllo errandi periculo.

Quarta ex eo, quod, ortis in Ecclesia fidei controuersijs, debeat esse supremus Iudex ordinarius, qui statim illas componat, ingruentesque hæreses extinguat: qui alius esse non potest, quàm Summus Pontifex Romanus, seorsim à Concilio Generali sumptus. Cùm enim huiusmodi Concilia, nonnisi cum maximis laboribus, expensis, difficultatibus longoque tempore congregari, ac celebrari valeant, sæpiùsque, vt patet ex historijs, à Principibus, & peruersis, improbisque hominibus interturbentur, adeovt hæreses interim crescere, magnosque progressus facere possent, non ita rectè Christus Ecclesiæ suæ indemnitati prouidisse videretur, si nullam rebus eius componendis expeditiorem viam, aut rationem præter Concilia Generalia, etiamsi cum Romano Pontifice reliquisset: Ne igitur id admittere cogamur contra suauitatem diuinę prouidentiæ, vltrò asserendum est, Christum Dominum supremam in hunc finem contulisse auctoritatem Romano Pontifici seorsim à Concilijs Oecumenicis; nullus enim rationabiliter inficiari poterit, quin hic sit expeditior modus ad Ecclesiam contra hæreses, schismata, morumque corruptelam, præmuniendam; nimirum si adeamus Summum Pontificem, ad quem facilis patet accessus, eumque audiamus, qui pro infallibilitatis priuilegio, exortam quamcumque fidei quæstionem doctis, prudentibus, pijsque viris in consilium adhibitis, & ritè conuocatis, certò potest declarare, ac definire.

Tantùm pro tertia conclusione principali, quòd Summus Pontifex Romanus seorsim à Concilio Generali, si vt Pontifex, seu, vt dicitur, ex cathedra decernat, in dubijs fidei quæstionibus definiendis gaudeat priuilegio infallibilitatis, sequentibus iam cætera, quæ ad hanc rem spectant, breuiùs absoluemus.

§. V.

Reliquis conclusionibus explicatur, & absoluitur præsens controuersia de infallibilitate Summi Pontificis Romani in rebus fidei.

Qvarta igitur sit in ordine conclusio; Vt Summus Pontifex iuxta priuilegium diuinitùs illi concessum, ex dictis superiori conclusione, doctrinam fidei infallibiliter, siue ex Cathedra Petri definiat, nonnullas obseruare debet conditiones: in hac conclusione conueniunt omnes Theologi Pontificiæ infallibilitatis propugnatores; cuius prima ratio desumi potest ex differentia, quam omnes admittunt inter Summum Pontificem ita definientem, & Scriptores canonicos, quòd istis proximè Spiritus Sanctus res fidei reuelat, & vt suo loco diximus verba etiam ipsa dictat, secùs autem Summo Pontifici, vbi definit, quia noua fidei dogmata non condit, sed ea, quæ iam sunt, & quæ nos latent, mota aliqua de illis controuersia, tantùm eruit, & inuestigat consultis fidei regulis, id autem aliquas in eo perquirere conditiones, ac diligentias, clariùs patet, quàm probatione indigeat. Quod idem asseri etiam debet de Concilijs Generalibus.

Secundò probatur, quoniam Romanus Pontifex ita supremus, ac Summus est Ecclesiæ pastor, vt tamen sit Christi Vicarius, & vero seruus, dispensator, ac minister, ab eo super familiam suam constitutus, nam si per seruum fidelem, ac prudentem Matth. 24. Lucæ autem 12. dispensatorem, Sacerdotes omnes intelliguntur à multis, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 4. [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei:] multò magis id summo tribui debet Sacerdoti: Igitur quemadmodum, vt quis sit fidelis seruus, & prudens, fideliterque, ac prudenter agere dicatur, necesse est vt omnia sibi à Domino præcepta, & institutum procedendi modum seruet; ita quoque Summus Pontifex, vt suo satisfaciat muneri Vicarij, serui, ministri, atque dispensatoris mysteriorum Dei, fidelisque in eo inueniatur, & prudens; debet sine dubio, vbi aliquam fidei doctrinam definiturus est, adhibere media ad id ordinata, quibus positis, sicut ipse suo non deest officio, sed quod suæ virtutis est, suarumque partium explet; ita quoque, Deum in eo adiuuando, specialique cura prosequendo ne erret, & fideles in errorem inducat, non deficere certum est.

Quinta conclusio, Summi Pontifices Romani sententiam definitiuam dogmatum fidei

fidei dare non solent, nisi orta priùs, vel mota de illis controuersia: hæc etiam conclusio est communis, videturque habere fundamentum in illo Deuteronomij loco cap. 17. [Si difficile, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris &c. Surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus; veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem;] nec non Lucæ cap. 22. vbi ait Christus: [Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos:] qua sententia successoribus Petri, ita perpetuam Spiritus Sancti assistentiam pollicetur, vt abundè probauimus supra, vt tamen sub metaphora cribrationis videatur significare voluisse præsupponendam esse vexationem, seu tentationem, aut ortam de rebus fidei disputationem, vt sic accedente diligenti earum discussione, purgatior fiat, clariùsque ab Ecclesia explicetur, vt rectè pluribus in locis docet D. Augustinus, sed præsertim in tract. super Psalmum 54. nec non lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 2. vbi explicans illud Apostoli 1. Corinth. cap. 11. [Oportet, & hæreses esse, ait: Multa quippè ad fidem Catholicam pertinentia dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, vt aduersùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio.] Id quoque affirmat Vincentius Lirinensis in commonit. cap. 32. cum ait: [Ecclesiam hæreticorum nouitatibus excitatam exquirere antiquam doctrinam.

Cui consonat Ecclesiæ praxis, in qua nulla ferè vnquam videtur facta definitio, nisi cùm orta est controuersia, & verò talis, quæ iam stabilitam fidei doctrinam spectaret; nam vt certum supponimus, nulla noua doctrinæ fidei modò fit reuelatio, sed tantùm inquiritur, aut disputatur, quid in hac, vel illa materia docuerit Christus; igitur vt Summus Pontifex, vel seorsim à Concilio Generali, vel vnà cum illo aliquid de nouo credendum proponat, illud necessariò à Christo reuelatum, ac stabilitum præsupponere debet, & vbi solùm in dubium reuocatur, distinctè, & enucleatè declarare, quid in illo fides diuina tradat. Vndè Sanctus Athanasius in epist. de Synodis Ariminensi, & Seleuciensi ait: [Nicæna synodus non temerè habita est, vt quæ habeat grauissimos vsus, & legitimam rationem: Syri enim, Cilices, Mesopotamiani, in causa fidei claudicabant, atque vnà cùm Iudæis Pascha celebrabant; & iam tum Ariana hæresis, quæ contra Ecclesiam insurrexerat, suos propugnatores habebat;] posteà de Arianorum Synodis agens; [Quam quæso habent legitimam causam cur instituantur? si enim recens aliqua hæresis post Arianam emersit, agè proferant nobis eius hæreseos commenta, &c. vt videantur saltem aliquam verisimilem occasionem habere noua moliendi.] Quòd verò Ariani prætexebant hæresim Aetij pro cogenda Synodo, & instituenda noua de fide quæstione eos ibidem fusè refellit Athanasius, adeò verum est, nouas dumtaxat solere fieri à Summis Pontificibus in doctrina fidei definitiones tempore suo, siue secundùm Ecclesiæ necessitatem, & exigentiam, quia videlicèt aliqua exurgit hæresis, aut opinio contraria praxi, & sententiæ Catholicorum communi, ita vt aliquis inde fidei articulus pati, aut saltem scandalum nasci videatur.

Ratio autem huius esse potest, quia iudex, vt tamquam iudex agat, debet esse lis, & controuersia, quæ si nulla est, iuridicam suam potestatem propriè non exercet; quare vbi in leges principis commentarios interdum scribit, non tam id vt iudex, quàm vt doctor priuatus præstare dicendus est: Ergo etiam vt Summus Pontifex ex cathedra loquatur tamquam supremus iudex, cui specialiter adsit promissa Spiritus Sancti gratia in dirimendis fidei controuersijs, priùs debent moueri, & ad illum deferri.

Sexta conclusio, vbi ortæ fidei quæstioni primùm discutiendæ, ac definiendæ Romani sunt accingendi Pontifices recurrere debent tàm priuatim, quàm publicè ad singulare orationis præsidium; hæc conclusio colligitur ex ipsorummet praxi, & vsu, vbi talia sunt præstituri, cùm probè sciant ordinariè loquendo, alia tutiori via necessariam ad hęc Spiritus Sancti gratiam se promereri non posse, vt per se patet, & alia probatione non indiget.

Septima conclusio, præmissæ Spiritus Sancti per orationem inuocationi subiungenda est diligens, & accurata rei definiendæ discussio, consultis fidei regulis: ista quoque assertio est indubitata, fundata in principio toties repetito, & ob oculos in hac materia semper habendo, quòd nulla modò fit noua dogmatum fidei reuelatio; sed omnia per illam credenda fuisse iam adæquatè propalata in Sacris Scripturis, ac traditionibus; ita vt, vbi oritur aliqua fidei quæstio, vel controuersia, exempli gratia, num Christus sit verus Deus æqualis per omnia Patri, siue vnus in diuinitate, & essentia cum illo? num realiter existat in augustissimo Eucharistię Sacramento? & sic de alijs similibus, nihil aliud inquiratur, nec aliud Ecclesia definire, aut iudicare intendat, quàm rem ita se habere, fuisse à Deo reuelatum; cuius reuelatio cùm adæquatè comprehendatur, vt dixi, in Sacris Scripturis, ac traditionibus, manifestè sequitur eas diligenter esse consulendas, & examinandas præuiè ad dictarum veritatum decisionem, siue fiat à Papa seorsim à Concilio Generali, siue vnà cum illo. At quia verbi diuini, siue scripti siue traditi, rerumque in eo reuelatarum existentia, nec non legitima eiusdem interpretatio, nobis infallibiliter non innotescit, nisi per fidem Ecclesiæ toto orbe diffusæ illa credentis, vel per definitionem eiusdem repræsentatiuè consideratæ in Summo Pontifice tamquam in supremo eius capite seorsim, & in Concilijs Generalibus vnà cum illo; indè pariter, vt hæc controuersiæ dirimendæ discussio, disputatioque legitimè fiat; accuratè examinandum est, quis sit in illa Ecclesiæ vniuersalis sensus, præsertim Sanctorum Patrum, qui sunt pars eius præcipua, quidque Summi Pontifices, quid concilia auctoritate ipsorum congregata, & approbata in eadem decre-

decreuerint; & sic de alijs locis Theologicis, fideiue regulis, prout vniuscuiusque naturam superiori libro secundo in communi explicuimus, magis autem in particulari in hoc tertio; quorum quinque statim allati, cum ita habeant auctoritatem diuinam, faciantque infallibilem probationem argumenta ex illis desumpta, vt tamen primus, scilicet verbū Dei scriptum, & secundus verbum Dei traditū contineant immediatam Dei reuelationem, idcircò in nostro casu, non tam sunt dicendi loci argumenti Theologici, quàm terminus ipse, & scopus, qui plerumque in controuersia quæritur; cæteri autem tres sunt viæ ad illum inueniendum, quibusue nobis innotescit diuina reuelatio, quæ per se est veritatis per fidem credendæ obiectum formale, & motiuum, dicunturque se tenere ex parte Ecclesiæ, quatenus loquitur nobis, vt statim notabam, vel ore omnium fidelium toto orbe diffusorum, vel pauciorum, scilicet Patrum, & Pastorum eam in generali Concilio repræsentantium, vel vnius Vicarij Christi Romani Pontificis.

Verùm cùm præfata rei definiendæ discussio, & accurata in hunc finem regularum fidei, locorumque Theologicorum disquisitio fieri possit, vel à solo Pontifice; vel ab eo, adhibita simul peritorum opera, & consilio, pro huius explicatione aduertendum est, Summos inter Pontifices vnum esse posse alio doctiorem, ac peritiorem; sicut etiam ex controuersijs, de quarum definitione tractatur, aliæ maiorem, aliæ minorem præseferunt difficultatem, vnde sit.

Octaua conclusio, vbi ex vna parte controuersia dirimenda est ita leuis, & facilis, & ex alia Pontifex ita doctus, vt seipso adæquatas eius definitioni diligentias præstare posset, tunc nemine in consilium vocato, nisi forsan ad melius esse, infallibiliter eum definire posse crederem. Ratio demonstratiua est, quia tam Summo Pontifici, quàm Concilijs generalibus in tantùm specialiter assistit Spiritus Sanctus, diciturque ea infallibiliter dirigere in fidei definitionibus, in quantum absolutè præmittunt diligentias tali operi necessariò prærequisitas, quibusque Deus suum annexum esse voluit auxilium, qualis est potissimùm præuia regularum fidei perquisitio: Ergo si semel in casu conclusionis supponatur Summum Pontificem se solo illam præstare posse, & velle, non video cur etiam tunc se solo ex promissa Spiritus Sancti assistentia infallibiliter ortam fidei quæstionem definire non posset.

Quod aliqui in contrarium solent obijcere plus videre oculos, quàm oculum, nullius est momenti, primò enim respondetur hoc esse absolutè falsum, potest enim fieri, quòd vnus oculus tantæ sit, imò maioris actiuitatis, quàm plures simul, illisque proindè longiùs, atque acriùs prospiciat, illi siquidem plures oculi videndi aciem sibi mutuò non intendunt, sed nec intendere possunt: secundò respondetur huiusmodi oculorum similitudinem in casu nostro locum non habere; in quo supponimus Summum Pontificem sufficientem, ac proportionatam habere doctrinam, vt præuiè ad aliquam fidei definitionem, seipso fidei regulas consulere, atque adeò diuina sibi assistente gratia infallibiliter ad illam procedere possit; quicquid sit an plures alij, quos consiliarios adhibere posset, maiori peritia essent præditi; sicut enim vnicus oculus, quòd longiùs, atque acriùs plures alij oculi prospicerent, sua videndi facultate non caret; ita nec Summus Pontifex, sua in definiendo infallibilitate carebit; supposito quòd attenta controuersiæ natura, adæquatam illi disquirendæ, atque examinandæ doctrinam, mentisque aciem habeat, illaque vtatur; tali enim, & non semper omnium excellentissimæ disquisitioni annexam esse Spiritus Sancti assistentiam in ferendo de rebus fidei iudicio, ipsimet aduersatij reuentur fateri in Concilijs etiam Generalibus, vbi tanta numquam datur, quin melior adhuc possit adhiberi diligentia, & peritia in indaganda, inueniendaque fidei, de qua est quæstio, veritate:

Nona conclusio, vbi graues, & nodosis implicatæ difficultatibus controuersię occurrerent, tantæque non esset doctrinæ Summus Pontifex; vt adæquatas illis componendis diligentias per seipsum conferre posset, tunc pro rei grauitate, ac difficultate viris peritis vti deberet, interdumque etiam particularia, necnon etiam generalia, quę conuocaret concilia, audire. Hæc conclusio sanè intellecta videtur certissima, potestque esse plurium sententiarum conciliatiua, in ea enim non intendimus, summum Pontificem ex se non gaudere priuilegio infallibilitatis, aut in eo quasi dependere à particulari, vel generali Synodo; sed eum dumtaxàt, aut non debere quidquam ex fide definire, si se præmittendis in hunc finem diligentijs insufficientem agnoscat; aut si definire velit, & teneatur, debere tunc consulere peritos, & doctos, iuxtà vniuscuiusque rei definiendæ qualitatem, ita vt si paucos illi disquirendæ non crederet sufficere, conuocare deberet concilium particulare, præcipuè Romanum; eoque non sufficiente, Generale, & Oecumenicum; prout patet ex vsu, & praxi continua summorum Pontificum, quos vno ferè semper ex his modis ortas fidei quæstiones terminasse Ecclesiasticæ historię testantur monumenta, secundòque potissimùm vsos fuisse in tribus primis seculis, quòd scilicet in negotijs Ecclesiæ maioribus, & nominatim de fidei doctrina, nihil vt plurimùm statuere voluerint, nisi congregato in Synodo Clero Romano ex Episcopis prouincialibus, presbyteris, & Diaconis Cardinalibus composito; plura habemus exempla; in Clemente, sub quo Ecclesiam Romanam pro dissensione Corinthiorum sedanda, & reparanda eorum fide literas scripsisse docet S. Irenæus lib. 3. aduersùs hæreses cap. 3. In Victore, qui celebrato item Romæ Concilio Quartadecimanorum hæresim condemnauit; in Cornelio, qui Nouarianum; in Stephano, qui Anabaptistas; in Dionysio, qui Sabellium, Paulumque Samosatenum coacto pariter Romæ Concilio proscripserunt, & sic de alijs.

Crescente posteà maiori hæreticorum numero, controuersiarumque fidei ab illis motarum difficultate, Concilia plenaria, vt ea appellat S. Augustinus, Orbis terrarum Athanasius, quæ dicuntur quoque Vniuersalia,

lia, seu Oecumenica, summorum Pontificum auctoritate conuocari cœperunt, Nicęnum I. contra Arianos; Constantinopolitanum I. contra Macedonianos; Ephesinum I. contra Nestorianos; Chalcedonense I. contra Eutychianos; Constantinopolitanum II. pro sedandis fluctibus dissensionum, quibus Ecclesia tunc temporis agitabatur; Item III. contra Monothelitas; Nicænum II. contra Iconomachos, id est oppugnatores sacrarum imaginum; & sic deinceps vbi ea congregari in Domino expedire Summi iudicarunt Pontifices; sicut etiam in rebus facilioribus, ac veluti aperti iuris, nulla tunc similium Conciliorum vrgente necessitate, vel vtilitate, præsertim post tantam rerum fidei explicationem ex tot summorum Pontificum, Conciliorumque decretis, controuersias ad illam pertinentes, vel per seipsos, vel adhibitis duntaxàt suis ordinarijs consultoribus multoties definierunt.

Ratio autem nostræ conclusionis, huiusque summorum Pontificum praxis satis manifesta colligitur ex dictis, quia scilicet disceptari debet, & discuti proposita fidei controuersia, in ordine ad infallibilem illius definitionem ex promissa Spiritus sancti assistentia: Ergo vbi tam abstrusa, tamque difficilis, & etiam vniuersalis esset, vt tali muneri se, suosque Ordinarios Consiliarios impares esse prudenter iudicarent, tunc proculdubiò plures adhibere deberent, indictis vel particularibus, vel etiam generalibus concilijs; eòque magis, quò in talibus controuersijs, inter regulas fidei præuiè ad illarum definitionem consulendas, præcipuum habet locum vniuersalis Ecclesiæ toto orbe diffusæ, siue entitatiuè sumptæ consensus in vnam, vel alteram dictarum controuersiarum partem, qui meliùs explorari non potest, quàm per eamdem repræsentatiuè in Concilio Generali ex suis pastoribus, ac doctoribus composito adunatam. Quo sensu rectè ait quinta Synodus collat. 8. [Decere Sacerdotes communibus quæstionibus finem communem imponere,] quod probat Apostolorum exemplo. [Licèt, inquit, Spiritus sancti gratia, circa singulos Apostolos abundaret, vt non indigerent alieno consilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen aliter voluerunt de eo, quod mouebatur, si oporteret gentes circumcidi, definire priusquam communiter congregati diuinarum Scripturarum testimonijs vnusquisque dicta sua confirmauerunt. Vnde communiter de eo sententiam protulerunt ad gentes scribentes: Visum est Spiritui sancto & nobis &c. Sed & sancti Patres, qui per tempora in sanctis quatuor Concilijs conuenerunt, antiquis exemplis vtentes, communiter de exortis hæresibus, & quæstionibus disposuerunt; certo constituto, quod in communibus disceptationibus cum proponuntur, quo ex vtraque parte discutiendæ sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacij: nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, cùm vnusquisque proximi adiutorio indiget, sicut in Prouerbijs dicit Salomon, frater fratri adiutorium præstans exaltabitur, sicut ciuitas munita.]

Verùm quia fusior de huiusmodi Conciliorum vtilitate, & necessitate redibit sermo sectione sequenti; solùm hic adducam Breue sanctissimi Domini nostri Clementis Papæ Septimi, occasione Concilij Tridentini scriptum ad Christianissimum Regem Galliarum Franciscum I. tenoris sequentis.

[Clemens Papa VII. Charissime in Christo fili noster, salutem, & Apostolicam benedictionem. Superiore biennio, sicut tua Maiestas recordari potest, cùm Serenissimum Cæsarem, quamquam pro sua inclyta pietate omnia conatum, tamen in Conuentu Augustano nihil remedij ad hæresim Lutheranam in Germania tollendam, prę illorum obstinatione afferre potuisse audiremus: solumque Concilij Generalis remedium à nostris prædecessoribus in casu simili vsitatum, & ab ipsis Lutheranis postulatum superesse videremus; super hoc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus matura deliberatione habita, ad ipsius Concilij Generalis indictionem in Italia, & loco ad hoc commodiore celebrandi deuenire intendentes, id tuæ Maiestati, sicut Cæsari, & cæteris principibus significandum, communicandumque duximus, eamque nostris literis fuimus hortati, vt tam sancto, & necessario operi pro tua pietate, & Christianissimi titulo, proque tuorum maiorum perpetua consuetudine fauere, causamque sanctæ fidei cum tua, si fieri possit, præsentia, aut saltem oratoribus tuis, tuique Regni Prælatis adiuuare, & tueri, & in hoc te & illos interim præparare pro communi officio velles.] Ità Summus Pontifex Clemens Septimus ad nostrum institutum, & quatenus vrgente maiori negotiorum fidei, & religionis grauitate, alijsque attentis circumstantijs necessariam iudicauit Concilij Generalis indictionem.

Nota iuxtà hanc conclusionem summum Pontificem, quando per seipsum præuias definitioni diligentias adhibere non posset in consulendis regulis fidei, ità eas, quibus vellet committere posse, siue quod idem est quoslibet viros doctos in consilium vocare, nec ad consultationem Cardinalium, aut Prælatorum Curiæ Romanæ restringi, vt tamen ordinariè loquendo nihil tale vnquam præstare solitus sit sine Dominorum Cardinalium consilio, maturaque cum illis habita deliberatione: Qua de causa condemnatis in Concilio Rhemensi ab Eugenio III. illi præsente Giliberti Porretani erroribus, cum inde S. Bernardus vnà cum Episcopis Gallicanis quoddam veluti Symbolum fidei nouum aduersùs illos condidissent; [Hoc, inquit Otho Frising. de gestis Frid. lib. 1. cap. 57. & ex eo Baronius tomo 12. Annalium, Gallicanæ Ecclesiæ factum tam grauiter sacer Cardinalium Senatus accepit, vt cum magna mentis indignatione curiam intraret, ac tamquam vnum corpus effecti, vna omnes voce Pontifici suo dicerent: scire debes, quod à nobis, per quos tamquam per cardines vniuersalis Ecclesiæ voluitur axis, ad regimen totius Ecclesiæ promotus, à priuato vniuersalis pater effectus, iam deinceps te non tuum, sed nostrum potiùs esse oportere: nec priuatas, & modernas amicitias antiquis, & communibus præponere, sed omnium vtilitati consulere, Romanæque Curiæ culmen ex officij tui necessitudine cu-

curare, & obseruare debere. Sed quid fecit Abbas tuus, & cum eo Gallicana Ecclesia? Qua fronte, quo ausu ceruicem contra Romanæ Sedis primatum, & apicem erexit? Hæc est enim sola, quæ claudit, & nemo aperit: aperit & nemo claudit. Ipsa sola de fide Catholica discutere habens, à nullo, etiam absens, in hoc singulari honore præiudicium pati potest. Sed ecce Galli isti etiam faciem nostram contemnentes, super capitulis, quæ his diebus, nobis assidentibus, agitata sunt, tamquam finituræ sententiæ vltimam manum apponendo, nobis inconsultis, fidem suam scribere præsumpserunt. Certè si in Oriente, vtpotè Alexandriæ, vel Antiochiæ, coram omnibus Patriarchis huiusmodi tractaretur negotium: nihil firma stabilitate solidum sine nostra definiri valeret auctoritate. Quiuimò iuxtà antiquorum Patrum instituta, vel exempla, Romano seruaretur examini terminandum. Quomodo ergo isti in nostra præsentia vsurpare audent, quod etiam remotioribus, & maioribus nobis licet? Volumus igitur huic tam temerariæ nouitati celeriter assurgas, ipsorumque contumaciam punire non differas.] Ità apud præfatum auctorem Sacrum Cardinalium Collegium aduersùs Eugenium Papam III. pro antiquo vsu, & consuetudine, qua nihil ipsis inconsultis à Romanis Pontificibus fieri solere in rebus fidei, & religionis prætendebant.

Quomodo autem his perstrictus Eugenius, velut alter Petrus, à tot Paulis, quot Cardinalibus illi in faciem resistentibus, satisfaciendum curauerit, ità idem Otho prosequitur: [Quos Romanus Pontifex blando mitigans eloquio, Abbate ad se vocato de hoc facto, qualitateue facti solerter inquirit. Cui ille humiliter, & cum reuerentia respondit, se, vel Dominos Episcopos nihil de præfatis capitulis definisse: sed quia ab Episcopo Pictauino audierat, vt fides sua scriberetur: idcircò quia solus nollet, illorum auctoritate, ac testimonio simpliciter se quod sentiret exposuisse. Hocque tam humili, quàm modesto ipsius responso prædicta Cardinalium indignatio conquieuit: ità tamen, vt præfatum scriptum tamquam inconsulta curia prolatum, velut auctoritatis pondere carens, pro Symbolo in Ecclesia, quod in Concilijs contra hæreses congregatis fieri solet, non haberetur, nisi ab ipsa Romana Ecclesia confirmaretur.] Quod & factum, atque omnium vna sententia confirmatum. Sic itaque cuncta per Cardinales obiecta, solida veritate constantia esse nouerunt, quibus nemo catholicè sapiens contradicere posset. Quod autem sic sanè, sobrièque sapuerint, sicut & rectè cum S. Bernardo Episcopi Gallicani, vt reprehensioni acquieuerint, nec schisma conflarint, neque Cardinales ita commoti discessionem fecerint ab Eugenio, mox idem auctor subdit: [Benedictus per omnia Deus, qui sic Ecclesiæ suæ sponsæ prouidit, vt nec vel summa membra à capite suo dissiderent, vel tantus religiosarum, & discretarum personarum numerus Gallicanæ Ecclesiæ aliquod iudicij pondus à Sede Romana reportans, schismatis non parui occasio esset.]

En ergo quomodo Summi Pontifices, licèt illis diuinitùs concessum fuerit priuilegium infallibilitatis, numquam tamen ipsi, vbi opus esse iudicarunt, contempsere media humana, quibus deueniri poterat ad veram rei cognitionem, de qua agebatur, cuiusmodi sunt Concilium maius, & minus, pro magnitudine, vel paruitate rei definiendæ, exemplo Apostolorum, qui, vt habet supracitatus quintæ Synodi locus, licèt possent etiam soli quamlibet controuersiam infallibiliter componere, nihilominùs Concilium conuocare voluerunt, Actor. 15.

Decima conclusio, in præuia ad definitiones fidei disquisitione Summus Pontifex tam seorsim ab aliquo Concilio, quàm simul cum illo, non gaudet priuilegio infallibilitatis, siue quod idem est, talis disquisitio tantam non habet auctoritatem, quin aliquod illi falsum subesse possit: Ista conclusio, quam iam lib. 2. sect. 5. cap. 4. insinuauimus, est communis inter Theologos, qui propterea docent, quæ in rei definiendæ probationem, & confirmationem, aut aliàs obiter solùm, & in transcursu dicuntur, non cadere sub eius definitionem, nec ad ea credenda censeri Pontificem velle vniuersam constringere Ecclesiam, sed ad ea solùm, quæ rectè ad scopum propositæ quęstionis fidei respondentur. In cuius probationem duo solent afferri casus; primus est Nicolai I. docentis, vt refertur de consecrat. distinct. 4. cap. à quodam Iudæo, Baptismum in nomine Christi collatum, sine expressione trium personarum, esse ratum: illud enim non definiendo quæstionem de fide asseruit, siue quod ille intendit docere in illo canone, non fuit de forma baptismi, sed tantùm de ministro, de quo interrogatus fuerat. Vnde posteaquam respondit, & definijt, Baptismum esse ratum, etiam si à Iudæo, vel Pagano detur, quæ erat præcipua quæstio, addidit obiter, suamque vt doctor particularis exposuit sententiam, Baptismum esse ratum, siue in nomine trium personarum, siue in nomine solius Christi detur, in quo secutus est D. Ambrosij sententiam lib. 1. de Spiritu sancto, videndique sunt de illa Theologi in 3. partem de Sacram. Baptismi, quæque dicemus capite sequenti §. 8. in defensionem Nicolai, quem in hac re nonnulli hæreseos reprehendunt. Alter casus habetur in Concilio Nicæno II. Act. 4. vbi dicitur, [Angelos adorandos esse, quod sint corporei,] non quidem ab vniuerso Concilio, sed à Ioanne Episcopo Thessalonicensi, cuius ibi legitur liber, negante homini Gentili de adoratione imaginum disputanti, Angelos omninò incorporeos, & spirituales esse: [vt vos, inquit, gentiles dicitis: & affirmat esse compositos ex spiritu, & tenui corpore, cùm solus Deus sit incorporeus, & informabilis.] Idque Athanasij, Basilij, & Methodij auctoritate confirmat. Etsi enim in præfato Concilio verissimè contra Iconoclastas definitum sit Angelos esse pingendos, attamen ratio, ex qua inter disputandum ad istam definitionem processum fuit, nempè quia ipsi sunt corporei, est omninò falsa: quamuis enim verissimum sit eos pluries in diuinis Scripturis corporaliter apparuisse, nihilominùs falsissimum est verè corporeos esse.

Ratio nostræ conclusionis esse potest, quia Deus pollicitus est Ecclesiæ, siue per Pon-

Pontificem seorsim à Concilio, siue per Concilium vnà cum illo fideles edocenti speciale in hunc finem Spiritus Sancti assistentiam, vbi supremi controuersiarum fidei iudicis munus exercent, illud autem non in disquirendo, aut præuiè disputando, sed propriè in definiendo adimplere dicendi sunt; Igitur licèt in directa, & expressa quæstionis fidei determinatione gaudeant priuilegio infallibilitatis, illa tamen in præuia ad eam disputatione necessaria absolutè non est; quodque consequenter ad fidem pertineant, quæ ab illis quandoque obiter solùm, & incidenter inter disputandum necnon etiam definiendum afferuntur; siquidem tunc, vt statim dicebam, non tam sustinent personam iudicis ad credendum obligantis, quàm consultoris, vel doctoris consilium dantis, aut disceptantis; vt sunt autem disceptatores, non habere illam infallibilitatem, quam habent, quatenus sunt iudices, omnibus est certum, qui propterea docent diligenter animaduertendum esse, quid à Summis Pontificibus, quid à Concilijs definiatur, & sub qua verborum forma, quidque insuper vt doctrina solùm in Ecclesia recepta. Cuius rei exemplum Melchior Canus lib. 5. de locis cap. 6. adducit ex Concilio Tridentino, sess. 13. can. 11. in quo anathematizatur qui dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum. At postea statuit, atque declarat sancta Synodus necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, & eo ipso excommunicat, si quis contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit. Cum autem tunc Synodo præsens fuerit præfatus auctor, testatur non fuisse Concilij mentem eodem modo vtramque illam partem definire; nec tanquam doctrinam, fidei propositam esse istam confessionis sacramentalis necessitatem. Et in cap. 7. eiusdem sessionis de hac eadem necessitate differens Synodus ait, Ecclesiasticam consuetudinem declarare, eam, qua dicitur, vt probet seipsum homo probationem necessariam esse hanc sacramentalem confessionem; quam tamen Scripturæ interpretationem non ita de fide esse affirmat, sicut cap. 1. eiusdem sessionis transsubstantiationem colligit ex verbis quibus sanctissimum altaris Sacramentum conficitur; ait enim ea verba hanc propriam, & apertissimam præ se ferre significationem, iuxta quam à Sanctis Patribus intellecta sunt.

Vndecima conclusio, licèt ante Pontificiam, aut Conciliarem definitionem dubium aliquod suboriri posset, num sufficientes ad illam diligentiæ præmissæ fuissent, statim tamen, ac constat Summum Pontificem, aut Concilium Generale aliquid de fide definijsse, à quibusuis fidelibus certum certitudine saltem Theologica tenendum est, sufficientem ab illis adhibitam fuisse diligētiam vi promissionis à Christo Ecclesiæ factæ. Ista conclusio est communis inter omnes Theologos vnam, aut alteram admittentes infallibilitatem; cuius ratio est quia nullum habemus fundamentum talis certitudinis omne dubium, omnemque formidinem excludentis, quod ante definitionem sufficiens adhibita fuerit diligentia, secus autem post illam; qui enim dat esse, dat consequentia, & necessaria ad esse, vel qui finem promittit, etiam media ad hunc finem obtinendum censetur promittere; igitur ea ratione, qua inter media ad finem infallibilis definitionis, siue ad infallibilitatem in definiendo necessaria potissimum habet locum habita rei definiendæ peruestigatio, & inquisitio; idem Christus, qui Pontificem non erraturum promisit, & qui pro eius in fide statuenda indeficientia rogauit, sua quoque prouidentia curare debebat ne vnquam temerè, aut absque sufficiente examine aliquid esset definiturus. Et verò quid iuuaret, scire Pontificem errare non posse, vbi sufficientem adhibet diligentiam, nisi etiam re definita, inde certò nobis constaret eam ab illo præmissam fuisse; quamuis negandum non sit interdum maiorem, interdum verò minorē, pro rei definiendę qualitate esse necessariam. Vnde quemadmodum ex dictis supra cap. 10. dubitari quidem potest, num Summus Pontifex necessarias ad legitimam electionem conditiones habeat, ea nondum ab vniuersali Ecclesia acceptata, secus autem post ipsius acceptationem, ita quoque in præsenti proportionaliter discurrere possumus, dubitari quidem posse de sufficienti, vel debita ante definitionem diligentia, secus autem post illam, sed tunc haberi de illa certitudinem Theologicam, siue conclusionis Theologicæ.

Duodecima conclusio, tam Pontificiæ quàm Conciliari definitioni, siue formali eius decreto suum assignandum est tempus, ita vt si intra illud non retractetur, censeatur talis definitio perfecta, & absoluta, iamque de Sede Petri Pontifices, & Concilia pronuntiasse, formaleque definitionis decretum legitimè ac sufficienter promulgatum fuisse, nec non etiam elapsum terminum eiusdem obligationi præfixum; secus autem si intra tale tempus retractetur, tunc enim definitio non habebit locum, perindeque se gessisse Pontifices, & Concilia dicenda erunt, ac si non definissent, sed adhuc res sub discussione esset. Hæc etiam conclusio debet esse certa inter Theologos, iamque fuit à nobis insinuata lib. 2. sect. 5. cap. 4. eoque proportionaliter modo intelligenda est, quo lib. 3. sect. 1. ca. 85. explicuimus sanctum etiam Spiritum sacris adesse interpretibus. Ratio eius est, quia sicut in alijs rebus, & operationibus humanis tractum temporibus habentibus, post illum duntaxat præteritum, iudicium aliquod v. g. dicitur perfectum, iudicesque dicuntur absolutè definitiuam tulisse sententiam, secus autem antè; ac proinde, sicut intra illum, liberum est subditis illi obedire, quasi res non censeretur adhuc sufficienter definita, iudices quoque suam possunt retractare, vel suspendere sententiam. Ita etiam cum Summis Pontificibus humano more agentibus, atque adeò per subiectionem ad tempus, sanctus dicatur adesse Spiritus in definiendo, vt suum intelligantur iudicium absoluisse, & infallibiliter ex cathedra locutos fuisse; diligenter exploran-

randum est, an ipsum formale decretum definitionis legitimè, & sufficienter fuerit promulgatum, atque etiam an tempus eiusdem obligationi præfixum fuerit elapsum, priusquam id refigeretur, seu retractaretur; qua ratione gratis concesso aliquid in Sixti V. decreto circa Bibliorum editionem erratum fuisse, hoc enim nos negamus in aliqua re ad fidem pertinente, respondent aliqui huiusmodi decretum, quod Sixtus suis Biblijs præfixerat, nunquam fuisse promulgatum, sed tempestiuè reuocatum ipso etiam animaduertente, [non pauca irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur; adeo vt totum opus sub incudem reuocandum censuerit, atque decreuerit, & si id morte præuentus præstare non potuerit, vt in præfatione Bibliorum Clementinorum dicitur; de quo vide Tannerum 22. disput. 1. de fide quæst. 4. dub. 6 Vbi etiam notat, quod si etiam Sixtus V. nihil ipse de suo decreto mutando cogitasset, aut non nisi morbo admonente, eam cogitationem concepisset, id ipsum iam, inter alia exemplum esse posse singularis illius curæ, ac prouidentiæ, quam Deus erga Ecclesiam, ac Romanam Cathedram habet, vt priùs, ac potiùs è viuis Pontificem, eximat, quàm permittat eum falsam aliquam definitionem edere, ac ad finem, perducere.

Tertiadecima conclusio, licèt ex præfatis conditionibus aliquæ seorsim, vel diuisiuè sumptæ non sint ad infallibilem Pontificum, & Conciliorum definitionem necessariæ, secus tamen si considerentur simul, & collectiuè; hæc conclusio est certa, iamque à nobis citato loco explicata, vbi etiam, quid sequeretur, si per impossibile omitterentur, aut sufficientes diligentiæ non adhiberentur, aperuimus, ruituram nimirum totam Ecclesiasticæ definitionis certitudinem: ac proinde de facto, suppositaque promissione Ecclesiæ à Christo facta, talem hypotesim esse impossibilem, siue vt conclusione sequenti dicetur: eam infallibilitatis promissionem non esse conditionatam, sed absolutam.

Quartadecima conclusio, tam Pontifices, quàm Concilia Generalia aliquid circa religionem definitura, ita tenentur pro cuiusque negotij, & causæ grauitate debitas diligentias præmittere, vt tamen eorum definitio in dubijs fidei quæstionibus absolutè, & simpliciter infallibilis dicenda sit. In hac conclusione conuenire debent omnes Catholici admittentes Ecclesiæ infallibilitatem in definiendo; quia alioquin fideles de illa satis certi non essent; quin etiam vlteriùs possent eius decreta in examen adduci, an cum debita diligentia, conformiterque ad regulas fidei lata sint; & si quid secus deprehenderetur, eadem reijci; quod est absurdum; cum hac quidem ratione nullus vnquam finis controuersijs imponendus foret, destrueretúrque supremum in illis Ecclesiæ iudicium lib. 2. stabilitum: Deinde quia nullum in hoc eius appareret priuilegium, si quidem priuatus etiam doctor quicumque, debitas adhibens diligentias, conformiterque ad regulas fidei respondens, gaudet priuilegio infallibilitatis; hoc ergo discrimen versatur inter eum, & Ecclesiam, aut per Pontificem, aut per Concilia definientem, quod priuati doctoris definitio, est solùm certa purè conditionatè, id est, si debitas præmiserit diligentias in consulendis regulis fidei, conformiterque ad illas loquatur, atque adeò non omnem excludit formidinem, dubitandique rationem, quatenus potest illas non consulere, aut illis consultis, conformiter ad illas non definire; secus autem Ecclesia. Quo circa licèt hypotheticam istam admittamus, si Pontifex, aut generale Concilium, sine debita diligentia definiret, aut non iuxta regulas fidei, infallibiliter non definiret, nunquam tamen propterea conceditur antecedens, ea nimirum posse talem diligentiam ommittere, aut secundùm regulas fidei non loqui, sicut cuilibet priuato contingere posse dubium non est.

Quomodo autem, cum præfatis obligationibus, consistat absoluta, aut Pontificiæ, aut Conciliaris definitionis indeficientia, non est vnus omnium explicandi modus: aliqui enim affirmant præuias ad illam diligentias non esse necessarias ad hoc, vt Pontifex, aut Concilium infallibiliter definiat, sed solùm vt licitè, & absque peccato id præstet: cuius rei exemplum in Sacramentorum admiuistratione habetur, vbi multa requiruntur, vt ea licitè conferantur, quæ ad eorum valorem minimè sunt necessaria. Meliùs tamen ex dictis asserendum est fieri numquam posse, vt Pontifex, aut Concilium Generale publicè definiat aliquid in dubia religionis causa, sine debita diligentia; qui enim [dat esse dat etiam consequentia, & necessaria ad esse, vt conclusione vndecima ostendimus; sicut si cui Deus reuelaret suam beatitudinem, haud credendum esset, Deum decreuisse illum saluare absque vllo prorsus salutis studio; sed potiùs hoc ipso etiam reuelasse, eum debita ad hunc finem consequendum media adhibiturum esse.

Quintadecima conclusio, quiuis Pontifex legitimè electus, & pro tali ab Ecclesia vniuersali agnitus gaudet priuilegio infallibilitatis in rebus fidei definiendis: hæc conclusio sequitur ex dictis manifestè; supposito enim quod tale priuilegium se habeat Deo ita concedente per modum proprietatis respectu supremæ dignitatis Pontificiæ, necessariò tenendum est quemlibet Pontificem ad eam legitimè promotum, de quo nullatenus dubitari potest, si accedat vniuersalis Ecclesiæ consensus, aut acceptatio, vt supra cap. 10. ostensum fuit, præfato priuilegio gaudere debere: & si vnquam talis eligeretur, ne schismate discissa iaceret Ecclesia, qui vel ob ætatem, vel ob ignorantiam rerum religionis, necessariam in definiendo diligentiam adhibere non posset, vt dicitur de Ioanne XII. qui cùm assumptus est ad Pontificatum, secundùm aliquos decem, aut ad summum secundùm alios octodecim erat annorum; dicendum est eum, Deo ita prouidente, numquam ex propria animi sententia, seu motu proprio aliquid decretum, sed ex virorum peritorum consilio; sicque vi promissionis Christi Sedi Apostolicę factę numquam à vero definiendo posset aberrare: Quemadmodum in sententia illorum, qui putant non pertinere ad fidem, quod hic numeros summus Pontifex, sed hoc

mo-

morali certitudine dumtaxat constare, dicitur talem Pontificem pro vero creditum numquam erraturum, quia cùm Pontifex non sit propter se, sed propter Ecclesiam; ne in eam falsum pro vero obtrudatur, numquam eum Deus in definiendo à vero deflectere permittet, & quidem secundùm legem communem, ordinariam, Matthæi 16. [Et portæ inferi non prævalebunt aduersùs eam.] Quod etiam proportionaliter de Concilijs asseri potest, in quibus non est certum omnes Episcopos illis assistentes, veros esse Episcopos. Quamuis etiam admisso talem Pontificem priuilegio infallibilitatis non gaudere, quandoquidem, vt supponimus, verus, ac legitimus Pontifex non esset, eius tamen error in Ecclesiam haud redundaret; quia vbi aliquid falsò definiuisset, ante receptionem generalem ab Ecclesia falsitas definitionis, aut verò ipsius definientis deprehenderetur.

Decima sexta conclusio, Quiuis legitimus Pontifex, quamdiu talis est, semper gaudet infallibilitatis priuilegio; ista conclusio est communis inter doctores Pontificiæ infallibilitatis defensores, aduersùs quemdam doctorem Parisiensem suppresso nomine citatum ab Andrea Duuallio, tract. de Summo Pontif. par. 2. q. 5. [asserentem, inquit, Summum Pontificem congregato Concilio Oecumenico, desinere esse infallibilem, sed totam infallibilitatem tunc à Christo in Concilium transfundi. Post Concilium verò, quia eius solius est, Ecclesias particulares vbique terrarum regere, hanc infallibilitatem ad eum, quasi postliminio redire.] Huiusmodi enim opinio ex præfato auctore non solùm noua est, quia sine teste, & auctore obtruditur, verùm etiam falsa, quia vt iam satis supra ostendimus, singulare hoc infallibilitatis priuilegium annexum est dignitati Pontificiæ, quæ per conuocationem, & celebrationem Concilij, nec deperditur, nec imminuitur: immò potiùs numquam lucidiùs irradiat, cum tunc sedeat in medio omnium Prælatorum Summus Pontifex, tamquam Sol in medio Planetarum, quas tantò vberiùs, & clariùs, quò propiùs, & immediatiùs suo lumine collustrat. Deinde, si res ita se haberet, vt præfatus intendit doctor, Concilium non egeret approbatione, immò nec præsentia Summi Pontificis, aut saltem non magis indigeret, quàm præsentia alicuius alterius prælati, quandoquidem per eiusmodi recessum infallibilitatis ab ipso Pontifice, & transfusionem in ipsum Concilium, prout est congregatum, satis superque esset confirmatum, & approbatum; ideoque infallibilitas Pontificia solùm ad directionem, & gubernationem Ecclesiarum disgregatarum, non autem Ecclesiæ vniuersalis in vnum collectæ extenderetur; quod quàm ab vsu, & continua Ecclesiæ praxi alienum sit, patet ex dictis. Denique sic absque vlla ratione, & necessitate miracula prorsus inaudita multiplicari viderentur, transitus nempè huius infallibilitatis, quæ est donum aliquod supernaturale, de Pontifice ad Concilium, & postea recessus eiusdem de Concilio ad ipsum Pontificem. Supposito igitur, quod Summus Pontifex gaudeat priuilegio infallibilitatis, asserendum est illum, quamdiu talis est, eo semper gaudere, nec eo vnquam à Deo priuari.

Decima septima conclusio, tunc Summus Pontifex ex cathedra loqui dicendus est, adeoque infallibiliter, ob specialem Spiritus Sancti tunc enim dirigentis assistentiã, quando orta aliqua fidei controuersia, premissis consentaneis ad eius discussionem diligentijs, eam expresse definit, vniuersalique Ecclesiæ credendam absolutè proponit, intra præfixum in formali definitionis decreto tempus, eo ante illud, nec refixo, nec retractato. Ista conclusio manifestè sequitur ex præcedentibus, debetque proportionaliter extendi ad Conciliares etiam definitiones, vbi Summi Pontifices vnà cum illis, aut in illis aliqua definiunt. Certumque est potissimùm eos, nos vt priuatos doctores, sed vt supremos totius Ecclesiæ pastores se gerere, vbi hæc duo coniunguntur, absolutè nempe, & absque hæsitatione, ad ea, de quibus consuluntur, & interrogantur respondere, totique Ecclesiæ credenda proponere: prius enim absque posteriori non sufficit, nec est certum, vnde scire possimus, an vt priuatus doctor, an vt Pontifex loquatur, argumentum; si quidem absoluta, & expressa responsio alicui difficultati fidei, à priuato doctore, non minus quàm à generali Pastore datur: quo fit vt ei etiam falsum subesse possit, si Ecclesiæ simul credenda fide supernaturali non proponatur. Qua de causa communiter Theologi, inter quos Melchior Canus lib. 5. de locis Theologicis cap. 5. rectè animaduertunt, non statim dogma fidei æstimandum esse, quicquid nonnulli Summi Pontifices à personis, aut Ecclesijs priuatis interrogari, de pluribus quęstionibus eis responderunt; cuius rei vnum, aut alterum, ex multis, quæ habentur in Decretalibus Pontificijs exemplum adduci solet ab aliquibus.

Primum est Cœlestini III. asserentis, altero coniugum labente in hæresim matrimonium dissolui, cap. quanto de diuortijs, hanc enim enim responsionem ab eo, quatenus Pontifice, non prodijsse, constat ex Innocentio III. qui reprobans hanc sententiam ait: [Licèt quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur;] sensisse inquit, non definiuisse, [non credimus quod in hoc casu, qui relinquitur, possit ad secundas nuptias transire.] Aliud exemplum ad conclusionis intentum magis conducens est præfati Innocentij III. apud Cæsarium Cistercicnsem lib. 3. histor. cap. 32. vbi refert Abbatem Cistercicnsem, & cæteros huius ordinis Abbates hunc Pontificem consuluisse quid agendum esset confessario per viam confessionis agnoscenti Monachum aliquem absque ordine in dies, aut sæpius celebrantem, nec à celebratione vllis monitis, & præceptis eiusdem confessarij abstinere volentem: an eius confessio in in hoc casu esset detegenda. Innocentius, inquit Cæsarius, conuocauit Cardinales, virosque litteratos, & quid de ea re sentirent quæsiuit, omnibus penè in hoc consentientibus, quod confessio non esset prodenda. Respondit Innocentius: [Ego dico in tali casu confessionem esse prodendam, quia potiùs est blasphemia, quàm confessio, nec debet Confessor tantam blasphemiam, ac insaniam celare, per quam periculum toti Ecclesiæ

clesiæ poterit incumbere: & placuit sententia Innocentij omnibus, & scripsit sequenti anno ad Capitulum generale, quod à se fuerat determinatum.] Ita Cæsarius.

Quæ tamen Innocentij responsio simpliciter, & absolutè data, non solùm communi Theologorum doctrinæ, vbi agunt de sigillo confessionis, aduersatur, sed etiam Concilio Lateranensi cap. 22. sub eodem Innocentio celebrato. Igitur, vt responsio Summi Pontificis infallibilis habeatur, censeaturque non vt priuatum doctorem, sed vt Pontificem definire: non tantum opus est eum propositam fidei quæstionem discutere, discussæ absolutè respondere, sed etiam vt responsionem suam toti Ecclesiæ credendam proponat.

Decima octaua conclusio, etsi probabile sit, pièque credi possit, Summum Pontificem errare in fide non posse, sed etiam, vt particularem personam formaliter hæreticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo, haud tamen id omnino certum est. Primam huius conclusionis partem amplectuntur plures Theologi, quorum aliquos superiùs paragrapho huius capitis tertio citauimus; soletque probari primò ab euentu quo actenus nulli fuit hæreticus, vel certè de nullo euidenter probari potest quod formaliter hæreticus fuerit; vt dicetur capite sequenti; Et si igitur Pontifices nonnunquam moribus improbis fuerint, materialique etiam errori forsan obnoxij in rebus ad fidem pertinentibus dubijs, nec dum expressè definitis: nullo tamen admittendum est modo, quemquam ex ipsis formaliter vnquam hæreticum fuisse, falsum aliquid contra fidē pertinaciter credendo, vel tuēdo.

Secunda ratio est, quia ni summus Pontifex vtroque modo esset infallibilis posset ipse suum errorem personalem defendere, & Ecclesiæ obtrudere, aut certè grande miraculum esset, quod ipse definiendo, contra mentem suam definiret: igitur eadem ratione, qua tribuitur illi infallibilitas iudicialis, siue in definiendo, tribuenda quoque est personalis, siue in credendo, ni in præfata duo, & alia similia absurda incidere velimus, negareque ipsi priuilegium non errandi, etiam cùm totam Ecclesiam docet, in his, quæ ad fidem pertinent: prout ex hoc principio quod personaliter errare possit in fide Summus Pontifex, infert Almainus eum quoque vt Pontificem in ea errorem committere posse, ob rationem allatam, quod nimirum homini hæretico ita adesset Spiritus Sanctus, vt non sineret eum iudicare, & definire, quæ ipse vera esse crederet, quinimmò ad iudicandum oppositum assensionis suæ, violenter compelleret. Quæ ratio saltem concludere videtur Summum Pontificem haud esse posse priuatim hæreticum in his, quæ ipse definit.

Tertiam addo rationem, quæ mihi vim aliquam facit, fundoque illam in hoc quod Summus Pontifex sit supremus Iudex, animataque fidei regula, in rebus ad eam pertinentibus Ecclesiæ proponendis; cum enim de ratione regulæ esse videatur, quod in eo, in quo est regula; omnimodam habeat indefectibilitatem, inde sequitur ad suauitatem diuinæ prouidentiæ spectasse, quod non solùm vt Pontifex, sed vt priuata etiam persona gauderet priuilegio infallibilitatis. Quemadmodum ergo se habet in rebus fidei ratio, vel regula illas credendi, ita, & ratio, vel regula easdem Ecclesiæ credendas proponendi: sed ex hoc quod res fidei tantæ sint certitudinis, tantæque firmitatis, vt omne prorsùs dubium excludere debeant, ratio eas credendi prima nimirum veritas reuelans, non solùm de potentia ordinaria, verùm & extraordinaria nulli penitùs obnoxia errori, nulli mendacio esse potest: adeò vt si per impossibile Deus mentiendo homines decipere posset, tota diuina fidei nutaret certitudo, quatenùs dubitari semper posset, num in reuelando, non ordinaria, sed extraordinaria sua vti voluisset potentia; ita quoque ad auferendum omne dubium, omnemque perplexitatem, quandonam Summus Pontifex, vt priuata persona, atque adeò fallibiliter docere censeatur, quando nam verò, vt Pontifex, & ex cathedra, atque adeò infallibiliter, consentaneum fuisse videtur suauitati diuinæ prouidentiæ, quod vtroque modo iugiter eis assisteret, ne falsum, seu hæresim doceret: cumque proinde non tantùm, vt Pontificem, sed etiam vt priuatam personam infallibilitatis priuilegio gaudere in rebus fidei proponendis.

Verùm cùm hæc & alia similia argumenta tam efficacia, tantique momenti non sunt quin ad ea facilè responderi possit, vt parebit infra, ideo in altera conclusionis parte diximus, haud certò constare de hac priuata, seu personali Romanorum Pontificum in fide indefectibilitate, maiorque proinde Theologorum pars illam negat, quia etsi opinio Alberti Pighij præ se ferre videatur reuerentiam erga Sedem Apostolicam, & Pontificiam dignitatem, attamen sicut Christus, & Sancti eius falsis honoribus nō gaudent iuxta illud Regij Prophetæ; Honor Regis iudicium, id est, veritatem diligit, ita neque Sedes Apostolica à Christo stabilita, nec Summi Pontifices sui in illa pro vniuersali Ecclesia Vicarij, præsertim cùm hoc personale eorum priuilegium ad generalem Ecclesiæ gubernationem non sit necessarium: sed satis sit, vt quatenus publici Pastoris officio funguntur, infallibilitate gaudeant, nec licèt vt priuati doctores innumeris scaterent erroribus, eos tamen toti Ecclesiæ obtrudere non possint, nihil enim propterea damni in eadem redundabit.

Et in hoc sensu multi canones docent, Pontificem non posse iudicari, nisi inueniatur à fide deuius, qui frustra esse viderentur ni Summus Pontifex personaliter saltem tam in fide, quàm in moribus posse impingere dubitaretur, & si enim in præfatis canonibus expressè & absolutè non habeatur, Pontificem etiam vt priuatam personam posse errare, sed tantùm non posse Pontificem iudicari, quia tamen, vt in nostra conclusione dicebam, non est omnino certum, an possit nec ne Pontifex esse priuatus hæreticus ideo, ad maiorem cautelam, addunt conditionem, nisi fiat hæreticus. Huiusmodi autem canones referuntur cap. Si Papa, dist. 40. ex Concilio V. sub Symmacho, ex Synodo VIII. generali act. 7. ex Anacleto epist. 3. Eusebio epist. 2. & Innocentio III. in serm. 2. de consecratione Pontificis, [In tantum, inquit, mihi

mihi fide s necessaria est, vt in cæteris peccatis Deum iudicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur possim ab Ecclesia iudicari.]

Cum autem ex his, & alijs similibus textibus concors sit Doctorum sententia propter hęresim posse Papam deponi, cuius ratio est, quia hæreticis tenemur nos seiungere, iuxta illud 1. Timoth. 3. [Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita,] At qui manet in Pontificatu quamdiu in eo manet, non solùm non est vitandus, sed potiùs illi vniri, & adhærere debet Ecclesia tamquam supremo capiti suo: igitur vbi Papa deprehenditur à fide deuius, vel tenentur fideles illi communicare, vel debet à Pontificatu deponi, primum asseri non potest, cum sit in euidentem Ecclesiæ destructionem importetque intrinsecè periculum errandi; si teneatur sequi & obedire capiti hæretico, immò cùm hæreticus sit precipuus Ecclesiæ hostis, ipsomet iure naturali potest Ecclesia agere contra Papam, scilicet iure defensionis quia defendere se potest ab inimico suo, qualis est Pontifex hæreticus, secundum igitur debet fieri, nimirum quod à Sede Apostolica deijciatur, cui non obstat, quod Christus Dominus videatur tolerasse in cathedra Moysis homines infideles, & hæreticos, quales erant Pharisæi, Matth. 23. [Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, Pharisęi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis seruate, & facite,] quasi etiam super Cathedram Petri tolerari possit hæreticus, cum nec ipse hæresim in Ecclesiæ damnum vnquam sit definiturus. Respondetur enim Christum Dominum nequaquam præcepisse Phariseos, aut alios quoscumque hæreticos; & infideles in Sacerdotio; & Pontificatu tolerari debere sed tantùm illos audiri, sub conditione quod tolerentur, quamuis enim vbi nondum sunt vt tales declarati, & consequenter à Cathedra depositi, teneantur fideles eos audire, quia adhuc retinent potestatem, & iurisdictionem suam, si tamen Ecclesia velit eos declarare, vt hæreticos, & non ampliùs tolerare, Christus Dominus citato Matthęi loco id non prohibet. Cum inquam ita vnanimiter sentiant Doctores Catholici de Summo Pontifice Romano in casu priuatæ hæreseos, aliqua inter illos disputantur, quæ hic explicanda remisimus.

Primum, an in quocumque casu hæresis aut quomodocumque Papa hæreticus sit; possit deponi, an verò aliquæ conditiones requirantur, sine quibus hęresis sola ad eius depositionem non sufficiat. Aliqui enim existimant etiam propter hæresim occultam Pontificem amittere iurisdictionem Pontificalem, quæ fundatur in vera fide, & recta confessione eius, pro hac sententia adduci solent Cardinalis Turrecremata lib. 4. 2. part. à cap. 18. Paludanus in opusculo de hac re, Alphonsus Castro lib. 2. de iusta hereticor. punit. cap. 22. Simancas de Catholic. Institut. cap. 21. Ioannes Driedo de libertate Christiana cap. 14. aliique plures; quorum aliqui adhuc ita rem defendunt, Pontificem propter solam hæresim mentalem à sua excidere dignitate arbitrentur, eo quod ad eam tamquam necessaria conditio requiri videatur, quod sit membrum Ecclesiæ, siquidem supremum eius est caput, & quod insuper sit coniunctus ipsi Petræ super quam fundatur Ecclesia, id est super fidem, & confessionem Petri, sicut enim sine fide etiam mentali, non est Ecclesia, ita neque Pontificatus, qui super eamdem confessionem, ac ipsamet fundatur Ecclesia, & ideo Christus præuiè ad Pontificatus promissionem, hanc à Petro fidei professionem petijt.

Altera sententia est Caietani de auctoritate Papæ cap. 18. & 19. Dominici Soti in 4. distinct. 22. qu. 2. art. 2. Melchioris Cani lib. 3 de locis cap. vltimo, Francisci Suares disp: 10. sect. 6. Azorij tom: 2. lib. 4. c 6 Bellarmini lib. 2. de Romano Pontifice c. 30. Ioannis à Sancto Thoma 22. qu. 1. disp. 8, art. 3. & aliorum plurium docentium, Pontificatu cadere, nisi duabus concurrentibus conditionibus, scilicet quod eius hæresis sit publica, & iuridicè notoria, quodque in ea sit incorrigibilis & pertinax, cui etiam sententiæ tamquam veriori libenter subscribo, & quo ad primam conditionem sic illam probo; quia si ob occultam, vel etiam solam hæresim mentalem; hoc ipso Summus Pontifex sua caderet dignitate, sequeretur eum, quantumuis statim per veram resipisceret pœnitentiam: haud ampliùs exercere posse pontificium munus, quia vt supponitur pontificiam amisisset dignitatem per hæresim occultam, aut mentalem, nec illam à Deo per pænitentiam restitui certum est, sicut restituuntur alia gratiæ dona. At hoc secum trahere videtur plura, eaque grauissima inconuenientia, nam si semel Pontificia exercere non potest munera, tenebitur se se ab illis abstinere; atque adeo suam hæresim prodere, quod certè videtur esse durissimum, sic insuper omnia essent perplexa, viaque ad schismata aperiretur, si eo ipso quod Summus Pontifex esset hæreticus, dumtaxat occultus aut mentalis suam amitteret dignitatem. Igitur asserendum est ad hoc requiri, quod eius hæresis sit publica, spectatoque Ecclesiæ iudicio iuridicè notoria.

Secundò probatur, quia licèt sectione superiori cap. 5. §. 3. tamquam probabilius docuerimus, hæreticos quantumuis occultos ac mentales, non esse verè & essentialiter de corpore Ecclesiæ, putatiuè tamen vel apparenter ad illud pertinere nemini dubium est, quod sufficit vt Summus Pontifex, quamdiu occultè tantùm, vel mentaliter est hæreticus, censeatur esse Ecclesiæ caput, Pontificiaque in ea munera exerceat, si enim sine fide ab inferioribus Sacerdotibus exerceri possunt actus ordinis & iurisdictionis, Sacerdos namque hæreticus potest conficere Sacramenta & in extrema absoluere necessitate, multò minus interna requiretur fides, vt Summus Pontifex suam exerceat iurisdictionem quamdiu ab Ecclesia non est depositus, estque eius membrum secundùm exteriorem communicationem præsertim cum per hoc quod sit hæreticus: non incurrat excommunicationem, sicut inferiores.

Sed hoc tertiò adhuc efficaciùs probari potest, supponendo summum in hoc distingui Pontificem à cæteris fidelibus, quod hi personalem dumtaxat habent fidem, sine in

cre-

credendo, qua deficiente mirum non est quod vera Ecclesiæ membra ampliùs vocari non possint, at præter hanc fidem aliam habet Summus Pontifex iudicialem, siue in definiendo, quatenùs hæresim affirmare & toti Ecclesiæ credendam obtrudere non potest, quæ sufficit, vt quamtumuis sit occultus aut mentalis hæreticus, dicatur verum esse Ecclesiæ caput, veramque Ecclesiæ fidem habere, quamdiu ab illa non deponitur, sed potius illi secundùm externam communicationem vnita supponitur, nondum publicata atq; per depositionem punita eius hręsi. Quocirca, vt respondeatur ad argumentum primæ sententię, auctoritas Pontificatus fundatur quidem super veram, sed non super fidem personalem cuiuscumque personæ, & pro vt à quolibet secundùm sensum suum proferri potest, sed in fide communi totius Ecclesiæ, in qua Pontifex deficere non potest, taliter quod etiam si personaliter sit hæreticus vt tamen docet ex cathedra, non potest contra fidem definire, in hac ergo fide, quę est fides cathedræ, & non personę, quęque fuit fides Petri, & confessionis eius; fundatur Pontificatus non autem in fide personali ipsius personę Pontificię. At Ecclesia entitatiuè sumpta, totoq; orbe diffusa, cum nihil sit aliud, quàm congregatio omnium fidelium, repugnat quod omnes sint sine vera fide interna personali.

Secundam quoque conditionem incorrigibilitatis, & contumaciæ in heresi requiri ad Pontificis depositionem patet, quia vt habetur in cap. dixit Apost. 24. qu. 3. qui paratus est corrigi, nec pertinax in hęresi, non censetur hæreticus: Ergo si Papa sit paratus corrigi, nequaquam vt hereticus deponi debet. Item quia Apostolus loco citato I. Timoth. 3. solum pręcepit hereticum hominem post primam, & secundam correptionem deuitandum esse, ita vt, si correptus resipiscat, non sit vitandus, cum ergo Summus Pontifex propter hęresim deponi debeat in vi istius Apostolici pręcepti, sequitur ex eodem ad tale opus nequaquam procedendum esse; nisi sit incorrigibilis. monitusque correptionem contempserit. Immò Caietanus opusc. de auctoritate Papæ cap. 22. ex hoc dicto Apostoli putat Papam in heresim incidentem, & correptum iterum relabentem, posse iterum corrigi, post duas autem correptiones, si deinceps recidat, quantumuis paratus sit corrigi, non esse admittendum sed tamquam incorrigibilem habendum esse atque adeò ne in infinitum correptiones perducantur, ab officio deponendum.

Quia autem fautores hæreticorum eiusdem criminis censentur cum hæreticis in iure cap. excomm. §. credentes de hæreticis, & cap. quicumque eodem titul. in sexto, ideo Azorius vbi supra c. 7. docet cum alijs, quod si Papa sit fautor, aut defensor hæreticorum, in eoque incorrigibilis deponi etiam debeat. Cui suffragari videtur exemplum Liberij; qui quando fauit hæreticis Arianis, in eius locum Felix suffectus est, quod nonnisi eo abrogato legitimè fieri potuisse iuxta communem doctrinam est certum. Per hæreticorum autem fautorem non intelligi, nisi qui illis in quantum talibus patrocinatur id est secundùm aliquam relationem, & ordinem ad hæresim, rectè animaduertit Caietanus in summa; verbo Excommunicatio cap. I. quem sequuntur communiter Theologi, & Canonistæ. Qua de causa, inquit Ioannes à S. Thoma, si Papa faueret alicui Principi hæretico non in ordine ad hæresim neque in quantum hæretico, sed ratione cognationis, propinquitatis, amicitiæ; aut alterius similis tituli non esset deponendus, quia in re non esset hæreticus, nec hæreticorum fautor, nisi fortè in foro iudiciali probaretur ex hoc formaliter de hæresi suspectus, aut hæreticus esse, constaretque eius incorrigibilitas in fauendo hæreticis.

Ceterum legitimum, ac indubitatum Pontificem solummodo posse deponi propter indispositionem ex parte ipsius, vt sit caput Ecclesiæ, quia scilicet est separatus, & segregatus ab illa notoriè relinquendo fidem, ita quod Ecclesia, si sit incorrigibilis, debeat illum vitare; propter reliqua verò peccata quantumcumque grauissima, à nemine iudicari debere, eorumque causas soli Deo reseruatas esse iam supra ostendimus seculo potissimum 13. & quod si aliqui Pontifices ab illis quandoque se purgauerint, id non fuisse ex necessitate, sed ex propria eorum voluntate. Quod aliqui dicunt Eugenium IV. depositum fuisse in Concilio Basileensi sine causa hæresis id violenter, & contra ius factum fuisse etiam vidimus, ex quo solidum trahi non potest argumentum.

Quod si inquiratur num Ecclesia possit iudicare, & deponere Pontificem, qui in re non est hæreticus, exteriùs tamen iuridicè probatur eum talem esse; Respondent aliqui affirmatiuè, quia inquiunt, sicut existente vera hęreseos culpa amittere potest Pontificatum, non quando illam commisit, & nondum ab Ecclesia iudicata est, sed quando ab illa declaratur; ita licèt in re non habuerit illam culpam, si tamen ex declaratione illam habere iudicetur, quia sic iuridicè probatur, amittit etiam Pontificatum, ita re gubernationi Ecclesiæ expediente, quæ humano modo fit, & secundùm humanas probationes, quæ tantùm exigunt veritatem iuridicam secundùm probata, & allegata, non autem Mathematicam; Et quia insuper Pontificatus non consistit in charactere, quia nulla est actione delebilis, sed in iurisdictione, quæ ex moralibus conditionibus pendere potest, ideoque ex culpa moraliter, & iuridicè notoria, tamquam ex conditione procedi potest ad depositionem Pontificis, licèt in re sit innocens.

Verisimilis tamen, & conformius ad dicta cap. 10. nimirum esse de fide, quod hic numero Pontifex pro tempore existens, quem tota Ecclesia tamquam legitimè electum agnoscit, & recipit, sit verè Pontifex, & totius Ecclesiæ caput, ego existimo prefati quęsiti casum esse impossibilem, scilicet Ecclesiam iudicare aliquem non esse Pontificem, qui verè sit in se Pontifex; vt enim ob priuilegium infallibilitatis, quo gaudet in credendo impossibile est eam acceptare pro vero, ac legitimo Pontifice eum, qui defectu alicuius conditionis necessariæ, ab eaque insupplebilis talis non esset, vt ibidē diximus, hoc enim esset Ecclesiam falli, & errare in ferendo iudicio

cio

cio circa rem grauissimam, & in nostra sententia ad fidem pertinentem, ita eadem ratione, stanteque diuinæ promissionis veritate, permitti à Deo impossibile est, quòd illa vnquam reprobet, iudicetque non esse Pontificem illum, qui verè, & coram Deo talis est.

Alterum, quod à Doctoribus Catholicis in hoc casu priuatæ hæreseos Pontificiæ disputatur est, quanam potestate, vel auctoritate debeat fieri Papæ depositio? reducique potest ad duo præcipua puncta; primum pertinet ad declaratiuam sententiam, à quo nimirum ferri debeat, an ab Eminentissimis Cardinalibus, an verò à Concilio Generali? secundum ad ipsam depositionem, quæ facienda est post declaratiuam criminis sententiam. An fiat per Ecclesiæ, siue Concilij potestatem; an verò ab ipso Christo Domino immediatè, supposita tamen Ecclesiæ declaratione. Relictis varijs placitis, de quibus videri possunt auctores superiùs citati rem breuiter absoluo sequentibus dictis.

Primùm dico, vbi in casu priuatæ hæreseos procedendum est ad Summi Pontificis depositionem, nullo modo pertinere ad Sacrum Dominorum Cardinalium Collegium, declaratiuam ferre sententiam talis criminis, sed ad Concilium Generale; prima huius dicti pars constàt ex vsu Ecclesiæ, quo, vt vidimus cap. 9. commissa quidem fuit Dominis Cardinalibus Pontificia electio, non autem potestas tractandi causas Pontificum, & quæ ad eorum depositionem spectant; sed ex eodem Ecclesiæ vsu, hoc pertinet ad Concilium potissimùm generale, quæ est altera dicti pars; sic enim in casu Marcellini de thurificatione idolorum congregata est Synodus ad illam causam discutiendam, & in casu schismatis ad illud compescendum habita est Synodus Constantiensis, quod à fortiori in casu hæreseos, vbi occurreret Summum Pontificem ea infectum esse, obseruandum esset. Tuncque nisi auctoritate eiusdem Pontificis se accusare, ac officio renuntiare volentis adunaretur, congregari deberet; vel ab ipsis Cardinalibus qui hanc Episcopis notitiam communicare possent, vel ab ipsis Episcopis propinquioribus, id alijs denunciantibus, vel denique ad instantiam Principum, non quidem quantùm ad conuocationē denunciatiuā, qua per ipsos tale crimen Episcopis manifestaretur; ac remedium aduersùs illud postularetur. Nec tale Concilium Pontifex recusare, aut annullare posset; cùm Ecclesia habeat ex iure Diuino potestatem segregandi se à Papa hæretico, atque adeo adhibendi omnia media ad talem segregationem per se necessaria, inter quæ præcipuum tenet locum iuridica huiusmodi criminis probatio, hæc autem haberi non potest, nisi formetur cōpetens iudicium, quod in re tam graui, & vbi agitur de vniuersalis Ecclesiæ Pastoris depositione aliud esse non potest, quàm Concilium Generale illam repræsentans, deficiente tunc supremo eius capite.

Dico secundò, ni priùs accedat declaratiua Ecclesiæ sententia, Summus Pontifex quantumuis publicus, aut manifestus hæreticus, per hoc præcisè non priuatur Pontificatu, nec deponitur: Istud dictum est ad mentem Caietani opusculo citato de potestate Papæ cap. 20. videturque sequi manifestè ex præcedentibus, vbi diximus Papam, quantumcumque sit verè, manifestèque hæreticus non posse deponi, si paratus sit corrigi; nec Ecclesiam consequenter secundùm ius diuinum posse illum deponere, cum nec possit, nec debeat ipsum euitare, dicente Apostolo hæreticum hominem post primam, & secundam correptionem deuitandum esse, igitur, si ante primam, & secundam admonitionem Pontifex ab Ecclesia non deuitandus, & consequenter, nec deponendus, falsò asseritur eum ipso facto, quòd sit publicus hæreticus, esse depositum, siquidem potest esse publicus, sed nōdùm ab Ecclesia correptus, nec declaratus vt incorrigibilis hæreticus. Vnde, quod ait Apostolus, hæreticū hominem post duas correptiones esse vitandum, debet intelligi de illis iuridicè factis, Ecclesiæque auctoritate, non autem secundum priuatum iudicium, aliàs magna sequeretur confusio; cùm enim omnibus fidelibus publica, & manifesta esse non possit Papæ hæresis, nisi ex relatione aliorum, talisque relatio, cùm non sit iuridica, non obliget, vt ei omnes credant, vel obediant, nec consequenter Pontificem vitent, omninò requiritur, quòd sicut Ecclesia ipsum, vt iuridicè electum, omnibus Fidelibus sequendum proponit, ita quoque iuridicè vitandum, atque adeò deponendum declaret; prout semper fuit Ecclesiæ praxis, qua occurrente tali casu depositionis Papæ, priùs in Concilio Generali causa eius acta est, quàm pro non Papa habitus fuerit. Deinde Summus Pontifex in hoc casu peioris conditionis esse non debet, quàm cæteri Episcopi, sed nullus Episcopus quantumuis hæreticus manifestus, licèt ipso facto incurrat excommunicationem, ipso tamen facto amittit iurisdictionem, & potestatem episcopalem, quòusque ab Ecclesia declaretur, ac deponatur, soli enim excommunicati non tolerati ipso facto iurisdictionem amittunt, scilicet qui nominatim excommunicantur; Ergo nec etiam Papa ante Ecclesiæ declarationem Pontificiam amitteret dignitatem; præsertim cùm excommunicationi obnoxius non sit, vt enim suppono nulla reperitur lata ipso iure diuino, iure autem humano, cum sit illo superior, excommunicari nequaquam posse, sanior tenet sententia.

Dico tertiò, in casu priuatæ hæreseos, ob quod solum crimen legitimum Pontificem à sua dignitate deponendum esse diximus, Ecclesia propriè loquēdo nullam potestatem, aut superioritatem habet supra potestatem Papæ, & consequenter neque supra Papam absolutè; ista quoque propositio videtur mihi certissima ab eodem Caietano loco citato tradita, ibi enim non docet, nec nos cum ipso, Ecclesiam in casu hæresis tantùm esse supra Papam tamquam priuatam personam, non autem in quantùm Papa est, vt illi imponunt aliqui, vel malè interpretantur, sed quòd Ecclesia non est supra illum absolutè etiam in casu hæreseos, quatenus, vt mox dicemus, solùm est supra coniunctionem Pontificatus cum ista persona dissoluendo illam, eo modo quo per electionem illam coniunxit, quæ potestas Ecclesiæ ministerialis est, nam simpli-

simpliciter superior, respectu Papæ, solus est Christus Dominus.

Propositio ita explicata facilè probatur, quia potestas Pontificia, vt pluribus supra ostendimus, suam ab Ecclesia originem non habet, sed immediatè à Christo Domino fuit Diuo Petro, eiusque in Sede successoribus collata, cuius proinde, & non Ecclesiæ gerunt vices, nec solùm Summus Pontifex est caput membrorum Ecclesiæ, siue Ecclesiarum particularium, vt ineptè cauillantur aliqui contra expressam Concilij Constantiensis auctoritatem, sed ipsius insuper Ecclesiæ vniuersalis tam entitatiuè, quàm repræsentatiuè in Concilio Generali sumptæ. In nullo igitur casu potestas Ecclesiæ absolutè superior ad Papalem esse potest, nisi pro illo reddatur inferior, absolutèque dependens, vt patet ex terminis, sed in nullo casu etiam hæreseos, id posse contingere, colligo primò, quia hoc ipso quod Summus Pontifex, eiusque potestas fieret Ecclesiæ inferior, iam illa mutaretur, vel limitaretur, nec eadem, ac antè, hoc est suprema, & independens absolutè maneret, cuius tamen mutationis, vel limitationis nullum assignari potest rationabile fundamentum, quandoquidem Christus Dominus, à quo primùm instituta est potestas Pontificia tamquam suprema super omnem Ecclesiam, quæ in terris est, nullum casum excepisse legitur, in quo talem potestatem limitari, alterique absolutè subijci voluerit, sed de illa semper; & respectu omnium loquutus est tamquam de suprema, & Monarchica: Ergo non est, vnde potestas Ecclesiæ superior ad Pontificiam asseratur, etiam in casu hæreseos quem Christus non excepit, quique etiam non petit aliquam superioritatem formaliter respectu Papæ, sed tantùm euitationem, separationem, negationem communicationis, aliaque huiusmodi, quæ saluari possunt sine potestate superiori formaliter, & absolutè supra potestatem Papæ, vbi eum in priuatam hæresim cadere, & ob illam deponi contingeret. Deindè hoc etiam conuincere videntur iura, quæ dicunt primam Sedem à nemine iudicari, quod etiam in casu infidelitatis procedere ostendit causa Marcellini, in qua Patres congregati dixerunt. [Tu teipsum iudica.

Quartò dico, in causa Papæ ob hæresim priuatam deponendi, potestas Ecclesiæ habet pro obiecto separationem dignitatis Pontificiæ ab eo, declarando illum pro hæretico incorrigibli, & euitando à fidelibus, sequitur hoc quoque dictum ex præcedentibus, iuxta quæ potest Ecclesia declarare Pontificis hæresim, & ipsum, vt euitandum proponere fidelibus secundùm ius diuinum, quo hæreticus incorrigibilis vitandus est. Adeò vt ex vi talis dispositionis necessariò reddatur impotens, vt sit ampliùs Ecclesiæ caput, cum sit membrum ab illa euitandum, & consequenter in illam influere non possit: Igitur ex vi talis potestatis Ecclesia dissoluit coniunctionem, vel vnionem Pontificatus cum ista persona: Quotiescumque enim agens potest inducere dispositionem in subiecto, cui necessariò annexa est separatio formæ, siue cum qua forma incompossibilis est in tali subiecto, dicitur quoque posse supra dissolutionem formæ, & mediatè etiam tangere ipsam formam; vt separandam à subiecto, non vt in se destruendam; sicut patet in agente hominem corrumpente, quod proculdubio formam non destruit; sed dissolutionem tantùm eius inducit, ponendo aliquam dispositionem, cum qua forma stare non valet,

Itaque, vt rem magis explicemus, quemadmodum in electione Summi Pontificis Ecclesia habet pro obiecto applicationem dignitatis Pontificiæ, personæ per illam designatæ, ita vt, licèt talis potestas respectu electionis sit auctoritatiua, respectu tamen dignitatis à solo Deo conferendæ, ministerialis tantùm sit, ac per modum depositionis; ita quoque in casu depositionis habet pro obiecto separationem eiusdem dignitatis à persona, quam declarat ream criminis hæreseos, respectu cuius declarationis, sicut, & designationis alicuius in Papam, auctoritatiuam licèt habere potestatem, auctoritatiuèque procedere dici possit: nihilominus respectu Pontificis deponendi, eiusque dignitatis, qua immediatè à Christo Domino priuatur, merè ministerialiter, ac dispositiuè se habet; quodque auctoritatiuum est respectu declarationis, dispositiuum est, ac ministeriale respectu talis formæ, vel coniungendæ, vel separandæ, nam in ipsam absolutè nihil potest Ecclesia, cùm non sit ei subordinata, sed soli Christo Pontificia potestas.

Nec refert, si dicatur primò, Papam deponi inuitum, atque adeò puniri per talem depositionem, cum autem punire proprium sit iudicis, ac superioris, Ecclesia Pontificem deponens, seu depositionis pœna puniens dicenda erit habere super illum superioritatem: secundò, eum posse simpliciter in totum, qui potest in partes simul, seu in vnionem earum, ideoque Ecclesiam simpliciter posse in Papam, si potest in coniunctionem Pontificatus cum eius persona. Ad primum enim respondetur, Papam deponi inuitum ministerialiter, & dispositiuè ab Ecclesia, auctoritatiuè verò à Christo Domino, vnde ab ipso, non ab Ecclesia puuitur propriè, & absolutè loquendo. Ad secundum dicitur primò, eum posse simpliciter in totum, qui potest simpliciter in partes simul, seu in coniunctionem earum, non autem qui ministerialiter, ac dispositiuè solùm potest, secundò admittitur id valere posse quandoque in physicis, vel naturalibus, vbi dispositiones habent naturalem connexionem cum ipso esse totius, quod cum communicetur ab agente producente dispositiones coniunctiuas partium, simpliciter producere ipsum totum affirmari potest: Secus autem in moralibus, vbi dispositio, quæ fit ab aliquo, cùm moralem dumtaxat habeat coniunctionem cum forma, & quasi ex institutione voluntaria; qui eam inducit, non censetur facere ipsum totum simpliciter, & auctoritatiuè, sed quasi ministerialiter, sicuti si Summus Pontifex alicui concederet, vt in locis, quæ designaret, haberetur priuilegium lucrandi indulgentias, secus autem in illis, quæ non designaret, certè talis designatio, vel declaratio non haberet concedere, vel auferre indulgentias auctoritatiuè, & principaliter, sed ministerialiter solùm.

Ex dictis infero primò, hac facilè ratione

ne posse conciliari iura, quæ interdum asserunt Pontificis depositionem ad solum Deum spectare, interdum verò eumdem in causa hæreseos personalis ab inferioribus iudicari posse, vtrumque enim verum est; quatenus depositio Pontificis soli Deo auctoritatiuè, & principaliter reseruatur, vt habetur expressè cap. electionem distinct. 79. ministerialiter autem, ac dispositiuè, nimirum declarando crimen, & proponendo Papam ob illud deuitandum, Ecclesia iudicat de illo, vt dicitur cap. si Papa distinct. 40. & cap. Oues 2. quæst. 7.

Secundò soluuntur tria argumenta superiùs adducta, quatenùs quis vellet illis certò, & indubitatè probari infallibilitatem Pontificiam personalem. Respondetur enim ad primum non ità certum esse, quòd nullus vnquam Romanus Pontifex in personalem hæresim inciderit, saltèm materialiter, & absque pertinacia, quin multi Doctores dubitent de opposito; deindè hoc etiam admisso, quòd nullus huc vsque à fide personaliter deflexerit, nullibi tamen asseritur eos hoc modo non posse à vero deflectere, sed quatenùs solùm publici Pastoris officio funguntur. Ad secundum respondetur, illud tantùm probare, quòd Summus Pontifex in ijs, quæ definit de fide, & vbi definit, personaliter Hæreticus esse non possit, non ex vi alicuius infallibilitatis personalis suæ, sed ob incompossibilitatem duorum iudiciorum contrariorum, vt intendit obiectio. Secundò respondetur inconueniens non esse, quòd vt homo peccator leges contra peccata statuat, ità Pontifex mente, & corde hæreticus, si se ad aliquid definiendum accingat, contra mentem suam definiat, seque contra illam agere apertè videat, & intelligat, propter indeficientem Spiritus Sancti assistentiam, eaque ratione, qua Diuus Augustinus epistola 166. & libro 4. de doctr. Christ. cap. 27. ait de Pharisæis: [Illa ergo cathedra, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua: docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena. Multis itaque prosunt dicendo, quæ non faciunt, sed longè pluribus prodessent faciendo, quæ dicunt.] Ad tertium dicitur regulam fidei in proponendo debere esse certam, secundùm quod est regula; Summus autem Pontifex, non vt priuata persona, aut particularis Doctor est regula fidei, sed vt loquitur ex Cathedra, supremique Iudicis controuersiarum fidei munere fungitur, cui ad auferendum omne dubium dignoscendo non desunt sua signa superiùs allata, nec non libro 2. sect. 5. cap. 4.

CAPVT XVII.

Vendicantur ab erroris in fide, seu heresis nota plures Summi Pontifices Romani, quibus illa mendaciter inuritur ab Hæreticis, eorumque in hac parte fautoribus.

QVamuis à potentia ad actum non valeat consequentia, vt si quis errare possit, propterea statim errasse dicendus sit, quia tamen ab actu ad potentiam valet, licetque inferre eum, qui semel errauit, priùs errandi potentiam habuisse; indè tam Hæretici, quàm alij rebus Pontificijs minùs propitij, quique cum illis Summo Pontifici Romano denegant priuilegium infallibilitatis, etiam in rebus ad fidem spectantibus, proferunt in medium plures Summos Pontifices, quos non solùm vt priuatas personas, sed etiam vt publicas, aut ex cathedra docentes turpiter in fide aberrasse contendunt. Quod sanè non ità acriter præstarent aliqui, si sæpè mentis oculis reuoluerent laudatam ab omnibus Diui Hieronymi sententiam lib. 2. Apolog. aduersùs Ruffinum, de erroribus, qui in compluribus antiquorum Patrum scriptis legi solent, cùm sic respondet Ruffino percutanti: [Et quomodò, inquies, in libris eorum vitiosa nonnulla sunt? Si me causas vitiorum nescire respondero, non statim illos hæreticos iudicabo. Fieri enim potest, vt vel simpliciter errauerint, vel alio sensu scripserint, vel à librarijs imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint; vel certè, antequàm in Alexandria quasi dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam, & minùs cautè locuti sint, & quæ non possint peruersorum hominum calumniam declinare.] Hæc Hieronymus, & in eamdem sententiam multa alij. Quæ si, vt dixi, attentiùs ab aduersarijs perpenderentur, non deessent illis plures modi faciliùs excusandi, præsertim vbi tot suppetunt Pontificiæ infallibilitatis argumenta, quàm calumniosè eam mordendi: Nec ità contra Vicarium Christi, concessaque illi Diuinitùs priuilegia atræ bili suæ habenas laxandi gloriam ducerent, sed potiùs, relictis charismatibus melioribus, se tales cum Hæreticis calumnias æmulari subrubescerent. Contra hos igitur nobis est sermo, probandumque nonnullos quidem Summos Pontifices Romanos in externa fidei confessione deficere potuisse, alijsque etiam grauissimis peccatis obnoxios extitisse, nullum autem vnquam ex cathedra loquentem hæresim docuisse, credendamque vniuersæ Ecclesiæ proposuisse; sed ne hoc caput in nimiam excrescat molem, ob multitudinem reorum, quos aduersarij faciunt, illud vt præcedens, in varios subdiuidemus paragraphos, vndè sit:

§. I.

Pontifices Romani primi seculi defenduntur ab erroribus, qui falsò illis adscribuntur.

DIuo Petro, quo semel deiecto, successorum infallibilitatem in rebus fidei corruere quoque necesse est, tam Nilus in libro de primatu Romani Pontificis, quàm Magdeburgenses Centuriæ primæ libro 2. cap. 10. varios tribuunt errores, præsertim, quòd Christum ter in nocte passionis negauit; quòdque Antiochiæ segregans se à conuiuio Gentilium, ne offenderet Iudæos nuper conuersos ad fidem, aliquos suo exemplo Gentiles induxerit ad iudaizandum; sed his abundè iàm satisfactum fuit superiori capite §. 3.

Linum erroris accusant ijdem Magdeburgenses eodem citato loco, quòd iusserit, ne fœminæ in Ecclesiam ingrederentur capite linteis non cooperto. At si præfati Hæretici meminissent Paulum iussisse 1. Corinth. 11. vt fœminæ velato capite essent propter Angelos Dei; quod exponunt communiter Doctores in Ecclesia potissimùm esse seruandum ob reuerentiam Sacerdotum, qui multis de causis Angeli in Scriptura nominantur; profectò Lini constitutionem erroris non reprehendissent, nec illam Pontificali cura, aut sollicitudine indignam iudicassent.

§. II.

Ostenditur immunitas Romanorum Pontificum secundi seculi, ab erroribus in fide, illis impositis.

ANacletus ab ijsdem Magdeburgensibus arguitur, quòd memoriam sancti Petri construxerit, & ornauerit; Thelesphorus autem, quòd præceperit Clericis ieiunare per septem hebdomadas antè Pascha, quasi sit contra Paulum docentem, [nemo vos iudicet in cibo, aut potu.] Verùm cùm hæc, & alia huiusmodi à Centuriatoribus obiecta, & notata, habeantur ab illis pro erroribus, quòd discrepent à regula Lutheri, & indè peruersa eius dogmata manifestè conuincantur falsitatis contra sacras de cultu Sanctorum, ac de abstinentia carnium ad tempus traditiones, nemo æquus Iudex non iudicabit à Thelesphoro Sancto Martyre, atque Apostolorum temporibus adeò propinquo, vt cum Petro, Paulo, & Ioanne conuersari potuerit, Christi doctrinam meliùs cognosci potuisse, atque adeo magis illi, quàm Luthero, credi debere; Diuum autem Paulum loco citato ex epistola ad Colossenses, non loquutum fuisse contra abstinentiam à carne, quæ assumitur, vel indicitur ad tempus, sed contra Iudaicam abstinentiam, qua certorum ciborum interdicebatur vsus, eo quod secundùm legem veterem immundi erant, patet ex ipso textu.

Victorem I. affirmasse Christum Dominum purum hominem fuisse colligunt ijdem Magdeburg. ex Eusebio lib. 5. histor. cap. 27. & 28. sed falsam fuisse illam calumniam Artemonis, & Pauli Samosateni Eusebius ibidem ostendit ex eo, quod constat, auctorem illius hæreseos, nomine Theodotum, à Victore excommunicatum fuisse: [Quomodò, inquit, non pudet hæc Victori tam falsò obiectare? cum exploratè cognitum habeant Victorem Theodotum illum Coriarium Christiana communione interdixisse.] Indè colligat Lector, quod superiori capite nonnumquàm notaui, tantam semper fuisse, tamque infallibilem habitam in rebus fidei, Romanorum Pontificum auctoritatem, vt illa Hæretici suas hæreses fulcire conati sint, aut in illis eos idem secum tenuisse, plerumque iactauerint, ad stabiliendam earum certitudinem, ac prætensam veritatem.

§. III.

Asseritur fides Romanorum Pontificum tertij Seculi.

QVod statim diximus de Victore I. idem penitùs de Zephyrino respondendum est, dùm ab aduersarijs ex Tertulliano libro contra Praxeam Montanismi accusatur, quē tamen eum condemnasse testatur Eusebius libro 6. cap. 14. Cùm enim Romæ coram Zephyrino Proclus inter Montanistas omnes nomine celeberrimus, & Tertulliani elogio commendatissimus, cum Caio spectatissimæ virtutis, ac eruditionis viro, de vano Cathaphrygum Paracleto disputasset, victusque succubuisset, eum Pontifex, & omnes pseudoprophetiæ defensores, lata excommunicationis sententia ab Ecclesiæ communione separauit, qnin & Tertullianum ipsum, vt indicat lib. de ieiun. cap. 13. [Nouitatem, inquit, obiectans, de cuius illicito præscribant, aut hæresim iudicandam, si humana præsumptio est, aut pseudoprophetiam pronunciandam, si spiritualis indictio est: dùm quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter annunciamus.] Vbi igitur libro citato contra Praxeam, ait: [Romanum Pontificem (Zephyrinum scilicet tunc regnantem) Montani prophetias agnoscentem, & ex ea agnitione pacem Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ inferentem vidimus.] Si per huiusmodi verba intenderit eum approbasse dogmata Montanistarum; fides illi in hac parte adhibenda non est: sed calumniam Zephyrino imposuisse, propter indignationem aduersùs eum conceptam, quasi ipse hæresis macula, quam in eo damnauerat, etiam conspurcatus fuisset; præsertim cùm nec Eusebius, nec vllus alius talem in hoc Pontifice notarit errorem: dixi sub conditione, quòd præfata Tertulliani verba hunc sensum exigant; facilè enim est ea in alium bonum trahere; siquidem tantum ait Zephyrinum agnouisse prophetiam, & illa agnita misisse literas pacis Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ, quas coegit Praxeas reuocare. Hæ autem literæ potuerunt esse formatæ, vti Pamelius insignis Tertulliani interpres explicat, quæ

quæ continerent decretum Zephyrini: cur autem pacis illas appellet Tertullianus, fortasse fuit, quia Pontifex his voluit Montanistas Ecclesiæ conciliare, non communicando cum illis, sed reducendo illos, in quo nihil peccasse satis constat: Aut si peccauit, non fidei, sed personæ error tantùm fuit, arbitrando eos falsò fuisse accusatos; quod absque præiudicio infallibilitatis Pontificiæ potuit contingere, hoc enim non erat approbare errorem Montanistarum, quem sui prædecessores improbauerant; sed decipi circa personas, vt dixi, quatenùs Hæretici nonnunquàm, sub ambigua confessionis ambage, se Catholicos ementiuntur cùm non sint; cuius plurima nobis historiæ suppeditant exempla; in Ario, quem Ruffinus lib. 10. histor. cap. 11. scribit, vt Constantino Imperatori persuaderet se esse Catholicum, tanto scripsisse artificio fidem suam, vt à Catholicis putaretur catholica, & à suis tamen agnosceretur qualis erat: In Pelagianis, de quibus scribens Leo epist. 86. ad Nicetam Aquileiæ Episcopum, monet illum, vt eos ad Ecclesiam redeuntes apertissimis verbis iubeat hæresim abiurare, propterea quod soleant plerumque Ecclesiam decipere, ità composita confessione fidei suæ, vt Catholici videantur, cùm non sint.

Vrbanum I. Centuriatores accusant, quod instituerit Confirmationem post Baptismum, sed in hoc eos turpissimè mentiri, clarè testatur vsus huius Sacramenti Act. 8. & 19. vbi super baptizatos, legitur Apostolos manus imposuisse, vt acciperent Spiritum Sanctum; quodque Tertullianus Vrbano antiquior pluribus in locis illius meminerit, indèque Patres communiter. Pontianum quoque Vrbani successorem affirmant blasphemasse, quòd scripserit, Sacerdotes proprio ore corpus Domini conficere, & populis tradere, ac per Sacerdotes Deum aliorum hostias acceptare, atque eorum peccata donare, & sibi eos reconciliare, verùm, vt ait Cardinalis Bellarminus, Martyri Sanctissimo, & de Apostolorum successoribus instituto magis in hoc credere debemus, quàm Luthero, præsertim cùm illum eumdem loquendi modum omnes veteres Patres scriptis passim vsurparint; citatque inter eos Hieronymum in epist. ad Heliodorum; Augustinum in epist. ad Victorianum, & Chrysostomum libro 3. de Sacerdot.

De Cornelio ijdem Magdeburgenses asserunt statuisse, vt in Calice non vinum purum, nec aqua mixtum; sed aqua sola offeretur, quod est contra Euangelium; id autem probant ex eo, quòd Cyprianus multa disputat contra hunc errorem lib. 2. epist. 3. quam ad Cornelium scriptam volunt. At in hoc grauiter aberrant, cùm talis epistola scripta non fuerit ad Cornelium, sed ad Cæcilium; & hoc etiam gratis admisso, nihil sequitur, Cyprianus enim ibi non dicit, hunc errorem esse illius, ad quem scribit, sed quorumdam aliorum.

Marcellinum non hæresis tantùm, sed idolatriæ insuper reum faciunt, quia in immani illa Diocletiani Imperatoris persecutione terrore percitus, deorum simulacris thus adhibuit. Nonnulli, vt Victorellus in Iconibus Pontificum anno 303. id negant, auctoritate ducti sancti Augustini libro vnico de Baptismo cap. 19. vbi tradit hoc fuisse à Donatistis obiectum, sed minimè probatũ. Quinimò, subdit sanctus Pater, Marcellinum fuisse innocentem, sufficienterque colligi videtur ex eo; quod nec Eusebius in historia, nec in Chronico, nec alius ex veteribus quispiam eius rei meminerit; sed potiùs Theodoretus lib. 2. histor. cap. 9. Marcellini constantiam, & fidem non parùm extollit. Admisso nihilominùs præfato eius casu, cuius mentio fit in Breuiario Romano die 26. Aprilis, negamus indè sequi Nouatorum intentum; hic enim error non fuit ex Cathedra, nec aduersùs Cathedram: nullam quippè hæresim docuit Marcellinus, sed negatio eius similis fuit negationi Petri ob metum, & exteriùs tantùm facta, retenta semper in corde vera fide; quem adhùc errorem Petro similis non solùm lachrymis, sed etiam sanguine martyrium passus expiauit; quod debuissent laudare, & admirari Magdeburgenses, nec non imitari eos Episcopos Sinuessæ congregatos, quorum nullus Marcellinum damnare ausus est, sed omnes vna voce clamarunt: Tuo te ore, non nostro iudicio iudica: nàm prima sedes à nemine iudicatur. Petrum quoque propter eamdem animi infirmitatem deliquisse, & à Deo similibus lachrymis, quibus ipse profusis scelus suum palàm confessus erat, veniam impetrasse.

§. IV.

Romani Pontifices quarti Seculi ab erroribus in fide liberi declarantur.

ETsi Magdeburgenses Cent. 4. capit. 10. non audeant quidquam de Liberio definire, Tilmannus tamen Hehusius lib. 1. de Ecclesia cap. 9. audacter affirmat, eum Ariana hæresi infectum fuisse, cui sententiæ videntur suffragari multi, ijque grauissimi Scriptores, indeque quasi certa reddi, quòd Felix II. Liberio viuente Pontificatum legitimè gesserit; quod fieri nequaquam potuisset, nisi eo tempore Liberius hæreticus fuisset, atque adeo propter hæresim Pontificatu excidisset.

Vt huic satisfaciamus argumento, cum de Liberio duo sint certa, vnum in dubium reuocatur, vt rectè aduertit Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Rom. Pont. capit. 9. Primò, certum est eum ab initio Pontificatus vsque ad exilium, quod pro fide Catholica pertulit, acerrimum eius defensorem fuisse, vt testantur innumeri penè Auctores à præfato doctore citati, nec non à Iodoco Coccio in thesauro Catholico lib. 7. de Hierarchia Ecclesiæ art. 11. vbi videri possunt. Secundò certum est eumdem Liberium post reditum ab exilio fuisse etiam verè orthodoxum, & pium, talemque mortuum fuisse; id ita testantibus grauissimis illius temporis Scriptoribus, Ambrosio lib. 3. de Virginibus, in principio, vbi sic ait: [Tempus est soror, sancta beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quò vir san-

sanctior, eò sermo accedat gratior.] Epiphanio hæresi 75. Basilio epist. 74. ad Episcopos Occidentis; nec non Siricio, qui tertius fuit à Liberio in epist. ad Hymericum, vbi eum appellat venerandæ memoriæ prædecessorem suum; quod verè dici non posset, si in hæresi diem vltimum clausisset.

Hæc, inquam, certa cum sint de Liberio, vnum remanet dubium, an videlicet medio tempore, id est, in ipso reditu ab exilio aliquid egerit contra fidem. Sulpitius enim lib. 2. sacræ historiæ, Socrates lib. 2. histor. Ecclesiast. capit. 29. Sozomenus lib. 2. capitulo 16. & 17. Nicephorus lib. 9. cap. 35. & sequent. indicant Liberium semper eumdem fuisse, nec vmquam de fidei constantia remisisse. Athanasius autem in epist. ad solitariam vitam agentes, Hilarius in lib. aduersùs Constantium, Hieronymus in Chronico, & in Cathalogo Sciptorum, in Fortunatiano apertè dicunt, eum tædio exilij inflexum tamdem fuisse ad subscribendam Athanasij damnationem; licèt Ruffinus lib. 10. cap. 27. hist. affirmet, se non potuisse certò cognoscere, an Liberius talem fecisset subscriptionem.

Qua adhuc secunda sententia, vt probabiliori admissa, non sequitur Liberium, aut hæresim docuisse, aut verè hæreticum fuisse, sed solùm peccasse, vt de Marcellino diximus, actu externo, quatenus victus tædio exilij, cum Arianis communicauit, & in Athanasium latam ab ijsdem sententiam ratam habuit; id apertè testantur, tum quæ ipse scripsit Liberius in epistolis ad Athanasium, epist. 1. ad Orientales Episcopos, epist. 2. ad Vrsacium, Valentem, & Germinium, nec non 3. ad Vincentium Episcopum Capuæ; tum etiam, quæ Athanasius in citata ad solitariam vitam agentes epistola, his verbis: [Ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercerunt, nulla reuerentia ducti, vel quòd sedes illa Apostolica esset, vel quòd Roma Metropolis esset Romanæ ditionis. Nam cùm Liberium vidissent Orthodoxum, & osorem quidem Arianæ Sectæ, studiosum verò in hoc, vt cunctos ab ea hæresi retraheret, ista secum impij cogitarunt: Si Liberium in nostram sententiam traxerimus, omnes breui superabimus, &c. Trahitur Liberius ad Imperatorem, quò cum peruenisset, magna quoque, & ibi dicendi libertate vsus est: Desine, inquiens, persequi Christianos, ne tenta per me hæreticam impietatem in Ecclesiam introducere. Ad omnia potiùs sustinenda parati sumus, quàm nos Christiani eò deueniamus, vt Ariani appellemur: ne coge nos fieri perduelles. Hoc tibi suademus, ne pugnes contra eum, qui tibi hoc imperium dedit, &c. Liberius post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est. Verùm illud ipsum quoque, & eorum violentiam, & Liberij in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, cùm liberos affectus habebat, satis coarguit: quæ enim per tormenta contra priorem sententiam extorta sunt, eæ iam non metuentium, sed ita cogentium voluntates habendæ sunt.] En quomodo ex Athanasio, Liberius quidem cum Petro, & Marcellino in actu externo errauit, subscribendo damnationi Athanasij, & communicando cum Arianis, sed animo semper fidem retinuit.

Id insuper clarè patebit consideranti, tres fidei formulas in Sirmiensi conuenticulo fuisse editas. Prima scripta est à Marco Arethusio ad confutandas omnes Photini blasphemias; secunda, quam refert sanctus Hilarius nomine Osij, & Potamij: tertia, qua secunda est emendata. In prima egregiè expressum, atque testatum est nomen substantiæ filio cum Patre communis, proindeque Hilarius, eam interpretando, Catholicam probat: in secunda sublatum est nomen substantiæ, nec non similitudinis; in tertia verò asserta est omnimoda filij cum Patre similitudo: secunda confestim ab ijsdem, qui conscripserant, explosa, sublatis etiam omnibus eius, ne vulgarentur, exemplaribus edicto Constantij: Vnde Liberius Berœa è Thracia ab Imperatore Sirmium accersitus, non potuit secundæ fidei formulæ subscribere, quam ijdem, qui scripserant, & ediderant, fuerant detestati, sed primæ solùm, & tertiæ, quæ etsi non haberent vocabulum omousios, tamen Catholicæ erant, & eas exponit Hilarius in lib. de Synodis, nec non Epiphanius hæresi 71. vt Catholicas; per hoc igitur, quod Liberius illis assenserit, nec hæresim docuit, nec hæreticus fuit.

Immò ex Sozomeno lib. 4. capit. 14. & Nicephoro Callisto lib. 9. capit. 37. Liberius non modò non subscripsit confessioni Arianę sed etiam antequam Sirmio discederet, [Scripsit fidei professionem, quæ omnes ab Ecclesiæ communione arcebat, qui filium Patri non secundùm substantiam, & per omnia æqualem dicerent:] Quod ea potissimùm de causa fecisse præfati narrant Historici, quia Ariani falsum rumorem sparserant Liberium docere cœpisse, filium non esse Patri consubstantialem, eo quod Nicænam vocem illam Consubstantialitatis reticuisset. At cùm aliud sit dicere Liberium reiecisse, aut damnasse in filio nomen Consubstantialitatis cum Patre; aliud vocem illam silentio suppressisse; primum enim ipsum reddidisset hæreticum; minimè autem secundum, siquidem asserere filium esse eiusdem cum Patre substantiæ, idem est, filium esse Patri consubstantialem; inde manifestè patet Liberium nequaquam hæresim docuisse, aut hæreticum fuisse. Etsi enim, quod tunc hæretici in alium sensum substantiæ vocem inflecterent, maioris ponderis esse Patribus visum fuerit, dicere consubstantialem Filium, quàm eiusdem substantiæ; numquam tamen propterea hæreticum fuit dicere, Filium eiusdem esse substantiæ, sed maximè Catholicum; quod enim hæretici aliquo interdum nomine subdolè vtantur, eorum malitia nequaquam inuertere potest legitimum, atque germanum sensum, qui natura, atque vsu ipso vocibus inest: sicut nec ob eam causam, quod ijdem hæretici abutuntur diuina Scriptura, & ex ipsa hæreses suas efformant, Catholici eadem vti prohibentur.

Sicut enim Liberius conmmunicando, cum hæreticis in ijs rebus, in quibus hæretici non erant, aut saltem Catholicos se esse fingebant, vt vidimus, & ipsemet Liberius ait in epistolis suis, se communicasse cum Episcopis Orientalibus, quia inuenit eorum fidem congruere cum Catholica, & alienam esse ab Ariana perfidia: sicut, inquam, propterea à

nullo

nullo prudente viro iudicari debet expressè hæreticus, ita nec ob subscriptionem in damnationem Athanasij. Nam etsi hæretici persequerentur Athanasium causa fidei, tamen non causam fidei, sed alia crimina circa mores prætexebant; & Liberius propter illa consensit in damnationem Athanasij, non autem propter fidem.

Nihilominus etsi Liberius perseuerauerit in fide semper Catholicus; quia tamen duo prædicta commisit mala; primum subscribendi in damnationem Athanasij, quem sciebat causa fidei persecutionem pati; secundum communicandi cum Vrsacio, & Valente, quos non ignorabat hæreticos esse, quamuis illi aliud se esse simularent; Indè facilè credi potuit à fidelibus eum interpretatiuè in hæresim consensisse, quod sufficiebat, vt in eius quoque locum tunc substitueretur Felix eius nominis Secundus, natione Romanus, Anastasij filius; admiranda prorsùs in eis resplendente summa Dei prouidentia, qua semper Romanam Ecclesiam moderatus est. Quippè labefactato ex Arianorum communicatione, & si non hæresis participatione Liberio; Felicem, antea eorumdem communicatione coniunctum, excitauit ex aduerso, sicque ad pugnam roborauit, vt cùm eos omnes, tum eorum Principem Constantium Anathemate feriens, pro mercede coronam martyrij fuerit adeptus. Vnde, quod pertinet ad tempus Sedis Felicis; hoc quidem debet omnibus esse exploratum, totum illud biennium, quo sedit ab Arianis intrusus, cùm Liberius legitimus Pontifex Beroeæ exularet, nequaquam in numerum annorum esse computandum: sed eius Sedis initium accipi debere, cum audita Romæ dicta Liberij præuaricatione, à Clero, Populoque Romano legitimus Pontifex declaratus est anno Christi 357. Liberij 6. ad quem excludendum satis fuit error in foro externo: nam cùm visibile caput esset, ac in foro illo visibili defecisset, præcidi potuit ab Ecclesia visibili. Ecclesia enim de actu interiori non iudicat, sed de exteriori. Quare Felix in eius locum subrogari potuit, dum Liberius erat in errore illo externo; quia tamen tempus Sedis eius per annum vnum, menses tres, totidemque dies, vt habetur in libro de Romanis Pontificibus, fuit inclusum Pontificatu Liberij; vel etiam ex eo, quod eiusdem ingressus fuerat vitiosus; vel tamdem, quòd viuente Liberio nullatenus, vt vidimus, hæretico, nisi quadam præsumptione, credi tunc potuit, Felicem non tam Romanum Pontificem, quàm Corepiscopum fuisse, nam nonnisi excluso Liberio, intrare ipse potuit; inde forsan Optatus Mileuitanus lib. 2. contra Parmenian. & August. ep. 165. cum recensent seriem Romanorum Pontificum, post Liberium, omisso Felice, mox Damasum ponunt. Felice autem defuncto, nullus in locum eius subrogatus est, quòd Liberius, abrupta penitus, quæ recipiendæ Sedis causa intercesserat cum Arianis extrinseca communicatione, manente semper intacta eius fide, ab omnibus legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, vt erat antea, cognitus, & acceptus fuerit; vixitque inde nouem adhuc annos in Pontificatu.

Ex quibus clarè intelligitur, non esse sancti Hilarij, quæ in textu epistolæ Liberij ad Orientales legunt in incerto, & omni ex parte mutilato libello de Synodo Ariminensi sub nomine Hilarij edito. Vbi enim profitetur Liberius, se recepisse confessionem Sirmiensem à Demophilo Episcopo sibi oblatam, ista intexuit mira audacia, qui exscripsit: [Hæc est perfidia Ariana; hoc ego notaui, non apostata,] & paulò post: [Anathema tibi à me dictum Liberi, & socijs tuis:] ac rursum inferiùs: [Iterùm tibi anathema, & tertiò, præuaricator Liberi.] Præter enim quod ista valdè sunt aliena non solùm à modestia, sed & à maiestate Hilarij styli; quomodo quis credere potest ista ipsius esse, quippè qui perfidiam illam Sirmiensem, non Demophili, sed Osij, & Potamij fuisse affirmat libro de Synodis, vt notauimus supra; quam cùm ipse Demophilus, vnà cum alijs suis Semiarianis sit magnoperè detestatus; quis affirmabit eam ipsum obtulisse Liberio subscribendam, & non potiùs suam Semiarrianorum, quæ fuit, vt etiam diximus supra, Prima Sirmiensis nominata, quam & Hilarius cognouit esse Catholicam? quippè cui nihil deesset præter vocem Consubstantialis: vnde etiam ex hac parte Vigilius Episcopus Tridentinus lib. 5. aduersùs Eutych. eamdem Sirmiensem Synodum nouit esse Catholicam; cuius decretis obniti, nihil aliud esse dixit, quàm velle cum Photino damnari: illo enim tempore cùm Ætius in Syria, & Photinus in Illyrico diuinitatem à filio Dei penitùs reiecissent: Eleusius autem Episcopus Cyzicenus, ac Socij eius professi essent Sirmij vnam filij cum Patre substantiam, in hoc habitos esse à nostris Catholicos testatur Hilarius citato libro de Synodis, dum ait; præter Eleusium, & paucos cum eo, ex maiori parte Arianos Episcopos, verè Deum nescisse: idemque Eleusius à Sozomeno citato lib. 4. cap. 14. inter illos recensetur, qui Liberio ob pacem Ecclesiarum persuaserit vocem consubstantialis prætermittere, quo in eamdem fidem simùl conuenientes, aduersùs Photinianos, & Ætianos bellum gererent: quibus tamen sic Liberius ex dictis assensus est, vt quo substantiæ nomini benè consultum esset, [Ecclesia, inquit idem Sozomenus, interdixerit omnibus, qui filium Patri non substantia, & cæteris rebus omnibus similem asseuerarent.] Præfatum quoque libellum de Synodo Ariminensi, esse potiùs Hilarij Luciferiani, aut sanè hæc insipida, quæ retulimus additamenta, non esse Hilarij Pictauiensis multis ostendit Cardinalis Perronius in respons. ad Reg. Mag. Brit. lib. 1. cap. 27. Et hæc sufficiant pro defensione conseruatæ à Liberio fidei Catholicæ apud Sirmium.

Iam quod spectat ad Felicem Romanæ Ecclesiæ Diaconum; vbi primùm in Liberij locum in exilium pulsi suffectus est, id operante, vt tradit Hieronymus de script. Eccles. Acacio Episcopo Cæsariensi in Palæstina, eum quoque Liberius, quàm par erat, Arianis communicasse, & ex eorum voluntate damnationi Athanasij subscripsisse fatemur quidem; tunc tamen, etiam si verus adhuc non esset Pontifex, nec posteà, vbi pro tali, vt diximus supra, à Clero, Populoque Romano agnitus est, à fide Catholica defecisse, aut in hæresim defecisse, plusquam clarè

tè demonstrant antiquæ historiæ Ecclesiasticę monimenta. Ruffinus enim ijs omnibus, qui de hac materia scripserunt Auctoribus antiquior ait lib. 1. cap. 22. [In Liberij locum Felix Diaconus suus ab hæreticis subrogatur, & non tam sectæ diuersitate, quàm communionis, & ordinationis conuenientia maculatur.] Theodoretus lib. 2. cap. 17. [Successum est, inquit, Liberio à fideli quodam illius Diacono, nomine Felice, qui tametsi fidem in Concilio Nicæno expositam ipse seruauit integram: tamen cum illis, qui eamdem labefactare studebant, liberè communicauit. Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.] Idem asserit Sozomenus lib. 4. cap. 10. [Itaque hac de causa Liberius Ecclesiæ Romanæ Episcopatu priuatus est, cui pręficitur Felix illius Cleri Diaconus: quem aiunt fidei Nicæni Concilij semper consensisse, & omninò, quantum pertinebat ad religionem, reprehensione caruisse, atque ob id solùm in crimen vocatum esse, quod non modò Arianos ministros Ecclesiæ ordinaret, verùm etiam, quòd eorum communione vteretur:] ob quam pariter causam Socrates libro 2. cap. 29. ait eum fuisse [Arianæ sectæ addictum;] Idem penitùs, qui deinceps secuti sunt Scriptores docuerant, Gregorius Magnus in Antiphonario, & Sacramentario, vbi ponit integrum officium Ecclesiasticum legẽdum ad Missam in die sancti Felicis Pontificis, & Martyris 4. Kalend. Augusti; Beda, Vsuardus, & Ado Treuirensis in Martyrologijs; Platina in eius vita: [Felicem, inquit, profectò Catholicum fuisse constat, & Arianos semper damnasse: qui postremò, cùm nulla in re Orthodoxæ fidei deesset, ab aduersarijs captus, vnà cum multis secum benè sentientibus interficitur.] Nicephorus Callixtus lib. 9. cap. 35. [Felix Romanæ Ecclesiæ Diaconus administrationem Liberij sortitus est: qui Nicænam quidem fidei professionem retinebat, & in religione reprehensione carebat: vnum tamen illud vitio ei vertebatur, quod, priusquam Episcopus creatus esset, cum diuersæ opinionis studiosis communicare sustinuerit.] Tandem Cœsar Cardinalis Baronius, tum in Annalibus, tum in Martyrologio; [Cùm Romæ, inquit, anno 1582. de corrigendo Martyrologio Gregorij XIII. iussu ageretur, & de Felice II. ambigeretur, an de Martyrologio amouendus esset; ecce tibi pridie, aut summum biduò, antequam eius memoria celebratur, qui dies est 29. Augusti, cum in æde Sanctorum Cosmæ, & Damiani aram peruetustam, vt sacellum illud instaurarent: fabri demolirentur, subter basim, quæ aram sustinebat, effossi sunt duo loculi, quorum alter habebat hanc inscriptionem:] Hic requiescit S. Felix Papa Mart. qui damnauit Constantium hæreticum. [Ex qua inuentione, quæ miraculi loco habita est, & ex rationibus, & auctoritatibus ab illis, qui eum in Martyrologio retinendum censebant, allatis, censuit Pontifex Maximus nullo modo remouendum.]

Nec ab his dissentit Hieronymus in Cathalogo Scriptorum in Acatio: vbi ait, eum, in tantum sub Constantio Imperatore claruisse, [vt in Liberij locum Romæ Felicem Arianum Episcopum constitueret;] primùm enim dici potest Hieronymum eo sensu Felicem Arianum vocasse, quo supra Socrates dixit eum fuisse Arianæ sectæ addictum; nimirum quòd illis Arianis, à quibus in eam Sedem euectus erat, communicaret, & ex eorum voluntate damnationi Athanasij subscripsisset. Secundò respondetur vocem illam [Arianum] additam ad nomen Felicis, non esse Hieronymi, sed aliunde irrepsisse: si quidem non habetur in Sophronio, qui hunc librum adhuc viuente Hieronymo in Græcam linguam vertit: insuper Martinus Victorius annotat multa exemplaria manuscripta nõ habere dictam vocem: & quod maximi faciendum est Freculphus Lexouiensis to. 2. lib. 4. cap. 8. & Ado Viennensis in Chronico ætate 6. referentes ad verbum totum hunc Hieronymi locum, non habent vocem [Arianum.] Tandem quis prudens facilè credat Hieronymum, & Ruffinum in historia vtrique notissima tantoperè discrepare, vt vnus neget, quod alter affirmat; sicut accideret si D. Hieronymus illa voce in suo rigore vsus fuisset; hoc est ad significandum non solùm externam Felicis cum Arianis communicationem, verùm etiam in hæresi participationem.

Tertiò, quamuis etiam Felix tempore suæ intrusionis verè Arianus fuisset, (quod hactenus tamen probatum non est) nihil id Sedis Apostolicæ, quam defendimus indeficientiæ obesset. Constat enim, eo tempore, vt diximus supra, Felicem schismaticum, non autem verum, ac legitimum Pontificem extitisse. Duo siquidem simul esse non possunt: viuebat autem tunc, & verus Pontifex erat Liberius. Quocirca (vt ex Theodoreto dictum fuit) nemo Catholicorum Romæ cùm Felice eo tempore communicare volebat. Cæterùm ex eo tempore, quo Romanus Clerus abrogata Liberio Pontificia dignitate, propter pacem cum Arianis initam, ad Felicem se contulit, quem Catholicum esse sciebat, atque adeò cæpit verus Pontifex esse, non solùm hæreticus non fuit, sed hæreticos Arianos, eorumque tunc Principem Constantium anathemate feriens, Martyrij palmam consecutus est.

Siricio tribuit Caluinus lib. 4. institut. cap. 12. §. 24. quòd in epistola ad Hispanos, connubia pollutiones appellauerit, sed Caluinum aperti conuincit mendacij textus ipse, cùm expressè loquatur de illicita coniunctione eorum, qui post peractam publicam pœnitentiam iterum redeunt tamquam canes, & sues ad eamdem coniunctionem, propter quam pœnitentiam egerant. Nullus autem pœnitentiam vnquam egit, quòd legitimum inierit matrimonium.

§. V.

Quod Romani Pontifices quinti seculi ab erroribus in fide fuerint immunes.

INnocentio I. tria solent ab aduersarijs obijci; Primum, quod epist. 2. cap. 12. præceperit ne Sacra Virgo iam velata, quæ nupserit, aut fornicata sit, ad pœnitentiam recipiatur, donec viuit ille, cum quo ipsa peccauit; quæ est hæresis Nouatiana. Secundum, quod in epist. 18. ad Alexandrum Antiochenum scripserit ratum quidem esse Arianorum baptismum, sed non conferri per eos Spiritum Sanctum, quia se ab Ecclesia separauerunt, vbi dum causam non recipiendi gratiam, & effectum Sacramenti reijcit in ministros, videtur apertè fauere hæresi Donatistarum, & aliorum docentium efficaciam Sacramentorum pendere à bonitate ministri. Tertium, quod epist. 22. cap. 1. prohibuerit ne quis vxorem viduam habens Sacerdos fiat, fiat tamen si virginem duxerit; quasi Christiani teneantur adhuc legibus Mosaicis, inter quas hæc habetur Leuit. 21. ibi citato.

Ad primum facilè respondetur, cum loqui de Virginibus, quæ nolunt separari ab adultero post lapsum, quæque proinde sunt in occasione proxima peccandi, non auferenda nisi per mortem eius, & ideò nonnisi post illam absolui debent, vt satis per se patet; neque enim ab Ecclesia absoluuntur ij, qui in peccato, aut in occasione proxima peccandi voluntariè, nullaque necessitate adacti perseuerare volunt.

Secundum etiam omni prorsùs caret errore, illo enim tantùm prohibetur, ne bigami iuxta præscriptum Apostoli ordinentur. Nomine autem bigami venit in iure, qui viduam in vxorem duxit; quòd autem Innocentius vsus fuerit auctoritate Leuitici, noluit inde significare nos teneri legibus Iudaicis, sed arguere à simili, imò potiùs à maiori, quòd si tenebantur Sacerdotes veteris legis ex diuino præcepto, nòn accipere vxorem viduam, multò magis id requiri ab Ecclesia in Sacerdotibus nouæ legis, propter supereminentem Sacerdotij Christiani dignitatem, & excellentiam. Præfatus igitur locus in exemplum quidem, & à fortiori trahitur, non in obseruationem legis: quòd si in præceptum venerit, non propterea seruatur lex Iudaica, sed ratio legis, quæ non repugnat legi gratiæ.

Tertium, etsi maiorem aliquam difficultatem præseferre videatur, non minori tamen facilitate soluitur; primò enim respondent Bellarminus, & Binius, alijque cùm illis, Innocentium locutum fuisse de ijs, qui baptizantur, vel ordinantur polluti eadem hæresi, neutri enim recipiunt gratiam, quamquam verè ministrent, aut recipiant Sacramentum; secundò Suarez de Sacramentis disp. 14. sect. 4. Vasquez de Sacramento Ordinis disp. 243. cap. 1. & post ipsos Pater Franciscus Macedo Theologiæ Positiuæ scola 7. cap. 3. respondent sermonem ibi esse tam de laicis ab Arianis, & hæreticis baptizatis, quàm de Clericis ab ijsdem ordinatis, venientibus posteà ad communionem Ecclesiæ Catholicæ; qui, cùm in hoc vtrique pares essent, quòd venirent Sacramentis validè acceptis, sed sine gratia Dei, quam non poterant recipere extra Ecclesiam Catholicam; in hoc tamen differebant inter se, quòd laici admissi in Ecclesia recipiebant gratiam, erantque ex integro Catholici sicuti cæteri, qui erant in Ecclesia; at clerici, & si reciperent gratiam, non tamen obtinebant gradum, in quo fuerant ordinati, sed tamquàm laici manebant in Ecclesia; vndè ratio allata ab Innocentio referenda est ad Sacramentum ordinis, non autem Baptismi, nec ad carentiam gratiæ, vel characteris, sed ad priuationem muneris Ecclesiastici, ita vt venientes ad Ecclesiam manerent ordinati, & sanctificati, sed priuati vsu, & exercitio dignitatis; id enim ius, vt per hæresim ordinator perdit, ita nec tribuere posse, quod ipse ampliùs non habet, significare voluit Innocentius.

Cœlestinum Nestorij hæresi infectum fuisse contendit Laurentius Valla in declamatione de falsa Constantini donatione; sed est apertum mendacium, tantùm enim abest, quòd fuerit vmquam de hac hæresi notatus, vt ipse præcipuus, acerrimusque ipsius persecutor, & damnator extiterit, vt patet ex Prospero in Chronico anni 431. & ex actis Concilij Ephesini, superiori capite suo loco adductis; forsan nominis similitudo Vallam decipere potuit: alter enim extitit Cœlestius Pelagianus, in quo quidem plurima Nestorianis communia inuenta fuisse referuntur; sed hic Pontificiam Petri Sedem numquam ascendit.

Leoni etiam Magno obijciunt Magdeburgenses Cent. 5. cap. 10. quòd in epist. 79. ad Nicetum, docuerit, eas mulieres, quæ putantes maritos suos esse defunctos, aut numquam redituros ex captiuitate, nupserunt alijs, non peccasse, tamen si mariti earum redeant, teneri eas ad primum connubium renonandum. Si autem eas non velint, non teneri. Vbi duo grauissimi errores contineri videntur. Vnus, quòd mulier non peccet, si nubat alteri viro, quando existimat primum maritum adhuc viuere, sed numquam rediturum: Alter quòd mulier possit manere cum secundo viro, si primus eam nolit. Verùm hæc solo calumniandi animo obijci, constat ex ipsomet epistolæ textu; cùm enim asserit Leo, non peccare mulierem, quę nubit, viuente adhuc priore viro, loquitur de illa solùm, quæ nubit, quia putat primum maritum esse defunctum: de illa autem, quæ nubit, quia credit maritum suum numquam reuersurum, non dicit peccare, neque non peccare, quia supponebat rem per se esse notam, nimirum eam peccare. Quòd autem in tali casu, si alter coniugum velit redire ad coniugium, doceat teneri alterum necessariò parere, si verò neuter velit redire, posse eos separatos manere, quoad vsum coniugij, malè inferunt aduersarij, posse ex Leone, mulierem manere cum secundo marito; quandoquidem expressè asserit, primùm matrimonium esse insolubile, necessariòque repetendum, posteriore soluto.

Iidem Magdeburgenses Cent. 5. cap. 4. Gelasio duos affingunt errores; vnum in libro contra Eutychem, vbi cum carne Christi manere in Sacramento Eucharistiæ panem testari videtur; Alterum apud Gratianum dist. 2. can. comperimus; vbi docet non posse sumi vnam partem Sacramenti Eucharistiæ sine altera; aut enim Gelasius errauit in his duobus, aut errant modò Catholici, qui contrarium sentiunt, & sequuntur.

Ad primum respondetur librum illum non esse Gelasij Papæ; siquidem composuit grande, & præclarum quinque librorum volumen aduersùs Eutychem, teste Gennadio de Scriptor. Ecclesiast. cap. 14. hic autem liber, qui ei tribuitur vnus est, isque exiguus, ac proinde diuersus deinde cum in eo sæpiùs laudentur scripta Eusebij Cæsariensis, quæ Gelasius inter Apocrypha recensuit, patet non esse huius libri auctorem. Hoc inter Doctores cùm sit certum, quodque dicti etiam libri auctor sit Græcus, quia citat in eo quindecim Patres Græcos, Latinos verò dumtaxat duos, Ambrosium, & Damasum, omissis Cypriano, Hilario, Hieronymo, Augustino, Innocentio, Leone, Prospero, & similibus, quos numquam Latinus auctor omisisset; dubitatur, quisnam sit ille auctor in particulari, aliqui enim, vt Vasquez de Sacramento Eucharistiæ disp. 18. cap. 1. asserunt esse Eusebium Cæsariensem; Bellarminus Gelasium Cæsariensem Episcopum, cuius meminit Diuus Hieronymus circa finem Catalogi Scriptorum Ecclesiasticorum; Verùm nec Eusebium, nec Gelasium Cæsariensem huius libri auctores fuisse videtur apertè constare, ex eo quod in illo, vt statim dixi, citatur, & laudatur Eusebius Cæsariensis; alius igitur ab eo, illoque posterior fuit præfati libri auctor, nec non etiam Gelasio Cæsariensi, cùm Eutyches multò post ipsos fuerit, vnde ab illis libri aduersùs eum compoui non potuere. Dicendum est ergo cùm Baronio, qui rem diligentissimè inuestigauit, auctorem dicti libri esse Gelasium Sicyzenum, qui Acta Niceni Concilij scripsit, quæ extant primo tomo Conciliorum, idque apparet ex præfatione in vtrumque opus. Floruit hic tempore Basilisci anno 496. quo Eutychiana reuixit hæresis. Sed esto Gelasius Papa admitteretur pro adducti libri auctore, adhuc locus ex illo citatus non conuincit Nouatorum intentum, cùm enim expressè dicat: [Panem transire in diuinam substantiam Spiritu Sancto perficiente; quando subiungit, permanente tamen in sua proprietate naturæ;] nomine proprietate naturæ debent necessariò intelligi accidentia, & effectus panis, quia nimirum alit, & videtur, non autem ipsa eius substantia, quomodò enim permanere potest si iam transijt in diuinam substantiam, hoc est in Christi carnem diuinitati vnitam, Spiritu Sancto tantum opus perficiente. De quo vide Bellarminum lib. 2. de Sacramento Eucharistiæ cap. 27. & Baronium ad ann. 436.

Ad secundum respondetur primò, Gelasium in eo canone loqui solùm de Sacerdotibus, non de alijs; debent autem Sacerdotes, vbi sacrificant, vtramque speciem conficere, & sumere, aliàs redderetur imperfectum sacrificium. Ita Diuus Thomas 3. par. quæst. 80. art. 12. ad 1. quem sequuntur Suarez disput. 80. sect. 2. & Vasquez disput. 206. cap. 2. alijque communiter. Secundò responderi potest Gelasium ibi loqui de Manichæis occultis, qui sumpto solo Christi corpore abstinebant à sanguine; tali enim superstitione cùm docerent in Christo verum sanguinem non esse, meritò Gelasius iussit eos sub vtraque specie communicare, reprehenditque non facientes, ne videretur eorum superstitioni, & errori conniuere. Qua item ratione iam Leo I. epist. ad Maioricum, & Ioannem, eam formam communicandi sub vtraque specie seruari præceperat, vt vitaret errorem Manichæorum. Ita enim Catholici docent communionem sub vtraque specie esse licitam, & in aliquo interdum casu præcipi posse, vt solùm negent vllo diuino præcepto laicos, & clericos non conficientes ad illam teneri: de quo redibit sermo suo loco lib. 4. sect. 9. tomo 5.

Anastasius II. accusatur, quòd Nestorianis fauerit duplici de causa: prior, quia voluit in sedem Constantinopolitanam Acacium Nestorianum restituere, quem damnauerant Felix, & Gelasius Papæ; Posterior, quia approbauit Baptismata, & ordines collatos ab eodem Acacio. Verùm cùm falsitas vtriusque rationis facilè detegatur, id quod ijs innititur falsum quoque esse manifestè ostenditur; prioris quidem, ex eo quòd iam obierat Acacius, tempore nimirum Felicis Papæ, testibus Euagrio, Nicephoro, & Liberato; quando ad apicem Pontificatus euectus est Anastasius: si quis dicat hac responsione conuictus, non potuisse quidem Anastasium Acacium iamdudum defunctum in suam sedem reuocare, sed ad sacra dyptica eius memoriam referre voluisse; hoc non minùs commentitium est, tantum enim abest, vt illud tentauerit Anastasius Pontifex, quin imò Anastasium Imperatorem, per Legatum enixè rogauit, quatenùs nomen Acacij è sacris illis dypticis penitùs eraderetur, nullaque illius memoria vnquam in Ecclesia fieret, quandoquidem iustissimè à Felice Papa prædecessore suo fuerat condemnatus.

Posterioris etiam rationis vanitas apparet; ex hoc quod legitimè potuit, imò debuit Baptismi, & Ordinis Sacramenta ab Acacio collata, tamquam reipsa valida defendere, cùm sit traditionis Apostolicæ, Sacramenta ab hæreticis, nihil essentiale omittentibus collata, non esse irritanda, aut iteranda, vt varijs olim Concilijs sub Stephano Papa celebratis definitum fuit. Quòd igitur Gratianus distinct. 19. can. Ita Dominus, dixerit, errasse in hoc Anastasium, imperitum se prodidit Theologum, iureque meritissimo ab emendatoribus decreti redargutus est. Non enim definiuit ordinatos ab Acacio post latam in ipsum sententiam suis ordinibus legitimè fungi potuisse, hoc enim canonibus antiquis palam aduersabatur, & etiamnum cernimus eos, qui à similibus Episcopis per sententiam, scilicet iudicis damnatis ordines suscipiunt, à diuinis esse suspensos, & si celebrare præsumant, fieri irregulares. Sed tantùm statuit firmam esse Sacramenti Ordinis, vtpote characterem imprimentis, gratiam ab Acacio traditam, nec ipsum Sacramen-

tum esse vllo modo iterandum; quod est verissimum, & antiquis etiam canonibus prorsùs consentaneum, hæc duo expresè distinguentibus, nimirum Sacramentum Ordinis, necnon perfectionem, ac plenitudinem eius, consistentem in vsu, & exercitio gradus, vel dignitatis per ordinem receptæ; primumque validè conferri posse à ministris Hæreticis, aut priuatis Ecclesiasticis gradibus, non autem secundum, vt iam supra vidimus, declaratum fuisse ab Innocentio I. cuius auctoritatem posteà secutum est Concilium Suessionense sub Leone IV. vbi ordinati ab Ebone Rhemensi Archiepiscopo deposito declarantur priuati Ecclesiasticis gradibus, verba Concilij sunt: [Surgens Emmo Nouiomegensis Episcopus porrexit rotulam auctoritatem canonicam, & Apostolicam continentem, quòd qui ab ipso voluerant, & visi fuerant ordinati in gradus Ecclesiasticos, ab eodem, quod idem non habuit, nemo eorum accipere potuit: damnationem vtique, quam habuit per prauam manus impositionem eis dedit, quia qui particeps est damnationis, quomodo debeat honorem accipere, vt Innocentius Pontifex dicit, inueniri non potest.] Et ita quinta actione. [Canonica, & Apostolica authoritate inuentum, & decretum est à sacratissima Synodo, vt quicquid in ordinationibus Ecclesiasticis idem Ebo post damnationem suam egerat, secundùm traditionem Apostolicæ Sedis, vt in gestis Pontificum legitur, præter sacrum Baptisma, quod in nomine Sanctissimæ Trinitatis perfectum est, irritum, & vacuum habeatur, & ordinati ab eo in quamcumque terrarum partem profugi agentur, vel vagati sint, quia diuinum iudicium effugere nullatenùs possunt, Spiritus Sancti iudicio Ecclesiasticis gradibus priuati habeantur.]

Quibus adhuc verbis aliud continetur discrimen Baptismi ab ordinatione, quod, solus Baptismus cùm validè conferatur etiam à degradato, & laico, non verò ordines integri, scilicèt quoad eorum vsum, & exercitium, ab Episcopo deposito, indè Clerici ab Hæreticis ordinati, quando veniebant ad Ecclesiam Catholicam, priuabantur communione ordinum, vbi Laici baptizati nulla re priuabantur: Quod stabilitum quoque reperitur à Nicolao I. epist. 9. vbi ait: [Photium ordinatum ex Laico in Episcopum nihil percepisse à Gregorio anathematizato, nisi quantum Gregorius habuit: nihil autem habuit, nihil dedit.] Idem habetur in octaua Synodo Act. 7. vbi de Photio, & Gregorio agitur eisdem Nicolai verbis, quorum sensus conferri quidem ordinem, & characterem: non tamen gradum, & dignitatem; Et quidem Sedes Apostolica noluit vnquam restituere gradibus Ecclesiasticis eos; qui à Photio erant ordinati, vt decreuit Adrianus II. in præfata Synodo VIII. act. vltima; cùm tamen ritè baptizati à quocumque reciperentur ad Integrum in Ecclesiam; nimirùm, quia in Baptismo, vt statim dicebam, totum erat Sacramentum, at verò in ordine vltrà rationem Sacramenti erat dignitas, iurisdictio, & gradus, quæ non sequebantur ordinem collatum ab hæretico, vel deposito. Sed de his satis, ex quibus clarè patet, quàm rectè in fide Catholica, cuncta sibi cohæreant; minimèque in illa errasse, aut dissentisse Innocentium I. & Anastasium II. circà materiam ordinationum,

§. VI.

Romanorum Pontificum sexti Seculi fides oppugnata propugnatur.

Vigilio opponitur ex Liberato in Breuiario cap. 22. quòd epistolam scripserit Theodoræ Imperatrici, & alijs hæreticis, qua ipsorum hæresi confirmata, anathema dicebat ijs, qui duas in Christo naturas confitentur.

Respondetur primò, talem epistolam Vigilij non esse, sed ab hæreticis fuisse confictam, vt eum infamarent; idque Liberatus referre potuit rumori publico credens, tamquam verum, re haud diligentiùs examinata. Fuisse autem hæreticis, Græcis præsertim valdè familiare, vt corrumperent vetera scripta Pontificum, & falsa ijs attribuerent, testantur acta VI. Synodi, actione enim 3. producitur sermo Menæ ad Vigilium falsatus, & inuenti sunt tres codices adulterini, & libri duo nomine Vigilij prorsùs conficti. De quo ibi Legati Romani conqueruntur.

Secundò respondetur, etiam admisso, quòd Vigilius scripsisset illam Epistolam, & damnasset Catholicam fidem, saltem exteriori professione, hoc nihil obesse nostræ causæ. Nam id præstitit, cùm adhuc viueret in exilio Sylucrius Papa, quo tempore consequenter Vigilius ipse Papa non erat, sed Antipapa: Nota quippè historia est, eum ambitione Romani Pontificatus multa indignè molitum, vt eum obtineret: quodque Anthemio hæretico deposito ab Agapeto Romano Pontifice de Episcopatu Constantinopolitano, recusanteque Sylucrio Agapeti successore, à quo Imperatrix petierat, eum restituere, tunc Vigilius id illi promiserit, si posset Romanus Pontifex fieri, at accidit, iussu enim Imperatricis, & opera Belisarij fuit Sanctus Syluerius expulsus de sua Sede in exilium, & in eam non vacuam intrusus Vigilius. Quo tempore, vt dicebam, cùm legitimus Papa non esset, sed potiùs Antipapa, non esset mirum, si errare, in fide, & etiam hæreticus planè esse potuisset. Quamquam ne tunc quidem definiuit aliquid contrà fidem, neque animo hæreticus fuit, vt rectè notauit Cardinalis Bellarminus, colligitque ex Liberato loco citato, & ex ipsa Vigilij epistola. Cæterùm retorto in aduersarios argumento, vbi mortuo iam Syluerio legitimus esse Pontifex cœpit: non ex vi primæ intrusionis, sed eum tunc accipiente, & confirmante Clero, & Populo Romano, nullam prorsùs labem admisit. Imò tam se religiosè, & integrè gessit, vt nihil ex ijs, quæ ante Theodoræ Imperatrici promiserat, præstare voluerit: ac ob id variè ab eadem vexatus, & in exilium missus, & miris modis vsque ad mortem exagitatus fuerit. Vt appareat, inquit Bellarminus, cum ipso Pontificatu firmitatem fidei eum accepisse, & de leui palea in solidissimam petram commutatum fuisse. Qua de causa Vigilium,

post morrem Sylucrij, verum & Sanctum Pontificem fuisse, testantur omnes illi, qui illo ipso tempore viuentes scripserunt aliquid de ipso, Gregorius I. lib. 2. epist. 36. ad Episcopos Hiberniæ, Cassiodorus lib. de diuin. lect. cap. 1. Denique ex Euagrio lib. 4. c. 37. à Vigilio confirmara fuit V. Synodus Generalis Constantinopolitana, in qua damnata est illa hæresis, quam Theodora fouebat, & de qua ipse Vigilius ab aduersarijs accusatur; nec antè illius confirmationem vllum ea robur obtinuit.

Gregorius I. à Durando in 4. dist. 4. quæst. 4. accusatur erroris, quod in epist. 16. lib. 3. ad Ioannem Episcopum Calarit. permiserit Presbyteris conferre confirmationis Sacramentum, quod iure diuino solis Episcopis competit. Propter quod etiam Adrianus ibid. in quæst. de confirmat. artic. vlt. asserit Pontificem posse errare in definiendis dogmatibus fidei.

Respondent aliqui, Gregorium non decretum aliquod de hac re edidisse; sed tantùm concessisse quibusdam Presbyteris, vt absentibus Episcopis confirmarent, proindèque, si in hac re Gregorius errasset, non doctrinæ, sed exempli seu facti error fuisset. Sed meliùs cum alijs dicendum est, tam Durandum errasse, quàm Adrianum, qui vbi talia scripsit, simplex Theologus erat, non autem Gregorium: Etsi enim sanctum chrisma pro confirmatione solus Episcopus conficere possit, sitque etiam solus confirmationis minister ordinarius; extraordinarius tamen, quo ad hoc secundum saltem, esse potest simplex Sacerdos, habens Summi Pontificis commissionem, vt iam notauimus superiori capite, seculo 12. Imò simplices etiam Sacerdotes alicubi olim chrisma confecisse colligi videtur ex Can. 2. Concilij Toletani I. vbi id facere prohibentur, his verbis: [Placuit ex hac die nullum alium præter Episcopum Chrisma conficere:] de quo vide Franciscum Macedo Theologiæ Positiuæ Schola 7. c. 4. sect. 1.

§. VII.

Romani Pontifices septimi Seculi ab omni errore in fide liberi.

Bonifacium V. accusant Magdeburgenses Cent. 7. cap. 12. quod in Epistola ad Eduinum Regem Anglorum, quam refert Beda lib. 2. hist. Anglorum cap. 10. docuerit, Christum à solo originali peccato homines redemisse: Sed apertæ eos calumniæ condemnat textus ipse, quem mendaciter corruperunt de suo addentes illam vocem, solo; in præfata enim Epistola sic habetur: [Accedite ergo ad agnitionem eius, qui vos creauit, qui in vobis vitæ insufflauit spiritum, qui pro vestra redemptione filium suum vnigenitum misit, vt vos ab originali peccato eriperet;] vbi Summus Pontifex, nulla mentione facta aliorum peccatorum, solius meminit originalis, non quia illa à redemptione Christi excluserit, sed quia peccatum originale est principale, totique mundo commune, & plurimi nullum aliud habent, vt omnes pueri, ideoque propter illud principaliter Christum venisse, mortuumque esse communiter docent Theologi 3. parte. Vndè Ioannis 1. vbi legimus, [Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,] Græcum habet, *tin amartian tou cosmou*, id est, peccatum mundi, per illud intellecto ob rationes dictas peccato originali.

Aduersùs Honorium I. tamquam hæreticum Monothelitam plura congeruntur ab aduersariis testimonia. 1. ex duabus Epistolis ipsius ad Sergium, quarum prima extat in VI. Synodo Generali, tertia Constant. act. 12. altera ibidem act. 13. II. ex eadem Synodo VI. act. 13. vbi damnatur Honorius tamquam hæreticus, & comburuntur eius Epistolæ. III. ex Synodo Generali VII. secunda Nicæna pro cultu Sanctarum imaginum, vbi act. 7. anathema dicitur Honorio, Sergio, Cyro, & cæteris Monothelitis. IV. ex VIII. Synodo Generali Constantinopolitana IV. in causa Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani; vbi actione pariter 7. legitur & probatur Epistola Concilij Romani sub Adriano II. Pontifice scripta, in qua asseritur, fuisse Honorium iudicatum post mortem à Concilio VI. quia de hæresi accusatus fuerat. V. ex Epistola Agathonis Papæ ad Constantinum Imperatorem relata in 4. actione. VI. Concilij Generalis contrà Monothelitas, vbi anathema dicit Honorio tamquam eorum sequaci. VI. ex Leone II. qui in Epistola ad eumdem Imperatorem, quæ habetur ad finem præfati VI. Concilij, Honorium execratur, tamquam qui Sedem Apostolicam sua hæresi contaminauerit. VII. tandem testimonium conflatur ex pluribus Scriptoribus Græcis & Latinis, Tharasio Episcopo Constantinopolitano in Epistola ad Patriarchas, quæ habetur in VII. Synodo act. 3. Theodoro Hierosolimæ Episcopo, in Epistola Synodica ibidem, Epiphanio Diacono Catholico, in disputatione cum Gregorio hæretico ibid. act. 6. Psello in carmine de septem Synodis; Venerabili Beda de sex ætatibus, in vita Constantini; qui omnes testantur Honorium fuisse hæreticum.

Aliqui tanta testimoniorum multitudine obruti libenter admittunt, Honorium, vt priuatam quidem personam Monothelismo infectum esse potuisse, nusquam tamen huiusmodi hæresim ex Cathedra definijsse, aut docuisse; sed potiùs oppositum, vt patet ex Epistolis illi tributis inferiùs adducendis. Verùm licèt hæc solutio sufficere posset ad nostrum intentum, hoc est, ad saluandam Pontificiam ex Cathedra indefectibilitatem; nihilominùs quia testimonijs in accusationem Honorij prolatis multùm præponderant, quæ inferiùs in eiusdem adducemus defensionem, absolutè non placet.

Alij igitur propiùs ad verum accedentes respondendum putant de Honorio, quod suprà dictum fuit de Liberio; qui vt non errauit circa fidei professionem, sed tantùm deliquit communicando cum Arianis, & condemnando Athanasium, quod satis Ecclesiæ fuit, vt eum haberet pro hæretico priuato, & Felicem consequenter in eius locum substitueret. Ita quoque docent Honorium non

errasse

errasse in confessione duarum voluntatum & operationum in Christo, sed solùm deliquisse in communicando per literas Monothelitis, & eorum errorem dissimulando, vndè in foro externo illius particeps aliquibus videri potuit, & in eodem consequenter foro condemnari vt talis, à Concilijs, & duobus Pontificibus citatis. Pro hac responsione facit, quod Leo II. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ scribit his verbis: [Qui aduersùm Apostolicæ traditionis puritatem perduelliones exriterant, absentes quidem æterna damnatione mulctati sunt, idest Theodorus Pharaniranus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantinopolitanus cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non vt decuit Apostolicam auctoritatem, vrere incipientem extinxit, sed negligendo confouit.] Quibus habetur verbis aperta distinctio falsi dogmatis, quod Leo tribuit Monothelitis, & dissimulationis circa dogma, quam impingit Honorio. Non enim dicit eum flammam excitasse, sed eam non extinxisse, & non extinguendo confouisse. Idem scribit ad Eruigium Regem Gothorum in Hispania: [Omnes, inquit, hæreticæ assertionis auctores venerando censente Concilio condemnati de Catholicæ Ecclesiæ adunatione proiecti sunt, id est Theodorus Pharanitanus Episcopus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Paulus, Pyrrhus, & Petrus quondam Constantinopolitani Præsules, & vnà cum eis Honorius Romanus, qui immaculatam Apostolicæ traditionis regulam, quàm à prædecessoribus suis accepit, maculari consensit.] Non dicit eum per hæresim maculasse, sed consensisse maculantibus; quatenus licèt idem cum illis non senserit, minùs tamen diligenter in principio, vt decebat Romanum Pontificem, illorum dogma extinxit, & hac sua negligentia locum, & tempus, vt maiores acciperet vires, dedit.

Sed hæc responsio multis adhuc non placet, quin potiùs Honorium prudentissimo consilio prohibuisse nomina vnius, vel duarum voluntatum, & operationum, quæ tunc erant inaudita, nec ab Ecclesia vsquam definita; Cùm enim tunc primùm Cyrus Alexandrinus cœpisset prædicare vnam in Christo operationem: è contra verò Sophronius Hierosolymitanus opponens se Cyro duas in Christo assereret operationes; retulissetque Cyrus hanc contentionem ad Sergium Constantinopolitanum, & vterque ad Honorium Romanum, tamquam ad supremum, atque adeò infallibilem, quem credebant esse fidei iudicem, aliàs talem ad eum non habuissent recursum; inde Honorius metuens, quod accidit postea, ne ista contentio in graue aliquod schisma cresceret, & simul videns, sine his vocibus posse fidem esse saluam, voluit ad concordiam reuocare vtramque opinionem, ac simul auferre de medio scandali, contentionisque materiam: scripsitque primùm in epistola prima, ideò debere abstineri à vocabulo vnius operationis, ne videamur cum Eutychianis vnam dumtaxàt in Christo naturam admittere: & rursùm à duarum operationum vocabulo ne videamur cum Nestorio duas personas concedere: [Ne, inquit, aut duarum operationum vocabulo offensi, Nestorianos sectantes nos vesana sapere arbitrentur, aut certè, si rursùm vnam operationem fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.]

Deinde epistola secunda rem ipsam apertè confitens his verbis: [Vtrasque naturas in vno Christo, vnitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri debemus. Et diuinam quidem, quæ Dei sunt, operantem, & humanam, quæ carnis sunt exequentem, non diuisè, neque confusè, aut conuertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conuersam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes, &c.] Tandem docet modum loquendi, illoque, vt dixi, tunc primùm natas opiniones conciliare conatur: [Auferentes ergo, inquit, scandalum nouellæ adinuentionis, non nos oportet vnam, vel duas operationes definientes prædicare: sed pro vna, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos vnum operatorem Christum Dominum in vtrisque naturis veridicè confiteri, & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potiùs duas naturas, idest, diuinitatis & carnis assumptæ in vna persona vnigeniti filij Dei Patris inconfusè, indiuisè, atque inconuertibiliter nobiscum prædicare propria operantes.] Hæc ibi, quibus cum ad sedandam tunc primùm exortam controuersiam, interim dum definiretur, nihil aptius determinari posset: Leo II. in præfatis epistolis, supposito quod in hac parte non fuerint corruptæ, nonnihil acriùs Honorium reprehendisse videtur; qui tamen hoc procedendi modo, non tam actiuum, quàm passiuum dedit scandalum, si quod fuit; nec illo magis hæreticis Monothelitis fauisse sequitur; quam si nuper tempore fel. record. Clementis VIII. exorta de auxilijs quæstio, aliquando definiretur, sequeretur præfatum Pontificem, aut in hæresim prolapsum esse, aut illi fauisse, quia omnibus, & singulis doctoribus, ne alterutram quæstionis partem condemnare, vel vt ait, qualificare auderent, Bulla expressa prohibuit. Quod cùm nemo prudens, aut sanæ mentis dixerit, idem est de Honorio sentiendum, etsi postea quæstio de duabus in Christo voluntatibus, & operationibus, contra Monothelitas definita fuerit.

Quod si instet aliquis, eum in epistola prima apertè docere vnam dumtaxàt voluntatem his verbis: [Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi:] Respondetur id esse falsum in sensu ab aduersarijs intento, contrariumque manifestè constare ex secundæ epistolæ textu superiùs citato, vbi, quod ad rem attinet, duas in Christo voluntates, & operationes, siue quod idem est, duas naturas operantes, atque operatrices diuinam scilicet, & humanam expresse confitetur; dum igitur vnam alicubi admittit, loquitur solùm de humana natura, ac dicere intendit: non fuisse in homine Christo duas pugnantes voluntates, vnam carnis, alteram spiritus; sed vnam tantùm, nimirùm spiritus. Caro enim in Christo nihil absolutè petebat, aut concupiscebat contra rationem.

Hunc

Hunc autem esse planum Honorij sensum liquet ex ratione, quam subsequenter ad citata verba reddit: sic enim ait: [Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi, quia profectò à diuinitate assumpta est nostri natura, non culpa, illa profectò, quæ ante peccatum creata est, non quæ post præuaricationem vitiata.] Quæ ratio nihil prorsùs concluderet, si adduceretur ad probandum in Christo Deo, & homine vnam tantùm esse voluntatem physicè, (dico physicè, quia moraliter, ob perfectam inter vtramque subordinationem, & conformitatem, vna etiam sine vllo errandi periculo, dici posset) efficacissima autem est, ad ostendendum non fuisse in Christo homine contrarias voluntates carnis, & spiritus, quasi caro eius aduersùs spiritum, vt in nobis assolet, concupierit, & spiritus aduersùs carnem: cùm enim talis pugna suam à peccato originem habuerit, à quo humana Christi natura prorsùs immunis fuit, rectè sequitur, vt intulit Honorius, non fuisse in eo vnam carnis, alteram verò spiritus voluntatem.

Deinde, quia poterat aliquis obijcere illa Euangelij loca, Ioann. 6. [Descendi de cœlo non vt faciam voluntatem meam; sed voluntatem eius, qui misit me:] & Marci 14. [Transfer calicem hunc à me, sed non quod ego volo, sed quod tu;] vbi videtur Christus, vt homo, contrarias habuisse voluntates; nimirùm vnam malam, qua volebat non pati; alteram bonam, qua volebat impleri voluntatem Patris. Respondet Honorius: [Non sunt hæc diuersæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, vt sequamur vestigia eius, pius Magister discipulos imbuens, vt non suam vnusquisque nostrum, sed potiùs Domini in omnibus præferat voluntatem.] Quasi diceret, non habuisse Christum contrarias voluntates, ita vt opus illi fuerit, vnam vincere, ac mortificare; sed ita loquutum fuisse, ac si habuisset, vt nos doceret propriam voluntatem sæpiùs Deo rebellem subijcere: Igitur, quando vnam tantùm in Christo voluntatem statuit Honorius, de humana loquutum fuisse patet, non autem de voluntate absolutè & in vniuersum, ita vt voluerit absolutè vnam solùm in Christo esse voluntatem: etsi in duabus naturis intellectualibus subsisteret.

Quod totum confirmatur egregio sancti Maximi testimonio, qui tempore Honorij vixit, & in eius defensionem scripsit Dialogum contra Pyrrhum Sergij successorem: vbi introducens Pyrrhum hæreticum, proferentem pro se testimonium Honorij, respondet ipse, Honorium semper fuisse Catholicum, probatque tum maximè adducto in testem ipsius Honorij Secretario adhuc superstite, qui epistolas illas ab eo dictatas scripserat, asserebatque mentem Honorij non fuisse vnquam, negandi duas in Christo voluntates, & si quando videtur illas negare, id esse intelligendum de duabus contrarijs, & pugnantibus in eadem humana natura; quæ in nobis ex peccato inueniuntur, quod in Christo non fuit. Verba sancti Maximi sunt hæc: Pyrrhus: [Quid tu habes quod respondeas de Honorio, qui literis suis, quas ad Sergium superioribus temporibus scripsit, vnicam planè voluntatem Domini nostri Iesu Christi professus est? Maximus: Vtra harum literarum verior, certiorque interpretatio habenda est, eiusne scribæ, qui nomine Honorij illas scripsit, præsertim cùm idem adhuc superstes sit, omnisque virtutis splendore, & religionis disciplina, totius Occidentis partes ornatit; an Constantinopolitanorum ciuium, qui nihil, nisi quod ipsis libet, loquuntur. Pyrrhus. Verior eius qui scripsit. Maximus. At is ad Imperatorem Constantinum sic de illa epistola, iussu Ioannis Pontificis, scripsit. Sanè quòd vnam Domini nostri voluntatem diximus, non est accipiendum, quasi de duabus diuinæ, & humanæ naturæ dictum voluntatibus, sed humanæ tantùm. Cùm enim Sergius scripsisset, prædicare quosdam duas esse Christi voluntates contrarias: nos rescripsimus, Christum duas voluntates contrarias non habere.] Hactenus S. Maximus Monachus Constantinopolitanus, & Martyr clarissimus pro defensione Honorij, mentisque eius intelligentia.

Tertia igitur sententia, quam nos libenter amplectimur, asserit Honorium Primum fuisse virum Orthodoxum nulla hæresi infectum; illamque omninò certam efficere videntur sequentia argumenta.

Primum desumitur ab auctoritate omnium ferè Scriptorum Ecclesiasticorum, qui de Honorio, vel Monothelitis egere; Maximi loco statim citato.

Ionæ Monachi Scoti circa annum Domini 630. in vita S. Bertulphi Abbatis cap. 5. [Erat, inquit, venerabilis præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrina clarus, comitate, & humilitate pollens: lætabatur è gentibus socium se inuenisse, qui suauis esset eloquio: nec prorsùs ferre sustinuit, vt citò ab eius consortio segregaretur: Cùm autem vehemens æstus quiescendi longum præberet spatium, impertijt optatum munus sanctus Papa Patri memorato Bertulpho, priuilegia scilicet sanctæ Sedis Apostolicæ, quatenus nullus Episcoporum in præfato Cœnobio quolibet iure dominari conaretur. Percepto ergo munere optato ad patriam reuersi sumus.]

Ioannis Papæ IV. qui cùm sciret, Pyrrhum, & alios Orientales hæreticos in consortium sui ipsorum erroris adsciscere defunctum iam Honorium Romanum Pontificem ex epistolis ab eo ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum scriptis, hæcque eos iactare, quo Romani Pontificis auctoritate hæresim stabilirent; vt his occurreret, nihil vtiliùs accidere posse credidit, quàm si illum, qui tunc erat eidem Honorio Pontifici ab epistolis, quique dictas epistolas scripserat, vocaret, germanumque sensum earum iuberet dilucidè interpretari, ne hæreticis daretur occasio ijs abutendi literis, in longè diuersum sensum, ab illo quo scriptæ essent, easdem distorquentibus: idemque ipse scriberet ad Imperatorem germanum sensum illarum. Præstitit quidem ille id, quod Ioannes Pontifex iussit, omnemque de Honorio suspicionem, legitimum sensum proferens euacuauit; vt statim retulimus ex Maximo in Dialogo contra Pyrrhum: quem Baronius to-

tomo 8. ad annum Christi 645. ingenti propterea Dei beneficio seruatum esse tradit, adeò vt ne syllaba quidem eius exciderit, inter tot publicorum Scriptorum naufragia, quæ tum Græcorum, tum Latinorum Ecclesia passa est diuersis temporibus.

Concilij Lateranensis sub Martino I. circa annum Christi 649. consultatione 1.2.& 4. vbi de hac ipsa causa Monothelitarum damnatis nominatim Sergio, Cyro, Pyrrho & Paulo, Honorij nulla prorsus fit mentio: imò in epistola Encyclica Martini Papæ, & Synodi Romanæ, dum expressè prædecessorum omnium Romanorum Pontificum in insectanda, & profliganda Monothelitarum hæresi studium commendatur, & vigilantia, manifesto est argumento Honorium ab ea fuisse innocuum; si enim Honorius eius quoque fuisset assertor erroris, quomodo Martinus vnà cum sancto Concilio, tanta fiducia, atque securitate absque vlla trepidatione talia ad vniuersam Ecclesiam de suis scribere antecessoribus potuisset.

Agathonis Papæ circa ann. Christi 680. in epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem; quæ enim ante ipsum sanctus Martinus Papa, & martyr scripsit de omnium Romanorum Pontificum immunitate ab hæresi; idem quoque liberè asserit, ac fortiter inculcat, firmiterque asseuerat sanctissimus Agatho Papa citata epistola, cuius verba superiori capite retulimus in septimo seculo, & iterum infrà proferemus; quod profectò facere minimè potuisset, nec successores, qui posthac fuerunt Summi Pontifices, vt Nicolaus, & alij suis locis citati, si in eadem hæresi, quam sua epistola ipse Agatho adeò validè insectatur, Honorius, cuius recens adhuc memoria erat, iisdem hæreticis ignominiosè manus dedisset, & eumdem cum illis errorem amplexus fuisset.

Venerabilis Bedæ circa annum Domini 700. in historia Anglicana lib. 2. cap. 7. [Quo tempore præsulatum Sedis Apostolicæ Honorius Bonifacij successor habebat qui vbi gentem Nordhumbrorum cum suo Rege ad fidem, confessionemque Christi Paulino euangelizante conuersam esse didicit, misit eidem Paulino pallium, misit & Regi Eduino literas exhortatorias, paterna illum charitate accendens, vt in fide veritatis, quam acceperant, persistere semper, ac proficere curarent.] Quæ profectò honorifica mentio Honorij stare non potest, cum hæreseos in ipso macula; vnde cum apud eumdem Bedam de sex ætatibus mundi in Constantino IV. legitur: [Macarius cum suis sequacibus, simul & prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizatus est;] ne venerabilem virum sibimet aduersari cogamur fateri, dicendum est hoc loco nomen Honorij à Sciolo quodam adiectum fuisse.

Theophanis Ceramei circa annum Domini 830. in Historia: [Cùm Maximus, inquit, Romam peruenisset, Papamque Martinum ad æmulationem accendisset, Synodo centum decem Episcoporum collecta, Sergium, & Pyrrhum, & Cyrum, & Paulum anathematizarunt, duasque voluntates, & operationes Christi Dei nostri expressiùs prædicarunt.] Vbi cum antiquiore cæteris, atque fideliore illius temporis Scriptore, nullum penitùs de Honorij condemnatione verbum habeatur, aut in Synodo Romana, aut in sexta Synodo Generali, quæ velut portentum magnum erat ostentanda, quod numquam hactenus accidisset, vt à Catholicis in Synodo Romanus Pontifex damnaretur; inde apparet quàm inconsideratè agant, qui hæresis accusant, vel inter hæreticos Monotheliras reponunt Honorium Papam.

Photij Episcopi Constantinopolitani circa annum Domini 858. libro de septem Oecumenicis Synodis, vbi enumerans hæreticos in sexta Oecumenica Synodo condemnatos, nullam Honorij Primi mentionem facit: [Hi semel, inquit, cum alijs sacris, sanctisque Patribus Sergium, Pyrrhum, Paulum Constantinopolitanos, Cyrumque Alexandrinum, & Theodorum Pharensem, qui mutuam mendacij catenam conficiebant, necnon & Macarium Antiochenum, simul cum Stephano hæresis discipulo, & misero quodam sene, qui Polychronius vocabatur, cum superioribus consentiente, & illorum impietatem defendente, meritò condemnarunt.] Quia verò Photius hic insignis fuit Romanæ Sedis æmulus, & ex professo conabatur Constantinopolitanam ei præferre, aut saltem exequare, si in illa Sede Honorius tali hæresi fascinatus sedisset, vtique, & eumdem his annumerasset; præsertim cùm vir non minoris eruditionis, quàm nequitiæ fuerit.

Anastasij Bibliothecarij, & Abbatis Romani viri docti Græcè, & Latinè, circa annum Domini 858. qui de VI. Synodo agens in Agathone, nihil prorsùs meminit de actionibus, in quibus habetur condemnatus Honorius; imò post damnationem hæreticorum ibidem factam hæc addit: [Deinde abstulerunt de diptychis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel eorum picturas de Ecclesia, aut de foribus eius, aut vbi esse poterant, auferentes, idest Cyri, Sergij, Pyrrhi, necnon Petri, per quos error iste Orthodoxæ fidei vsque nunc pullulauit.] Nulla quoque mentione facta de Honorio Pontifice, quem tamen in eorum diptychis inscriptum fuisse constat.

Ioannis Zonaræ Monachi Græci circa annum Domini 1100. qui in Constantino 4. referens, patis nomina damnatorum in sexta Oecumenica Synodo, nullam mentionem Honorij facit: qui, quia fuit Græcus, Romanæ Sedis, vt scripta testantur, insignis hostis, si Honorius inter eos numerandus fuisset, nequaquam eum omisisset.

Emmanuelis Galecæ Græci, qui loco superiori capite citato, sæcul. 14. clarè asserit contra Græcos Honorium Papam Catholicum fuisse.

Martini Poloni circa annum Domini 1322. in Honorio I. [Hic, inquit, clerum salubriter erudiuit: ac super eleemosynas, quas quotidie pauperibus distribuebat larga manu, multas Ecclesias auro argentoque decorauit. Hic sepultus est apud Sanctum Petrum.]

Baptistæ Platinæ circa annum Domini 1460. in in libro, quem scripsit de vitis Pontificum à sancto Petro, vsque ad Paulum II. [Honorius, inquit vbi de eius vita, à rebus exter-

externis aliquantulum quietis adeptus, doctrina, & moribus sanctissimis omnem propè clerum renouauit. Moritur vir Sanctissimus anno Pontificatus sui duodecimo.]

Omnium denique Latinorum historicorum, & præter citati, sunt Regino Prumiensis, Hugo Floriacensis, Marianus Scotus, Otho Frisingensis, Godfridus Viterbiensis, Conradus Vrspergensis; & alij, qui vbi de Honorio I. vel de Monothelitis agunt, nusquam eum inter illos recensent, aut de illo tamquam de hæretico loquuntur, sed potiùs honorifice.

Altera nostræ sententiæ probatio desumitur ex his rationibus; prima, quia nō debet attribui Honorio, aut cuiuis alteri Romano Pontifici quod est contra traditionem, sed Honorium, aut alium Romanum Pontificem hæresim ex cathedra aliquando docuisse, repugnat traditioni Pontificiæ indeficientiæ in rebus fidei definiendis, vt superiori capite sufficienter ostendimus; id igitur asseri de Honorio non potest, sed potiùs, vbi ab aliquibus tali infamatus calumnia reperitur, ab illa vendicari: & excusari debet: sicut ex hoc, quod primatus Romani Pontificis ad fidem spectat, si quæ ab hæreticis contra illum objiciuntur dicta, vel facta, nullius penitus sunt roboris, sed in bonum aliquem sensum necessariò sunt explicanda.

Secunda ratio est quia si Honorius Monothelitarum hæresim vnquam docuisset, id maximè colligendum esset ex duabus eius ad Sergium Constantinopolitanum datis epistolis, sed, vt vidimus supra, nil minus in illis, quàm Monothelismum docet: imò in posteriori epistola dum videtur indicere velle silentium, quàm prudentissimè destruit hæresim, & firmat Catholicam fidem, vbi videlicet ait, [Auferentes ergo (sicut diximus) scandalum nouellæ adinuentionis, non nos oportet vnam vel duas operationes definientes prædicare: sed pro vna (quam quidam dicunt operatione, oportet nos Deum Operatorem Christum Dominum in vtriusque naturis veridicè confiteri; & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationibus vocabulo, ipsas potiùs duas naturas, id est, diuinitatis, & carnis assumptæ, in vna persona vnigeniti Dei Patris, inconfusè, indiuisè, atque inconuertibiliter nobiscum prædicare propria operantes]; huiusmodi enim verbis, patet, quàm doctè, atque verè statuat, pro vna operatione dicendum esse vnum operantem, planè insinuans non conuenire personæ vnitatem operationis, sed operantis; sicut, & sanctus Ioannes Damascenus lib. 4. de Orthod. fid. c. 14. de his agens, affirmat non dici posse rationes vnius personæ vnam voluntatem, sed vnum volentem; nec vnam operationem, sed vnum operantem in duabus scilicet naturis; quas dum asserit Honorius indiuisè, inconfusè, & irreuocabiliter coniunctas, & propria in Christo operantes, duas planè necessariò introducit operationes; igitur nec priuatim hæreticus Monothelita fuit, nec talem vnquam hæresim docuit.

Eòque magis vis huius rationis apparet, quæ Cyro Alexandrino, post primam ab Honorio scriptam epistolam ad Sergium Constantinopolitanum, de indicendo in hac controuersia silentio, pertinaciter, adhuc prædicante vnam Christi voluntatem Sophronius Hierosolymorum Episcopus, Legationem ad Honorium Romanorum Pontificem misit, pro cohibenda dicti Cyri audacia; quod procul dubio non fecisset, si Honorius hæreticus Monothelita fuisset, aut Pontificem Romanum errandi periculo obnoxium esse credidisset; vt egregiè testantur verba Stephani ab eo tunc missi, quæ habuit postea in Concilio Romano sub Martino secret. 2. Sicut etiam, vbi talia per legationem à Sophronio missam Honorius Papa accepit, haud ita diligens fuisset omnibus à Sophronio postulatis consulere, nempè silentium omninò imponere Cyro Episcopo Alexandrino vnam voluntatem, & operationem in Christo prædicanti, si eamdem cum illo tenuisset opinionem: cuius rei gratia ad ipsum Cyrum eo argumento literas dedit; scripsitque alteram pariter epistolam ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, vt Cyrum de seruando de vna voluntate, & operatione silentio admoneret. Quæ literæ ad Cyrum ab Honorio scriptæ licèt non extent, earum tamen mentio fit in litteris eiusdem Honorij ad Sergium datis, quæ recitatæ habentur in Sexta Synodo, Act. 13. in fine, testanturque perstitisse in sententia Honorium, vt bono pacis ad vitandas turbas, & commonitiones populorum, de voce vtraque taceretur: quibus etiam, & Legatum Stephanum, & qui cum eo venit in vrbem, acquieuisse ibidem dicitur, dummodo Cyrus de vnius voluntatis voce, æquè taceret.

At dicet aliquis Honorium in prima ad Sergium epistola profiteri se eadem sentire cum ipso; igitur, vti Sergius, ita quoque Honorius fuit hæreticus: Responderem nonnullos, quidem rerum Pontificiarum, vel ignaros, vel inimicos, hanc intulisse consequentiam; sed quàm calumniosè, & leuiter, sicuti iniustè, pluribus ostendit Card. Baronius tomo 8. ad annum 633. nullamque ab illis rationem habitam fuisse temporis diuersitatis, nec rerum, quòd tunc scilicet, cùm Sergius ad Honorium & Honorius ad Sergium scriberet, nec leuis quidem suspicio erat de Sergio, quòd hæreticus esset, qui in hanc vsque diem summa cum laude sedem illam piè (vti Catholicus) sanctèque texerat, qui, & suis literis speciem reddere videretur, inquit Baronius, columbæ illius, quæ post diluuium signum pacis ore gestauit: dum tot in Ægypto conciliatos, iunctosque Catholicæ Ecclesiæ populos hæreticos significaret. Vnde si Sopronio Hierosolymorum Episcopo, toties professa ab ipso cum Sergio in sententia, nec non in silentio, nullum attulit detrimentum, vt ex tali cum hæretico communione, quem putabat esse (vt profitebatur) fide integrum, & orthodoxum, ac pro catholica veritate firmiter stantem, ipse hæreticus diceretur: cur afferat quæso præiudicium Honorio longiùs quàm Sophronius à Sergio absenti, si, vt ille, se consentire Sergio affirmarit, quem & nomine, famaque, & scriptis pariter haud potuit non asserere esse Catholicum? Probasse autem solùm in Sergio Honorium, quæ, probarat, ante Sophronius, cum ad eum datam epistolam Sergij ab eodem accepisset, ipse Hono-

rius

rius testatur in prima epistola ad Sergium Scripta.

Tertia ratio pro iustissima Honorij defensione, debet esse illud, quod fuit semper de ipso Ecclesiæ Romanæ iudicium; videlicet quod in Ecclesię Catholicæ communione, dum vixit, etiam post scriptas dictas, fuerit retentus, in eademque communicatione diem clauserit extremum, & post mortem sepultus cum Orthodoxis Pontificibus in Basilica Sancti Petri, eodemque nomine in posterum perseuerauit, nunquam abrasus ex Albo Orthodoxorum Pontificum; eiusque imago musiuo contexta in apside, quam instaurauit S. Agnetis Ecclesiæ, via Numentana positæ, hactenus cernatur publicè venerationi Christianorum exposita: At si Honorius fuisset hæreticus, nec talia haberentur vestigia, nec tam honorifica eius mentio, vt vidimus apud Scriptores, superiùs citatos cum in primis auctore Anastas. sciamus sexta Synodo absoluta, omnium damnatorum Patriarcharum nomina fuisse deleta, ipsorumque imagines de Ecclesijs fuisse sublatas; deinde hoc manifestè probant, quæ de Liberio, & Felice II. dicta sunt, vbi apud Clerum, Populumque Romanum aliqualem hæreseos suspicionem venere, ob nimiam cum Arianis, communionem: Patet ergo saluam in Honorio manere Pontificiæ indeficientiæ traditionem; nec eum ob epistolas ad Sergium scriptas, doctrinamque in illis contentam, nec ob communicationem vel consensionem cum illo in his, quæ tractarentur, nempe de silentio indicendo, posse in suspicionem, minùs in crimen heresis iure perduci.

Tertium tandem, & vltimum pro hac veritate argumentum habetur, ex solutione obiectionum, quæ ab aduersarijs contra illam fiunt; explicando nimirum, quomodo in sexta Synodo, quæ extat, & alijs superiùs citatis locis ęquè recensitus cum damnatis Monothelitis reperiatur Honorius.

Cardinalis Ioannes à Turrecremata lib. 2. de Ecclesia, cap. 63. respondet Patres VI. Synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proindè in eo iudicio errasse.

Verùm ista solutio, quam etiam approbat Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11. non satisfacit, imò adhiberi non potest à defensoribus Pontificiæ infallibilitatis; & si enim admitti posset intellecta de Honorio, vt priuata persona, qua ratione ad fidem non pertinet, Romanum Pontificem gaudere priuilegio infallibilitatis; ideoque potuisse sextam Synodum ex falsa informatione Honorium damnare, ac proinde in eo iudicio errare; secus tamen si intelligatur de Honorio ex cathedra loquente, & docente, cum enim ad fidem spectet Romanum Pontificem ita consideratum errare non posse in rebus fidei, & religionis, Concilium vniuersale legitimè congregatum, pontificiaque auctoritate firmatum, quale supponimus fuisse dictam Synodum, non intellectis Honorij epistolis eum damnare; quasi hæresim in illis ex cathedra docuisset; sic enim non amplius in rei meri facti, sed in re ad fidem, vt supponimus spectante defecisset, quod dici non potest.

Vera igitur solutio est, sextam, Septimam, & Octauam Synodos, quas ex Græco in Latinum sermonem translatas habemus, fuisse in hac parte corruptas; siue, quod idem est Honorij nomen inter eos, qui damnantur à sexta Synodo, insertum ab æmulis Romanæ Ecclesiæ. Huius responsionis veritas duobus modis probari potest; primò ostendendo in communi, fuisse consuetudinem Græcorum ferè ordinariam corrumpendi libros; secundò in particulari, rem ita se habuisse in sexta, & duabus sequentibus Synodis attentis omnibus circumstantijs, ob quas videtur impossibile, quod Honorius in illis fuerit condemnatus.

Primùm apertè colligitur ex ipsamet sexta Synodo act. 12. & 14. vbi deprehenderunt Patres multas corruptiones ab hæreticis factas in quinta Synodo Generali Constantinopolitana II. Et Sanctus Leo Papa in epistola 83. ad Palæstinos, conqueritur de Græcis, quod suam ad Flauianum epistolam, se adhuc viuente, corrumpere ausi fuerint. Sanctus etiam Gregorius lib. 5. epistola 14. ad Narsem, affirmat, Constantiuopolitanos corrupisse Synodum Chalcedonensem, idem se suspicari de Ephesina: subiungitque codices Romanorum longè esse veraciores, quàm Græcorum: Quoniam, inquit, Romani, sicut non acumina, ita nec imposturas habent.

Nicolaus I. in epistola ad Michaelem Imperatorem, remittens illum ad epistolam Adriani I. hæc ait: [Si tamen non falsata more Græcorum, sed sicut à Sede Apostolica missa est, penes Ecclesiam constantinopolitanam, hactenus conseruatur] Quæ profectò sine causa non scripsit: nam quæ ipse allegat in epistola ad Photium ex epistola Adriani ad Tharasium, non habentur in illa epistola, vt legitur in septima Synodo, Græci enim detraxerunt eum locum, quia contra honorem Tharasij faciebat.

Ioannes Diaconus vitæ S. Gregorij Papę lib. 4. c. 75, Dialogos, inquit, [Gregorij Zacharias Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Episcopus, post annos fermè centum septuaginta quinque in Græcam linguam conuertens, Orientalibus Ecclesijs diuulgauit: quamuis astuta Græcorum peruersitas, in commemoratione Spiritus Sancti à Patre procedentis, nomen filij suaptim radens, abstulerit. Vbi enim Gregorius lib. 2. dialog. cap. 38. habet: Cum constet, quia Paraclitus Spiritus à Patre semper procedat, & filio, &c. & Zacharias Papa rectè: Pneuma ò ec tou patros kai ec tou proerchetai: illi, vt iam habent exemplaria corruperunt: Pneuma ò ec toù patros proerchetai, kai en tò via diamenei Spiritus, qui ex Patre procedit, & in filio manet.

Si igitur, vt alia plura omittam exempla, eò Græcorum deuenit peruersitas, vt dictas Synodos, Latinorumque Patrum scripta corrumpere veriti non fuerint; quid mirum si idem præstitisse affirmetur eadem causa in odium Romanæ Sedis in sexta, septima, & octaua Synodis; præsertim cum certò constet paulò post sextam Synodum absolutam, iterum Constantinopoli in Trullo multos Græcos Episcopos conuenisse, ibique, nouos canones, in quorum plerisque Romana Ec-

Ooo cle-

clesia apertè taxatur, ac reprehenditur, condidisse.

Hanc autem sextam Synodum in his, quæ ad Honorij condemnationem pertinent, deprauatam fuisse non tantùm suadent, quæ statim in communi diximus de consuetudine Græcorum ferè ordinaria corrumpendi libros, sed insuper id in particulari clarè demonstrant plures eiusdem Synodi circumstantiæ, indèque ductæ rationes. Prima, quod ibi sess. 4. literæ Agathonis, quas ad Imperatores Constantinum, Heraclium, atque Tiberium dedit, lectæ fuerint; quibus ore libero, firma, iterataque attestatione, & contestatione docet, numquam aliquando Apostolicam Sedem à recto fidei tramite deuiasse. Christi inquit, [adnitente præsidio, hæc Apostolica eius Ecclesia numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est. Et post aliqua iterum: Hæc est enim veræ fidei regula, quam, & in prosperis, & in aduersis viuaciter tenuit, ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperij Apostolica Christi Ecclesia, quę per Dei omnipotentis gratiã à tramite Apostolicæ traditionis numquam errasse probabitur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit; sed vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata finetus permansit.] Et de Romanis Pontificibus suis prædecessoribus paulò post speciatim hæc subiungit: [Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus, & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit: quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.] Texens denique cathalogum omnium hæreticorum, qui assertores vnius fuerint voluntatis, non solùm inter eos Honorium non nominat: qui primus omnium nominandus fuisset pariter, & execrandus; sed rursum de prædecessoribus, quorum vnus erat Honorius verba faciens, hæc inculcat: [Meæ humilitatis prædecessores commonuisse, rogasse, increpasse, obsecrasse, arguisse, & omnem modum exhortationis exercuisse, quatenus medelam posset recens vulnus accipere.

Quæ Agathonis epistola, cùm à toto Concilio probata fuerit act. 8. & 18. acclamantibus Patribus, non tam Agathonem, quàm Diuum Petrum per Agathonem loquutum fuisse, seque ex præscripto illius nominatos ibi hæreticos condemnasse; quis inde non intelligat, haberi debere pro monstro, quod ijdem illi Patres hæreticis coniunxerint Honorium ex dicta epistola tot argumentis probatissimum redditum orthodoxum. Necesse est ergo, vel Concilium esse falsatum, vel Agathonis epistolam, vel Concilium secum pugnare, quid enim magis contrarium, quàm Concilium ex vna parte fateri, Petrum per Agathonem loquutum, ac dixisse: Romanos Pontifices semper confirmasse fratres suos in fide, hæresibus numquam succubuisse; & ex altera in singulis ferè actionibus dicere anathema Honorio hæretico: sed hoc vltimum Concilij nimirum secum, & cum Agathone pugnam, nemo vnquam asseruit; de secundo nulla vmquam suborta suspicio reperitur: primum igitur necessariò asserendum est, hanc videlicèr sextam Synodum, vbi damnatur Honorius, ab æmulis deprauatam fuisse.

Quod aliqui respondent cum Nilo, præfata Agathonem ante sextam Synodum scripsisse, nec ea tunc adhuc satis cognouisse, de quibus postea egit Synodus, quæ etiam ea perspicere potuit, quæ vnus solus vir non satis viderat; nullius est momenti ad eneruandam vim adductæ rationis.

Primùm enim si res ita se habet fatendum est Agathonem errasse saltem ex ignorantia; atque adeò totam Synodum act. 8. & 18. aut malè eius epistolam approbasse, vt à S. Petro scriptam, in hoc quoque errorem commisisse, aut ipsam secum apertè pugnasse.

Secundò, quia nulli omninò melius cognita fuere Honorij dogmata, quàm Agathoni: cùm illa ipsa causa à Ioanne IV. Theodoro, Martino I. in Concilio Romano frequentissimo, alijsque prædecessoribus Agathonis, & Honorij successoribus sæpiùs examinata fuisset: si igitur ab illis damnatus non fuit Honorius, qui habuerunt autographa epistolarum eius, & testes viuos verborum, & factorum ipsius, damnatis nominatim Sergio, Cyro, Pyrrho, & Paulo hęreticis Monothelitis: indeque Agatho in sua epistola, non solùm dixit fidem in Sede Petri non defecisse, nec posse deficere, ac proinde non posse Pontificem, vt Pontificem, aliquid contra fidem decernere, sed insuper omnes suos prædecessores, quorum vnus est Honorius, semper restitisse hæresibus, & confirmasse fratres in vera fide, quomodo sine manifesta contradictione sexta Synodus, quæ hanc epistolam probauit, & in illa non tam Agathonem, quàm Diuum Petrum per Agathonem loquutum affirmare non dubitauit, potuit Honorium condemnare, eumque inter hæreticos Monothelitas reponere, etiam vt priuatam personam.

Tertiò, quia non tantùm id sine aperta secum contradictione, sed nec sine intolerabili errore, & impudentia Synodus facere potuisset, quod nullus sanæ mentis dixerit, cum in damnando Honorio pro hæretico, nullum aliud hæresis ipsius indicium, aut argumentum habuisset, quàm ex epistolis eius ad Sergium, vbi prohibet dici vnam, vel duas in Christo operationes: Sed vt vidimus supra epistolæ illæ clarissimè testantur, Honorium sensisse, & docuisse, duas esse in Christo operationes, & voluntates, solumque voluisse abstineri à nominibus illis: Vnius, vel duarum, ad scandalum tollendum, & contentionem sedandam, interim dum Ecclesiæ definitio accederet: eum igitur Concilium pro hæretico damnare non potuit, nisi & secum apertè pugnando, & ex intolerabili errore epistolas eius non intelligendo, quæ asserere de Oecumenico, & Vniuersali Concilio, cum sit absurdum, necesse est, dicere, illud, vbi Honorium damnat, corruptum fuisse ab æmulis.

Altera circumstantia, ex qua desumitur secunda, pro hac nostra assertione, ratio, est mandatum ipsum Agathonis eiusdem literis præ-

præſcriptum Legatis, qui nomine ipſius VI. Synodo præſidere debebant, iuxta ſequentem tenorem, [Portioribus, inquit, & teſtimonia aliquorum Sanctorum Patrum, quos hæc Apoſtolica Chriſti Eccleſia ſuſcipit, cum eorum libris tradidimus, vt facultatem ſuggerendi à benigniſſimo veſtræ Chriſtianitatis Imperio conſecuti, ex ijs dumtaxat ſatisfacere ſtudeant. Et paulò poſt: Licentiam proinde eius ſiue auctoritatem dedimus apud tranquilliſſimum Imperium veſtrum (dum iuſſerit eius clementia) ſimpliciter ſatisfaciendi, in quantum eis dumtaxat iniunctum eſt, vt nihil profectò præſumant augere, minuere; vel mutare: ſed traditionem huius Apoſtolicæ Sedis, vt à prædeceſſoribus Apoſtolicis Pontificibus inſtituta eſt, ſinceriter enarrare,] nimirum ea tantùm, quæ eadem prolixa dogmatica epiſtola continentur, qua nihil magis quàm prædeceſſorum fides integra commendatur: Inde enim planè ſequitur nihil adeò alienum fuiſſe à mente verbiſque Agathonis Pontificis, quàm vt Honorius Papa à Synodo damnaretur, atque adeo illam, quæ dictam epiſtolam probauit, & ad eius præſcriptum proceſſit, nihil etiam minùs, quàm de tali condemnatione cogitaſſe.

Tertia ratio ducitur ex multis, quæ inde ſequuntur absurdis, ſi id à Synodo propria auctoritate factum fuiſſe dicatur, vt acta quæ extant, edocent: nimirum quod vnius dumtaxat lectione epiſtolæ, abſque vllo eius examine, aut alia facta de Honorij fide peruestigatione, quem tamen ſemper Romæ Catholicum habitum fuiſſe, & in Catholica pariter communicatione diem clauſiſſe extremum, toto Chriſtiano orbi notiſſimum erat, cuiuſque memoriam vſque in illam diem tot Romani Pontifices eius ſucceſſores, & inter alios Sanctiſſimus Papa, martyrque Martinus, ſicut aliorum Pontificum tam honorificè in Synodo fuerant proſecuti, abſque vllo defenſore, inconſultoque Agathone tunc Summo Pontifice, cuius epiſtolam, qua Romanam Eccleſiam in prædeceſſoribus Romanis Pontificibus ab omni labe puram perſeueraſſe, ore pleniſſimo prædicabat, Synodus approbabat, & tamquam ipſius diuini Petri vocem ſupermirata fuerat, vt patet ex literis ab Imperatore Romam ſcriptis ad Concilium ibidem congregatum, condemnatus fuiſset primariæ Sedis Antiſtes, de qua illa eſse conſueuerat omnium vox in Synodis, prima Sedes omnes iudicat, & à nemine iudicatur.

Igitur ne tantam ignominię indelebilē notā ſubeat Oecumenica Synodus, vt hac forma ita à ratione, & iuſtitia aliena damnaſse credatur Romanum Pontif. qua ne vel Clericulus quiſpiam conſueuit aliquando damnari, non laicus homo, defunctus præſertim ab Eccleſia eijci: dixerim ampliùs cum Baronio, non famoſus hæreticus, immò nec hæreſiarcha, vt eſt exemplum de Theodoro Mopſueſteno, ad cuius damnationem, & condemnationem Scriptorum Theodoreti, & Ibæ Orientalium ſub alijs ſedibus conſtitutorum Epiſcoporum, totum orbem terrarum oportuit commoueri, Synodumque Oecumenicam congregari, & non ſine maximo labore id vix tandem obtineri valuit: neceſſariò fatendum eſt Sextam Synodum nuſquam Honorium cum hæreticis Monothelitis condemnaſse, ſed id in acta aliunde irrepſiſse, & illatum fuiſse.

Quarta tandem ratio, quæ hanc impoſturam ſuadet, deſumitur ex ſilentio, quo tot, tantique tum ab Agathone, tum à Romano Concilio miſſi Legati, ſi hæc verè in Sexta Synodo facta fuiſsent, dicuntur ea omninò præterijſse, cum enim, lectione repetantur ſuperiores cunctæ hactenus habitæ Synoda les actiones, nulla reperiatur, in qua etiam in leuioribus cauſis non fuerint Legati Sedis Apoſtolicæ interlocuti. Quomodo in re tam graui, vbi damnatio retractaretur Romani Pontificis, in re tam aperta, vbi interceſſiſset de ea epiſtola Honorij Papæ præcedens iudicium Ioannis Romani Pontificis miſsum Conſtantinopolim, itemque germana interpretatio Maximi Martyris in publico conuentu toto orbi notiſſimo promulgata, quo, inquam, modò tam profundo lethargo potuerunt non vnus, vel alter, ſed ſimul omnes ijdem eſse ſepulti Legati, vt iſta non ſenſerint, ac nullus ex ipſis vindex inſurrexerit, ſaltem pro literis Agathonis, duas ipſi detulerunt Conſtantinopolim, cum præſertim ex ijſdem acceperint, nihil ab ipſis decernendum, vt vidimus ſupra, præterquam illa tantùm ipſa, quæ ijſdem literis continerentur? inter quæ non habebatur, vt de Honorij cauſa ageretur, ſed in illis potiùs, vt dictum eſt toties, iterum, atque iterum fidem ſinceram prædeceſsorum omnium Romanorum Ponticum commendabat, & nec aliquando per eos, vel leuem erroris maculam irrepſiſse teſtabatur, quaſi nullius eſset momenti cauſa, in qua etiam periclitaretur, & fama tum ipſius Agathonis, tum eius prædeceſsorum Romanorum Pontificum, vt pote qui mendacij arguendi eſsent, & nugacitatis, quod Romanam Eccleſiam prædicaſsent, qua (ſi vera eſset Honorij condemnatio) reperta eſset in illo adeo contaminata. Tantum igitur, tamque profundum Legatorum Sedis Apoſtolicæ ſilentium, quaſi in talibus rerum circumſtantijs, vbi loqui debebant, fuiſsent abſque vlla non inquam defenſione, ſed nec iudiciali cognitione, poſt damnationem hæreticorum veluti corollarium adijci condemnationem Honorij, cum ſit omnino impoſſibile, manifeſtum eſt argumentum nuſquam in ſexta Synodo de Honorij condemnatione actum fuiſſe, ſed ipſius nomen inter eos, qui ibi damnantur, inſertum fuiſſe ab æmulis Romanæ Eccleſiæ.

Quo ſemel ſextæ Synodi fonte corrupto, & infecto, inde facilè cætera quoque ſcripta corrumpi potuere, etſi ignoretur tempus, modus, & auctor huiuſcemodi deprauationis, quod parum intereſt ad valorem noſtræ ſolutionis, quæ omninò tenenda eſt, ſuppoſito quod his auctoritatibus intenderent aduerſarij probare Romani Pontificis ex cathedra loquentis defectibilitatem, nam ſi tantùm ſermo fuerit de illo, vt priuata perſona, nec aliquis adduci poſſit, vt credat Sextam Synodum, totoque alia inde ſcripta fuiſse corrupta, reſponderi poteſt eorum auctores deceptos fuiſse ex Sexta Synodo, qua primùm per

errorem meri facti Honorium condemnasse dicenda est, indeque solùm credidisse Papam errare posse, sed vt priuatum hominem (id enim est, de quo ad summum accusari poterat Honorius, quod priuatis literis ad Sergium datis hæresim eius fouisset) quæ est opinio probabilis, quamuis contraria videatur nobis probabilior, maximè in hoc Honorij casu, vt probant omnia superiùs adducta argumenta, vnde constanter asserimus, vel præfatam Synodum corruptam fuisse, vel si defendatur vt integra, errore facti in condemnando Honorio defecisse; quem postea Patres Septimæ Synodi, & alij Scriptores sequi potuerunt, eximentes solùm Romanum Pontificem errandi periculo obnoxium esse vt priuatum hominem, quod modò non controuertimus; licèt oppositum, vt dicebam, in Honorio longè probabilius esse demonstret omnia quæ in eius defensionem huc vsque protulimus; nec non etiam maior, & grauior Scriptorum numerus, qui eius innocentiam, & sanctitatem commendant.

Quod obijciebatur in principio Agathonem anathema dixisse Honorio, falsum est, nusquam enim hoc in epistolis Agathonis, sed potiùs contrarium inuenitur vbi toties inculcat sinceram fidem prædecessorum omnium Romanorum Pontificum; vnde aduersarij decepti videntur ex summa Conciliorum, vbi auctor illius contra fidem ipsarum epistolarum, quæ habentur integræ in Conciliorum tomo 2. addidit nomen Honorij; vt mirum non videatur, si idem contigisse asseratur, in aliorum auctorum scriptis, in quibus Honorius pro hæretico damnatus reperitur. Vnde etiam aliqui respondent Leonis Secundi epistolam ab ijsdem fuisse corruptam, à quibus corrupta est Sexta Synodus, si quidem epistola illa pars quædam Concilij censetur, & cum ipso Concilio circumfertur: remque ita se habere clarè videntur probare, quæ supra attulimus ex alijs eius epistolis, vbi Honorium non falsi dogmatis, sed ad summum nimiæ circa illud dissimulationis arguit; quamuis in hoc adhuc rectè, vt vidimus, excusari possit. Quæ autem dicuntur à Baronio tomo 8. annalium ad annũ Christi 681. de Theodoro priùs Episcopo Constantinopolitano Sextæ Synodi, cui ipse interfuit, corruptore, ibi consuli possunt.

Sanctus Martinus I. Martyr, vltimus est huius sæculi Ponrifex, quem Magdeburg. Cent.7.cap.20. Nouatianismi accusant; quod in epistola ad Amandum Episcopum, quæ habetur in Concilio Lateranensi sub eodem Martino, loquens de Presbyteris, seu Diaconis lapsu carnis post suas ordinationes coinquinatis, scripserit: [Nullatenus in eiusmodi peccato delinquentibus ad destructionem canonum compassionem exhibeas.]

Respondetur S. Martinum Papam ibi non negare copiam pœnitentiæ, & veniæ in foro conscientiæ, ad salutem animæ necessariæ, sed tantùm restitutionem in pristinum gradum, aut ministerium; prout apertè constare puto ex ipsismet terminis, quibus vetat delinquentibus exhiberi compassionem ad destructionem canonum; talis enim compassio non erat venia in conscientia, cùm illam sacri canones non negent, immò absolutè præcipiant, sed publica coniuncta cum reuocatione ad gradum, & ministerium, quam dicti canones prohibebant, in quibus Martinus seuerus illorum obseruator nolebat facilè dispensari, & ita per compassionem ipsos veluti destrui, cum ijs, qui iam ordinari labebantur in vitia indigna eo statu, & quæ ita per sacros canones puniebantur. Quod idem patet, tum ex eiusdem epistolæ contextu, vbi ait: [Qui semel post suam ordinationem in lapsum cecíderit, deinceps iam depositus erit: numquam gradum Sacerdotij poterit adipisci.] tum ex alia numero quinta ad Ioannem Episcopum Philadelphię plena doctrina Nouatianismo totaliter contraria, vnde in re clara, & ab aduersarijs solo calumniandi animo obiecta diutiùs non hæreo.

§. VIII.

Liberantur ab omni erroris nota Summi Pontifices Octaui, & Noni Seculi.

IIdem Magdeburgenses cent.8.cap.10. Gregorio III. duos errores tribuunt; primum quod in epistola ad Bonifacium iusserit iterum consecrari ordinatos ab alijs, quàm ab ijs, quos Romanus Pontifex miserat: secundum, quod permiserit viro ducere aliam vxorem, non valente prima ob infirmitatem, coniugale debitum soluere.

Sed vtrumque manifesta est impostura, ad primum enim dicitur, ibi solum iussisse iterum consecrari ordinatos à non veris Episcopis, aut dubijs, vt ipsemet se explicat epistola 5. ad Bonifacium his verbis: [Presbyteros, quos ibidem reperisti, si incogniti fuerint viri illi, à quibus fuerint ordinati, & dubium est eos Episcopos fuisse, an non, qui eos ordinauerit consecrentur:] Qui est casus longè diuersus, & in quo Sacramenta, saltem sub conditione reiterari posse, & debere, certum est. Ad secundum variæ solent adhiberi responsiones, prima est Glosæ in cap. puto quia, 32.q.5.& quæst.7.cap. Quod proposuisti, dicentis locum esse falsatum: Secunda, quod locutus fuerit Gregorius de Sponsa, quæ ob infirmitatem superuenientem ante matrimonium dimitti potest. Tertia omnium optima, quæque datur adhuc à Glosa cap. de Libellis distinct.22. quod ibi nomine infirmitatis intelligatur illa, quæ inducat impotentiam, atque adeò irritum reddat matrimonium, vt habetur in Decretal. titul. de frigidis, cap. ex literis. Quod autem iubetur viro, vt eam, quæ videbatur fuisse vxor adhuc sustentet, si eius ope indigeat, referri debet, non ad præceptum rigorosum, sed ad pietatem, quæ suadet eam non deseri, quæ nihil peccauit, vel sine cuius culpa accidit, vt vxor illius esse non posset. Communiter autem animaduertunt auctores hanc sententiam non esse Gregorij I. sed solùm huius Gregorij III. nam epistola illa, in quam irrepsit nomen Gregorij, & Augustini Episcopi Anglicanorum, est vna, & eadem cum ista ab Bonifacium, quam certum est esse Gregorij

gorij III. vnde, inquit Bellarminus, non inferitur inter opera Gregorij Magni, sed solum in tomis Conciliorum; vbi etiam notat, Concilium Romanum de gradibus prohibitis circa matrimonium, malè tribui Gregorio I. & III. cum re vera non posse esse, nisi Gregorij III. clarè pateat ex Imperatoribus, qui nominantur in principio, & in fine Concilij.

Nicolaum I. nonnulli reprehendunt, quod (vt refertur de consecrat. dist. 4. can. à quodam Iudęo) docuerit Baptismum in nomine Christi collatum, sine expressione trium diuinarum personarum, esse validum: Respondetur Nicolaum id quidem docuisse, non tamen vt Pontificem; ex cathedra definiendo, sed solùm, vt doctorem particularem suam opinionem obiter exponendo, quod infallibilitati Pontificię nihil præiudicat. Vt enim iam notauimus lib. 2. sect. 5. cap. 4. & superiori capite conclusione 10. & 17. Quæ in alicuius rei definiendæ probationem, & confirmationem, aut aliàs obiter solum, & in transcursu à Pontificibus: vel etiam Concilijs generalibus dicuntur, non cadunt, sub eorum definitionem, nec ad ea credenda censentur velle vniuersam constringere Ecclesiam, sed ea tantùm, quæ directè ad scopum propositæ quæstionis fidei respondentur. Sic autem se habet in præsenti Nicolai casu, nam quod ille intendebat docere in citato canone, non erat de forma Baptismi; sed solùm de ministro, de quo interrogatus fuerat. Itaque posteaquam responderat, & definierat, Baptismum esse ratum: & validum, etiam si à Iudęo, vel pagano conferatur, quæ erat præcipua quæstio, addidit obiter esse ratum, siue in nomine trium personarum, siue in nomine solius Christi detur. In quo sequutus est Ambrosij sententiam lib. 1. de Spiritu Sancto, vt ipse ibidem dicit.

Quod si instetur Nicolaum, saltem vt particularem doctorem, in hoc errasse, vel hæreticum fuisse, omnino negandum est, quia determinatè illud non docuit, vel assertiuè, sed solùm sub disiunctione, ac veluti abstrahendo à diuersitate opinionum circa formam Baptismi, tum quia parum intererat ad principale intentum, quæcumque illa esset, dummodo vera esset, vt statueretur validitas Baptismi, ab infideli illo vtenti, collati, tum quia non inueniebatur tunc vlla certa definitio Ecclesiæ de hac re; quam variæ Patrum sententiæ dubiam aliquomodo reddebant. Neque obstant huic responsioni canones Pelagij, & Zachariæ in eadem distinct. 4. cap. Multi, & cap. in Synodo, vbi Zacharias confirmare videtur Concilium Anglicanum, in quo fuerat definitum, non esse ratum Baptismum sine inuocatione trium diuinarum personarum. Nam Pelagius ibi non definit quidquam, sed solùm vt priuatus doctor in epistola ad Gaudentium suam explicat opinionem. Zachariæ autem canon multis viris doctis suspectus est. Tum quia Gratianus, vbi hunc canonem adducit, citat epistolam Zachariæ ad Bonifacium, in qua non inuenitur. Tum quia Concilij illius Anglicani non meminit V. Beda in historia gentis suæ, vbi tamen aliorum Conciliorum Anglicanorum mentionem semper facit. Immò ipse contrariam sententiam amplectitur cap. 10. Actor. vbi approbat sententiam D. Ambrosij de Baptismo in nomine Christi, Quod sine dubio non fecisset, si re vera tale decretum Concilij Anglicani, cuius meminit Zacharias, extitisset, nec enim illud ignorasset, cùm ipse eodem tempore vixerit, nec voluisset Concilio in sua patria celebrato, & à Sede Apostolica confirmato, contradicere.

Adhuc tamen admissa auctoritate Concilij, & Zachariæ Cardinalis Bellarminus respondet dupliciter. Primò cum Magistro in 4. Sent. distinct. 3. fuisse in illo Concilio dumtaxat definitum, non esse ratum Baptismum sine inuocatione trium diuinarum personarum. Non autem esse determinatum, an illæ tres personæ implicitè, an explicitè nominari deberent, ac proinde non pugnare istum canonem cum sententia Nicolai docentis, vt diximus, sub disiunctione sufficere implicitam nominationem trium diuinarum personarum in vno Christi nomine. Ad quem etiam modum D. Bernardus in epist. 340. istum canonem Concilij intellexit, nec non Hugo à Sancto Victore, & omnes alij Doctores illius ætatis, qui non obstante dicti Concilij canone, docuerunt, Baptismum in nomine Christi esse validum.

Secundò respondet dici posse, Concilium Anglicanum non fuisse verè, & propriè à Sede Apostolica approbatum, atque adeò non facere rem de fide. Zacharias enim laudauit quidem illud Concilium & eius decreta ad suum propositum; non tamen propriè vt Pontifex & ex intentione confirmandi, illa probauit Aliud est autem Pontificem seriò confirmare decreta Conciliorum, aut alicuius Sancti Patris doctrinam, aliud verò, ad aliquod aliud propositum ea solùm commendare. De qua etiam re consule Patrem Macedo Theologiæ positiuæ schola 7. cap. 5. vbi ostendit posse sustineri sine nota erroris Nicolai decretum dicentis Baptismum in nomine Christi validum esse, non quidem iure ordinario, sed per particularem dispensationem, sicut contigit in primitiua Ecclesia tempore Apostolorum, &c.

Cùm hoc nono seculo Formosus Episcopus Portuensis proscriptus, ac degradatus fuisset à Ioanne VIII. coactusque iurare se nunquam Episcopatum repetiturum, Marinus tamen successor Ioannis eum reuocauit, summusque postea Pontifex creatus fuit. Verùm Stephanus VII. obtento Pontificatu non solùm omnia Formosi acta rescidit, sed insuper corpus defuncti exhumauit, & Pontificijs exutum insignibus tribus amputatis digitis in Tyberim proijci iussit, nec non ab eo ordinatos, iterum ordinari: habitoque ea de re Concilio à se decreta confirmauit. Quod factum cum omnibus displiceret, Formosum enim Papam doctrina, & sanctitate insignem fuisse, quicquid aliqui dicant, testatur Luitprandus, qui eo tempore vixit, & ex operibus eius id ipsum demonstrat Cardinalis Baronius tomo 10. Annalium, inde Ioannes IX. conuocato alio Concilio Episcopali, Formosum verum Pontificem fuisse declarauit, & Stephani VII. sententiam irritauit. At superueniens Sergius III. Stephani defensor rursum Formosum condemnauit,

acta-

actaque ipsius. Sic igitur in hoc misero seculo contrariè se habentibus his summis Pontificibus, inde inferunt Magdeburgenses necessariò aliquos eorum errasse.

Respondetur turpiter quidem errasse Stephanum VII. & Sergium III. sed in quæstione facti: non iuris, & malo exemplo, non falsa contra fidem doctrina. Ambo enim non ediderunt aliquod decretum, quo definirent ordinatos ab Episcopo degradato vel nominatim à Formoso tamquam degradato, esse iterum ordinandos, sed solùm de facto id iusserunt: quæ iussio non ex ignorantia, aut hæresi procedebat, sed ex mala voluntate, & odio in Formosum tanto, vt eos ita & rabies ita transuersos egerit. Nec mirum, cùm ambo inuasores, & intrusi, & grassatores in eorum vita à Scriptoribus appellentur, essentque potiùs Pontifices tolerati, quàm legitimè electi, quamquam post intrusionem veri Pontifices fuerint, & ab Ecclesia approbati.

§. IX.

Summi Pontifices decimi, & vndecimi seculi ab omni hæreseos labe innocui.

QVod ex Martino Polono docent Magdeburgenses Syluestrum II. ante Gerbertum vel Gerebertum dictum, fuisse Magum, & Negromanticum, multòque magis hæreticum, res prorsùs commentitia est, quidquid sit enim de illo, cùm priuatus esset Gerbertusque vocaretur, an alijs abundarit vitijs, de quo modò non disputamus, Pontificem tamen factum cum Syluestri II. nomine, singulari sanctitate, & eruditione conspicuum, nec vllo vitio Magiæ infamem fuisse, nec à diabolo propterea discerptum in templo S. Crucis in Hierusalem. claré in primis ostendit extans adhuc in Ecclesia Lateranensi eius sepulchrum, cum epitaphio posito à Sergio IV. Papa viro sancto, omnium Scriptorum consensu, qui tantum quinque annis fuit posterior Siluestro: in quo epitaphio laudatur Siluester tamquam optimus Pontifex iuxta sequentem teuorem.

Iste locus mundi Siluestri membra sepulti.
Venturo Domino continet ad sonitum.
Quem dederat mundo celebrem
doctissima Virgo.
Atque caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena Sede
Remensis populi Metropolim patriæ.
Inde Rauennatis meruit conscendere summum
Ecclesiæ regimen nobilitate potens.
Post annum Romam mutato nomine sumpsit.
Vt toto fieret pastor in orbe nouus.
Cui nimiùm placuit sociali mente fidelis:
Obtulit hæc Cæsar tertius Otho sibi.
Tempus vterque comit clara virtute Sophiæ,
Seelum omne & gaudet, frangitur omne reum.
Clauigeri instar erat cælorum Sede potitus.
Terna suffectus cui vice pastor erat.
Iste vicem Petri postquam suscepit, abegit.
Lustri non spatium, cum placidè moritur.
Obriguit mundus, discussa pace triumphus.
Ecclesiæ nutans dedidicit requiem.
Sergius hunc loculum miti pietate Sacerdos
Successorque suus compsit amore sui.
Quisquis ad hunc tumulum deuexa
lumina vertis.
Tu Domine omnipotens die miserere sui.

Insuper cùm illud idem affirment omnes vetusti auctores: Helgaudus Floriacensis circa annum Domini 1040. in vita Roberti Pij; Hermannus contractus 1049. in Chron. anni 1000. Sigebertus Gemblacensis 1100. in Chron. anni 992. Continuator Aimoini 1140. lib. 5. cap. 45. nulla prorsùs fides adhibenda est Martino Polono, sed pro fabella habendum, quod ait Siluestrum II. Magum fuisse, & ex ipso Galfridus quidam circa annum 1400. addidit Sigeberto, quæ enim de Magia Siluestri sequuntur post tam honorificam de illo mentionem, [quo inter claros sapientia egregiè claruerit.] non reperiuntur in manuscripto Sigeberti. Sic autem de Siluestro fabulandi occasionem dedisse notat Bellarminus singularem eius in Philosophicis, ac Mathematicis peritum. Infelici enim hoc sæculo, quo nullum deterius post Christum videtur fuisse perinde habebatur esse Philosophum & Mathematicum, ac Magum, & Necromantam. Addunt etiam alij hunc falsum rumorem de Siluestro inde ortum fuisse, quia opera Othonis III. summum Pontificatum obtinuerat, eo sibi magnoperè conciliato, dono mirabilis Horologij Magdeburgi facto, quod ingeniosissimè composuerat. Vide Onufrium in annotatione ad Palatinam.

Non minùs ruinoso innituntur fundamento, quæ Magdeburgenses, & eorum sequaces opponunt Gregorio VII. qui ante Hildebrandus dicebatur, omnium ferè criminum eum accusantes ex quodam Bennonis libro, schismatici eius temporis Cardinalis, electi à Clemente III. Antipapa, nullaque proinde fide digni; contrarium præsertim scribentibus omnibus alijs auctoribus; qui illo tempore, & postea aliquid de hac re ediderunt, Coccius tomo 1. Thesauri lib. 7. de Hierarchia Ecclesiæ art. 16. & Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 13. triginta duos citant, qui Gregorium VII. legitimè electum Pontificem, sanctitate & eruditione insignem fuisse, & ab eo Henricum Imperatorem propter certa flagitia iure excommunicatum esse, constanter affirmant. Vnus Sigebertus, qui vt Trithemius refert in cathalogo Scriptorum fuit ex sectatoribus Henrici Quarti scripsit, Gregorium Septimum sensisse Presbyterum concubinarium, si fortè sacrum facere velit, non posse re vera consecrare, & idcircò interdixisse Christianis, ne concubinorum Presbyterorum sacris interessent. Verùm quàm sinistrè interpretatus sit Gregorij interdictum colligitur ex B. Anselmo Lucensi Sigeberto antiquiore, & sanctiore, qui in epist. 8. ad Guillelmum Abbatem sic ait: [De Presbyteris, qui se apertè, reprobos, & libidinis commercio Deo execrabiles exhibent, omnino tenendum est, quod Apostolica prouidentia Ecclesiastico

iu-

iustoque rigore constituit, nempè nullatenùs conuenit, vt ibi reuerenter astetur, vbi pertinaciter aperta, & impudenti libidine fatentes, Dei, & Sanctorum prohibitionem contemnendo, Sacris Altaribus deseruiunt, imò non deseruiunt, sed quantum ad ipsos pertinet, turpiter commaculant. Non quo quis ea quæ tractant, contemnenda, sed ipsos potiùs tractantes execrandos existimet, vt qui Dei, & Angelorum præsentiam non reuerentur, vel hominum detestatione repulsi, sacra contaminare desistant.] Hactenùs S. Anselmus Lucensis, qui rectissimè decretum Gregorij tempore suo editum intellexit, explicuitque.

Non minùs facilè euanescit altera Bennonis calumnia, Gregorium Papam hæreticum Berengarianum fuisse, hoc est, non certò credidisse in Eucharistia adesse verum Christi corpus. Nihil enim minùs de hoc Pontifice dici potest, qui primum in Concilio Turonensi tamquam Legatus Summi Pontificis præsidens, eumdem Berengarium confutauit, & iterùm in Romano Pontifex condemnauit Pontificatus sui anno 6. lata in eum sententia, quam recitat ad verbum Thomas Waldensis tom. 2. de Sacramentis c. 43. Quæ & si deficerent, sufficeret pro irrefragabili Gregorij innocentiæ argumento, eius epistola 47. lib. 1. ad Mathildem data de Eucharistiæ Sacramento, vbi apertissimè cum Ambrosio, Chrysostomo, & Gregorio Magno veritatem corporis, & sanguinis Christi confitetur, his inter alia verbis: [Pro nobis iterùm in his mysterijs immolatur, eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salute partitur, eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem vnigeniti semper imitatur,

§. X.

Propugnatur indeficientia in fide Romanorum Pontificum, qui duodecimo & subsequentibus vixere seculis.

Alexandro Tertio qui duodecimo vixit seculo solet opponi tamquam erroneum, quod capite (cùm esses) de testamentis docuerit, alienum esse à generali consuetudine, & à diuina lege, & Sanctorum Patrum institutis, vt testamenta, nisi quinque, vel septem testium fuerint subscriptione firmata, penitùs rescindantur. Huic obiectioni, quæ tamquam indeficientiam, in rebus ad bonos mores pertinentibus, satisfiet infrà c. 19. ostendeturque Alexandrum, nihil ibi docuisse ipsis aduersans: Nec etiam Cælestinum Tertium eodem seculo viuentem, qui accusatur, quod senserit matrimoniorum Catholicorum, vno ad hæresim deficiente dissolui, & posse relictum à coniuge hæretico ad alias nuptias transire, de quo vide Patrem Macedo Theologiæ positiuæ schola 7. cap. 6.

In fine quoque eiusdem seculi duodecimi reprehenditur Innocentius Tertius, quasi docuerit legem veterem nondùm planè esse abrogatam; quia in cap. (per venerabilem) qui filij sint legitimi hæc eius citantur verba: [Sanè cùm Deuteronomium secunda lex interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur, in testamento nouo debeat obseruari.] Sed Innocentium huiusmodi verbis non voluisse, Deuteronomium hoc tempore seruari ad literam, vel vti erat lex vetus, clarè patet, cùm ibi multa etiam præcepta sint ceremonialia, quæ in prima lege continebantur, quæ Innocentius obseruari noluit. Vndè significauit tantum ea custodiri debere, vel quatenùs figuræ erant Testamenti noui, ideò enim existimauit dictum esse Deuteronomium secundam legem, quia multa continet ad legem nouam figuratè spectantia; vel quatenùs conueniebant cum ipsa lege gratiæ, manseruntque in illa, non autem vti erant præcepta legis veteris; quemadmodùm præcepta Decalogi seruantur in lege Euangelica, cùm tamen habeantur in lege Moysis, non vti ius Mosaicum, verùm vti ius naturale, & diuinum.

Quod inter Nicolaum IV. qui decimo tertio, & Ioannem XXII. qui decimo quarto vixit seculo, aliqua fuerit opinionum diuersitas in materia paupertatis Euangelicæ, indè inferunt aliqui vnum, aut alterum ex illis in fide errasse: quod tamen est omninò falsum, pro cuius intelligentia obseruandum est Nicolaum IV. in cap. Exijt, de verborum significatione in sexto, vbi probat, & exponit regulam S. Francisci, tria docuisse: Primùm, regulam de paupertate profiteri solum vsum facti in omni re etiam vsu consumptibili, abdicato omni iure, & dominio etiam communi; siue quod idem est, in rebus vsu consumptibilibus posse separari vsum à dominio. Secundùm huiusmodi paupertatem, quæ omne dominium à se remouet, solo vsu retento esse perfectissimam. Tertium, eam Christum Dominum verbo simul, & exemplo docuisse. At Ioannes XXII. hæc omnia negasse videtur; nam in extrauaganti [Ad Conditorem Canonum,] docet esse impossibilem talem paupertatem, qua quis in rebus vsu consumptibilibus abdicat se omni dominio, solo vsu retento: & in extrauaganti [Cùm inter nonnullos, declarat esse hæreticum asserere, Christum Dominum talem paupertatem verbo aut exemplo docuisse; quod idem in extrauaganti, [Quia quorumdam] rursùs affirmat, ac prolixiùs inculcat.

Ex quibus apparet tria potissimùm esse in quibus hi duo Pontifices litigant, primùm, an vsus facti sit separabilis ab omni iure, vel dominio? affirmante Nicolao, negante Ioanne, cùm impossibile videatur, posse rem destruere vtendo, vt panem comedendo, & non esse Dominum illius rei. Circa quod, etsi Bellarminus existimet Ioannem errasse, quia, inquit, esse Dominum, non est posse rem destruere quocumque modo, sed posse liberè destruere, quando, vbi, quomodo quis voluerit, & etiam donare, vendere, commutare, &c. constat autem omnes veros religiosos habere vsum panis, quem comedunt, & vini quod bibunt, nec tamen posse illa donare, mutare, vendere, proijcere, &c. hanc tamen controuersiam ad fidem haud pertinere,

nere, idem auctor asserit, vt ipse Ioannes dicit in Extrauaganti, [Quia quorumdam ;] imò adhuc sunt de hac re variæ Doctorum sententiæ.

Verùm cùm Ioannes in citata statim Extrauaganti nitatur ostendere, se à Nicolao non discordare; meliùs alij respondent neutrum ex illis in hac parte errasse, sed solùm Ioannem aliter intellexisse nomen illud dominij, & iuris, atque intellexit Nicolaus, & idcircò, inquit Pater Macedo, ab eo diuersa docuisse, nec tamen diuersa sensisse. Ioannes enim nomine vsus, intellexit vsum illicitum sine iure naturali vtendi re vsuali, quod ius spectat ad conscientiam, & rectam rationem. At verò Nicolaus intellexit de iure dominij ciuilis, & proprietatis, non autem de naturali in foro conscientiæ. Vndè Ioannes hac ductus sententia, circà primam quæstionem rectè negauit, vsum facti esse separabilem ab omni iure, & consequenter circà secundam, licitum esse vsum nudum rei sine aliquo iure vtendi illa, cùm hoc esset iniustum, & contra ius naturale vti re sine iure, quod sanè est verissimum; proindèque circa tertiam quæstionem, numquam Christum Dominum, eiusque Apostolos talem docuisse paupertatem verbo, aut exemplo.

Hanc autem fuisse Ioannis mentem clarè constare videtur ex eo, quod sæpè reperit argumento; Si Christus, & eius Apostoli in ijs, quæ habuisse leguntur, habuerunt tantùm vsum facti ex eo sequi vsum Christi, & Apostolorum iustum non fuisse, quod profectò, inquit blasphemiam continet. Nam quod in prædicta assertione dicitur, [quod per abdicationem vsus prædicti proprietatis, is vsus facti ad sustentationem naturæ in Christo, & Apostolis, non conuincitur esse non iustus, sed tantò iustior, &c.] affirmat Ioannes, [impossibilitatem inducere, & errorem dictum eiusmodi continere,] quæ sunt verba Ioannis condemnantis illud ab aduersarijs adiectum, & affert rationem cur sit falsum: [Quia impossibile est actum manuum extrinsecum esse iustum, si exercens actum ipsum, nullum ius habeat illum exercendi; imò non iustus seu iniustus necessariò conuincitur talis vsus.] ipse ergo accepit ius in vsu, non pro dominio ciuili, & proprietatis, sed pro iure naturali, & conscientiæ, quo quis rectè, ac honestè re vtitur; & ideò negauit Christum, & Apostolos sine hoc iure vsum habuisse, quia existimauit iniustum esse vsum sine vllo iure. In quo sensu idem est iure vti, ac iustè vti & contrà perinde est, sine iure vti, ac iniustè vti, proindèque cum peccato; qua ratione peccasset Christus, peccassent Apostoli, si rebus sine vllo iure, id est iniustè, vsi fuissent: propterèaque illam opinionem ita intellectam, hæresim Ioannes dixit.

At Nicolaus de alio iure iudicauit, & egit, nempè de eo, quod est dominium ciuile, & proprietatis, statuitque posse vtentem tali carere iure sine culpa, imo cum perfectione, & ita vsum fuisse Christum aliquando rebus sine proprietate. Vndè patet nullam inter hos duos Pontifices contradictionem extitisse, cùm inter se minimè de eodem iure disputarent. Quam distinctionem rectè notat Macedo patere textum eorum accuratè legenti, ac sine illa non videri posse præfatos Pontifices ad concordiam reuocari: nam quod dicitur Nicolaum sensisse Christum interdùm caruisse dominio, & nudum sine illo vsum habuisse, verum est; sed quod dicitur Ioannem in sensu locutum, vt negaret semper ita se habuisse, id omninò falsum est, intellectum de vsu proprietatis, quia Ioannes numquam concessit Christum, & Apostolos nudum vsum sine vllo iure habuisse, quia putauit hoc esse impossibile, & dato esse possibile, sensit esse peccatum, & hoc argumento vtitur ad probandum in Christo Domino spoliatum omni iure vsu non fuisse, ac proindè numquam aduisit, Christum doctrinam, quam tradiderat Nicolaus, aut verbo, aut exemplo firmasse. Vt igitur hi duo inter se concilientur Pontifices, dicendum necessario est, Nicolaum de vsu ciuili, & proprietatis: Ioannem verò de naturali, & conscientiæ locutos fuisse.

Si autem quis obstinatè contenderet inter eos quæstionem extitisse de vsu primo modo considerato, siue de vsu ciuili, & proprietatis, non propterea censendus esset Ioannes errasse, quod docuisset illum separari non posse à dominio in rebus vsu consumptibilibus, cùm hoc ad fidem non pertineat; licèt Nicolaus oppositum forsan probabiliùs asseruisset; in huiusmodi enim rebus, quæ ad fidem non spectant, & consequenter ex cathedra numquam definiri possunt, vnum Pontificem posse alterius dicta, & statuta reuocare, apertè docet idem Ioannes Extrauaganti, [Quia quorumdam,] vbi distinguens inter clauem scientiæ, & potentiæ reprobat illorum sensum, qui dicunt, quæ per clauem scientiæ definiunt Romani Pontifices, hoc est tamquam Doctores particulares propriam sequendo sententiam, adeò immobiliter perseuerare, vt successores reuocare non possint, nec contrarium affirmare, quamuis de ijs quę per clauem potestatis ordinant, hoc est, Pontificia auctoritate ex cathedra semel decernunt, aliter sit, ea nimirùm reuocari nullatenùs posse.

Circà secundam quæstionem, an illa paupertas, quæ omne dominium à se remouet, solo vsu retento, sit perfectissima? licèt Nicolaus affirmatiuam teneat partem, illam tamen non definiuit tamquam rem fidei; nec etiam Ioannes directè illam impugnauit; sed in Extrauaganti, [Ad conditorem Canonum,] solummodò intendit renunciare dominio earum rerum, quæ donantur Franciscanis, quod Romani Pontificis ea esse asseruerat Nicolaus; renunciare autem eiusmodi iuri potuit Ioannes.

Tandem circà tertiam quæstionem, quæ omnium grauissima est, an Christus talem paupertatem verbo, & exemplo docuerit? non dissentiunt Nicolaus, & Ioannes; si quidem Nicolaus asserit, Christum illam aliquando ita docuisse; aliquando autem non, tamquam communem omnium Patrem, & Doctorem. Ioannes autem definit esse hæreticum affirmare, Christum nihil vmquam hic in terris habuisse proprij, nec in speciali, nec in communi. Quæ duo inter se non pugnant; nam Nicolaus non negat Christum aliquando habuisse aliquid proprij saltem

in

in communi; sed negat semper talem vitam Christum egisse. Ioannes quoque non negat, Christum aliquando nihil habuisse proprij, nec in speciali, nec in communi, sed negat semper talem vitam Christum duxisse. Quòd autem Christus Dominus vtrumque vitæ genus docuerit verbo, & exemplo, patet in Euangelio, de quo videri potest Bellarminus loco citato.

Alteri obiectioni contra Ioannem, quasi docuerit, animas Beatorum non visuras Deum ante resurrectionem, sufficienter iam satisfactum fuit superiori capite seculo 14. potestque de illa consuli idem Cardinalis Bellarminus, nec non Andreas Duuallius de infallibilitate Romani Pontificis par. 2. qu. 4.

In decimoquinto seculo Ioannes XXIII. pluribus in locis Concilij Constantiensis arguitur hæreseos, quasi negarit vitam futuram, & carnis resurrectionem. Cui dupliciter à doctoribus responderi solet, primò quod ille non fuerit legitimus, & indubitatus Pontifex, cùm eo tempore viueret adhuc Gregorius XII. antea Angelus Corrarius Venetus, nec dum Pontificatui renuntiasset, quem, vt notauimus supra suo loco, legitimè possidere à multis credebatur, proindeque non potuisse in Concilio Pisano à Patribus deponi, locoque ipsius Alexandrum V. eligi, cui ipse Ioannes postea successit. Verùm, quia hæc solutio quantumuis multùm probabilis, aliquibus non placet, respondetur secundò Ioannem, nec priuatum hæreticum fuisse, nec aliquid vmquam contra fidem, aut bonos mores definiuisse; vt constat ex sess. 12. Concilij, vbi recitatur sententia eius definitiua aduersùs Ioannem, breuiterque recensentur causæ damnationis, & depositionis eius, nulla mentione erroris, aut hæresis facta, qua si infectus fuisset, debuisset primo loco recenseri inter causas damnationis, cùm nulla sit iustior causa iudicandi Pontificem, quàm hæreseos crimen; immò nulla sit alia, ob quam iudicari ritè queat. Cæterùm, quia vitam satis insolenter ab ineunte ætate traduxerat, & etiam tum traducebat, populus idem, quod de laxioris vitæ hominibus, existimare cæpit, atque etiam dicere, eum nempè vitam æternam, carnisque resurrectionem minimè credere. Ex malis autem operibus malè colligi hæresim, quotidiana docet experientia in multis, qui rectissimè credunt, & tamen perditissimè viuunt. Ecclesia namque, vt aliàs diximus, areæ paleas cum frumento continenti, Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium bonorum, & malorum congreganti; & regno cælorum, in quo cum Virginibus prudentibus totidem fatuæ numerantur, in Scriptura comparatur.

Benedictum quoque XIII. nomine hæreseos damnauit Concilium Constantiense sess. 37. de quo licèt parùm curandum esset, cùm iste Benedictus legitimus Pontifex non fuerit, Roberto enim Gebennensi Clementi VII. dicto Antipapæ, qui viuente Vrbano VI. vero Pontifice, Sedem inuaserat, à factiosis quibusdam Cardinalibus suffectus fuerat; fatendum est tamen eum, præter hoc schisma, nulla hæresi infectum fuisse: sed quamuis in eam lapsus fuisset, non tamen eam vmquam ex cathedra, quam legitimè non possidebat, definiuit; hìc autem non de falsis, & intrusis, sed veris, & canonicis Pontificibus loquimur, dum eorum indeficientiam in rebus fidei decernendis propugnamus.

Quod aliqui objiciunt Eugenium Quartum à Concilio Basileensi sess. 34. Pontificatu priuatum fuisse, quòd is in hæresim incidisset; iam superiori capite seculo 15. ostendimus nullius esse momenti; cum nec vmquam hæreticus fuerit, nec hæresim docuerit, sed potiùs in Concilio Florentino fidem orthodoxam mirum in modum confirmarit; Conciliumque Basileense, quando ab eo Pontificatu deiectus fuit, iam in conciliabulum schismaticum, seditiosum, ac nullius prorsus auctoritatis degenerasset, quod proinde in multis aberrasse mirum videri non debet.

Vltimus tamdem è Romanis Pontificibus, qui erroris accusatur, est Innocentius VIII. quòd Noruegis permiserit, vt sine vino sacrosanctum missæ sacrificium celebrarent, ex Volaterrano lib. 7. Heographiæ; Onuphrio in Chronico anno 1490. Genebrardo in Chronico. Auctores, qui cum Henriquez lib. 8. cap. 13. & 44. defendunt non esse de essentia sacrificij Missæ, quòd sub vtraque conficiatur specie, respondent Summum Pontificem in eo cum Noruegis dispensare potuisse; At quia opposita sententia longè est probabilior, immò videtur omninò certa, quòd vtramque necessariò speciem exigat ex institutione Christi Domini, quodque proinde Summus Pontifex in hoc dispensatione vti non possit; standum est solutioni iam à me datæ superiori capite, talem nimirum historiam merum esse commentum, pro vt illam habent communiter Doctores, Suarez de Sacramento Eucharistiæ, Vasquez disput. 223. de Eucharistia capit. 3. Cardinalis de Lugo lib. 4. de Euchar. cap. 33. Macedo Theologiæ positiuæ schola 7. cap. 8. Sed esto verum esset, quòd Innocentius VIII. permisisset Noruegis, vt missam sine calice celebrarent, tantùm sequeretur, inquit Bellarminus, si errasset, eum errasse facto, non dogmate. Nam in primis non edidit ipse decretum, quo vniuersæ declararet Ecclesiæ, licitum esse sine vino sacrificium offerre. Deinde non dicitur permisisse, loco vini liquorem alium consecrati, quod fuisset materiam Sacramenti peruertere, sed id tantùm concessit, vt in altera dumtaxat specie ob extremam necessitatem Eucharistia consecraretur, quod quidem aut nullus error est, aut certè exploratus error non est. Tantùm pro defensione huius Summi Pontificis, & aliorum, ab omni errorum nota, quibus eos aduersarij infectos fuisse, grauiterque in fide peccasse, vel defecisse contendunt.

CAPVT XVIII.

Vtrùm Summi Pontificis Romani auctoritas sit infallibilis in Canonizatione, & Beatificatione Sanctorum.

SVperiori capite ostendimus Summi Pontificis auctoritatem esse infallibilem in dubijs fidei quæstionibus definiendis, iam duo supersunt examinanda; num eodem indeficientiæ priuilegio gaudeat tam in canonizatione, & beatificatione Sanctorum, quàm in decretis morum, ac speciatim in approbatione religionum? primum præstabimus in hoc capite, secundum in subsequenti. Incipiendo igitur à notitia quid nominis, tum quid rei; quod apotheosis apud Græcos, id canonizatio significat apud Latinos; Apotheosis enim idem est, ac relatio in diuorum numerum, Canonizatio autem examen ad regulam, seu decretum, aut iudicium tantæ auctoritatis, quod tamquam regula, & canon ab Ecclesia proponatur circa sanctitatem, & gloriam alicuius personæ. Qua de causa Innocentius Papa cap. 1. de reliquijs, & veneratione Sanctorum ait: [Canonizare Sanctos nil aliud est, quàm regulariter statuere, quòd aliquis honoretur pro sancto:] & ibidem omnes Canonistæ; [Canonizare est aliquem per Papam cathalogo aliorum Sanctorum adscribere, & publicè, & solemniter declarare:] Cardinalis autem Bellarminus lib. 1. de Sanctorum beatitudine, tomo 2. Canonizationem definit, [Esse publicum Ecclesiæ testimonium de vera Sanctitate, & gloria hominis defuncti, & simul esse iudicium, ac sententiam, qua ei decernuntur honores illi, qui debentur ijs, qui cum Deo feliciter regnant.]

Vnde cùm ex his tres effectus operari videatur Canonizatio, qui etiam à Summis Pontificibus in bullis Canonizationum exprimuntur. Primus est, determinare, & decernere, quod aliqua persona sit beata, Deique gloria perfruatur. Secundus, declarare, & proponere illum Ecclesiæ tamquam Sanctum per modum exempli à fidelibus imitandi. Tertius, proponere illum Ecclesiæ, vt colendum cultu publico, & solemni, non quia solùm fiat coram multis, sed quia publica auctoritate ipsius Ecclesiæ, & non tantùm priuata; cùm, inquam, hi tres sint præcipui Canonizationis effectus, difficultas esse potest, quinam ex illis ad essentialem eius definitionem requiratur, aut in essentiali Canonizationis definitione exprimi debeat. Circa quod probabilius puto primum dumtaxat requiri, & sufficere, ita vt ad essentialem Canonizationis definitionem satis sit dicere, esse publicum Ecclesiæ Catholicæ testimonium de Sanctitate, & Beatitudine alicuius personæ; cæteri autem ad maiorem eius tantùm explicationem, aut descriptionem pertineant. Nam ex eo, quod Ecclesia iudicet, & declaret aliquem esse Sanctum, & Beatum, oritur in eo ius ad omnes illos honores, qui Sanctis exhiberi solent illos imitando, & colendo, aliaque huiusmodi præstando.

Verùm, quia peracto iam Canonizationis processu, Bullaque etiam illius per anticipationem expedita, ne postea Ecclesiastica tardentur munera, plures obseruantur cæremoniæ; Primò enim conuocatur in palatium Apostolicum pro Beatis canonizandis Consistorium; Secundò, celebris habetur conuentus, in quo Pontifex, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in curia præsentes, sua pro canonizandis suffragia depromunt; Tertiò, solemnis ante actum Canonizationis, cum vniuerso Clero, & ipso Pontifice in sella gestatoria circumlato instituitur processio: Quartò, Pontifice in palatium digresso, prima instituitur instantia pro Canonizatione: Quintò, Pontifice genuflexo, & Pontificalibus induto, Litaniæ decantantur; Sextò, absolutis Litanijs, fit secunda pro canonizatione instantia, apud Papam in solio sedentem; Septimò, rursus Pontifex, & Prælati omnes sine mitris prostrati secretæ incumbunt orationi; Octauò, fit tertia, & vltima instantia; qua peracta declarat Pontifex esse Sanctos, quorum canonizatio postulatur; Nonò, dein cantat orationem de Sanctis illis pro exigentia argumenti: & Diaconus Cardinalis alta voce recitat confiteor, inserto nomine Sancti recèns canonizati: Decimò, Summus Pontifex lecta ex libro super adstantes oratione, [Precibus, & meritis, &c.] solemnem impartit benedictionem: Vndecimò, congruis indutis paramentis Pontificalibus celebrat missam in altari Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli: [Duodecimò, sub offertorio Missæ offeruntur duo cerei prægrandes, duo panes, totidem vascula vini, tres sportulæ, quarum vna continet par turturum, columbas duas altera, varias auiculas tertia. Decimotertiò, Missa finita Summus Pontifex cum solemni benedictione plenarias concedit indulgentias: Decimoquartò, solemnis instituitur Processio cum vexillis, à templo Sancti Petri in Vaticano, ad Ecclesiam, vel Ecclesias Sanctis canonizatis singulari aliqua deuotione præparatas, vbi cantantur collectæ, ac ad extremum gratiæ Deo referuntur.

Quia, inquam, præfatæ in canonizatione adhibentur cæremoniæ, iterùm est difficultas vtrùm aliqua ex illis pertineat ad rationem formalem canonizationis, aliqui enim existimant solam declarationem per Bullam factam sufficere ad canonizationem, ita vt Missa, cæteræque cæremoniæ sint illius effectus, quas si Papa omitteret, nihil detraheret canonizationi; nihilominus eo proportionali modo, quo capit. 16. conclusione 12. locuti sumus de definitione fidei, eiusque decreto formali, hic discurrendum puto de canonizatione eiusque Bulla, nimirum eam non censeri debere finitam, numerisque omnibus absolutam, donec saltem Summus Pontifex, post trinam illi factam instantiam, declarauerit eos esse Sanctos, quorum petitur canonizatio, orationemque de illis solemniter cantauerit.

Animaduertendum est secundò modum, seu solemnitatem canonizationis diuersimodè se habuisse ab initio Ecclesię ad hæc vsque tempora. Primùm enim cœpit fieri canonizatio aliquorum, ex hoc quod eorum memoria

ria inter Sanctos recenseretur, & eorum dies festi agerentur per communem populorum consensum, receptamque Ecclesiæ consuetudinem; accedente tamen semper tacita Summi Pontificis auctoritate, vt expressè docet sanctus Thomas 2.2. qu. 97. [Ita, inquit, alicuius Sancti cultus ex consuetudine Ecclesiarum generaliter introductus vim habet ex approbatione tacita, vel expressa Summi Pontificis.] Qua de causa canonizatio duplex est, vna expressa per Bullam, vel solemnem Pontificis declarationem; altera tacita, & præsumpta per communem, vt dicebam, fidelium consensum tacitè à Pontifice approbatum; qui canonizandi modus, vel forma per annos fermè octingentos in Ecclesia durauit; eoque Sancti declarati sunt Apostoli, plurimi Martyres, Doctores, Confessoresque; immò, & postquam canonizatio fieri cœpit per Bullas, publicaque Pontificum testimonia; aliqui adhuc, quorum cathalogum texit Castellinus in lib. de Canonizat. Sanctorum, per eumdem fidelium consensum Sancti canonizati euaserunt, inter quos recensetur D. Rocchus; cum enim in Concilio Constantiensi, peste iam grassati incipiente in ciuitate, Patres, vt ab ea liberaretur, ad Rocchi patrocinium confugissent, delataque processionaliter eius imagine, Deus illis postulatam eius intercessione gratiam concessisset, exinde absque vlla alia cæremonia quasi canonizatus in vniuersali Ecclesia Sancti cultum, & honorem obtinuit.

De altero autem canonizandi modo solemni, & publico licèt, quando cœperit, certò non constet, vulgò tamen illi tribuitur initium tempore Leonis Papæ Tertij, ipse enim primus, qui in historia Ecclesiastica legatur, fuit, qui solemni ritu ad instantiam Christianissimi Imperatoris Caroli Magni, & Hillebaldi Archiepiscopi Coloniensis Suitbertum confessorem solemni ritu Sanctorum Cathalogo adscripsit. Postea Innocentius II. eodem ritu canonizauit sanctum Hugonem Gratianopolitanum Episcopum anno 1130. Alexander III. sanctum Bernardum, qui etiam quàm priores Pontifices non reseruarant canonizandi auctoritatem, Episcopis abstulit, solique Romano Pontifici reseruatam esse voluit in cap. Audiuimus; quod quidam hominem in ebrietate mortuum, & occisum pro martyre venerari ausi fuissent.

Notandum est secundò huic solemni canonizandi ritui duo præmitti solere, quæ se habent per modum dispositionis ad illum, quibusque paulatim aliquis cultu aliquo incipit coli; primum est eleuatio, alterum beatificatio; eleuatio est depositio corporis alicuius personæ in loco sacro decentiori, vt ibi à fidelibus specialiori aliqua venerationis significatione honorari possit; indeque inchoatiuè est quædam testificatio de eius sanctitate non tamen determinatiuè, & completiuè. Quid autem hoc certitudinis circa illam operetur, cuiusque auctoritate fieri possit, obseruandæ sunt in hac parate leges, ac decreta sacræ Congregationis Rituum. Beatificatio autem dicitur canonizatio particularis in vno loco ex tolerantia Sedis Apostolicæ; quocirca Beatificatio, & Canonizatio in hoc specie differunt, quòd vna fit iudicium, altera solùm permissio, seu concessio, seu vt alij dicunt, Beatificationem non esse iudicium ipsius Pontificis, saltem vt est Ecclesiæ caput, quicquid sit an ita iudicet, vt particularis doctor, sed esse iudicium Congregationis Cardinalium ad id deputatorum cum permissione, seu concessione Pontificis, ita vt Beatificatio formaliter sit permissio, seu facultas Pontificis, vt aliquis possit haberi pro Sancto, non vero iudicium eius determinatiuum, sicut in Canonizatione contingit.

Ratio huius sumi potest primò ex ipsamet beatificationis forma, quæ non fit per modum declarationis, & determinationis, sed per modum concessionis, quatenus audito sacræ Congregationis iudicio Summus Pontifex indulget, & concedit id, quod petitur; siue approbat decretum congregationis, qua alicuius beatificatio petitur, concedendo, & permittendo, non sententiando, aut determinando, quod enim in Congregationis decreto postulatur, non est, quòd Pontifex de beatificandi sanctitate iudicet, sed facultatem præbeat, vt à fidelibus aliquo speciali cultu honoretur: quod etsi non fiat per modum iudicij determinatiui, aut sententiæ definitiuæ, sed per modum simplicis concessionis, adhuc tamen rectè vocari potest approbatio; concessio namque alicuius petitionis dicitur approbatio, non quidem iudicialiter confirmans, sed permittens; vnde quia sacra Congregatio iudicat talem concedi posse facultatem, Pontifex eam concedens dicitur approbare iudicium illius.

Altera ratio est, quia alicuius personæ Beatificatio solet fieri limitatè pro quibusdam solùm regionibus, aut Prouincijs, aut locis: At si in illa interueniret iudicium Pontificis, determinatiuum, semper esset vniuersalis, quia quod Pontifex determinatè iudicat, ac decernit tamquam caput vniuersalis Ecclesiæ, id ea sequi, & amplecti potest; Ergo Beatificatio de se solùm se habet, per modum facultatis, & concessionis, vt quis pro sancto colatur. Vnde etiam vlteriùs sequitur, Summum Pontificem in huiusmodi Beatificatione, non iudicare ipsam personam esse sanctam absolutè; & simpliciter, quia videtur impossibile, quòd iudicetur esse talis, & tamen in vno dumtaxat loco, non autem in alio eius permittatur cultus, signum est igitur Beatificationem non fieri per modum iudicij absolutè, ac simpliciter decernentis de personæ sanctitate, sed tantùm per modum alicuius concessionis, vt illa deinceps specialiùs honoretur, quia cum in iure prohibitum sit ex citato cap. Audiuimus, ne quis vt sanctus, quantumuis plura patret miracula, coli possit, nisi auctoritate Romani Pontificis, eum huiusmodi prohibitionem sua auctoritate tollere, & permittere, vt aliquis colatur pro beato, dummodo ex miraculis, aut alijs testimonijs constet de eius sanctitate, illud est Beatificatio. Qualis autem fidelium cultus erga Beatificatos esse possit, aut debeat attendendus est ex præfata concessione Beatificationis ipsorum, quæ aliquando fit cum restrictione loci, vt scilicet in tali Ecclesia, vel tali regione: aut prouincia colantur, vel cum restrictione temporis, vt nimirum tali die, aut diebus festum eorum celebretur; vel

cum restrictione personarum, vt à talibus personis fiat, vel tandem cum restrictione ipsius cultus, vt talis nimirum, & non alius exhiberi possit, iuxta quæ, & alia similia, necnon Sacræ Congregationis Rituum præscripta, vbi in dubijs de hac materia consulitur, fideles se se regulare debent circa Beatificatorum cultum.

Tertiò notandum est, ita Canonizationem ad solos homines defunctos ordinariè se extendere, vt tamen quandoque viui etiam canonizari possent, vbi nimirum Deus Summo reuelaret Pontifici aliquem esse ab ipso insigniter prædestinatum, ac in gratia confirmatum; quemadmodum erant Apostoli, quibus dixit Christus, [Gaudete; quia nomina vestra scripta sunt in Cœlis:] Nec non forsan illi, de quibus Diuus Paulus scribens ad Philipp. cap. 4. ita; [Quorum nomina sunt in libro vitæ;] Et quidem beatissimam Virginem Mariam adhuc viuam Canonizatam quodammodo fuisse testantur templa, quæ illi, dum viueret, erecta fuisse, testantur historiæ; ex Chronico SS. Deiparæ, auctore Benedicto Gonono Monacho Cœlestino, ibi enim ad annum Christi 35. refertur, sanctam Martham profectam Auenionem, ibi Ecclesiam ad honorem Deiparæ Virginis construxisse, quæ hodie est Archiepiscopalis, vocaturque Domina nostra de Donis, in cuius Ecclesiæ claustro, adhuc hodie videtur cella sanctæ Marthæ, & ad annum 41. sanctum Iacobum Maiorem Apostolum, Cæsaraugustanam Ecclesiam del Pilar nuncupatam, eiusdem beatissimæ Virginis Mariæ monitu. Anno verò 45. cùm sancti Sauinianus, & Potentianus à S.Petro è Roma ad prædicandum Christi Euãgelium missi venissent Carnotum, docerentque Christum filium Dei esse natum ex Maria Virgine, quam illi ignorantes colebant, Druides enim ibi centum, & eo amplius annis ante B. Virginis Natiuitatem, ei consecrarant Imaginem, & Aram, quæ adhuc hodie extant, titulum ponentes Virgini parituræ, Carnotenses magno gaudio affecti sine magno labore omnes ad Christi fidem conuersi sunt. Et ne quis eos excelleret in tantæ Dominæ veneratione, ipsi solemnes Legatos ad beatam Deiparam Virginem miserunt, quæ tunc morabatur Hierosolymis, cui cum narrassent, qualiter dudum antequàm nasceretur, concives ei Imaginem, & Aram erexerant, & Priscus eorum Rex, carens liberis, eam hęredem patriæ constituisset, eam suppliciter rogauerunt Druidarum, & totius populi nomine, quatenus principatum, & hęreditatem, licèt tantæ maiestati indignam, dignaretur accipere. Virgo autem gloriosa, Legatos sereno vultu accipiens eis gratias egit, & lubenti animo donum acceptauit, promisitque totius patriæ, & ciuium perpetuam fore protectricem. Quibus lætis nuncijs acceptis, Legati redeuntes ad propria ciuibus narrauerunt omnia, qui ineffabili gaudio repleti, multo ampliùs in beatæ Virginis amore, & obsequio profecerunt.

Obseruandum est quartò duplicem esse Canonizationis causam. Prima est Martyrium pro causa fidei, vel virtutis, qui solus titulus sufficit ad sanctificandos Martyres; ita vt ad ad canonizandum Martyrem non requiratur aliud, nisi quòd certò constet illum fuisse passum pro Christo, quamuis antea nihil in eo virtutis esset, nec postea fuerint miracula, Vnde etiam si quis immediatè ante Martyrium fuisset infidelis, vel hæreticus, sed in eo momento conuersus Martyrium pateretur, eum posse, ac debere canonizari, multæ, quæ in Martyrologijs habentur historiæ testantur, quibus narratur ipsosmet persecutores subitò ad Christum conuersos, & cum ipsismet, quos persequebantur Martyribus passos, pro sanctis Martyribus habitos, ac publicè honoratos fuisse. Immò, vt patet in sanctis Innocentibus pro Christo interfectis sufficere videtur infantes, vt pro Martyribus colantur, baptizari pro Christo in sanguine suo.

Altera canonizationis causa in adultis, est eximia sanctitas, heroicis virtutum actibus illustris, necnon miraculis præcipuè post mortem confirmata. Etsi enim olim aliqui forsan canonizati fuerint ratione solius insignis sanctitatis, sed mirabilis tamen, ac inusitatæ, qualis fuit Diuus Paulus primus Eremita, & alij non pauci Anachoretæ, interdum etiam satis fuerit pro miraculis singularis doctrina cum eximia virtute coniuncta, qualem sancti Hieronymus, & Augustinus habuere, quorum in vita miracula vix inueniuntur, vnde etiam hoc forsan sensu dixit Ioannes Papa XXII. in Canonizatione Diui Thomæ singulos suarum quæstionum articulos totidem esse miracula: Nihilominus extremis his temporibus, quibus creuit malitia, & maleuolentia hæreticorum, Ecclesia, vt quantum fieri posset, suspicandi, obtrectandi occasionem illis auferret, miracula in canonizatione Sanctorum exigere cœpit, quia quando sunt vera, quod Ecclesia semper quàm diligentissimè inquirit, & examinat, certum sanctitatis testimonium continent. Quamuis enim patrare miracula sit gratia gratis data, numquam tamen concessa fuit peccatoribus talibus, immò vix aliquando iustis mediocriter sanctis, vnde signum est, cum propter quem Deus miracula operatur, qui solus mirabilia magna facit, quique falsitati testimonium perhibere non potest, eximiè sanctum, ac illi gratum esse debere. Præterquam, quod in operibus virtutum potest interuenire hypocrisis, vanaque gloria; in miraculis autem, quæ fiunt à Deo in honorem sancti, nullum intercedere potest vitium, quia à solo Deo principaliter eduntur.

Obseruandum est quintò præuias ad canonizationem alicuius personæ diligentias, potissimùm consistens in accurato virtutum, ac miraculorum eiusdem examine, maiorem ex se non habere certitudinem, quàm moralem; cùm soli humano innitantur testimonio quod per se solum diuinam facere fidem non potest. Deinde quia sola miracula; quantumuis à solo fiant Deo, non probant semper sanctitatem, cum per non sanctos aliquando ea patret ad confirmationem sanctitatis personæ, tunc quidem ostendunt eam sanctam, vt docet sanctus Thomas 22. quæst. 78. art. 2. sed vt iam diximus talia miracula non constant, nisi certitudine morali per testium examen, sicut nec, quod talis persona ediderit miracula ad confirmationem suæ sanctitatis

an

an verò tantùm ad confirmationem suæ doctrinæ. Attamen quia præfatæ diligentiæ, siue potiùs iudicium canonizarionis non innititur testimonio, vel informationi humanæ purè, & præcisè consideratæ, sed ordinatæ ad bonum commune Ecclesiæ, & protestationem fidei circa gloriam sanctorum, inde speciali Dei prouidentiæ subduntur, ne Ecclesia in tali possit errare iudicio. Sicut etiam: vt supra diximus, in definiendis rebus fidei requiritur, quòd humano modo diligens præcedat disquisitio, quæ de se quidem haud præstat sufficiens fundamentum definitioni infallibili, secus autem si spectetur vt subest directioni Spiritus sancti, ne in rebus fidei, ex defectu sufficientis inquisitionis, aliarumque præuiarum diligentiarum ad eius definitionem necessarium erretur. Et ita Diuus Thomas Qodlibeto 9. artic. 16. docet, quòd Summus Pontifex per inquisitionem vitæ, & attestationem miraculorum, & præsertim per instinctum Spiritus sancti ei assistentis certificatur de statu alicuius sancti, non quòd noua fiat reuelatio, sed specialis detur assistentia, ne in iudicio prolato ex tali inquisitione aliquis error committatur.

Vnde notandum est sextò posse quidem Ecclesiam, siue Pontificem errare loquendo de iudicio eius circa facta purè particularia, nullumque prorsus inuoluentia, puta circa processus, & lites, & appellationes, & excommunicationes, aliaque huiusmodi; vnde in cap. à nobis, & 2. de excommunicationis sententia dicitur: [Quod iudicium Dei veritati, quæ nec fallitur, semper innititur; iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit & falli:] Secus tamen circa factum particulare canonizationis alicuius sancti, quæ semper ordinatur ad bonum commune Ecclesiæ, & protestationem fidei circa gloriam sanctorum, indeque speciali prouidentiæ diuinæ subijcitur, ad quam pertinet ne Ecclesia in tali canonizationis iudicio errare possit. Quocirca licèt particularis alicuius sancti canonizatio, vt infra dicemus, non sit quid formaliter ad fidem pertinens, nec obiectum per eam credibile, quia nullibi à Deo reuelatum, est quid tamen reductiuè ad illam spectans, quatenus vt statim ex Diuo Thoma dicebam honor exhibendus alicui etiam particulari sancto, est quædam protestatio fidei circa gloriam sanctorum.

Septimò considerandum est, hæc duo valdè inter se differre, quod Ecclesia potestatem habeat canonizandi Sanctos, & quod in illis canonizandis deficere non valeat; primum enim ad fidem pertinet, non autem secundum; sicuti certum est de fide in Ecclesia esse potestatem gubernatiuam, summumque in ea Pontificem leges condere posse, & tamen non ita certum est, quod in causis decidendis, aut in omnibus legibus diuisiuè sumptis à vero deuiare, aut imprudenter procedere non possit. Quemadmodum etiam aliud est, quod Ecclesia definiat in communi canonizandos esse, atque honorandos Sanctos, aliud verò, quod hanc particularem personam declaret esse referendam in eorum numerum: primum enim ad fidem formaliter spectat, estque obiectum per illam credibile, atque adeo per Ecclesiam, Summumque Pontificem quo ad nos infallibiliter definibile, secus autem secundum; in illo enim nullum dogma fidei determinat in vniuersali, sed tantùm applicationem facit in singulari, declarando hanc personam in particulari esse in gloria, & similiter esse colendam vt sanctam; declaratio autem sic sumpta non est definitio, vel determinatio doctrinæ, sed applicatio veritatis determinatæ, cultus nimirum exhibendi Sanctis, ad singularem personam, ideoque reductiuè solùm, & non formaliter, aut directè est de fide.

His ita prænotatis, circa præsentem controuersiam fuit error Wicleffi, qui vt refert noster Thomas Waldensis tomo 3. de Sacramentalibus cap. 122. asseruit Summum Pontificem non minùs errare posse in canonizatione Sanctorum, quàm alium quempiam hominem, quod alio peiori errore crederet non maiorem Summo Pontifici tribuendam esse auctoritatem, quàm cuilibet alteri homini. Wicleffum sequuti sunt nostrorum temporum hæretici Lutherani, & Caluinistæ, vt patet ex eorum dictis, necnon ex inueterato, quod gerunt odio aduersùs Sanctos, eorumque cultum, & inuocationem. Omnibus autem Doctoribus Catholicis in hoc conuenientibus, quòd Summus Pontifex veram, quæ non est in alijs hominibus, canonizandi potestatem habeat, aliqui tamen eorum existimant absolutè non repugnare, quòd erret in vsu talis potestatis, nec ad illum habere infallibilem Spiritus Sancti assistentiam: Rursùs maiori, & saniori Doctorum parte affirmante, quòd iudicium ab Ecclesia, Summoque Pontifice prolatum in canonizatione Sanctorum sit indeficiens, controuertitur inter illos quo gradu certitudinis id tenendum sit: aliqui enim, vt Valentia 22. disput. 1. quæst. 1. puncto 7. §.41. expresè docent esse de fide, quòd Torres ibidem disput. 16. dub. 3. probabile esse reputat; alij verò, vt Siluester verbo Canonizatio, sanctus Antoninus 3. par. tit. 11. cap. 8. §. 2. Turrecremata de Ecclesia, quæst. 51. Couarruuias lib. 1. Variar. cap. 1. Melchior Canus lib. 5. de Locis cap. 5. Penna 2. par. directorij quæst. 17. Dominicus Bannes 22. qu. 1. art. 1. in Commentarijs, dub. 7. & ibidem Torres disputatione citata, necnon Ioannes à sancto Thoma disput. 9. art. 2. asserunt esse quidem certum Papam errare non posse in canonizatione Sanctorum, & esse grauissima dignum censura, qui oppositum diceret, non tamen hæreticus esset; quid nos in hac parte sentiamus aperietur sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio, datur in Ecclesia potestas canonizandi Sanctos: Ista conclusio est de fide, primumque suum habet fundamentum in sacra Scriptura, tam veteris, quàm noui Testamenti, vbi pluribus in locis multi laudantur, & publicantur vt Sancti, quod nihil aliud est, quàm eos canonizare, Ecclesiastici cap. 44. Enoch, Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, cap. 45. Moyses, Aaron, & Phinees, cap. 46. Iosue, Caleb, & Samuel, cap. 47. Nathan, & Dauid, reprehensis Salomonis vitijs, cap. 48. Elias, Elisæus, Ezechias, Isaias, & sic deinceps vsque ad finem. Ad hoc idem faciunt quàmplurima alia veteris testamenti

loca,

loca, quibus Sanctorum fit mentio, diciturque Deus Psalm. 67. [Mirabilis Deus in Sanctis suis;] & Psalm. 150. laudandus in illis: [Laudate Dominum in Sanctis eius;] Iudith cap. 10. Ozias, & Presbyteri ciuitatis apprecantur illi: [Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, & omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, vt glorietur, inquiunt, super te Iersalem, & sit nomen tuum in numero Sanctorum, & iustorum.

In nouo Testamento nonne Christus Dominus Abraham, Isaac, & Iacob, necnon Lazarum canonizauit, Sanctosque declarauit, quando Matthæi cap. 8. vers. 11. dixit, [quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno Cœlorum.] De Lazaro autem ait Lucæ 16. vers. 22. [Factum esse vt moreretur, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ:] Diuus quoque Lucas in actis Apostolicis canonizauit Sanctum Stephanum, & Iacobum Maiorem; item Petrum, Paulum, Barnabam, & alios: Sanctus etiam Paulus ad Hebræos cap. 11. multos numerat tamquam Sanctos; [Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, & hi omnes, inquit, testimonio fidei probati sunt.] Similiter Ioannes Apocalips. cap. 11. duos illos canonizauit, de quibus ait: [Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum.]

Sed esto nulla talia, tamque expressa in diuinis Scripturis haberemus fundamenta pro canonizatione Sanctorum; adhuc sola nobis sufficeret Ecclesiæ traditio; loquendo enim de ipsa Canonizationis substantia, scilicet, quòd Sancti proponerentur fidelibus colendi, & venerandi, quòd eorum nomina in Sanctorum referrentur numerum, diesque festi in eorum memoriam celebrarentur, tam antiquum est in Ecclesia, vt ab Apostolica traditione descendisse nemini fideli dubium esse possit. Primus eiùs testis sit Clemens Papa lib. 8. constitut. cap. 33. vbi habetur, vt Apostolorum festis vacetur ab operibus, & in die sancti Stephani, ac aliorum Martyrum. Ipse quoque, vt legitur in Breuiario Romano, [Septem vrbis regiones diuisit septem Notarijs, singulas singulis attribuens, qui passiones Martyrum, & res ab eis gestas diligentissimè conquisitas literis mandarent;] quod idem præstiterunt deinceps plures alij Summi Pontifices, non alia certè ratione, nisi vt tales pro Sanctis haberentur, eorumque martyria anniuersaria celebratione recolerentur, oblatis etiam Deo in honorem ipsorum sacrosanctis Missæ sacrificijs, vt expressè docent primorum seculorum Patres: Tertullianus in Apologet. cap. 3. [Pro natalitijs annua die facimus;] quem locum de Sanctorum, & Martyrum festis intelligendum esse probat Pamelius; hanc autem vocem [facimus,] idem importare, ac sacrificamus multis ostendit Cardinalis Baronius in notis ad Martyrologium Romanum die 9. Aprilis: quatenus mos iste perantiquus in Ecclesia Dei est, vt incruento oblato sacrificio natalitia Martyrum, anniuersaria die (vt nunc fit) religiosè celebrentur. Quod etiam passim testatur Diuus Cyprianus, sed præsertim epist. 34. vbi agens de Celerino, & alijs Martyribus ait: [Sacrificia pro eis semper, vt meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus;] & in epist. 37. [Dies, inquit, eorum, qui excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus, sacrificia offerimus, quoties passiones Martyrum, & dies anniuersaria celebratione recolitur.]

Origenes homilia in illud Matthæi, [Vox in Rhama audita est,] meminit Sanctorum Innocentium memoriam fuisse à Patribus celebratam. Sanctus autem Gregorius Thaumaturgus, Gentilium ferias superstitionibus cumulatas, vt maiori diaboli contumelia, quibus ipse coli voluerit, Christus Dominus ab omnibus honoraretur, in festa, ac celebritates Sanctorum Christi Martyrum commutauit, vt his verbis Gregorius Nyssenus orat. de vita sancti Gregorij Thaumaturgi significat dicens: [Descendit rursus ad vrbem, & omni circa regione vndique peragrata, & perlustrata, additamentum, & quasi corollarium studij erga numen diuinum instituebat; apud omnes vbique populos sanciens, vt nomine eorum qui pro fide decertassent, dies festi, atque solemnes conuentus celebrarentur: cùmque alij in alium locum corpora Martyrum deduxissent, per anniuersarium circuli ambitum congregati lætabantur, in honorem Martyrum ferias agentes, &c.]

Eusebius lib. 4. capit. 16. iuxta Ruffini translationem hęc habet ex epistola Smirnensis Ecclesiæ de Polycarpi reliquijs, & martyrio; [Ambusta ossa, pretiosissimis gemmis cariora, & omni auro probabiliora per ignem facta, collegimus, & sicut conueniebat, ex more condidimus. Quo in loco etiam nunc, præstante Domino, solemnes agimus, celebresque conuentus, maximè quidem in die passionis eius. Sed & cum eo eorum memorias, qui priùs passi fuerant, celebramus, vt sequentium animi ad pręcessorum viam exemplis insignibus suscitentur.] Diuus Chrysostomus in epist. 2. ad Corinthios homil. 26. irridens Romanorum stultitiam ob Alexandrum Imperatorem inter Deos post obitum relatum, ad nostrum intentum ostendit, quantum præstent serui Dei Imperatoribus: [Quid, inquit, Christum commemoro; cùm ipse Discipulis quoque suis, vt pòst mortem clari, & celebres essent concesserit. Vbi nunc, quæso, Alexandri tumulus est? fac mihi eum ostendas, diemque, quo vitam cum morte commutauit. At Christi seruorum tam splendida sepulchra sunt, vt quæ vrbem omnium præstantissimam, maximèque regiam occuparint: & dies noti, atque perspecti, vt qui festi à toto orbe agitentur:] hæc ibi & alia plura de gloria Martyrum Chrysostomus. Sanctus quoque Augustinus tract. 84. in Ioannem, & serm. 17. de verbis Apostoli cap. 1. meminit eiusdem consuetudinis memorias Martyrum celebrandi. Tandem vt alia omittam, quæ passim in Patribus, & historia Ecclesiastica leguntur de publica Sanctorum in Ecclesia inuocatione; de Templis, & Aris in memoriam eorum erectis; de Missis, & officijs in eorum diebus festis, & anniuersarijs recitari solitis; de imaginum, & reliquiarum eorumdem cultu, ac veneratione, qui

omnes

omnes sunt canonizationis effectus; vt multa, inquam, quæ circa prædicta possent ex Patribus adduci, hìc omittam, fusiùs de illis Deo dante acturus lib. 4. sect. 9. aduersùs Hæreticos contendentes Sanctis non posse honorem sacrum, cultumque religiosum exhiberi, quia proprius est Dei, cum oriatur à virtute religionis, quæ solùm respicit Deum colendum, quoniam religio, & latria idem sunt; interim solùm animaduerto, posse cultum aliquem dici sacrum, vel religiosum dupliciter, vel quia elicitur à virtute religionis, vel quia imperatur ab illa. Primo modo cultus Sanctorum non elicitur per se, & directè à virtute religionis, ita quod ad Sanctos per se terminetur, vt docet sanctus Thomas 2.2. quæst. 83. art. 4. ad 1. sed quatenus transit ad Deum, in quantum scilicet in ministris Dei Deum veneramur, vt ibidem ait sanctus Thomas qu. 82. art. 2. ad 3. Secundo autem modo, scilicet imperatiuè cultus religiosus impenditur Sanctis, quatenus Religio imperat duliæ, quæ est distincta virtus à Religione ex eodem Diuo Thoma 2.2. quæst. 103. à dulia autem procedere venerationem Sanctorum ait 3. par. q. 25. art. 5. Et ita exhibetur Sanctis honor sacer, cultusque religiosus non quidem ab ipsa religione directè elicitus, sed à dulia; à religione verò, seu latria imperatus, in quantum Sancti sunt in statu deifico, & ipsi Deo ob insignem, & heroicam eorum sanctitatem proximè coniuncti: vnde Nyssenus rectè Sanctorum cultum, [additamentum, & quasi corollarium studij erga numen diuinum appellauit,] vbi cum à Gregorio Thaumaturgo vbique institutum fuisse docet loco superiùs citato. Et Gennadius de Eccles. dogmat. capit. 73. [Sanctorum corpora, & præcipuè beatorum Martyrum reliquias, perinde, ac si Christi membra sincerissimè honoranda, & Basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijssimo, & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit; non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantius creditur.] Quatenus Eunomius impugnator diuinitatis Spiritus sancti primus cultum Sanctorum, sacrarumque reliquiarum ipsorum ausus est improbare: quem perditissimus Vigilantius, & inde Claudius Taurinensis, ac demum cæteri hæreticorum satellites sunt consectati.

Cur autem Christus hanc auctoritatem canonizandi Sanctos Ecclesiæ suæ relinquere voluerit, plures non desunt congruentissimæ rationes, præcipuæ sunt sequentes: Prima, vt etiam in terris, vbi locus agonis, legitimique certaminis eorum fuit, hanc laborum suorum mercedem, triumphique coronam vtcumque reportent. Secunda, vt gloriæ essentiali, qua gaudent in Cœlis, hæc accidentalis gloria respondeat ex parte Ecclesiæ Militantis. Tertia, vt coniungamur nos viatores cum illis per affectum, ac venerationem, illi autem iam comprehensores nobiscum per intercessionem, & protectionem. Quarta, vt nos eorum exemplo prouocemur ad earum præsertim virtutum imitationem, in quibus insignes fuerunt. Quinta, vt probetur Ecclesiam Catholicam, non solùm quoad legem, sed quoad personas etiam esse sanctam, dum tot iustos, & sanctos parit, ac beat. Sexta, vt inde Gentiles, & Hæretici confundantur, qui non habent personas iustas, & sanctas, quas consecrent, quatenus cum sola vera fide, & vbi illa reperitur, vera etiam sanctitas coniungitur. Septima, vt ita seruetur, quæ in Symbolo fidei docetur Sanctorum communio.

Secunda conclusio, Episcopi particulares numquam habuerunt ius canonizandi absolutè, & pro tota Ecclesia aliquem Sanctum; in hac conclusione conuenire debent omnes Theologi, etsi enim aliqui vt Waldensis lib. de Sacramentis tit. 14. cap. 122. vt Bellarminus de Sanctorum beatitudine cap. 9. existiment olim quemlibet Episcopum solitum fuisse canonizare Sanctum in sua Diœcesi, nullus tamen vmquam id asseruit respectu vniuersalis Ecclesiæ; ratio est, quia si particulares Episcopi, vel Ecclesiæ leges ferre non possunt pro vniuersali Ecclesia, multò minus canonizare pro illa; deinde, vt dicetur infra, Canonizatio debet esse certa, & infallibilis, vbi fit pro tota Ecclesia, sed iudicium Episcopi, & Ecclesiæ particularis non est certum, nec infallibile; ergo per illud fieri non potest canonizatio respectu vniuersalis Ecclesiæ; sique canonizatio aliqua à particulari Episcopo facta quandoque in ea inualuit, id contigit ex tacita Summi Pontificis approbatione per communem consensum Fidelium, & consuetudinem ab illis receptam. Vnde, quod obijcitur Papam Fabianum scripsisse Episcopis, vt diligentiam exactam adhiberent ad proponendos Sanctos colendos, non ità se habet in illa epistola, quæ est prima inter eius epistolas, sed solùm, quod acta, & gesta Martyrum excipere, nonnisi fidelissimis committeretur Notarijs, quod igitur in hac materia cultus, aut venerationis Sanctorum aliqui olim præstiterunt Episcopi, si id fuit sine approbatione tacita, vel expressa Summorum Pontificum non tam canonizatio publica, quàm dispositio ad illam, siue inchoatio illius, signumque deuotionis, ac pietatis priuatæ, dicenda est, quia fuit solùm intrà particularem notitiam singularis Ecclesiæ. Qua de causa meritò Alexander III. & Innocentius item III. ad auferendam omnem in hac re ambiguitatem vetuerunt, ne deinceps aliquis pro Sancto coli inciperet, sine Romani Pontificis auctoritate, vt patet ex citato cap. Audiuimus, & cum eo, de reliquijs, & venetatione Sanctorum, vbi Alexander III. conquerens, quòd homo quidam occisus in potatione, & ebrietate coleretur pro Sancto ait, non licere, etiamsi miracula per quempiam fierent, absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ eum venerari. Particulares autem Episcopos Sanctis iàm ab Ecclesia canonizatis posse in suis Diœcesibus dies festos instituere, & iubere illos obseruari, colligi videtur ex cap. Pronunciandum, de consecratione, in quo habetur: [Illæ festiuitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudarunt;] atque ità intelligunt hæc verba Azorius 2. par. institut. moral. lib. 5. cap. 6. nec non Angelus Roccha in suo commentario de canonizatione Sanctorum cap. 4. quæ etiam explicari possunt, quòd olim, vt diximus, Episcopus cum suis Cle-

ricis

ricis quantum ad suam Diœcesim, quasi priuata deuotione potuerint Sanctos colere.

Tertia conclusio, sola Sedes Apostolica, siue Romanus in ea pro tempore sedens Pontifex auctoritatem habet canonizandi Sanctos; hæc conclusio est certissima, illamque claré demonstrant tam praxis Ecclesiæ, quàm innumeri textus illam asserentes, cap. Audiuimus, cap. Cùm ex eo, de reliquijs, & veneratione Sanctorum, cap. venerabili, de testibus, cap. Gloriosus in 6. & Glossæ ibi; ex quibus illa cap. Gloriosus rem præ cæteris insigniter his explicat verbis: [Solus, inquit, Papa habet Sanctos canonizare, Primò, quia ista est vna de maioribus causis, quæ inter Christianos proponi potest, & sic est ad Sedem Apostolicam referenda, de Baptismo, cap. Maiores. Secundò, quia miracula attribuuntur fidei. Hæc igitur quæstio cùm sit de fide præcipuè est ad Sedem Apostolicam referenda, 24. quæst. 1. Quoties. Tertiò, quia ad Papam spectat declarare dubia Scripturarum; qui filij sint legitimi, per Venerabilem. Multò fortiùs dubia sanctitatis, quia circa maiora maius periculum vertitur. Quartò, ne per multorum Episcoporum simplicitatem decipi contingat, supra eodem titulo cap. 1. Quintò, ne in infinitum Sancti multiplicentur, & sic contingat deuotionem refrigescere, & Sanctitatem vilescere, 8. distinct. Episcopi.]

His quinque citatæ Glossæ rationibus accedat sexta, desumpta ex supremi capitis dignitate, cùm enim Sancti ab vniuersa Ecclesia sint colendi, debent ad hunc effectum proponi à supremo vniuersalis Ecclesiæ capite, cuiusmodi est solus Romanus Pontifex. Septima, quòd, vt solus Christus est, qui sanctificat iustos intrinsecè, & per gratiam, iuxtà illud Leuitici cap. 21. [Ego Dominus, qui sanctifico eos;] ità quoque solus Christi Vicarius, qualis est per excellentiam Romanus Pontifex, declarare debet Sanctos proposita Fidelibus insigni illorum Sanctitate. Octaua, & vltima, quia declarare Hæresiarchas pertinet ad Solam Sedem Apostolicam, quæ illos, eorumque doctrinam damnat, & anathematizat: igitur è contrario declarare Sanctos ad eamdem Sedem spectabit, vt illos vbique Fideles honorent, & exaltent, non solùm ore, Deum in illis laudando, sed & operibus, virtutes eorum religiosè imitando.

Si autem inquirat aliquis, an solus Papa per se, sine consensu Cardinalium, possit canonizare? cùm id aliqui negent apud Angelum Roccham loco superiùs citato, alij verò affirment: in hac re ego discurrendum esse puto, sicut in definitionibus fidei; cùm ad declarandum quoque Sanctum, non minùs tali operi præuiæ adhiberi debeant diligentiæ, quàm dubiæ quæstioni fidei desiniendæ; igitur, quemadmodùm vbi Summus Pontifex solus potest, & vult tali definitioni necessarias præmittere diligentias, non indiget ad illam nec Cardinalium, nec aliorum consensu, secùs autem vbi nec vult, nec potest, vt supra explicuimus cap. 16. ità quoque si in canonizatione Sanctorum solus necessarias illi diligentias præconferre posset, & vellet, crederem eum ad illam non indigenum fore Cardinalium, aut aliorum consensus, & votis at quia moraliter, viaque ordinaria hoc videtur impossibile, hac ratione dici debet eum non posse sine consensu, aut voto Cardinalium, aliorumve Consultorum ab eo in hoc negotio adhibitorum canonizare.

Iterùm si petatur, an Concilium vniuersale per seipsum Sanctos canonizare possit, casu quo, eo iàm à Pontifice legitimè congregato ipse moreretur; aut etiam contingeret illud legitimè congregari in casu schismatis, ac dubietatis veri Papæ; respondent aliqui affirmatiuè in vtroque casu; quia in primo Concilium vniuersale legitimè semel à Summo Pontifice congregatum adhùc, eo mortuo, ab eius auctoritate pendet, ac proindè sufficienter ex hoc ius canonizandi proprium Pontificis inuoluere videtur: in secundo autem, quia si tunc potest declarare Papam Vicarium Christi, non apparet, cur etiã non possit declarare Sanctum. Quod vtrumque licèt valdè probabile sit, non ob rationes adductas, sed ea potissimùm, quod, vt statim dicemus, infallibilitas canonizationis, seu iudicij, quo declaratur aliquis Sanctus, non sit infallibilitas fidei, nec obiectiuè, nec reflexiuè, nihilominùs probabiliùs existimo Concilium generale tunc nec posse, nec debere canonizare, sed priùs ad electionem, vel declarationem veri Pontificis procedi debere per eos, ad quos respectiuè de iure pertinet. Ratio est, quia in omni sententia Concilium generale vnà cum Summo Pontifice supremo Ecclesiæ tam cutitatiuè, quàm repræsentatiuè sumptæ capite plenitudinem habet Ecclesiasticæ potestatis, nec non etiam solus Pontifex, in mea, & certiori sententia, seorsim à Concilio, cùm semper sit Ecclesiæ caput, à quo cùm proueniat, ac deriuetur omnis in eam influxus, debet etiam in eo reperiri necessariò plenitudo potestatis spiritualis in rebus fidei, ac religionis; at valdè dubium, ac incertum saltèm est, nùm Concilium generale illa gaudeat seorsim à Summo Pontifice consideratum: igitur vbi ob aliquem casum Ecclesia careret Summo Pontifice, priùs deberet procedi ad eius electionem, aut declarationem, quàm deueniri sine illo ad rerum fidei, ac religionis definitionem, nisi tunc illa approbationi, & confirmationi veri Pontificis futuri humiliter subijcerent, à qua suam vltimam haberet firmitatem.

Nec refert, quòd in secundo potissimùm casu tota Ecclesiæ auctoritas videatur esse penès illud Concilium. Respondetur enim illam quidem esse penès illud, sed in ordine ad declarandum præcisè quis sit verus Pontifex, non autem ad declarandas, aut definiendas res ad fidem, ac religionem pertinentes. Quod si tamen vnanimiter omnes aliquam ex illis docerent, crederem illam esse infallibilis veritatis, & vt talem ab omnibus amplectendam Fidelibus, non ex vi alicuius priuilegij in definiendo infallibiliter seorsim à Summo Pontifice, sed tantùm in sentiendo, & credendo, quo, vt diximus sect. 3. cap. 10. huius libri, nec Ecclesia vniuersalis toto Orbe diffusa, nec omnes eius Pastores, ac Doctores, simùl sumpti, multòque minùs simùl conciliariter adunati personaliter errare possunt sentiendo aliquid contra fidem, ac religio-

gionem. De quo iterùm redibit sermo sectione sequenti, vbi examinabimus iura Conciliorum vniuersalium.

Quarta conclusio, Sancti omnes, qui à Summo Pontifice, generalique cum illo Concilio canonizantur, necessariò ab omnibus reuerenter colendi, & pro Sanctis habendi sunt: hæc conclusio apud omnes Catholicos est extra controuersiam. Ratio est, quia hoc directè decernitur, ac præcipitur in Bullis Canonizationum, nec in hoc aliquid Diuinæ legi apertè contrarium continent; sed ab omnibus reuerenter obtemperandum esse huiusmodi decretis asserunt omnes Theologi; ergo etiam, & vbi agitur de cultu, ac veneratione Sanctorum ab Ecclesia canonizatorum, per Bullam canonizationis Fidelibus iniunctis.

Quinta conclusio, Summus Pontifex, generaliaque cum illo Concilia gaudent priuilegio infallibilitatis in canonizatione Sanctorum; hæc etiam conclusio est certissima inter Theologos, licèt dubium sit inter eos, quo gradu certitudinis tenēda sit, siue quàm certum sit Pontificem in canonizatione errare non posse. Colligiturque primùm ex auctoritate, & sensu Ecclesiæ, ac Pontificum. Nàm in Concilio Constantiensi sess. 8. damnatur error Wiclessi 44. vbi sanctitatem Augustini, Benedicti, & Bernardi in dubium reuocat. Et in Bulla canonizationis sancti Thomæ Aquinatis post enumerata eius miracula Ioannes XXII. ait: [Hæc sunt testimonia tua Deus, quæ de hoc Viro iusto nobis credibilia facta sunt nimis. Nàm si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est, quo animam eius Cælum possidere iàm credimus.] Item Sixtus IV. in canonizatione sancti Bonauenturæ: [Confidentes, quod in hac canonizatione non permittat nos Deus errare.] Et infrà: [Hunc Sanctum esse, fideliter, firmiterque teneri debere decernimus.] Sixtus V. in canonizatione sancti Didaci: [Publico nostro, & huius sanctæ Sedis testimonio, quæ à Spiritu sancto gubernatur; & regitur, beati Didaci sanctitatem optimo iure declaratam esse, &c.] Deindè: [Nos ipsi de Spiritus sancti singulari patrocinio, atque infallibili assistentia diximus.] Clemens denique VIII. in canonizatione sancti Hyacinthi; [Sancti Spiritu, quo Ecclesia afflata numquam fallitur multis cum precibus inuocato.]

Ex quibus auctoritatibus sic primam pro conclusione rationem efformo; illud iudicium debet haberi pro infallibili, abstrahendo à gradu infallibilitatis, quod fit ex speciali assistentia Spiritus sancti Ecclesiam gubernantis, ac regentis, sed præfati Pontifices Sanctorum ab ipsis canonizatorum sanctitatem se ex tali patrocinio declarasse testantur; infallibile igitur in hac parte eorum habendum est iudicium. Altera ratio est, quia, vt capite sequenti dicemus, Pontificis definitio in decretis motum ad vniuersalem spectantibus Ecclesiam, est infallibilis, saltèm quoad substantiam ipsius decreti, itaut materia præscripta bonis moribus non aduersetur; sed Decreta Canonizationis æquiparanda sunt definitionibus morum vniuersam Ecclesiam concernentibus, quatenùs illis declaratur, ac iudicialiter definitur hanc, vel illam personam necessariò ab vniuersa Ecclesia pro Sancto habendam, & colendam esse: igitur necesse est, ea decreta saltèm quoad substantiam esse infallibilia; itaut materia per illa præscripta non sit bonis moribus contraria; esset autem, si canonizatus ille Sanctus, reuera Sanctus non esset, ac Beatus, quia per se contra bonos mores actus superstitiosus est, cuiusmodi saltèm materialiter esset, pro Sancto colere, qui Sanctus non est.

Tertia ratio est, quia si rationabiliter liceret dubitare de Sancto canonizato, liceret quoque dubitare, nùm veneratione dignus esset, hoc autem non licet, quia Ecclesia tota eum publicè colit: cùm enim ipsa sit columna, & firmamentum veritatis, 1. Timoth. 3. quam docet etiam Spiritus sanctus [omnem veritatem,] Ioannis 16. rectè ait Augustinus epist. 108. [Si quid horum (quæ nimirùm ad religionem pertinent) tota per Orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ità faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ esse.] Vide etiam Bernardus epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses agens de seruandis festis; in honorem Sanctorum scribit: [Ego, quæ accepi ab Ecclesia securus teneo, & trado.] Vltimam rationem deducit Bellarminus ab ipsa experientia, qua numquam in hac re fuit error deprehensus, cùm tamen in alijs rebus, in quibus errare possunt Pontifices, aliqui interdùm errores animaduersi fuerint.

Si quis obijciat primò illud commune dictum, quòd Augustino tribuitur, videlicèt, [multa corpora honorari in terra, quorum animæ torquentur in Gehenna;] inde enim sequi videtur haud esse certum, & infallibile, quòd Sancti, qui coluntur, sint in cœlo, ita vt oppositum dicere aliquam mereatur censuram. Respondent communiter Doctores cùm Bellarmino tale dictum in Augustino non reperiri; sed etsi reperiretur nihil nostræ officit conclusioni; primò enim facilè intelligi posset de Ethnicis, quis suis ritibus venerabantur homines gentiles tamquàm Deos, quos indigetes appellabant, cùm tamen essent in inferno: secundo de illis Christianis, qui maiorum suorum corpora epitaphijs, & statutis honorant, quorum tamen plurium animæ torquentur in Gehenna; tertiò de hæreticis, præsertim Donatistis, qui venerabantur interfectos propter suam sectam tamquam martyres: Quartò de reliquijs, & ossibus, quæ aliquando coli contingit, cùm veræ reliquiæ non sint, quia Summus Pontifex non canonizat hæc numero ossa dicens de facto esse illius Sancti, qui in illis honore afficitur.

Si opponatur secundò, Summum Pontificem, aut etiam Concilia Generalia cum illo in declaranda Sanctitate huius hominis in particulari non inniti S. Scripturæ, aut traditioni Apostolicæ, sed præcisè relationi, & informationi humanæ factæ super eius vita, atque adeò non repugnare, quòd in tali fallantur iudicio, cùm in his, quæ pendent ex peculiaribus factis Ecclesia non gaudeat priuilegio, infallibilitatis. Huic obiectioni respondet Augustinus Triumphus lib. de potestate Ecclesiast. quæst. 14. art. 4. posse contingere errorem in canonizatione ex parte facti,

quamuis non possit ex parte iuris, hoc est, non posse contingere, vt Papa difformetur, & dissentiat à iudicio secundùm allegata, & probata, posse tamen factum esse falsum, quia testimonia falsa esse possunt.

Verùm hæc solutio non satisfacit obiectioni, nec præsenti congruit instituto in quo infallibilitas Ecclesiæ non solùm formalis, sed & materialis esse debet; infallibilitas enim potest esse, vel formalis opposita errori formali, vel materialis opposita errori materiali; prima in rebus practicis, vti sunt res facti, attenditur non penes rem, vt est in se, sed penes sufficientia motiua ad prudenter iudicandum, vndè sæpè contingit rem in se materialiter esse falsam, & tamen dictamen prudentiale habere formalem infallibilitatem; at secunda consideratur penes esse, vel non esse rei, vt est in se, secundùm quòd oratio dicitur vera, vel falsa: Igitur in præsenti difficultas non procedit solùm de prima infallibilitate, sed potissimùm de secunda; primò ne tota dicatur errare Ecclesia, colendo aliquem pro Sancto, qui re vera, & de facto Sanctus non est, sed tantùm secundùm probata, & allegata; secundò, quia dum Summus Pontifex aliquem, vt Sanctum canonizat, non solùm proponit virtutes eius secundùm se esse imitandas, & colendas, abstrahendo à subiecto, & persona eius, in quo sunt, ad id enim non esset opus noua canonizatione, cùm virtus secundùm se sit semper laudabilis, sed insuper proponit ipsam personam indiuidualem, quam iudicat talibus virtutibus ornatam, toti Ecclesiæ colendam, ac imitandam; Ergo non solùm ex parte iuris, sed etiam ex parte facti, siue non solùm formali, sed insuper materiali infallibilitate gaudere debet Pontifex in Canonizatione Sanctorum.

Itaque vera obiectionis solutio desumenda est ex ipsa differentia rerum facti inter se, quarum aliæ sunt indifferentes, nullum habentes nexum cum materia fidei, vel morum spectantium ad vniuersalem Ecclesiam, aliæ, quæ talem habent nexum; vnde respondetur iudicium quidem Ecclesiæ, quod versatur circa facta primi generis, cuiusmodi sunt processus, lites, appellationes, excommunicationes, & similia, quæ pertinent ad forum litigiosum, testimonijsque purè humanis nituntur, nonnunquam falli posse, vt patet ex cap. à nobis, & 2. de sententia excommunicationis, vbi expressè dicitur contingere interdum; [Vt qui ligatus est apud Deum apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum Ecclesiastica sententia sit innodatus:] At loquendo de factis secundi generis, inter quæ dubio procul recensenda est Sanctorum canonizatio, vt supra quintò, & sextò prænotauimus, dicendum est Ecclesiæ iudicium in illa indeficiens esse; vnde etiam non innititur informationi humanæ purè, & præcisè sumptæ, sed ordinatæ ad bonum commune Ecclesiæ, fideique protestationem circa gloriam Sanctorum, & ideò speciali Dei prouidentiæ subditur, ad quam pertinet, ne supremum Ecclesiæ caput in similibus rebus erret.

Per quòd etiam patet ad alias obiectiones fieri solitas, quòd Ecclesia falli possit in cultu, ac veneratione reliquiarum nec non hostiæ alicuius consecratæ, existimando nimirum esse corpus Sancti, aut hostiam esse consecratam, cùm tamen non sit: Dum enim infertur ita quoque accidere posse in canonizatione alicuius Sancti; respondetur disparem esse rationem, quia hostia consecrata, non est materia concernens religionem, ac mores totius Ecclesiæ, sicut canonizatio; idem dic de reliquijs; vnde etiam Ecclesia, quòd in similibus rebus sciat se non gaudere priuilegio infallibilitatis, numquam legitur eas ex cathedra, aut definijsse, aut declarasse; si tamen Ecclesia tota ita definiret, vel crederet, hoc corpus esse S. Dominici, sicut S. Dominicum esse in gloria, existimarem cum Caietano opusc. de Indulgent. cap. 8. credendum esse, sicut in hoc secundo, ita nec in hoc primo errasse, ex assistentia Spiritus Sancti.

Sexta conclusio; Non est de fide, quòd Summus Pontifex, Generaliaque cum illo Concilia gaudeant priuilegio infallibilitatis in canonizatione Sanctorum, ita vt, qui hoc negaret, statim pro hæretico habendus esset: hanc conclusionem sequuntur Doctores superiùs citati, ex quibus Ioannes à S. Thoma ait illam communiorem esse apud recentiores. Et sumitur expressè ex D. Thoma quodlib. 9. artic. 16. vbi stabilita primùm Ecclesiæ, Summique Pontificis infallibilitate in rebus fidei; deinde, [in alijs sententijs, quæ ad particularia facta pertinent: vt cùm agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de huiusmodi: possibile esse iudicium Ecclesiæ errare propter falsos testes; subiungit: Canonizatio verò Sanctorum medium est inter hæc duo, quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, quia Sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare posfit.] Ex qua auctoritate sic arguo; illud quod piè tantùm creditur, non pertinet ad fidem, sed D. Thomas ait, piè credendum esse, quod in Canonizatione Sanctorum, ad distinctionem rerum fidei, iudicium Ecclesiæ errare non possit; ergo licèt sit de fide, quod in rebus ad fidem spectantibus gaudeat priuilegio infallibilitatis, secùs tamen in canonizatione Sanctorum, sed hoc piè tantùm credendum est.

Probatur primò auctoritate Nicolai III. qui, nonnullis subdubitantibus, an Sanctus Franciscus, non ita pridem defunctus, à priori Pontifice Gregorio IX. ritè canonizatus fuisset, noua bulla eius canonizatione confirmata, in hunc dumtaxat modum scripsit:] [Rogamus, & hortamur in Domino, quatenus ab assertione contrarij, aures de cætero penitùs auertatis:] at si putasset priorem canonizationem esse definitionem fidei, omnes dubitantes de fidei errore seriò reprehendisset. Nec refert, quod interdum Pontifex in bulla canonizationis vtatur verbo definiendi; talis enim definitio non est accipienda pro definitione fidei, siue obiecti per illam credibilis, sed largo modo prout est idem, ac declaratio, seu determinatio in quacumque materia per modum sententiæ definitiuæ; Canonizatio enim est iudicium vltimò definiens sanctitatem alicuius, ideòque per modum definitionis proponitur.

Ratio demonstratiua nostræ conclusionis desumitur ex eo quòd, vt ait D. Thomas

loco

loco statim citato, canonizatio sit quid medium, inter iudicium definiens res fidei, & sententians causas particulares: ea igitur sicut nec pertinet ad fidem directè, & formaliter, ita nec exigit, vt credatur certitudine fidei; sed in illis solùm obiectis, quæ formaliter pertinent ad fidem, quæque consequenter credenda sunt fidei certitudine, de fide est Pontificiam, aut Conciliarem definitionem esse infallibilem: Ergo si Canonizatio Sanctorum inter similia obiecta locum non habet, siue quod in idem recidit, non est materia ex fide definibilis, non pertinet ad fidem, quòd Ecclesia, vel Summus Pontifex in ea definienda sit infallibilis. Canonizationem autem Sanctorum, non esse materiam ex fide definibilem; quæ est maior huius argumenti probanda, patet primò ex testimonio D.Thomæ; secundò quia in illa Ecclesia, nullum dogma doctrinę determinat in vniuersali, sed solùm, vt in notandis supra diximus, applicationem facit in singulari, determinando hanc, vel illam personam esse beatam; tertiò quia illud solum est definibile, tamquam quid formaliter de fide, quòd formaliter continetur in Scriptura, aut in sacris traditionibus, quia vt multoties diximus Ecclesia, non potest condere nouam fidem, nec nouæ fiunt illi reuelationes, sed tantùm ea, quæ in fide contenta sunt explicare, & quæ secundùm se iam sunt de fide quoad nos proponere, & ideò est regula certa, quod ea, quæ formaliter, & expressè non habentur ex Scriptura, aut traditione non sunt definibilia de fide; sed Canonizatio Sanctorum determinatè sumpta, siue quantum ad hanc particularem personam, quæ declaratur Sancta, non est quid formaliter ex Scriptura, aut traditione deducibile; sicut sunt plures aliæ propositiones particulares, de quibus egimus supra cap. 10. Ergo illa sic considerata non est quid formaliter, aut directè spectans ad fidem, sed reductiuè tantùm; quatenus determinatio de gloria cœlesti huius personæ applicatè, & in particulari, non est determinatio doctrinæ, quòd canonizari possint Sancti, vt habetur ex Scriptura, & traditione ex dictis supra, sed applicatio tantùm huiusmodi veritatis ad singularem personam.

Vnde ad efficaciam huius argumenti superest probanda prima illius minor videlicèt, solùm de fide esse, quòd Summus Pontifex, aut Concilium Generale cum illo gaudeant priuilegio infallibilitatis, vbi res ad fidem formaliter spectantes definiunt; quam sic demonstro ex natura huiusmodi rerum, quæ tàm ex parte reuelantis, siue rationis formalis suæ, quàm ex parte ea ad credendum proponentis, debent habere non solùm moralem, aut theologicam, sed omnimodam certitudinem imaginabilem; talis autem certitudo haberi non potest, nisi de fide sit, eaque credatur, eum, qui talia obiecta credenda auctoritatiuè proponit, in suo iudicio falli non posse, ex speciali assistentia Spiritus Sancti, sicut nec Deus, qui illa reuelat, falli per naturam vllatenùs potest.

Quamuis autem non sit de fide, Ecclesiam errare non posse in canonizatione Sanctorum; attamen sicut reductiuè ad illam pertinet, quòd talis Sanctus æterna perfruatur beatitudine; ita quoque illa certitudo moralis, qua ex D. Thoma piè credendum est, quòd nec etiam in illa iudicium Ecclesiæ errare possit, reductiuè ad certitudinem fidei spectat, qua credimus eam in rebus fidei haud esse deficiendi periculo obnoxiam; vnde qui oppositum diceret, licèt formaliter hæreticus non esset, grauissimis tamen citra illam censuris dignissimum fore concludunt omnes Theologi.

Talis primò temerarius esset habendus, quia iret contra communem intelligentiam, & sensum Ecclesiæ, quæ Sanctum canonizatum pro tali habet, & publicè veneratur: secundò scandalosus toti Ecclesiæ, talis enim propositio est de genere malè sonantium, quæ audientibus scandalum parere solent: tertiò impius, quia contra venerationem, & cultum ipsis Sanctis debitum; tertiò iniuriosus non solùm Sancto, iudicium de eius sanctitate à tota prolatum Ecclesia non suscipiendo, verùm etiam ipsi Ecclesiæ, vniuersale eius iudicium contemnendo; quartò tandem in hoc proximus errori, sapiensque hæresim dicendus esset; tùm quia proximè tangit auctoritatem, quam iuxta fidem habet Ecclesia ad canonizandos Sanctos; tum etiam quia cum plures hæretici canonizationes Sanctorum abijciant, si semel asseratur eas non esse certas, maximè eis fauetur, viaque aperitur, vt irrideantur, quod est maximè saperè hæresim. Expressè autem pro hæretico, vt diximus, tenendus non esset, quia iuxta D. Thomam canonizatio est medium inter iudicium de rebus fidei, & de factis merè particularibus, licèt hoc medium maximè accedat, & participet extremum de rebus fidei; deinde quia non est in particulari definitum certò, & expressè, quod talis canonizatio sit definitio fidei; sed solùm tanquam inconueniens sequitur ex his, quæ sunt de fide, quod in tali canonizatione possit dari error; vnde etiam eius certitudo æquiparari potest certitudini conclusionis Theologicæ pure deductæ.

At dicet aliquis in Concilio Constantiensi sess. 8. damnatam fuisse 44. propositionem Wiclefi dicentis Sanctum Augustinum, Benedictum, & Bernardum fuisse damnatos, eo quod habuerint possessiones. Respondetur 1. Concilium non omnes, eius articulos damnasse, vt hæreticos, sed quosdam, vt temerarios, & scandalos, vt patet ex ipso textu; secundo dico, si talis propositio fuerit condemnata, vt hæretica, id non accidisse, quia absolutè dixerit tres illos Sanctos esse damnatos, sed quod propter, possessiones, quas, habuerunt, damnati fuerint, quod est hæreticum, vnde cum magis ad hoc proposito respiciat; iure merito vt hæretica proscribi potuit.

Cùm aliqui doctores, vt Torres vbi supra dispnt. 17. dub. 6. existiment canonizationem, & beatificationem substantialiter non differere, sed, in modo solùm accidentali maioris, vel minoris solemnitas, inde inferunt, æquè etiam substantialiter dignum esse præallatis censuris, qui assereret Ecclesiam posse errare in beatificatione, aut quod anima Beatificati non esset in gloria, ac qui de canonizato id affirmaret: Nihilominus suppositi-

posita veritate alterius sententię superiùs probatæ, quod beatificatio non sit iudicium de sanctitate alicuius, sed permissio, vt publicè coli possit; Ioannes à Sancto Thoma consequenter ad illam existimat Pontificem quidem practicè errare non posse in tali beatificatione, ita, quod temerarius, & scandalosus censendus esset, qui talem celebrationem, aut talem cultum exhibendum esse negaret:at speculatiuè loquendo de veritate sanctitatis talis personæ,docet ex vi solius beatificationis non excedere latitudinem certitudinis moralis, & probabilitatis maximæ, ita quod oppositum non esset censura dignum: ait ex vi beatificationis præcisè, quia ex alio capite, v. g. si accederet assensus totius Ecclesiæ,multitudo miraculorum editorum in confirmationem sanctitatis beatificati, res fieret longè certior, quique proinde sanctitatem illius cum talibus negaret circumstantijs, esset censura temeritatis dignus.

Tria sunt, vel quatuor fundamenta, quæ hanc sententiam valde probabilem reddunt. Primum, quia vt Ecclesia celebret festum de aliquo tanquam de Sancto sufficit probabilitas, moralisue certitudo de sanctitate eius, non autem exigitur iudicium, aut sententia Canonica, vt clarè apparet in celebratione festi Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, quod Ecclesia celebrat; & tamen ipsamet præcipit, nec possit vlla censura notari opinio asserens eam fuisse conceptam in peccato originali: Igitur vt Ecclesia habeat iudicium practicum certum de celebrando festo alicuius Sancti, non desideratur, quod habeat etiam iudicium speculatiuum certum de sanctitate eiusdem, sed sufficit moralis certitudo, vel opinio, Insuper D. Thomas 3. parte quæst. 23. art. 2. ad 1. ex eo quod suo tempore Ecclesia Romana toleraret celebrationem festi immaculatæ Conceptionis, docet eam consuetudinem non esse totaliter reprobandam, nec aliquid amplius infert ex tolerantia talis celebrationis tunc temporis; sed beatificatio, vt in hac sententia supponitur est concessio celebrationis de aliquo Sancto cum tolerantia Sedis Apostolicæ: Ergo ex vi beatificationis præcisè non arguitur, nisi quod talis celebratio non sit reprobanda, non autem quod sit insigniter,taliter quod oppositum dicere sit aliqua censura dignum:Eòque magis,quò veneratio beatificatis exhibita olim permissa fuerit, induciaque Episcopis in Ecclesia, qui tamen haud poterant de fide, aut certò definire heroicam illorum sanctitatem: Igitur de se talis beatificatio, aliam maiorem certitudinem, quàm maximæ probabilitatis de alicuius sanctitate, exigere non videtur. Tandem quemadmodum in materia religionis sæpe vtitur Ecclesia opinione probabili, vt patet in dispensatione voti solemnis, & in dispensatione, matrimonij rati, non consummati; ita, quoque sufficere videtur ad permissionem, seu dispensationem, vt quis pro sancto colatur, moralis, aut maximè probabilis de eius sanctitate certitudo, cùm tam Veneratio Sanctorum, quàm votum ad virtutem religionis pertineant. Quæ etiam probabilitas sufficit, vt Pontifex practicè, non erret in tali concessione, si quidem practica certitudo, quæ sufficienter fundantur in certitudine morali, de eo quod est, vel non est in re, circa beatificati sanctitatem.

Objiciet aliquis ex Sancto Thoma 3. parte quæst. 27. art. 1. in argumento sed contra, eum ibi certò colligere Beatissimam Virginem fuisse Sanctam ante suam Natiuitatem, quia Ecclesia celebrat tale festum; Igitur hoc ipso quod, Ecclesiæ, Summique pontificis auctoritate permittitur celebratio alicuius, sicut accidit in Beatificatione, videtur esse irrefragabile argumentum, quod sit Sanctus.

Respondetur festum aliquod ab Ecclesia dupliciter celebrari posse vno modo simul cum iudicio positiuo, aut assensu vniuersali Ecclesiæ absolutè de sanctitate illius,cuius festum celebratur;alio modo ex mera duntaxat concessione vel permissione, sine tali iudicio, vel assensu; vbi primo celebratur modo, sicut fit in canonizatione, inde optimè infertur sanctitas alicuius, & ita Sanctus Thomas loco citato, ex celebratione absoluta Ecclesiæ circa Natiuitatem Virginis, eius intulit sanctitatem: secus autem si secundo solùm agatur modo, inde enim tantùm sequitur, quod talis celebritas non sit reprobanda, vt ex eodem diuo Thoma diximus. Sic autem se habet beatificatio, in qua non habetur iudicium Ecclesiæ definitiuum, sed permissio dumtaxat, nec adhuc semper est respectu vniuersalis Ecclesiæ, sed aliquarum solùm in ea personarum. Et licèt Ecclesia etiam vniuersalis celebret, si tamen specialem habeat declarationem,quod non intendit oppositam damnare opinionem, sicut fit in celebratione festi Immaculatæ Conceptionis,ex tali adhuc celebratione cum huiusmodi declaratione non arguitur cum omnimoda certitudine sanctitas illius, cuius festum agitur.

Cùm multæ in Ecclesia colantur tamquam Virgines, etiam ex ijs, quæ in adultiori ætate ad fidem couersæ sunt, Martyrijque palmam adeptæ sunt; inquiret aliquis in fine huius capitis, qua certitudine tenendum sit eas esse virgines, cùm Virginitas, quæ multis occultis modis ammittitur,vix satis explorata indicia,vel argumenta haberi possint.

In hac re distinctione vtendum esse puto. Quædam enim ex his canonizantur, aut propriè, ac formaliter sub titulo virginitatis; quamuis, cum pro talibus reputentur, nulla re, quæ sciatur, in contrarium existente, officium Virginum de ijs recitari soleat; sed ratione,ac sub titulo Martyrij,aut vitę alioquin sanctissimè traductæ; & de ijs non ęstimo,aut ab Ecclesia definiri, aut tanta certitudine credendum esse, eas Virgines esse, quin speculatiuè possit illi subesse falsum, loquendo præsertim de Virginitate strictè considerata, quæque omnem voluntariam immunditiem excludit; cum tamen interim certissimum sit eas verè sanctas, ac beatas esse, ex eo scilicet titulo, ob quem propriè, ac directè canonizatæ fuerunt. Quia licèt omnia argumenta, vel testimonia,quibus præuiè ad canonizationem probatur insignis personæ consecrandæ sanctitas, collectiuè sumpta debeant esse vera, vt inde Pontifex ex speciali Spiritus Sancti assistentia illam declaret,non inconuenit tamen

vt

vt contingit etiam in præuijs ad fidei definitiones diligentijs, quod aliquod particulare sit in se falsum, nec tamen vt tale cognitū, aut probatum; sicut etiam potest esse quid in se verum, non tamen quoad nos sufficienti probatione certum.

Quia autem de quibusdam interdum speciatim, & expressè in ipsa canonizatione declaratur, non solùm esse Sanctas, sed etiam insigni Virginitatis flore dotatas, vt in canonizatione sanctæ Catharinæ Senensis à Pio II. perfecta accidit; tunc vtrumque pro certo habendum est; præsertim cùm Ecclesia ad talem numquam deueniat declarationem, qua etiam spectantibus miraculis, ac testimonijs Virginitate alicuius certo certiùs, probetur, vt satis patet ex rigorosissima in hac parte sacræ Congregationis rituum praxi, qua promotore fidei singulis, quę sunt obijcienda opponente, omnia quàm diligentissimè ad pondus Sanctuarij examinantur.

CAP. XIX.

Quænam, & quanta sit infallibitas Pontificia in decretis morum, & approbatione religionum

PRo intelligentia, & resolutione difficultatis, primò notandum est simul in hoc capite coniungi decreta morum, & approbationes Religionum, quatenus status religiosus ad eorum perfectionem conducit; cùm Ecclesia approbando aliquam Religionem, omnibus illam fidelibus proponat tamquam regulam, & viam perfectionis, ita vt liberum sit vnicuique eam sequi non solùm tamquam aliquid spectans ad communia præcepta, sed etiam ad consilia; quare vtraque difficultas ex ijsdem prorsùs principijs resolui debet.

Secundò; notandum est circa doctrinam morum, Pontificem etiam, vt Pontificem, siue pontificia auctoritate fulgentem tripliciter habere se posse; primò, formaliter docendo, & tradendo morum doctrinam, eamque ex Cathedra definiendo, v. g. vsuram esse illicitam, licitum, & sanctum esse statum religiosum, & ad illum ingressum, communionem sub vna specie laicis esse sufficientem, & sic de alijs: secundò, docendo tantùm veluti in actu exercito, & particulari facto, vt dum in solemni voto dispensat; tertiò, nec formaliter definiendo, nec etiam in actu dumtaxàt exercito, & particulari facto docendo; sed pontificia auctoritate præcipiendo aliquid in materia morum toti Ecclesiæ, vel alicui etiam particulari, de quo potissimùm est controuersia.

Tertiò; supponendum est in eiusmodi præceptis ad mores pertinentibus duo considerari posse; primò ipsam substantiam, seu materiam præcepti secundùm se, vt nempè malum, & illicitum non sit, quod iubetur, neque ad salutem necessarium, quod vetatur. Secundò attendi possunt circumstantiæ non rei præceptæ, sed ipsius præcepti, videlicet tempus, modus, quo illud fertur, &c.

His prænotatis, circa præsentem controuersiam, Caietanus tomo 2. opusc. tract. 6. cap. 2. agens de contractu Montis pietatis. An sit vsurarius? existimat quæstionem, seu determinationem rerum moralium, vt quod iste contractus sit vsurarius, vel non, per accidens, & non simpliciter pertinere ad Papæ iudicium, scilicet quia sibi promissa est omnis veritas de necessarijs ad salutem, non autem omnis veritas naturaliter scibilis, siue moralis, siue speculatiua. Vnde inquit, quod vt in rebus fidei summi Pontificis auctoritas omnibus præcellit rationibus, ita supra ipsum in his scibilibus obtinet ratio lumine naturali roborata. Ita Caietanus, non autem vt aliqui illi imponunt, indeque eum pungunt, quod asseruerit definitionem Leonis X. in Concilio Lateranensi, qua decernitur Montem pietatis non esse vsurarium, ad fidem non pertinere. In citato enim tractatu nec simile dixit, nec dicere potuit Caietanus, cùm illum ediderit longè ante Leonem X. & celebratum ab ipso Lateranense Concilium. Caietano subscribit Magister Soto lib. 6. de iustit. qu. 1. artic. 6. vbi ait, non fuisse approbatas à Leone X. omnes conditiones illius contractus Montis pietatis, sed quatenus factis non essent contrariæ canonibus, additque eamdem Caietani doctrinam, quod licèt Pontifex summam habeat auctoritatem in condendis legibus, quæstiones tamen morales naturaliter scibiles, quæque ex sacra non deducuntur scriptura, sicut an sint tales contractus vsurarij, nec ne, non videri pertinere ad summum Pontificem. Quibus, dum à præfatis Doctoribus admittitur, quod in legibus necessarijs à Spiritu sancto infallibiliter ducitur Pontifex, constat eos, quicquid in contrarium asserat Torres de religione dispur. 16. dub. 2. nihil à communi sententia recessisse, docente Papam errare non posse in legibus, quas vniuersali Ecclesiæ proponit, & ad bonum commune ordinantur, pro clariori cuius explicatione sequentes pono conclusiones.

Prima conclusio, Summus Pontifex formaliter docendo morum doctrinam, eamque pontificia auctoritate ex Cathedra definiendo errare non potest; ista conclusio est omnium Doctorum, qui summi Pontificis infallibilitatem tuentur, eademque certitudine tenenda est, qua supra cap. 16. asseruimus eum gaudere priuilegio infallibilitatis in cæteris decretis, seu definitionibus fidei, cùm ea ipsa decreta, de quibus hic agimus, & procedit conclusio, v. g. vsuram esse illicitam, simoniam, & alia similia sint vera decreta fidei, licèt in materia practica: vnde suppositis dictis alia maiori probatione non indiget.

Nec refert, quod talia interdum dependeant ex principijs naturalibus iuris: Vbi enim illa definit Pontifex, non procedit ex huiusmodi principijs provt præcisè naturalia sunt, vel ab ipsis leges morales dependent quantum ad suam bonitatem, aut malitiam siue physicam, siue moralem; sed etiam provt traduntur in Decalogo, & in Scripturis; v.g. ex his, quæ de vsuris, & simonia docent, definit illas esse illicitas, & sic de alijs moralitatibus non solùm in communi, sed etiam in particulari, si occurreret dubium, an talis materia peccatum esset, vel non, talis contractus bonus, aut malus; quia sacra Scriptura con-

continet principia moralitatis tum in Decalogo, tum in Lege, tum etiam in Euangelio, vbi multa moralia docentur,ex conformitate ad quæ, & non præcisè ex principijs naturalibus definire potest,quod aliquid sit bonę,vel malæ moralitatis tam in communi, quàm in particulari.

Secunda conclusio, licèt Summus Pontifex, vbi secundo se gerit modo ex tribus supra allatis, applicando nimirùm legem particulari alicui facto, aut priuatæ personæ, v. g. dispensando cum aliquo in voto solemni, errandi periculo sit obnoxius, seciis tamen vbi tertio agit modo, præcipiendo toti Ecclesiæ aliquam legem, si consideretur quantum ad substantiam. Primam huius conclusionis partem docent omnes Theologi, patebitque ex dicendis conclus.4. secundam autem illi, qui pontificiam infallibilitatem defendunt; solùmque difficultas est inter illos, quo gradu certitudinis tenendum sit Pontificem errare non posse in ferendis legibus pro vniuersali Ecclesia, aliqui enim volunt esse de fide, & in hac re eum errare non magis posse, quàm si eam formaliter definiret.

Nihilominùs conformiter ad ea, quæ superiori capite diximus ex Diuo Thoma de Canonizatione Sanctorum, hic discurrendum puto, sufficereque etiam certitudinem moralem,necnon conclusionis Theologicæ; quamdiù enim Summus Pontifex non definit eam materiam particularem, quam toti præcipit Ecclesiæ circa mores, aut quia ex se non est definibilis, defectu reuelationis illius à Deo factæ, aut quia licèt sit ex scriptura definibilis, eam tamen definire non intendit, sed tantùm proponere toti Ecclesiæ seruandam; satis constat eam primo modo, nec quoad se, nec quoad nos esse de fide, sed quid medium inter res ad illam pertinentes, & particularia facta nullum ius inuoluentia; secundo autem modo licèt quoad se talis sit, non tamen quoad nos, donec ergo definiatur, saltem quoad nos, siue quasi in actu secundo, non videtur requiri alia maior certitudo, quàm moralis, necnon conclusionis Theologicæ ante Ecclesiæ definitionem, vt fusè primo explicuimus libro sect.3. cap.2. siue quod dicatur esse de fide, non quidem immediatè, sed mediatè, quod Summus Pontifex gaudeat priuilegio infallibilitatis in ferendis legibus pro tota Ecclesia, & approbandis religionibus: quatenus hæc veritas ex principijs fidei certò, & infallibiliter deducitur; qua etiam ratione dicitur illam non pertinere ad fidem, sed ad doctrinam fidei, hoc est cum ipsa essentialiter connexam.

Itaque assero pertinere quidem ad fidem, quòd Summus Pontifex leges pro vniuersali Ecclesia condere possit; insuper supposita eius infallibilitate iuxtà veriorem sententiam in rebus fidei, de fide quoque esse eum errare non posse, siue infallibilitatis priuilegio gaudere, vbi definit tamquam quid de fide materiam, quam præcipit, siue in qua fert legem; at vbi absque definitione ex Cathedra præcipit solùm, quid ad mores spectans toti Ecclesiæ, existimo certitudine tantùm Theologica, siue qua assentimur conclusioni Theologicæ necessariò ex principijs fidei illatæ,tenendum esse, quòd Summus Pontifex in hoc deficere nequeat. Principia autem fidei, ex quibus id necessariò colligi videtur, duo, vel tria sunt potissima.

Primùm est ipsamet auctoritas pontificia, qua secundùm fidem ad summum Pontificem tamquam ad supremum Ecclesię Pastorem attinet pascere oues Christi, quæ non solùm doctrina fidei, sed etiam regulis morum pascuntur, quæque consequenter non solùm in credendis, verùm & in agendis illi obedire tenentur, iuxtà illud Christi Domini Matthæi 23. [Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint seruate, & facite;] seruare enim, & facere, vt satis constat, pertinet ad mores; igitur si ob supremam quam habet Pontifex, vt Vicarius Christi in Ecclesia auctoritatem, vult idem Christus omnia, quæ ab eo fidelibus præcipiuntur seruanda esse, necessariò sequitur illam infallibilem esse debere, fierique non posse, vt Pontifex toti Ecclesiæ præcipiat aliquid mali contra ius, ac bonos mores; vel prohibeat aliquid ad salutem necessarium.

Aliud principium, vnde præfata colligitur infallibilitas, est Ecclesiæ sanctitas, de fide enim cùm sit Ecclesiam esse sanctam, necessariò quoque sequitur eam deficere non posse in rectitudine morali, quæ pendet ex legibus, atque adeò nec Pontificem in illis ferendis, cuius vocem audire tenentur omnes fideles; quemadmodum enim propter infallibilitatem Ecclesiæ toto orbe diffusæ in credendo,fieri non potest, vt Pontifex aliquid in rebus fidei definiat falsum, ita etiam propter sanctitatem eiusdem Ecclesiæ fieri non potest, vt toti Ecclesiæ præcipiat aliquid mali, vel prohibeat ad salutem necessarium; præsertim quando etiam Ecclesia, vt dicemus libro 4. sect. 2. cap. 16. potissimùm vocatur sancta à professione, quia profitetur sanctam legem, seu religionem, in qua eius superiores, nihil docent falsi, nihil præcipiunt mali.

Tertium denique principium,ex quo desumitur summum Pontificem errare non posse in decretis morum, siue in tradenda rectitudine morali, vbi aliquid præcipit, etiam si materia, quæ præcipitur non sit definita quoad veritatem credendam, est infallibilitas, qua secundùm fidem credimus, iuxtà veriorem sententiam, eum pollere in rebus fidei, vbi ex Cathedra loquitur, definiendis; inde enim vt eadem fide certum est eum errare non posse, vbi hoc modo simul definit, quod in aliqua morum materia toti Ecclesiæ faciendum præcipit; ita vbi absque definitione illud tantùm seruandum proponit, necessaria deducitur consequentia malum esse non posse, siue quod idem est, Pontificem in eo præcipiendo errare non posse; si enim erraret, id contingeret, quia ex hypothesi virtutem prohiberet, & vitium præciperet, quod absque fidei præiudicio fieri non posset; cùm fides Catholica virtutem in vniuersum bonam esse doceat, ac proinde minimè prohibendam; vitium verò malum, ac per consequens minimè præcipiendum; Igitur si Pontifex in ferendis legibus pro vniuersa Ecclesia semel à vero deflecteret, error ille, vt diximus, sine dubio in fidem redundaret, eamque indirectè destrueret; ita, etsi peccare possit, vt priuatus, non

non tamen publicè, & ex Cathedra aliquid contra bonos mores statuere, virtutem prohibendo, aut vitium præcipiendo.

Tertia conclusio, Summus Pontifex in legibus etiam ad particularem Ecclesiam spectantibus errare nequit; hæc conclusio licèt non ita certa sit, ac præcedens, si quidem Christus Dominus summo Pontifici promisit potissimùm infallibilitatem respectu vniuersalis Ecclesiæ, & propriè, vbi ita definit, dicitur agere, vel procedere, tamquam Pontifex, vt iam notauimus supra cap. 16. conclus. 17. nihilominus absolutè tenenda est tamquam magis pia, magisque conformis principijs fidei; secundùm quæ Summus Pontifex habet in Ecclesia, cuius est supremum Caput in cæteta influens membra, plenitudinem potestatis Ecclesiæ in rebus ad fidem, & religionem vbique pertinentibus: Vt igitur, quando ab aliqua particulari Ecclesia interrogatus de quæstionibus fidei respondet, probabilius est eum errare non posse: ita nec in quæstionibus morum; quia licèt interrogatio sit particularis, status tamen quæstionis generalis est, & qui toti Ecclesiæ conuenire potest, atque adeò data responsio: Vel quamuis Ecclesia tota se non teneatur conformare tali præcepto, seu decreto; sumi tamen inde solet, quasi certum argumentum, ad probandum id in quacumque Ecclesia licitum esse; vt satis patet ex decretalibus, quæ licèt magna ex parte sint responsa particularibus personis, vel Ecclesijs data, earum tamen auctoritas vbique valet, & vsus.

Insuper Pontifex, non minùs est Pontifex particularium Ecclesiarum, vel istius particularis Prouinciæ, quàm totius & vniuersalis Ecclesiæ, si excipiatur Romana Diœcesis, cuius non solùm est vniuersalis Pontifex, sed etiam specialis Episcopus; vt ergo ob hanc rationem fideles particularis Ecclesiæ, in suis ad eum dubijs recurrere tenentur, nec peccant obseruando, quod ab eo in illis respondetur, vel præscribitur, imò peccarent, si non obseruarent; est enim Prætor, qui ius dicit, & cui habet quilibet Christianus parere necesse; ita quoque argumento est, summum Pontificem in ferendis legibus ad Ecclesiam particularem spectantibus errare non posse, siue iniquam, & vitiosam legem illi præscribere; vbi per iniquam legem solùm intelligimus eam, quæ legi naturæ, aut diuinæ repugnat; quia eum posse interdum leges inutiles, & quoad circumstantias parùm prudentiales ferre, & in hoc errare non inconuenit, vt sequenti conclusione declarabitur, nec pontificiæ, quam defendimus, infallibilitati præiudicat, ad quam absolutè sufficit, quod inter leges ferendas, nihil cum iure naturæ, aut diuino pugnans præcipere possit.

Quarta conclusio, si considerentur in legibus non ampliùs substantia rei præceptæ, sed circumstantiæ ipsius præcepti, videlicet tempus, locus, modus, rigor, & similia, quibus fertur, Summus Pontifex in his aliquando per imprudentiam errare potest: hanc conclusionem sic indefinitè sumptam communiter admittunt Theologi; videturque manifestè colligi ex cap. Si quando, de rescriptis: vbi dicit ipsemet Pontifex: [aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas quare adimplere non possis rationabilem causam prætendas, quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum,] ex hoc enim textu cùm liceat subditis supplicare Pontifici de legibus à se latis, vt illas non recipiant, supponitur in his quoad dictas saltem circumstantias eum aliquando per imprudentiam, aut ignorantiam errare posse, non commodo videlicet tempore, & modo rem alioquì per se moraliter bonam præcipiendo, aut nimis multis legibus, excommunicationibus, ac censuris Ecclesiam onerando, necnon etiam indifferenter, quod vni, alteri etiam Prouinciæ, vel illius personis proponendo, quia plerumque, attentis diuersis hominum genijs, quod vni loco prodest, alteri nociuum esse potest. Quibus potissimùm de causis videmus quotidiè vnius Pontificis leges, vel ab eodem, vel ab alio reuocari, dispensari, limitari. Ratio nostræ conclusionis est, quia tam applicatio legum ad personas, quàm præfatæ earum circumstantiæ, nimiæ multitudinis, nimij rigoris, intempestiui temporis, & sic de alijs, non tam pertinent ad substantiam, quàm ad prudentialem executionem, ac directionem legis, in qua nullibi legitur summo fuisse Pontifici promissum infallibilitatis donum.

3. Aduerte tamen ita hanc conclusionem indefinitè sumptam admitti debere, vt tamen in particulari, & vbi res dubia est, non facilè præsumendum, nec factum Pontificis temerè iudicandum, aut improbandum sit, quia oues non debent iudicare suum Pastorem, sed sequi. Qua in re placet audire sanctum Bernardum lib. de lege, & dispensat. vbi vniuersim de præceptis Superiorum loquens ait: [Quamobrem quicquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum, displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præciperet Deus. Quid enim interest, vtrùm per se, an per suos ministros siue homines, siue Angelos hominibus innotescat suum placitum Deus? Sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubijs percipienda, & in præcipienda fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es: præsertim cum teneas de scripturis (Malachiæ 2.) quia labia Sacerdotis custodiant scientiam, & legem ex ore eius requirunt, quia Angelus Domini exercituum est. Requirunt dixerim legem; non quam, vel authentica vlla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probauerit; de huiusmodi quippè nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est. Sed quod; ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, vt in dubium venire possit, vtrumnam Deus sic, aut aliter fortè velit, si non de labijs custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur. A quo denique diuina potiùs consilia requiruntur, quàm ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tamquam Deum, in his, quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus.] Hactenus Bernardus, cuius verba si attentè ponderarent aliqui, non ita se incautos in hac materia ostenderent.

Aduertendum insuper in illis legibus, quæ

quæ toti Ecclesiæ proponuntur, aut quæ fiunt in Concilio Generali, aut sunt redactæ in corpus iuris, difficiliùs admitti debere aliquem in supradictis circumstantijs errorem, ideoque non posse in illis derogari, nisi specialis de illis mentio fiat, vt habetur in cap. ex parte de capellis Monachorum, & capit. fin. de pœnitentijs, & remissionibus in 6. tenentque communiter Doctores, quos refert Sanchez lib. 3. de matrimonio disputat. 26. num. 7.

Quod de legibus, siue decretis morum huc vsque diximus proportionaliter applicari debet religionum approbationi; quare distinguendum est etiam inter illud Pontificis iudicium, quo publica auctoritate definit, hanc, vel illam Religionem, quoad suum proprium institutum, & regulam, esse Sanctam, diuinæque legi, & Euangelicis institutis consentaneam, adeòque ex se ad perfectionem Christianam obtinendam vtilem; & inter aliud iudicium velut practicum, quamuis cum priori ordinariè coniunctum: quo permittit, statuit, vel iubet, eamdem religionem hic, & nunc in Ecclesia admittendam esse, vel non. Hinc sit in ordine.

Quinta conclusio, si loquamur de primo iudicio statim explicato omnino existimandum est infallibile; ista conclusio est communis inter Theologos, adeòque certa, vt qui oppositum assereret, ad minus tamquam temerarius, scandalosus, errorique proximus habendus esset; nam Diuus Thomas opusculo 19. cap. 4. immediatè ante solutionem argumentorum sic ait: [In iure videlicet 25. quæst. 1. dicitur nulli fas sit sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare: cum ergo per Apostolicam Sedem religiones aliquæ institutæ sint, ad prædicta manifestè se damnabilem reddit, quicumque talem religionem damnare conatur;] & si enim, quid hic per ly damnabilem Sanctus doctor intelligat, non se explicet, videtur tamen loqui de doctrinâ damnabili, atque adeò ad minus errori, vel etiam hæresi proxima.

Probatur 1. non solùm, quia in Concilio Constantiensi sess. 8. damnantur Wiclefus, & Ioannes Huss, qui instituta religionum à diabolo introducta fuisse dicebant; sed etiam, quia in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Canon. 13. bonæ, & piæ iudicantur religiones omnes, Sedis Apostolicæ auctoritate approbatæ. Et in Concilio Tridentino sess. 25. canon. 16. de Regularibus; pium vocatur institutum, quod Apostolica Sedes confirmauit. Denique ipsimet Summi Pontifices in suis Bullis solent Dei Omnipotentis indignationem, & sæpè etiam anathema intentare illis, qui ausu temerario tali approbationi contraire præsumpserint.

Probatur secundo ratione, quia Summus Pontifex approbando aliquam religionem proponit illam omnibus fidelibus tamquam regulam, & viam perfectionis Christianæ comparandæ, ita vt in vniuscuiusque libertate positum sit eam amplecti, non solùm tamquam quid spectans ad communia præcepta, verum etiam ad consilia. Igitur si Pontifex erraret in huiusmodi approbatione proponendo aliquid noxium, vel inutile, pro vera, & legitima regula perfectionis religiosæ, deciperetur Ecclesia in re magni momenti, quatenus proponeretur aliquid fidelibus, vt regula sanctitatis, vbi sanctitas non esset. Quod omnino absurdum videtur; sicut enim, vt superiori capite diximus, tale quid esset, si in canonizatione proponeretur aliquis, vt Sanctus, qui Sanctus non esset, eo quod proponitur, vt exemplar ab omnibus imitandum fidelibus, ita non minus inconueniens esset, si in approbatione religionum, proponeretur, vt regula, aut via, qua tenditur ad perfectionem sequenda, quæ ad illam reuera non conduceret, sed potiùs quid noxium esset: Asserendum est ergo, si sermo sit de approbatione religionum quantum ad substantiam, hoc est, non solùm quo ad tria vota substantialia, sed insuper quo ad bonitatem, & moralitatem ipsius regulæ, specialiumque statutorum, quæ pro vnaquaque religione approbantur, Summum in ea Pontificem errare non posse, quicquid sit de circumstantijs, de quibus statim.

Nec obstat nostræ conclusioni, quod aliquæ religiones, vel ordines primùm approbati, postmodum à Sede Apostolica fuerint extincti; vt ordo Templariorum à Clemente V. in Concilio Viennensi, ordo Fraticellorum à Bonifacio VIII. ordo humiliatorum à Pio V. & sic de cæteris; præfati enim Pontifices haud extinxerunt huiusmodi ordines, & alij alios, quasi eorum regulæ, vel statuta essent mala, & nociua, sed quia non obseruabantur amplius, tali enim iusta interueniente causa, tollendi nimirum occasiones vlterioris scandali in populis, ob illam inobseruantiam, vel etiam, quia ob malitiam hominum, temporumque circumstantias aliqui ordines reddi possunt inutiles, Summi quoque Pontifices possunt illos destruere, non quidem regulas, aut statuta eorum improbando, vel condemnando, sed praxim tantùm, & vsum, vt ita dicam, suspendendo, singulæ enim religiones, sicut, & multæ leges non sunt iura diuina, aut materia de fide, quæ aliquando mutari, suspendi, & abrogari non possint, vbi ita in Domino expedire superiores iudicauerint.

Sexta conclusio, si sermo sit de altero iudicio veluti practico, quo Summus Pontifex hic, & nunc in Ecclesia aliquam religionem approbat, in eo fatentur doctores ipsum aliquo interdum prudentiæ defectu errare posse, nimis multas religiones, aut inconuenienti tempore aliquam admittendo, quo videlicet, per accidens non ita commoda sit eius in Ecclesiam introductio; vt de legibus supra dictum fuit; si quidem res hæc factum potiùs, quam ius concernit; & ad prudentiam spectat, aduersùs quam subinde peccari à Pontifice posse, nil eius infallibilitate præiudicat, talis enim defectus, & alij similes respiciunt potiùs personam eius priuatam quam publicam, longèque dispar est peccati, & erroris ratio; vnde etsi peccare possit, vt priuatus, non tamen publicè, & ex cathedra aliquid contra bonos mores statuere. Quod adhuc in particulari, præsertim vbi res dubium admittit, non ita facilè iudicari debet; quia, vt iam notaui, non est ouium Pastorem iudicare, sed simpliciter obedire.

Supereſt, vt breuiter ſatisfaciamus aliquibus obiectionibus deſumptis ex Summorum Pontificum decretalibus, in quibus nonnulli contendunt eos erraſſe pluribus in legibus contra bonos mores, aut ius diuinum, ſed inaniter, vt patebit ex ſequentibus.

Primò igitur objiciunt illud Alexandri III. ex capit. cum eſſes de teſtamentis, vbi ait: Alienum eſſe à generali conſuetudine, & à diuina lege, & Sanctorum Patrum inſtitutis, vt teſtamenta, niſi quinque, vel ſeptem teſtium fuerint ſubſcriptione firmata, penitus reſcindantur. Hoc enim falſum eſſe videtur, quandoquidem lex ciuilis contraria hodie à permultis Theologis approbatur, & vſu vbique ferè locorum recipitur.

Huic obiectioni multi multa reſpondent; primò, Alexandrum ibi non iudicaſſe, vt Pontificem, ſed vt priuatum doctorem; ſecundò, hanc Alexandri Decretalem ad mores, qui pro diuerſitate locorum, & temporum variantur, pertinere: tertiò illam tantùm valere, vbi Pontifex temporalem habet iuriſdictionem, quia quantum ad ſuos ſubditos poteſt legi ciuili derogare; quartò eum in dicto textu ſolùm loquutum fuiſſe de teſtamento in cauſis pijs; nam in his, quæ pietatis cauſa relinquuntur, minùs ſolemnis voluntas ſufficit, ſicut, & inter liberos. Omnium tamen facillima ſolutio eſt, nihil ibi contra bonitatem moralem doceri, ſed potiùs confirmiter ad diuinam legem dicentem in ore duorum, vel trium teſtium ſtare omne verbum, à qua proindè rectè ait alienum eſſe, quod requirantur ſeptem teſtes ex neceſſitate; ſumendo alienum, non vt aliquando idem ſignificat, ac contrarium, ſed vt eſt idem, ac à lege diuina non præceptum; qua de cauſa, ſine vlla ad ipſam contrarietate, leges humanæ, creſcente præſertim hominum malitia maiorem teſtium numerum ad teſtamentorum valorem ſtatuere potuerunt.

Secundò objiciunt eumdem Alexandrum III. in cap. licet, determinaſſe, quod poſtquam mulier per legitimum conſenſum cui nupſit, non poteſt alteri nubere; & ſi nupſerit etiam carnali copula ſubſecuta, debere ſeparari: [quamuis aliter, inquit, à prædeceſſoribus noſtris fuerit iudicatum;] inde enim ſequi videtur prædeceſſores in hoc erraſſe; ſi quidem ſecundum matrimonium ſubſiſtere non poteſt viuente adhuc primo viro.

Reſpondetur malè inferri ex verbis Alexandri aliquem in prædeceſſoribus errorem, pro vt in præſenti de illo agimus; quandoquidem ipſe non explicat, quomodo prædeceſſores ſui aliter iudicauerint, an ita priuatim ſentiendo, an verò quaſi ex cathedra ſententiam proferendo. Item an aliter iudicauerint in ipſa rei ſubſtantia, an in aliquo accidentali; v. gr. in modo faciendæ ſeparationis ſecundi matrimonij, compellendique ad primum. Et ideo poteſt dici, quod illi prædeceſſores, vel aliter ſenſerint ſecundùm priuatum iudicium, non autem publicè legem ſanciendo; vel in aliquo dumtaxat accidentali; quod non pugnat contra Pontificiam, quam hìc tuemur infallibilitatem.

Tertiò objicitur Cæleſtinum III. docuiſſe, altero coniugum labente in hæreſim, matrimonium diſſolui cap. quanto de diuortijs; quod tamen eſt falſum; Reſpondent aliqui primò id in citato textu non haberi; licèt dicatur olim extitiſſe in antiquis Decretalibus, vt ſe vidiſſe teſtatur Caſtro lib. 1. de hereſ. cap. 4. indeque forſan expunctum fuiſſe, quod vel ipſius Cæleſtini non eſſet, vel non reciperetur tamquam dictum ex cathedra, ſed ex priuata ſolùm ſententia; quamobrem Innocentius III. illam citato capitulo reprobans ait: [licèt quidam prædeceſſores noſtri aliter ſenſiſſe videantur:] ſenſiſſe, ait, non definiuiſſe; item videantur ſenſiſſe, non ſenſerint: quatenus, & eſt ſecunda reſponſio, præfata verba poſſunt intelligi de diſſolutione, quoad habitationem, aut quid ſimile, non autem vinculi matrimonialis, cuius adhuc contrarium Innocentius abſolutè non definiuit, ſic enim habet loco citato; [Non credimus, quod in hoc caſu, qui relinquitur, poſſit ad ſecundas nuptias tranſire.]

Quartò objiciunt contrarias inter ſe Nicolai IV. & Ioannis XXII. ſententias circa paupertatem Chriſti Domini, quatenus primus in Extrauag. Exijt, de verborum ſignificatione definit, perfectam, quam ipſe ſectatus eſt paupertatem, non admittere dominium rerum, nec in communi, nec in particulari; cuius oppoſitum docet Ioannes in Extrauaganti ad Conditorem, & Extrauaganti quia quorumdam; ex ſimili enim ſententiarum contrarietate ſequitur vnam, aut alteram falſam eſſe, atque adeò vnum, aut alterum ex his duobus Pontificibus erraſſe.

Reſpondetur hos duos Summos Pontifices minimè inter ſe pugnare, ſed eorum dicta facilè ad concordiam reuocari poſſe; in eo enim, quod Nicolaus ſenſit paupertatem illam eſſe perfectiorem, maioriſque meriti, quæ nihil in particulari, nec in communi poſſidet, nihil definiuit, ſed ſententiam ſuam merè explicuit: Ioannes autem id expreſsè, vel directè non impugnauit, ſed ſolùm renuntiauit iuri, quod dicebatur habere Summus Pontifex poſſidendi omnia bona Fratrum Minorum. In eo quoque, quod adducitur de paupertate Chriſti non diſcordant, ſi quidem Nicolaus docet, Chriſtum aliquando illam paupertatem obſeruaſſe, quæ nec in communi aliquid haberet, aliquando autem admiſiſſe aliquid in communi; quia [Iudas loculos habebat.] Ioannes verò aſſerit eſſe hæreticum dicere, quod Chriſtus nihil vmquam proprij habuerit, quod etiam veriſſimum eſt, nec priori aſſertioni repugnat: vt iam cap. 17. fuſiùs explicatum fuit.

Vltimò tamdem poſſet quis objicere, vanam eſſe illam diſtinctionem inter errores Pontificis, vt Pontificis, vel vt priuatæ dumtaxat perſonæ; nec non inter particulares facti quæſtiones, & publicas fidei controuerſias cùm enim ſacræ Scripturæ teſtimonia, quibus Pontificia aſſeritur infallibilitas, ſint generalia, vel vniuerſim illam probabunt, etiam in definiendis publicis fidei controuerſijs.

Verùm talis obiectio corruit ex dictis, iuxta quæ ſatis patet veritas allatæ diſtinctionis, quodque apertum in ipſa Scriptura habeat fundamentum. Quia præfatum non errandi priuilegium eatenus Summo Pontifici competit, quatenus ipſe ſecundaria quædam

petra eſt, cui ſpiritualis Eccleſiæ ſtructura nititur, iuxta illud Matth. [Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] Cum igitur Eccleſiæ petra cenſeri non poſſit, niſi ratione officij, ac proindè publicorum præſertim decretorum, fidem, ac mores vniuerſæ Eccleſiæ concernentium, particularia enim decreta, vt nec deſtruere, ita nec ſuſtinere poſſunt vniuerſam Eccleſiam, conſequens planè eſt, vt tunc abſolutè Summus Pontifex debeat gaudere ſuo infallibilitatis priuilegio, vbi publicas definit religionis controuerſias, tam in credendis; quàm in agendis, decretaque circa illa vniuerſam Eccleſiam obligantia proponit. Inſuper cum tam ſingulare infallibilitatis donum Summo Pontifici Diuinitùs conceſſum fuerit, non propter ipſum, ſed ob commune Eccleſiæ bonum: ne videlicet ipſa ad obedientiam Pontifici in rebus dubijs præſtandam obligata, à ſanctitate, aut vera fidei ſententia; quandoque tota deuiare cogeretur, vt ſuperiùs diximus: neceſſe non fuit, vt omnia Pontificis decreta, quomodocumque conſiderata, infallibilia eſſent ſed ea ſolùm, quæ ad religionem pertinentia, vniuerſalem Eccleſiam obligant; proindeque friuola, & inanis non eſt; vt contendunt aduerſarij, præfata quam toties in medium adduximus diſtinctionem, aliaſque ſimiles, defectu quarum multi in varios ceciderunt errores, ſicut, & plures hæretici circa Chriſtum Dominum, ob indictionem in ipſo naturæ diuinæ, & humanæ, ita enim eſt minor Patre ſecundùm humanitatem vt ſit illi æqualis, & omouſios ſecundùm diuinitatem, cui honor, & gloria in ſecula ſeculorum, tantùmque ad illam dicta ſint de ſupremo eius in terris Vicario Romano Pontifice.

SECTIO

SECTIO QVINTA.

De sacris Ecclesiæ Concilijs.

CAPVT PRIMVM.

Præmittitur notio, & diuisio Concilij, necnon inde breuis idea rerum in hac sectione de illo tractandarum.

CVM ex institutione Christi Domini potestas, seu auctoritas iudiciaria in causis fidei, & Religionis ad perfectum Ecclesiæ regimen necessaria, ita principaliter existat in Summo Pontifice Romano, tamquam supremo, & vniuersali Ecclesiæ Militantis Pastore, vt etiam pro illis definiendis Concilia nonnunquam congregari debeant: postquam superiori sectione egimus de Summo Pontifice Romano, nunc erit nobis sermo de Sacris Ecclesiæ Concilijs.

Concilium ergo, si nominis etymon spectetur, à conciendo, id est conuocando, & non impropriè à conciliando, quod plures sententiæ velut in vnam maturè concilientur, deducitur: Si per literam s scribatur, quod parum interesse videtur, à consiliendo quod scilicet plures sententiæ in vnam consiliant, deriuabitur. Ita vt Concilium in tota sua latitudine, vel generalitate sumptum, idem sit, ac conuentus multorum hominum vel vt ait Cicero orat. pro Roscio, congregatio ad aliquid cum deliberatione agendum deputata. Sicut autem suo loco notauimus hanc vocem, seu nomen Ecclesiæ in Scriptura ita indifferenter vsurpari, ad significandum cætum, & congregationem aliquam vel in bonam, vel in malam partem, vt tamen cùm Scriptores sacri simpliciter, & sine vllo addito dicunt Ecclesiam, intendant significare populum veræ fidei, ac religionis professorem; si verò aliquid addunt, veluti Ecclesia malignantium, Ecclesia hęreticorum, tunc iuxta illud, quod additum est, intelligi, & accipi debeat. Eodem modo de voce Concilij discurrendum existimo, ita videlicet eam apud Scriptores Sacros, & Ecclesiasticos indifferenter assumi ad significandam quamcumque hominum, ad aliquid cum deliberatione agendum, congregationem vt tamen simpliciter, & sine vllo addito denotet illam quę fit ex personis Ecclesiasticis ad tractanda religionis negotia; vnde, vt obtinuit consuetudo, quod celebriores virorum Principum conuentus, ad res arduas in sæculari Reipublicæ gubernatione statuendas, publica, aut legitima auctoritate congregati, dicantur Comitia, ita quoque vocantur Concilia, conuentus personarum Ecclesiasticarum, maximè Episcoporum à superiore legitimo indicti, vt de rebus fidei, & religionis deliberent, & decernant. Atque illud nomen tam Vetus, quàm Nouum Testamentum pro Iudæorum conuentu agnoscit: eiusque in locum Græci Synedrion dixerunt, vel Synagogam, in Nouo autem Testamento Synodum, quæ vox primùm in Canonibus Apostolorum tradita, postmodum ab omnibus recepta fuit, ita quod etiam hæretici, & schismatici ad suos conuentus transtulerint, qui tamen conciliabula potiùs, & pseudosynodi appellari debent, vel Concilia Sathanæ, & vanitatis cum addito, de quacumque enim ipsorum congregatione, & conuentu rectè scriptum est Psal. 25. [Non sedi cum Concilio vanitatis, & cum impijs non sedebo.]

Quia verò personas Ecclesiasticas, vt de rebus fidei, & religionis simul deliberent, congregari, quadrupliciter accidere potest; scilicet cùm omnes ex toto Orbe Christiano conuocantur; secundò cum ex vna regione, vel natione tantùm; tertiò quando ex vna dumtaxat prouincia, & quartò si ex vna solùm diœcesi: hinc fit Concilium quoque quadruplex esse; Generale, Nationale, Prouinciale, & Diœcesanum; cui diuisioni locum dedit, non solùm ipsa rei natura, dictaque congregationum diuersitas, sed insuper sanctorum Patrum auctoritas, in quorum scriptis illius mentio reperitur. Quæ enim Athanasius in epistola de decretis contra hæresim Arianam, orbis terrarum Concilia vocat, sanctus verò Augustinus lib. 2. de baptismo contra Donatistas cap. 3. Concilia plenaria, eadem sunt cum Generalibus, siue vniuersalibus, Græcè Occumenicis, cùm ea expressè distinguat à Prouinciarum; & Regionum Concilijs, dum ait, [Concilia Prouinciarum, vel eis maiora, qualia sunt Regionum à Concilijs plenarijs emendari.] Non desunt qui etiam putent huius diuisionis exemplar haberi in Scriptura Noui Testamenti; in primo enim Concilio ad electionem Matthiæ Actor. cap. 1. secundo ad electionem septem Diaconorum cap. 6. tertio ad non imponenda legalia ad tempus cap. 15. congregatis suf-

ficiens vniuersalitas fuisse videtur, quatenus primo, & secundo interfuerunt omnes Apostoli, in quibus velut in seminario comprehendebantur omnes totius mundi Episcopi, sunt enim Episcopi inquit August. in psal. 44. filij Apostolorum: Tertio autem licet Apostoli non interfuerint omnes iuxta aliquorum opinionem, sed soli Barnabas Paulus, & Iacobus, quia tamen cum præsidentia D. Petri, hæc fuit sufficiens, vtpotè supremi, & vniuersalis Ecclesiæ Pastoris, vt vniuersale modo statim explicando vocari possit. Quod inde legitur eodem cap. 15. coactum Antiochiæ fuit veluti Prouinciale, quia in sede Ecclesiæ Patriarchalis; Nationale verò, quod Paulus Mileti collegit, vbi maiores natu illius regionis, seu Asiæ consedisse dicitur Act. 20. Huiusemodi autem diuisionis Conciliorum, ideò nulla habetur in veteri Testamento mentio; quod tunc populus Dei nec esset per totum diffusus orbem, nec multitudo Pontificum, ex quibus diuersitas coalesceret Synodorum; sufficiebatque Hierosolymitanum Concilium, cui Summus præerat Sacerdos; quod suo tamen modo quamdam respectu illius Ecclesiæ præseferebat generalitatem, tam ex auctoritate præsidis, quàm ex valore decretorum, quæ totam Palæstinam, & vbicumque illa extabat Ecclesia, obligabant.

Porrò animaduertendum est, ita præfata quoad rem inter se distingui Concilia, vt tamen nationalia quandoque reperiantur vocata generalia; nam in quodam Concilio Africano habetur: [Ne fatigandi sit anniuersaria congregatione, necessitas, placuit, vt quoties causa communis totius Africæ hoc exigeret, tunc vniuersale congregemus.] Et in Toletano III. sic dicitur: [Præcipit hæc Sancta, & Vniuersalis Synodus.] At hæc Concilia, in his, & alijs similibus locis, secundùm quid tantùm, ac respectiuè dici vniuersalia satis patet; ob maiorem scilicèt numerum Episcoporum integræ alicuius nationis ad illa sub vno Patriarcha, vel Primate omnium ipsorum Antistite conuenientium. Vt igitur magis strictè, & ad regulam Dialecticæ loquamur, qua rerum diuisiones per membra diuidentia opposita tradi debent, Concilia primùm partiri possumus in Plenaria, & non Plenaria, siue in Oecumenica, ex toto nimirùm orbe, Oecumeni enim orbem terrarum significat; & in Localia, sic dicta à certa locorum determinatione; vel tandem in Generalia, aut Vniuersalia, & Particularia. Plenaria, siue Generalia rursus sunt in duplici differentia; aliqua enim dicuntur esse talia, tam ex parte causæ efficientis, Romani videlicet Pontificis ea conuocantis, quàm ex parte causæ materialis, Prælatorum ex vniuerso orbe conuocatorum; alia verò sunt Generalia solùm ex parte causæ efficientis, quia [nimirum non omnes Ecclesiæ Prælati, sed nunc plures, nunc pauciores pro eorum ratione quæ tractanda sunt, ad illa vocantur à Summo Pontifice, eo ibi præsidente, vel alijs loco eius; cum enim suprema, & vniuersali Vicarij Christi auctoritate fulciantur, indeque eorum decreta vniuersos obligent fideles, non incongruè Concilia generalia, vel vniuersalia nominari possunt. Et huiusemodi fuut, Concilium Alexandriæ collectum ex Episcopis Ægypti in causa Colluthi coram Osio Sedis Apostolicæ Legato, quod generale forsan inde appellauit S. Athanasius Apol. 2. Mileuitanum sub Innocentio I. & Arausicanum primum sub Leone Magno; cæteraque plura Romana Concilia, quæ tamen fatendum est, non æquè, aut ita strictè dici debere vniuersalia, ac sunt illa, in quibus vniuersalitas attenditur etiam ex parte conuocatorum. Sunt adhuc qui denominationem vniuersalis aduenire Concilijs opinantur ex vniuersalitate doctrinæ, quæ in illis pertractatur: sed id nequaquam admitti potest, multa enim Prouincialia, & Nationalia hoc titulo dicerentur Vniuersalia, quibus tamen hoc deest, quòd illis cura totius orbis Ecclesiarum, vel ex præsidentia capitis Oecumenici, vel ex confluxu omnium pastorum, demandata non fuerit. Demum Concilij Localis, vel Particularis membra, & species sunt Nationale, Prouinciale, & Diœcesanum; singula sic definiri, vel describi vtcumque possunt. Concilium Nationale, est congregatio omnium, vel plurium Episcoporum totius regionis, regni scilicèt, aut nationis, à Patriarcha, vel Primate, qui regulariter illis præest, in finem spiritualem conuocatorum. Concilium Prouinciale, est congregatio Episcoporum, & Prælatorum vnius Prouinciæ, ab vno Archiepiscopo, vel Metropolitano, qui regulariter illis præest, in eumdem finem spiritualem conuocatorum. Concilium tandem Diœcesanum, est congregatio minorum Sacerdotum vnius Diœcesis ab Episcopo, qui regulariter illis præest, in finem quoque spiritualem conuocatorum. Quod Concilium nonnisi impropriè dicitur tale; cùm enim Concilia iurisdictione exteriori gaudere debeant, nec non iure decisiuo in controuersijs ad fidem, & mores pertinentibus, & in Diœcesanis nullus ordinariè sit, qui talibus priuilegijs, præter Episcopum gaudeat, non tam Concilij, quàm conuentus alicuius spiritualis nomen promerentur.

Quod spectat ad Plenarium, vel Generale Concilium, de quo potissimùm agimus in præsenti, licèt variæ illius à varijs adducantur definitiones, omnes tamen ferè Doctores Catholici in hoc consentiunt, quod sit, [congregatio Episcoporum Vniuersæ Ecclesiæ auctoritate Romani Pontificis specialiter conuocatorum, grauioris rei Ecclesiasticæ tractandæ causa, eodem Pontifice, per se vel Legatos, præsidente.] Huic definitioni, seu diminutæ, Cardinalis Iacobatius lib. 1. de Concil. addendam putat hanc particulam; [& aliquando Christi, sine ipsiusmet Concilij auctoritate suffulta,] pro eo videlicèt tempore, quo Sedes vacaret, aut graui aliquo existente schismate dubitaretur de vero, ac legitimo Pontifice, aut ipsemet verus Pontifex in priuatam hæresim incidisset à Concilio deponendus modo superiori sectione explicato cap. 16.

Præfatæ autem definitionis bonitas ex eo sufficienter patet, quòd per ordinem ad quatuor causas, quibus Concilium essentialiter constat, efficientem, materialem, formalem, & finalem tradatur; cùm vniuscuiusque rei natura, cuius definitio dicitur oratio explicatiua, meliùs nobis innotescere non possit,

sit, quàm per suas causas essentiales intrinsecas, & extrinsecas; sub quibus etiam omnia in præsenti sectione de Concilijs agenda comprehendemus, primùm ordine executionis sermonem habentes de causa illorum efficienti, tum materiali, deinde formali, & finali, vltimò de illis comparatiuè ad Summum Pontificem agemus; nec non quæ sint authentica breuiter indicabimus.

CAPVT II.

Vndè Concilia Ecclesiastica primùm, in lege Euangelica, institutionem suam habuerint.

DAri in Ecclesia Catholica Conciliorum Ecclesiasticorum vsum, cùm certum sit; primum, quod occurrit pertinens ad causam eorum efficientem, disputandum est, an talis vsus ab humana institutione, vel ratione, an verò ex diuina aliqua lege originem duxerit. Qua in controuersia, salua fide diuisi sunt inter se Doctores Catholici, aliqui enim, vt Salmeron in Act. Apost. tr. 77. docent, Concilium inuentum quidem esse Spiritus Sancti, tacitè suggestum Petro Apostolorum Principi, & reliquis eius successoribus, tamquam remedium opportunum ad terminandas, & extinguendas ortas de fide, vel Sacramentis controuersias, siue ad abusus extirpandos, & ad veterum morum disciplinam reuocandam: ita tamen vt hæc suggestio non efficiat ius Diuinum, sed ius tantùm Canonicum, & Ecclesiasticum: quemadmodùm reliquæ omnes leges Ecclesiasticæ siue de ieiunijs, siue de obseruatione dierum festorum, siue de reliquis spectantibus ad Diuiua præcepta magis expeditè seruanda, sunt quidem ab Spiritu Sancto Petri successoribus, vel Pastoribus in Concilijs suggesta; non tamen propriè ius Diuinum, sed Canonicum tantùm constituunt: hactenùs Alphonsus Salmeron loco citato. Pyghius quoque lib.6.Hierarch. c.1. sentit congregationem Conciliorum esse ex humana institutione; quod approbare videtur Suarez tractatu de fide disput.11.de Concilijs num. 1. si intelligatur, inquit, quantùm ad tempus, & ordinationem, vel quia fortasse non est simpliciter ex præcepto Diuino, vt hęc Concilia congregentur. Quamuis subdat potestatem, & rationem illa congregandi à iure Diuino habere originem, quatenùs supposita fide, & institutione Ecclesiæ à Christo facta, eiusque gubernatione, quasi naturalis ratio dictat talium Conciliorum celebrationem, est enim naturale homini in grauissimis rebus multorum sententias, & consilia expectare.

At Conciliorum Ecclesiasticorum institutionem Diuinam esse, siue illa immediatè à Christo instituta fuisse, indèque primùm ab Apostolis vsu confirmata fuisse, plures alij affirmant: Cardinalis Turrecremata lib. 2. de Eccl. cap. 2. vbi etiam altiùs hunc in priscos veteris Testamenti Patres refert morem congregandi Concilia: Cardinalis Baronius tom. 1. ann. 58. num. 119. de vsu eorumdem Conciliorum agens dicit: [Si quis eius rei exordium repetat, inueniet non tam ab Apostolis, quàm ab ipso Christo duxisse principium, atque sumpsisse auctoritatem.] Cardinalis Bellarminus tom. 2.lib.1. de Concilijs cap. 2. ait probabilius esse, quod eorum origo sit Diuina: hos sequuntur Perez de Concilijs dub. 1. cap.8. Bonerius demonst.4. Symb. art. 8. Dominicus Grauina Cathol. præscript. tom. 4. part. 2. Angelus Petricca lib. 3. Turris Dauid disput. 1. Nos quid in hac re probabilius tenendum videtur in sequentibus aperiemus, pro quorum intelligentia.

Prænotandum est primò, non ea continuò, quæ ex Scripturis per nonnullas consequentias colliguntur, consentanea esse Diuinis præceptis, asserenda esse propterea instituta Diuina, vel iuris Diuini, sed ea dumtaxat, quæ vt præcepta à Christo traduntur, vel quæ ex eis necessaria, & euidenti consequentia deducuntur.

Secundò, suppono multa fuisse iuris Diuini in veteri Testamento, quia tunc à Deo expresse præcepta, quæ talia non sunt ampliùs in nouo, vt satis patet in his, quæ ad cæremonias, & iudicia pertinebant, respectu quorum lex vetus nobis extincta est; haud tamen inconuenit, nonnulla, quæ illius tempore iuris erant Diuini, nunc tantùm esse iuris Ecclesiastici, vel Canonici. Et vt aliquo res illustretur exemplo, ecce in veteri Testamento sanctificatio diei supremæ, siue sabbati iuris erat Diuini Genes. 2. & Exod. 20. nunc autem sanctificatio diei Dominicæ quæ illi successit, iuris tantùm est Ecclesiastici, vt rectè docet S. Thomas 22. quæst. 122. art. 4. ad 4. his verbis: [Obseruantia diei Dominicæ in noua lege succedit obseruantiæ Sabbati, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani. Nec enim huiusmodi obseruatio est figuralis, sicut fuit obseruatio Sabbati in veteri lege. Et ideò non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominico, sicut in die Sabbati. Sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati prohibebantur; sicut decoctio ciborum, & alia huiusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis faciliùs propter necessitatem dispensatur in noua, quàm in veteri lege: quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet. Opera autem secundùm se considerata, immutari possunt pro loco, & tempore;] ita Angelicus Doctor. Aliud etiam habetur exemplum in præcepto Decimarum Exod. 22. Leuit. 27. & sæpe deinceps, quod in veteri quidem Testamento Diuinum erat, ac iudiciale; secùs tamen in nouo, quia etsi Diuini, & naturalis iuris sit, ministrum alere, pro status eius decentia, Matth. 10. Lucæ 10. 1. Corinth. 9. dare tamen illi decimam bonorum suorum partem non est nisi merè Canonicum, & Ecclesiasticum præceptum.

Vndè noto tertiò, quòd in veteri lege Deuteron. 17. præceperit Deus, vt causæ ambiguæ per Sacerdotum in Concilia iudicium cum Summo Pontifice terminarentur, malè indè inferri iuris quoque Diuini esse, in statu legis Euangelicæ, Conciliorum vsum, nisi aliundè accedat institutio Christi Domini, siqui-

siquidem præceptum illud erat iudiciale, non morale. Quod de hoc Deuteronomij loco, idem penitùs de alio Salomonis Ecclesiastici cap. 12. assero, vbi habetur; [Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à Pastore vno.] Huiusmodi enim verbis nullum continetur præceptum, sed ea tantùm, quæ per magistros congregationis fiunt sub vno Pastore Summo Sacerdote adunatos, laudantur, quòd habeant efficaciam promouendi vitiorum fugam, virtutumque exercitium; qualia fuerunt olim, quæ per Concilium Sanedrin vocatum, statuebantur, & quæ nunc per Concilia decernuntur.

Quartò obseruandum est, Concilia dupliciter considerari posse, primò veluti naturaliter, hoc est pro vt dictamine naturali constat, expediens esse, quod in omni bene instituta republica interdum congregentur comitia ad perfectum illius regimen, & quod hi, qui vniuersam Rempublicam velut in capite repræsentant, publicè collatis; vbi ita opus esse iudicant: consilijs, eiusdem incolumitati prouideant, sic enim considerata Concilia, nec rationis naturalis captum, nec humanæ institutionis limites excedunt. Secundò spectari possunt supernaturaliter, siue quatenus vnà cum Summo Pontifice Romano, cuius auctoritate conuocari, celebrari, confirmari debent, efficiunt supremum tribunal Ecclesiasticum in ordine ad infallibile iudicium rerum fidei, quod in suis comitijs exigit natura Ecclesiæ, fundata videlicet in certitudine credendorum. Et hoc pacto concilia, licèt naturali, & politico dictamini mirè consentanea sint, sicut & in cæteris gratia numquam aduersatur naturæ, nec eam destruit, sed perficit: & eleuat, ad sublimiora nequaquam tamen ab humana, sed à diuina institutione suam necessariò originem trahere debere, satis ostendit dictum infallibilitatis priuilegium, quod superat omnes naturæ vires, darique non potest Pastoribus Ecclesiæ conciliariter adunatis, nisi in virtute promissionis Christi; se in medio ipsorum futurum, vbi eos congregari in nomine eius contingeret.

Quintò animaduertendum est plura quo ad substantiam esse iuris diuini, quorum tamen determinatio, siue quoad tempus, aliasque similes circumstantias merè pendet ab institutione humana, vt patet in præcepto annuæ confessionis, & id generis alijs.

His prænotatis primùm assero, Concilia, si spectentur præcisè secundùm quod sunt congregationes Prælatorum, siue Pastorum Ecclesiæ, legitima auctoritate factæ ad aliquid communicatis consilijs, ac sententijs solemniter tractandum in vtilitatem religionis Christianæ; suam ab humana institutione originem trahere potuisse. In hac propositione conuenire debent omnes Theologi. Vt enim Concilia hoc modo sumpta non transcendunt humanæ rationis; & auctoritatis vires, ita quoque ab ea suam institutionem habere potuerunt.

Secundò assero, Conciliorum Ecclesiasticorum vsum saltem ab ipsis Apostolis originem accepisse, in hac etiam assertione conueniunt omnes Theologi, patebitque ex dicendis sequenti capite, vbi ostendemus Apostolos pluries ad Ecclesiæ negotia pertractanda in Concilio simul consedisse, inde enim manifestè sequi videtur, saltem ab illis primam Conciliorum institutionem descendisse in statu legis Euangelicæ.

Tertiò dico, prætactorum Conciliorum institutionem saltem exemplariter esse diuinam, hanc conclusionem sic explico, ex hoc quod Sancti Apostoli illa instituere potuerunt, ad imitationem eorum, quæ in lege veteri diuinitus instituta fuisse legimus, Exod. 34. Numer. 11. & Deuteron. 17.

Quartò assero longè probabiliùs esse: quod in lege quoque Euangelica Conciliorum institutio sit iuris diuini, siue ratione illa cogendi à Christo Domino primùm manasse. Probatur primò ex facto ipsius Matthæi 16. vbi, vt rectè animaduertit Cardinalis Baronius, quasi coacto Concilio quæstionem proposuit. [Quem dicunt homines esse filium hominis] & facta discussione, recensitisque diuersis hominum placitis, Petrus tamquam futurum Ecclesiæ sub Christo caput respondit: [Tu es Christus filius Dei viui;] quæ sententia attestante Christo, non de carne, & sanguine, sed de superna Patris reuelatione descendit. Secundò probatur ex verbis eiusdem Christi Domini Matthæi 18. [Vbi inquit; sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum,] his enim significari Conciliorum ex diuina promissione auctoritatem, atque adeo institutionem docent expressè Concilium Chalcedonense in epistola ad Leonem, Sextæ Synodus act. 17. Concilium Toletanum III. Cælestinus Papa in epist. ad Synodum Ephesinam, nec non Cyrillus Alexandrinus in epistol. ad Anastasium, alijque plures.

Quod obijciunt aliqui, nihil ibi Christum de Concilijs celebrandis præscripsisse; sed tantùm communem orationis fidelium efficaciam commendasse, vim nostræ probationis non eneruat, quando enim præfati Patres hunc Matthæi locum efferunt pro astruenda Conciliorum institutione, & auctoritate; solent arguere à minori ad maius quodque, vt ait Sanctus Cælestinus epist. citata ad Synodum Ephesinam, si nec huic tam breui numero duorum vel trium in nomine Christi congregatorum Spiritus Sanctus deest multò magis eum interesse debeamus credere quãdo in vnum conuenit tanta turba Sanctorum, vt accidit in Concilijs Generalibus quę propterea cæteris præcellunt in priuilegio infallibilitatis, ob specialem Spiritus Sancti præsentiam, & assistentiam, indeque non potest non esse iuris diuini illorum institutio quemadmodum enim sufficienter instituta censentur à Christo Domino aliqua Sacramenta licèt eorum vsus expressè præceptus in Scriptura non reperiatur, eo quod illis annexa promittatur gratia, vt patet in Sacramento Pœnitentiæ, de quo Ioann. cap. 20. dicitur, [Quorum remiseritis peccata remittuntur eis] vbi per hæc sola verba non conuincitur eius vsus, sed tantùm promittitur gratia peccati remissiua, ita quoque eo ipso quod citato Matthæi loco promittitur Ecclesiæ Pastoribus conciliariter congregatis

gatis gratia diuinæ assistentiæ, in ordine ad infallibilem rerum fidei definitionem, quod est supernaturale donum, sufficienter declaratur Concilia fuisse diuinitus instituta, nec potuisse puros homines simile conuentuum genus excogitare, & stabilire in Ecclesia.

Tertiò probatur nostra assertio ex illo actuum Apostolorum loco cap. 15. [Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria &c.] huiusmodi enim verbis apertè significatur, omne Concilium Catholicum & Orthodoxum, debere in Spiritu Sancto congregari debere etiam per Spiritum Sanctum legitimè procedere, vnde, & solemnibus precibus inuocatur, vt Episcopis assistens inducat eos in omnem, quam filius Dei promisit, veritatem, sed præcipuè in eam, quæ post disputationes præcedentes tunc definienda est, ita vt Spiritui Sancto, tamquam primo sacrorum Conciliorum Auctori, & Prçfecto, primæ eorum partes, tribuendæ sint, posteriores verò præsidentibus, hoc est Romano Pontifici, vel eius Legatis, ac cæteris vigilantibus Episcopis qui adsunt. Vbi autem sic se habet Spiritus Sanctus, & per supernaturalia gratię dona infallibiliter influit, humana non sufficit, sed diuina requiritur institutio, vt constat exemplo Sacramentorum, quæ quia infallibilem de se habent effectum supernaturalem, quem vt instrumenta producunt, ab alio idcircò institui non potuerunt, quàm à Deo, ceu causa principali sanctificationis nostræ; cuiusque est sibi instrumenta pro suo arbitrio assumere; eaque valida reddere. Igitur supposito quod Concilia in nomine Christi congregata, hoc est suprema Vicarij eius auctoritate, gaudeant, ceu instrumenta Spiritus Sancti priuilegio infallibilitatis in decidendis, vbi opus est: omnibus fidei controuersijs, non ab alio principio, quàm ab ipsomet Christo repetenda est eorum origo. Siue quod idem est cùm definitiones Conciliorum, sint Legislationes Spiritus sancti; vt eas appellat Chrysostomus homil. 33. in Acta Apostol. huiusmodi tribunal nulla humana auctoritas instituere potuit, in quo scilicet ex nomine Spiritus sancti ferrentur leges, infallibiliterque definirent quæstiones fidei, nisi supposita institutione principalis legislatoris ac magistri scilicet Dei.

Quartò probatur, quia si Concilia non aliud, quàm humanum essent inuentum, id potissimùm Apostolis tribuendum esset. sed illa primùm Apostoli non adinuenerunt, quin potiùs ex diuina traditione illorum in Ecclesia vsum introduxerunt: ergo non nisi à diuina institutione suam originem habuerunt. Maior huius argumenti est certa, minor autem multipliciter demonstratur, primò ex hoc, quod in Concilio Hierosolymit. Act. 15. dixerunt, Visum est Spiritui sancto & nobis vt statim ponderauimus, secundò, quia Apostoli ibi statim Concilium pro rebus fidei definiendis collegerunt. absque eo quod discuterent, quæ via in hunc finem tenenda esset, indè enim manifestè sequitur, eos concilia non instituisse, sed instituta à Christo Domino supposuisse, tertiò, quia Canone 37 Apostol. apud Clementem sic legitur: [Bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur & inter se inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas contentiones amoueant, semel quidem septimana 4. Pentecostes, secundò vero duodecimo die mensis Hyperberchi, id est Octobris,] inde enim sic ad nostrum intentum argui potest, Merum non est Apostolorum inuentum, cui eorum industria, & cura nonnisi temporis, aliarumque circumstantiarum determinationem adiecit, sic enim apertè supponi videtur, substantiam rei altiori iam auctoritate nempe diuina fuisse institutam, aliàs non circumstantiam temporis tantùm, sed & ipsam rei substantiam ordinassent; At ex modo loquendi præfati canonis, supponuntur Concilia Episcoporum, tantùmque circumstantia temporis ea celebrandi designatur, signum est ergo non ab Apostolis institutum fuisse morem Synodalium conuentuum: sed à Christo Domino, citato Matth. 18. loco, & expressiùs, quando Act. 1. [Præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis; & loquens de regno Dei.

Quintò & vltimò dico, celebrationes Conciliorum tam Generalium, quàm particularium, quoad circumstantias loci, & temporis, aliasque similes, merè pendere ab humano iure Ecclesiastico, ista conclusio est certissima, patetque quo ad Concilia particularia ex Can. Apostol. statim citato, cui addo 20. Synodi Antiochenæ præcipientis. [Bis quoque in anno Concilia habeantur; nec non 5. Nicenæ. Rectè visum est, per singulos annos in singulis Prouincijs, bis in anno Episcoporum Concilium fieri.

Quoad Generalia verò absolutè, id est quæ talia sunt, non tantùm ex parte causæ efficientis, vbi videlicet Romanus Pontifex pro suprema auctoritate sua; ad aliquid communibus sententijs definiendum, aut declarandum maiores Ecclesiæ prælatos conuocat nunc plures, nunc pauciores, pro eorum ratione, quę tractanda sunt, sed insuper ex parte eorumdem prælatorum ex vniuerso orbe conuocatorum; primum fuit Concilij Constantiensis. & Basileensis statutum, quodlibet decennio celebrarentur. Cui tamen statuto multa cùm obstent, cur non expedire videtur, haud ita felicem habuit executionem. Primò, quia est contra antiquorum Patrum morem, qui nullo certo, statutoque tempore illa coegerunt, vt ex historia Ecclesiastica liquet, fuisset autem constitutum, si id ad vtilitatem Ecclesiæ spectare iudicasset Secundò, quia præter rerum naturam, & rationem esse videtur, si quidem huiusmodi Generalia, & Oecumenica Concilia non sunt congreganda, nisi propter vniuersalia mala, qualia sunt nouę hæreses, communesque, ac generales Ecclesiæ deformationes, schismata & similia. Quæ quia non eueniunt singulo quoque decennio: aut breuiùs interdum contingere possunt; ideo non est quod prefixo, & statuto tempore debeant celebrari. Tertiò, quia tam frequenti Generalis Concilij celebratione, crebrò suis pastoribus vbique destituerentur Ecclesiæ, & mala illa, quæ ex frequenti, & longa Episcoporum absentia solent accidere, sequerentur, forsanque præponderarent bonis, quæ à Concilio Generali spera-

ra-

rari possent. Quartò, quia maximi labores expensę, & difficultates, quibus Concilia Oecumenica celebrari ex historijs habetur, impossibilem moraliter reddere videntur tam frequentem eorum conuocationem. Quintò quia multis Ecclesiæ seculis nulla huiusmodi Concilia celebrata fuerunt, vsque ad Nicænum, à cuius etiam celebratione, & aliorum septem, vsque ad Lateranense, sub Innocentio III. multa fluxerunt secula, in quibus, & si multę, grauesque extiterint Ecclesię necessitates, nulla tamen coacta fuere Concilia. Aut igitur afferendum, sanctissimos illos, & doctissimos Ecclesiæ Romanæ Episcopos, cæterosque Patres Conciliorum Generalium ita frequenter congregandorum vtilitatem ignorasse, aut in illam cognitam ex malitia, vel incuria impegisse, quorum neutrum cum absque iniuria dici non possit, concludendum est re vera opus non esse, tam frequenti Conciliorum Generalium celebratione, illamque auctoritati supremæ potestatis, quæ in Summo Pontifice Romano residet, relinquendam esse, vt pro temporis, & necessitatis ratione de illa disponat, ac statuat rogantibus interdum Ecclesiæ, & sæculi Principibus, quæ magis ad Christi gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem expedire iudicauerit. De quo etiam redibit sermo, vbi agemus de eorumdem Conciliorum necessitate.

CAPVT III.

Quandonam incæperit Conciliorum vsus in statu Legis Euangelicæ?

PRæmissa Conciliorum distinctione in Generalia, & particularia; Generalium verò in illa, quæ talia dumtaxat sunt, ex auctoritate Oecumenica conuocantis, scilicèt Romani Pontificis Pastoris vniuersalis; & in illa, ad quæ insuper, non ex vna tantùm Natione, vel Prouincia, sed ex vniuerso orbe confluunt Episcopi; Certum est nullum esse Oecumenicum, hoc est, tàm ex parte causæ efficientis, Romani scilicèt Pontificis ea congregantis, quàm ex parte causæ materialis, maiorum scilicèt Prælatorum ex vniuerso orbe conuocatorum. Cæterum si sermo sit de particularibus Concilijs tam Nationalibus, quàm Prouincialibus, nec non etiam de Generalibus ex parte causæ efficientis illorum omnium vsum, iam ab Apostolorum temporibus incæpisse, sacræ & Ecclesiasticæ historiæ monimenta testantur.

Primum enim habitum fuit Act. 1. pro electione duodecimi Apostoli: [In diebus illis, inquit sacer textus, exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti) viri fratres, oportet impleri Scripturam &c.] Quia verò in illa turba probabilius est, non omnes fuisse excellentes, ac in ordine Hierarchico positos, sed aliquos etiam plebeios, & laicos, tales non interfuerunt, tamquam qui ius, aut suffragium haberent, sed vel vt testimonium perhiberent de vita, & moribus hominis eligendi, vel vt ad eorum præsentiam solemnius fieret electio, vel demum, vt eligendum aliquo modo designarent, iuxta interpretationem Diui Chrysostomi ad illa verba, [Et statuerunt duos,] quæ habentur in sacro textu: [Non, inquit, Petrus statuit, sed omnes, sententiam vero ipse protulit de eligendo alio tamquam de supernis profectam, iuxta prophetiam recitator, non præceptor. Quo loquendi modo rectè vsus est Chrysostomus ad significandum, quod nec tunc Petrus fecerit, nec modò Romani Pontifices eius successores in Concilijs faciant res fidei, sed eas tantùm quoad nos declarent, & proponant, atque adeò respectu illarum non tam, vt præceptores, quàm vt recitatores, & promulgatores nomine Dei se habeant. Hoc autem primum Apostolorum Concilium fuisse Oecumenicum dici potest, tum ratione Petri Præsidentis, tum ratione Apostolorum assidentium, qui soli tunc erant vniuersi orbis Episcopi.

Secundum Apostolorum Concilium habetur Act. 6. vbi septem, quos multitudo discipulorum ante conspectum eorum statuerat, tamquam boni testimonij viros, constituerunt Diaconos imponentes eis manus sacræ ordinationis, vt communis est Patrum traditio in hunc locum. Quæ quidem primorum Diaconorum ordinatio meritò ab integro Apostolici vniuersalis Concilij consessu solemniùs fieri debuit, quod inde illa ad cæteras esset Ecclesias dimanatura.

Tertium ab Apostolis celebratum Hierosolymis Concilium fuit, quando Actor. c. 8. audita Samariæ conuersione, sine [quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, & Ioannem.] Quia videlicèt ad supremum Collegij Apostolici, Ecclesiæque vniuersalis caput spectabat tanti negotij cura, quale erat aggregatio Samariæ ad Ecclesiam Iudæorum, qui Samaritas plusquã Gentiles ipsos abhorrebant; vnde ibi missus dicitur Petrus non Imperio, siue secundùm Imperium, sed fraterna charitate, & impulsione, vel secundùm consilium qua ratione non inconuenit asserere Summum Pontificem interdum minorem esse Concilio, vt explicabimus infra, vbi de hac materia erit sermo, ex doctrina diui Thomæ 1. par. quæst. 43. art. 1. ad 1.

Quartum Concilium itidem Hierosolymis celebratum fuit Actor. 15. occasione ortæ Antiochiæ seditionis propter Iudæos volentes Gentes ad Deum conuersas circumcidi; re enim à Paulo, & Barnaba ex vna parte, & ab alijs ex altera ad Apostolos, & presbyteros in Hierusalem delata, inde, vt ait sacer textus, [conuenerunt videre de verbo hoc.] Cui Concilio licèt omnes Apostoli non interfuerint, facta iam eorum per vniuersum orbem diuisione, vt cum Baronio docent plures alij, dubium tamen non est, quin illi præsidente diuo Petro, Generale idcircò fuerit, immo forma, & norma omnium Conciliorum celebrandorum; quatenùs inde colligitur primò ad dirimendas fidei, & religionis quæstiones, non esse simpliciter, & absolutè necessaria Concilia Plenaria, vt dicetur infra, sed Summum Pontificem id prçstare posse extra illa, sicut diuus Petrus soluit etiam solus Act. 10. & 11. aliam similem quæstionem, & gen-

gentibus Euangelizandum eſſe docuit; cui omnes obedierunt. Secundò quod licèt Concilia Plenaria non ſint abſolutè, & ſimpliciter neceſſaria, cùm Summus Pontifex etiam extra illa, vel ſolus, vel cum alio quocumque Concilio, modo ſuperiori Sectione cap.16. in fine explicato, ſit infallibilis iudex controuerſiarum fidei, & morum: valde tamen ſint vtilia, & proficua, ſic in quinta Synodo Generali Conſtant. II. habetur de hoc Apoſtolico Concilio Act. 15. [Licèt Sancti Spiritus gratia, & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, & non indigerent alieno conſilio ad ea, quæ agenda erant, non tamen voluerunt aliter de eo, quod mouebatur (ſi oporteret gentes circumcidi?) definire, priuſquam communiter congregati diuinarum Scripturarum teſtimonijs, vnuſquiſque ſua dicta confirmauerunt.] Tertiò, quod, vbi in aliquo Concilio dirimi debet fidei quæſtio, præmittenda ſit accurata eius diſcuſſio, contis regulis fidei. Quartò, quod illa facta, pertinent ad Summum Pontificem, vbi Concilio præeſt ſententiam ferre, latamue in eo confirmare, quando non adeſt; dum ibidem dicitur v.7. [Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos, &c.] cui non obſtat, quod nonnulli aſſerunt in Petri ſententiam Iacobi iudicium prǫualuiſſe, Conciliumque definiuiſſe, quod Iacobus dixit non quod Petrus; vt inde ipſius, nec non Romanorum Pontificum ſucceſſorum inferioritatem ad Concilia inferant; cùm Iacobi ſententia, vt ſatis patet ex textu nihil aliud fuerit. quàm confirmatio quædam prioris ſententię dictæ à B. Petro, comprobando videlicèt Propheticis teſtimonijs, quod priùs declararat Petrus, Chriſtum nimirum, Gentibus ad fidem conuerſis, ſatis eſſe ad ſalutem ſine legis Moſaicæ obſeruantia; in hoc enim totius controuerſiæ ibi agitatæ ſcopus erat. Quod verò Iacobus addidit de abſtinentia ab illis quatuor, duo illa priora de fornicatione, & de abſtinentia ab his, quæ ſunt immolata idolis, quatenus, vel ipſi edentes polluebantur in conſcientia, vel alios fideles ſcandalizabant, Euangelica prorſus erant, & in Chriſti lege etiamnum, vt tunc, obligant, quoniam moralia ſunt; ideòque tantummodo fuit legis Euangelicæ, & non Moſaicæ explicatio. In alijs verò duobus, de abſtinentia à ſuffocato animali, & ſanguine eius, vt legit Syriacus codex, cùm illa eſſent merè legalia, cenſuit Iacobus credentes ex Gentibus ad illorum obſeruantiam eſſe arctandos: non quod vlla lege Moyſis ad hoc obligarentur, ſed quod ad retinendum pacificum cum Iudæis conuictum pro illo tempore facere videretur; vnde in re tam modica, & ad breue tempus facilè conſenſerunt reliqui, & primus ipſe Petrus huic Iacobi iudicio, vt propterea non minùs dici poſſit fuiſſe Petri, quàm Iacobi; ſi quidem illo renuente, nihil prorſus obtentum fuiſſet. Non igitur Iacobus præualuit in Petro ſententiam: quæ ab omnibus magna cum veneratione ſuſcepta eſt, ſed Iacobus pauca illa ſubiunxit, vt nonnihil videretur Iudæis propter infirmitatem eorum indulgere, donec Synagoga cum honore ſepeliretur.

Quintò, ex illis verbis v. 25. [Placuit nobis collectis in vnum,] habetur, non tam requiri in Concilijs vnitatem loci, vbi congregantur, quàm vnitatem ſententiæ, & mentis, ad Chriſti aſſiſtentiam, quia ipſe dixerat Matth. 18. [Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum :] quodque talis aſſiſtentiæ potiſſimum argumentum, & ſignum ſit, vbi vniuerſi Concilij Patres in vnum ſenſum in dogmate fidei definiendo conueniunt.

Sextò, vbi v. 28. dicitur, [Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis;] denotatur ita Summum Pontificem primas in Concilijs tenere, illaque ab eo conuocante, dirigente, & confirmante, quoad infallibilitatem in definitionibus fidei dependere, vt tamen cæteri Epiſcopi non ſolùm conſultiuum, ſed, & deciſiuum votum habeant, vt explicabitur infra; vnde ſub his etiam diuerſis reſpectibus, nunc vnius, nunc alterius nomine, Summi videlicet Pontificis, aut Concilij decreta conciliaria interdum edita fuiſſe legimus in hiſtoria Eccleſiaſtica, & explicabitur infra.

Septimò, hoc quoque loquendi modo docuerunt Eccleſiam Apoſtoli, ita debere inquiſitionem Scripturarum præcedere ſententiam, aut definitionem conciliarem, vt tamen rationes, & cauſæ illius adducendæ non ſunt: ſicut nec ſententiæ iudicum cauſam, & rationem ſolent continere, ne fortè tanquam minùs idoneę reijciantur. Epiſtolæ etiam ab illis ſcriptæ breuitas oſtendit, eam decere grauitatem, & maieſtatem decretorum, vel canonum, qui in Concilijs circa res potiſſimùm ad fidem pertinentes eduntur.

Pro quinta, & ſexta Synodo, non tam Oecumenica tamen, quàm Prouinciali, vel Nationali ſolet adduci illa act.21. Hieroſolymis congregata, cùm Paulus adijt Iacobum Apoſtolum Hieroſolymorum Epiſcopum pro tollenda ſuſpicione Gentiliſmi, quam Iudæi de Paulo conceperant circa legalium obſeruantiam, nec non alia ibid.cap. 20. vbi idem Paulus vocatis maioribus natu Eccleſiæ, hoc eſt Epiſcopis interprete Irenæo lib.3. cap. 14. Mileti propè Epheſum de regimine Eccleſiæ tàm ſollicitè egiſſe legitur.

Septima demùm Synodus Apoſtolica, quam vltimo loco repono, quod ignoretur præciſum eius tempus, fuit, quando Apoſtoli Orbem ſibi ad prædicandum diuiſuri, iuxta præceptum Domini Matthæi, & Marci vltimo, priùs in vnum locum ſecretum convenere; qui ob Iudæorum, ac Gentilium perſecutionem excitatam palam congregari non poterant; vbi ne vlla ex parte aliqua, vel apparens inter eos in annuntiatione Euangelij diuerſitas eſſet, quoſdam fidei canones, quibus vniuerſam Chriſtianam fidem perſtringentes firmarent, conſtituerunt: quos proprio nomine Dei Eccleſia nominare conſueuit, Symbolum Apoſtolorum; quod nomen Pachymeres Dionyſij interpres in 3.cap. Hierarch. Eccleſ. ſcribit idem ſignificare, *ac tòn eranon collectam, caì tò didomenon eis deipnon*, & id quod confertur pro cęna, vt apud Terentium in Andria Symbolum dedit, inde enim aſimbolos dicebatur, qui cænam gratis acceperat; qua ex ſignificatione aliqui breuem hanc fidei articulorum ſummam, & enumerationem Symbolum ritè apppellatam

censuerunt, quod quisque Apostolorum aliquid in commune ad regulam tamquam mensam credentibus instruendam contulisset. At quoniam sonat etiam signum, ac quasi tesseram, existimauerunt alij, ducta à tessera militari similitudine, quæ militibus datur, vt se mutuò possint agnoscere, Symbolum fidei vocari, quasi indicium, & signum, per quod veri milites Christi à falsis fratribus dignoscerentur. Vulgus illud paruum Credo nominare consueuit, quod dicatur fortè submissa voce in principio totius officij, tam diurni, quàm nocturni, nec non in fine Dicitur autem sic in silentio, quia quando fuit editum fides nondum erat diuulgata, sed Gentilium, ac Iudæorum tyrannide in iniustitia detinebatur.

In hoc autem Symbolo speciali Spiritus Sancti instinctu ab Apostolis conciliariter adunatis edito, iuxtà numerum illorum duodenarium, duodecim quoque articuli continentur, hoc ordine apud D. Augustinum serm. 115, de tempore: Petrus dixit; [Credo in Deum Patrem Omnipotentem;] Ioannes dixit, [Creatorem cæli, & terræ;] Iacobus dixit, [Credo, & in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum,] Andreas dixit, [Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.] Philippus ait, [Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus,] Thomas ait, [Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.] Bartholomæus dixit: [Ascendit ad Cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.] Matthæus dixit: [Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.] Iacobus Alphæi, [Credo, & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam.] Simon Zelotes, [Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.] Iudas Iacobi, [Carnis resurrectionem.] Matthias compleuit, [Vitam æternam Amen.] Et quamuis an sit hic sermo D. Augustini, an alterius, à quibusdam reuocetur in dubium, parum interest, cùm de singulis duodecim Apostolorum distinctis sententijs, suppetant plurium aliorum Scriptorum testimonia. Nam apud Clementem Romanum in epistola ad Iacobum Hierosolymitanum Episcopum hæc leguntur: [Symbolum, quod fidelis nunc tenet Ecclesia, vnusquisque, Apostolorum, quòd sensit dicendo condiderunt.] De hoc quoque scripsit Ambrosius, [Clauem istam arbitror duodecim artificum operatione conflatam, duodecim enim Apostolorum Symbolo fides cuncta concepta est, qui veluti periti artifices in vnum conuenientes clauem suo concilio conflarunt.] Item Ruffinus in præfat. expos. Symb. Apostol. hæc ait; [Discessuri Apostoli ab inuicem, normam prædicationis in commune constituerunt, ne fortè alij ab alijs abducti, diuersum aliquid his, qui ad fidem veniebant exponerent. Ergo omnes in vno positi, & Spiritu Sancto repleti breue istud futuræ, sicut diximus, prædicationis indicium conferendo in vnum, quòd sentiebat vnusquisque componunt, atque credentibus hanc dandam esse regulam statuunt.] S. Leo in epistola 96. ad Pulcheriam Augustam: [Ipsius Catholici Symboli breuis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententijs, tam instructa est in munitione cœlesti, vt omnes hæreticorum opiniones solo possint gladio detruncari.] Eadem Venantius Fortunatus in præfat. expos. Symb. Albinus Flaccus cap. 22. de offic. Eccles. alijque plures tradunt.

Tandem, quicquid sit de editione Symboli, iuxta superiùs adductum duodecim Apostolorum numerum, & ordinem, illud ab Apostolis absolutè compositum fuisse vniuersi docent Patres, Tertullianus contra Praxeam, & in lib. de velandis Virginibus: Irenæus lib. 1. contra hæreses cap. 2. & lib. 3. cap. 4. S. Hieronymus epist. 61. ad Pammachium cap. 9. S. Augustinus tomo 9. de Symbolo lib. 3. cap. 1. S. Ioannes Chrysostomus duabus homilijs in Symbolum Apostolorum, quarum prima incipit, [Vniuersalis Ecclesia gaudet; secunda verò, Super fabricam totius Ecclesiæ;] alijque plures quos refert Canisius in suo Catechismo. Vnde etiam hoc Symbolum Catholica semper Ecclesia adeò est venerata, vt in Sacris deinceps Concilijs, quasi basis quædam, & fundamentum totius structuræ Ecclesiasticæ consueuerit in primis recitari. Nec solùm cunctis ad Baptismum venire cupientibus primum omnium traditur, & ijsdem proximè baptizandis exigitur, sed assiduè à quolibet Christiano recitandum esse admonent Augustinus, & Ambrosius lib. 3. de Virginibus: [Symbolum quoque specialiter debemus tamquam nostri signaculum cordis, antelucanis horis quotidiè recensere: quo etiam cùm horremus aliquid animo recurrendum est. Quando enim sine militiæ Sacramento miles in tentorio, bellator in prælio.

Hinc apparet præfracta temeritas Laurentij Vallæ lib. 4. inuect. contra Popium, Erasmi in præfat. paraphras. in Matthæi Caluini lib. 2. institut. cap. 16. §. 18. aliorumque Nouatorum, qui primi ausi sunt vertere in quæstionem, num Apostoli verè essent auctores Symboli, quòd eorum nomine circumfertur, ne vt opinor arguerentur discedere à decretis Apostolorum, sicubi deprehenderentur à Symbolo deerrare, aut ne semel admisso hoc Symbolum esse Apostolorum, cogerentur admittere traditiones non scriptas, inter quas primum locum tenet Symbolum ab Apostolis editum, quod est verum Dei verbum non scriptum, sed traditum, vt asserit Ruffinus loco iam citato, necnon Hieronymus epist. ad Pammachium: [Symbolum, inquit, fidei & spei nostræ, quòd ab Apostolis traditum non scribitur in charta, aut atramento, sed in tabulis cordis carnalibus.] Quare nullius est roboris, ac momenti argumentum à Laurentio Valla confictum, quòd hoc Symbolum D. Lucas Actis Apostolicis non mandauit; cùm tamen eiusdem editio non esset minùs mentione digna, multis alijs actionibus, quæ diligenter ab ipso conscriptæ sunt, non solùm secundùm substantiam, sed omnes etiam circumstantias loci, temporis, & modi; nullius, inquam, vis est hæc obiectio, non enim omnis doctrina à Christo, & Spiritu Sancto accepta ab Apostolis fuit descripta, sed vt sectione huius libri secunda probauimus, partim scripto, partim etiam viua voce mysteria fidei tradiderunt. Quemadmo-

admodum enim non omnia facta Christi, aut Apostolorum sunt scripta, sicut ait Ioannes cap. vltimo.] Quòd si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros,] ita similiter de dictis, aut doctrina Christi, qua Apostoli ab ipso fuerunt instituti, asserendum est.

Circa tempus autem, quo fuit editum præcisè, licèt certi nihil statui possit, probabiliùs tamen videtur hoc accidisse ante necem sancti Iacobi Maioris circa annum Christi 44. Claudij Imperat. 2. quo diuiserunt sibi Apostoli, ad quas singuli proficiscerētur orbis terræ prouincias annuntiaturi fidem Christi; Petrus Romam; Ioannes in Asiam minorem; de Iacobo Ioannis germano, qui sequitur ordine apud Lucam Act. 1. nihil dicitur, [qui ante istiusmodi Apostolorum diuisionem ab Herode Agrippa necatus fuit. Andreas ad Scythas, Philippus in Asiam superiorem, ac aliquam partem Scythiæ; Thomas ad Parthos, Indos, & Æthyopes; Bartholomæus in Armeniam maiorem, citerioremque Indiam; Matthæus in Æthiopiam: Iacobus Alphæi, frater Domini, idemque Iustus dictus, cùm Hierosolymorum creatus fuisset Episcopus, ne Iudæi, quorum causa illud munus susceperat, omninò derelicti haberentur, loco constitit. Simon Cananæus, qui & Zelotes, in Mesopotamiam, & in Persidem; Iudas idemque Thaddæus dictus, & frater Iacobi, in Mesopotamia quoque prædicasse asseritur, multaque egisse in Arabia, & Idumæa: alijsque adiacentibus regionibus. Matthias denique, qui in locum Iudæ proditoris subrogatus est, in Æthiopiam, post Iudæam, Euangelij causa profectus est. In hoc eodem Concilio ab Apostolis ante eorum diuisionem celebrato, nonnulli existimant conditos fuisse Canones, qui dicuntur Apostolorum; quamuis alij id contigisse putent Hierosolymis Act. 15. colligique ex Clemente Romano lib. 6. Constit. Apostol. cap. 12. vbi post appositam epistolam Concilij ibi congregati missam ad fratres Antiochiæ, & Ciliciæ, subiungit: [Atque epistolam quidem misimus, nos verò per aliquot dies mansimus Hierosolymis, sicut deliberantes, quæ ad communem vtilitatem, & corrigendas res pertinebant.] De quo vide Franciscum Turrianum.

Exinde ad Apostolorum exemplum & regulam, plura ab eorum successoribus, vbi ita opus fuit celebrata fuere Concilia tum Nationalia, tum prouincialia, vsque ad Nicænum I. quorum etiam aliqua dici potuere Generalia, quia vniuersali, & suprema Romani Pontificis auctoritate congregata, & approbata nonnumquam fuere.

Sic habetur ex Tertulliano libro aduersùs Psychicos: [Aguntur, inquit, præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex vniuersis Ecclesijs, per quæ, & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur, & hoc quàm dignum, fide auspicante, congregari vndique.] Vbi doctissimus Pamelius in suis ad cap. 13. notis, Romæ sub Clemente I. Alexandro I. Sixto I. & Telesphoro multa Concilia celebrata fuisse ex eorum literis Decretalibus apertè demonstrat.

Apud Eusebium lib. 5. cap. 18. In Asia hæretici Montanistæ per Prouinciale Concilium damnati sunt, de quo extant ibidem literæ Serapionis continentes illius damnationis formulam cùm subscriptionibus Episcoporum Catholicorum: de quo videndus est Baronius ad annum 173. num. 18.

Ex eodem libro 5. cap. 22. habetur, in negotio, vel quæstione de festo Paschæ celebrando die Dominico, an cum Hebræis decimaquarta Luna, multos Episcoporum conuentus vbique celebratos fuisse: [Decretum, inquit, Episcoporum qui tum erant in Palæstina conuocati, ad hanc vsque ætatem scripris custoditum est; in quorum Synodo Theophilus Cæsariensis Ecclesiæ Episcopus, & Narcissus Episcopus Hierosolymorum, præsides fuerunt. Aliud est etiam Episcoporum, qui Romæ similiter conueniebant, de eadem controuersia statutum: quod quidem Victorem id temporis Episcopum fuisse declarat. Aliud item Episcoporum Ponti, quibus Palmas, vtporè antiquissimus, & maximè venerandus præsidebat. Aliud Ecclesiarum Galliæ, quas Irenæus regebat Episcopus. Aliud porrò Ecclesiarum, quæ Osrænum, & reliquas in eo loco ciuitates incolebant. Aliud separatim Bacchylli Ecclesiæ Corinthiorum Episcopi: & alia denique aliorum propè infinitorum, qui vno consensu iudicioque vno eandem de illius festi obseruatione tulere sententiam.

Cyprianus epist. 55. contra Nouatianum asserit, in Concilio Africano nonaginta Episcoporum damnatum fuisse Priuatum hæreticum: ibidem meminit cuiusdam alterius Concilij in Africa coacti aduersùs Nouatianum, siue Nouatum; quem, eiusque fautores, concilio maximo Romæ coacto sexaginta Episcoporum ab Ecclesia fuisse exclusos refert Eusebius lib. 6. cap. 35. differre autem hoc postremum Concilium, ab altero quoque Romano, quod pro lapsorum restitutione collectum fuerat, colligitur ex citata epistola 55. Cypriani, & ostendit Cardinalis Baronius ad annum 354. Antiochiæ etiam celebratam fuisse aduersùs eumdem Nouatum Synodum nationalem refert Eusebius lib. 6. cap. vlt.

In causa Anabaptismi, celebrata quoque fuisse varia Episcoporum Concilia legitur; vnum quidem sub Agrippino Carthaginensi Episcopo in Numidia, quòd tamen improbatum deinde, reiectumque fuit correctiua plenarij Concilij auctoritate, ex D. Augustino lib. 2. contra Donat. cap. 7. Alia item Africana congregata fuere sub Cypriano, vnum Septuaginta, & vnius Episcoporum; aliud octoginta sex, vt colligitur ex literis S. Cyprian. 50. 70. 72. 73. & 74. quæ etiam à Romano Pontifice improbata sunt, præualente Stephani Papæ sententia de non rebaptizandis hæreticis ad Ecclesiam venientibus, cui humiliter cesserunt Africani Episcopi.

Ex Diuo Athanasio, in commentario aduersùs Arianos de causa Dionysij Alexandrini Episcopi, habetur, pro ea Romæ indictum fuisse Concilium, in quo à Summo Pontifice absolutus fuit, declaratusque Catholicus.

Quamuis autem Ancyranum Concilium

in Galatia celebratum, Nicænæ Synodo, forsan, quòd Prouinciale dumtaxat fuerit, à nonnullis postponatur; ea tamen antiquius fuisse, & circa annum Domini 308. post tempora Marcellini Papæ contigisse certum est, item & Neocæsariense sub Syluestro: puresque Episcopi, qui his duabus interfuere Synodis Prouincialibus, postmodum ad Oecumenicam Synodum, Nicænam conuenere. Tantùm sufficiat indicasse de primæuo Conciliorum vsu, in statu legis Euangelicæ ad conuincendos aliquos, qui nulla ante Nicænum coacta fuisse contendunt. Quare etiam tunc, non æquè difficilem particularium, ac Generalium Conciliorum fuisse conuocationem, factum ipsum ostendit absque alterius probationis indigentia.

CAPVT IV.

Cuius sit Generalia Concilia conuocare.

ETsi tam huius controuersiæ, quàm sequentium ad causam Conciliorum efficientem spectantium, definitio satis pateat ex dictis superiori sessione cap. 16. pro suprema, & infallibili Romanorum Pontificum auctoritate: quatenùs ibi in præcipuum eius argumentum ostendimus, ad illos semper attinuisse, Generalium Conciliorum indictionem, conuocationem, præsidentiam, directionem, & approbationem; nihilominùs, vt omnia ad hanc materiam pertinentia sub vno velut aspectu faciliùs appareant, ea simùl hìc colligemus; primùmque declarabimus, cui in Ecclesia competat Generalia Concilia indicere, & congregare; pro cuius intelligentia:

Primò notandum est, Ecclesiam, vbi Generalia cogi debent Concilia, multifariàm considerari posse, primò, secundùm, quod ab ea, quis pro legitimo, & indubitato habetur Pontifice; secundò in statu schismatis, vel dubij Pontificis, vbi plures nimirùm, ob incertam ipsorum electionem, de supremo inter se contenderent Pontificatu; tertiò, quando legitimus priùs, & indubitatus Pontifex in priuatam rueret hæresim.

Secundò animaduertendum est tribus modis Concilia Generalia indici, & congregari posse; primò per viam exhortationis, aut petitionis; secundò per modum quidem auctoritatis, sed executoriæ tantùm, & quæ ad ius facti pertinet; tertiò præceptiuè, iuridicave interueniente auctoritate, ita ut Episcopi vniuersi Orbis, si absit excusatio legitima, morem gerere, & comparere teneantur. His prænotatis, plures tam horum, quàm superiorum temporum Hæretici indistinctè docuerunt, pertinere ad Imperatorem Conciliorum generalium conuocationem; quinimmò Lutherus libro de Concilijs ait Concilia ideò vocari Oecumenica, quia ab vniuersali omnium Domino, scilicet Imperatore, coacta sunt. Nos pro explicatione veræ sententiæ sequentes ponemus assertiones.

Assertio prima iuridica, siue auctoritatiua Conciliorum generalium indictio, non Regibus, aut Imperatoribus Christianis, sed soli Romano Pontifici pro tempore existenti absolutè competit, vbi illam expedire in Domino iudicat. In hac assertione tamquam de fide conueniunt Doctores Catholici, illamque apertè demonstrant, quam plurima, quæ citato loco protulimus, Patrum testimonia, vbi ità docetur; nec non perpetua Ecclesiæ praxis, rationesque desumptæ ex ipsamet regiminis eius forma, & natura.

Primum igitur sit Marcelli Papæ testimonium epistola 1. ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ, vbi ait: [Apostolos, eorumque successores, inspirante Domino constituisse, vt nulla Synodus fieret præter Sedis Apostolicæ auctoritatem.]

Idem asseruit Iulius Papa in epistola ad Orientales: [Porrò, dudum à sanctis Apostolis, successoribusque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenùs sancta, & vniuersalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari.] Cùm priùs docuisset in Nicæna Synodo vnanimiter statutum fuisse, [vt nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica auctoritate conuocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, idest, iudicetur, aut damnetur.]

Qui Canon Concilij Nicæni, & si modò inter alios 20. quos residuos habemus, non extet, nihil eius obstat veritati, cùm præter illos, nonnulli adhùc à Patribus agnoscantur; nàm, [vt bigami non ordinentur,] in eodem Concilio decretum fuisse, tradit Diuus Ambrosius epistola 82. [Ne Episcopus ab vna Ecclesia ad aliam transeat.] Hieronymus epistola ad Oceanum: [Ne Episcopus successorem sibi deligeret.] Augustinus epistola 110. ac tandem, [ne Hæretici rebaptizentur,] idem Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 9.

Huiusmodi autem Canonem, de quo agimus in præsenti, quoque Iulius Papa asserit, [non debere, præter sententiam Romani Pontificis, vllo modo Concilia celebrari, nec Episcopos damnari;] à Nicæna Synodo, ex Diuina, & Apostolica traditione conditum fuisse, sequentia manifestè probant argumẽta. Quod Iulius tam in prima, quàm in secunda ad Episcopos Orientales epistola, expressam illius mentionem fecerit. Item Felix II. epistola 1. ad Athanasium, & cæteros Ægypti Episcopos Alexandriæ congregatos; vbi conqueritur ab ipsis inconsulta Sede Apostolica contra Nicænæ Synodi statuta, causas Episcoporum fuisse conciliariter definitas: quam profectò querelam facilè Orientales Episcopi euadere potuissent, negando nimirùm huiuscemodi statuta, si semel à Synodo Nicæna edita non fuissent: quod tamen non fecerunt, sed potiùs in epistola ad Felicem II. rem ità se habere libẽter fassi sunt. [Scimus, inquiunt, in Nicæna magna Synodo trecentorum octodecim Episcoporum ab omnibus concorditer esse roboratum, non debere absque Romani Pontificis sententia Concilia celebrari, nec Episcopos damnari, licèt hæc, & alia quamplura necessaria ab Hæreticis, qui nos quotidiè infestant, & perdere nituntur, vt faciliùs nos

nos capere poſſint; ſint Synodica capitula incenſa, nobiſque ſublata, &c.]

Eiuſdem inſuper Canonis, nec non veritatis in eo contentæ meminerunt Damaſus Papa epiſtola 2. ad Stephanum, & Concilia Africæ. Leo I. epiſtola ad Theodoſium. Gelaſius epiſtola 11. ad Epiſcopos Dardaniæ. Pelagius II. epiſtola ad illegitimam Synodum Conſtantinopolitanam. Nicolaus I. latiſſimè epiſtola 8. ad Michaelem Imperatorem. Gregorius VII. libro 8. epiſtola 21. ad Metenſem Epiſcopum. Ex hiſtoricis autem hunc eumdem Canonem citatum habent, Socrates lib. 2. hiſtor. cap. 5. vbi agens de Concilio ab Euſebio Antiochiæ Vrbis Syriæ congregato ait: [Quia etiam Iulius Romanus Epiſcopus neutiquam aderat; neque quemquam, qui eius locum ſuppleret, eò miſit; idque cùm Canon Eccleſiaſticus iubeat, non oportere abſque ſententia Epiſcopi Romani, decreta Eccleſijs ſancire.] Deindè cap. 13. refert ipſum Iulium Antiochiæ Epiſcopos miſſis ad eos literis grauiter obiurgaſſe, [quod contra Eccleſiæ Canones, illum ad Concilium non vocaſſent: quippè cùm Canon Eccleſiaſticus vetet, ne decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſijs ſanciantur.] Sozomenus hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 9. vbi de eodem Romano Pontifice Iulio ait: [Ad illos autem, qui Antiochiæ in vnum conuenerant (nàm fortè fortuna id temporis eorum acceperat epiſtolam) ſcripſit, atque adeò incuſauit, quod clam contra fidem Concilij Nicæni nouas res moliti fuerant, quodque contra leges Eccleſiæ ipſum ad Concilium non vocarant. Nàm legem eſſe ad Sacerdotij dignitatem ſpectantem, quæ pronunciat acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani conſtituuntur.] Nicephorus Calliſtus libro 9. cap. 10. Quod Magdeburgenſes admiſſa huius Canonis veritate reſpondent illum debere intelligi non de celebratione Conciliorum, ſed dedicatione Eccleſiarum, eſt omninò friuolum; illa enim verba: mì dein para tin gnomin tòu Epiocopou Romis, tas Ecclisias canonizein, apertè ſignificant generalia non debere conuocari Concilia ſine Romani Epiſcopi auctoritate, vel ſententia, vt quotquot antè Magdeburgenſes fuere Scriptores ea verterunt, & interpretati ſunt; nec alium ſenſum materia, de qua ab illis agitur, & ob quam præfatus Canon affertur, admittere poteſt, vt illam conſideranti patebit, nec non verbum canonizein.

His accedit perpetua, & conſtans Eccleſiæ praxis, qua legitimo in ea exiſtente Pontifice, omnia prorsùs Concilia generalia eius auctoritate, vel permiſſione congregata ſemper fuere; & quamvis id expreſſiùs de aliquibus, ſufficienter tamen de omnibus in Eccleſiaſtica habetur hiſtoria. Primum enim Concilium generale Nicænum à Silueſtro Pontifice, fuiſſe indictum, aut ſaltem ex eius conſenſu ab Imperatore Conſtantino reſtatur tùm ſexta Synodus act. 18. tùm Ruffinus libro 1. cap. 1. vbi ait expreſsè Conſtantinum illud conuocaſſe [ex ſententia Sacerdotum,] Silueſtri proculdubio, quem vnicè colebat, amabatque, & Hoſij Cordubenſis, cuius ſignũ eſt, quod redeunte Hoſio ex Legatione, qua Romæ fungebatur, ſtatim à Conſtantino Nicæuum cogi cæpit Concilium; tùm denique Pontificale Romanum ſub nomine Damaſi, in quo dicitur conſenſu Silueſtri habitum fuiſſe Concilium Nicænum. Dùm ergò de ambobus tamquam de huius Concilij auctoribus fit aliquando mentio, vt omnia ſimùl concordent, reddanturque [quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo;] non æqua in illis, ſed ſubordinata dumtaxàt agnoſcenda eſt congregandi Concilia poteſtas, vel auctoritas, vt principalis vna ſit, vt par eſt, Summi Pontificis, miniſterialis, aut executoria altera reſpectu Imperatoris, vt ſequenti magis explicabitur aſſertione.

Secundam quoque Synodum generalem Conſtantinopolitanam, licèt forſan inuito Damaſo primùm congregatam, nihilominùs ratam poſtmodùm habitam fuiſſe, ſuo loco probauimus ex ſexta Synodo act. 18. ex vetuſto codice Vaticano, & alio ſanctæ Mariæ Maioris apud Baronium, vbi hæc verba leguntur: [Sententiam de damnatione Macedonij, & Eunomij Damaſus confirmari præcepit in ſecunda Synodo, quæ præcepto, & auctoritate eiuſmodi Conſtantinopoli celebrata eſt.] Nec non ex ipſiſmet Patrum eiuſdem Concilij ad Damaſum literis: [Mandato, inquiunt, literarum ſuperiori anno à veſtra Reuerentia ad ſanctiſſimum Imperatorem Theodoſium miſſarum, ad iter dumtaxàt Conſtantinopolim vſque faciendum nos præparauimus;] quibus ſanè verbis ſignificatur, non tam indixiſſe Theodoſium illud Concilium, quàm eum literas Damaſi Pontificis, quibus indicebatur, ad Epiſcopos miſiſſe; eòque magis, quo paulò antè præmiſerant, ſe Romam ab eo ad Concilium, [velut membra propria per Imperatoris ſanctiſſimi literas accerſitos priùs fuiſſe,] verùm id ob rationes, quas ibi afferunt, præſtare non potuiſſe, ideòque Conſtantinopoli manſiſſe; nec enim huiuſmodi ſtylo vſi fuiſſent, ſe ſeque adeò demiſiſſent, niſi conuocandi Synodos in Romano Pontifice, tamquàm in ſupremo Eccleſiæ capite abſolutam poteſtatem cognouiſſent. Cui tamen Theodoſium via executionis adiutrices porrexiſſe manus libenter admittimus; nec aliud probant, quæ in fauorem ipſius, & aliorum Imperatorum Hæretici, eorumque ſequaces adducere ſolent; non autem, quòd ſuprema vnquam, vel æqua cum Romanis Pontificibus auctoritas in illis fuerit generalia cogendi Concilia. Qua enim ratione quæſo, Lucentius Apoſtolicæ Sedis Vicarius Dioſcorum in Concilio Chalcedonenſi, vt mox dicemus, tam acriter increpaſſet, quòd ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate auſus eſſet facere, quod ritè numquam factũ eſt, nec fieri licuit, ſi Conſtantinopolitanum Concilium Oecumenicum abſque Damaſi conſenſu congregatum fuiſſet. Quibus collega Paſchaſius ſubiunxit de his eſſe regulas Eccleſiaſticas, & Patrum decreta, & qua fronte ipſemet Damaſus epiſt. ad Stephanum, & ad Concilia Africæ tam firmiter aſſeruiſſet: [Synodum ſine ſanctæ Sedis auctoritate fieri, non eſſe Catholicum; nec Epiſcopos, niſi in legitima Synodo, & ſuo tempore Apoſtolica vocatione congregata, definitè damnari poſſe, neque vlla vnquam Concilia rata legi, quæ non ſunt fulta Apoſtolica auctoritate.]

Ter-

Tertiam pariter Synodum generalem Ephesinam contra Nestorium à Celestino Papa indictam fuisse, clarè arguunt, quæ suo loco adduximus, testimonia Prosperi in Chronico, Photij de septem Synodis, sed ipsiusmet Celestini præsertim, tam in epistola ad Synodum, vbi significat eam sua voluntate fuisse collectam, quàm ad Cyrillum, vbi in ea vices suas illi committit, prout etiam testatur relatio, quam sacra Synodus ad Imperatorem misit, & habetur act. 3. [Hæc quidem, inquit, etiam antequam sanctissima hæc Synodus conueniret, Celestinus Primus magnæ Romæ Episcopus per literas suas indicauerat, Cyrilloque sanctissimo, Deoque dilectissimo magnæ Ciuitatis Alexandriæ Episcopo, vt suas vices subiret, commiserat.] Siquidem Cyrillum antè indictionem Concilij Legatum institutum fuisse, indèque de ea cum Imperatore tractasse, illique nomine Celestini præsedisse, manifesta sunt argumenta, nonnisi auctoritate ipsius coactum fuisse; Theodosio iuniore, & Valentiniano pro sua parte ministerialiter tantùm adiuuantibus: Nàm, quod aiunt Hæretici, ibi Cyrilli præsidentiam in sola laude, & commendatione repositam fuisse, non autem vt ex Celestini auctoritate aliquam Legati iurisdictionem exerceret, omni prorsùs fundamento caret, directèque repugnat tùm epistolæ Celestini ad Cyrillum, cuius hæc sunt verba: [Quamobrem nostræ Sedis auctoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris; nempè, vt nisi decem dierum internallo ad huius nostræ admonitionis die numerandorum, nefariam doctrinam suam Nestorius conceptis verbis anathematizet, namque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tuæ sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique religio Christiana prædicat, illicò Sanctitas tua Ecclesia illi prospiciat.] Tùm Cyrilli ad Constantinopolitanos, vbi ait: [Si Nestorius intrà terminum à sancto Celestino Papa præscriptum doctrinæ suæ nouitatibus nuncium non remiserit, ea quæ docuerat, aut libris suis inseruerat, non anathematizauerit, communione Ecclesiæ priuabitur.] Tùm ipsorummet Concilij Patrum testimonio, vbi Nestorij damnatione præmittunt: [Necessitate sibi à Canonibus, & sanctissimi Patris, collegæque sui Romanæ Ecclesiæ Episcopi epistola imposita, diù multumque lachrymantes ad tristem hanc peruenisse sententiam.] Quis enim sanæ mentis hæc, & similia de alia intelligat, quàm de auctoritatiua Cyrilli nomine Celestini præsidentia; adeòque de suprema, quam solus habet Romanus Pontifex, auctoritate in congregandis, & dirigendis tùm per se, tùm per suos Legatos generalibus Concilijs.

Quæ auctoritas clariùs adhùc resplenduit in quarta Synodo generali Chalcedonensi, à sancto Leone contra Eutychetem, & Dioscorum conuocata; vt testatur ipsorummet Valentiniani, & Martiani Imperatorum ad Leonem epistola; [Inuitantes, inquiunt, atque rogantes, vt pro firmitate, & statu nostri Imperij, æternam Diuinitatem tua Sanctitas deprecetur, & vt tale propositum, atque desiderium habeamus; quatenùs omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat, ab omni scelere pura, & intemerata consistens.] Et in alia epistola Martianus eumdem Leonem excitans, vt deliberet de Concilio futuro, & de conuenienti loco, hæc habet: [Superest, vt si placuerit tuæ Beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: nostris vtique desiderijs vestra Sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni, quæ vtilia sunt decernet. Si verò hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias: hoc ipsum nobis proprijs literis tua Sanctitas manifestet, quatenùs in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum sacræ nostræ literæ dirigantur, vt ad quemdam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianorum religioni, atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definiuerit, sua dispositione declarent.] Eodem quoque scribendi modo vtitur Pulcheria Augusta: [Et propterea tua Reuerentia quocumque modo prospexerit, significare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ, atque Illyrici (sicut etiam nostro Domino pijssimo Imperatori meo coniugi placuit) in vnam Ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire, & illic facto Concilio, & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui antè hoc segregati sunt, sicut fides, & Christiana pietas exigit, te auctore decernant.]

Quod aliqui verba illa, in vtraque epistola contenta, [te auctore,] restringenda esse respondent ad actiones conciliares post, non autem antè Concilij conuocationem, quasi illa tantùm ad Imperatorem pertineat, est omninò falsum. Primò, quia in Imperatorum epistola manifestè referuntur ad præcedentia, hoc est [celebrandam Synodum,] & cum illis coniunguntur. Secundò, quia licèt hæc declarari, intimari, indici, vel conuocari, aliaque similia nominaliter sint diuersa, re ipsa tamen se habent, vt superiùs prædicatum, includens inferiùs, declaratio enim Synodalis conuocationem importat, sicut & sententia Synodalis discussionem, discussio verò conuocationem; igitur ea ratione, qua aduersarij cæteros actus conciliales Summo tribuunt Pontifici, eidem quoque concedere debent principalem, siue auctoritatiuam Conciliorum generalium congregationem; itaut munus Imperatorum, Christianorumque Principum sit in hoc tantum ministeriale, vel obsecratiuum; defectu cuius distinctionis inter causam principalem, & adiuuantem: auctoritatiuam, & ministerialem; præceptiuam, & obsecratiuam conuocationis Conciliorum, mirum non est aduersarios in perpetuo versari paralogismo; cùm eius beneficio Doctores Catholici omnia facilè ad concordiam reuocent, & suum vnicuique ius reddant. Tertiò, quia id apertè sonant variæ sancti Leonis epistolæ, sed præsertim 41. ad Martianum, vbi suo promisso, quod Synodus Chalcedonensis ad tempus opportuniùs differetur, desiderio, mox subdit;

dit: [Sed quia pio ſtudio humanis negotijs Diuina præponitis, &c. ego etiam veſtris diſpoſitionibus non renitor, optans, vt omnium cordibus Catholica fides, quæ non poteſt niſi vna eſſe, firmetur.] Vbi ponderanda ſunt verba, [non renitor,] quaſi diceret, quod Imperator abſque ſua voluntate, vel eo renitente Concilium celebrare non potuiſſet, ſe tamen illud impedire noluiſſe, ſed potiùs ſatisfacere eius diſpoſitionibus, proptereaque Legatos deſtinaſſe, in quibus ſuam vult æſtimari præſentiam. Quo vrbano ſcribendi, & operandi modo tùm Leonem, tùm alios Pontifices interdùm cum Imperatoribus vſos fuiſſe legimus; ità exigentibus rerum circumſtantijs, quodque maior obedientia Pontificijs præſtaretur iuſſis, vbi quoque Imperatores cum ſua iuriſdictione conſpirabant; ſpecialiter, quod in conuocandis Concilijs temporali eorum indigerent opera, pro Epiſcoporum cuſtodia, pro expenſis, pro ſaluo-conductu, & alijs huiuſmodi; quare mirum non eſt, ſi, quando de illis tractabatur, Summi Pontifices, quibus tanta non erat virium temporalium facultas, ſuppliciter etiam cum Imperatoribus, Chriſtianiſque Principibus agebant, eorumque edicta procurabant. Sed indè Hæretici malè colligunt ſupremam illis ineſſe auctoritatem congregandi generalia Concilia, cùm huiuſmodi Pontificum ſupplicationes, aut preces tantùm fuerint ad obtinendum in hoc temporale Imperatorum auxilium, ſecundùm quod idem Leo Papa ſcripſit ad Leonem Imperatorem: [Regiam poteſtatem non ſolùm ad Mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium collatã eſſe.] Vndè ſi qui, extrà hos limites, Concilia aliqua ſua auctoritate conuocarunt, vſurpatio fuit Pontificiæ iuriſdictionis; illaque non tam Concilia, quàm conciliabula, & latrocinia dicenda ſunt; vt idem ſanctus Leo epiſtola 51. vocauit Synodum, dictam Epheſinam ſecundam, à Theodoſio poſteà corruptam; de quo redibit ſermo infrà.

Quartò, auctoritatiuè à Diuo Leone indictam fuiſſe Synodum generalem Chalcedonenſem arguit, quod Act. 1. Dioſcorus non eſt permiſſus ſedere inter Epiſcopos, quia ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ Synodum facere auſus eſſet, [quod numquam licuit, numquam factum eſt.]

Quintò, quod Epiſcopi ſecundæ Myſiæ ſic ad Leonem Imperatorem ſcripſerunt: [In Chalcedonenſium Ciuitate multi ſancti Epiſcopi conuenerunt per iuſſionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput eſt Epiſcoporum.]

Sextò denique, Gelaſius Papa epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ ait: [Solam Apoſtolicã Sedem, vt Synodus Chalcedon. fieret ſua auctoritate decreuiſſe.] Quod autem Gelaſium illa particula, [ſolam,] mendacium commiſiſſe obijciunt Magdeburgenſes; cum ex actis dictæ Synodi ſatis conſtet in ea ſuas etiam partes habuiſſe Martianum Imperatorem, nullius eſt momenti: tùm quia, particulæ excluſiuæ, qualis eſt iſta, non excludunt cauſas mediatrices, & inſtrumentales, vel executrices, cuiuſmodi fuit indicenda Synodo Chalcedonenſi Martianus, ſed æqualem auctoritatem, vel principalitatem, qualem cum Pontifice in indicendis Concilijs, nullus habet Imperator, tum etiam, quia particula hæc [ſolam] quam habet Gelaſius, non Imperatorem vt cauſam adiutricem, ſed alias Sedes Patriarchales excludit, ita vt velit Concilium Chalcedonenſe à ſola Sede Romana, abſque aliarum interuentu, indictum fuiſſe, mediante ope, & miniſterio Imperatoris, vt ſatis ſe explicuit capitulo Sancta Romana diſtinct. 15.

Quod quinta Synodus Conſtantinopolitana II. à Iuſtiniano Imperatore ſine conſenſu Vigilij coacta, cum magis vellet eam in Sicilia celebrari, quo faciliùs cum Orientales tum Occidentales Epiſcopi ſimul conuenire poſſent, quod inquam, talis Synodus numquam pro legitima, & Oecumenica in Eccleſia habita fuerit, donec ab eodem Vigilio ratam habente eam conuocationem ex ſuo beneplacito, liberoque aſſenſu, per ſubſequentem confirmationem robur obtineret, manifeſtum eſt argumentum, immò ſolùm ſufficere poſſet ad probandum; eam non ſubſiſtere Synodum, quæ nomine Pontificis congregata non eſt, vel ſi congregata ſit eo inuito, ita Principibus ſeculi ſpiritualem in hoc ſibi iuriſdictionem vſurpantibus, vt in hac Synodo contingit Iuſtiniano, firmitatem conſequi non poſſit, niſi Pontifex eius conuocationem ſuo nouo aſſenſu ratam habeat. Quamuis non deſint qui Iuſtinianum excuſent, aſſerantque eum decreto Vigilij Pontificis ad Quintam Synodum Oecumenicam Epiſcopos conuocaſſe.

Sextam inſuper Synodum Generalem Conſtantinopolitanam III. contra Monothelitas ab Agathone indictam fuiſſe hortante, & adiuuante Conſtantino Pogonato, teſtantur eiuſdem Agathonis literæ per Legatos ad ipſum miſſæ vnà cum inſtructione; qui proinde act. 6. ſic dictum Imperatorem allocuti ſunt: [Benigniſſime Domine ſecundùm ſacram à veſtra fortitudine ad Sanctiſſimum Papam rogationem demandati ſumus ad pijſſima veſtigia veſtræ Serenitatis, vnà cum eius ſuggeſtione, quam, & obtulimus coronatæ veſtræ Serenitatis.] Vnde quod Agatho ſucceſſor Doni in præfatis ad Imperatorem literis vtatur his verbis, [ſecundùm pijſſimam iuſſionem,] & iterum, [pro obedientia quam debuimus,] Pontificiam nullo modo depreſſit auctoritatem, quaſi ad ipſam principaliter non pertineret Conciliorum Generalium indictio, ſed humilem dumtaxat expreſſit ſubmiſſionem à paterna dilectione procedentem, vt ita pia accedente Imperatoris opera faciliùs definitio conciliaris perficeretur ad fidei defenſionem, ſi enim non hæretico, ſed Catholico legatur animo prima eius epiſtola ad Donum tranſmiſſa, opem vndique ſpirat, & non Imperium, quod vbi, & ſi quis Imperator, aut alius Princeps Chriſtianus vſurpare voluit, res attentata facti fuit non iuris, nam ſolùm habent ius ad ciuilem conuocationem, non autem Eccleſiaſticam, qualis eſt Conciliaris, vbi de rebus fidei, & religionis agendum eſt.

Septima Synodus Generalis Nicæna II. contra Iconoclaſtas ab Adriano I. etiam coacta eſt, vt patet ex literis à Conſtantino, & Irenæ ad eumdem Hadrianum datis, quibus vt

vt in Orientem venire, vel si non posset suos Legatos mittere dignaretur, humiliter petebant. Quæ dum ab illis ad Papam scriberentur, decretum quidem fuisse, vt fieret vniuersale Concilium, nondum autem conuocatum fuisse, donec Pontificius accederet consensus testantur in primis, quæ ex Anastasio Bibliothecario viro summæ fide, & diligentiæ, qui totam hanc Septimam Synodum Latinè interpretatus est, habentur: tum ex eiusdem Synodi act.2. vbi Theodorus Catanensium Episcopus asserit, ex mandato Imperatorum se Romam profectum, vt orthodoxam eorum fidem, & rectam animi sententiam Archiepiscopo exponeret, sine dubio de conuocanda, accedente eius consensu, & auctoritate, generali Synodo; vt patet ex responsorijs ad eos literis, nec non alijs ad Tharasium Patriarcham, & Synodum, vbi inter alia hæc Hadrianus scribit: [Inprimis autem vestra Sanctitas pijssimis, & triumphatoribus nostris Imperatoribus sine trepidatione inducat in animum, vt falsam congregationem illam sine consensu, ac præsentia Apostolicæ Sedis contra omnem patrum venerabilium traditionem, contra venerandas imagines, sine ordine, & debita conuocatione factam execretur, & anathematizatam præsentibus apocrisarijs nostris cognoscat.] Indeque eiusdem Synodi actione 6. per sex tomos distributa, tomo primo, definitur, Execrabilem fuisse, & prophanam, & adulterinam Synodum Constantinopolitanam sub Leone hæretico Imperatore, præsidente Photio celebratam; [Quod non habuit cooperarium, vt hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Papam neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios neque per Prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet.] Si autem penès Romanum Pontificem suprema non esset auctoritas conuocandi Generalia Concilia, vel vt aliqui dicunt, simpliciter necessaria non esset, sed tantùm ad melius esse, quomodo, quæ sine illa Synodi fierent, execrabiles, prophanæ, & adulterinæ vocari possent; vt iterum dicemus infra.

Octaua tamdem Synodus Generalis Constantinopolitana IV. sub Basilio Imperatore, contra Photium pro sancto Ignatio Patriarcha Constantinopolitano Hadriani II. auctoritate congregata fuit, cuius hæc sunt verba in epistola ad eumdem Basilium, quæ extat act.1. [Volumus per vestræ pietatis industriam, Constantinopoli numerosum celebrari Concilium; ibi enim terminus volumus,] Quo Summus vtitur Pontifex, satis denotat, nonnisi suprema eius auctoritate celebrandum esse, ille autem alius, industriam, in Imperatore ministerium, sine à Basilio opem ad illud celebrandum, esse præstandam. Euidens insuper huius rei argumentum est, quod iam pridem Imperator in hunc finem cogendi Concilium contra Photium Legatos Romam miserat, & per eos literas ad Nicolaum Summum Pontificem, quo interim mortuo, Hadrianus II. successor præfata scripsit verba, & eosdem, quos Nicolaus destinarat Legatos Donatum, Stephanum, Marinum, cum quibus fuit Anastasius Bibliothecarius, transmisit vt præsiderent Concilio. Extat etiam epistola eiusdem Papæ tertia, vbi Imperatorem de ministerio, & obsequio erga Romanam Sedem mirificè commendat.

Ab hac Octaua Synodo circa annum Domini 869. cùm per multorum annorum decursum nullæ aliæ generales fuissent celebratæ, demum Claromontana sub Vrbano II. circa annum Domini 1095. Lateranensis primò sub Calisto II. circa annum 1122. secundò sub Innocentio II. circa annum 1139. tertiò sub Alexandro III. circa annum 1179. quartò sub Innocent. III. circa annum 1215. Lugdunensis primò sub Innocentio IV. circa annum 1245. secundò sub Gregorio X. circa annum 1274. Viennensis sub Clemente V. circa annum 1311. Constantiensis sub Ioanne XXIII. circa annum 1414. Florentina sub Eugenio IV. circa annum 1438. Lateranensis quintò sub Iulio II. & Leone X. circa annum 1517. ac tamdem Tridentina sub Paulo III. circa annum 1545. ab ijsdem Pontificibus auctoritatiuè congregatæ sunt, non propter argumentum toto illo tempore dominij, vel potestatis temporalis Romanorum Pontificum, vt ineptè respondent aliqui, cum illi semper præualuerit, & etiamnum præualeat temporalis Imperatorum, multorumque aliorum Principum Christianorum potestas, sed ob summam, ac supremam, quam illi semper in Ecclesia habuere auctoritatem spiritualem, cuius solius est præceptiuè generalia congregare Concilia.

Ex hac perpetua Ecclesiæ praxi, qua omnia Concilia Generalia à Summis Pontificibus pro tempore existentibus legitimè congregata fuere, vel ratihabita; vt manifestè colligitur ad eos solos auctoritatiuam illorum spectare conuocationem, ita quoque ex hoc, quod vt congregationes Sathanæ, schismaticæque vniones habitæ sint, quæcumque sine eorumdem consensu celebratæ vmquam fuere; Antiochena anno 347. sub Constantio, in quo damnatus est Athanasius & via patefacta ad euersionem Concilij Nicæni primo ex Socrate lib.2. cap. 2. & Sozomeno lib.3. cap. 5. Mediolanensis Episcoporum plusquam 300. anno 355. tempore eiusdem Constantij, in quo etiam obliquè fides Catholica damnata est; Diuo Ambrosio in Auxent. Ariminensis Episcoporum 600. sub eodem Constantio anno 359. in quo sublatum est de symbolo nomen Homousios; ex Gelasio in Concilio Romano, & alijs Ephesina secunda tempore Theodosij Iunioris anno 459. in quo factione Dioscori, occisus est sanctus Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis Leonis fugari, ac demum hæresis Eutychiana confirmata; quam propterea idem sanctus Leo epistolis ad Clerum, & pop. Constantinop. ad Theodosium, & Pulcheriam, deprædatoriam vocat, & in Octaua Synodo Latrocinalis dicitur; cùm priùs in Chalcedonensi ob defectum legitimæ tunc celebrationis expresse improbata fuisset. Constantinopolitana sub Leone Isauro contra sacras imagines anno 553. qui fuit 13. Imperij eiusdem; ex Hadriano I. epistola ad Tharasium, & Septima Synodo Generali Nicæna act.6. in principio. Item Constantinopolitana altera 338. Episcoporum sub Constantino Copronymo anno 754. qua defi-

definitum est abolendas esse Christi, & Sanctorum imagines. Pisana anno 1511. congregata ab Imperatore, & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus contra Iulium II. quæ paulò post reprobata est in Concilio Lateranensi sub eodem Iulio sess. 2. & 3. tamquam illegitimè congregata: cuius etiam gesta, cum propterea intellexissent Imperator, ac Rex Christianissimus damnata fuisse à Leone X. Iulij successore, renunciarunt eidem, vt patet ex mandato Regis Galliæ ad Lateranense Concilium sub eodem Leone X. transmisso, quod habetur sess. 8. vbi significant per suos procuratores, quòd ipse, & Imperator electus; [Ea, qua decuit reuerentia, & humilitate à prætenso Pisano Concilio penitùs discesserunt: illique plenariè renunciauerunt, ac purè, liberè, & simpliciter Sacrosancto Concilio Lateranensi prędicto tanquam vero, vnico, & legitimo adhæserunt.

Huic tamdem Ecclesiæ praxi accedunt sequentes rationes rem clarè demonstrantes. Prima desumitur ex statu Ecclesiæ, qui est Monarchicus adeò vt supremus eius Monarcha, plenitudinem spiritualis potestatis habens, sit solus Summus Pontifex Romanus, vt superiori sectione latè probatum fuit. Igitur ea ratione, qua in regnis tali regiminis forma præditis, v. g. Galliæ, Hispaniæ, pertinet ad eorum Reges auctoritatiua comitiorum regni indictio, & conuocatio, debet quoque in Ecclesia, solus Romanus Pontifex, supposita Christi institutione, generalia Concilia auctoritatiuè indicere, & conuocare, in quibus de rebus fidei, & religionis agendum est.

Secunda ratio est, quia ad illum solùm spectat Concilia generalia iuridicè & ex auctoritate cogere, vel congregare, cui soli Christus Dominus supremam concessit in omnes Episcopos, & Prælatos totius Orbis potestatem; At soli Romano Pontifici pro tempore existenti, talem dedit Christus potestatem, non autem Imperatori, cæterisque Principibus Christianis; Illi igitur soli competit Concilia generalia iuridicè: & ex auctoritate conuocare. Maior huius argumenti est certa, & per se nota. Minor autem probatur multipliciter; Primò, quia soli Petro, eiusque successoribus, non autem Cæsari dictum fuit Ioannis vlt. [Pasce agnos, & oues meas;] vt satis, superque ostendimus sectione superiori. Secundò, quia nullus adduci potest Scripturæ locus, vbi Deus præfatam Imperatoribus concesserit auctoritatem. Tertiò, quia illam non habent ex natura rei, propriaue dignitatis, quæ est secularis, cuius proinde finis, est pax ciuilis, & salus temporalis, sicut è contra finis potestatis spiritualis, & Ecclesiasticæ, est salus æterna, omneque illud, quod ad illam conducit; At in Concilijs Ecclesiæ generalibus non temporalia, sed spiritualia potissimùm negotia pertractantur, fides enim exponitur, & traditur, leges Ecclesiasticæ conduntur, quibus subesse non præesse debent Imperatores, ad ipsos ergo ratione muneris Imperatorij non pertinet omnes Episcopos, & Prælatos totius Orbis auctoritatiuè ad Concilia Oecumenica conuocare. Quartò, quia Ecclesia multò latiùs patet Imperio; minusque est, vt ait Diuus Leo serm. 1. de SS. Petro, & Paulo, quod illi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit; quod idem asserit Diuus Prosper Card. de ingratis.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundi, quicquid non possidet armis.
Religione tenet:

Ita vt nedum hodie; sed nec olim Imperatores habuerint, etiam quoad actiones ciuiles, tot Prouincias sibi subiectas, quot habuit, & habet Ecclesia in spiritualibus; Imperatoria ergo potestas se extendere non valet ad cogendos conciliariter cunctos ex vniuerso Orbe Christiano Episcopos, sed tale priuilegium soli Pontifici competit, cui Imperator ipse, & quilibet Princeps Christianus spiritualiter subsunt, vt oues Pastori suo, Ecclesiaque vniuersalis.

Quintò, quia ad illum solum, concessa sibi à Christo auctoritate pertinet Episcopos ad Concilium vocare, qui negligentes, aut venire contemnentes pœnis coercere potest, distinct. 18. cùm conuocanti legitimo obedientia debeatur, aliàs frustratoria esset conuocatio; At nullus Imperator, aut alius Princeps Christianus coercitiuam habet potentiam, saltem in spiritualibus, super Episcopos, & Prælatos, sed solus Papa, ex cap. Constant. dist. 22. Euidens ergo signum est, illos; nec à Christo habuisse, nec à propria dignitate habere supremam conuocandi Concilia generalia auctoritatem.

Tertia tamdem, & vltima ratio desumitur à pari, nam Concilia Nationalia à Primate, Prouincialia à Metropolitano, Diœcesana ab Episcopo, propterea iuridicè, & ex auctoritate conuocantur pro rebus Ecclesiasticis intra potestatis eorum limites, aut sphæram contentis, quod Primas Metropolitanis, Metropolitanus Episcopis, Episcopus verò suis Sacerdotibus, & Parochis superior sit: Atqui solus Summus Pontifex Romanus est omnium Patriarcharum, & Primatum supremus: eius est igitur solius Concilia generalia, quibus ipsi interesse debeant, iuridicè & ex auctoritate conuocare.

Assertio II. Imperatores, cæterique Principes Christiani aliam in cogendis Concilijs partem legitimam non habent, quàm exhortatiuam, vel ministerialem. Ista conclusio est certissima; cum enim ipsi executores sint legum Ecclesiasticarum, & iurium ipsius Ecclesiæ; atque etiam Sanctæ Sedis Apostolicæ vindices, & Protectores, vnde scripsit Ambrosius ad Valent. [Cùm omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militent Imperatoribus, vos Omnipotenti Deo, & sacræ fidei militare debetis, & Leo Papa ad Leonem Imperatorem, Debes Imperator incunctanter aduertere regiam potestatem tibi, non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam;] inde vbi necessitas Ecclesiæ ita postulare, & exigere videbatur, nonnunquam à Summis Pontificibus Conciliorum Generalium conuocationes humiliter petierunt, ipsique eorum petitionibus humaniter annuerunt

 habi-

habito sine dubio speciali ad eorumdē dignitatem respectu, quem pro alijs non habuissent. Constat ex epistola Constantini Cæsaris ad solitariam vitam agentes. [Episcopus Romanus Iulius Synodum iussit fieri vbicumque vellemus, &c.] nec non ex alia Martiani Imperatoris pro Concilio Chalcedonensi scribentis ad Episcopos: [In Chalcedonensem ciuitatem venire dignemini;] & ad Leonem Pontificem: [Inuitamus, atque rogamus, vt pro firmitate, & statu nostri Imperij, æternam diuinitatem tua Sanctitas deprecetur, & vt tale propositum, atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum te auctore, maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat.]

Ad viam autem executionis, siue ad ministerialem sæcularium Principum operam spectat; quod Romani Pontifices interdum etiam eorumdem auctoritate pro indictione, & conuocatione Conciliorum vti coacti sunt; cuius plures non desunt causæ, quę totam rem clarè demonstrant. Primò, quod Romani olim Imperatores varijs, ac dissimilibus per vniuersum Orbem nationibus dominarentur, atque adeo timerent, vt patet ex eorum legibus, ne, si conuentus aliquis, vel congregatio alicubi fieret absque eorum licentia, seditionibus, aut rebellionibus, aliqua daretur occasio; inde Romani Pontifices ad auferendam huiuscemodi suspicionem, Concilia eorum medio plerùmque indicere debuerunt. Secundò, quia ciuitates, in quibus commodè celebrari poterant Concilia, maiori ex parte subditæ erant temporali Imperatorum dominio. Tertiò, quoniam Episcopi ad locum Concilij cogendi, ab imminentibus in itinere periculis, nonnisi Imperatoria auctoritate contra hostes defendi, nec non etiam eorumdem sumptibus conduci poterant, cùm plures eorum magna tunc paupertate premerentur, nec possent tantas impensas sustinere. Quartò, vt faciliùs desideratus obtineretur Conciliorum effectus; vbi ea populi scirent, interueniente etiam Imperiali opera, celebrata fuisse, experientia enim patet multos indè promptiùs inclinari ad obediendum, rebellesque etiam, & extorres minus saltem audere Episcoporum decretis contraire, ne Cæsarem quoque offendant, promeritasque idcircò pœnas luant. Quintò tandem, Romanos Pontifices generalia medijs Imperatoribus Concilia indicere, & cogere conueniens fuit, vt ita spirituali, & temporali potestate mutuo se honore præuenientibus, res Christianæ suauiùs, ac firmiùs stabilirentur: Vnde in Concilio Turonensi III. habetur: [Comitibus, iudicibus, reliquoque populo expedit, vt suis sint Episcopis consentientes, & obedientes propter Dei amorem, suique gradus honorem, & semper ab eis vtile quærant consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter verò, & Episcopi prædictas personas humiliter suscipiant, honorificèque erga eos in omnibus agant, & sic se se mutuis studeant subleuare consolationibus.]

Cæterùm tam has, quàm alias similes rationes, haud maiorem in Principibus auctoritatem arguere, quàm ministerialem, vel executoriam, quæque ad ius facti pertinet; præceptiuam autem, siue auctoritatiuam penès solum Romanum Pontificem existere patet ex dictis; quare etiam omnia prorsus ab eo congregata, & confirmata Concilia, quantumuis non consentientibus, immò aliquando renitentibus Imperatoribus, legitima semper habita fuere; secus autem, quæ ab istis, sine consensu expresso, aut tacito Pontificis celebrata aliquando fuere, vt Ephesinum II. dictum latrocinium, sub Imperatore Theodosio Iuniore: & Constantinopolitanum contra sacras imagines, quod indixerat Constantinus Copronymus Iconoclasta; & quamuis ea, aliaque superiùs allata, non eo solo nomine Ecclesia reprobarit, sed quia errorem pro veritate definierant, Deus tamen propter sæcularem istam indictionem, sèclusa Pontificia, adesse ijs noluit, vt ab errore vindicarentur. Sique aliqua interdum huiusmodi Conciliorum decreta ab Ecclesia vniuersali recepta, & obseruata fuisse reperiantur, non id vi legislatoris, nempè talium Conciliorum factum est, quasi ab initio aliquam obligationem induxerint, sed vi receptionis, & approbationis, quæ illis postea accessit; quatenus enim tractu temporis cæperunt in Ecclesia obseruari, moribusque vtentium firmari, iam fideles ipsos obligare potuerunt.

Assertio III. quando Papa vnus, vel etiā plures, vt in casu schismatis, incerta laborarent electione, Ecclesia sufficientem habet auctoritatem tunc conuocandi generale Concilium, nec non in casu canonis, Si Papa, hoc est si priuatus fieret hæreticus. In hac assertione conueniunt omnes Doctores Catholici; & patet quo ad primam partem ex dictis sectione superiori capit. 14. quoad secundam verò cap. 16. versùs finem; si enim Ecclesia auctoritatem habet declarandi, nec non etiam deponendi dubios Pontifices; sique legitimus, & certus in priuatam hæresim pertinaciter incideret, illum priuandi Pontificia dignitate modo ibi explicato; eam quoque fatendum est habere facultatem se in hos fines conciliariter adunandi; idque præstari primùm deberet per Dominos Cardinales, qui si nollent, Primates diuersorum Regnorum possent inter se conuenire, & Episcopos sibi subiectos in vnum locum conuocare: quibus etiam renuentibus, aut negligentibus, Episcopi ipsi mutuo hortatu, in vnum locum legitimè conuenire possent. In quorum omnium defectum addit Magister Grauina tomo 4. Cathol. præscript. par. 2. qu. 2. posse tunc Imperatorem conuocare Concilium, non quidem auctoritatiuè, sed tamquam aduocatum, & defensorem Ecclesiæ, ad quem spectat Ecclesiæ fidem, & vnitatem tueri 23. quæst. 5. cap. Principes; vel etiam permittente lege, quòd vbi imminet necessitas, & superior negligit, inferior supplere possit; de supplend. neglig. Prælat. cap. 2. & capit. Si Episcopus. Quo tamen in casu conuocationis per Imperatorem, aut alios Principes Christianos, præfatus doctor prudenter aduertit, & monet duo esse necessaria. Primum, ne vocandi excluderentur, admitterentur autem non vocandi. Secundum, constare debere de necessaria causa eiusmodi conuocationis, vt si esset notoria hæresis, vel schisma, cui secun-

dum

dùm iudicium Catholicorum ferè omnium, vel per confenfum maioris partis prælatorum, aliter prouideri, obuiamque iri non posset, adhibito præsertim, & tentato priùs omni alio opportuno remedio.

At quomodocumque in præfatis casibus talis conuocatio fieret; dici non deberet Concilium absolutè, & simpliciter, seu vndequaque perfectum, sed secundùm quid; si enim à Synodo, aut alio quocumque corpore Politico, siue Ecclesiastico, siue Laicali, caput excludatur, remanet, vt corpus acephalum, atque adeo quamdiu tale est, non vndequaque perfectum, suisque omnibus constans partibus, cui perfectior deest; quare semper verum est potestatem indicendi Concilia perfecta, & simpliciter talia, penès Romanum dumtaxat Pontificem esse, vt rectè Caietanus aduertit tract. de auctoritate Papæ, & Concilij capit. 16. Indeque etiam sequitur posse quidem tunc Concilij Patres Ecclesiæ periculo ob schisma, vel hæresim capitis imminenti succurrere, illud deponendo, nec non, si opus sit, dogmata fidei condere, sed Ecclesiam vniuersalem de facto non obligantia, nisi accedente Pontificia confirmatione: cùm huiusmodi actiones non sint cuiuscumque Concilij, siue acephali, sed perfecti ex capite, & membris constantis, quodque potestatem Papalem in actu includat, vt fusiùs infra explicabitur.

Assertio IV. quamdiu legitimus, ac certus in Ecclesia Pontifex agnoscitur, etsi aliàs perditissimis, ac profligatissimis moribus esset, eo tamen inuito Generale Concilium, in nullo prorsus casu legitimè congregari potest; Ista assertio est contra Gersonem, Almainum, & aliquos alios cum illis docentes, non solùm in casibus hæresis, & schismatis, sed etiam cùm requisitus Papa de cogendo Concilio renuit, illud posse eo inuito legitimè conuocari, vbi Ecclesiæ necessitas, & vtilitas ita exigit. Verùm nostra assertio longè verior est.

Primò, quia puto hunc casum moraliter impossibilem, quod verus, ac legitimus Pontifex certior factus de absoluta Concilij Oecumenici necessitate, ita vt eius defectu omnia retrò sublapsa ferrentur in Ecclesia, nolit tamen illud congregari; cum enim Summus Pontifex ex speciali Spiritus Sancti assistentia in Concilijs, & extra illa habeat, & in decretis fidei, & morum aberrare non possit; ita quoque existimandum est, si Ecclesiæ foret absolutè necessaria Concilij generalis conuocatio, excitandum ab eo pariter fore ad illam eumdem Pontificem, cùm Deus in necessarijs non deficiat: Igitur asserendum est, aut præfatum casum esse impossibilem attenta diuinę prouidentiæ suauitate in regimine Ecclesiæ, aut si tunc Summus Pontifex suum denegaret assensum, euidens fore signum non absolutæ Concilij necessitatis, sed quod alijs vijs succurri posset Ecclesiæ malis, atque adeo, quod illud Summo Pontifice inuito nullatenus conuocari legitimè posset.

Secundò, quia opposita sententia errat in supposito, quod interdum Concilia generalia sint absolutè necessaria; talem enim haud esse illorum necessitatem infra ostendemus, etiam in casibus hæresis, & schismatis; etsi enim assertione superiori tunc illa conuocari posse à Prælatis Ecclesiæ libenter concesserimus, ea tamen absolutè necessaria esse constanter negamus. Necessitas autem secundùm quid, siue vtilitas, quæ aliàs ex illis percipi posset, eo ipso quod inuito, & renitente Summo Pontifice fierent, omnino rueret: cum enim Romanus Pontifex, pessimæ etiam vitæ, si daretur, non posset non habere plures, eosque potentes adhærentes, qui in tali casu partes eius animosè agerent, inde non possent etiam non nasci grauissimæ in Ecclesia discordiæ, & scissuræ, quę peius malum afferrent, quàm illud, cui obuiam iretur: insuper si semel inuito legitimo, certoque Pontifice, generale Concilium legitimè conuocari posset, daretur in Ecclesia locus infinitis rebellionibus, siquidem plures non desunt illarum amatores, & fautores, qui in hunc finem aliquas quotidie necessitates illud cogendi dolosè fingerent, ac nodum in scirpo quærerent. Absit autem hoc cogitare de Christo, quod huiusmodi reliquerit Ecclesiæ remedia, ex quibus maiora orirentur, & sequerentur mala, sic enim illi pessimè consuluisset: sed potiùs asseramus eum talia pro sua bonitate prouidisse, quæ Christianæ pietati, charitati, & obedientiæ congruerent, qualia sunt, iuxta vniuscuiusque mali naturam, & conditionem, suauia exhortationis, correctionis, & orationis subsidia, vt mox dicemus, non autem violenta Concilij celebratio, quæ quantum noxia sit, satis ostendunt infelices huiuscemodi, quotquot fuerunt Conciliorum exitus.

Tertiò probatur assertio nostra, quia legitimus, ac certus Pontifex, quantumuis malæ, scandalosæque vitæ, non propterea amittit supremam, & vniuersalem, quam habet in Ecclesia, clauium, iurisdictionisque spiritualis potestatem: Ergo quamdiu talis est, eo inuito, suumque denegante consensum, nullum generale Concilium legitimè indici, aut congregari potest. Antecedens est certissimum, consequens probatur, quoniam conuocatio Conciliorum, est actus proprius supremæ eius potestatis, vt fusè probauimus supra, ergo quamdiu illa gaudet, ad eum solum, & ad nullos alios, eo inuito, aut non consentiente pertinet dictum actum auctoritatiuè, atque adeo legitimè exercere. In tantum enim assertione præcedenti diximus, Ecclesiam sufficientem auctoritatem, quæcumque illa sit, generale conuocandi Concilium si velit, in casibus schismatis, & hæresis, in quantum tunc defectu fidei ob priuatam hæresim, aut defectu certitudinis ob dubietatem electionis, nec verus, nec certus daretur Pontifex. Cæterùm vbi talis existit, firmiter tenendum est, absque eius consensu nulla posse legitima celebrari Concilia Oecumenica; malèque proinde argui à potestate, quam habet Ecclesia in duobus præfatis casibus ea cogendi ad omnes alios, etiam inuito vero, ac certo Pontifice, à quo quamdiu existit, talis ad Ecclesiam potestas deuoluta dici non potest, sed semper est eius propria, tamquam supremi, & vniuersalis Ecclesiæ capitis totam spiritualis iurisdictionis plenitudinem à Christo immediatè habentis, nequaquam autem ab Ecclesia, cuius proinde non est vica-

carius, nisi auctoritatiuè eam regendo; sed solius Christi, vt superiori sectione satis probauimus, & explicuimus.

Quamobrem facilè potest assignari discrimen, cur Ecclesia in duobus dictis casibus possit Oecumenicum, si velit, congregare Concilium; secus autem in alijs inuito vero, ac certo Pontifice; quia nimirum in casibus schismatis, priuatæque Pontificis hæreseos, Ecclesia se habet æquè, ac si nullus in ea esset Pontifex, vnde ea ratione, qua illo non existente, Ecclesia habet, attenta Christi institutione, sufficientem auctoritatem alium in eius locum eligendi per eos, ad quos pertinet: ita quoque in hypothesi, qua fieret priuatus hæreticus, ac proinde defectu fidei desineret esse verum Christi, & Ecclesiæ membrum, necessariò admittendum est, eadem quoque sufficienti auctoritate illam pollere ad hoc declarandum, necnon etiam ad pronuntiandum de dubietate electionis eius, vbi talis est, coacto in hunc finem Concilio generali, præsertim quando per partes, vt fit tempore schismatis, tunica Christi inconsutilis, hoc est Ecclesiæ vnitas diuideretur, cum tunc nullum prorsus esset maioris mali periculum, immò quasi certum præsentis remedium ex conuocatione generalis Concilij: At si dum adhuc viuit verus, ac certus Pontifex eo inuito fieret, non posset, vt diximus supra, nonnisi multa oriri incommoda; quare de suauitate diuinæ prouidentiæ præsumendum est, eam numquam talem Ecclesiæ auctoritatem concessisse, vt inuito Summo Pontifice generale Concilium cogere posset, quantumuis in illo agendum esset de pessimis eius, quique Ecclesiam scandalizarent moribus, sed eam voluisse, vt alijs suauioribus vteretur remedijs, quæ mox adducemus.

Insuper, ideo inuitis etiam dubijs Pontificibus, necnon si priuati fierent hæretici, potest Ecclesia ad eorum depositionem conuocato, si ita in Domino expedire iudicauerit, generali Concilio procedere, quia constitutiuum Ecclesiæ est fides, & ad eius consistentiam necessaria est vnitas sub vno visibili capite, atque adeo nullus potest esse verum eius membrum, minùsque verum caput, quin habeat veram fidem, certaque sit, & indubitata eiusdem electio. At sanctitas personalis non est de essentia supremi Ecclesiæ capitis, sed doctrinalis dumtaxat, quatenus ex cathedra docendo in rebus fidei, & morum errare non potest; igitur quantumuis eius vita, & mores à recta discordarent doctrina, nec firmaret exemplo, quod doceret verbo, non propterea obediendum illi non esset, ipsoque inuito congregandum generale aliquod Concilium pro eius depositione, quin potiùs oppositum præstandum, dicente beato Petro 1. epist. cap. 2. [Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam discolis,] & clariùs ad nostrum propositum Christo Domino Matth. 23 [Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, non faciunt.] Eòque magis tale Concilium schismaticum esset existimandum, si in illo ageretur, vt dicebam, de Pontificis depositione; cum ex dictis superiori sectione cap. 16. passim, præcipuè autem seculo 13. ni legitimus velit Pontifex, liberèque consentiat, nulli nisi diuino subiaceat iudicio.

Quartò tandem, & vltimò probatur assertio nostra refellendo potissimùm argumentum, ob quod intendunt aduersarij posse inuito vero, ac certo Pontifice generale cogi Concilium; vbi nimirum incorrigibilis esset, suoque pessimo vitæ exemplo Ecclesiam scandalizare non desineret; siquidem Ecclesiastica respublica meliùs instituta est, quàm terrena politia, sed hæc inuito Principe congregari potest, ad eum auferendum, si Regnum, aut Rempublicam perturbaret: multò igitur magis Ecclesia, inuito Pontifice, ad eum in dicto casu deponendum; aliàs Christus Dominus sufficiens tanto malo remedium non reliquisset: At hoc argumentum, & similia intentum non concludunt, immò ruinoso innituntur fundamento; nam in primis, quantùm ad exemplum politiæ terrenæ, quod nescio vtrùm Principibus secularibus placeret, quodque multis rebellionibus viam aperire posset, magna est disparitas inter illud, & casum nostrum; in tantum enim in casu tyrannidis, vel incorrigibilitatis ciuitas terrena, inuito Principe, congregari potest, eumque deponere, in quantum ita à se omnem in Principem transtulit auctoritatem, vt semper radicaliter remanserit Domina, atque adeo si illa abuteretur, posset à principatu eum abdicare, quod non currit in vero, ac certo Pontifice, qui non ab Ecclesia, sed à solo Christo, cuius est Vicarius, totam suam habet auctoritatem, ita vt illi, vt tali subiecta sit vniuersalis Ecclesia, super quem proinde nulla prorsus ipsi competit auctoritas, sed potiùs ex tali subiectione contraxit hanc negationem, vt non possit eum iudicialiter punire.

Nec inde sequitur Christum in tali casu sufficienter Ecclesiæ non prouidisse, quinimò tale remedium periculis plenum, maloque peius, vt statim dicebam, videtur omnino alienum à suauitate eius prouidentiæ; vnde alia magis opportuna reliquit, humiles nempè piorum virorum, qui nunquam in Ecclesia desunt, adhortationes, fraternam Dominorum Cardinalium correctionem, & in foro pœnitentiali absolutionis denegationem. Neq; enim dubium est, quin in hoc foro ad morum emendationem Summus Pontifex obligari possit. Quod si his omnibus adhibitis non resipisceret, aut in melius non emendaretur, tunc precibus, lachrymis, ieiunijs, cæterisque pijs operibus à Deo, qui se iugiter Ecclesiæ affuturum promisit, & qui in necessarijs nunquam deest, hæc supremi capitis reformatio deberet obtineri; totisque interim viribus ab Episcopis inuigilari, ne personalia Pontificis vitia greges sibi à Deo commissos inficerent quod certè absque vllo generali Concilio percommode præstari posset. Quàm autem præ cæteris singulare sit, & opportunum orationis præsidium, satis ostendit primitiuæ Ecclesiæ exemplum, à qua pro carcerato Petro, cùm oratio sine intermissione ad Deum fieret, legimus eum miraculosè per Angelum fuisse liberatum; Audite, inquit Chrysostomus homil. 16. in Act. Apost. [quomodo affecti erant,

non

non committantur, non tumultuati sunt, sed ad preces conuersi, præsidium re vera inexpugnabile, ad illud confugiebant]

At ne gratis hæc dicta vel distincta videantur, placet illa, totumque præsens caput insigni Christi doctrina Ioannis cap. 10. coronare; vbi de Pastore, & ouibus sermonem habens tria pastorum genera dinguit, vt rectè ponderauit Diuus Augustinus sermone 49. de verbis Domini, Pastoris mercenarij, & furis, intelligens per pastorem simpliciter, bonum Pastorem, qui ponit animam suam pro ouibus, per mercenarium, malum pastorem sua potiùs, quàm ea, quæ sunt Dei quærentem, per furem autem, siue latronem, eum qui per aliam ascendit partem; hac tamen differentia inter mercenarium, & furem, quòd mercenarius etiam est pastor, secus autem fur. Vnde concludit Augustinus; [Si inuenerimus tres istas personas, inuenit Sanctitas Vestra, & quos diligatis, & quos caueatis. Diligendus est pastor, tolerandus est mercenarius, cauendus est latro [Quibus sanè nihil ad nostrum intentum elegantius dici posse videtur; ita videlicet bonos pastores esse diligendos, fures verò, qui per alteram partem, quàm per ostium ascendunt, hoc est, qui per intrusionem Pontificatum inuadunt, vel diuidunt in partes, vt fit tempore schismatis, caueri debere tamquam inuasores, & diuisores vnitatis, multòque magis, si in priuatam hæresim incurrerent ex can. Si Papa, vt tamen mercenarij non sint amouendi, sed monendi; non præscindendi, sed tolerandi, quia licèt quærant ab hominibus commoda sua, siue pecuniaria, siue honorum, vel laudis humanæ, siue alia huiusmodi cum pessimo fidelium exemplo, legitimi tamen, ac veri pastores sunt, & in bonum quoque Ecclesiæ, ex recta, quam tradunt doctrina, propterea que Christus Dominus voluit eos, audiri, illisque obediri, vbi ait Matth. 23. [Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: omnia ergo, quęcumque dixerint vobis seruate, & facite] De Babelis igitur officina, & non de schola Regis Pacifici descendit illa doctrina, quæ ad introducendam in Ecclesia loco obedientiæ rebellionem, & confusionem, asserit inuito, etiam vero, ac certo Pontifice posse generalia conuocari concilia, ibique eum deponi ob alia, quàm hæreseos peccata.

CAP. V.

Solius Romani Pontificis est, per se, vel per suos Legatos Concilijs Generalibus præsidere, ea dirigere, quoad loci, temporis, ac materiæ definiendæ præscriptionem tum confirmare, & exequenda præcipere.

HÆc assertio quo ad omnes suas partes sequitur ex dictis capite antecedenti: Ad quem enim pertineret auctoritatiua Conciliorum Generalium conuocatio, ob supremam, quam habent in Ecclesia vniuersali potestatem, ad eumdem quoq; spectare omnes pręfatos actus in assertione contentos, eadem Ecclesiæ praxis, & vsus demonstrat. Quia autem præsidentia alia est honoraria, alia auctoritatiua, non solùm de priori, vt contendunt hæretici, verùm multò magis de posteriori, intelligenda est illa, quæ competit Romano Pontifici in Concilijs generalibus, vt potè propria Vicarij, qualis est, Christi, plenitudinem ab eo Pontificiæ potestatis, ac magisterij habentis; quique proindè caput est, ac Princeps omnium Episcoporum, non minùs vbi congregati sunt in Concilij Generalibus, cum alijs fidelibus ad illa concurrentibus, quàm vbi sedent in proprijs diffusi per orbem cathedris; caput autem siue mysticum, siue naturale nedum situ, sed ex virtute regitiua omnium membrorum, influxuq; in illa, præsidere corpori satis constat. Cuius rei preclarissimum in Concilio Calcedonensi præ cæteris argumentum habemus, ad quod Leo scribens epist. 47. ait; [In his fratribus Pascasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo coram fraternitas existimet præsidere, non abiuncta à vobis præsentia mea, qui nunc in Vicarijs adsum] deinde eiusdem Concilij Patres act. 3. respondent [cum ipsis sicut membris præfuisse, in his suum tenebant ordinem] & versùs finem: [Rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic & summitas tua filijs (quod decet) adimpleat. Quis enim hæc, & alia plura similia, quæ in hoc leguntur Concilio de honoraria tantùm, non autem de auctoritatiua simul Romani Pontificis; præsidentia in Concilijs Generalibus, rationabiliter interpretetur?

Romanos insuper Pontifices præfatis Concilijs auctoritatiuè præesse, cùm tripliciter accidere possit, primò per seipsos, secundò per alios, tamquam per Legatos, aut Vicarios, tertiò veluti potestatiuè, quatenus solo iure Concilia Generalia congregandi, vel approbandi, virtualiter illis præesse dici possunt etiam si de facto nec per se, nec per alios illis præsentes sint; his omnibus modis, licèt frequentiùs duobus primis eos vsos fuisse Ecclesiasticæ testantur historiæ. Sanctus enim Damasus Concilio Constantinopolitano I. Generali II. contra Macedonium, neque per se, neque per Legatos suos interfuit, sed virtute solùm, quatenus eo iubente Episcopi illuc fuerat congregari ministerio Imperatoris, vt ipsimet fatentur apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. Vos Concilio per Dei voluntatem, ac nutum Romæ coacto, nos velut membra propria per Imperatoris Sanctissimi litteras accersiuistis]: cuius alia adhuc ratio adduci potest; quod cùm hæc Romana Synodus, cui Damasus personaliter pręsidebat, vna eademque cum Orientali in materia fidei esse videretur, Summus inde Pontifex haud esse necessarium iudicauit suos ad eam Legatos transmittere. Vigilius quoque papa quintę Synodo Generali, quæ Constantinopolitana II. centum sexaginta Episcoporum etiam si præsidis in eo munus agnoscerent, quorum nomine ipsi ab Eutyche Patriarcha Constantinopolitano scriptum in hanc formam fuerat: [Pe-

[Petimus præsidente nobis Vestra Beatitudine, de tribus capitulis, quæri, & conferri] nec per se, nec per Legatos suos interuenire voluit; cuius tamen præsentiæ suæ, siue præsidentiæ necessitatem, vt clariùs demonstraret, dictam Synodum initio probare detrectauit, licèt postea, vt præcluderetur via ad dirissimum schisma ex occasione præfatorum trium capitulorum, illam confirmarit, indeque, & non priùs Oecumenicæ nomen habere promeruit, vt suo loco diximus ex D. Gregorio lib. 1. indict. 9. epist. 24. & lib. 7. epist. 54. indict. 2.

Porrò huiuscemodi auctoritatiua præsidentia, ita est legitimi, ac certi pro tempore existentis Pontificis propria, vt nulli alteri de iure competere possit; solùmque, vbi aliquando Principes, & Imperatores Concilijs interfuisse, aut præsedisse leguntur, id intelligi debeat de præsidentia quoad directionem externarum Synodi actionum, vtque hæreticorum, vel laicorum tumultus impedirent; ac dogmatum executionem procurarent; vnde superiùs citata Concilij Chalcedonensis epistola ad Leonem habetur; Imperatores verò ad ornandum decentissimè assidebant, sicut Zorobabel, & Iesus Hierusalem renouare circa dogmata adnitentes, Martianusque ipse eodem Concilio act. 6. ait: Nos ad fidem roborandam, non ad potentiam aliquam ostendendam, siue exercendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini, Synodo interesse volumus, vt veritate inuenta, non vltra multitudo prauis doctrinis attracta deprauetur. Sicut etiam præsidentia, vel potiùs præsentia testificatoria dici potest illa, qua interdum laici ad disputandum, & consulendum, vel vt testes auditores essent eorum, quæ fierent, in Concilijs admissi sunt: defectu quarum dictionum, aut similium, vt aduersarij omnia confundunt, ita illarum beneficio plura sibi apparenter in historia aduersantia facilè concordantur; cùm hoc verbum præsidere compositum à sedeo, quodque proinde quamdam in generali præ se fert dignitatem, ac prærogatiuam, sit æquiuocum, siue analogum ad significandum nunc auctoritatiuam, quæ Summis conueniet Pontificibus in Concilijs Generalibus assistentiam nunc defensoriam, & auxiliatricem, quæ Imperatoribus, & Regibus; nunc denique testificatoriam, vel consiliatiuam, quæ cæteris laicis; vbi testes, quandoque etiam in consiliarios rerum gerendarum adhibentur, laicos enim sapientes posse consilio iuuare Ecclesiasticos nemini dubium est. Vide quæ superioris sectionis capit. 16. passim dicta sunt, præsertim sæculo 13. vbi de Innocentio Tertio.

Loca pariter, vbi Generalia conuocari, & celebrari debent Concilia, nonnisi à Summis Pontificibus, aut eorum permissu, ab alijs designanda esse, eædem, quæ supra rationes, & textus probant, eademque Ecclesiæ praxis; sicut etiam quod illa soli possint legitimè de loco in locum transferre, prorogare, totaliterque dissoluere, proùt in Domino iudicauerint expedire. Quorum exempla habemus in Synodo Ephesina II. per Theodosium consulto Romano Pontifice indicta, cui etiam præerant eius Legati; cùm enim Imperator Eunuchi suasu sua abuteretur potestate, eiectis Apostolicæ Sedis Legatis; occisoque à Dioscori factione Flauiano Episcopo Constantinopolitano, Eutychiana hæresis confirmata fuisset: Summus Pontifex Leo dictam Synodum cassauit, & vt infectam habuit, altera Chalcedone indicta, vbi iuxtà formam ab eo præscriptam ex epist. 51. ad Pulcheriam Dioscorus, & Eutyches condemnati sunt. Nouissimis etiam temporibus in Concilio Basileensi, primùm quidem à Martino V. aduersùs Hussitas legitimè congregato, eoque defuncto ab Eugenio IV. confirmato: vbi idem Eugenius aduertens multa ad schisma, proùt accidit tendentia pertractari, præmissa priùs, sed frustrà, paterna monitione, illud dissoluit, indicto primùm Ferrariæ alio Generali Concilio, postmodùm Florentiam ob ingruentem pestem translato, vbi feliciter absolutum fuit. Concilium quoque Tridentinum priùs Mantuæ designatum est, sed cum ibi fieri non potuisset, vt ait Paulus Papa III. in Bulla indictionis Concilij, Vicentiam eius loco elegit, prorogatione facta, destinatisque illuc Sedis Apostolicæ Legatis. Verùm cùm paucos ex alijs nationibus Prælatos eò conuenisse Pontifex resciuisset, Synodi celebratione suspensa, vt pacis conclusio inter Regem Galliæ, & Imperatorem commodiùs tractaretur, Tridentina tandem Ciuitas electa est, ibique sessiones septem celebratæ fuere: verùm ex morbo ingruente cùm Bononiam translata esset Synodus, sessioque octaua habita, iterùm sub Iulio Tertio cessante impedimento Tridenti reassumpta, feliciterque terminata est.

Quæ omnia licèt assentiente Concilio fieri satiùs esset, nihilominùs eo etiam renitente à solo Summo Pontifice, vbi ità expedire in Domino iudicauerit præstari posse, & in dubio, eius sententiæ, ac determinationi stari debere, contrariamque doctrinam rebellioni, ac schismati viam parare, infelix dicti Concilij Basileensis exitus apertè probauit, vt superiori sectione vidimus, qui iterùm infra discutietur.

Nec his obstat, quòd Eugenius in tribus Bullis, quæ in hoc Concilio recensentur, professus fuerit illud legitimè inchoatum fuisse, eiusque prosecutionem se ratam habuisse, & habere, reuocareque quicquid per eum, aut suo nomine in præiudicium, ac derogationem eiusdem Concilij esset attentatum; vt enim omittam, quod aliqui dicunt, præfatas Bullas, potiùs fuisse minis extortas, quàm de mente Eugenij emanasse; respondetur facilè, eas nihil penitùs dictis officere, non primam, & si enim in illa videatur Eugenius dicere, quòd Concilium Basileense legitimè congregatum fuerit, id ei non magis præiudicat, quàm Leoni Ephesina illa Synodus, quæ priùs legitimè congregata, desciscens verò à Summo Pontifice, prædatoria Synodus appellata est; nec etiam, quia idem Eugenius asseruit præfatum Concilium Basileense fuisse continuatum, continuarique debere, propterea censendus est approbasse, vel confirmasse eius decreta, cum ex Cardinali Turrecremata, qui tunc viuebat, lib. 2. de Ecclesia cap. 100. id ipsi per Oratores suos enixè, & expresse petenti concedere numquam voluerit; sed tan-

tùm

rum dissolutionem eius irritam reddiderit, non quod ab eo fieri non potuisset, prout tandem illam fecit, sed quia tunc ita expediebat pro irrita non haberi, ad sedandas dissensiones, vt patet ex eadem Bulla, data præsertim à Concilio promissione, & securitate à Principibus, quòd Apostolicæ Sedis honor, & Sanctitatis suæ illibatus seruaretur. Pro diuersitate autem temporum, aliarumque circumstantiarum, vel necessitatum occurrentium, suam interdùm mutare sententiam in rebus præsertim ad placitum, vel indifferentibus, nullo modo superioris, multòque minùs supremi, qualis est Summus Pontifex Romanus, auctoritatem lædit, sed prudentiam potiùs arguit.

Ad summum quoque Pontificem pro tempore existentem spectare, Concilijs Generalibus præscribere, quid in illis à Patribus circa controuersias, seu quæstiones fidei disputandas determinandum sit; vel, quod idem est, Conciliares definitiones regulariter pendere, ab ipsa Pontificia definitione priùs per Legatos missa, vel per literas, habetur ex eadem Ecclesiæ praxi; quam satis ostendimus præcedentis sectionis cap. 16. In primo enim Concilio Nicæno, Summus Pontifex Siluester, ex Athanasio in epist. ad Iouinianum, quasi Concilij sententiam anteuertens, formulam fidei, veluti tesseram Christianitatis, & ideam, normamque credendorum per Hosium Legatum expressit. In Concilio I. Constantinopolitano fidem à S. Damaso præscriptum in Concilio Romano circa confessionem Sanctissimæ Trinitatis, Patres amplexi sunt, ac definierunt; Idem Damasus apud Theodoret. lib. 2. hist. cap. 22. ad Episcopos Illyrici ait, numerum Episcoporum, qui erant Arimini congregati, præiudicij vim habere non debere, & inter defectus eius Concilij numerat hunc, quòd defuerit auctoritas Romani Episcopi, [Cuius sententia præ omnibus expectanda erat.] In Ephesino tomo 2. c. 15. refertur Firmus Episcopus Cæsareæ Cappadocum sic loquens: [Sacra, & Apostolica Cœlestini sanctissimi, sacratissimique Sedes per literas, quas pridem ad Cyrillum Alexandrinum, & Iuuenalem Hierosolymitanum, & Ruffum Thessalonicensem sanctissimos, sacratissimosque Episcopos, necnon ad sanctas Constantinopolis, & Antiochiæ Ecclesias misit, certam de præsenti negorio sententiam, regulamque præscripsit.] Ibidem iuxta protorypum definitionis ab eodem Cœlestino in Nestotium transmissæ, profitentur Patres se processisse apud Euag. lib. 1. cap. 4. dicentes: [Tum Ecclesiæ Canonibus, tum epistola sanctissimi Patris nostri, & Collegæ Cœlestini Episcopi Ecclesiæ Romanæ necessariò compulsi, ad hanc seueram sententiam, idque non sine lacrymis contra Nestorium pronunciandum venimus.]

Quemadmodum autem vbi in Concilijs, iuxtà has, quas Summi Pontifices mittunt, instructiones, ac definitiones agitur, omnia sunt salua, ita per oppositum, quando illas non sequuntur, deficere & peccare docet nos secundæ Ephesinæ Synodi exemplum, quæ, præsidentibus licèt Apostolicæ Sedis Legatis, quia tamen ad formam ab ea præscriptam non processit, turpiter in fide aberrauit. Cui defectui suppletum est per Synodum Chalcedonensem statim à Leone Pontifice indictam, in qua pro regula habita est eius epistola ad Flauianum, & in eam consentire oportuit omnes, qui anathematis vinculo teneri noluerunt, Martianusque Imperator in sua ad eumdem Leonem epistola ait, omnes Episcopos conuenire debere, vt quæ Christianorum religioni, atque Catholicæ fidei prosint, [sicut Sanctitas tua secundùm Ecclesiasticas regulas definierit, sua dispositione declarent:] Indeque decretis eius tam circa fidem, quàm disciplinam Ecclesiasticam, ibi à sexcentis Patribus omnibus ferè Asiaticis acclamatum legimus. [Post Deum Leo iudicauit. Qui contradicunt, Romam ambulent. Vt Leo, sic credimus.]

Patres quoque secundæ Synodi Constantinopolitanæ apud Euagrium lib. 4. cap. 37. hæc habent: [Suscipimus & epistolam Præsulum Romanæ Ecclesiæ;] quodque eas agnoscerent esse definiendorum in Concilijs ideas, subdunt ad Vigilium scribentes: [Petimus præsidente nobis vestra Beatitudine de tribus capitulis quæri, & conferri.] Quibus respondit Vigilius: [Annuimus, vt de tribus capitulis facto regulari Conuentu, medijs sacrosanctis Euangelijs collatio habeatur, & finis detur placitus Deo,] constitutum suum priùs varijs de causis corrigens, quod non tam de fide, quàm de personis ageretur, vt iam suo loco notauimus. In sexta etiam Synodo Generali Constantinopolitana III. cum act. 4. lectæ fuissent literæ Agathonis Papæ, quibus ait se mittere per Legatos [exemplaria authentica decretorum in quinque superioribus Concilijs, & ab Apostolicis prædecessoribus; testimonia Patrum, quos ea Apostolica Ecclesia recipit cum eorum libris, mandat professionem fidei, & de quæstione disputanda Patrum auctoritates;] demùm act. 18. Patres ad Idealem Agathonis prædefinitionem respicientes hæc protulerunt in hæresi Monothelitarum proscribenda: [Confessionem à Deo inspiratam illa Romana antiqua ciuitas obtulit, & dogmatum diem à Vespertinis partibus extulit. Charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur.] Deinde adhuc clariùs; [Summus nobiscum concertabat Apostolorum Princeps, illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & diuini Sacramenti mysterium illustrantem per literas.] In septima tandem Synodo Nicæna II. perlectis quoque summi Pontificis Adriani de cultu sanctarum imaginum literis, summis laudibus à Tharasio Patriarcha, Constantino, & Irene Augustis celebratæ fuerunt, iisdemque à Synodo subscriptum fuit. Actione verò 6. aduersùs Pseudosynodum tunc collectam conclamatum est, ea ratione, quòd qui ad illam conuenerant, non habuerint: [Cooperarium, vt hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Papam, neque illius Sacerdotes, neque per Vicarios, neque per Prouinciales literas, quemadmodum in Synodis fieri debet.] Ex quibus omnibus satis patet, quod diximus, conciliares nempè definitiones regulariter dependere ab ipsis summorum Pontificum prædefinitionibus, vel instructionibus; aut si interdum accidit, eos committere Legatis, vt ipsi vnà cum Concilio,

pun-

puncta controuersa definiant, id ea semper conditione subintelligendum esse, vt, vel ante definitionem, Sedem Apostolicam consulant, vel post definitionem,ab illa decretorum confirmationem,& approbationem expectent; in quo potissimùm relucet suprema, & infallibilis auctoritas Romani Pontificis, vt nimirùm Conciliorum, etiam Generalium definitiones plenissimum robur non habeant, nisi ad eas accedat consensus, & approbatio illius; quod quia sufficienter probauimus sectione superiori cap. 16. in vnoquoque seculo, quo illa celebrata fuere,præsertim in 4. superest solùm paulò latiùs explicandum,qualis sit ista Pontificia Conciliorum approbatio, vel confirmatio, quidque consequenter in illis operetur.

Aliqui enim hæretici, qui tam apertum huius confirmationis vsum in Ecclesia negare non audent,eam asserunt non auctoritatiuam, sed honorariam dumtaxat fuisse, vel ad summum testificatiuam rerum conciliarium ritè gestarum. At quantum nouella hæc phantasia toti aduersetur antiquitati patet ex dictis à nobis loco statim citato; vbi Pontificiam confirmationem tanta semper ab omnibus Concilijs sollicitudine, tanta subiectione postulatam vidimus, nullaque alia, quàm hac via agnitum fuisse, quæ legitima, quæue non essent in Ecclesia Concilia, quæ robur, quæue non haberent. Hæc enim, & similia quis rationabiliter dicat honorariæ dumtaxàt approbationi conuenire,aut si dicatur,erit pura inter nos, & aduersarios quæstio de nomine, qui honorariam vocabunt, quam nos auctoritatem simul appellamus confirmationem. Vnde Concilium Chalcedonense,in relatione ad Leonem summum Pontificem, post illa verba: [Rogamus, & tuis decretis nostrum honora iudicium,] quæ adhuc sola ad nostrum intentum sufficerent, ne tamen liberè ad solam honorariam, aut ex decentia confirmationem detorquerentur, subiunxit insuper: [Omnium gestorum vim vobis insinuauimus ad probationem vestræ sinceritatis, & ad eorum,quæ à nobis gesta sunt, firmitatem, & consonantiam.] Quæ verba nonnisi de auctoritatiua etiam, ac necessaria confirmatione rectè intelligi possunt.

Qui Summo Pontifici testificatiuam tribuunt confirmationem respectuConciliorum, propiùs quidem ad veritatem accedunt, sed ni prætereà addatur auctoritatiua, vel vnà cum alia coincidat, aut non sufficit, aut habet easdem difficultates, quas aduersarij fugere intendunt, in concedenda Summo Pontifici confirmatione auctoritatiua;Quod non sufficiat, patet primò, quia simplex testificatio non concordat cum Ecclesiæ praxi, modoque loquendi sanctorum Patrum, auctoritatiuam vbique confirmationem sonante, quando agitur de Concilijs. Secundò, quia Summo Pontifici, cùm primus sit iudex, & legislator, Præsesque visibilis Conciliorum Generalium, & solus sit vocatus in plenitudinem potestatis, quam Episcopi assumpti in partem sollicitudinis in talibusConcilijs participant,maior ipsi in illis confirmandis prærogatiua competere debet, quàm simplicis testificationis rerum in illis bene gestarum, quæ etiam vnicuique viro docto conuenire potest. Tertiò, quia huiusmodi testificatio, vel est infallibilis, & ab omni errandi periculo libera; vel est fallibilis, errorique obnoxia; si respondeatur hoc secundum, præterquàm vnicuique viro docto, vt statim dicebam,competere posset huiusmodi Conciliorum confirmatio, eam adhuc non sufficere patet ex terminis, quis enim certum, & infallibile, per incertum, ac fallibile testificari posse prudenter dicat; si autem concedatur, vt debet, eam esse infallibilem, iam aduersarij, quod tantoperè horrent, admittunt in Summo Pontifice infallibilitatis priuilegium; coguntarque consequenter asserere, non solùm testificatiuam, sed & simul auctoritatiuam Conciliorum confirmationem ipsi competere deberé, cùm tale infallibilitatis priuilegium supremæ sit dignitati, & auctoritati Pontificiæ annexum, qua ad summum spectat Pontificem Concilia Generalia indicere,dirigere, examinare, ac tandem vbi consona reperiuntur doctrinæ Sedis Apostolicæ, approbare, & confirmare, atque adeò dicatur ad conuertentiem cum illa, vbi agitur de rebus ad fidem pertinentibus, si quæ sint in Concilijs decretæ, approbandis, & confirmandis.

Huic autem auctoritatiuæ Conciliorum Generalium confirmationi ex parte Summi Pontificis requisitæ non obstant, quod Episcopi, vt sequenti capite dicturi sumus in illis non solùm consultiua, sed, & decisiua habeant suffragia, cum non solùm sint consiliarij, sed & iudices; quodque interdum legatur, eos decretis Pontificali iam auctoritate roboratis, suam quoque confirmationem adiecisse. Ex nostra enim sententia nullo modo sequitur: non esse suffragia Episcoporum decisiua, sed tantùm non esse decisiua vltimatè siue quod idem est, esse decisiua in ordine ad vltimum complementum,& robur Pontificiæ confirmationis, quod non solùm absurdum non est, sed necessarium attenta institutione Christi, iuxta quam in omnibus Concilijs à Patribus, vt diximus, cum omni subiectione petita est semper Pontificia approbatio, quod sine dubio factum ab illis non fuisset si eam necessariam esse non credidissent, suaque decreta firmam sine illa auctoritatem, saltem quo ad nos habere non posse. Igitur quantumuis Episcopi definitiua in Concilijs gaudeant pôtestate, quia tamen illa pertinet ad potestatem iurisdictionis, cuius plenitudinem Summo Pontifici Romano tanquam suo Vicario, supremoque Ecclesiæ vniuersalis capiti, & iudici Christus inesse voluit, de qua consequenter omnes acceptnri erant Episcopi, siue per immediatam ab eodem Christo Domino collationem, siue per ipsummet Summum Pontificem, iuxta opinionum diuersitatem, non potest talis eorum potestas non esse subiecta Summo Pontifici: ab eoque saltem quod ad vsum dependens, vt examinet, an plusquam par est sibi quid arrogauerint, aut in ea quæ vetiti sunt tractare manus immiserint, conferatque potissimùm eorum decreta cum regulis fidei, instructionibus missis, quibus si reperiantur dissona, illa reprobent, ac reijciant, vt habet S.Leo epist. 55. ad Pulcheriam, si verò consona, illa sua auctoritate confirment, indeque per modum vltimi iudicij, & vt dicitur

tur finaliter agnoscant omnes fideles, quæ tandem respuere, aut recipere teneantur, de quo videri potest Leo epist. 57. ad Martianum, Gelasius epist. 11. & Leo II. in epistola ad Constantinum Aug. relata in act. 18. Sextę Synodi, nec non Synodus Africana, quæ ad præsens intentum Theodoro Papæ sequentia scribit verba; [Apostolicæ sedis vetusta sollicitudo est, tam mala damnare, quam probare laudanda, antiquis enim regulis sancitum est, vt quicquid quantumuis in remotis, vel in longinquo positis prouincijs ageretur, non prius tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisse deductum. Vt eius auctoritate ista, quę fuisset pronunciatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, vel de natali suo fonte prędicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manerent fide sacramenta salutis.]

Ad id quod insuper addebatur, post datam à Summis Pontificibus confirmationem generalibus Concilijs, requisitos quoque nonnunquam fuisse Episcopos, vt idem præstarent: indeque inferunt aliqui Summos Pontifices in hoc munere, vel maiorem alijs Episcopis non habere auctoritatem, vel eorum confirmationem, vt sit infallibilis; pendere à receptione vniuersalis Ecclesiæ, quam efficiunt singulares illæ singularum Ecclesiarum aut Episcoporum approbationes simul sumptæ. Respondetur, subsequentes post Pontificiam confirmationem, Episcoporum non tam approbationes, quàm subscriptiones, vt ait Leo Secundus in epistola 12. scribens de sexta Synodo ad Episcopos Hispaniæ, [vt vnusquisque in vnius Euangelicæ, atque Apostolicæ fidei consonantia cum illo, & cum vniuersali Synodo, per suæ subscriptionis confessionem, tamquam præsens spiritu conueniat.] pertinere tantùm ad solemniorem quamdam, & extensiorem receptionem qua, supposita iam Pontificia confirmatione, cæteræ Ecclesiæ, vel earum Episcopi se illi assentiri, eamque reuerenter amplecti protestantur, vnde licèt admittatur huiusmodi Ecclesiarum receptionem, sique sit omnium, tantùm valere, vt inde veluti à posteriori firma habeatur aliqua fidei doctrina, nihilominus solus Romanus Pontifex est ille, qui sua confirmatione veluti à priori talem illi, quoad nos tribuit firmitatem, vt satis explicuimus superiùs varijs locis in indice citandis verbo Infallibilitas Pontificia.

Ex dictis facilè colligitur resolutio alterius dubij, quid nimirum operetur huiusmodi auctoritatiua Romanorum Pontificum confirmatio in Concilijs generalibus. Dico enim primò sitam in eo non esse, quod summus Pontifex de non veris vera cudat, aut è contra, vt clarè patet, sed in hoc, quod ab eo. quæ secundùm se dissona sunt veritati, regulisque Ecclesiasticis declarentur vt alia esse habenda, opposita autem vt vera, per modum vltimi, & finalis iudicij, diuersimodè tamen iuxta diuersitatem sententiarum, in illa enim, quæ docet Concilium semel legitimè congregatum, cuique Summus Pontifex per se, aut per Vicarios præest, infallibiliter loqui, siue gaudere priuilegio infallibilitatis, consequenterque non posse non obseruare omnes regulas ad illud in definiendis rebus fidei præsrequisitas, Pontifex omnibus fidelibus solummodo fidem facit auctoritatiuam quod legitimum fuerit, ac proinde seruatie omnibus legibus in Spiritu sancto definitiuè At in sententia eorum, qui asserunt Concilia Oecumenica etiam legitimè congregata, quibusque sunt præsentes Sedis Apostolicæ Legati, adhuc errare posse, proindeque posse aliqua definire non consonè ad regulas fidei, vt videtur clarum haberi exemplum in Concilio Ephesino II. Prædatorio dicto; tunc Pontifex non facit fidem de legitimitate Concilij, sed verè iudicat num definita ab illo, siue vera; vel non, indeque illa confirmat, vel non. Quare hæc est differentia inter hos duos confirmationis modos, quod primus versatur directè circa legitimitatem Concilij; indirectè verò, & consequenter circa infallibilitatem definitorum, ex hoc quod iuxta primam sententiam legitimum Concilium Oecumenicum errare non possit, pro quo idcirco Summus Pontifex præuiè ad suam confirmationem nihil aliud facere, quàm diligenter exquirere: an legitimè fuerit celebratum hoc est, an auctoritate, ipsius, an præsentibus, ac præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis, an conuenerint, qui illis habebant, fuerintque admissi; vel non, & sic de similibus Secundus autem confirmationis modus versatur directè circa definita, nùm vera sint, an non, non principaliter attendendo ad legitimitatem Concilij, cùm iuxta secundam sententiam, legitimum etiam Concilium errandi periculo sit obnoxium, vnde præcisè ex hoc, quod aliquid definierit, satis patet illud statim pro infallibili haberi non posse, nisi accedat auctoritatiuum Summi Pontificis iudicium, cuique propterea non tam præmitti debet discussio conditionem ad legitimum Concilium desideratum, quàm diligentiatum ad veram definitionem necessariarum; an nimirum illæ adhibitæ fuerint, sitque definitio consona regulis fidei, vt illam confirmet.

Dico secundò Pontificiam confirmationem hoc insuper operari, quod nullum concilium quantumuis generale, tam in ea sententia, quæ concedit, quàm in alia, quæ negat illi priuilegium infallibilitatis, possit ante illam vniuersalem Ecclesiam obligare. Quamdiu enim aliquid incertum est, non possunt constringi fideles ad illud credendum sed ante Pontificiam confirmationem, dubitari potest vel de legitimitate Conciliorum vel de veritate rerum ab illis definitorum, siquidem quoad vtrumque vlteriori adhuc Romanorum Pontificum examini, aut disquisitioni iuxta Ecclesiæ praxim subiacuere semper, vel vt approbarentur, vel vt reprobarentur. Igitur donec de his per Pontificiam confirmationem, tamquam per vltimam certificationem reddantur omninò certi, non tenentur credere Concilium aliquod Generale legitimè egisse; aut eius definitionem authenticam esse, idque demonstrat ipsummet confirmandi verbum, & munus quod Romanis Pontificibus competere supra satis ostendimus.

Vnde etiam sequitur vltimum caput auctoritatis eorum in Concilijs Generalibus,

quod est in præcipienda omnibus fidelibus decretorum illorum obseruatione, qua in re perpetuam quoq; Ecclesiæ praxim, & vsum habemus, iuxta quem olim scripsit Gelasius Papa epist. 11. [Vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat; & continuata moderatione custodit.] Nouissimè autem Sixtus V. in Bulla 74 de institutione quindecim Congregationum S. R. E. Cardinalium, agens de congregatione Octaua pro executione, & interpretatione Concilij Tridentini ait, [Ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo spectare, Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, & vt vbique locorum seruentur, curare, ac præcipere.]

Nec mirum, ad vnum enim aliquem supremum, ac vniuersalem Pastorem pertinet totam Ecclesiam verbo Dei pascere, hocque illi proponere, alius autem talis pastor non est, quàm [Romanus Pontifex, ad eum ergo pertinere dicendum est, vt definita in Concilijs dogmata fidei ad verbum Dei spectantia credenda fidelibus obijciat. Insuper præceptum, quod directè totam Ecclesiam respicit, ab alio ferri non potest, quàm ab eo qui totam Ecclesiam pro sua auctoritate gubernat, tamquam Christi Vicarius, omniumque Episcoporum, ac consequenter cuiuslibet Synodi supremum caput, & princeps, qualis est Romanus duntaxat Pontifex. Tandem potestas definiendi cum sit iurisdictionis, nec consequenter Episcopi sint in Concilijs Iudices præcisè ob potestatem suam ordinis Episcopalis, sed ratione iurisdictionis; qua Prælati insignes in Ecclesia gaudent, nihil in Synodo possunt, nisi vt subordinati Romano Pontifici, à quo in ea potestate pendent, eoque sunt inferiores, Romano igitur Pontifici, aut vniuersali Ecclesiæ, cuius est supremus Pastor; independenter ab eo quidquam præcipere non possunt. sed tantùm eum monere, & rogare, vt quod statuerunt, ipse seruari à fidelibus pro sua potestate præcipiat, & iubeat, vt luculenter docet Innocentius I. in epistola ad Synodum Milleuitanam, vbi hæc habet verba, [Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiscopos nostros, nonnisi ad Petrum, idest, sui nominis, & honoris auctorem referre debere velut nunc retulit dilectio vestra, quod per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse.]

CAPVT VI.

De materiali Conciliorum Generalium causa, siue de personis, ex quibus illa constituuntur.

CVm ordine executionis attento, post causam efficientem sequatur materialis & hactenus egerimus de causa efficiente conciliorum Generalium, nunc de causa eorumdem materiali disserendum est, siue de personis, in quibus residet facultas ferendi in illis suffragia, vel sub alijs terminis, quę sunt ad illa vocandæ.

Pro cuius explicatione supponendum est primò, fidelium alios esse oues pascendas quibus Hebræor. cap. 13. dicitur, [Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri: alios verò Pastores, & Doctores, quibus Actor. 20. præcipitur. [Attendite vobis, & vniuerso gregi: in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei & 1. Petri cap. 5. Pascite qui in vobis est gregem Dei prouidentes, non coactè, sed spontaneè, secundùm Deum.] Vel aliter dici potest Ecclesiam vniuersam quatuor constare fidelium generibus, sunt enim aliqui clerici, aliqui laici, & rursus ex clericis alij prælati, alij non prælati, item ex laicis, alij principes, alij priuati.

Secundò notandum est, quod vt in concilijs Generalibus diuersa sunt officia & munera, ita quoque, vt illis satisfiat; diuersæ debent interesse personæ. Alij enim sunt consultores, siue disceptatores, quibus tamquam peritis incumbit diligenter examinare, ac discutere iuxta regulas fidei propositas difficultates, suumque duntaxat in illis consilium dare, sicut in omni deliberatione primùm contingit. Tum alij sunt Iudices, ad quos pertinet suffragio decisiuo sententiam ferre, qua declaretur propositionem, de qua est quæstio, & controuersia, esse à Deo reuelatam: vel non. Alij denique sunt, quibus simplex competit ministerium vel scribendi, & dicuntur Notarij, vel Concilium defendendi, dandique operam: vt intus, & extra omnia sint pacata, & appellantur custodes.

Tertiò aduertendum est aliquos de iure Concilio interesse debere, iusque suffragij decisiui ordinariè in illo habere, alios verò tantum ex priuilegio Summi Pontificis. Quemadmodum enim Rex aliquos ad Principatum temporalem, nec non ad principalium regni negotiorum decisionem pro suæ potestatis plenitudine nonnumquam euehit: ita Summus Pontifex non solùm potest aliquos ad Ecclesiasticam prælaturam attollere, vt sunt Abbates, & ordinum Generales votum decisiuum, cùm hoc potissimum spectet ad potestatem iurisdictionis, cuius plenitudinem in Ecclesia Summus habet Pontifex, ideoque ab ipso ad alios aliqua ex parte deriuari potest.

His prænotatis, circa præsentem controuersiam varię sunt hereticorum opiniones, seu potiùs figmenta, quorum alij solos electos ad Concilium vocandos volunt, alij solos peritos rei, de qua est quæstio, siue laicos, siue Clericos; de quibus consuli potest Cardinalis Bellarminus lib.1.de Concilijs cap.15. Antonius autem Apostata Spalatensis lib.7. de Republica c.3.n.28.& seq.asserit:[Si de fide tractandum sit, non solis Episcopis ius suffragij ferendi competere;si autem tractandum sit de disciplina, canones conciliares tantùm pertinere ad Episcopos.] Quidam etiam Vigorius apud Andream Duuallium in tractatu de suprema Summi Pontificis potestate part.4. quæst.3. docuit, Presbyteros animarum curam gerentes, eadem, qua Episcopos in Concilijs potestate gaudere. Tot inter

pla-

placita, sententia Catholica sequentibus explicabitur conclusionibus.

I. Conclusio; Sacra Ecclesiæ Concilia non componuntur ex solis verè pijs, & electis viris. Ista conclusio, quæ est de fide, probatur primò, quia in tantum aduersarij id affirmant, in quantum credunt veram Christi Ecclesiam constare, vel ex solis electis, vel ex solis bonis, sed vt vidimus sectione huius libri tertia, hoc est falsum, ergo, & illud quod inde inferunt. Secundò, cum in hac vita prorsus ignoretur, quinam sint electi, quinam verè Sancti, vt etiam fatentur aduersarij, si Concilium esset tantùm eorum congregatio, numquam intimari, numquamque conuocari posset; dum talia igitur asserunt, sibi apertè contradicunt, simul affirmando aliquod esse Concilium, & nullum esse Concilium. Nam admittunt esse Concilium, dum explicant, ex quibus coalescat hominibus, non admittunt autem, siue coguntur dicere, nullum esse Concilium, dum docent ex solis electis constare; si quidem Concilium fieri, est homines inter se coniungi, vel conuenire in vnum, electi autem in hoc mundo cùm sint ignoti manifestè patet eos conciliariter vniri non posse.

II. Conclusio, nulli laici, quantauis dignitate fulgentes, ius habent decidendi in Sacris Ecclesiæ Concilijs; ista conclusio ad fidem quoque pertinens probatur primò omnibus illis tàm Veteris, quàm Noui Testamenti locis, quibus expressè asseritur controuersiarum in causa religionis decisionem spectare ad Sacerdotes: Leuitici cap. 10. v. 9. vbi dixit Dominus ad Aaron; [Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini, quia præceptum sempiternum est in generationes vestras. Et vt habeatis scientiam discernendi inter Sanctum, & prophanum, inter pollutum, & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi. Deuteron. cap. 17. v. 9. Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Item cap. 21. v. 5. Accedentque sacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus, vt ministrent ei, vt benedicant in nomine eius, & ad verbum eorum, omne negotium, & quicquid mundum, vel immundum est iudicetur. Lib. 2. Paralipomenon. cap. 19. v. 11. Amarias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit, porrò Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Ezechielis c. 44. v. 23. Et populum meum docebunt quid sit inter Sanctum, & pollutum, & inter mundum, & immundum ostendent eis. Et cum fuerit controuersia stabunt in iudicijs meis, & iudicabunt. Malachiæ cap. 2. v. 7. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent eo ore eius: quia Angelus Domini exercitiuum est.] Matthæi 23. v. 3. vbi ait Christus. [Super Cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.

Secundò probatur omnibus alijs Sacræ Scripturæ locis, vbi fideles, vt notauimus supra, ita distinguuntur, vt aliqui dumtaxat ex illis sint Pastores, & Doctores, quibus spirituale incumbit regimen Ecclesiæ, cæteri autem se habeant tamquam oues eorum absolutè, & simpliciter, ad quas consequenter non spectat docere, & pascere, sed doceri, & pasci. At si laici iure definiendi gauderent in Sacris Ecclesiæ Concilijs, iam rueret talis distinctio, pertineretque ad omnes indifferenter docere, & pascere, contra ordinem à Christo Domino in sua Ecclesia præscriptum, vt alij tamquam prælati spiritualiter pascant, alij verò ab illis cœlestis doctrinæ pabulo indesinenter nutriantur.

Tertiò probatur continua Ecclesiæ praxi, iuxta quam nulli vnquam laico quantauis dignitate præcellenti legitur in Concilijs tributum fuisse votum decisiuum in causis fidei. Actorum enim 15. vbi Sanctus Lucas narrat primum Apostolorum Concilium, dum dicitur, quod, [Conuenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc,] clarè videtur haberi, illi tantùm interfuisse Apostolos, tantùm interfuisse Apostolos, tanquam iudices, ad definiendum, Seniores autem ad consultandum, supposito, quod ibi per Seniores intelligantur Episcopi, sed simplices Sacerdotes, iuxta sententiarum diuersitatem: plebem verò non esse vocatam, sed tantùm adfuisse, & consensisse, non quidem definiendo, vel disputando, sed tantùm audiendo, & non reclamando, quod præter contextum, ipsa deinceps ostendit Ecclesiæ consuetudo, quæ est optima Scripturarum interpres, nam in omnibus Concilijs, quæ post Apostolorum tempora sunt celebrata, non alia ratione, quàm eorum exemplo, & traditione, hic idem ordo seruatus est, vt soli Episcopi fuerint multi alij, vel Clerici, vel Laici.

Sic in Concilio Nicœno Constantinus Magnus, testibus Ruffino lib. 1. hist. cap. 2. Sozomeno lib. 1. cap. 16. Nec non Diuo Gregorio Papa lib. 4. cap. 75. nedum cùm illi oblati essent accusationis libelli ab Episcopis, eos audire noluit, sed & illam tanto principe dignam protulit sententiam: [Vos à Deo nobis dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus de quo scriptum est. Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos discernit, & ideò his omissis, illa, quæ ad fidem Dei pertinent, absque vlla animorum contentione distinguite:

In Actis quoque Concilij Ephesini habetur epistola Theodosij, & Valentiniani, vbi nostra conclusio clariùs adhuc ostenditur his verbis: [Igitur Candidianum præclarissimum religiosum domesticum Comitem, ad sacram vestram Synodum abire iussimus sed ea lege, & conditione, vt cum quæstionibus, & controuersijs, quæ circa fidem habeat, nefas enim est, qui Sanctorum Episcoporum cathalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs, & consultationibus sese immiscere. Verùm, vt monachos, & sæculares, ac cæteros denique omnes, qui huius spectaculi causa, vel eò nunc confluxerunt, vel in posterum fortè confluent, ab eadem illos ciuitate omnibus modis submo-

meat (quandoquidem non licet illis, qui omninò necessarij non sunt, sacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedire, & ijs, quæ cum tranquillitate à Vestra Sanctitate constitui, definirique debent, obstaculum aliquod afferre) tum rursum, vt diligenter prospiciat, ne qua grauior dissensio, ex mutuo repugnandi studio coorta, & sæuæ tempestatis instar debacchata Sanctissimæ vestræ Synodi consultationem, exactioremque veritatis indagationem quouis modo obturbet.

Imperator etiam Martianus in Concilio Chalcedonensi actione 6. ita loquitur: [Nos ad fidem roborandam, non ad aliquam potentiam ostendendam, siue exercendam, exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse voluimus, vt veritate, non vltra multitudo prauis doctrinis attracta discordet, aliàs, ne vlteriùs prauis persuasionibus à recta separemur fide.] In octaua tandem Synodo Generali act. 4. primùm hæc leguntur verba: [Post hoc magnificentissimi, & gloriosissimi Principes per Bahanem magnificentissimum Patricium, & Præpositum dixerunt: Imperatores nostri miserunt seruos suos, qui Senatus vocatur, qui voluntate Dei honoratus est secundùm omnia, vt simus discretini eorum, quæ geruntur, auditores. Deinde act. 7. Bahanis, dixit ad Synodum, Photio præsente cum Episcopis suis: Sanctus Imperator noster vult facere allocutionem ad istos, per me indignum seruum suum. Sanctissimi Vicarij Senioris Romæ dixerunt: sicut iubet imperium eius. Bahanes dixit ad Photium, & Episcopos eius: hortatoriè alloquitur vos Imperator;] hortatoriè, inquit, & non vt iudex, vel iudicialiter, sed paulò post, Iudices, dicit Vicarios Papæ, & Patriarcharum; [Videntes, inquit, Iudices conuicia vestra, nec audire vos volunt:] Postremò ipsemet Basilius Imperator in oratione ad Synodum, cùm ea iam esset ad calcem perducta, conuerso ad laicos sermone hæc ait: De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conuersamini, quid ampliùs dicam non habeo, quam quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitùs resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc enim inuestigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui soluendi, & ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claues; non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamento solui egemus. Quantæcumque enim religionis, & sapientiæ laicus existat, vel etiam si vniuersa virtute interiùs polleat, donec laicus est, ouis vocari non desinet. Rursùs Episcopus quantacumque sit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec antistes est, & veritatis verbum rectè prædicauerit, pastoris vocationis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est, in ordine ouium constitutis? Pastores verborum subtilitatem discutiendi, & ea, quæ super nos sunt quærendi, & ambiendi habent. Oportet nos ergo cum timore, & fide sincera hos audire, & facies eorum vereri (cum sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam possideant) & nihil ampliùs, quàm ea quæ nostri ordinis sunt requirere.] Indeque idem Basilius, nec non Constantinus, & Leo Augusti huic Synodo sequenti subscripserunt forma: [Basilius, Constantinus, & Leo perpetui Augusti, in Christo Deo fideles Principes Romanorum, & magni Imperatores, sanctam hanc, & vniuersalem Synodum suscipientes, & omnibus quæ ab ipsa definita, & scripta sunt concordantes, subscribimus manu propria.] Suscipientes, & concordantes, inquiunt, non autem definientes, id enim non Principum, sed Episcoporum est, vt ibidem patet ex eorumdem subscriptionibus: [Ignatius, inquit, misericordia Dei Episcopus Constantinopoleos nouæ Romæ, Sanctam hanc, & suscipiens, & omnibus, quæ ab ea iudicata, & scripta sunt, concordans, & definiens subscripsi manu propria.

Quartò probatur vnanimi SS. PP. consensu, in quorum scriptis nihil frequentius legitur, quàm quod laicis etiam Imperatoria Maiestate conspicuis, nullum ius definitiuum nec in Concilijs, nec extra competat in rebus ad fidem, & religionem spectantibus. Ex Summis Pontificibus præcipuè consuli possunt Gelasius in epistola ad Anastasium Imperatorem; Gregorius Magnus epist. 25. Nicolaus I. epistola ad Michaelem Imperatorem; Gregorius XII. epistola 21. Ex Patribus autem S. Athanasius epist. ad solitariam vitam agentes aduersùs Constantium vsurpatorem præsidentiæ, & iudicij Ecclesiastici: [Quis, inquit; videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere iudicijs Ecclesiasticis, non meritò dicat, illum eam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele est?] item Apolog. 2. contra Arianos, docet nequidem Synodi nomen mereri illam, vbi Imperator, vel comes sedeat, vt coniudex, vel ita vt præsideat. Hilarius in epist. ad eumdem Constantium Augustum; Lucifer Calaritanus aduersùs eum pro S. Athanasio; Diuus Ambrosius lib. 5. epistolarum in oratione de Basilicis tradendis versus finem; nec non epistola 32. ad Valentinum Augustum; S. Ioannes Damascenus in orat. 2. de Imaginibus: [Christus inquit, non commisit Ecclesiam Regibus, & Imperatoribus, sed Episcopis, & Pastoribus.] Et sic de cæteris, de quibus vide, quæ superiori sectione cap. 16. passim dicta sunt, & præsertim in seculo nouo.

Quintò tandem, & vltimò, ratio huius rei fundamentalis est, quia votum habere decisiuum in sacris Ecclesiæ Concilijs, vel ibi sedere vt iudicem, vbi agitur de rebus fidei, & religionis, est actus iurisdictionis, sed laici quantacumque dignitate præclari, in huiusmodi rebus nullam habent iurisdictionem; siquidem temporale illorum regimen respicit tantùm, quæ sæcularia sunt, & ad vitæ præsentis felicitatem, atque tranquillitatem spectant; in sacris igitur Ecclesiæ Concilijs nec suffragio gaudent definitiuo, nec vllum alium actum iurisdictionis spiritualis exercere possunt; cùm enim insuper omnis iurisdictio Principum laicorum sit de iure gentium; potestas autem spiritualis de iure Diuino manifestè patet nullatenùs in Principum potestate

ſtate contineri ſpiritualem poteſtatem; eoſue intrà Eccleſiam, ſed non ſuprà Eccleſiam eſſe, illiuſque filios, & non magiſtros: vt rectè ponderat D. Ambroſius locis ſuperiùs citatis.

Ex quibus omnibus euidenter conſtare puto veritatem noſtræ concluſionis, quod nimirùm laici in ſacris Eccleſiæ Concilijs ius non habeant ſuffragij deciſiui, ſed aliquos ex illis, ſi ſint priuati debere tantùm vocari, & admitti, qui ſint vtiles, vel neceſſarij ad aliquod miniſterium Concilij; ſi autem ſint Principes, aut eorum oratores, illi dumtaxat intereſſe poſſunt, vel, vt Concilium ſua honorent præſentia, vel vt illud defendant, vel vt teſtes; & conſcij decretorum Concilij poſtea tranſgreſſores,& contumaces pœnis corporalibus puniant: ſicut etiam olim, cùm inter Catholicos, & alios hæreticos eſſet diſceptatio, & controuerſia magna, admittebantur aliqui in Concilijs, quaſi auditores diſcretiui, & teſtes, vt audirent motiua, & rationes altercantium; vt veritate tandem patefacta, relationeque Imperatoribus facta;ipſi ſententiam eorum, ac definitiones per diſciplinæ timorem iuberent ab omnibus recipi, & obſeruari: vt in octaua Synodo contigiſſe ſtatim diximus.

Per quæ facilè patet ad ſectariorum argumenta, dum obijciunt cauſam fidei omnibus Chriſtianis eſſe communem, tam Laicis, quàm Clericis, atque adeo Laicos etiam ad Concilia generalia eſſe conuocandos: quæ inſuper Concilia, cùm vniuerſalem Eccleſiam repræſentent, videtur quoque debere illis intereſſe fideles ex omni genere, id eſt Epiſcopos, Presbyteros, Principes, Clericos, Laicos, &c.

Reſpondetur enim, cauſam quidem fidei ad omnes pertinere, ſed diuerſo modo, nam ad Prælatos pertinet vt Iudices,ac Doctores, ad cæteros omnes vt diſcipulos, nec non ratione diuerſorum munerum, quæ ab illis pro ſuarum diuerſitate conditionum præſtari in obſequium fidei poſſunt, vt ſuprà iam diximus. Ad aliud argumentum dico primò illud nimis probare, ſiquidem ex illo videtur ſequi, debere quoque fæminas ſacris intereſſe Concilijs, quod eſt abſurdum; vt igitur vniuerſa in Concilijs repræſentetur Eccleſia,non requiritur, quod ad illa conuocentur fideles ex omni genere, vt ſatis patet ex adducta mulierum inſtantia, ſed ſoli ſufficiunt Epiſcopi; cùm enim quilibet illorum ſuæ perſonam gerat Eccleſiæ, vt loquuntur Patres, D. præſertim Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. vbi ait, Eccleſiam eſſe in Epiſcopo;] rectè etiam Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini, Concilium Epiſcoporum 318. vocat conuentum orbis terrarum. Et Auguſtinus lib. 1. de Baptiſ. cap. 18. eiuſdem Concilij Epiſcoporum conſenſum, vocat totius Eccleſiæ conſenſum; rectè in illis tamquam in Eccleſiæ Proceribus, ac Paſtoribus omnes alij fideles congregari cenſentur; ſicut in comitijs generalibus multorum ſtatuum congregari ſolent Conſules, vel Domini Ciuitatum.

III. Sacerdotes quantumuis doctiſſimi, curamque gerant animarum, ius non habent ferendi in Concilijs ſuffragium deciſiuum, multòque minùs alij inferiores Clerici, vt Diaconi &c, ex ſpeciali tamen Pontificis indulto, & priuilegio id illis competere poteſt. Iſta concluſio quoad primam partem eſt certiſſima, & in Eccleſiæ praxi fundata, quæ ſine dubio ab Apoſtolis emanauit, vt ſoli ſemper Epiſcopi tamquam Iudices in Concilijs ſederint, cæteri autem Clerici, vt Conciliarij, & rem, de qua erat quæſtio, pro acumine ſui ingenij diſcutientes. [Boni ſunt, inquit S. Ignatius ad Philadelph. Sacerdotes, & ſermonis miniſtri; melior eſt Pontifex, cui credita ſunt Sancta Sanctorum, cui ſoli commiſſa ſunt ſecreta cæleſtia.] Indè in Concilio Chalcedonenſi act. 1. cùm ad Martianum Presbyterum, & Archimandritam mitteretur, vt ſubſcriberet, auitum Eccleſiæ morem ſequens reſpondit, [non eſſe ſuum, ſed Epiſcoporum tantùm.] Vbi verò aliqui ſubſcripſerunt, diuerſa ſubſcriptionis habetur formula. Nam formula ſubſcriptionis Epiſcoporum talis eſt: [Epiſcopus Conſtantinus iudicans ſubſcripſi:] formula autem Presbyterorum Archimandritarum huiuſmodi; [Fauſtus Presbyter Archimandrita Monaſterij S. Dionyſij.] Vt hac ſubſcribendi differentia ſignificaretur, ita ſolos Epiſcopos in Concilijs eſſe Iudices, vt quicumque alij Sacerdotes, aut Clerici in finem dumtaxat conſultationis, & examinis, aut alterius ſimilis miniſterij ſint ad illa vocandi, vel admittendi. Quod adeò verum eſt, vt hoc etiam titulo Concilium Baſileenſe illegitimum fuerit,quod ab eo maiore Epiſcoporum parte ſecedente, ingens Presbyterorum multitudo contra ius, faſque ad definiendum ſubintroducta eſt.

Ratio autem huius rei eſſentialis eſt, quia licèt Sacerdotes ſimplices, ex poteſtate Ordinis, in hoc cum Epiſcopis conferri poſſint, quòd aliqua adminiſtrent Sacramenta, v. g. Baptiſmum, & Euchariſtiam; attamen quia nullam in foro exteriori habent ex ſuo munere iuriſdictionem in Eccleſiam, vbi illa requiritur, nullos eius actus de iure exercere poſſe;eam autem in Concilijs requiri dubium non eſt, ſi conſiderentur tria, quæ potiſſimùm in illis pertractantur, fides aduersùs hæreticos, morum reformatio contrà peruerſos Chriſtianos, & cauſæ quædam priuatæ Epiſcoporum, vel aliorum.

Quoad primum enim, etſi priuata rerum fidei propoſitio, per modum inſtructionis, & conſilij iuriſdictionem non exigat, ideoque conuenire poſſit ſimplicibus Sacerdotibus, alijſque etiam Clericis inferioribus, vt & Epiſcopis; nihilominùs ſi ſermo ſit de publica propoſitione, vel iudicio per modum auctoritatiuæ definitionis aliquos in materia fidei, idem dic de reformatione morum,Canones edendo, & ad recipiendum quod per illos traditur,coactionis in tranſgreſſores pœnas præſcribendo, contumaces ab Eccleſia eliminando, huiuſmodi iudicium, coniunctam habere debere iuriſdictionem cùm ſit certum, certum quoque eſt illud competere de iure non poſſe vllis Sacerdotibus, etiam Curatis, omni in Eccleſiam iuriſdictione exteriori carentibus.

Eodem modo diſcurrendum eſt de cauſis Epiſcoporum,ad quarum iuridicam deciſionem, prærequiri quoque iuriſdictionem in Iu-

in Iudicibus manifestum est, quam de iure non habent simplices Sacerdotes respectu Episcoporum, sic enim maior à minori iudicaretur, & superior ab inferiore condemnaretur, aut absolueretur, quod iuris, rationisque ordinem omninò destruit: Inferiores igitur Sacerdotes, quantumuis animarum curam habentes, nec eadem, qua Episcopi in Concilijs potestate gaudent, nec ad ea consequenter sunt vocandi, vt Iudices.

Altera pro nostra conclusione ratio ab aliquibus desumitur, ex diuersis absurdis, quæ oppositam sententiam consequuntur; si enim Presbyteri, re adhuc limitata ad eos solos, qui animarum curam habent, de iure ad Concilium vocandi essent, vel omnes vocari oporteret vel aliquos; non priùs, quia ob infinitum propè illorum numerum, in omnibus Christianæ religionis Prouincijs, nullum vnquam posset Generale Concilium celebrari; quomodo enim in vna Ciuitate, imò in vno loco omnes possent contineri, aut eorum quisque sententiam dicere. Aliquos autem dumtaxat ad Concilium vocandos esse dici non potest, cùm omnes sint dignitate æquales, nec vnus in gregem maiori sit præditus auctoritate, quàm alter. Item cùm numerus Parochorum numerum Episcoporum longè superet, si ipsi interessent Concilijs, & in his suffragio decisiuo gauderent, à Parochis Episcopi vincerentur, sicque regerentur superiores ab inferioribus; quæ & similia cùm sint absona, & aliena ab optimo ordine, quem Christus Dominus in sua constituit Ecclesia, ob quem dicitur terribilis vt castrorum acies ordinata, dicendum est eum tale ius haud concessisse Presbyteris, minùsque alijs inferioribus Clericis.

Vbi igitur in aliquibus Concilijs legitur eos etiam tamquam definientes subscripsisse, vt in Lateranensi Concilio sub Innocentio Tertio Abbates duodecim, Priores conuentuales multi, in Florentino sub Eugenio IV. plures quoque Diaconi Græcorum subscripserunt; id eorum iuri minimè tribuendum est, sed speciali indulto, & priuilegio ipsis à Summo Pontifice concesso; vel ob insignem legationis prærogatiuam, qua aliqui interdùm pro eo functi sunt, vt dicetur conclusione quinta; vel randem quia nonnulli fuerunt legitimi suorum Episcoporum Vicarij, aut procuratores, vt dicetur conclusione octaua.

IV. Conclusio, Abbates, cæterique habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt sunt Generales Ordinum, ex priuilegio gaudent in Concilijs suffragio decisiuo. Ista conclusio est communis; colligiturque primùm ex vsu Ecclesiæ, quo, vt statim dixi, in Concilio Lateranensi duodecim interfuerunt Abbates; item in Concilio Florentino etiam cum Abbatibus Generales Ordinum consederunt; & nouissimè in Concilio Tridentino post Episcopos, Abbates, & Generales Ordinum suffragium dederunt; quare etiam in literis indictionis Concilij solent inuitari, sicque in Tridentina legitur: [Conuocamus, statuimus, & decernimus omnes ex omnibus locis venerabiles fratres nostros Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios Abbates, quàm alios quoscumque, quibus iure, aut priuilegio in Concilijs Generalibus residendi, & sententias in eis dicendi permissa potestas est.]

Ratio desumitur ex hoc, quod Concilium Generale vniuersalem repræsentat Ecclesiam, quare etiam repræsentari debent omnes illi fideles, qui iurisdictioni Episcoporum subditi non sunt; hos autem non posse repræsentari ab Episcopis satis patet, siquidem supponimus eos ab illis esse exemptos; adesse igitur debent alij, qui eos repræsentent, ac tueantur, hi autem sunt Abbates, & Ordinum Generales; quibus eo ipso quod Summi Pontifices singulari priuilegio concesserunt iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos, sibique immediatè subesse voluerunt, concedere quoque eis intenderunt, quod tali est annexum iurisdictioni, ferre videlicèt in Concilijs Generalibus sententiam, vbi ad illa vocantur; quidam enim docent eos non esse necessariò vocandos, sed teneri tantùm ad accessum ex suppositione quod vocentur; ad distinctionem Episcoporum, qui necessariò vocandi sunt, eo quod de iure competat illis votum in Concilijs, nedùm consultiuum, sed & decisiuum.

V. Conclusio, Sedis Apostolicæ Legati, etiam si non sint Episcopi, sed simplices Sacerdotes, aut etiam inferiores Clerici, non solùm habent votum in Concilijs definitiuum, sed insuper omnium primi illis subscribere debent. Hæc conclusio est certissima inter Doctores Catholicos, sic enim in Concilio Nicæno, vnà cum Osio Episcopo Cordubensi, Victor, & Vincentius, Presbyteri Vrbis Romæ S. Syluestri Legati Concilij definitionibus, tamquam Iudices, primi subscripserunt: In Concilio Ephesino, Philippus Presbyter, Cælestini Legatus; in Chalcedonensi, Bonifacius, Leonis Legatus: in sexta Synodo Generali, Constantinopolitana III. Theodorus, & Georgius Presbyteri, & Ioannes Diaconus, Agathonis Legati; in octaua, Marinus Diaconus, primùm Nicolai I. deindè Adriani II. Legatus.

Ratio conclusionis est, quia committi possunt cuilibet Sacerdoti, vel etiam Clerico inferiori iurisdictionalia, inter quæ sine dubio reponendum, habere votum in Concilijs decisiuum, cuius euidens est argumentum, quod Episcopi electi, & non consecrati ius habent assistendi Concilio cap. (transmissa,) & cap. (suffragan.) extra de elect. & Clement. 1. de foro competenti; Igitur si hac ratione Vicarij, aut procuratores Episcoporum specialiter ad id deputati, quantumuis simplices Clerici, gaudent in Concilijs voto definitiuo, vt dicetur conclusione octaua; multò magis id asserendum est conuenire Sedis Apostolicæ Legatis, referentibus quippè personam Pontificis, in quo reperitur plenitudo totius iurisdictionis Ecclesiasticæ, cuius capaces sunt omnes Clerici, cùm sint Diuini mancipati obsequijs, & in statu à Secularibus distincto.

Tota ergo difficultas est, an Summus Pontifex, sua veluti vtens potentia extraordinaria, laicos etiam valeat instituere suos Legatos, vel absque legatione, concedere illis potestatem tractandi in Concilijs de rebus ad fidem, & religionem pertinentibus, ferendique in illis suffragium definituum; aliqui enim affir-

affirmatiuam partem docent, alij verò negatiuam absolutè; alij tandem media incedentes via tenent id fieri non posse, quantùm ad decisionem controuersiarum fidei, sed tantùm quoad actum excommunicandi, siue quod canonum decretis iam per Episcopos, & Patres editis anathema apponant, quòd est habere decisiuum votum veluti partialiter, nimirum ex appositione censuræ, quæ est iurisdictionis actus. Verùm quia plena huius difficultatis resolutio dependet ex alia; an vsus clauium quantùm ad excommunicationem, & alios huiusmodi actus iurisdictionales, possit committi laicis, de illa consuli possunt Theologi in 4. sentent. & in tertiam partem Diui Thomæ.

VI. Conclusio, S. R. E. Cardinales, etiamsi Episcopi non sint, sed minoribus duntaxat ordinibus, aut simplici Clericatura insigniti, votum habent in Concilijs decisiuum. Ista quoque conclusio est communis inter Doctores Catholicos, discordantque solùm in ea circa modum; quatenus aliqui putant hoc ipsis de iure competere, ratione præeminentis dignitatis, qua soli sunt electores Summi Pontificis, eique assistunt veluti collaterales in omnibus Ecclesiæ negotijs. Alij autem, inter quos est Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Concilijs cap. 15. docent Cardinales ex priuilegio tantùm, & consuetudine Concilijs Generalibus interesse, & in ijs suffragio decisiuo gaudere.

VII. Conclusio, Episcopi, & qui his sint superiores, puta Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, habent in Concilijs Generalibus, & Prouincialibus ius suffragij decisiui ordinariè; siue quòd idem est, non vt Consiliarij tantùm, sed vt iudices illis interesse debent. Quamuis hæc conclusio sit magis communis inter Doctores Catholicos, non desunt tamen aliqui ex illis, vt Turrecremata lib. 3. cap. 31. & 26. Summæ de Eccl. qui doceant, discussionem reseruari conuentui Sacerdotum, iudicium autem finale Pontifici; vel consultationem tribui Patribus Concilij, statuere verò, & definire Romano Pontifici, ita vt non in iudicanda, & definienda causa, sed in inquirenda, & inuestiganda sita sit Conciliorum auctoritas. Alij verò vt has opiniones contrarias inter se, concilient, distinctione vtuntur: quia vel Concilium congregatur pro causis Ecclesiæ vniuersalis, vel vbi dubius esset Pontifex, aut in hæresim priuatim incideret: & primo modo asserunt, quia solus Papa Concilio præest, eum quoque solùm esse Iudicem, Episcopos verò Consiliarios, & Assessores; secundo autem modo spectare ad illos iudicium, ita vt omnes sint iudices, non singuli, & seorsum, sed coniudices, quia tale iudicium ad vniuersitatem, vt vniuersitas est, pertinet.

Nihilominùs nostra conclusio vniuersaliter, & absolutè loquendo videtur magis certa, fundataque primò in sacra Scriptura Actor. 15. vbi decretum in Concilio Apostolorum his verbis efformatum est: [Visum est Spiritui Sancto, & nobis, vt abstineatis vos &c.] quibus clarè significatur iudicium, magistratusque Ecclesiastici conclusio, & sententia, non autem simplex duntaxat consultatio. Cuius adhuc euidens argumentum est, quod post Petri sententiam Iacobus in hanc formam suffragium tulerit; [Propter quòd ego iudico:] ita vt iudicare hic impropriè non accipiatur, pro eo, quod est mentem aperire, vt sensus sit ego iudico, id est, ego dico, vt iuxtà Syriacam versionem haberi obijciunt aliqui, sed in propria significatione, & prout vulgata habet, ego iudico; id est, inquit Chrysostomus homil. 33. in Acta, [cum potestate dico esse scribendum illis:] sicque intelligenda est versio Syriaca, dum vtitur verbo dico. Cùm igitur Episcopi successores sint Apostolorum in regimine Ecclesiæ, iuxta illud Psal. 44. [Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij; id est exponente Augustino, pro Apostolis Episcopi; sicut Apostoli in primo illo Concilio, quod cæterorum deinceps norma, & exemplar futurum erat, iudices sederunt, ita quoque Episcopi ad illa vocandi sunt in finem iudicandi, & decernendi.

Eorundem act. Apostolorum cap. 20. dum dicitur: [Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos, regere Ecclesiam Dei;] item 1. Timoth. cap. 3. [Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodò Ecclesię Dei diligentiam habebit; his & alijs similibus locis, quibus Episcoporum in Ecclesia significatur principatus, nec non omnia, quæ in Concilijs præstantur munera, Episcopalia esse, clarè demonstratur eos, vbi legitimè fuerint à Pontifice congregati, ius habere ordinarium ferendi suffragium in Concilijs, proindeque deberi ad illa, vt iudices vocari, & non vt consiliarios tantùm.

Secundò probatur Ecclesiæ praxi, vt in omnibus ferè antiquis Concilijs videre est, quibus Episcopi tamquàm iudices; & definientes subscripserunt hac formula: Ego Episcopus definiens subscripsi. Qua si interdum non sunt vsi, vt in Concilio Florentino, vbi sic habetur in subscriptione Papæ: [Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, ita definiens subscripsi.] Cæteri autem Episcopi, tàm Latini, quàm Græci tantùm dicunt subscripsi; non inde sequitur eos tantùm esse consiliarios, & non iudices definientes, sed ab hac voce aliquando abstinuisse, vt vnus supremus, ac finalis iudex in Ecclesia agnosceretur Romanus Pontifex, cui cæteri subordinati sunt Episcopi, tamquam inferiores iudices, & quorum iudicium, vt approbetur, & confirmetur, vlteriùs Pontificio subiacet examini, vt superiori capite dictum est.

Tertiò probatur vnanimi Sanctorum Patrum sensu, qui vbi loquuntur de Episcopis, specialem semper illis curam, specialemque in Ecclesia potestatem tamquam præcipuis eius Hierarchis tribuunt; non alia ratione, nisi quia præ cæteris simplicibus Clericis, iudicialem habent in Concilijs auctoritatem ex proprio munere, pro definiendis rebus ad fidem, ac religionem spectantibus. Quamquam, inquit Hilarius super Matth. cap. 26. explicans illa verba: [Quisnam est fidelis seruus, & prudens quem constituit Dominus super familiam suam? in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur: specialem tamen populi Principibus, idest Episcopis, in expectatione, aduentuque suo sollicitudinem mandat.]

Quar-

Quartò tandem sequentes rationes id apertè persuadere videntur. Prima, quia si non essent vera suffragia iudiciaria, quæ ab Episcopis feruntur in Concilijs; sanctiones Conciliares, sententiarum, constitutionum, præceptorumque nomine non insignirentur, cuius tamen oppositum in Ecclesiastica vbique historia legitur. Secunda, quia si non essent Episcopi nisi consiliarij, non tam ipsi quàm Theologi, aut Iurisperiti ad Concilia deberent vocari: imò Episcopi indocti, & rudes ab illis essent arcendi; quod cum sit absurdum, Ecclesiasticæque Hierarchiæ destructiuum; testante Ruffino lib. 10. hist. cap. 3. simplices quoque Episcopos in Nicæno Concilio consedisse; dicendum est, ita quidem, vbi res in Concilijs disceptantur, virorum doctorum consilia prærequiri, vt tamen vlterior earum definitio, decretorumque fidei auctoritatiua Sanctio ad Episcoporum iudicium pertineat; nec enim tam scientia, quàm potestas definiendi in illis attendi debet. Sicque in communi causa fidei omnes adiuuant, sed eodem modo, vt notauimus supra, quidam enim doctrinam solùm, quidam auctoritate, quidam vtroque modo occurrunt fidei hostibus, vt quando Episcopi simul cùm iurisdictione coniunctam habent scientiæ clauim, rerumque Ecclesiasticarum peritiam. Tertia, quia sicut negotia publica, quæ in Prouinciarum comitijs tractari solent, à solis ordinibus definiuntur, & terminantur; ita etiam, vbi in Concilijs res ad fidem, & religionem pertinentes, quæ sunt grauiora Ecclesiæ negotia, definiendæ sunt, solæ personæ Hierarchicæ, quales sunt Episcopi, iudicium in illis ferre de iure debent, quicquid sit de infallibilitate illorum, de qua agetur infra. Quapropter Episcopi iuramentum emittunt veniendi ad Concilium cap. ego N. de iure iurando, & negligentibus imponitur pœna cap. placuit distinct. 18. & cap. si Episcopus, & cap. decernimus: sique legitimi Episcopi ad Concilium venientes iniustè excluderentur, pro Generali habendum non esset.

Quia autem legitimos inter Episcopos, aliqui sunt titulares dumtaxat, qui & anulares etiam dici consueuerunt, quod sine plebe consecrentur: maior est difficultas de illis, num de iure vocem, aut suffragium habeant in Concilijs Generalibus. Aliqui enim doctores, vt Melchior Canus lib. 5. de loc. Theolog. cap. 2. partem negatiuam docent; nihilominùs opposita est omninò tenenda; quia tam ipsi quàm illi qui priuati, vel expoliati ab infidelibus fuere suis sedibus, vel qui iustas ob causas, vt non rarò fit, cum consensu Summi Pontificis Ecclesias suas alijs renuntiarunt Episcopis, semper sunt veri Ecclesiæ Prælati, vtramque potestatem Episcopalem, & ordinis, & iurisdictionis habentes; etsi enim ista careant in actu secundo, siue eam non exerceant, si considerentur in ordine ad particulares sedes, territoria, vel subditos, illam tamen habent in actu primo: quatenus Episcopi secundi generis, recuperatis aliquando suis sedibus, iterum suo fungi possunt actuali ministerio: Titulares autem, vbi accipiunt titulos Episcopatuum iampridem ab infidelibus occupatorum, accipiunt quoque auctoritatem in actu primo, vt si quando contingeret eos ad Christianorum ditionem redire, actuales Episcopalis ordinis, & iurisdictionis functiones exercerent; quem etiam in finem, & si deessent alij, rectè possunt ordinari. Insuper, cùm Episcopi ex vi suæ dignitatis considerari possint, non solùm in ordine ad particulares sedes, verùm etiam prout conciliariter adunati vniuersalem repræsentant Ecclesiam, tamquam præcipui eius Hierarchæ; licèt Episcopi titulares primo modo considerati, iurisdictionem actu exercere non valeant, defectu proprij territorij; secùs tamen si considerentur secundo modo, cùm enim ita referant Ecclesiam vniuersalem, omnes fideles habent veluti suos subditos, vniuersumque pro territorio mundum; inde ergo dicendum est, eos habere ius in Concilijs ferendi suffragia, quodque ad illa vocentur cùm alijs, vt de Sancto Gregorio Nazianzeno legitur, qui licèt nullius Ecclesię Episcopus tunc temporis esset, in Concilium tamen Episcoporum vocatus, & inuitatus fuit.

Ex hoc autem, quòd omnes Episcopi in Concilijs nedum sint Consiliarij, sed etiam iudices, votumque definitiuum habeant: non propterea sequitur eos non subordinari Summo Pontifici, aut illum necessariò in eam partem inclinare debere, pro qua plura habentur suffragia, hæc, inquam, & similia, quæ solent obijcere aduersarij, non sequuntur. In politijs enim humanis, Iudices inferiores sunt veri iudices, & tamen subordinantur supremis, & horum supremo Principi: quòd igitur Patres in Concilio congregati sint iudices, non tollit debitam Summo Pontifici subordinationem tamquam supremo iudici, qui saltem eorum decreta, vt plenam habeant apud fideles auctoritatem, finaliter confirmare debet.

Ad secundum respondetur, Summum Pontificem non solere irritare decreta à maiori parte Concilij legitimè congregati edita, nisi sit dolus, vel deceptio, aut maior illa pars à fide aberraret, tunc enim sua deberet vti auctoritate ad illa abroganda. Quamobrem S. Damasus Papa scribens Episcopis Illyricis, vt suo loco diximus, maiorem Concilij Ariminensis partem magna libertate contempsit, illique vnum Vincentium, & alios paucos in contrarium sentientes prætulit: sicut & Sanctus Leo decretum quoddam Chalcedonensis Concilij irritauit: Concilia enim sunt Ecclesiastici conuentus, vbi res non numero suffragiorum, sed pondere, & auctoritate Summi Pontificis ex speciali assistentia Spiritus Sancti finaliter definiuntur; de quo iterum redibit sermo infra.

VIII. Conclusio legitimi Episcoporum rationabili de causa absentium procuratores admitti possunt in Concilio, vt etiam fuerant suffragium in causis fidei, & religionis dummodo sint Clerici; ista conclusio, quæ est communis inter Theologos, patet primò ex praxi Ecclesiæ, qua pluries id contigisse in Ecclesiastica legitur historia. Lucifer enim Episcopus Calaritanus in Sardinia misit ad Synodum Alexandrinam, Herennium, & Agapitum Diaconos; Paulinus vero Antiochenus Episcopus Maximum, & Calamerum pariter Diaconos. In Synodo Ephesina Eusebius

bius Diaconus Legatus Episcopi Claudianopolitani, Besula Diaconus Legatus Capreoli Episcopi Carthaginensis, & omnium Africæ Præsulum nomine illorum tanquā definientes legitimè subscripsetūt;& in Synodo Chalced. Calesinus Diac. nomine Episcopi Afrinoensis Quodque in Concilio Meriensi prohibitę fuerint huiusmodi deputationes, nihil obstat quin potiùs arguit illarum vsum, fuisseque tantùm ibi prohibitas ob aliquem abusum. Sed talis adhuc prohibitio, nec ab alijs, nec ipsis Hispaniarum Ecclesijs ante,aut post fuit recepta,vt patet ex Concilijs Toletanis 6.7.9. 11. 12. & 13.

Secundò probatur, quia subscriptio hæc Conciliorum non est ordinis, sed potiùs iurisdictionis actus, vt dictum est supra; quæ autem sunt iurisdictionis possunt ab Episcopis in Vicarios, aut Legatos transmitti: illi igitur Clerici,qui specialiter ab eis fuerint ad Cpncilia suo loco deputati,subscribendi potestate in illis tamquam definientes,qua Episcopi si pręsentes essent gauderent,legitimè quoque frui possunt.

Cæterùm tam laici, quàm Clerici ad Concilia mitti possent ab Episcopis, quando agendum non esset de causis Ecclesiæ fidem, ac mores spectantibus, sed tantùm Episcoporum mittentium proprijs, tum ad excusandam absentiam legitimam, tùm ad causas intentatas,tàm ciuiliter,quàm criminaliter contra ipsos, excipiendo, & excusando;tum denique ad recipienda decreta edenda,vel edita in Concilijs, vt postea Episcopi mittentes ea publicent, & intiment. Hæc enim, & similia laicalis potestatis fines transgredi non videntur.

IX. Conclusio,siue Episcopi habeant immediatè à Christo Domino potestatem iurisdictionis, siue non, semper tamen illa, qua vtuntur in Concilijs Generalibus, à Summo Pontifice dependet,eiusque auctoritati subordinatur.In hac conclusione conuenire debent omnes Theologi bene de Romano Pontifice sentientes, adhuc enim admisso in fauorem Episcoporum,quòd, ipsi immediatè à Christo non minus recipiant potestatem iurisdictionis, quàm ordinis, vt docent aliqui Theologi: non autem à Summo Pontifice, vt docent alij; negari tamen non potest, quin huiusmodi potestas immediatè per modum habitus à Christo collocata Episcopis, subiaceat quoad vsum in multis Summo Pontifici, tamquam supremo Ecclesiæ vniuersalis capiti, præsertim verò in Concilijs Generalibus, quatenus ab eo solo legitimè congregari, dirigi, examinari, ac tandem confirmari possunt, vt vim, ac robur in Ecclesia obtineant, ex dictis superiori capite. Hæc enim, & similia clarè demonstrant iudiciariam potestatem, quam Episcopi in Concilijs, Generalibus exercent, quantumuis immediatè à Christo collatam, Pontificiæ nihilominus auctoritati subditam esse debere; multòque magis si à Summo Pontifice, tamquam à supremo Ecclesię capite, & Monarcha, in quo est plenitudo totius Ecclesiasticæ iurisdictionis, illa immediatè ad cæteros deriuetur Episcopos, tamquam ad membra, iudicesque inferiores, vt expressè videtur docere Diuus Thomas multis in locis iam superiori Sectione suo loco citatis, alijque plures.

X. Conclusio, ad rationem Concilij Generalis ex parte materiæ, siue ex parte conuocatorum, non requiritur, vt omnes totius Orbis Episcopi de facto illi intersint,sed sufficit, vt euocatio sit Generalis, ita vt innotescat omnibus maioribus, vbi fides Catholica viget,Prouincijs,nullusque Episcopus ex illis, veniens, modò constet eum esse Episcopum, nullaq;censura irretitum,excludatur. Ista conclusio est certa,eiusq;probatio nō potest aliundè meliùs desumi, quàm ex consuetudine Ecclesię,& ex ijs Concilijs,quæ omnium consensu,etiam hæreticorum,generalia fuere,qualia sunt quatuor prima,quibus procul dubiò non interfuere omnes totius Orbis Episcopi: Igitur ad rationemConcil.Gen.talis de facto non exigitur præsentia; dixi de facto,vel personaliter; quia virtualiter omnes dici possunt præsentes Concilijs generalibus, v. g. Episcopi Occidentales, vbi fiunt in Oriente,vel per eos qui à Summo Pontifice mittuntur, vt cæterorum locum suppleant, vel per ipsos Sedis Apostolicæ Legatos, vel etiam per litteras, vt contigit in Secunda Synodo Generali, in qua Legati Papæ non fuerunt, nec alij Episcopi Occidentales, sed tantùm per litteras Sanctus Damasus cum Occidentalibus Episcopis, quos ad idem concludendum multos Romæ congregauerat, consensum præbuit. Vice autem versa, vbi Concilia celebrantur in Occidente, Episcopi Orientales, per alios inde missos,virtualiter quoque illis adesse, vel assistere dici possunt.

Insuper, quòd sufficiat dicta generalis euocatio, constat ex eodem Ecclesiæ vsu, & qui nemo contemnitur, dum generalis fit indictio, vt de omnibus Christianis prouincijs Episcopi ad Concilium veniant; sique legitimè impediti sunt, mittere possunt procuratores ad actus Conciliares; nec vnquam in Ecclesiasticis historijs legimus accidisse, quòd legitimæ personæ à Concilijs Generalibus fuerint exclusę, quodque aliquæ remanserint quasi non sufficienter vocatæ generali illa vocatione.

Hic autem cum non agatur de Concilio dicto Generali, ex parte causæ efficientis, summi, videlicet, Pontificis illud conuocantis, sed ex parte materiæ,seu personarum illud componentium; certum est ad illud requiri Episcoporum multitudinem,& quò maior ipsa fuerit, magis, quoque solemne, & celebre Concilium futurum. Attamen possunt interdum Concilia Nationalia esse multò maiora generalibus, quoad numerum Episcoporum, licèt minora,quoad auctoritatem. Nam Concilium Generale II. tantùm habuit CL. Episcopos ex varijs Prouincijs, & Nationibus; Concilium verò Charthaginense Nationale ex sola Africa, tempore diui Augustini, habuit Episcopos CCXVII. vt refert Sanctus Prosper in Chronico anni 420. Quia autem hoc se habet per accidens, ideo sufficit, vt sit formalis diuisio Concilij in Generale, & Nationale, quod Generale sit ex omnibus Episcopis Orbis generali indictione aduocatis: Nationale verò ex solius nationis Episcopis.

Tandem aduertendum est, ita ex maiori

iori parte Christianorum Prouinciarum aliquos Episcopos ad Concilia Generalia venisse, vt tamen, quando in Oriente celebrata sunt, semper visum fuerit sufficere, si ex omnibus Prouincijs Orientis Episcopi conuenirent multi: ex toto autem Occidente mitterentur aliqui à Summo Pontifice, qui aliorum supplerent locum, Et è contra, vbi in Occidente celebrata sunt conuenirent ex omnibus Occidentis prouincijs multi; ex Oriente autem pauci, aliqui nomine aliorum; vt constabit legenti historiam Conciliorum.

XI. Conclusio, vt Concilium ex parte materiæ, seu personarum, ex quibus coalescit, sit vel dicatur Generale, non requiritur, nec vnquam necessariò requisitum fuit, vt adessent per se, vel per alios quatuor præcipui Patriarchæ, videlicet Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus. Ista conclusio est certa, loquendo de tempore præsenti, quo isti Patriarchæ sunt schismatici, & hæretici; si autem sermo sit de tempore, quo fuerunt Catholici, vel essent aliquando, licèt negari non possit, quin eorum præsentia multùm conduceret ad perfectionem, & plenitudinem Synodi, non solùm quia absentes sui Patriarchij Episcopos repræsentarent, verùm etiam quia sic appareret totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ graduum diuersitas in vna sententia conspirans; vnde in Octaua Synodo dicitur: [Glorificemus Deum vniuersorum, qui quod deerat vniuersali Concilio, suppleuit, & nunc perfectissimum demonstrauit;] & Anastasius Abbas in Epist. ad Hadrianum scribit: [Generalitati nihil deesse Ecclesiæ, si omnes illæ sedes Patriarchales vnius fuerint voluntatis;] talem nihilominus Patriarcharum præsentiam non esse simpliciter, sed tantùm ex dictis ad melius esse, aut secundùm quid necessariam, probat antiquus Ecclesiæ vsus, quo Synodus Ephesina sine Patriarcha Antiocheno damnauit Nestorium Constantinopolitanum; & Chalcedonensis sine Patriarcha Alexandrino omnia ferè conclusit. Nec aliud probant omnia argumenta, quæ in contrarium adduci possunt.

XII. Conclusio, vt legitima sit venientium ad Concilium congregatio, nec ab ipsis vlla in hoc non veniendi excusatio allegetur, citatio præcedere debet, tempusque competens assignari, vt omnes possint. Ista conclusio est etiam certa iuxta praxim Ecclesiæ; vt enim aliquis conuentus publicus, & ad terminandas publicas causas ordinatus, sit iuridicus, debet citatio eum præcedere, fierique ab habente supremam in Republica auctoritatem, aut super talem conuentum, cùm citatio nihil sit aliud, quàm iuridica vocatio ad iudicis, vel Principis conspectum; sed Concilia Generalia, sunt conuentus Ecclesiastici, in quibus publica Ecclesiæ negotia, vbi oriuntur, terminari solent, si ita Summus Pontifex expedire, necessariosque esse iudicauerit: Ergo vt sint iuridici, eos citatio præcedere debet, fierique à legitimo, & indubitato Pontifice, tamquam à supremo Reipublicæ Christianæ Monarcha, & Iudice; siue quod idem est, citari debent coniudices Episcopi à supremo Iudice Papa, vt præstò sint, & adsint coram se se, vel eius Legatis speciale mandatum, vt Concilio præsideant, habentibus, vt ibi iudicialiter per eorum suffragia causæ fidei, & religionis decidantur.

At quia multis modis fieri potest citatio quamcumque sufficere puto, qua sufficienter innotescret omnibus Generale Concilium esse in tali loco celebrandum; hæc enim notitia sufficiens esse videtur, si contemneretur, ad constituendos illam habentes reos, & contumaces, violatoresque etiam iuramenti quo se adstringunt omnes Episcopi veniendi ad Synodum Generalem.

Quòd insuper tempus præscriptum debeat esse competens, patet, quia pro celebrando Concilio Generali ex omnibus Orbis Christiani partibus conuocantur prælati; quarum multæ cùm sint longinquæ, decens, non videtur vt ad illud tamquam cursores properare teneantur; Si autem tempus non determinaretur, docent communiter Theologi, quemlibet venire debere, cum primùm poterit competenti tempore; de quibus, & alijs similibus difficultatibus consuli potest Cardinalis Iacobatius lib. 2. de Concilio.

XIII. Conclusio, vt nullo præcedente edicto, vel citatione à legitimo superiore, velle se ad Synodum generalem præcingere, seditionis potiùs, aut coniurationis species esset, quàm afflictis Ecclesiæ rebus consulendi desiderium; ita legitimè vocati ad Concilium, si venire recusarent, tamquam periuri, & contumaces, in pœnas à sacris canonibus statutas incurrerent; sicut & varijs obnoxij sunt pœnis, qui accedentes ad illud impediunt, ne congregentur, aut semel congregatos affligere, & vexare præsumunt: de hac conclusione, quæ est certissima, videndi sunt Cardinales Dominicus Iacobatius tract. de Concil. & Ioannes de Turrecremata in Summa de Eccles. lib. 3. hæc interim dicta sufficiant pro explicatione causæ materialis Conciliorum Generalium, nunc ad formalem transeamus: si priùs animaduerterim ex R. P. Christiano Lupo Ord. Eremit. S. Augustini in notis Synodorum Generalium, & Prouincialium, falsò ab aliquibus summos accusari Pontifices, quasi tot ipsi in Regno Neapolitano multiplicauerint Episcopatus, quot sunt Castella, vt adaucto Episcoporum numero, suarum quoque partium vires in Concilijs Generalibus adaugerent. Hoc enim præfatus Doctor ostendit, non à Romanis Pontificibus, sed ab Imperatore Leone præstitum fuisse, qui cùm dictum Regnum ab Ecclesiæ Romanæ, à qua dependebat, iurisdictione subtraxisset, Patriarchæque Constantinopolitano subiecisset, ratus est illud faciliùs in eius obedientia conseruari non posse, ibique hæresim, cui fauebat Iconoclastarum spargi, quàm si statim tot ab eo dependentes Episcopos creari curaret.

CAPVT VII.

De causa formali Conciliorum Generalium, ac primùm de principijs, & regulis secundùm quæ fertur in illis iudicium.

CVm iuxtà superiori capite dicta, personæ ex quibus, tamquam ex materia coalescunt de iure Concilia Generalia, nedum consiliatij, sed veri sint Iudices, adeoùt Concilia veram quoque habeant iudicij formam; ad quam primùm pertinent principia, & regulæ secundùm quæ Iudices ferre debent iudicium; secundò qualitas ipsiusmet iudicij, attenta eius certitudine, vel incertitudine; tertiò denique locus, & ordo inter Iudices; quorum duo priora se habent per modum formæ intrinsecæ, tertium autem per modum formæ veluti extrinsecæ; de primo agemus in præsenti capite, de alijs verò duobus in sequentibus.

Patres igitur in Concilijs procedere ad definiendum oportere, ex aliquibus principijs, ac regulis, clarè constat ex praxi Ecclesiæ, quam primùm eam docuerunt Apostoli in Concilio ab ipsis celebrato Hierosolymis Act. 15. vbi præuiè ad definitionem de non obseruantia legalium dicitur: [Conueneruntque Apostoli, & seniores videre de verbo hoc: cùm autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos;] Cùm enim conquisitio fieri absque aliquibus principijs; & regulis non possit ad indagandam veritatem,definitiuumque de illa iudicium præsuponat conquisitionem, siue fiat ab ipsismet iudicibus, siue ab alijs disceptatoribus, manifestè sequitur Patres in Concilijs, vbi aliqua definienda est fidei, ac religionis controuersia, necessariò debere ex aliquibus principijs, & regulis iudicium ferre.

Sic in Concilio Niceno, vt testatur sanctus Athanasius in epist. de decretis contra hæresim Arianam, Eusebius Cęsariensis legitur admisisse consubstantialitatem filij cum Deo Patre, quam pridie cum Arianis impugnauerat, dicens, inquit Athanasius, [eam esse Ecclesiæ fidem, & Patrum traditionem;] Idemque Athanasius ibidem argumentationem ab auctoritate Patrum desumptam ita concludit: [Ecce nos demonstramus istiusmodi sententiam, à Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse: vos autem, Ariani scilicet,noui Iudæi,& discipuli Cayphæ, quos verborum vestrorum Patres, ac maiores demonstrabitis; cùm ne vnum quidem ex prudentibus, aut doctis in auctorem citare possitis?]

Idem præstitum in Concilio Ephesino, & alijs sequentibus, eorumdem acta fidem faciunt, in quibus ante omnem tractatum legitur fuisse obseruatum, vt proponeretur Scriptura sacra, Symbola tum Apostolorum, tum etiam in Concilijs postea composita, tum anteriorum summorum Pontificum, & Conciliorum ab illis confirmatorum definitiones, sanctorumque Patrum, scripta, & testimonia; quarum, & similium regularum, vti singulari priuilegio Sedes Apostolica semper fuit custos fidelissima, ita vbi Summi Pontifices Legatos suos ad Concilia mittebant, eorum instructiones inter alia pro illis moderandis regulas fidei authenticas continuisse testantur, quæ scribit S. Leo in epist. 14. ad Concilium Ephesinum incipiente [Religiosa Clementissimi, &c.] & in ea, ad quam ibidem Patres Concilij remittit 10. ad Flauianum incipiente [Lectis dilectionis, &c.] Necnon Agatho Papa in literis ad Sextam Synodum actione eius quarta lectis, vbi ait se mittere per Legatos, [exemplaria authentica decretorum in quinque superioribus Concilijs, & ab Apostolicis prædecessoribus; testimonia Patrum, quos ea Apostolica Ecclesia recipit cum eorum libris, mandare professionem fidei, & de quæstione disputanda, Patrum auctoritates.]

Quia autem res in Concilijs definiendæ sunt in duplici differentia; aliæ enim directè, & formaliter ad fidem pertinent, tamquam eius dogmata: aliæ verò indirectè solùm, & virtualiter, tamquam quid cum primis necessariò connexum, vt sunt plures Conclusiones Theologicæ; inde etiam diuersa sunt principia, vel regulæ, quibus proceditur ad singularum definitionem: Dogmata enim fidei alia propriè non habent principia, quàm ipsummet Dei verbum scriptum, aut traditum, quibus adæquatè comprehenditur diuina reuelatio, quæ vt est sola ratio credendi, ita quoque debet esse sola ratio definiendi aliquod obiectum fidei; siquidem Concilium non aliud definit, aut iudicat, quàm propositionem, de qua est controuersia, esse à Deo reuelatam; nec proponitur credenda,nisi cum sub illa verborum forma exprimitur, & dicitur esse à Deo reuelata: ad hoc autem explorandum cęteri loci Theologici inseruiunt,potissimùm autem concors, & vnanimis sanctorum Patrum, necnon fidelium toto Orbe diffusorum assensus in illam propositionem,non solùm vt veram,aut certam, sed vt reuelatam, & creditam. Siquidem non est omninò eadem doctrina Ecclesiæ, & fidei, nonnullas enim propositiones Ecclesia toto Orbe diffusa communi tenet consensu, licèt eas Deus formaliter non reuelauerit. Quamobrem vt Concilium propositionem de fide credendam seu articulum fidei diuinæ esse definiat, non tantùm certum est,& certò iudicat eam communiter ab Ecclesia admitti, sed necesse est, vt certò iudicet, attentis ac sedulò examinatis cęteris fidei regulis, Ecclesiam eam tenere, vt à Christo edoctam, diuinitùsque reuelatam.

Si autem sermo sit de conclusionibus Theologicis, quas alij doctrinam Ecclesiæ vocant, alia non agnoscunt principia, quàm ipsamet fidei dogmata, quæ proinde magis, vel minùs certæ iudicari debent, secundùm quod maiorem, vel minorem cum illis habent connexionem. Quia autem, vt libro huius operis primo fusè diximus,conclusio Theologica duplex esse potest, prior ex vtraque præmissa de fide, posterior ex vna de fide, & altera philosophica, seu rationis lumine euidente; in conclusionibus primi generis certò deducendis, peritia doctrinæ Ecclesiæ potissimùm re-

quiritur, scilicet Historiæ Ecclesiasticæ, Patrum, Conciliorum, & aliorum huiusmodi; ad secundi verò generis conclusiones necessaria est insuper notitia illius Philosophiæ partis, ad quam pertinet talis præmissa. Sed de his, & alijs similibus ad definitiones rerum fidei necessarijs, videnda sunt dicta superiori sectione cap.16.§.5. cùm eadem sit ratio quantum ad hoc & Conciliaris, & Pontificiæ definitionis.

CAPVT VIII.

An certa sint, & infallibilia Conciliorum Generalium iudicia in rebus ad fidem, & mores spectantibus.

PRo huius difficultatis resolutione notandum est primò, Summos quidem Pontifices interdùm per seipsos Generalibus præfuisse Concilijs, sæpè tamen sæpiùs per suos dumtaxàt Legatos, qui etiam ad illa duplici mitti possunt modo, primò cum instructione præuia, de eo, quod est in Concilio definiendum, vt in Concilijs IV. VI. & VII. factum legimus, quod in illis de vnica solùm quæstione tractandum esset, tunc enim Summus Pontifex facilè potest explicare Legatis, quænam sit sua de tali quæstione sententia: aliquando verò absque speciali mittuntur instructione, vbi nimirùm variæ, & multiplices occurrunt quæstiones discutiendæ, cùm tunc non ita facilè, aut in promptu Summo sit Pontifici, suam de omnibus instructionem tradere; vt in Concilio Tridentino potissimùm accidit, in quo innumeræ propè contra hæreticos controuersiæ erant agitandæ, proindèque vbi aliquid in eo erat definiendum, de eo priùs certior Pontifex à Legatis fieri debebat; vt ab eo instruerentur, ne quid necessarium ad rectam definitionem omitterent.

Obseruandum est secundò, definitiones Concilij Generalis multipliciter spectari posse, vel ante, vel post Pontificiam confirmationem; quæ etiam ante dictam confirmationem quatuor diuersis fieri possunt modis. Primò, ita vt Patres aliquid definiant, Sedis Apostolicæ Legatis dissentientibus. Secundò, ita vt Legati ipsi definitionibus consentiant. Tertiò, consentientibus Legatis, sed certam à Pontifice instructionem non habentibus. Quartò, consentientibus tam Legatis, quàm Patribus, neque ab instructione Pontificia, vel minimum declinantibus. Quibus breuiter prænotatis proposita difficultas sequentibus declarabitur conclusionibus.

I. Conclusio, vbi quid in Concilijs definitur, dissentientibus Legatis Sedis Apostolicæ, vel etiam illis consentientibus, sed contra expressam Summi Pontificis instructionem, tale iudicium errandi periculo obnoxium est. In hac conclusione conuenire debent omnes Theologi; nam in primis de facto turpissimè errauit Synodus Ephesina II. quæ repugnantibus Legatis Papæ Leonis definire voluit, vt iam diximus supra, patetque ex epistolis 24. & 25. eiusdem Summi Pontificis. Item Synodus Constantinopolitana tempore Nicolai I. errauit, cùm Legati eius contra receptam instructionem egerint, vt constat etiam ex eiusdem Nicolai epistola ad Patriarchas, & cæteros Episcopos Orientis. Talia enim Concilia non possunt dici legitima, sed potiùs acephala, & schismatica, quæ pugnant cum suo capite; mirum igitur non est, si illa errare, & falsum pro vero definire possint; quod adhuc à fortiori patebit, ex dicendis conclusione tertia.

II. Conclusio, definitiones Conciliorum Generalium in materia fidei, & morum, Pontificia accedente confirmatione, vel etiam vbi fiunt à Patribus, & Legatis instructionem Pontificis adamussim sequentibus, sunt infallibilis veritatis; In hac conclusione tamquam de fide conueniunt omnes Doctores Catholici, præsertim si intelligatur de Concilijs Oecumenicis, calculo Pontificio munitis, & approbatis. Ita enim omnes admittunt Concilium Generale, cum suo capite, in vnum & idem conspirare, & consentire; necnon totam Ecclesiam, tam in capite, quàm in membris perfectissimè repræsentare: sed Ecclesia vniuersalis, vt libro 2. huius operis sect.6. cap.9. probauimus, est columna, & firmamentum veritatis, ad quam supremum, & finale, atque adeò infallibile controuersiarum fidei iudicium pertinet: huiusmodi ergo Concilium perfectissimè Ecclesiam vniuersalem repræsentans, tam secundùm integritatem membrorum, quàm secundùm auctoritatem definiendi, legesque condendi, quæ in Summo Pontifice, tamquam in supremo eius capite fontaliter reperitur, in cæteris autem Prælatis deriuatiuè, vel subordinatè, tamquam in membris ab eo dependentibus, influxumque recipientibus, errandi periculo subesse non potest in definiendis rebus ad fidem, & mores spectantibus.

Confirmatur hoc argumentum, quia si Summus Pontifex, seorsim à Concilio Generali, gaudet priuilegio infallibilitatis, ex dictis sectione superiori, non minùs id ipsi competere debet cum Generali Concilio, siue quod idem est ipsimet Generali Concilio ab eo edocto, & confirmato; verba enim Christi Domini ad Petrum: [Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,] quæque Petro, ratione muneris Pastoralis dicta, ad successores quoque pertinuisse dubitari non potest, generalia cùm sint, eorum est confirmare Episcopos suos fratres, siue in vnum coactos, siue ab inuicem disiunctos.

Quod si quis instet, contra secundam præsertim conclusionis partem, quod instructio Legatis tradi solita, non tam sit sententia definitiua, quàm simplex propositio eius, quod meliùs, ac tutiùs in fide Pontifici occurrerit, cui proinde falsum subesse posse videtur; atque adeo non sufficere ad infallibilitatem definitionis Conciliaris, quod Patres talem sequantur instructionem, donec rursus à Pontifice examinetur, finaliterque confirmetur: Respondetur huius instantiæ resolutionem, conclusionisque nostræ explicationem pendere, ex qualitate, vel conditione dictæ instructionis, si enim Pontifex ita eam mitteret, vt vellet insuper decretum, quantumuis iuxta illam à Patribus formatum, ad se deferri, donec

nec quid sibi videretur, finaliter responderet, estimarem tunc illam instructionem, non tam habere rationem definitiuæ sententiæ Sedis Apostolicæ, quàm simplicis propositionis à Concilio discutiendæ, cui subesse falsum non repugnaret, & ad cuius proinde omnimodam certitudinem vlteriùs requireretur Pontificia confirmatio: At si Legati mitterentur cum tali instructione, vt illi Concilio assentiente, statim iuxta illam formaretur decretum, tunc huiusmodi instructio dici posset habere rationem sententiæ definitiuæ, cui proinde si definitio Conciliaris esset conformis, stante infallibilitate Pontificia, quam nos defendimus, non posset non esse omnino certa, absque vlteriori confirmatione; eiusque omnino euidens argumentum esset vnanimis ille Concilij assensus, Summum siquidem Pontificem à Deo inspiratum loqui, ac docere, tunc maximè intelligitur, quando dictus accedit consensus, vt præclarè dicit beatus Leo in ep. 63. ad Theodoricum Episcopum Cyri: [Quæ, inquit, Dominus nostro priùs ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt verè à se prodire ostenderet, quod prius à prima omnium Sede formatum, totius Christiani orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque capiti membra concordant, &c.] Propptereaque, cùm idem Leo similem ad Concilium Chalcedonense misisset instructionem, quam adamussim, & vnanimiter secuti fuerant Patres, ipsi in epistola, quæ habetur act. 3. dum ab eo petunt confirmationem decretorum, apertè dicunt se illam petere, quoniam præter decretum de fide contra Dioscorum, alia etiam quædam statuerant sine expressa Pontificis sententia; ipseque etiam Leo rem ita pro comperto habens, in epistola 61. ad idem Concilium, qua illud confirmat, significat non fuisse sua opus confirmatione, nisi quia dubitabant aliqui, an re vera cum eius consensu, suamque iuxta instructionem editum fuisset Concilij decretum. Adeo verum est, vbi Concilia generalia definiunt aliquid, sequentia expressam Pontificis instructionem, vel sententiam ea errare non posse, siue infallibilia esse absque vlteriori eius confirmatione.

Nota me dixisse, decreta Conciliorum generalium, quæ à Patribus, & Legatis, instructionem Pontificis adamussim sequentibus fiunt, vlteriori non indigere confirmatione in secundo casu, vel modo quo talis mitteretur instructio, si attendatur præcisè eorum certitudo, ad iuridicam enim illorum propositionem esset omnino necessaria; nisi etiam Pontifex Legatos mittendo facultatem publicandi definitiones Concilij, non expectata sua confirmatione, specialiter, & expressè concessisset. Cuius ratio est, quia vt superiori sectione diximus, status Ecclesiæ est Monarchicus, non autem Aristocraticus: aliundè igitur coactio, seu positiua vniuersalis Ecclesiæ obligatio oriri non potest, quàm à supremo eius moderatore, vt in Regno non aliundè nascitur legum seruandarum obligatio, quam à Rege, & hac etiam de causa cap. 5. huius sectionis probauimus semper Oecumenica Concilia à Summo Pontifice confirmationem expetijsse: sique interdum Patres Concilij, non expectata eius confirmatione, pœnam anathematis in contrarium sentientes decreuisse legantur, vt in Concilio Tridentino omnibus ferè sessionibus fuit obseruatum, multò antequam Pius IV. illud approbaret, id semper fecere sub ratihabitione, & confirmatione futura ipsius Pontificis; à quo tamquam à supremo Ecclesiæ capite, & Monarcha tota eorum iurisdictio pendet; quare licèt tamquam iudices in Concilijs sedeant, & definiant, quia tamen status Ecclesiæ est essentialiter Monarchicus, non excedunt limites iudicum inferiorum, ac subordinatorum, eorumque proindè leges cum pœnis indictis, non aliter, quàm per supremum Ecclesiæ Monarcham, qualis est Summus Pontifex Romanus, proponi, aut promulgari possunt.

Quod insuper obijci solet, incertum penitùs esse, an vllum vmquam legitimum fuerit Concilium? tum quia non coalescit, nisi ex Episcopis fidelibus, de quorum vera fide, veraque ordinatione omnimodam certitudinem habere non possumus: tum quia in antiquis Concilijs conuenisse Episcopos auctoritate Pontificia ex multis prouincijs, quæstionem propositam diligenter examinasse, aut instructionem Pontificiam de illa secutos fuisse, subscripsisse deindè spontè sua, non aliqua vi externa coactos, eorum decreta à Summo Pontifice fuisse confirmata, aliaque similia, quæ requiruntur ad legitima Concilia, præstita fuisse non habetur, nisi ex relatione historicorum; qui diuinis exceptis, certam, & infallibilem fidem non faciunt, atque adeo, vt inde videtur sequi, certò constare non posse de legitimitate alicuius Concilij, inferri quoque debere, omnia prorsus Conciliorum decreta esse dubia, & non infallibilis, vt dicebamus, veritatis.

Hæc, inquam, obiectio, licèt directè cum nostra non pugnet conclusione, qua tantùm asserimus Concilij vniuersalis idem cum Summo Pontifice sentientis indeficiens iudicium in rebus fidei, & morum, supposita semèl illius legitimitate, vndecumque nobis ea constet, exigit tamen, vt breuiter explicemus, qua via certi de illa reddi possimus; omissisque varijs dicendi modis, eodem discurrendum puto, quo superioris Sectionis cap. 10. explicuimus ad fidem pertinere, quod hic numero Pontifex Romanus pro tempore existens, sit verus Summus Pontifex, Christi Vicarius, Petrique successor; quemadmodum enim ex eo quod sub illa propositione vniuersali ad fidem pertinente: [Omnis Romanus Pontifex ritè electus, est verus Summus Pontifex, Christi Vicarius, Petrique successor;] continetur hæc particularis formaliter tamquam pars sub suo toto: [hic numero Pontifex pro tempore existens ritè electus, est verus Summus Pontifex, Christi Vicarius, Petrique successor;] eadem fide credenda est; statim, ac euidentia facti, hoc est Ecclesiæ vniuersalis talem electionem, vt ritè, ac legitimè factam, palàm acceptantis illa nobis innotescit continentia. Ita similiter, quia sub illa propositione vniuersali ad fidem spectante: [Omne Concilium vniuersale, legitimè celebratum, Pontificiaque auctoritate confirmatum, errare non potest in rebus fidei, & morum,] continetur hæc particularis formaliter

tam-

tamquam pars sub suo toto; [hoc Concilium vniuersale, v. gr. Nicænum 1. vel Tridentinum legitimè celebratum, Pontificiaque auctoritate munitum, errare etiam non potest,] eadem fidei certitudine tenenda est, statim, ac de tali legitimitate, atque adeo per illam nobis constat de continentia huius particularis propositionis, sub dicta vniuersali ad fidem pertinente, quod etiam fit ipsa euidentia facti, eiusdem scilicet Ecclesiæ, ea ab initio ad hæc vsque tempora, vt legitimè celebrata agnoscentis, atque adeo vt infallibilia in rebus fidei, & morum, itavt pro hæreticis semper habiti fuerint omnes illi, qui vniuersalibus Concilijs, quæ Ecclesia pro legitimè celebratis, Pontificiaque auctoritate confirmatis semel recepit, obedire detrectarunt.

Per quod patet ad obiectionem, non enim constat nobis tantùm de legitimitate Conciliorum vniuersalium in Ecclesia celebratorum ex relatione historicorum, sed insuper ex vnanimi omnium fidelium consensione, quorum qui tunc viuentes, ac præsentes fuerunt, vt viderunt conuenisse in vnum Episcopos, qui habebantur ab omnibus veri Episcopi, & conuenisse ex varijs Orbis Christiani prouincijs ab eo vocatos, qui habet auctoritatem, Summo nimirum Pontifice, qui etiam eorum decreta confirmauit, & si quid aliud requiratur ad legitima Concilia; nihil enim eorum excedit sensum visus, sicut nec etiam notæ, quibus vt diximus sect. 3. vera dignoscitur Ecclesia, ita illa tamquam legitima receperunt, posterisque consignarunt qui id ipsum tenuerunt, nec est, aut fuit ex Fidelibus aliquis, qui contrarium sentiat, aut senserit; qua populi Christiani consensione nullum euidentius signum esse potest, vt certò nobis constet de dicta Conciliorum legitimitate, indèque credamus ea errare non potuisse, siue decreta eorum infallibilis esse veritatis in rebus fidei, & morum.

Vtrùm autem, vt Concilium aliquod generale Episcoporum legitimum sit, & dicatur, sufficiat, quod Episcopi illi conueniant, qui in Ecclesia ordinariè præsident, & Episcopi veri, atque Catholici ab omnibus palàm habentur, quidquid sit de vera eorum fide interna, veraque ordinatione, diuersa sunt Doctorum placita; aliqui enim videntur asserere, non requiri ad legitimitatem Concilij vniuersalis, vt sciamus Episcopos, qui illud componunt, habere veram fidem, & veram ordinationem, sed satis esse, si non constet contrarium. Nàm etiamsi, inquiunt, omnes Episcopi essent corde Hæretici, & sola externa professione Catholici, nec verè accepissent sacri Ordinis inuisibilem characterem, sed nedum manuum impositionem, adhùc tamen certi essemus, Deum numquam permissurum, vt eiusmodi Concilium in decretis suis formandis erraret: assistit enim Concilio Spiritus sanctus, non tam propter ipsum Concilium, quàm propter Ecclesiam vniuersam toto Orbe diffusam, quæ Diuino præcepto tenetur, Episcoporum sententiam non discutere, sed venerari. Itaque ne deficeret in fide Ecclesia vniuersa, Diuina prouidentia faceret, vt etiam Concilium illud Episcoporum fictorum, verissimam fidem Ecclesiæ sequendam proponeret.

Verùm ista sententia non plenè satisfacit, etsi enim huiusmodi Concilij infallibilitatem saluare videatur, illam tribuendo non solùm vero, ac legitimo in se Concilio vniuersali, sed insuper illi, quod putatiuè dumtaxat est tale, quod etiam verum puto, non tantùm ob rationem ab ea allatam, sed præcipuè ob Summi Pontificis, quam haberet vt suppono, confirmationem, & approbationem, stante eius infallibilitate, quodque ab Ecclesia vniuersali nullus acceptari potest, vt verus, ac legitimus Pontifex, nisi qui talis est, quique consequenter habet omnes conditiones ad hanc dignitatem essentialiter requisitas, vt explicuimus superiori Sectione præsertim cap. 10. itavt illi ficti Episcopi, ex quibus coalesceret Concilium, non tam se haberent in eo vt iudices, quàm disquisitores, vel disputatores, quod etiam dici posset legitimum ex parte causæ efficientis, sufficiente ad hoc conuocatione, directione, & confirmatione Pontificia; non tamen satis esse videtur ad eius legitimitatem ex parte materiæ; ad quam omnino requiri existimo, quod Episcopi vniuersale Concilium componentes, non solùm veri sint fideles, & Episcopi putatiuè, sed etiam realiter, hoc est, quod veram habeant fidem internam, veramque ordinationem; saltem si considerentur collectiuè: stante enim suauitate diuinæ prouidentiæ in sua regenda Ecclesia, necnon veritate promissorum, qua Deus illi specialiter adest, ne erret in rebus fidei, impossibile est, quòd in Concilio vniuersali, quod ab ea pro legitimo ex parte materiæ acceptatur, conueniant personæ, aut omnes, aut pro maiori parte non legitimæ, quales essent Episcopi, qui vera fide, veraque ordinatione carerent; sicut enim ad fidem pertinet hæc propositio vniuersalis: [Ad omne Concilium vniuersale legitimum, quodque vniuersalem repræsentat Ecclesiam, requiritur, quod personæ illud essentialiter constituentes, quales sunt Episcopi, sint legitimæ,] ita quoque ad eamdem fidem pertinet, hæc particularis, [ad hoc numero Concilium vniuersale legitimum, quòdque vniuersalem repræsentat Ecclesiam, requiritur, quod personæ illud essentialiter constituentes, quales sunt Episcopi pro illo tempore existentes, & illi Concilio præsentes, sint legitimæ.] Quare illo semel ab Ecclesia vniuersali pro legitimo recepto; ex consequenti, siue certitudine consequentiæ Theologicæ certi reddimur de vera fide interna, veraque ordinatione Episcoporum, non quidem in particulari, aut diuisiuè, sed collectiuè sumptorum, qui illud Concilium componunt, cum sine talibus conditionibus legitimæ illius partes esse non possint; eo proportionali modo, quo supradicto cap. 10. superioris Sectionis, de Summo Pontifice discurrimus.

III. Conclusio, probabiliùs est decreta Conciliorum generalium, vbi expressam non habent, quàm sequantur Pontificis instructionem, vel directionem, absolutè infallibilia non esse, antè ipsius confirmationem, nisi vnanimi omnium Patrum, & Legatorum consensu illa ederentur, nemine discrepante. Ista conclusio est media inter duas extremas sententias, quarum prima asserit, Concilium gene-

generale seorsim sumptum, Pontifice non congregante, vel non præsidente, per se, vel per Legatos suos, v. gr. tempore schismatis, vel dubij Pontificis, aut ipso etiam, quantumvis certo, & indubitato contradicente, post legitimam semèl ab eo factam dicti Concilij congregationem; supremam, atq; adeò infallibilem iudicandi de rebus fidei habere auctoritatem: Altera verò absque vlla limitatione docet tali ne quidem auctoritate præditum esse Concilium legitimum à Pontifice indictum, & conuocatum, nec vllo modo reuocatum.

Probatur prima pars conclusionis ex huc vsque tam in superiori, quàm in presenti sectione dictis, quibus, vt vidimus; ità Episcopi in Concilijs Oecumenicis sunt Coniudices, pertinetque ad ipsos de dogmatibus sententiam ferre, & hæreses damnare, vt tamen id præstent cum vnione, & subordinatione ad Summum Pontificem, tamquàm membra ad suum caput, causæ secundæ ad causam in hoc ordine primam, iudicesque inferiores, ac subalterni ad supremum Iudicem, in quo habetur collecta tota iurisdictionis Ecclesiasticæ plenitudo, cuique subest omnis alia, quæ per participationem in cæteris Ecclesiæ prælatis dispersa reperitur. Sed huiusmodi coniunctio, vel subordinatio saluari non potest, nisi Patres in Concilijs adunati sequantur adamussim in decretis formandis missam à Pontifice per Legatos instructionem, vel, vbi illa missa non fuit sua tandem confirmatione talibus decretis ipse coronidem imponat; tali igitur seclusa, quam sequerentur Patres, Pontificia instructione, absolutè infallibilia non sunt antè confirmationem decreta Conciliorum generalium.

Maior huius argumenti videtur omninò certa, tùm quia, quod aduersarij respondent, Episcopos quidem diuisiuè sumptos, summo esse inferiores, subordinatosque Pontifici, secùs autem si considerentur collectiuè in Concilijs generalibus, nullius est momenti, quamvis enim libenter admittamus in multis hanc distinctionem, in præsenti tamen casu nihil eam valere infrà ostendemus, componendo Papam cum Concilio vniuersali. Tùm quia firmitas huiusmodi Concilij in decretis fidei, & morum, nascitur ex consensione, & coniunctione illius cum suo capite, vt plures etiam ex aduersarijs concedunt; si igitur eam aliter saluari non posse ostenderimus, quàm modis in minori adductis, fatendum consequenter erit, illis seclusis decreta Conciliorum generalium haud esse absolutè infallibilia; siue ea seorsim à Summo Pontifice edocente, & confirmante non gaudere absolutè priuilegio infallibilitatis in definiendis rebus fidei.

Probatur itaque minor adducendo, & refellendo illa capita, quibus dicti aduersarij sufficienter eam vnionem, ac subordinationem haberi putant; primùm est, quod Concilium, vt supponitur, à Summo Pontifice indictum, & conuocatum fuerit, nec vllo modo reuocatum; quodque secundò illi per Legatos adsit, & præsit; sed hæc non sufficiunt; etsi enim satis esse possint, vt tale Concilium quoad conuocationem, & celebrationem acephalum non dicatur, nequaquam tamen, vt absque vlteriori Summi Pontificis instructione, directione, determinatione, vel approbatione, perfectè cum illo vnitum, perfectè subordinatum, perfectèque Ecclesiam vniuersalem repræsentare censeatur, possitque proindè talis Concilij sententia, antequàm adsit illa Summi Pontificis, esse vltimum, & infallibile Ecclesiæ iudiciū. Patet primùm ex Concilio Ephesino secundo legitimè à sancto Leone congregato, ob missos saltèm ad illud Sedis Apostolicæ Legatos, in quo tamen posteà Patres, illis reclamantibus, Dioscoro consentientes turpissimè aberrauerunt, tùm ex Concilio Constantinopolitano sub Nicolao I. cuius similiter Patres errarunt, definiendo contra ipsam instructionem Summi Pontificis, consentientibus etiam errori ipsius Legatis; quod à fortiori potest accidere quando nulla habetur instructio. Tùm denique, quia Legati Sedis Apostolicæ, tametsi Concilijs Oecumenicis præsint nomine Pontificis, attamen non sunt re vera Pontifices, nec ità illum repræsentant, vt habeant priuilegium non errandi, quod habet Pontifex, aut quod ipsi faciunt, absolutè censeatur fecisse Papa, sed illum tantùm repræsentant, tamquam Vicarij, & Internuncij ipsius, qui ad ipsum referre debeant, cùm oriuntur dubia, eiusque sententiam, ac definitionem expectare, & exequi; Concilia ergo generalia, quantumvis legitimè congregata, præsentesque insuper illis adsint Sedis Apostolicæ Legati, absolutè non gaudent priuilegio infallibilitatis in decretis fidei antè Summi Pontificis confirmationem, nisi priùs expressam eiusdem habuerint instructionem, & iuxtà illam exortas quæstiones definiuerint.

Confirmatur hoc argumentum primò; ideò Summus Pontifex seorsim à Concilijs generalibus priuilegium habet infallibilitatis, quia supremum est Ecclesiæ vniuersalis Caput, supremus Doctor, & Magister, supremus, & vltimus Iudex, cui inexistit potestas Ecclesiastica secundùm totam suam plenitudinem, à qua omnem aliam in Ecclesia, eam verò à nulla dependere, nullique subordinari Christus voluit, sed Episcopi nec per Orbem dispersi, nec simùl in Concilio legitimè collecti, sunt suprema Ecclesiæ vniuersalis capita, supremi Doctores, & Magistri, supremique Iudices, itaut eorum sententia sit vltimum Ecclesiæ iudicium; igitur licèt Summus Pontifex, seorsim à Concilijs generalibus, fruatur priuilegio indefectibilitatis in rebus fidei decernendis, secùs tamen Concilia generalia, siue Episcopi in illis adunati, seorsim à Summo Pontifice illa instruente, & confirmante. Maior huius argumenti sufficienter manet probata ex dictis superiori sectione cap. 19. Minor autem patet ex praxi Ecclesiæ, quæ eiusmodi Concilia semper ad Pontificem missa sunt, ipsametque ab eo confirmari enixè petierunt, non honoris gratia tantùm, vel vt eorum decreta vim obligandi Fideles haberent, sed ea potissimùm de causa, vt infallibilis veritatis robur tali confirmatione obtinuisse finaliter crederentur, indèq; suam vim obligandi traherent; id enim signum est euidens, quòd sententia Conciliorum genera-

ralium, siue Episcoporum legitimè in illis congregatorum non est vltimum iudicium Ecclesiæ; & tamen si errandi periculo obnoxia non esset indepen denter ab approbatione Pontificia, esset vltimum, & irretractabile iudicium, frustràque proindè à Summis Pontificibus auctoritatiua illius peteretur confirmatio, taliter vt illam approbare possit, vel reprobare, vt habetur ex Gelasio in epistola ad Episcopos Dardaniæ, & ex Nicolao in epistola ad Michaelem Imperatorem, superiùs citatis.

Confirmatur secundò; Concilia generalia, etiam legitimè congregata, Pontificiorumque Legatorum præsentia decorata, non sunt absolutè infallibilia, si, deficiente Pontificia, vel instructione, vel approbatione, quid definire possunt, non conformiter ad regulas fidei, sed dictis Concilijs generalibus id accidere potest, non igitur dicenda sunt absolutè, ac simpliciter infallibilia. Maior huius argumenti est certissima; qui enim gaudet absolutè priuilegio infallibilitatis in rebus fidei decernendis non potest non illas decernere conformiter ad eius regulas, præmissisque necessarijs in hunc finem diligentijs: minor ergò probatur ex modo loquendi, nec non stylo ipso, quibus Romanos Pontifices interdùm vsos fuisse legimus in confirmatione, aut damnatione Conciliorum, priùs nimirum diligenter examinando, & inuestigando, nùm ab illis seruatæ fuissent, vel non, leges, ac regulæ veræ definitionis; nùm quas miserant per Legatos instructiones secuta fuissent? tale enim examen manifestè indicat, ea quid definire posse, non conformiter ad regulas, & leges benè definiendi, ac consequenter non gaudere absolutè priuilegio infallibilitatis; aliàs huiusmodi examen fuisset omninò inutile, malèque assererent Summi Pontifices, si quæ approbant, vel damnant Concilia, idcircò ea approbare, vel damnare, quia seruata fuere, vel non, quæcumque requiruntur ad legitimum, & infallibilem definiendi modum in rebus ad fidem spectantibus. Ità apud Theodoretum lib. 2. histor. cap. 22. sanctus Damasus Papa reprobat Concilium Ariminense, quia formula fidei ab eo subscripta composita fuerat, antequàm Patres disceptarent inter se, nec intercessérat sententia Romani Pontificis: [Quæ, inquit, præ cæteris omnibus expectanda erat.] Sanctus Leo in epistola 24. ad Theodosium damnat Synodum Ephesinam secundam ob defectus, quos in ea, & sequente epistola narrat; in epistola autem 59. ad Martianum, quæ incipit, [Multa mihi,] viceversa ait, non fuisse ambigendi rationem quin definitiones Chalcedonensis Synodi Apostolicæ Sedi placuissent, quia illis examinatis inuenerat, [omnium consensum accessisse fidei ei, quæ ad eum emissa erat secundùm formam Apostolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis;] quatenusque, vt suo loco vidimus, in illa pro regula habita erat epistola eiusdem Leonis ad Flauianum.

Leo etiam II. in epistola ad Constantinum Augustum relata in act. 18. sextæ Synodi, hanc eamdem ob causam ait: [Gestorum Synodalium seriem recensentes, curiosaque diligentia singula, quæ gesta sunt flagitantes, eadem, quæ Apostolicæ Sedis Legati narrauerant scriptis consonantibus conuenire repetimus; nimirum, quod vniuersum Concilium alludens sanctæ Sedi Apostolicæ, senserit, atque decreuerit sub Orthodoxæ fidei integritate, regulisque maiorum;] relataque demùm definitione fidei in illo Concilio edita, subiungit probare se, [quòd sexta illa Synodus sequuta est inoffenso pede Apostolicam prædicationem, consensitque in omnibus vniuersalium quinque Conciliorum definitionibus, eorumque regulas amplexa est, nihil super statuta Orthodoxæ fidei augens, aut minuens, quodque per eos Patres sacrorum dogmatum lima, & probabilium Catholicæ Ecclesiæ Patrum doctrina seruata est.] Quibus sanè verbis nihil ad nostrum intentum præclariùs dici posse videtur.

Confirmatur tertiò, & vltimò, quia si Episcopi in Concilijs generalibus ritè congregati, inconsultò vlteriùs Romano Pontifice, siue antè confirmationem eius, aut sine speciali eius instructione, quam sequerentur, absolutè gauderent priuilegio infallibilitatis, vel id ipsis competeret diuisiuè, vel copulatim consideratis; sed neutro dici potest modo, non igitur absolutè, aut simpliciter tali gaudere priuilegio dicendi sunt. Maior est certa, sicut & minor quoad primam partem, nullibi enim tale priuilegium Episcopis diuisiuè sumptis concessum reperitur; probatur itaque minor quoad alteram partem, primò ex hoc, quod per se non habent, vt omnes in ferenda sententia sint semper concordes, indè enim apertè colligi videtur, eos habere non posse rationem vltimæ, atque adeò infallibilis regulæ, sed indigere vlteriori Summi Pontificis regulatione, decernentis quid in illa sententiarum diuersitate tenendum sit, vel non, de fide. Eòque magis, quo in Concilijs Oecumenicis, maior pars non gaudet priuilegio infallibilitatis, immò nec semper, est melior, aut sanior, cui proindè alia minor contrarium sentiens teneatur obedire, sed è contrario; sic enim sanctus Damasus quoddam Concilij Ariminen. decretum, in quo maior Episcoporum numerus consenserat, irritauit apertè docens in epistola ad Episcopos Illyrici, talem in Concilijs numerum præiudicij vim habere non debere. Ità quoque Leo I. Synodum Ephesinam secundam maiori in ea Episcoporum numero præuaricante, annullauit, nec non decretum Concilij Chalcedonensis, quo anteponebatur Episcopus Constantinopolitanus, Alexandrino, & Antiocheno. Qua de causa in epistola 53. ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum ait: [Nulla sibimet de multiplicitate congregationis Synodalia Cōcilia blandiri debere.] Et 55. ad Pulcheriam: [Consensiones verò Episcoporum, sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis propugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus, &c.] subditque posteà, [itaut etiam si multò plures alij, quàm illi statuere decreuerent, in nulla reuerentia sit habendum quidquid fuerit à prædictarum legum constitutione diuersum.] Quæ omnia satis indicant defectum, & auctoritatis, & infallibilitatis antè Pontificiam confirmationem in Episcopis

etiam

etiam copulatim consideratis, quæ erat secunda pars nostræ minoris probanda; quam adhùc secundò clarè demonstrant, quæ in superioribus argumentis diximus.

Non igitur sacra Ecclesiæ Concilia Oecumenica, sunt sicut cœtus, vel comitia Reipublicæ terrenæ, vbi res metiuntur suffragiorum numero; vel, vt dicitur, suffragia numerantur, sed non ponderantur, proindèque maiori vincente parte, plerumq; accidit, quod sanior, & melior peiori succumbat. Verùm Diuina sunt Consistoria, in quibus, vbi ex speciali Spiritus sancti assistentia non omnes in vnam liberè cōueniunt sententiam, sed aliqua inter eos oritur opinionum diuersitas, non eorumdē maiori, vel minori num., sed pondere, & auctoritate Summi Pontificis, cui in Petro dictum est ab ipsa veritate: [Rogaui pro te; vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,] Controuersiæ ex speciali Spiritus sancti assistentia finaliter deciduntur. Quamobrem, quod in omni cætu multitudinis purè humanæ sæpè contingit; vt maior pars vincat meliorem, nequaquam in Concilijs timendum est, vt ineptè obijciunt hæretici: nam etiam si maior pars resistat meliori, vt accidit in Concilio Ariminensi, Ephesino II. & Constantinopolitano sub Nicolao I. numquam tamen vincit: mox enim irritantur eiusmodi Conciliorum acta ab eo, cui vt statim diximus conuenit ex officio confirmare fratres suos, quemadmodum in præfatis Concilijs factum multoties notauimus.

Constans ergo maneat, & firma prima pars conclusionis tertiæ, quod decreta Conciliorum Generalium, vbi expressam non habuere Pontificis instructionem, iuxta quam ea ediderint, non sunt absolutè infallibilia, nisi accedat eiusdem confirmatio, qua semel posita, vt huiusmodi Concilia sunt penitus absoluta, & ab omnibus obsignata, nec non in nomine Christi simpliciter congregata, tam extrinsecè ob legitimam eorum conuocationem, quàm intrinsecè ob vnionem membrorum cum suo Vicario supremo eorum capite in eamdem sententiam, ita certa fide tenendum est, ea errare non posse in materia fidei, & morum, vt in secunda conclusione asseruimus, & hoc modo intelligendum est, quod communiter dicitur, nosque interdum etiam diximus in decursu huius operis, Concilia generalia errandi periculo obnoxia non esse, eorumque decreta certam fidem facere; vel etiam vbi Patres, & Legati ita concordes essent, & vnanimes, vt nullus prorsus definitioni refragaretur, quæ est secunda pars conclusionis nostræ probanda.

Etsi igitur, ob rationes allatas probabilius existimem Concilia Generalia ante Pontificiam confirmationem non esse modo explicato absolutè infallibilia, nihilominus illa talia esse puto in casu, & circumstantia vnanimis consensus tum Patrum, tum Sedis Apostolicæ Legatorum in aliquid tamquam de fide credendum; huiusmodi enim consensus, supposito quod Concilium sit legitimum vtpotè à Pontifice indictum, & conuocatum nec vllo modo reuocatum, item quod ritè, seruatisque omnibus regulis, ad rectè definiendum necessarijs procedat; scilicet cum matura, & diligenti rei, de qua est quæstio, discussione, inuocato diuino numine, sepositis humanis affectibus, & sola sibi proposita veritate, huiusmodi, inquam, consensus vt non potest Spiritus sancti opus non esse, ita quoque non potest infallibilitas illi non inesse. Certè si, vt dicemus sectione sequenti consensus Patrum vnanimis in doctrina fidei tamquam infallibile, & inuictissimum aduersùs hæreticos argumentum, assumi solet, multò magis id competere debet in Concilio vnanimi omnium Ecclesiæ Prælatorum consensui in definitionem, seu decretum fidei attenta suauitate diuinæ prouidentiæ; qua Deus Ecclesiam gubernat, cum qua apertè pugnare videretur, si vniuersis Patribus legitimè congregatis, & quod in se est, pro quæstione fidei definienda præstantibus deesset, ijsque in fide errorem permitteret. Tandem ex dictis supra sectione 3. cap. 10. conclusione 4. omnes Ecclesiæ Pastores, & Doctores simul sumpti non possunt personaliter errare in fide sentiendo aliquid esse de ea, quod non est, vel non esse quod est, ergo nec vbi legitimè sunt in Concilio Generali congregati, vt ibidem ponderauimus.

Ex quo facilè soluitur quæstio, quæ aliquos valdè torquet, cui nimirum sententiæ, iudicioue definitiuo adhærendum esset, vbi inter Summum Pontificem ex vna parte, & Concilij Patres ex alia, nullo prorsus discrepante oriretur discordia in definitione controuersiarum fidei, quidquid sit de alijs; siquidem hic casus est impossibilis supposita infallibilitate Pontificia, nec non Conciliari, in casu vnanimis consensus omnium Patrum. Quemadmodum enim in omnium Catholicorum sententia, supposita semel ab illis infallibilitate Ecclesiæ entitatiuè consideratæ in credendo, nec non eadem in definiendo, si consideretur repræsentatiuè in Concilio vniuersali Pontificia auctoritate vndequaque munito, impossibilis est aliqua sententiarum diuersitas, quod Ecclesia nimirum per totum orbem diffusa aliud credat, & Concilium aliud decernat, teneturque proinde Concilium vnanimem, quem semel explorauit, Ecclesiæ sensum, in rebus fidei, & ipsa vicissim Concilij definitionibus obedire, ita quoque in nostra casu non possunt non sibi inuicem perfectè consentire Pontifex, & Concilium vniuersale, non tamen quasi tunc Pontifex dici debeat inferior Concilio, eique tamquam superiori obediens, vt semper esse debet Concilium respectu Summi Pontificis tamquam supremi Ecclesiæ capitis, sed tantùm veritati per Spiritum sanctum certissimè in dicto casu vnanimis consensus omnium Concilij Patrum reuelatæ, sicut etiam quando extra illud sequitur in definiendo vnanimem Sanctorum Patrum consensum circa aliquod fidei dogma.

Cæterum vbi in Concilio concors non esset omnium Patrum sententia, sed maioris tantùm partis, cùm eam non repugnet errare quæ interdum minorem vno dumtaxat voto superare potest, à quo fidei nostræ veritatem dependere difficile est concipere, finalis, vt supra diximus Summi Pontificis sententia expectanda est, vt inde cui parti tamquam

veræ adhærendum est certò credatur. Propterea que, quod Concilium ex vi Concilij non semper habet,immò fortè rarius ex communi, & concordi omnium sententia definire, idèò per se loquendo; nec est infallibile, nec consequenter vltima fidei regula; sed vt passim docet Diuus Thomas, præsertim 22. quæst.1. art. 10. ad eius necnon Ecclesiæ vnitatem, necesse fuit dari vnum supremum caput, cui omnes prorsus subessent fideles, quale Summum Pontificem Romanum esse satis,superque demonstrauimus sectione superiori, ad quod pertineret finalis, & infallibilis rerum per fidem credendarum determinatio.

Eòque meliùs, & magis consentaneè ad suauitatem diuinæ prouidentiæ id effici per vnum supremum caput videretur, in quo reperitur plenitudo potestatis, quò maius esset miraculū omnes habentes non inferiorem; sed æqualem inter se iudicandi auctoritatem semper simul conuenire, & numquam discrepare. Vnde etiam patet resolutio alterius difficultatis ad aliquibus excitatæ, cui nimirum magis standum sit in rebus ad fidem spectantibus, quidquid sit de alijs, an maioris partis Concilij sententiæ, an verò Summi Pontificis. Dico enim, Pontificiam tunc definitionem esse absolutè præferendam, cùm illa maior pars nequaquam gaudeat priuilegio infallibilitatis seorsim à Summo Pontifice decidente, quam ipse habet seorsim ab ea; quamque illi concessam fuisse à Christo Domino non incongruè veluti à posteriori, aut à signo colligimus, ex hoc, quod stante illa, quæ in Concilijs Generalibus potest esse sententiarum diuersitas, nullus vmquam aliter esset controuersiarum finis, siquidem in pari votorum numero res indecisa manere deberet, cùm suffragium Pontificium ex aduersarijs haberetur vt vnum ex cæteris, grauiorisque non esset ponderis:si verò maiori parti, vno etiam solo voto adhærendum esset; illa vt diximus, non gaudente priuilegio infallibilitatis, eam recusandi fere locus esset, aut tergiuersandi, minori parte melioribus se motam rationibus hinc contendente, illinc verò maiori, palmam ex numero reportasse; cui perplexitati ne subiaceret Ecclesia, & ad similes redacti angustias dubitarent fideles, cui adhærendum esset; necessariò fatendum est Christum voluisse, quod ad Summum Pontificem Romanum suum in terris Vicarium, vltima, & infallibilis, proindeque omnibus alijs præferenda spectaret in componendis fidei dissidijs determinatio, ac sententia, eòque magis quò vnum, & idem tribunal Christi est, & eius Vicarij, qui illius vicem tenet cap. quanto de translat. prælat. nec consequenter prouidi Patris familias partes implesse videretur, ni talem reliquisset Vicarium, qui occurentibus huiuscemodi in Ecclesia controuersijs ea præstaret, quæ Christus posset, iuxta factam ab eo promissionem, qua vt toties diximus, non Patribus Concilij, sed Petro, eiusque successoribus Lucæ 22. dictum est. [Confirma fratres tuos.]

Si quis obijciat illud commune dictum ex Diuo Hieronymo desumptum in epistola ad Euagrium: [Si auctoritas quæritur, orbis maior est vrbe.] Quo etiam abuti solent hæretici ad negandum Ecclesiæ Romanæ primatum: Respondetur primò, tale dictum nostræ nihil obstare resolutioni, si aduersarij velint ibi sermonem haberi de rebus fidei, perque orbem, sine dubio Christianum, intelligi, vt debet in rigore, Ecclesiam vniuersalem toto orbe diffusam, cuius auctoritas, eo ipso, quod gaudet priuilegio infallibilitatis in credendo potest dici maior auctoritate vrbis, vel Summi Pontificis; quatenus, vt dixi supra, non potest non illam sequi in suis definitionibus, non quasi illi subiectus, sed veritati à Deo per illam ita vnanimiter credentem reuelatæ, quo sensu idem Hieronymus dictis præmisit verbis. [Omnes Ecclesias vnam seruare regulam veritatis, nec alteram Romanæ vrbis Ecclesiam, alteram totius orbis æstimandam esse.

Respondetur secundò, si sermo sit, vt videtur ibi sonare textus Diui Hieronymi, non de traditionibus vniuersalibus ad fidem spectantibus, sed particularibus, & adiaphoris, in quibus, vt diuersitas fidei vnitati nequaquam obstat, ita singulæ orbis Ecclesiæ suas habere possunt proprias; in hoc etiam sensu,maior dici potest auctoritas orbis,quàm vrbis, quia Summus Pontifex Romanus illas abrogare, Romanasque etiam particulares pro illis substituere non solet, contra cæterarum orbis Ecclesiarum volumtatem, approbatamque consuetudinem.

Tertiò, si vt ineptè fit ab aliquibus, præfata Diui Hieronymi sententia detorqueatur etiam ad maiorem in Concilio Episcoporum partem, respondetur eorum quidem auctoritatem interdum dici posse Pontificia maiorē, illique præferri,in definiendis rebus ab humana dumtaxat industria, & labore pendentibus, secus autem in rebus ad fidem pertinentibus, quarum vltima, & infallibilis, adeoque omnibus præponenda definitio, vt pendet ex speciali assistentia Spiritus sancti, ita quoque absolutè ad illum spectare debet, cui talem promisit Christus assistentiam, Summo videlicet Pontifici, non autem maiori Concilij parti, renitente præsertim altera minori vt dictum est supra.

Quartò alijs æquiualentibus ferè verbis responderi potest, non probari efficaciter, quod maioris in Concilio partis sententia, altera præsertim repugnante, debeat Summo præualere Pontifici, quia melior sit sententia quæ à pluribus procedit, siquidem id verificari ad Summum potest, quando cætera sunt paria, inter paucos, & multos congregationis, non inter multos, & vnum electum super illos, cuique demandatum est cæteros instruere, & docere, excellenti quadam prærogatiua infallibilitatis illi concessa, qualis est Summus Pontifex. Accedit quod etiam in comparatione multorum, & paucorum, non semper maior pars ita minori præualet numero, vt propterea illi magis, quàm isti semper deferendum sit, populus enim vincit numero paucos sapientes, quorum tamen iudicium, quamuis paucorum, pluris est faciendum, ideoque Aristoteles in Politicis docuit respectu status Democratici, melius esse regi per plures sapientes, quàm multitudine vulgi.

Cùm

Cùm nulla fieri possit obiectio aduersùs hanc tertiam conclusionem, quæ ex huc vsque dictis ad eius probationem, & explicationem facilè, sufficienterque solui non possit; vnam dumtaxat afferam, vt eius occasione insuper explicem breuiter qua forma sint edenda Conciliaria decreta. Aliqui igitur intendunt probare, quod Concilia Generalia legitimè congregata sint absolutè infallibilia ante Pontificiam approbationem, vel confirmationem, quia inquiunt, videmus in illis, ante dictam confirmationem decreta promulgari, nec non sub nomine ipsius Concilij non autem Pontificis, ex illo Act.15. [Visum est Spiritui sancto, & nobis;] Patresque ipsos Conciliares eadem subscriptionis forma, ac Papam, vel eius Legatos vti.

Respondetur ad hoc argumentum quoad primam partem ita in Concilijs eorum decreta edi, vel promulgari ante Pontificiam confirmationem, vt tamen semper id fiat sub eius ratihabitione, vel intelligatur illa tantùm vim habitura, si fuerint à Pontifice confirmata, sicut quando iudex, à quo appellari potest, fert sententiam mortis in aliquem, intelligitur, illum debere mori, nisi Princeps sententiam reuocet. Ad secundam partem respondetur, & tertiam, quod decreta à Patribus in Concilio edantur, vel promulgentur nomine Concilij, eaque ab ipsis pari interdum forma cum Pontifice subscribantur, inde quidem argui debere, eos non tantùm consiliarios, sed & iudices esse, qui cum illo definiunt, subordinatè tamen ad illum, qui est primus iudex, in cuius virtute agunt; sed hoc non impedire, quominùs antequam nomine Concilij decreta publicentur, ab ipso Summo Pontifice, si præsens per se Concilio non fuerit, debeant finaliter confirmari; vt etiam in Regnis, & Monarchijs politicis contingit, vbi etsi decreta nomine comitiorum publicentur, à Rege tamen priùs approbantur, & confirmantur.

Aduertendum est tamen non eamdem semper fuisse Episcoporum, ac Papæ, vel Legatorum eius subscribendi in Concilijs Generalibus formam, sicut nec idem efformandi decreta modus. Quantùm enim ad primum, in Concilio Chalcedonensi sic Legatus Papæ subscripsit; [Paschasinus Episcopus ciuitatis Lilybetanæ, vice D. mei Beatissimi, atque Apostolici, & vniuersalis Ecclesiæ PP. Vrbis Romæ Leonis, Synodo præsidens statui, consensi, & subscripsi.] Cæteri autem Episcopi hac simplici vtuntur subscriptione: Ego N. subscripsi. In Concilio Florentino legitur, Eugenius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, ita definiens subscripsi; cùm alij Prælati hoc tantùm verbum apposuerint, Ego N. subscripsi.

Circa secundum, cum interdum Summi Pontifices præfuerint Concilijs per seipsos, interdum per Legatos; ideo in casu propriæ præsentiæ, nomine ipsius decreta fuisse edita siue definitionem rerum illi tributam, testantur acta eiusmodi Conciliorum in quibus de illo expresè habetur, Sacro approbante concilio definimus, in casu verò præsidentiæ per Legatos, nomine Concilij factam fuisse propterea que dicitur, placuit Synodo, vel decreuit Synodus.] Quod autem aliqui dicunt hac forma iuxta præfatam distinctionem vtendum esse, quamuis parum referat ad nostrum intentum, quænam adhibeatur, existimo tamen illam haud esse necessariam, si quidem in Concilio Hierosolymitano actor. 15. licèt illi Sanctus Petrus per se præfuerit, nihilominùs non ipsi soli, sed toti insuper cum ipso Concilio tribuitur definitio, ac epistola decretalis legalium non obseruandorum.

Tandem vt in his omnibus diuersæ formæ, diuersique loquendi modi fuere, ita quoque circa inscriptionem eorumdem Conciliorum Generalium, cum enim antè ad generalitatem, vel auctoritatem eorum significanda nullus fuisset vsus illius clausulæ, quod vniuersalem Ecclesiam repræsentarent, nam secunda Synodus vniuersalis ita se inscripsit [Sancta Synodus orthodoxorum Episcoporum in maxima ciuitate Constantinopoli.] Chalcedonensis verò in hunc modum. [Sancta, & magna Synodus congregata in Chalcedonensi ciuitate.] & sic de alijs præfatam primùm clausulam vsurpauit Concilium Constantiense, seque, post Ioannis XXIII. cessione, forsan ne ob eius absentiam, ac plurium Catholicorum, & Episcoporum dissolutum putaretur, ita inscripsit, [Sacrosancta Synodus Constantiensis, in Spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, vniuersalem Ecclesiam repræsentans.] De cuius inscriptionis forma cum in Concilio Tridentino orta esset difficultas, num etiam in eo vsurpari deberet, vt refert Salmeron in Acta Apostol. tract.78. & aliqui affirmatiuam, alij verò negatiuam partem tenerent meliùs visum est eam non esse obseruandam, seque proinde conformiter ad veterem consuetudinem ita inscripsit in decretis; [Sacrosancta Tridentina Synodus, in spiritu sancto legitimè congregata, in ea præsidentibus eiusdem Apostolicæ Sedis Legatis &c.]

IV. Conclusio, etsi particularia Concilia secundùm se priuilegio infallibilitatis non gaudeant, vbi tamen eorum decreta Pontificia semel auctoritate cõfirmantur, pro certis, & infallibilibus omnino sunt habenda. Istam conclusionem non ita quidem certam esse, ac secundam de Concilijs generalibus, hoc est diuina fide credendam, docent aliqui Theologi, inter quos est Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 5. Verùm in hoc ego distinctione vtendum esse puto, si enim sermo sit de decretis ad particularium Ecclesiarum regimen spectantibus pro quibus vt efficaciùs obseruentur, Pontificia confirmatio peti solet à particularibus Concilijs, tunc existimo non ita esse certa huiusmodi decreta, ac illa, quę fiunt pro vniuersali Ecclesia in Concilio Generali, etiam admissa seorsim ab illo Summi Pontificis infallibilitate, vt sufficienter ostendimus sectione superiori cap. 16. conclus. 17. nec non cap. 19. conclus. 3. vnde non est quod hic vlteriùs tali immoremur probationi. At si Conciliorum particularium decreta continerent materiam ad vniuersalem Ecclesiam spectantem v. gr. aliquarum hæresum condemnationem stante, quod non habet Summus Pontifex, errandi periculum in rebus ad fidem, & consequenter ad vniuersalem Eccle-

siam spectantibus, tunc æquè certa; ac, infallibilia credenda essent talia, decreta à Concilijs particularibus edita Pontificis accedente confirmatione, & approbatione, ac illa; quæ à Concilijs ipsis generalibus sub eadem fierent auctoritate, quod etiam locis superiùs citatis ad copiam probauimus. Vbi vidimus sæpè hæreticos nequaquam per Generalia, sed prouincialia Concilia fuisse damnatos. vt Heluidium in Concilio Thelensi confirmato à Syricio Papa, Priscillianum in Concilio Toletano Primo confirmato à Leone, Pelagium, & eius sequaces in Concilijs Mileuitano, & Carthaginensi; confirmatis ab Innocentio, & Celestino Pontificibus; & sic de cæteris. Hinc Diuus Thomas rectè docet in quæstionibus de potentia quæst. 10. art. 4. non arctari Papam ad cogendum Concilium in his rebus, quæ ad fidem pertinent, quas ipse potest per se terminare, vt loco superiùs citato cap. 19. explicuimus.

V. Conclusio Definitiones veterum conciliorum, quæ neque sunt approbatæ, neque etiam reprobatæ à Summis Pontificibus magnæ semper in Ecclesia auctoritatis fuerunt, ista conclusio est communis inter doctores Catholicos: colligiturque manifestè ex dictis à nobis lib. 2. sect. 5. cap. 6. nec non ex dicendis sectione subsequenti cap. 2. de auctoritate Sanctorum Patrum: si enim illa tanti semper in Ecclesia, vt ibi vidimus, habita est: multò magis, vbi Ecclesiæ prælati, vnà cum eximijs Doctoribus in Concilio, præuia consultatione & discussione, implorataque Spiritus sancti assistentia quæstionem aliquam definiunt, fides ipsis adhiberi debet; ideoque in Sexta Synodo act. 3. & Octaua Synodo actione vltima can. 1. dicunt Patres se venerari, & recipere etiam Localium conciliorum decreta, nec immeritò, nam si vniuersaliter loquendo sapientiæ 6. v. 26. dicitur, [Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum,] id à fortiori asserendum est de sacris Ecclesiç Concilijs, propter multitudinem Prælatorum, & Doctorum, qui illis interesse solent. Hactenus de causa formali Conciliorum intrinseca, siue de certitudine definitiui eorum iudicij in rebus ad fidem, & mores spectantibus vnde sit.

CAPVT IX.

De his quæ pertinent ad causam formalem, veluti extrinsecam Conciliorum Generalium.

PRimum quod occurrit considerandum circa formam veluti extrinsecam Concilium Generalium, est locus, vbi illa celebrari debent, quem Basilicam cæteris paribus esse oportere communiter sentiunt Doctores, quæ si tamen incommoda existeret; posset alius etiam locus eligi decenter aulæis ornatus, vnà cum subsellijs, iuxta sedentium qualitatem, suis quoque tapetibus coopertis, in quorum medio strata collocanda est mensa, super quam liber Euangeliorum apertus teneatur, fuitque ita obseruatum in Concilio Nicæno II. Act. 1. Ibi etiam considere debent Prælati in suis vestibus Pontificalibus, hoc est, induti Rocheto, Pluuiali, cum Mitra candida, & simplicí, in signum iudiciariæ potestatis, quam supra ostendimus illis conuenire.

Secundum, est ordo sedendi Patrum Conciliarium: circa quem habemus textum Gregorij 17. dist. cap. Concil. §. Episcopos: cuius hæc sunt verba; [Episcopos secundùm ordinationis suæ tempus, siue ad considerandum in Concilio siue ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua attendere loca decreuimus, & suorum sibi ordinum prærogatiuam vindicare:] secundùm quæ patet, ordinem sedendi, & dicendi sententias, debere esse iuxta tempus ordinationis inter eos qui eiusdem gradus existunt: quia hic ordo magis est sine inuidia. Quando verò inæqualis sunt gradus, qui altiorem obtinet gradum licèt recentiori sit tempore, præcedere debet antiquum inferioris ordinis. Itaque inter Primates, & inter Archiepiscopos priùs ordinatus præcedit, inter Episcopos similiter, sed inter Patriarchas, qui istos præcedunt, seruatur ordo dist. 23. cap. renouantes, & cap. antiqua de priuil. Omnes istos præcedunt Cardinales, etiam non Legati, istos & cæteros Legati Pontificij, siue sint Cardinales, siue non. Quando verò præsens est Summus Pontifex, primum ac supremum tenet locum, distinct. 12. cap. non decet, secundum verò post ipsum Episcopus Hostiensis cap. antiqua de priuil. vltimo post omnes Prælatos dictos sedent loco, Abbates, & Ordinum Generales. Sicque omnibus considentibus legitur Euangelium, fit oratio, vel sermo ad Concilium à pręsidente, vel etiam ab eo deputato.

Tertium, est quod absoluta missa solemni, Diacono stante à dextris Summi Pontificis, si sit præsens, vel præsidentis loco eius in Concilio, si sit absens & clamante. Orate omnes depositis mitris genuflexi, paululum orant, moxque solus Papa, vel præsidens illam recitat orationem ex Concilio Salagustudiensi desumptam; Adsumus, & nos Domine in nomine tuo specialiter congregati, &c. post quam solet legi modus se gerendi in Concilio: qui habetur 5. q. 4. ex Concilio Toletano, incipitque, [In loco benedictionis Domini considentes &c.]

Quartum quod, his veluti pręambulis absolutis, indicitur futura sessio habenda per Concilium; & rogantur Prælati, an placeat, &c. qua postea habita, vel celebrata rediguntur in acta definitiones, vel decreta à Prothonotarijs priùs tamen illis perlectis, & à Concilio probatis.

Quintum, quod absente Summo Pontifice, pertineat ad eius Legatos in Concilio proponere res ibi tractandas, ac definiendas Quod quia in triplici sensu potest intelligi. Primò, ad eos honoris gratia tale proponendi munus deferendum esse, Secundò, quia ius habent dirigendi Concilium, cùm vices Summi gerant Pontificis, Tertiò quia iurisdictione; & potestate funguntur cogendi illud; vt nihil eorum iniussu proponatur, & tractetur in Concilio; non tamen vt de propositis liberè non aperiant Patres quod sentiunt, om-

omnibus his modis Alphonsus Salmeron in Acta Apostolorum tract. 78. doctè ostendit competere Legatis, vt proponant, tertiumque sensum coincidere cum secundo, quia ius dirigendi Concilium, & ea, quæ in illo pertractari debent, necessariò coniunctam habent iurisdictionem: vel potestatem cogendi ad hoc, vt nihil eorum iniussu proponatur, quod legitimum sit. Quibus sic se habentibus, cùm disputatum fuisset in Concilio Tridentino, an illa verba, quæ habentur in sessione eius decima septima, quæ est prima sub Pio IV. Proponentibus Legatis, ac præsidentibus; essent expungenda, an verò retinenda, præfatus auctor, qui eidem interfuit Concilio; iterum asserit, & probat, ea in decreto rectè posita fuisse.

Sextum, quod in sententijs dicendis, non solùm Patres sint liberi, quod pertinet ad iudicij substantiam, formamque intrinsecam, sed insuper modestiam seruent, abstinendo à tumultu, risu, contumelijs, & contentionibus, iuxta præscriptum Concilij Totani XI. cap. 1. vbi habetur; [In sententijs verò dicendis in loco benedictionis considentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat, aut immodestis vocibus perstrepere, aut tumultibus perturbare; nullis etiam falsis, vanisque, aut obstinatis disputationibus contendere, sed quicquid dicitur sic mitissima verborum prolatione temperetur, vt nec audientes offendantur, nec recti iudicij acies perturbato animo inflectatur.] Quod Tridentinum sess. secunda, seruandum quoque iussit.

Septimum, quod forma, & conditiones celebrandorum Conciliorum, à Lutheranis qui se protestantes vocant, exactæ, sint iniquæ, de quibus videri possunt Gaspar Vvilalpandæus, Bellarminus lib. 1. de Concil. c. 21. Albertus Pighius de Ecclesiast. Hierarahia, Ioannes Malderus ad 2. 2. D. Thomæ tract. de Concilijs, nec non Dominicus Grauina Catholic. præscript. tom. 4. par. 2. disput. 3. art. vI.

CAPVT X.

De causa finali, siue de necessitate celebrandorum Conciliorum.

POstremo agimus loco de causa finali conciliorum Generalium, quia licèt ordine intentionis sit omnium prima, in ordine tamen executionis est vltima, vbi per causam Conciliorum finalem, non intelligimus eam, quam ipsa respectu alicuius exercere possent sed eam tantùm, respectu cuius consequendæ dici possunt media necessaria, vel vtilia.

Pro cuius resolutione notandum est primo ex praxi Ecclesiæ varios ob fines celebrari solita esse Concilia tum Generalia, tum particularia. Primus est. vt ob exortam aliquam hæresim nouam, nunquam antea condemnatam, componantur dissidia religionis fideique veritas explicetur, propter quem prima septem Concilia Generalia potissimum conuocata fuere.

Secundus est ad extinguenda schismata inter Romanos Pontifices, quando scilicèt plures de Pontificatu contendunt; sic enim in schismatibus Nouati cum Cornelio, Vrsini cum Damaso, Laurentij cum Symmacho, Anacleti cum Innocentio II. Cadaloi cum Alexandro II. tot celebrata fuere Concilia; nec non Pisanum, atque Constantiense, ob schisma omnium longissimum inter Benedictum XIII. Gregorium XII. & Ioannem Vigesimumtertium.

Tertius, est emendatio abusuum, qui in Ecclesiam, vt plurimùm solent irrepere, hinc videmus omnia fere Concilia, vnà cum decretis fidei, simul etiam canones edidisse ad morum reformationem pertinentes.

Quartus, est voluntaria ipsorummet Summorum Pontificum à delictis interdum ipsis impositis purgatio, qua ratione plura Concilia Romana in causis Damasi, Sixti III. Symmachi, Leonis III. & IV. celebrata fuisse legimus; etsi enim Summus Pontifex non possit committere, neque vlli hominum supra se iudicium coactiuum, multòque minùs Concilia illud vsurpare debeant, præterquam in casu priuatæ hæreseos, vt explicuimus sectione superiori. nihilominùs in alijs causis possunt se subijcere iudicio eorum discretiuo; & hoc pacto præfati Summi Pontifices ea, de quibus accusabantur ab illis discuti voluerunt, vt suo loco notauimus, quodque etiam nullus eorum à dictis Concilijs damnatus fuerit. Vnde in Concilio quarto sub Symmacho, omnes Episcopi cum subscribunt, affirmant, se totum iudicium Deo relinquere.

Quintus, est resistentia communi hosti Ecclesiæ tum externo, tum interno; quomodo coacta sunt Concilia à Summis Pontificibus Vrbano II. Callixto II. Eugenio III. & alijs pro bello contra Saracenos: ad deponendos verò aliquos Imperatores hæreticos, vel hæreseos suspectos alia celebrata sunt à Gregorio III. contra Leonem III. Iconomachum; à Gregorio VII. contra Henricum IV. ab Innocentio IV. contra Federicum II. Quia autem, qui præter istos ab alijs adducuntur, vel adduci possent fines, facilè reducuntur ad quinque superiores, sufficiat illos breuiter insinuasse.

Secundò notandum est necessarium esse duplex, vnum secundùm quid, alterum simpliciter. Primum est illud, sine quo finis quidem intentus haberi potest, sed non ita facilè, aut commodè, sicut cibus melior, vel delicatior dicitur necessarius ad conseruationem vitæ, vnde coincidit cum vtili, eiusque limites propriè non trascendit. Necessarium simpliciter est illud, sine quo finis comparari non potest; quod iterum est duplex, vnum absolutè tale, quia in nullo prorsus casu consecutio finis haberi sine illo potest, sicut in adultis respectu salutis æternæ dicitur necessaria diuinorum mandatorum obseruantia; aliud verò conditionatum, siue ex suppositione, quia licèt absolutè finis sine illo possit acquiri, nequaquam tamen facta aliqua suppositione; quo pacto respectu eiusdem salutis æternæ necessaria dici potest Conciliorum Euangelicorum obseruantia, supposito in aliquibus illorum voto; his prænotatis sit.

Con-

I. Conclusio, vtilissimæ sunt, seu secundùm quid necessariæ Conciliorum præsertim Generalium conuocationes; ista conclusio est communis, immò certissima inter Doctores Catholicos contra Lutherum, & aliquos eius sequaces omnem talium Conciliorum necessitatem negantes, dum ait in art.29. damnato cum reliquis à Leone X. illis non esse fidendum.

Probatur primò auctoritate Sacræ Scripturæ, siue ipso Apostolorum facto Act.15. Etsi enim D. Petrus, immò etiam cæteri Apostoli, propter plenitudinem charismatum (inter quæ fidei infallibilitas recensetur) quàm die Pentecostes diuinitùs omnes acceperant, controuersiam de cessatione legalium potuissent seorsim definire, maluerunt tamen id conuocato Concilio præstare, vt Ecclesiam docerent, quàm sit aptum in ea medium, quamque vtile ad componenda omnia religionis dissidia, & negotia.

Ad horum propterea exemplum, tot deinceps tum particularia tum Generalia congregata fuere Concilia, ob omnes superiùs allatos fines, non sine felicissimo exitu. Quo etiam attento plures Sancti Patres conuocationes Conciliorum, tanquam maximè vtiles, & ex quibus plura in Ecclesiam redundant commoda, mirum in modum commendarunt. Sic D. Augustinus in epistola ad Ianuarium ait saluberrimam esse in ea Conciliorum auctoritatem; Cælestinus epistola ad Synodum Ephesinam, cui ipse per Cyrillum Alexandrinum præfuit. [Spiritus, inquit, Sancti testatur præsentiam congregatio Sacerdotum;] Leo I. in suis passim epistolis idem asserit, sed præcipuè 43. ad Martianum Augustum, vbi laudat eum, quod Synodum Generalem à se petitam, etiam ipse necessariam iudicauerit. Gregorius I. epist.24. lib.1. [Propterea quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, sicut Sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor, Nicænum scilicèt, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonense.

Nec ad hanc Conciliorum vtilitatem persuadendam plures insuper desunt rationes, prima, quod vnitas fidei per totam Ecclesiam meliùs per illa conseruetur, cum soleant omnes Episcopi Conciliorum definitionibus subscribere, easque suis vbique subditis se declaraturos promittere. Secunda, quod magis confunduntur hæretici, nouorumque errorum inuentores, dum non vnius, aut alterius Prælati testimonium, sed omnium omnino iudicium illis opponitur. Tertia, quia licèt in sententia, quam nos defendimus, Summus Pontifex gaudeat priuilegio infallibilitatis seorsim à Concilijs modò superiori sectione explicato cap.16. versùs finem, hoc tamen apud omnes Catholicos non est æquè certum, ac ipsum, vna cùm Concilio generali, tali priuilegio gaudere, quod certa fide credunt; quare ad auferendam omnem perplexitatem, quæ præsertim circa definitiones fidei suboriri fidelibus posset, nonnisi vtilissimæ possunt esse Conciliorum Generalium, vel etiam particularium, iuxta sententiarum diuersitatem conuocationes. Quarta, quoniam vltima rerum fidei definitio ita sit ex speciali assistentia Spiritus Sancti, vt tamen plures illi præmitti debeant diligentiæ, ab humana etiam industria dependentes, potissimùmque, deficiente aperta aliqua Sacræ Scripturę auctoritate, disquiri quænã sit Ecclesiæ vniuersalis circa ortam quæstionem traditio, pro qua habenda triplex à Patribus solet assignari nota prima est vniuersitas, secunda antiquitas, tertia consensio, vt suo loco sect.2. huius libri tertij diximus; quæ omnia, præsertim in abstrusis, ac difficilibus fidei controuersijs, faciliùs præstari cum possint in Concilijs maximè generalibus, quò conuenientes omnes Episcopi suarum particularium Ecclesiarum sensus attestantur dubitari non potest, quin ea sint Ecclesiæ saluberrima, & vtilissima.

II. Conclusio, quamuis Synodorum Generalium coactio sit vtilissima, seu secundùm quid, vt vidimus necessaria, nequaquam tamen simplicitèr absolutè; Ista conclusio est communis inter Theologos, videturque demonstratiuè colligi ex eo, quod primis trecentis annis caruit Ecclesia Concilijs Generalibus, nec tamen perijt. Vnde sic efformo argumentum, Illud est simpliciter absolutè necessarium, sine quo finis haberi non potest; sed absque Concilijs Generalibus possunt obtineri omnes fines, per illa in Ecclesia ad eius conseruationem consequibiles, non sunt igitur simpliciter absolutè necessaria; Maior huius argumenti est certa, fundata in definitione necessarij, simpliciter absolutè; Minor autem probatur, discurrendo per singulos fines superiùs allatos, & incipiendo ab illis, qui minus habent dubium, minoremque inter doctores patiuntur difficultatem.

Primus est schismatum inter Romanos Pontifices compositio, quorum si vnum sublatum est per Generale Concilium Constantiense in locum contendentium, suffecto Martino Quinto omnia alia, quæ tam primis trecentis sæculis, vt Nouati cum Cornelio, quàm quæ deinceps occurrerunt, feliciter extincta, ac sopita sunt, sine Concilijs Generalibus, vel per solam Ecclesiam Romanam, vel communi consensu Ecclesiæ vniuersalis, vel etiam Principum Christianorum ope, ac ministerio, non igitur ad componenda schismata inter Romanos Pontifices, simpliciter absolutè necessaria sunt Concilia Generalia.

Secundus finis, est resistentia communi Ecclesiæ hosti, qui etiam absolutam Concilij Generalis necessitatem non arguit. Primò, quia non est semper absolutè necessarium ad Ecclesiæ salutem, & incolumitatem, vt communi eius hosti per arma resistatur, si enim illa sub immanissimis olim Tyrannis Nerone, Domitiano, Decio, Diocletiano, & alijs vigere possit. Secundò, quia licèt interdum attentis aliquibus circumstantijs necessarium esset absolutè Turcis, aut alijs Ecclesiæ inimicis bellum inferre aliter tamen, quàm per Generale Concilium Principes Christiani, cæterique fideles ad illud gerendum induci possent, sicut iam aliàs accidit, cùm Ludouicus Septimus, & Nonus Christianissimi Galliarum Reges arma aduersùs Saracenos strenuissimè mouerunt.

Tertius finis, de quo maius est dubium, maio-

maiorque inter Doctores difficultas est, an exurgente noua hæresi, sit necessarium simpliciter absolutè ad eius condemnationem Concilium aliquod generale celebrari? Qui enim Pontificiam negant in rebus fidei infallibilitatem seorsim à Concilio, consequenter asserere tenentur in dicto casu absolutam Concilij necessitatem, vel generalis, vel particularis, iuxta diuersas, quibus diuisi sunt sententias: At nos, qui illam propugnamus, consequenter negamus Concilia Ecclesiæ esse absolutè necessaria ad alicuius nouæ hæreseos proscriptionem: vnde huius ratio veluti à priori desumitur ex præfato priuilegio: Concilia enim tum generalia, tum particularia non sunt absolutè necessaria ad nouas hæreses condemnandas, fidemque Catholicam contra illas stabiliendam, si Summus Pontifex seorsim ab illis id præstare potest: sed ita res se habet; non igitur Concilia ad finem allatum sunt absolutè necessaria. Maior huius argumenti est certissima, supposita veritate propositionis hypotheticæ in illa inclusæ, quæ absoluta est in minori, & probatur primò ex his, quæ sectione superiori cap. 16. ad copiam dicta sunt pro hoc iure Pontificio. Secundò ipsamet euidentia facti, quo vt ibidem etiam vidimus, primis trecentum, & amplius annis, nullo Generali Concilio indicto, variæ tamen hæreses à Summis Pontificibus Romanis feliciter extinctæ sunt, & ipsi hæresiarchæ condemnati, ac pro talibus à fidelibus indubitanter habiti.

Quod autem aliqui respondent huiusmodi Pontificias condemnationes non tam definitiuæ, quàm interlocutoriæ sententiæ rationem habuisse; siue fideles tunc non fuisse illa adstrictos tamquam indubitata fidei regula, donec accederet vniuersalis Ecclesiæ illam amplectentis consensus, non eneruat vim nostri argumenti; hoc enim gratis admisso, colligi adhuc non potest absoluta Conciliorum Generalium necessitas, si ex hac responsione sufficienter fieri potest à Summo Pontifice, vbi eius sententiæ accedit vniuersalis Ecclesiæ consensus.

Vndè secundò respondent alij, hæreses à solis Pontificibus Romanis, vel in Synodis particularibus Romæ coactis damnatas quidem fuisse, sed rursus à Concilijs Generalibus damnari non desijsse, vt plura demonstrant exempla, non aliam, inquiunt, ob causam, nisi quia hæc Pontificis condemnatio ad certam censuram hæreseos satis esse non videbatur, sine Concilijs Generalibus eam approbantibus. Sed hæc quoque solutio non satisfacit, nec probat intentam Conciliorum necessitatem, si quidem dato adhuc, & non concesso, quod Summus Pontifex non gaudeat priuilegio infallibilitatis; negari tamen non potest, quin vbi aliquam condemnaret hæresim sufficeret ad omnimodam huiuscemodi sententiæ firmitatem vniuersalis Ecclesiæ consensus eam acceptantis; nulla igitur absoluta in hunc finem Conciliorum Generalium necessitas.

Tandem quia falsum est, quod vbi, tum primis trecentum annis, tum deinceps Summi Pontifices Romani varias proscipserunt hæreses, eorum sententia fuerit tantùm interlocutoria, finalisque eius firmitas dependerit, vel ab vniuersalis Ecclesiæ consensu, vel alicuius Synodi Generalis postmodum approbatione; etsi enim, vt sæpè notauimus, hæc sint euidentia Pontificiæ infallibilitatis signa, vbi eorum decreta ita acceptari videmus, quatenùs verum vero, & infallibile infallibili semper consonat; nequaquam tamen suam indè habent auctoritatem, sed ex priuilegio diuinitùs illis concesso non errandi in rebus fidei, confirmandique in illa fratres suos, iuxta quod ipsamet potiùs Concilia Generalia debent ab ijsdem Summis Pontificibus congregari, dirigi, approbari, finaliterque confirmari: indeque Ecclesia vniuersalis toto orbe diffusa, vt ex obedientia tenetur, ita ex sua in credendo infallibilitate non potest non illis obtemperare, sicut nec ipsis Pontificijs definitionibus seorsim ab illis editis. Nequaquam ergo ad extinguendas nouas hæreses, necessaria sunt absolutè in quacumque sententia Concilia Generalia, sed tantùm secundùm quid, vel aut ad summum ex suppositione, vt sequenti dicetur conclusione, intelligendusque est diuus Augustinus lib. 4. contrà duas epistolas Pelagianorum cap. 12. vbi habet hæc verba: [Aut verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cùm potiùs rarissimæ inueniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multòque sint, atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque indè per cæteras terras deuirandæ innotescere potuerunt. Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit aduersùs Deum, & non in illo velit, sed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniam Domino eis resistente peruertere nequeunt, saltem commouere conantur, cùm potiùs vigilantia, & diligentia pastorali, post factum illis competens, sufficiensque iudicium, vbicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint.] Vbi per competens, sufficiensque iudicium diuus Augustinus Pontificium intelligit, quatenùs Romani Pontifices tunc existentes, & hæresim Pelagianam condemnarunt, & acta Conciliorum particularium contrà illos celebratorum approbarunt, totique Ecclesiæ credenda proposuerunt, vt vidimus sectione superiori cap. 16. seculo 5.

Quod autem tribus primis seculis, aut etiam alijs, Summi Pontifices ad nouarum hæreseum proscriptionem non deuenerint sine particularibus Concilijs, aut ea Romæ cogendo, aut alibi celebrata confirmando, absolutam eorum non arguit necessitatem, vel vt alij volunt, Conciliorum prout abstrahunt à Generalibus, & particularibus. Primò, quia Summi Pontifices, sicut sine Generalis, ita etiam sine particularis Concilij celebratione plures condemnarunt hæreses. Secundò, quia si in hunc finem nulla Conciliorum Generalium absoluta est necessitas, multò minùs particularium, quibus proindè Summi Pontifices solùm ad melius esse vsi sunt, vbi ita in Domino expedire, Ecclesiæque vtilius esse iudicauerunt.

Quar-

Quartus, isque etiam principalis finis, est reformatio abusuum, & vitiorum, quæ in Ecclesiam solent interdùm irrepere; respectu cuius; nec etiam sunt necessaria absolutè Concilia Generalia, nam eiusmodi abusus satis superque, vel à Concilijs particularibus, vel etiam sine illis à Summis Pontificibus, vel à Primatibus, vel à particularium Ecclesiarum Prælatis tolli, & emendari possunt, vt primis Ecclesiæ temporibus multi fuerunt sublati; licèt vtiliùs id aliquando fiat per Concilia Generalia, cùm homines ita sint affecti, vt plerùmque multorum in vnum coeuntium, quàm vnius dumtaxat auctoritate, vel sententia efficaciùs moueantur; maximè in his, ad quæ humana industria, nec non experientia aliquid conferre solet, vt reformatio abusuum.

At dicet aliquis prædicta quidem esse vera pro particulari fidelium reformatione, non autem pro Generali, tam in capite, quàm in membris; hæc enim absolutè Concilium Generale postulare videtur, cùm illud solum aliquam supra Pontificem auctoritatem habere possit.

Respondetur ad hanc instantiam primò ipsam capitis, seu Summi Pontificis in minoribus reformationem, non esse absolutè ad gubernationem Ecclesiæ necessariam, sufficit enim, si eius doctrina sana sit, & vera, vt multoties adnotauimus ex illo Matthæi c.23. vbi Christus Dominus Pharisæos corruptissimis etsi moribus ab administratione Ecclesiæ non repulit, quinimò populo mandauit, vt illis obtemperaret, & eorum dicta seruaret: [omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, opera verò eorum nolite facere. Propter eaque licèt nonnulli etiam Summi Pontifices pessimam egerint vitam, non tamen ad eorum emendationem Concilia Generalia tunc fuere congregata.

At quia negari non potest, quin recta in capite morum compositio sit valdè vtilis Ecclesiæ regimini, quamuis non sit absolutè necessaria, cuius enim, inquit diuus Gregorius, [vita despicitur, restat vt eius doctrina contemnatur;] hoc adhuc stante, necessaria non sunt absolutè Concilia Generalia, quandoquidem aliter, quàm per illa, promoueri posset, piorum nempè virorum adhortatione, Cardinalium, aliorumue Ecclesiæ Prælatorum cum humili reuerentia monitione, aut reprehensione, ac in foro pœnitentiali, absolutionis denegatione, nec non tandem fusis ad Deum precibus, & lachrymis, ieiunijs, cæterisque pijs operibus. Quæ omnia vbi nihil proficerent, sed obfirmatio potiùs animo Pontifex in suis scandalosis criminibus perseueraret; adeò vt indè ruinam Ecclesiæ impendere probabiliter credi posset; existimat quidem Andræas Duuallius tract. de disciplina Ecclesiastica part. 3. quæst. 10. citatque pro se Turrecrematam, Syluestrum, & Iacobatium, tunc vtique posse accusari, & denuntiari in Concilio, (quod inquit, absque eius auctoritate in eo casu indici, & congregari poterit,) non vt deponatur, vel in ordinem redigatur, sed vt efficaciùs corripiatur, & Ecclesiæ laboranti meliùs, & consultiùs prouideatur; sed hoc etiam admisso, non sequitur idcircò necessaria esse absolutè in hunc finem Concilia Generalia, sed tantùm secundùm quid, aut ad summum facta præfati casus suppositione, qui adhuc videtur moraliter impossibilis.

Cæterùm si daretur, haud ego crederem Concilium Generale, Summo Pontifice inuito congregari posse, sed tantùm in casu schismatis, vel hæreseos ob quæ deponi potest, vt satis patet ex dictis suprà cap. 4. Attamen si tunc legitimè congregatum haberetur, posset apud ipsum accusari, verùm in ordine ad simplicem dumtaxat correctionem, vel reprehensionem, vt sic accusatus, & reprehensus faciliùs emendaretur; citrà hæresim namque, aut schisma Pontificem nullius alteriùs, quàm Dei iudicio subiacere sufficienter ostendimus sectione superiori c. 16. præsertim seculo 13. testaturque infelix Concilij Basileensis contrarium attentantis exitus; cuius proindè in hac parte factum trahi non potest in exemplum, sicut nec Decretum, quo asserit absolutè Concilium habere potestatem reformandi Ecclesiam tam in capite, quàm in membris, nihil nos mouere, aut morari debet, cùm, vt citato etiam capite diximus, fuerit Conciliabulum, de quo iterùm redibit sermo in vltimo capite præsentis sectionis.

III. Conclusio, etsi Concilia, tum Generalia, tum particularia, in quemcumque finem, vt vidimus referantur, Ecclesiæ non sint simpliciter absolutè necessaria; interdùm tamen possunt esse necessaria simpliciter per accidens, factaque alia suppositione. Ista conclusio indiget solùm explicatione, quatenùs primò ex dictis sectione superiori c.16. §. 5. ita Summus Pontifex Iudex est, vice Christi, omnium controuersiarum fidei, cui obtemperare debet fraternitas vniuersa, vt ait Cyprianus lib. 1. epist. 3. vt tamen non debeat in illis dirimendis, aut soli iudicio fidere, aut expectare Diuinam reuelationem, sed adhiaere diligentiam, quantam res ipsæ de quibus est questio, an sint diuinitùs reuelatæ, postulant, diligenter consulendo regulas fidei, & tum demum expectare assistentiam Spiritus Sancti, eiusque directionem, Vbi ergo res huiuscemodi tam grauibus, nodosis, vniuersalibusque ex omnibus mundi partibus, difficultatibus implicatæ occurrerent, vt Summus Pontifex aut nollet, aut non posset adæquatas illis componendis diligentias per seipsum conferre, nec etiam per suos ordinarios Consiliarios, tunc pro rei grauitate deberent ab eo conuocari Concilia, vel Generalia, vel particularia, vt loco citato ostendimus.

Secundò, si exurgente aliqua noua hæresi, eius auctores prouocarent ad Concilium Generale, cum promissione iurata se eius definitionem amplexuros, essetque probabile eos sic fore Ecclesiæ reconciliandos, tunc necessarium esset Generale Concilium, forsanque grauissimè peccaret Summus Pontifex, qui illud conuocare nollet.

Tertiò, si duo vel tres de Pontificatu contenderent, qui sub iuramento sponderent, se post Concilij Generalis determinationem, & non aliàs iuri suo cessuros, in hoc etiam casu, vel hypothesi necessaria iudicari deberet Concilij Generalis coactio, quique illam impediret, vel retardaret, schismatis auctor haberi,

haberi, & tamquam talis ab Ecclesia puniri posset.

Quartò, si Cardinales non possent, aut nollent Pontificem creare, vel certè omnes simul perirent, aut aliundè fieret verè dubium, ad quos spectaret huiusmodi electio, forsan necessarium esset Concilium Generale ad hoc determinandum. Verùm cùm hi, & similes casus sint Metaphysici, deque raro contingentibus, si primum exceperis, necessitas Conciliorum ex illis rationabiliter regulari non potest, nihilque in hac materia decerni potest, nisi quòd illa, siue sint Generalia, siue particularia semper sint Ecclesiæ valdè vtilia, vbi ritè celebrantur, vtì prima conclusione dictum est.

CAPVT XI.

De Concilio Generali, & Summo Pontifice ad inuicem comparatis.

Vbi inter Concilium Generale, & Summum Pontificem fit comparatio non procedit in casu hæreseos, quo eum Concilij Generalis iudicio subesse. iam ostendimus sectione superiori capite 16.

Iterùm intelligenda non est de dubio, & incerto Pontifice, vt cùm Ecclesia schismate laborat, & plures coloratis vtrinque iuribus, de Papatu contendunt; sic enim Concilium certum, legitimèque congregatum, incerto, & dubio Pontifice esse superius, eumque posse, ac debere deponere, si de alterius iure magis constet, aut etiam aliquem de nouo eligi præcipere, cadem sectione cap. 9. declarauimus, adducto in exemplum Concilij Constantiensis facto, vbi tribus, qui se pro Pontificibus gerebant, abdicatis, Martinus V. feliciter ad Pontificiam euectus est dignitatem; de quo etiam solo, vel hæreseos casu, non autem absolutè intelligendum esse probauimus, eiusdem Concilij decretum sess. 4. & 5. [Declarat, quòd ipsum in Spiritu Sancto legitimè congregatum, Concilium Generale faciens, & Ecclesiam Catholicam repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire renetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite, & in membris.] De quo decreto iterùm redibit sermo infrà, quatenùs aliqui conantur illud extendere ad absolutam Concilij Generalis super Papam auctoritatem.

Quando igitur præfata fit comparatio, vel instituitur quæstio de Concilij Generalis auctoritate, an illud subsit Romano Pontifici, an verò præstet, atque præcellat, procedit de certo, & indubitato Pontifice. Pro cuius resolutione notandum est primò, multiplicem esse talis quæstionis sensum; vel enim primò petitur, vtrùm persona Summi Pontificis sit ita Concilio Generali subiecta, sicut est inferior superiori; vel secundò, an definitiones Conciliares præponderent Pontificijs, & si contingeret inter eas contrarietas, quibus potiùs standum esset; vel tertiò, an ipsemet Pontifex legibus Concilij ita sit adstrictus, vt de ijs dispensare, aut eas abrogare nequeat: vel quartò, an decretis Summi Pontificis maior fides, quàm decretis Concilij sit adhibenda.

Obseruandum est secundò duobus modis posse conferri Summum Pontificem cùm Concilio Generali: Vno modo vt sumatur ab vna parte solus Pontifex, verus, & indubitatus; ab altera autem Concilium Generale, cui præsit Pontifex, vel per se, vel per suos Legatos, ita vt nihil definiatur sine auctoritate ipsius: Altero modo, vt sumatur ab vna parte solus Pontifex, ab altera Concilium Generale, cui Papa nec per se, nec per suos Legatos præsit. Quam comparationem in vtroque sensu, atque adeò quæstionem de Pontifice supra Concilium, vel è contra, etsi nonnulli Doctores superuacaneam esse putent, & nugatoriam, quatenus si fiat in hoc secundo, Concilium absque Pontifice præsidente, vel per se, vel per suos Legatos, non tam Concilij, quàm conciliabuli nomen meretur; ideòque immeritò quæri videtur, an tale Concilium sit supra Summum Pontificem certum, & indubitatum: si autem in primo fiat sensu, videtur etiam frustra quæri, num Concilium sit supra Papam; tunc enim fieret collatio eiusdem ad seipsum, pro ratione maioris auctoritatis, idemque esset, ac si peteretur, an Pontifex cum Concilio sit seipso maior, & superior seorsim sumpto; quæ petitio, præterquamquod est ridicula, facilè solui potest, si dicatur Papam vnà cum Concilio esse seipso maiorem extensiuè tantùm, non intensiuè, instar Dei, qui cum mundo spectatus, maius bonum extensiuè dicitur secundùm aliquos Theologos, meliùs diceretur secundùm numerum, quàm cùm solus, & absque mundo consideratur.

Nihilominùs alij contrarium affirmant, dari scilicèt locum comparationi, necnon quæstioni vtroque modo; casus enim dari potest, in quo Concilium sit legitimum, quia legitimè à Summo etiam Pontifice congregatum, cui tamen nec per se, nec per suos Legatos præesse velit, & in quo consequenter quæri potest, an tale Concilium, prout ab illegitimo, nec debita auctoritate congregato distinguitur, Pontifice sit superius; sicut etiam vbi vult illi præesse, dubium semper est, an sit eo ita superior, vt cum minore Prælatorum parte, relicta maiore possit concludere; vel an eius solius sententia cæterorum omnium sententiæ sit anteponenda; ideòque vtrouis modo spectetur Pontifex, vel Concilium, non videtur ineptè quæri, vtrùm eorum sit superius. Quæ adhuc quæstio videtur aliquibus præcipuè versari circa primam comparationem, alijs autem circa secundam; quorum sententia mihi videtur probabilior, tùm attento doctorum præfatam quæstionem controuertentium sensu, & fine, tùm quia semel stabilita secundæ comparationis veritate, facilè colligitur quid de priori sit dicendum. Qui enim docent, Summum Pontificem esse supra Concilium, siue eius, vel Legatorum præsidentia celebratum, attamen legitimè ab ipso congregatum, ijdem consequenter docent parem esse auctoritatem in solo Papa, & in illo cùm Concilio Generali intensiuè, quid-

quid sit an extensiuè dici debeat minor, vbi solus consideratur, vel maior vbi cum Concilio, quod pertinet ad quæstionem de nomine, de quo forsan infra; proindeque non posse à tali Concilio Papam iudicari, vel damnari; nec eiusmodi Concilij decretis eum obligari coactiuè, sed tantùm directiuè, & posse in eis dispensare, exceptis decretis de fide, quæ immutabilia sunt. Qui verò asserunt Concilium sine Papa esse supra Papam, asserunt etiam consequenter Concilium cum Papa esse supra Papam, & obligare Papam, quamuis ipsi ijdem concedant, posse eum tamquam ministrum Ecclesiæ dispensare in præceptis Concilij Generalis, sed si malè dispensauerit, posse corrigi, & puniri posteà à Concilio Generali.

Tertiò aduertendum est, longè diuersam esse rationem Reipublicæ, siue communitatis cuiusque, atque Ecclesiæ Christi in statu legis Euangelicæ: nam in qualibet communitate primùm iure naturali reperitur potestas, ab eaque deriuatur ad superiores, iuxta diuersam regiminis eius formam, vel Monarchicam, vel Aristocraticam, vel Democraticam, & ita, cùm super illos in prima sui esset institutione, tunc quoque reseruare sibi potuit auctoritatem, eos, vbi ita expediret, deijciendi de suo gradu. At in Ecclesia Christi non sic res se habet, illa siquidem à suo Principe Christo ortum habuit, non autem ipse ab ea, iuxta illud Ioannis 15. [Non vos me elegistis, sed ego elegi vos:] Ideoque Ecclesia nullam prorsùs habet in Christi Vicarium, nisi quam ipsemet Christus Princeps adhuc viuens illi contulit potestatem. Qua de causa argumenta, quæ desumuntur ex multitudine libera, quæ instituit sibi aliquem superiorem, ad probandum quòd Concilium habeat auctoritatem super Summum Pontificem Christi in terris Vicarium, non sunt ex se efficacia. Sicut etiam quòd Præpositi Ordinum Religiosorum Generales subsint suis Capitulis Generalibus, & ab illis instituantur, vel si causa subsit, destituantur; non probat auctoritatem Pontificis inferiorem esse illa Ecclesiæ in Concilio Generali repræsentatæ; quia auctoritas, qua præfati pollent Generales, non est immediatè à Christo, sed ab ipsis cuiuscumque ordinis professoribus, quibus primùm contulit Papa potestatem condendi leges, & iuxta illas eligendi Generalem, conferendique illi debitam auctoritatem; vnde quià sic ab illis deriuatur, ideò in eum possunt, secundùm propria vniuscuiusque religionis statuta, Ecclesia autem nullam Summo Pontifici contulit potestatem, sed tantùm legitimi in ea electores designant illam personam, cui Deus illam confert.

Quartò notandum est diuersam pariter esse conditionem totius quantitatiui, vel integralis, & potiùs potestatiui, vel potentialis. Etsi enim totum quantitatiuum, vel integrale dici possit maius sua parte extensiuè; nec non potentiam agendi illi, vt tali conuenientem principaliùs esse in toto, quàm in parte; secùs autem in toto potestatiuo, siue potentiali, cuius natura requirit, vt quicquid virtutis est in inferioribus potentijs, eminentiùs, & principaliùs in superiori potentia, & virtute contineatur, immò magis videtur habere rationem totius superior virtus, quàm partis, sic enim à Diuo Ambrosio totus homo in capite esse dicitur lib. 6. Examer. cap. 29. Vnde etiam apparet, quàm inefficaciter probetur àb aliquibus, Summum Pontificem minus quid esse Ecclesia, vel Concilio Generali illam repræsentante, ex hoc, quòd se habeant per modum totius, Summus autem Pontifex per modum partis: Etsi enim id concedi possit de ipso secundùm quòd habet rationem partis quantitatiuæ, vel integralis ponentis in numero cum cæteris fidelibus, quorum Ecclesia est collectio, tamque ipsius, quàm aliorum fidelium mater per sacram baptismi regenerationem, nequaquam tamen id asseri potest de ipso quatenus est pars eius potestatiua, cui eo ipso quod Christus Dominus concessit totalitatem, & plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ, quæ in cæteris per partes dumtaxat reperitur, vt toties ex Patribus ostendimus, tàm in præsenti, quàm in superiori sectione, nedum in ea principalis est Ecclesiæ pars, cæterisque omnibus diuisiuè præcellit, sed etiam collectiuè, vt mox notabimus, totaque Ecclesia virtualiter, & intensiuè dici potest.

Quintò supponendum est Ecclesiam non habere plenitudinem potestatis immediatè à Christo, nisi in ipso suo capite, quod est Papa Christi Vicarius, sicut nec homo dicitur habere potentiam videndi, nisi in solo oculo, siue mediante illo. Quia cùm plenitudo potestatis collata sit Petro, & successoribus, tamquam supremis Ecclesiæ Monarchis, vt sectione præcedenti satis superque probauimus, si Ecclesia absque illis eam immediatè haberet à Christo, iam duæ summæ potestates essent in Ecclesia, & sic non iam Monarchia, sed magna Principum multitudo esset, & neutra summam haberet potestatem, cùm summa illa sit, quæ omnes alias superat: sed viderentur potiùs illæ potestates sociæ, & collegæ, Papæ scilicet, & Ecclesiæ, neutraque proinde super alteram potestatem haberet, nec Monarchia etiam potiretur, sed se se potiùs inuicem impedirent, fidelesque perplexos redderent, dum nescirent vtri potiùs duarum contraria præcipientium, an vtrique, vel neutri deberent obedire; quæ omnia, & similia, quæ inde sequerentur absurda, cùm sint prorsùs aliena à diuina illa sapientia, qua Christus Dominus suam instituit Ecclesiam, dicendum est eam non habere plenitudinem potestatis immediatè à Christo, nisi in ipso Summo Pontifice supremo eius Pastore, atque Iesu Christi Vicario. Quamobrem, sicut licèt homo dicatur potiùs videre, & sic de alijs operationibus, vt quòd, quàm oculus, quia actiones sunt suppositorum vt quod, nihilominùs tribuitur quoque actio formis, quibus dictas exercent operationes, vt quo, & in hoc etiam principalitas denotatur, forma enim est, quæ in composito principem obtinet locum secundùm quod est forma: ita etiam, licèt interdum dicatur, quòd Ecclesia supremam habet auctoritatem, id intelligi non debet de aliqua potestate immediatè à Christo Domino recepta, qua sit distincta ab illa, quæ competit Summo Pontifici, sed de illamet, quæ ideò attribuitur Ecclesiæ, vel quia ad rectam eius ordinatur gubernationem,

nem, & non ad proprium Pontificis commodum, vel quia constat ex illo, tamquam ex principali sua parte, cùm sit mysticum eius caput, cuiusque omnia proinde propria possunt illi attribui, vel de illa prædicari; sicut ob eamdem rationem dicitur aliquando ordinare, credere, & cætera huiusmodi, non tamen per aliquam potestatem ordinandi distinctam, aut fidem, sed per illasmet, quæ reperiuntur in Episcopis, cæterisque fidelibus, eius membris.

Sextò animaduertendum est, Summum Pontificem non solùm esse caput, aut pastorem omnium Ecclesiarum particularium, sed etiam totius vniuersalis Ecclesiæ simul congregatæ; siue, quòd idem est, vniuersalis Ecclesiæ tàm diuisiuè, quàm collectiuè sumptæ, contra aliquos, qui vt eludant vim argumentorum ex hoc titulo desumptorum, ad demonstrandam Summi Pontificis supra Concilium auctoritatem, adinuenerunt hanc distinctionem, accipiendumque esse verbum Vniuersalis Ecclesiæ per distributionem, vel diuisiuè, quando Summus Pontifex vocatur eius caput, non autem per collectionem, sicut, inquiunt, sunt Dux Venetorum, & Generales Ordinum, qui superiores sunt singulis seorsim, non autem collectis in vnum, in Senatu, vel capitulo; verùm quia de hoc redibit sermo in probatione nostræ conclusionis, modò sufficiat hoc insinuasse.

Septimò, & vltimò præmitto, dum inter Summum Pontificem, & Concilium Generale fit comparatio, eam non procedere de maioritate doctrinæ, vel iudicij discretionis, sed de maioritate iurisdictionis diuinitùs concessæ, quæque consequenter in regimine Ecclesiæ specialem habet annexam Spiritus Sancti assistentiam; siquidem Concilium, vel eius Patres Summo Pontifici doctrinæ, maturiorisque iudicij de dono præcellere, viceque versa Pontificem illos superare contingere potest; immò vnus Doctor aliquando maiori cognitione præditus est, quàm solus Papa, quàmque etiam plures Concilij Patres: vndè in consiliando potest quis habere excessum sapientiæ, vel doctrinæ, non autem excessum potestatis in iudicando, vel viceuersa: Quod etiam patet in ipsis seculi Principibus, qui etsi dominentur sapientibus ex potestate regia, indigent tamen eorum consilio, vt dominium eorum sit firmum, vt rectè docet, ac ponderat Diuus Thomas 3. contra Gentes cap. 81.

Ex quibus omnibus ita prænotatis patet præsentem controuersiam non esse de Summo Pontifice hæretico, vel dubio, & incerto respectu Concilij Generalis legitimi: nec de Concilio Schismatico, illegitimaque auctoritate congregato, respectu legitimi, ac indubitati Pontificis pro tempore existentis, sed de legitimo Concilio ex vna parte, cum legitimo, & indubitato Pontifice ex altera in ordine ad supremam iurisdictionis potestatem. Circa quam controuersiam, omissis hæreticis, qui primatum Summi Pontificis negantes, consequenter etiam negant omnem eius in Ecclesia super alios superioritatem, aliqui doctores Catholici stantes à partibus Conciliorum, ita faciunt Summum Pontificem caput vniuersalis Ecclesiæ siue cathegorematicè, vel diuisiuè sumptæ, in quo saltem ab hæreticis distinguuntur, vt tamen hoc ipsi negent, si consideretur cathegorematicè, vel collectiuè, quia, inquiunt, in tota collectione cùm tota potestas vnita sit, quæ in singulis est diuisa partibus, maior in illa potestas agnoscenda est, quàm in parte vna sola Romano Pontifice, indeque subinferunt Concilium esse maius eo, non secùs, ac totum dicitur esse maius sua parte: ita Ioannes Gersonius, Almainus, Cusanus, alijque nonnulli eorum sequaces, quorum etiam aliqui mordicùs affirmant id esse de fide in Concilio Constantiensi sess. 4. & Basileensi sess. 2. definitum.

Altera sententia, pro qua Bellarminus citat gloss. in can. [Nos si incompetenter,] 2. quæst. 7. & in can. In Synodo, d. 63. docet Papam quidem esse supra Concilium, & à nemine iudicari posse inuitum, tamen posse ipsum se se subijcere Concilio, dareque illi supra se potestatem; ita vt si hoc fecerit, acquiescere teneatur sententiæ Concilij, etiam si de ipsius depositione ageretur.

Tertia denique sententia asserit Papam adeò esse supra Concilium Generale, vt nequidem possit se subijcere eius sententiæ, si propriè de sententia coactiua agatur. Et pro illa quam ferè communem appellat Bellarminus, citat lib. 2. cap. 16. plures auctores; quibus etiam annumerari possunt omnes illi, quos superiori sectione cap. 16. de sæculo in sæculum retulimus, quorum multi eam expressè docent, alij verò implicitè, siue in suis principijs, quatenus Summo Pontifici talem in omnibus attribuunt auctoritatem, & potestatem, totque, & tam præcellentes titulos, vt non possint non arguere summam eius super omnes alias in Ecclesia potestates præeminentiam. Et quamuis Andreas Duuallius tract. de disciplina Ecclesiastica par. 4. qu. 7. existimet istam sententiam non esse de fide, non desunt tamen alij doctores, qui contrarium affirment, illamque fuisse definitam in Concilijs Constantiensi, Florentino sub Eugenio IV. & Lateranensi sub Leone X. Verùm quicquid sit, an in præfatis Concilijs sufficiens quoad nos, vel adeò expressa de auctoritate Papæ supra Concilium habeatur definitio, vt oppositum asserens statim pro hæretico teneri debeat, de quo disputant aliqui doctores, duo ego in hac re certa esse puto, primum, quòd Concilio Generali Summus Pontifex absolutè sua auctoritate præcellat, prout demonstrabitur omnibus argumentis inferiùs adducendis, secundum quod hæc sententia, si sermo sit de Ecclesiæ definitione, videri magis ab ea definitam in præfatis Concilijs, quàm oppositam, quod breuiter ostendam, antequam meas in hac controuersia conclusiones proferam.

Primò, ex Concilio Lugdunensi cap. Vbi periculum de elect. lib. 6. vbi appellatur Summus Pontifex [caput, & rector vniuersalis Ecclesiæ, gregisque Dominici director:] atqui vniuersalis Ecclesia per Concilium Oecumenicum repræsentatur: igitur Pontifex erit illius Concilij caput, & rector, atque adeò superior; in hoc enim, quod est esse superius, & eminentius, atque etiam influere in membra inferiora, hæc capiti mystico, æquè, ac naturali, vnde metapho-

ra desumta est, suo modo conueniunt.

Secundò, ex Concilio Constantiensi, vbi damnata hac Ioannis Hus, & Wiclefi propositione, [Petrus nec est, nec fuit caput Ecclesiæ sanctæ Catholicæ ; & hac altera, non est scintilla apparentiæ quòd oportet esse vnum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum Ecclesia militante conuersetur :] Martinus Papa V. ab hæreticis, qui reconciliationem petunt, nec non ab alijs de hæresi suspectis, vt probetur eorum fides, exigi præcipit inter alia : [Vtrùm credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor Beati Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei?] Hæc enim duo sunt incompatibilia, Papalem, vel Pontificiam dignitatem absolutè subijci Concilio, & supremam esse in Ecclesia Dei, igitur quando idem Concilium sess. 4. & 5. definit, si tamen definitio conciliaris appellari potest, de quo statim, quod ipsi [quilibet cuiuscumque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat obedire tenetur &c.] hoc debet intelligi in casu hæreseos, & schismatis, non autem absolutè, ne sibi contradicat, cùm hoc attribuat Summo Pontifici respectu Concilij, dum vult credi eum [habere supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.

Tertiò, ex Concilio Florentino in literis vnionis, quibus tàm Græci, quàm Latini Patres interfuerunt. [Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere, & ipsi in beato Petro pascendi, & regendi vniuersalem à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem datam esse.

Quartò, ex Concilio Lateranensi sub Leone X. vbi sess. 11. disertè habetur Summum Pontificem esse supra omnia Concilia, decretumque contrarium Concilij Basileensis eo nomine reprobatur his verbis; [Solum Romanum Pontificem, tamquam super omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissoluendorum plenum ius, & potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonijs, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione maximè constat.

Ex quibus omnibus præfatorum Conciliorum testimonijs sic ad meum institutum discurro. Cùm inter omnes Catholicos certum sit tamquam quid pertinens ad fidem, quod Concilia Generalia Pontificia auctoritate confirmata gaudeant priuilegio infallibilitatis in rebus fidei, incertum autem sit, valdèque dubitetur an id competat Concilijs Generalibus legitimè etiam congregatis absque vlteriori directione, vel confirmatione Summi Pontificis; illa sententia, quam docent Concilia Generalia Pontificia auctoritate ab illis docetur, vel definitur; at sententiam, qua Summum Pontificem Concilio Generali superiorem facit, docent Concilia Generalia, Pontificis tum præsentia decorata, tùm confirmatione approbata; oppositam autem tradunt Concilia ad summum legitimè congregata. Igitur prima illa sententia non solùm est certa, sed etiam tutior in fide, magisque ad illam spectans, quàm secunda. Maior huius argumenti videtur esse tam certa, quàm certum est Concilia Generalia pontificia approbatione munita esse infallibilia præ illis, quæ talem non habent approbationem. Minor etiam patet quoad primam partem, quia Concilium Florentinum, & Lateranense sub Leone Decimo, quæ auctoritatem Papæ supra Concilium tribuunt, nec non plenam potestatem pascendi, & regendi vniuersalem Ecclesiam, fuerunt Concilia Generalia.

Minor ergo quo ad alteram partem probanda sic declaratur; quia dato, & non concesso, quòd decretum Constantiensis sess. 4. & 5. quo declaratur [quemlibet cuiuscumque status, vel dignitatis etiam si papalis existat teneri illi obedire,] intelligi deberet absolutè, & in quocumque casu, vt perperàm contendunt aliqui, non autem in solo casu hæreseos, vel schismatis, quod omninò verisimilius esse ostendimus sectione superiori cap. 16. sæculo 15. tale decretum, nec fuit Concilij Generalis, nec etiam admisso illud fuisse tale, Pontificia vnquam fuit auctoritate confirmatum, quin potiùs à Martino V. reprobatum, immò ab ipsomet Concilio, quando re vera fuit Generale. Pro quorum intelligentia notandum est diligenter, Concilium Constantiense tria veluti tempora, siue status habuisse. Primum in quo Patribus sub obedientia dumtaxat Ioannis XXIII. Constantiæ congregatis, præfatum decretum editum fuit veluti obiter, nullaque præuia, quæ legatur habita illius discussione. Secundum, in quo alij sub obedientia Gregorij XII. congregati præfatis Constantiæ Patribus se vnieruut. Tertium, in quo Oratores, Reges, & Prælati, qui Benedictum XIII. sequebantur: noua facta Concilij conuocatione, cæteris quoque se adiunxerunt. Quartum etiam potest addi, in quo facta iam Martini V. electione in Summum Pontificem ipsemet Concilio præesse voluit. Vt igitur dubium non est, quin hoc Concilium in tertio statu, congregatis iam simul tribus dubiorum Pontificum obedientijs, fuerit Generale, multòque magis in quarto, per actualem cum suo capite vnionem, quam antè virtualiter solùm habebat, ita per oppositum pro certo teneri debet illud tale non fuisse in primo, & secundo statu; cum ergo tunc præfatum decretum fuerit editum, manifestè sequitur illud non fuisse decretum Concilij Generalis formaliter, siue quòd postea fuit tale in tertio, & quarto statu; in quibus illud decretum non solùm non fuit approbatum, sed potiùs reprobatum, si intelligatur absolutè, vt supra gratis admisimus. In tertio enim statu, iàm omnibus simul iunctis Patribus, sess. 40. habetur: Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis, in Spiritu Sancto legitimè congregata, vniuersalem Ecclesiam repræsentans, statuit, & decernit, quòd futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes debeat reformare Ecclesiam in capite, & in membris, & curiam Romanam

secun-

secundùm æquitatem, & bonum regimen Ecclesiæ, antequam hoc Concilium dissoluatur, super materijs articulorum aliàs per nationes in reformatorio oblatorum; quorum 13. est; propter quæ, & quomodo possit Papa corrigi, & deponi.]

Quod decretum è diametro pugnat cum altero sess. 4. & 5. dum enim in eo statuitur disquiri inter alia debere, [propter quæ, & quomodo possit Papa corrigi, & deponi,] videtur apertè supponi dari aliquos casus, ob quos corrigi, & deponi non potest, atque adeò Concilium non habere absolutam in omnibus casibus auctoritatem super Summum Pontificem, vt illa sess. 4. & 5. contendunt aduersarij fuisse definitum, sed tantùm in aliquibus, priuatæ scilicet hæreseos, vel schismatis: Concilium ergo in tertio statu consideratum, quò iam erat vniuersale, non solùm non approbauit, sed potiùs virtualiter reprobauit decretum in primo editum, si sumatur absolutè, vt volunt aduersarij, & non in dictis solùm casibus. Vnde etiam colligo, illud tunc nec fuisse Conciliariter factum, quæ enim semel Conciliariter definita sunt ad fidem pertinere, etsi possint iterum confirmari, & approbari, nequaquam tamen vlteriori subijcienda sunt discussioni, vt satis patet.

Hoc quoque decretum absolutè intellectum, non fuisse approbatum in quarto Concilij statu, quando iam illi per se præsidebat Summus Pontifex Martinus V. atque adeò erat perfectum, numerisque omnibus absolutum Concilium Generale, gaudensque ex omnibus priuilegio infallibilitatis in rebus fidei, constat ex sessione 45. vbi præfatus Summus Pontifex ait: [Se per præsens Concilium conciliariter facta in materia fidei approbare, & ratificare, & non aliter, nec alio modo.] Sed præfatum decretum non fuit conciliariter factum, non solùm quia tunc non erat, verùm etiam, quia more aliorum Conciliorum non fuit factum, hoc est re diligenter examinata, & non tumultuosè, vt postea in alijs fidei materijs contra Ioannem Vviclefum, & Ioannem Hus hæreticos processum fuit, à Martino igitur V. non fuit approbatum, eiusque approbationem fuisse restrictam ad sola dogmata decisa formaliter contra præfatos hæreticos, constare videtur primò ex hoc, quòd dicta pronuntiauit verba, quando Orator Poloniæ postulauit, vt quæ contra illos fuerat definita à Pontifice firmarentur; secundò, quia alijs ommissis, speciali Bulla, vel epistola Decretali solam hanc damnationem errorum Vviclefi, & Hus à Concilio factam approbauit, suspectosque de illis interrogari mandauit.

Tandem hoc idem decretum absolutè intellectum nedum non approbatum, sed potiùs expressè reprobatum, in quarto eius statu, patet ex eo, quod ipso approbante, Martinus V. in dicta Bulla iussit, suspectis in fide illud proponi interrogatorium: [Vtrùm credant quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor B. Petri habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei.] Hæc enim duo sunt incompossibilia, quòd Summus Pontifex habeat supremam auctoritatem in Ecclesia Dei, & quòd Concilium sit ea superius illo, sic enim esset, & non esset suprema. Stat autem benè simul, Concilia quædam etiam Generalia quoad aliqua probata, quoad alia verò improbata dici, vnde S. Leo, vt toties notauimus sic gesta Concilij Chalcedonensis confirmauit, vt quæ sine eius authoritate pertractata fuerant, irrita, & inania esse declarauerit, quod & Gelasius Papa in tr. de vinculo anathematis probauit, & secutus est.

Vt igitur salua, & incolumis maneat vndequaque Concilij Constantiensis maiestas, quòdque inter eius Patres nulla fuerit contradictio, qualis fuisset, si decretum eius de obedientia Pontificis Concilio Generali intelligeretur absolutè, & pro quocumque casu, vt ostendimus, necessariò fatendum illud restringi debere, vt in pricipio notauimus, ad casus hæreseos, vel schismatis, de quibus tunc agebatur; qua eodem sensu, vel cum qua limitatione, si Basileenses locuti postea non fuerunt parùm refert, cum nec legitimus, nec Pontificia vnquam authoritate approbatus fuerit illorum conuentus, immò potius reprobatus in Concilio Lateranensi sub Leone Decimo, vt iam diximus supra, nec non sectione superiori capitulo 16. sæculo decimoquinto diceturque adhuc capite sequenti.

Præcedenti discursui clarè, vt puto, demonstranti ex præfatis Concilijs tutiorem esse in fide, magisque ad illam pertinere sententiam, quæ præfert absolutè Pontificem Concilio, quàm quæ subijcit; nihil habent aduersarij, quòd respondere possint, nisi quòd præfata Concilia non fuere Generalia, vel quod, vbi Summum Pontificem vocant vniuersalis Ecclesiæ caput, non sunt intelligenda de vniuersali Ecclesia collectiuè, siue in Concilio congregata, sed de illa distributiuè sumpta, pro omnibus Ecclesijs particularibus, quarum caput, & superior est Pontifex. At quàm sit inanis prima responsio, patet ex communi Catholicorum consensu, qui præfata Concilia tamquam Generalia agnoscunt, & recipiunt: quamuis enim in Concilio Lateranensi sub Leone X. pauci fuerint Episcopi, nam ad centum non peruenerunt: illud tamen omnibus patebat, vocatique omnes fuerant, in eo Summus Pontifex verus, & indubitatus præsidebat. Secundæ quoque responsionis vanitas apparebit ex statim dicendis; vnde his pro intelligentia, & resolutione præsentis controuersiæ sufficienter præmissis sit.

I. Conclusio, si sumatur ab vna parte solus Papa verus, & indubitatus, ab altera verò Concilium Generale, etiam legitimè congregatum absolutè non est supra Papam, sed potiùs Papa simpliciter, & absolutè est supra talia Concilia. Cùm veritas, ac probatio huius conclusionis sufficienter pateat ex dictis tam in præcedentis, quàm in præsentis sectionis decursu, præcipua tantùm hic adducam, vel potiùs insinuabo fundamenta. Primùm igitur sic arguo, Summus Pontifex simpliciter, & absolutè sua præcellit auctoritate Concilijs Generalibus, si quam ipsa habent auctoritatem, prouenit illis ab auctoritate Pontificia: sed res ita se habet; igi-

igitur fatendum est Summum Pontificem simpliciter, & absolutè esse supra Concilia Generalia. Maior huius argumenti videtur omninò certa, negarique rationabiliter non posse. Minor autem probatur, quatenus, vt vidimus, legitima Conciliorum indictio, & conuocatio dependet ab auctoritate veri, & indubitati Pontificis pro tempore existentis; legitimus eorum procedendi modus ab eius directione vbi per se illis præest, vel ab expressa instructione, vbi per suos Legatos, vel quando illam non mittit ab vlteriori confirmatione, & approbatione, ita, vt donec illa accedat, Conciliorum Generalium decreta, nec sint infallibilia quoad nos, nec vim obligandi fideles habeant; etiamsi admiserimus, & modò adhuc libenter admittamus, quòd Episcopi immediatè à Christo suam recipiant potestatem iurisdictionis, nec solùm sint in, super iudices voto definitiuo gaudentes; omnis igitur, quæ illis inest auctoritas prouenit, vel dependet actu à suprema Summi Pontificis in Ecclesia auctoritate.

Si quis dicat, Concilium Generale ex se, & non à Summo Pontifice habere, quòd ipsum, ob scandalosam, quam duceret vitam, possit deponere, ne quod inde malum, ruinæque periculum Ecclesiæ immineret, sine remedio maneret. Respondetur primò, hoc etiam gratis admisso, quod tamen falsum est, non propterea sequi, quòd Concilium Generale simpliciter, & absolutè esset supra Pontificem, qui pluribus alij, longèque maioris momenti titulis in argumento adductis, & superiùs probatis illi adhuc præstaret.

Secundò respondetur, verum, & indubitatum Pontificem, pro quolibet crimine scandaloso, excepto casu hæreseos, aut alio ad hæresim viam manifestam faciente, nullatenus à Concilio deponi posse; vel enim hoc intelligeretur, quatenus eo renitente, atque inuito tale congregaretur Concilium, à quo deponeretur, & hoc fieri non posse; iam supra ostendimus cap. 4. vbi etiam ostendimus discrimen inter hunc casum, & alios hæresis, ac schismatis, siue dubietatis electionis Pontificiæ inter plures prætendentes: vel intelligeretur de Concilio, iam priùs à Summo Pontifice indicto, & conuocato, cui ipse ob sua vitia, & crimina denuntiaretur, & hoc etiam dici non posse patet primò ex eo, quod Concilia non solùm in prima sua conuocatione, vt legitimè fiant, dependent à Summo Pontifice, sed etiam vlteriùs ab eo dirigi debent, vel per se, vel per suos Legatos, ita vt nihil in eius auctoritate pertractari, minùsque concludi possit ex dictis cap. 5. indeque Sanctus Leo, quæ sic gesta fuerant in Concilio Chalcedonensi irrita, & inania esse declarauit: vnde si consentiente Papa, in aliquo ageretur Concilio, de eius ob sua crimina depositione, iam non condemnaretur inuitus, nec tam coactiuo Concilij iudicio, quàm directiuo, cui adhuc ipse voluntariè se subiecisset, quodque proindè supremæ eius auctoritati nihil prorsus præiudicaret; si autem id eo fieret inuito, ac renitente, nullius prorsus auctoritatis fore, illique Pontificem obedire non teneri, vt patet in Eugenio IV. respectu Concilij Basilensis, quod primum temerè id tentauit, non solùm colligitur ex regula generali, qua sine Pontificio consensu nihil in Concilijs agi debet; verùm etiam ex particulari, qua Symmachus in libro Ennodij Ecclesiæ Romanæ Diaconi, ex V. Synodo ait: [Aliorum fortè hominum causas voluit Deus per homines terminari, sed Sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio: voluit B. Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam habere conscientiam:] Etsi autem Concilium Generale ob alia citra hæresim crimina certum, & indubitatum Pontificem deponere legitimè non possit; non proptereà sequi, quòd Ecclesia in tali casu sine remedio sit, iam ostendimus supra cap. 4. & iterum tangetur in fine præsentis.

Quare secundò sic arguo pro nostra conclusione; omne illud, quod alteri tribuit esse, & quasi formam, siue quod tribuit illi potestatem, itaut aliundè nequaquàm illi subijciatur, simpliciter, & absolutè superiùs est illo; sed Romanus Pontifex verus, & indubitatus pro tempore existens, ità Concilijs tribuit esse, & formam; nec non etiam potestatem modis in primo argumento adductis, vt aliundè nequaquàm illis subdatur: Ergo Romanus Pontifex simpliciter, & absolutè superior est Concilijs Generalibus. Maior quoque huius argumenti videtur certissima; minor etiam constat ex traditione Patrum, quorum testimonia sectione superiori c. 16. per totum, præsertim verò seculo 13. protulimus, simul adhuc notanda in indice alphabetico materiarum huius tertij tomi; quibus etiam facta Conciliorum ipsorum respondisse ibidem ostendimus, quatenus, vbi casus aliquis citrà hæresim incidit, in quo videretur Pontifex depositione dignus, omnia reuerenter à tali sententia abstinuerunt, quod optimè scirent primam Sedem à nemine posse iudicari. Indè in octaua Synodo generali Constantinopolitana quarta habetur can. 21. [Porrò si Synodus vniuersalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de sancta Romanorum Ecclesia quæuis ambiguitas, & controuersia; oportet venerabiliter, & cum conuenienti reuerentia de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, & aut proficere, aut profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices.] In eadem quoque Synodo act. 7. lecta est, & approbata epistola Hadriani Papæ, vbi ait: [Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus, de eo verò quemquam iudicasse non legimus.]

Quod tam claris Patrum testimonijs, atque exemplis respondere solent aduersarij, dictoque præsertim canoni 21. Concilij Chalcedonensis, per ea absolutè non prohiberi, aut probari, quòd Summus Pontifex Concilij maximè generalis iudicio subiacere non debeat; sed per particulam illam [audacter] tantùm significari temerè, aut præcipitanter in eum sententiam non esse dicendam: hæc inquam, responsio non satisfacit; cùm enim temeritas, & præceps festinatio in quibuscumque iudicijs, etiam vilissimorum quorumcumque hominum cauenda sit, dicta particula [audacter] vbi de Summo agitur Pontifice, tamquam de persona præ cæteris priui-

legia

legiata, cum tali sumi non potest limitatione, aut conditione, sed per illam significatur absolutè, tantùm sibi arrogare non posse Concilium, vt sententiam contra Pontificem dicere quouis modo audeat. Quare illa particula [audacter] non est aliquid conditionale, sed epithetum, aut suppositorium est, quo exprimitur Concilium numquam non posse audacter, & temerè, atque adeò sine legitima auctoritate Papam iudicare, quocumque modo id tentet; remque ità se habere, infelix Concilij Basileensis, quod ausum est ad depositionem Eugenij IV. procedere, & Felicem nescio quem substituere, probauit euentus, quòdque Hæretici tam festiuè illi facto applaudant, qui indè supremum Petri, & successorum eius in Ecclesia Monarchatum, quem implacabili prosequuntur odio, funditùs euerti contendunt.

Tertiò probatur nostra conclusio coniunctis simul pluribus titulis loco citato adductis, ex quibus inferri potest hæc absoluta Romani Pontificis superioritas respectu Concilij generalis. Ille, qui immediatè habet à Christo supremam in Ecclesia auctoritatem, siue plenitudinem potestatis, tamquam eius Vicarius generalis; quemque idem Christus suæ Ecclesiæ fundamentum posuit; pro cuius fide, ne deficeret singulariter orauit; quem fratrum suorum in ea confirmatorem quoque esse voluit; cui pascendi agnos suos, & oues suas curam demandauit; indèque vnanimi sanctorum Patrum consensu, Conciliorumque ipsorum generalium definitionibus semper vniuersalis Ecclesiæ caput, rector, ac pastor habitus est: simpliciter, & absolutè Concilio generali superior, ac maior dicendus est; sed hæc omnia Petro, eiusque successoribus competunt; ergò dicendum est eos simpliciter, & absolutè supra Concilium esse. Maior huius argumenti videtur certissima, secundùm quod omnia in ea contenta, alicui in Ecclesia conueniunt; fundamentum enim sub illo respectu, quo est fundamentum, non pendet à domo, sed domus ab eo; confirmans cæteros in fide, vt in ea indefectibilis, non pendet à confirmatis, sed isti ab illo; pastor non pendet à grege, sed grex à pastore; caput autem naturale, etsi influxu partium aliarum, cordis scilicet ratione spirituum vitalium, & hepatis ratione sanguinis, quo vniuersum nutritur corpus, indigeat, vt tamen, simili non obstante indigentia, cæteris semper eminet partibus, nobiliorique in illas modo influit; ità quoque mysticum in Ecclesia caput, quale Romanum esse Pontificem asserimus, etsi interdùm indigeat aliarum eius partium ope, Episcoporum maximè; hoc tamen non prohibet, quin illis simpliciter, & absolutè præcellat. Nàm Episcopi vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, qua solus Pontifex Romanus fungitur, ex speciali Spiritus sancti directione, & assistentia.

Vndè si minorem probauerimus, omnia nimirum in maiori recensita fuisse à Christo Domino concessa, & collata Diuo Petro, Romanisque Pontificibus legitimis eius successoribus, non solùm respectu Ecclesiæ distributiuè, sed etiam collectiuè sumptæ, quod est vnicum aduersariorum effugium, statim præcludendum, firma, & constans manebit veritas nostræ conclusionis de absoluta Romani Pontificis super Concilium potestate; minor ergò probatur.

Primò adducendo sacræ Scripturæ loca, quibus id clarè haberi videtur, Matth. 16. v. 18. [Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam, & tibi dabo claues Regni Cælorum; & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cælis.] Lucæ 22. v. 31. [Ait autem Dominus, Simon, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.] Ioannis 21. [Pasce agnos meos, pasce oues meas.] Hæc enim Christum Dominum non figuratiuè, vt aliqui interpretantur, sed verè propriè, & formaliter Petro dixisse, cumque talibus verbis suum in terris Vicarium immediatè designasse, & constituisse, supremamque illi auctoritatem, qua tamquam Ecclesiæ fundamentum, caput, & pastor eam sustentaret, regeret, ac pasceret concessisse, nec non infallibilitatis priuilegium, quo nutantia fratrum corda in fide, vbi de illa orirentur dubia, confirmaret, omniaque hæc officia, & cætera illis annexa, non in solo Petro, cui specialiter præ cæteris data sunt Apostolis, finem habuisse, sed transijsse ad Romanos Pontifices legitimos eius pro tempore successores, atque adeò non soli Petro, sed Pontificiæ eius dignitati perpetuò in Ecclesia duraturæ inseparabiliter collata fuisse, manifestè demonstrant omnia testimoniorum, & argumentorum genera, quæ amplè superiori adduximus sectione, & superuacaneum esset hìc repetere.

Secundò igitur eamdem probo minorem præcludendo effugium, quo aduersarij illorum vim conantur euadere, nimirum, quòd, vbi Romanus Pontifex dicitur caput, & rector vniuersalis Ecclesiæ, gregisque Dominici pastor, habens in ea plenam, ac supremam potestatem, hoc debeat intelligi de Ecclesijs particularibus, non autem de Ecclesia vniuersali, siue, quod idem est, de Ecclesia vniuersali diuisiuè, non autem collectiuè sumpta, siue in Concilio congregata; sic enim Pontifex non est Ecclesiæ dominus, sed tantùm minister, & seruus, illudque, inquiunt, ex citatis Christi verbis colligitur: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, non tuam; pasce oues meas, non tuas.] Vndè Papa solùm dici potest, maior omnibus, & singulis Fidelibus, nec non Ecclesijs distributiuè, non autem collectiuè, sicut est Dux Venetorum, vel Generales Ordinum, qui superiores sunt singulis seorsim, non autem collectis in vnum, in Senatu, vel Capitulo. Vanitas enim huius solutionis patet primò ex hoc, quod hæc distinctio, aliàs bona, non potest præsenti adaptari instituto. Quia signum vniuersale cadens supra nomen collectiuum, immò tale nomen, cuiusmodi est Ecclesia, de consecrat. distinct. cap. 1. sine vllo etiam signo vniuersali, non admittit distinctionem distributiui, & collectiui:

ctiui: Ergò vbi Patres, vbi Concilia ipsa generalia docent Summum Pontificem Romanum esse supremum Ecclesiæ caput, supremum Pastorem, & in Concilio Chalcedonensi Diuus Leo acclamatus est, [vniuersalis Ecclesiæ Papa, vniuersalis Archiepiscopus, vniuersæ Ecclesiæ Episcopus;] impertinens est distinctio istius vocis Ecclesiæ, distributiuè, vel collectiuè sumptæ; siquidem implicare videtur, quòd id, quod ex se iam collectiuum est, distributiuè quoque accipi possit.

Sed gratis adhuc admisso, quòd huiusmodi nominibus, vel vocibus posset aliàs talis distinctio accommodari, eam tamen in nostro casu nihil prorsus valere constabit, si semel ostendero omnes præfatos loquendi modos necessariò debere intelligi non solùm de vniuersali Ecclesia distributiuè sumpta pro omnibus Ecclesijs particularibus, verùm etiam de vniuersali Ecclesia collectiuè in Concilio generali adunata, quoties nimirum, Summus Pontifex vniuersalis Ecclesiæ pastor, vel caput dicitur.

Summus enim Pontifex non solùm est caput, atque adeò superior vniuersalis Ecclesiæ distributiuè, verùm etiam collectiuè; si cuius Ecclesiæ, si quarum ouium Christus Dominus est Supremus Pontifex, ac Pastor inuisibilis, earumdem ab ipso Summus Pontifex constitutus est Vicarius, & Pastor visibilis in terris; sed hoc significant præfata Scripturæ loca, Patrumque ea interpretantium testimonia: Igitur Summus Pontifex non solùm est caput, atque adeò superior vniuersalis Ecclesiæ distributiuè, verùm etiam collectiuæ, idest in Concilio congregatæ. Maior huius argumenti est certissima, negari enim non potest, quin Ecclesiæ vtroque modo consideratæ sit Christus Dominus Supremus Pontifex, ac Pastor inuisibilis in Cælis, sicut olim visibilis fuit in terris, si igitur Romanus Pontifex eiusdem prorsus Ecclesiæ relictus est ab eo suus Vicarius generalis, manifestè sequitur illum esse caput non solùm vniuersalis Ecclesiæ distributiuè, sed & collectiuè. Minor itaque probatur, quia quando Christus Dominus dixit Petro, & in eo Romanis Pontificibus legitimis eius successoribus, [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;] item, [pasce oues meas,] non cuiuscumque Ecclesiæ fundamentum, non quarumcumque ouium voluit eos esse suos Vicarios, aut Pastores, sed suarum absolutè, & absque vlla distinctione, [pasce oues meas,] Ecclesia autem, & oues Christi non solùm sunt Ecclesiæ particulares, aut Episcopi distributiuè sumpti, siue per Orbem dispersi, sed ijdem etiam collectiuè, siue conciliariter adunati; Igitur Summus Pontifex Romanus non solùm est caput, atque adeò superior Ecclesiæ vniuersalis distributiuè, sed & collectiuè consideratæ.

Ex quo facilè soluitur obiectio ab aduersarijs indè superiùs desumpta, quòd Christus Dominus dixit: [Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, non tuam: Pasce oues meas, non tuas;] quarum proindè, saltèm si sumantur collectiuè, non est superior, sed tantùm minister, & seruus; aut ad summum caput ministeriale. Etsi enim libenter concedamus, quòd Ecclesia sit solius Christi, tamquam supremi eius Domini quoad institutionem, fundationem, dotationem, & alia omnia ad eius gubernationem spectantia, Summusque Pontifex Romanus dicatur tantùm Vicarius, aut Minister respectu huius potestatis excellentiæ Christi Domini, propterea que dixerit Petro, [super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, non tuam; Pasce oues meas, non tuas;] nihilominus cùm tali Ministerio, vel Vicariatui annexa sit præfectura cum plenitudine potestatis Ecclesiasticæ, non ab Ecclesia, sed ab eodem Christo Domino collata Diuo Petro, Romanisque Pontificibus legitimis eius successoribus, quod sine dubio Principatum significat subordinatum Principatui Christi, vndè etiam idem est tribunal Christi, & Summi Pontificis Romani eius Vicarij: iuremeritò idem Pontifex, non minister, non seruus, aut caput ministeriale Ecclesiæ, quasi suam ab ea traheret auctoritatem, eaque proinde, & non ipse, esset immediata Christi Vicaria; sed princeps, sed caput, sed dominus, eam sub Christo, & cum Christo regendo, vocari debet; non quòd illi subiecta sit seruitute quadam mancipiali, vt ineptè inferunt aliqui, hoc enim non intendunt defensores dignitatis Pontificis, neque etiam requiritur, vt dicatur caput, atque adeò superior Ecclesiæ vniuersalis collectiuè, aliàs sequeretur, nec eum dici posse talem respectu Ecclesiæ vniuersalis distributiuè, quandoquidem non est eius dominus correlatiuè ad talem seruitutem, sed tantùm ad illam subiectionem, qua in familia filius patri, & vxor viro subijciuntur, quæ sicut sufficit, vt pater familias dicatur absolutè superior, ac dominus familiæ, ita quoque, vt Summus Pontifex vocetur Ecclesiæ Christi, quæ ab eo Matth. 24. comparatur familiæ, Dominus, & superior absolutè, absque vlla distinctione in eam distributiuè, vel collectiuè consideratam. Ideoque Summi Pontifices ad hoc significandum, quodque non tanti faciant potestate dominari, quàm humili charitate fidelibus seruire, suam illis opem, & auxilium, vbi opus est, præstando non solùm comparatiuè ad Christum se eius ministros, & seruos agnoscunt, sed etiam comparatiuè ad Ecclesiam se appellant seruos seruorum Dei, Christum ipsum supremum Dominum imitantes, qui se ministrum asseruit, Apostolos verò veluti recumbentes. Attamen sicut nemo citra impietatem dixerit Christum Apostolis suis inferiorem; ita licèt interdum Papam vocetur minister vniuersalis Ecclesiæ, non propterea sequitur illa esse minorem, aut inferiorem, vt arguunt aduersarij, sed cum tali ministerio, humilique charitatis seruitute benè stat suprema eius, quam defendimus auctoritas super Ecclesiam vniuersalem tam distributiuè, quàm collectiuè, quàmque etiam illo altero loco Lucæ 22. [Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c. significatam fuisse sequens probabit argumentum.

Summus Pontifex Romanus non tantùm est caput, atque adeo superior Ecclesiæ vniuersalis distributiuè, sed etiam collectiuè, si ob singulare infallibilitatis priuilegium Diuo Petro, eiusque successoribus ibi à Christo Domino concessum, vt suos in fide fratres confir-

firmarent, vbi aliqua de illa orirentur dubia, ipsamet Concilia Generalia ad Romanum Pontificem semper confugerunt, sed ita res se habet: Ergo Summus Pontifex Romanus est caput, atque adeo superior vniuersalis Ecclesiæ tam distributiuè, quàm collectiuè sumptæ. Maior huius argumenti est etiam certa; cum enim ex vna parte confirmare, fortioris sit, & eius, qui maiorem obtinet firmitatem, ex alia verò Concilia Generalia, vt dicunt aduersarij sint ipsamet Ecclesia vniuersalis collectiuè, certè si talia Concilia, vt suam haberent firmitatem ad Summos Pontifices Romanos continuò recurrerunt, manifestè sequitur, eos esse superiores, præcellereve vt capita Ecclesiæ viuersali, nedum distributiuè, sed etiam collectiuè acceptæ: nam si Concilium esset supra Pontificem, aut sine persona ipsius supremam haberet auctoritatem formaliter, vel suppletiuè, vt docent aduersarij nec ad illum recursum haberi, nec eius etiam confirmationem expectari necesse vnquam esset; Quod autem omnia Generalia Concilia Catholica eam petierint, vt vt pro certis,ac infallibilibus reciperentur eorum decreta, vel iudicia in rebus ad fidem spectantibus, vbi semel illa accessisset; quæ est minor huius argumenti probanda, constat ex dictis in primo argumento, nec non locis pro eo citatis, ex quibus vnum duntaxat proferam testimonium Concilij Chalcedonensis act. 4. vbi in responso ad Leonem expressè dicunt Patres: [Eum ipsis sicut membris caput presuisse,in his, qui suum tenebant ordinem;] en quomodo Summum Pontificem non diuisi,sed conciliariter coniuncti,pro suo agnoscunt capite, & vt tale, ipsis, sicut membris, per suos Legatos præfuisse, indeque versùs finem confirmationem petentes [: Rogamus igitur, inquiunt, & tuis decretis nostrum honora iudicium, & sicut nos capiti in bonis adiecimus consonantiam, sic, & summitas tua filijs; quod decet, adimpleat.

Eòque Magis vrget hoc argumentum, quò tali confirmatione,vel præuia Pontificis, quam secuta fuissent Concilia, instructione deficiente, ostendimus illa non solùm nullam in obligando vim habere, sed ea errare etiam posse in decretis fidei;proptereaque nonnulla, vel eius auctoritate minimè congregata; vel congregata quidem eius auctoritate, sed non legitimè procedentia, qualia fuerunt Mediolanense Episcoporum plusquam CCC. sub Constantino, Ariminense Episcoporum DC. sub eodem, Ephesinum II. sub Theodosio iuniore, infirmata postmodum fuisse. Si enim Concilium sine Papa potest errare in rebus fidei, secus autem cum illo, manifestè sequitur Concilium non posse sine Papa omnia illa, quæ potest cum Papa, atque adeo non esse illo superius absolutè; sed è contra; Papam simpliciter, & absolutè dici debere superiorem vniuersalis Ecclesiæ non tantùm distributiuè sumptæ, verùm etiam collectiuè, hoc est, in Concilijs Generalibus congregatæ; quod præter adducta Scripturæ loca,suisque locis innumera Patrum testimonia, efficaciter probant sequentes rationes ex illis desumptæ.

Prima ratio est, quia particularis Ecclesiæ Episcopus non tantùm est singulorum subditorum,siue diœcesanorum, sed etiam totius collectionis eorum in vnum caput; Ergo etiam dum Summus Pontifex Romanus passim à Sanctis Patribus, Concilijsque Generalibus vocatur vniuersæ Ecclesiæ Papa, vniuersalis Episcopus, vniuersalis Princeps pastorum, & sic de alijs similibus titulis superioritatem in eo significantibus,& exprimentibus, non solùm debet intelligi quod sit caput supra singulos fideles, siue supra vniuersalem Ecclesiam diuisiuè sed etiam supra illos in vnum conciliariter collectos, siue supra eamdem Ecclesiam collectiuè. Patet consequentia primò, quia sicut ex hoc, quod Ecclesia sit nomen collectiuum, & Episcopus dicitur esse absolutè caput suæ Ecclesiæ particularis, non solùm est tale respectu illius diuisiuè, verùm etiam collectiuè; ita quoque ex hoc quod Ecclesia congregata, siue Concilium propriissimè est Ecclesia Christi,vt concedunt aduersarij; vbi Summus Pontifex Romanus dicitur absolutè caput vniuersalis Ecclesiæ. malè ab illis excipitur Ecclesia vniuersalis congregata, absurdum enim est, cùm aliquid de alio absolutè, & simpliciter pronuntiatur; excipere id,quod propriissimè per illud significatur. Secundò, quia non minùs Papa est Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, quàm quilibet Episcopus suæ diœcesis, siue non minùs habet pro sua adæquata iurisdictione totam Christianitatem, quàm Archiepiscopus V. g. Parisiensis suam Parisiensem Ecclesiam: Ergo si particularis Episcopus est caput suæ particularis Ecclesiæ tam diuisiuè, quàm collectiuè; idem quoque intelligendum est de Summo Pontifice Romano respectu vniuersalis Ecclesiæ, vbi vocatur à Patribus, & Concilijs eius Episcopus: Imò sicut Episcopus primariò est diœcesis Episcopus, secundariò verò, & ex consequenti suorum subditorum, ita quoque Summus Pontifex debet, primariò dici caput Ecclesiæ vniuersalis, secundariò verò omnium fidelium cuiuscumque status in ea viuentium, ac proindè cùm vniuersalis Ecclesia repræsentetur in Concilio Oecumenico, huius etiam erit caput, & superior, indeq;eruo alterã rationem pro hac veritate.

Secunda igitur ratio est, quia vniuersalis Ecclesia toto orbe diffusa ita sumitur diuisiuè comparata ad Concilium Generale, vt tamen semper sit congregata formaliter, quia ex diuinis scripturis est vnum regnum,vna familia, vel domus, vnus grex, vel ouile; & ex tali congregatione colligatur Concilium Generale, illamque materialiter dispersam quantum ad locum, dicatur repræsentare, ob prælatorum eius in vno, & eodem loco coniunctionem. Ergo si Summus Pontifex Romanus est caput, ac consequenter supra Ecclesiam diuisiuè sumptam, hoc est quantum ad locum per vniuersum orbem dispersam, sed semper in eodem spiritu fidei formaliter vnitam per modum regni familiæ, gregis, multò magis talem præcellentiam debet habere respectu eiusdem collectiuè in Concilio Generali adunatæ. Antecedens est certum; probatur consequens primò, quia eadem est formaliter Ecclesia toto orbe diffusa, cum seipsa conciliariter congregata, ita vt talis dispersio, & congregatio attenta, vel considerata penes locum, sit tantùm materialis; igitur si Ponti-

tifex Romanus est caput illius dispersæ per orbem, erit quoque illius congregatæ in vna ciuitate, vel loco; Secundò, quia quod ob præeminentiam suæ dignitatis est caput rei repræsentatæ, non minùs debet esse tale in ordine ad rem repræsentantem, congregatio enim repræsentans aliquam communitatem maiorem ex se non habet auctoritatem, quàm habebat, antequã ex tali communitate in vnum colligeretur sicque collecta illam repræsentaret, nisi aliundè, vel ob specialem statum illi accrescat: Ergo si Summus Pontifex ob suam præeminentiam, dignitatem, & auctoritatem est supremum caput vniuersalis Ecclesiæ toto orbe diffusæ per Concilium generale ex ea dumtaxat collectum repræsentatę, ita vt ex tali collectione, & repræsentatione, nihil plus quàm ante auctoritatis acquirat, dicendum est eum non minùs supra Concilium, siue supra Ecclesiam collectiuè, repræsentatiuè, quàm supra eamdem diuisiuè sumptam esse. Probatur, siue explicatur antecedens tùm in naturalibus, tum in moralibus; in naturalibus enim, ex hoc quod tota collectio hominum non excedat limites, aut perfectionem gradus rationalitatis, quam habent singuli homines diuisiuè sumpti, ideo tota hominum collectio non dicitur intensiuè perfectior, aut maioris perfectionis intensiuè, quàm singuli sint homines diuisiuè sumpti; vndè Angelus præcellens illis ita consideratis, non minùs præstat eisdem collectiuè sumptis. Idem etiam patet in moralibus, V. g. in comitijs Generalibus Regnorum formam regiminis simpliciter Monarchicam habentium, vt est Regnum Gallię, vbi eo ipso quod Rex noster Christianissimus est supremum caput Monarchicum totius Regni per suas prouincias diuisi, supremum quoque caput est comitiorum Generalium ex diuersis illarum prouinciarum membris coalescentium, quia eo ipso quod status regni est simpliciter Monarchicus, non & Aristocraticus, talibus comitijs Generalibus ex toto regno collectis, illudque repræsentantibus maior non inde competit auctoritas, quàm ipsimet regno diuisiuè sumpto; indeque Rex vtroque modo, siue absolutè dicitur sui regni caput, supraque illud esse. Cuius oppositum accidit in Rebus publicis formam regiminis simpliciter Aristocratiam, aut Monarchię prępualentem habentibus, vbi earum Duces, vel Principes, ita singulis membris diuisiuè consideratis auctoritate pręcellere possunt, vt tamen in ordine ad regimen, Senatui ex illis composito, vbi solùm sunt primi inter pares, nequaquam illi pręemineant, quia status earum simpliciter Aristocraticus, nec non interdum leges vniuscuiusque Reipublicę, plus vel minus suis Ducibus concedentis, ita exigunt, vt Optimates plus habeant auctoritatis collectiuè, quàm diuisiuè considerati. Ex quibus satis manet explicata, & probata veritas nostri antecedentis, nec non etiam consequentis, si semel ostendatur Ecclesiam collectiuè sumptam, siue Concilium Generale, siue Episcopos illud componentes nouum ius non comparare, inde enim manifestè sequetur, quod sicut ante Concilium singuli Episcopi Romano Pontifici subiecti sunt, ita & in Concilio: hęc autem sequenti pręstabimus argumento, interim sit tertia, & vltima ratio contra hanc distinctionem, qua huius tertij argumenti vim eludere aduersarij conantur.

Tertia ratio fundatur in ipsismet metaphoris capitis, pastoris, & alijs similibus, quibus vtuntur Concilia, & Patres ad significandam superioritatem, vel supremam auctoritatem Romani Pontificis in Ecclesia: igitur, sicut in corpore naturali, caput propriè dicitur caput totius corporis V. g. hominis impropriè autem, & ex consequenti cæterorum membrorum seorsim sumptoria v. g. manus, aut brachij hominis: ita quoque, vbi Summus Pontifex vocatur à Concilijs, & Patribus supremum Ecclesię caput, vt hac metaphora explicent superioritatem, quam habet super illam, tanquam super corpus mysticum, & spirituale, debet primariò intelligi de illa collectiuè, & vt est vnum corpus mysticum aut in se, aut repręsentatiuè in Concilio; secundariò autem de illa diuisiuè sumpta, siue de particularibus Ecclesijs, aut Episcopis, quatenus sunt membra illius collectiuè considerate, siue, vt est vnum corpus mysticum, aut in se, aut repręsentatiuè in Concilio. Quod in cap. quamuis vniuersę, 22. distinct. rectè his exprimitur verbis: [Quamuis vniuersæ per Orbem Catholicæ, & Apostolicæ constitutæ Ecclesiæ vnus thalamus Christi sint, tamen Sancta Romana Ecclesia nullis Synodicis constitutis, cęteris Ecclesijs prælata est, sed voce Domini:] Nempè, ideò Romanam Ecclesiam, siue Summum Pontificem eius Episcopum prælatum esse cæteris Ecclesijs, quia Ecclesiæ vniuersali à Deo præfectus est; sicut, ex dictis supra, ideò Episcopus est singulorum subditorum caput, vel pastor, quia in totam Diœcesim primò, ac per se ius, & potestatem habet. Et hæc dicta sufficiant pro tertio argumento, præcludendoque aduersùs illud effugio per distinctionem Ecclesiæ vniuersalis in se ipsam diuisiuè, & collectiuè consideratam; quæ cum magis sit subtilis, quàm solida, mirum est velle aduersarios, quod ab ea dependeat tantæ controuersiæ resolutio, necnon Scripturarum, Conciliorum, & Patrum intelligentia, vbi absolutè, & sine vlla prorsùs dictæ distinctionis vmbra, vocant Summum Pontificem supremum Ecclesiæ vniuersalis Caput, Pastorem, & Rectorem.

Quartò probatur nostra conclusio, siue superioritas Summi Pontificis supra Concilium Generale, argumento desumpto ex regimine Ecclesiæ, quod sic in formam reduco: forma regiminis Ecclesiæ non ab ea, sed à Christo Domino instituta, est simpliciter Monarchica; Ergo cui Christus Dominus, in ea tamquam in suo Regno Apocalyp. 5. [Fecisti nos Deo nostro regnum,] supremam dedit potestatem Monarchicam, siue quem loco sui visibilem Monarcham reliquit, ille debet omnibus simpliciter, & absolutè præstare, nulli autem substare: sed Christus Dominus talem dedit potestatem, sibi tamen subordinatam Romano Pontifici legitimo Diui Petri successori pro tempore existenti, non autem Concilio Generali: Ergo Summus Pontifex Romanus simpliciter, & absolutè præcellit, non autem subijcitur Concilio Generali. Probantur, & explicantur singulæ propositiones huius argumenti.

In

In primo antecedenti dicitur formam regiminis Ecclesiæ non ab ea, sed à Christo Domino fuisse institutam; quia si Ecclesia illam instituisset, vt posset illam destruere, vel mutare, ita quoque posset absolutè ea ob sua crimina, etiam citra hæresim, abutentem deponere; vt exemplificant aliqui in regnis terrenis, vbi, quia summa potestas Monarchica Regum profecta est à populo, siquidem populus facit Regem, qui alioqui esset homo priuatus, sicut cæteri, omnes enim homines naturaliter sunt liberi, & æquales, nec posset vnus cęteris imperare, ni illi se ei subijcerent, & super se potestatem ei concederent, semper intelligitur talis potestas radicaliter, & suppletiuè esse in Regno, proindeque illud posse Regem sua auctoritate abutentem, ac in tyrannum degenerem depónere: Quam doctrinam etsi non approbem, sed potiùs cum Diuo Thoma lib. I. de regimine Principum cap. 6. existimem; [Si omninò contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum esse ad Regem omnium Deum, qui est adiutor in opportunitatibus in tribulatione; eius enim potentiæ subest, vt cor tyranni crudele conuertat in mansuetudinem secundùm Salomonis sententiam: cor Regis in manu Dei, & quòcumque voluerit vertet illud, &c. & infra, tyrannos verò, quos reputat conuersione indignos potest auferre de medio:] Illam tamen adducere volui, primò; vt ostenderem disparem esse rationem Regni terreni, & Regni Christi qualis est Ecclesia, vbi eo ipso, quod illa Pontificiam dignitatem, supremamque illi annexam auctoritatem non instituit, sed totum hoc à Christo Domino suam originem habuit, nec potest eam destruere, nec potest legitimum, ac certum Pontificem ea gaudentem deponere, ob alia citra hæresim, crimina, vt explicuimus sect. superiori cap. 16. necnon supra cap. 4. quidquid sit de Regno terreno, vbi si hoc, vt putamus, locum non habet ad euitandas stante hominum malitia infinitas rebelliones; multò minùs in Ecclesia locum habere debet, vt Concilium Generale, ob solam scandalosam Summi Pontificis vitam, possit eum suo priuare Pontificatu. Secundò etiam, vt monerem Monarchiæ temporalis amatores, quàm malæ, perniciosæque consequentiæ sit pro Regibus, ac Principibus tum in hoc, tum in alijs sententia docens talem esse in Concilio Generali potestatem respectu Summi Pontificis. Hactenus pro explicatione primi antecedentis; quod enim forma regiminis Ecclesiæ sit Monarchica suppono ex dictis sectione superiori.

Nunc primum consequens probatur, quia Ecclesia quomodocumque considerata, siue diuisiuè, siue collectiuè, nullam habet ex se auctoritatem, sed omnis est in Christo, & in ijs, quibus Christus eam communicare voluit; solus igitur in ea sic honorabitur, quemcumque Rex Christus voluerit honorare, siue cui supremam auctoritatem Monarchicam contulerit, solus ille omnibus tam diuisè, quàm collectiuè simpliciter, & absolutè præeminebit, nulli autem nisi Christo subiacebit. Quod enim respondent aduersarij ex Almaino, regimen Monarchicum non ideò tale esse quod vnus sit toto residuo superior, alioquin, inquiunt, in ciuilibus nullum esset tale regimen, cùm Reges toto suo Regno simul sumpto non sint maiores, & superiores, sed ideò vocari Monarchicum, quia vnus quolibet alio seorsim sumpto, est superior; hæc, inquam, responsio, quæ non minùs Regibus, quàm Summis Pontificibus est iniuriosa, esto posset admitti in primis, quia, ex ijsdem aduersarijs, eorum auctoritas primùm à populo, vel regno deriuata est, in supremo tamen Ecclesiæ Monarcha non valet, primò, quia suam ab Ecclesia auctoritatem non recipit; sed à solo Christo, quare qui semel ab eo constitutus est supremus Ecclesiæ Monarcha, nedum talis est respectu Ecclesiæ diuisiuè, aut superior est vno quolibet fideli seorsim sumpto, verùm etiam omnibus simul sumptis tam entitatiuè, quàm repræsentatiuè in Concilio Generali. Secundò, quia ni ita superior esset, iam Status Ecclesiæ non esset simpliciter Monarchicus, quod esse falsum satis ostendimus sectione superiori: Sequela autem probatur, quoniam ille Status non est simpliciter, & absolutè Monarchicus, cui tandem præualet Aristocratia, siue optimatum regimen, & auctoritas: at si supremus Ecclesiæ Monarcha à Christo constitutus ConcilioGenerali superior non esset, sed illi potiùs absolutè subijceretur, adeò vt citra hæresim ob alia crimina posset illum deponere, iam Aristocratia, Optimatumque auctoritas in Ecclesia præstaret, simpliciter ergo, & absolutè Monarchicus non esset eius Status. Nec refert, quod Concilium Generale non semper duret, hoc enim merè per accidens se habet, sicut enim mortuo Summo Pontifice, duranteque interregno, non propterea Status Ecclesiæ desinit esse Monarchicus, ita supposito, quod suprema Ecclesiæ auctoritas finaliter esset in Concilio Generali, qua simpliciter, & absolutè præstaret Pontifici in regimine Ecclesiæ, non desineret eius Aristocratia, eòque magis, quò ex aduersarijs, inuito etiam, ac renitente certo, & indubitato Pontifice Concilium Generale se sua potest auctoritate congregare. Attenta igitur institutione Christi Domini, qua statum, ac regimen Ecclesiæ voluit esse simpliciter Monarchicum; qua loco sui, tamquam Vicarium supremum, qui eam regeret, Monarcham reliquit, Romanum, videlicet, Pontificem, vt mox dicemus, necessariò sequitur eum nulli simpliciter, nisi soli Christo Regi seculorum immortali, & inuisibili subesse, præesse verò ijs omnibus loco Christi, quibus Christus ipse inuisibiliter præest, & quibus etiam præesset visibiliter, si adesset visibiliter, inter quæ proculdubiò, non solùm Ecclesiæ particulares, sed etiam tota Ecclesia vniuersalis, Generaliaque Concilia eam repræsentantia connumerari debent. Tertiò, tandem præfata non valet responsio, quia sequitur ex ea, supremum à Christo constitutum in Ecclesia Monarcham, ne quidem esse talem respectu Episcoporum seorsim sumptorum; vel potiùs esse talem, vt concedunt aduersarij, pertinetque ad fidem; & non esse talem, sed vnum ex illis, & non supra illos auctoritate iurisdictionis, de potestate enim ordinis non est difficultas, quia subijceretur Concilio, vt Optimatum iurisdictionem, ac superioritatem super eum simpliciter haben-

tium collectioni; In tantùm enim in Rebuspublicis, vbi regimen est simpliciter Aristocraticum, Optimates non quidem seorsim sumpti, sed collectiuè iurisdictionem, ac superioritatem simpliciter habent super Reipublicæ Ducem in quantum ipse ex se, aut ab alio superiori tam ad ipsum, quàm ad Optimates Reipublicæ, Monarcha non est, sed tantùm vt vnus ex illis, & non præ illis, primusue sola dignitate Ducali inter pares eadem auctoritate iurisdictionis, vel in partem dumtaxàt sollicitudinis Reipublicæ gerendæ cum illis vocatus, non autem vt habens in ea plenitudinem, siue totalitatem potestatis; ibi namque cùm sit vnum totum merè extensiuum, vel numericum, valere quidem potest illud axioma, quod tantopere solent vrgere aduersarij, totum scilicet maius esse sua parte, vel supra illam esse: Ergo à pari si in Ecclesia Concilium Generale, siue Episcopi, vt Ecclesiæ Optimates in eo simul collecti, simpliciter, & absolutè superiores essent Summo Monarchæ Romano videlicet Pontifici, à Christo Domino instituto, & Ecclesiæ Præfecto, sequeretur illum esse Monarcham, & non esse Monarcham eorum seorsim etiam consideratorum; quod cùm sit absque vllo dubio hæreticum, dicendum est eum simpliciter, & absolutè Monarcham esse, omnesque Ecclesiæ partes quantumuis simul vnitas, & collectas, vtpotè eiusdem rationis, vocatasque solùm in partem sollicitudinis, ad tantam perfectionem peruenire non posse, vt supremo eius Monarchæ plenitudinem potestatis habenti simpliciter sint superiores; ideòque in hoc casu non valere maximam, quod totum, siue cęteræ partes, sint maiores vna parte, etsi enim currat in toto quantitatiuo, siue continuo, siue discreto, non tamen in toto potestatiuo, & vbi vna pars sola cęteris omnibus præcellit; seu quod idem est, licèt verum sit, totum esse maius sua parte totalitate quantitatis dimensiuæ, vel numeralis, non tamen totalitate quantitatis virtualis, potest enim contingere, quod vna virtus, vel vna pars eam habens possit se ad plura extendere obiecta, quàm cęteræ, vt in principio huius capitis prænotauimus: & ita de facto se habet in Supremo Ecclesiæ Monarcha, quo illa quidem, vel Concilium Generale potest dici maius vnitate numerica, cùm Ecclesiæ Monarchatus spiritualis, vel summus Pontificatus, ponat in numero cum cęteris eius dignitatibus; secùs autem quantitate virtuali; Pontificia siquidem auctoritas sola ad ea se extendit, quæ possunt omnes, & inferiores dignitates, nec non ad alia plura, & maiora, ad quæ sine Pontificia auctoritate illæ pertingere non possunt, siue seorsim, siue vnitim accipiantur; imò vt in primo ostendimus argumento, ab ea tamquam à fontali principio omnis iurisdictionis, quicquid in illis reperitur auctoritatis semper emanauit. Ex quibus constat veritas primi consequentis, illum videlicet, cui supremam in Ecclesia dedit auctoritatem Christus Dominus, quemue loco sui visibilem Monarcham reliquit, debere omnibus simpliciter, & absolutè præstare, nulli autem, nisi eidem Christo substare.

Quantùm iam ad tertiam propositionem subsumptam, quod Christus Dominus huiusmodi auctoritatem Summo contulerit Pontifici, non autem Concilio Generali, etsi sufficienter maneat probata ex dictis superiori capite, iterum eius veritatem breuiter sic ostendo.

Primò, quia si talem supremam auctoritatem Concilio dedisset, non esset Monarchica, sed Aristocratica regiminis Ecclesiæ forma, in qua suprema potestas non esset penès vnum, sed penès Concilium, vt à Summo Pontifice distinctum, in hoc enim sensu modò loquimur, non autem de illo, vt Summum includit Pontificem, sic enim libenter admittimus, Concilium cum Papa saltem esse maius solo Papa extensiuè, non autem intensiuè, eo proportionali modo, quo Deus cum mundo spectatus, maius bonum extensiuè, vel numericè dicitur, quàm cùm solus, & absque mundo consideratus.

Secundò, Summus Pontifex est proximus, & immediatus Christi Vicarius, vt ex articulis in Concilio Constantiensi à Martino V. damnatis constat, non ex eo præcisè, quia Christus immediatè potestatem Papalem instituit, quam ipse exercet, sic enim quilibet Episcopi, & Sacerdotes essent eodem iure immediati Christi Vicarij cùm potestate à Christo instituta omnes fungantur: Summus igitur Pontifex ideo proximus, & immediatus Christi Vicarius dicitur, quia Summam, vel Monarchicam illi contulit auctoritatem, indeque loco illius toti præesset Ecclesiæ, patet hæc consequentia, præfatum siquidem Concilium, necnon sancti Patres, vbi Summum Pontificem immediatum Christi Vicarium appellant, certè aliquid amplius in illo, quàm in reliquis Prælatis, & Sacerdotibus, pro hoc immediato Vicariatu statuunt; illud autem aliud esse non potest quàm suprema, & Monarchica, qua loco Christi vniuersalem Ecclesiam gubernat, auctoritas.

Quod enim respondent aduersarij, Vicariatum Pontificis esse ad totam Ecclesiam, aliorũ verò Episcoporum tantùm ad Ecclesias particulares non satisfacit, tum quia, hìc de Vicariatu, respectu obiecti, nempè Ecclesiæ non agitur, sed de Vicariatu respectu Christi quem dicunt Patres ipsi Pontifici proximè, & immediatè conuenire, tum maximè quia in tantùm etiam dicitur Vicarius totius Ecclesiæ, in quantùm à Christo Domino supremam in illa potestatem habuit; vt proximus, & immediatus eius in Ecclesia Vicarius.

Minùs satisfacit, quod ab ijsdem aduersarijs secundò respondetur, nimirum Papam esse proximum, & immediatum Christi Vicarium dupliciter posse intelligi; vno modo, quod immediatè à Christo nullo interueniente actu humano, seu consensu subditorum in se, vel in gerentibus eorum vices, sit electus qua ratione certum est: nullum fuisse immediatum Christi Vicarium in spritalibus præter Diuum Petrum: altero modo, quod dicatur immediatus Christi Vicarius, quatenus potestatem immediatè à Christo institutam, & Ecclesiæ corpori relictam exercet; quo sensu tantùm, inquiunt aduersarij, cùm quilibet Pontifex sit immediatus Christi Vicarius, non obstat quominùs ab Ecclesia tamquam à superiori dependeat, eiusque beneficio, seu me-

mediante ipsa Papalem potestatem accipiat. Hæc inquam responsio, ob multa quæ continet falsa, & absurda omninò reijcienda est.

Primò enim, vt sectione superiori cap. 9. diximus, & probauimus, aliud est designatio personæ in Papam assumendæ, aliud verò collatio dignitatis, vel potestatis Pontificiæ illis competentis, etsi enim hæc duo coniuncta fuerint, quando Christus Dominus personam Petri in supremum Ecclesiæ Monarcham designauit, & elegit, illique potestatem eius propriam concessit, posse tamen hæc duo inter se separari ibidem ostendimus & vbi Summus Pontifex de nouo iam creatur, electores personam quidem designare, at solùm Christum Dominum immediatè illi conferre Pontificiam dignitatem, omniaque illi annexa priuilegia, adeo vt non sit minùs Christi Vicarius, quàm Petrus, nec minorem eo potestatem accipiat: Igitur quamuis concedi debeat Summum Pontificem pro tempore electum posse ab Ecclesia, vel ab electoribus eius suæ personæ designationem agnoscere, quæ tamen adhuc non potest non eum eligere, supposita diuina institutione; nihilominus soli Christo pro dignitate, & auctoritate collata gratias agere debet, nec in ea quidquam ab Ecclesia, aut eius consensu dependet, sed purè deriuatur ex lege, & decreto quodam diuino, quo Christus Dominus certò statuit eam personæ ritè, legitimèque electæ conferre, quod quidem decretum diuinum nulla humana auctoritate, aut potestate suppleri, mutari, vel limitari posse, satis per se notum est.

Secundò, quia sequeretur non tàm Petrum fuisse, Summumque Pontificem eius successorem pro tempore existentem, esse immediatum Christi Vicarium, quàm ipsammet Ecclesiam, immò illa sola, vt contradistincta à Pontifice, esset Vicaria immediata Christi; Pontifex autem Ecclesiæ dumtaxat Vicarius immediatus, Christi autem mediatus, siquidem ab ipsa in eum auctoritas deriuaretur, & quidquid ageret, nomine Ecclesiæ, quam repræsentaret, cuiusque Vicarius ac minister esset, ageret; quatenus aduersarij docent contulisse Christum claues Petro, ac eis proinde successoribus, vt signo, & figuræ Ecclesiæ, ideoque peramplius; & magis eas contulisse Ecclesiæ; quorum omnium falsitas: & absurditas ex se patet, sufficienterque à nobis demonstratum fuit sectione superiori, soluto etiam ibi quodam Diui Augustini testimonio, quo in sui fauorem abutuntur aduersarij, quod claues Ecclesiæ entitatiuè sumptæ, siue toto orbe diffusæ, vt à Petro, eiusque successoribus, & alijs Prælatis distinguitur, concessæ non fuerint; alioqui cerdones, baiuli, lanij; & quælibet vilissimę personę claues Regni Cælorum haberent, neque consequenter ipsi Ecclesię, pro vt est in Concilio congregata, siue Conciliariter collectæ, vt distinguitur ab ijsdem Prælatis, ex quibus componitur, si enim Concilium Generale ita consideratum auctoritatem non habet ex aduersarijs, nisi in quantum Ecclesiam vniuersalem repræsentat; certumque sit, Christum nullam Ecclesiæ vniuersali potestatem contulisse, sed solis Apostolis, eorumque successoribus; sequitur quoque Concilium Generale aliam non habere, quàm quæ competit ipsis Prælatis inter se conuenientibus, & ex suis potestatibus, quas à Deo acceperunt, vnam quamdam communem, & totalem statuere volentibus. Quare vbi interdum dicitur, vniuersalem Ecclesiam, vel Concilium Generale eam repræsentans, immediatam à Deo habere potestatem, qua phrasi potissimùm vtitur Concilium Constantiense, in præfato sensu debet intelligi.

Aliqui rationum pondere conuicti respondent tertiò, verum esse, quod Christus Dominus supremam Romano Pontifici in Ecclesia auctoritatem contulerit, tamquam suo proximo, & immediato in illa Vicario, ita vt formaliter, & subiectiuè sit in illo tota iurisdictionis Ecclesiasticæ plenitudo; cumque consequenter asserunt, non fuisse a Christo Domino institutum, tamquam instrumentum generale Ecclesiæ ad omnes actiones eius nomine exercendas, vt accideret, si suprema Ecclesiastica potestas principaliùs, & immediatiùs esset in Ecclesia, Concilioue Generali illam repræsentante, quàm in Summo Pontifice: At quia ille tanta sua abuti potest auctoritate, vel malè docendo, vel impiè viuendo, ideo in Ecclesia aliam fuisse institutam maiorem auctoritatem veluti regulatiuam, aut suppletiuam defectuum Pontificis.

Sed hæc etiam responsio nullius est momenti; licèt enim libenter admittamus, quod vbi tempore, præsertim schismatis Pontifex est dubius, aut vbi certus, & indubitatus in priuatam cadit hæresim, Ecclesia ius habeat illum deponendi, modo explicato sect. superiori cap. 9. & 17. quia in primo casu ita est, ac si non esset: in secundo autem iam per hæresim reddidit se putridum, ac mortuum ciuiliter Ecclesiæ membrum, vt alius, sicut fit propter mortem naturalem, eius loco eligatur, negamus tamen huiusmodi auctoritatem esse Pontificia absolutè maiorem, aut distinctam ab ea, quam habent eius Prælati, tam seorsim, quàm simul spectari, quocumque enim modo ius habent separandi se à Papa manifestè hæretico, nec ad hoc requiritur semper conciliaris eorum congregatio, quodque illa consequenter, citra duos casus, possit se extendere ad certum, & indubitatum Pontificem etiam vsque ad iuridicam eius ob alia crimina depositionem. Tale enim remedium latam schismatibus, ac rebellionibus viam aperiens, maloque ipso peius, vt supra cap. 4. notauimus, Christum Dominum Ecclesiæ libertati, vel auctoritati non reliquisse, testantur huc vsque dicta, tum ipsa remedij malignitas, tum denique quod idem Christus ait Matthæi 23. [Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ; & Pharisæi; omnia quęcumque dixerint vobis seruate, & facite, opera autem eorum nolite facere:] Quibus verbis significare voluit, quamdiu bene docent Prælati, tamdiu esse audiendos, & retinendos, sed quouis crimine, si hæresis, & schisma excipiatur, Summus detineatur Pontifex, rectè docere non desinit; ergo propter illud nequaquam Christus voluit eum esse deponendum; sed de alijs opportunioribus remedijs, vt loco citato diximus prouidit,

uidit, & iterum explicabitur conclusione sequenti.

Insuper data responsio supponit falsum, Summum, videlicet, Pontificem seorsim à Concilio Generali, sua auctoritate in docendo abuti posse, oppositum enim satis ostendimus sect. superiori, ex priuilegio infallibilitatis Diuinitùs illi concesso, sed esto tale non haberet priuilegium, vt contendunt aduersarij, nec etiam illud, immò multò minùs Concilio seorsim à Pontifice competere cap. & demonstratum est, solùmque apud omnes Catholicos certum est de fide, Concilium Papæ adhærens, errare non posse: Igitur licèt posset admitti in hac suppositione defectibilitatis vtriusque extremi seorsim, non vnitim, posse dici, quod Concilium Papæ adhærens, est suprà Papam, siue sententiam Concilij cum Papa, aut Papæ cum illo, præferendam esse sententiæ solius Papæ; hoc non est ad rem, in præsenti enim conclusione non agimus de istis extremis provt in toto includuntur, vel illud componunt, sed de illis provt inter se, siue ad inuicem distinguntur, qua ratione, licèt iterum admittamus, quod vnum altero dici maius non posset ob priuilegium infallibilitatis nihilominus, Summus adhuc Pontifex ob supremam, quam haberet in Ecclesia auctoritatem Monarchicam præ Concilio, supra illud esse simpliciter; & absolutè dicendus esset, vnde semper manet vndequaque firma nostræ conclusionis veritas; simulque iuxta opinionum diuersitatem explicari potest: quid sit Papam cum Concilio, vel Concilium cum Papa esse seipsis quid maius intensiuè, & extensiuè: In sententia enim illorum, qui ipsis vnitim dumtaxat sumptis concedunt priuilegium infallibibilitatis, secus autem si considerentur seorsim dicendum est Papam cum Concilio, vel Concilium cum Papa esse seipsis maiora non solùm extensiuè, verùm etiam intensiuè: de maioritate extensiua, vel quantitatiua patet, ea ratione, qua omne totum sic sumptum semper est maius sua parte; probatur verò de intensiua, quia ad hoc vt Papa cum Concilio, aut vice versa, dicatur seipso maior intensiuè, nil aliud requiritur, nisi quod sic vnitim consideratus habeat aliquod priuilegium, quod ipsi soli, vel seorsim spectato non competit: sed vt supponimus in ista sententia conuenit ipsi cum Concilio priuilegium infallibilitatis in rebus fidei, quod non habet seorsim ab illo sumptus; secundùm hanc ergo sententiam Summus Pontifex cum Concilio Generali, non solùm est seipso maior extensiuè, verùm etiam intensiuè. Iuxta illos autem, qui veriùs nobiscum illi seorsim à Concilio Generali tribuunt præfatum non errandi in rebus definiendis priuilegium, debet solùm cum tali Concilio dici maior seipso extensiuè, non autem intensiuè.

Quintum argumentum pro veritate nostræ conclusionis asserentis absolutam Romani Pontificis supra Concilium generale auctoritatem, desumitur ex hoc, quod Summus Pontifex in Legibus Conciliorum potest dispensare; pro cuius intelligentia notandum est tales leges esse triplicis generis: aliæ sunt iuris naturæ, vt prohibitio fornicationis, Magiæ, duellorum, vsuræ, & similium, quas, quia in nonnullis hominibus lumen naturæ, si non est penitùs extinctum, saltem valdè est obscuratum, renouari interdum fuit necesse, aliquibus Conciliorum decretis: Aliæ sunt iuris diuini, vt quæ ad fidem, & Sacramenta spectant, quatenus ortas de illis quæstiones nonnunquam Concilia generalia definierunt, quidque credendum esset suis canonibus statuerunt: Aliæ tandem sunt iuris merè Ecclesiastici; Dum igitur in præsenti argumento Romanum Pontificem Concilijs generalibus superiorem esse, ostendere intendimus, non procedit de duobus primis legum generibus, sed de tertio; vt enim Romanos Pontifices illis contraire non posse, quodque Diuus Gregorius quatuor Concilijs Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, tanquam quatuor Euangelijs honorem haberi voluerit, manifestum est infallibilitatis Pontificiæ signum, non autem subiectionis ad Concilia, vt malè inferunt aduersarij, siquidem Gregorius non loquitur de Concilijs à Romano Pontifice contradistinctis, sed summa eius auctoritate congregatis, directis, & confirmatis, nec de illis in materia iuris purè Ecclesiastici, sed fidei, cuius euidens argumentum est, quod Canonem Concilij Chalcedonensis (quod cum alijs tribus Concilijs, tamquam Euangelium suscipiebat) quo Patriarcha Constantinopolitanus proximus post Romanum statuebatur, repudiarit, quem sciret ex ambitione Patriarcharum, & fastu Imperatorum profectum esse; vt, inquam, inuiolabilis Conciliorum in materia fidei obseruantia arguit in Summis Pontificibus infallibilitatem, ita & eorumdem supra omnia Concilia potestatem, quod eorum leges, vel decreta, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam, & ad ius merè Ecclesiasticum spectant, possit omninò, vel abrogare, si iam inutiles existant, contrariasque sancire, vel legem latam, antequam promulgetur, infirmare, inanemque reddere, vt fecit Diuus Leo, qui Canonem latum, vt mox dicebamus, in Concilio Chalcedonensi de primatu Sedis Constantinopolitanæ supra Alexandrinam noluit approbare, vel denique aliqua in causa easdem dispensare; abrogare enim leges, aut in illis dispensare dum vigent, nemo potest nisi, qui eas condidit, vel illo est superior, si talis igitur auctoritas Summo competit Pontifici respectu Conciliorum, sicut quod, & ambiguitates ex decretis eorum ortas interpretetur, vt ait Gregorius dist. 17. cap. Nec licuit: [Quoties aliqua de vniuersali Synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo, quod non intelligunt, rationem, aut spontè hi, qui salutem animæ suæ desiderent, ad Apostolicam Sedem pro recipienda ratione conueniant:] manifestè sequitur Papam, simpliciter, & absolutè Generalibus præstare Concilijs.

Talem verò potestatem ipsi competere, testantur plura, quæ superiori Sectione c. 16. passim attulimus, tam iura, quàm facta; deindè ipsamet quotidiana experientia, tum denique ratio, qua, supposito semel Monarchico Ecclesiæ statu, quodque necessè sit, in ea dari, sicut, & in omnibus alijs Monarchijs, quandam potestatem dispensandi de legibus Ecclesiasticis pro varietate locorum, temporum, & personarum, non potuit illa me-

meliùs à Christo collocari, quàm in Summo Pontifice Romano, quem supremum Ecclesiæ Monarcham, suumque in ea Vicarium visibilem constituit. Cui ordinationi, vel institutioni Christi Domini, omnino repugnat, quod talis potestas fuerit Papæ à Concilijs commissa, vt dicere possent aduersarij, præterquam enim nullum talis commissionis habetur fundamentum in Scriptura, & Patribus, iam Summus Pontifex, non tam Monarcha, aut immediatus Christi Vicarius, quàm Conciliorum minister appellandus esset, cuius absurditatem supra satis ostendimus, necnon insuper ex eo patet, quod Concilium, à quo lex manat, posset ratione suæ superioritatis, quam illi tribuunt aduersarij, quemcumque Legatum, aut Vicarium constituere, qui de lege opportuno tempore, rationabilique ex causa dispensaret, quique consequenter plus posset circa legum Concilij dispensationem, quam possit Summus Pontifex immediatus Christi Vicarius Generalis, in plenitudinem potestatis Ecclesiæ assumptus, vbi Matth. 16. vniuersaliter Petro, & in illo Summis Pontificibus eius successoribus dictum est, [Quodcumque solueritis super terram, erit solutum & in Cœlis;] & Ioannis vltimo, [Pasce oues meas.] Huius tandem responsionis, si daretur ab aduersarijs, falsitas constat ex sacrosancto Concilio Tridentino sess. 25. cap. 1. cum enim aliqua statuisset, in quibus manus Pontificis ligari quodammodo viderentur, talem condidit Canonem. [Postremò sancta Synodus, omnia, & singula, sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tàm sub fel. recor. Paulo III. ac Iulio II. quàm sub beatissimo Pio IV. Pontificibus Maximis, in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, instituta fuisse, vt in his salua semper auctoritas Sedis Apostolicæ, & sit, & esse intelligatur.] Vbi certè sacra Synodus suam non delegat auctoritatem Papæ, vt in legibus ab ea statutis dispensare aliquando posset, sed potiùs, quod aliqua forsan sanxisset, quæ Pontificiam lædere facultatem possent, aut verò ab æmulis in malum sensum trahi, declarauit in his omnibus saluam semper auctoritatem Sedis Apostolicæ, & esse, & intelligi debere; eo quod, vt gubernatio Ecclesiæ non spectat ad Concilium, sed ad Papam principaliter, ita etiam cuncta in Concilijs decreta, quæ iuris positiui sunt, iudicio, & arbitrio Papæ subijciuntur ad dispensandum, vel non in illis, iuxta varias, quæ in dies accidere possunt pro bono Ecclesiæ regimine, occasiones, vel necessitates.

Quod autem aliquando Summus Pontifex tali sua abuteretur auctoritate malè, & illegitimè dispensando, hoc est aliquem ab obligatione legis soluendo rationabili, & iusta non interueniente causa, non propterea negari debet absoluta eius in dispensando facultas, quodque talis dispensatio vim suam non haberet, cum etiam Concilium, cui aduersarij talem concedunt potestatem posset illa abuti, in huiusmodi enim rebus meri facti, nec Papam, nec Concilium gaudere priuilegio infallibilitatis satis patet, & tamen valida esset eius dispensatio, quia decreta, vel leges, quibus etiam earum dispensatio prohibetur, ex se non impediunt, quominùs legislator, aut illo superior de illis validè dispenset, vulgata iuris regula docente [Multa prohiberi fieri, quæ si fiant obtinent robur firmitatis, sed tantùm obstant: quominùs licitè, & absque peccato id præstent Cæterum, quid Papa possit, & quid non, & quibus casibus illi sit parendum, vel non, id non pertinet ad subditos definire, vt aliàs notauimus sectione superiori, tum quia sacrilegium est de potestate Principis disputare 17. quæst. 4. Can. Si quis, §. committunt tum quia huiuscemodi determinatio, est actus iurisdictionis, & pars quodammodo gubernationis, quæ subditis respectu superiorum nequaquam competit. tum denique, quia si permitteretur, magnum inde potestati Ecclesiasticæ damnum immineret, attento subditorum libertatis amore quo excæcati in rebelliones, atque seditiones facilè degenerarent, vnde si ob hanc, & alias similes rationes, Magistratus in Regnis secularibus non permittit, vt subditi de suis Regis potentia disputent, & determinent, id potiori iure non est in Ecclesia fatendum, respectu Papæ supremi Ecclesiæ Pastoris. Quod etsi principaliùs intelligendum sit; iuxta doctores, de iuridica determinatione, nihilominùs ad doctrinalem quoque extendendum puto, nisi debita cum reuerentia, saluoque semper honore Pontificis fieret.

Porro, sicut ex abusu aliquorum Summorum Pontificum, si daretur, in dispensandis legibus Conciliaribus, malè colligeretur defectus in hoc potestatis, ita etiam ex nimia, quam interdum profitentur: obseruantia in illis, tam in se, quàm in alijs custodiendis. Eos enim profiteri se tales leges aut alias seruaturos, & fateri se esse illis obnoxios, & alligatos, valde differre innumera probant exempla, sufficiat modò illud Christi Domini, qui legem veterem in rigore obseruauit, licèt illius esset Dominus, non subditus, Matth. 12. Dominus Sabbathi, est filius hominis, nec non Beatissimæ Virginis Mariæ, quæ licèt obnoxia non esset legi Purificationis, eam tamen ad euitandum scandalum, & ad obedientiæ; humilitatisque exemplum seruare voluit. Etsi ergo Summi Pontifices, in seruandis legibus, ita se rigorosos cum semetipsis, & cum alijs aliquando tum dictis, tum factis demonstrent, non ideo sequitur eos illis esse subditos, vel ita teneri, vt eas non tantùm ipsi obseruare debeant, sed etiam cum illo de ijs dispensare possint. verum, vt firment exemplo, quod docent verbo, quia vt ait Isidorus 3. sentent. cap. 52. [Iusta vocis Regum est auctoritas, si quod populis prohibent, sibi licere non patiantur,] & quia ex nimia dispensandi cum alijs facilitate, aut frequentia statum Ecclesiæ turbari, leges inutiles reddi, aliaque similia mala, & damna oriri posse rationabiliter timent.

Sextum pro nostra conclusione argumentum fundatur in iure appellationum; cum enim appellatio semper fiat ab inferiori iudice ad superiorem, & non vice versa, vt omnia docent iura, si semel verum est, tale ius competere Apostolicæ Sedi, Romanoue Pontifici; quod ab eo appellare minimè liceat, & ad

& ad eum semper, tamquam ad supremum, & vltimum iudicem prouocatum fuerit, inde quoq; manifestè cõstabit absoluta eius auctoritas super omnia concilia Generalia, rem autem ita se habere probant omnia, quæ superiori sect. cap. 16. seculo præsertim 13. allegauimus tum iura tum facta, in illis fundata, quæ in Indice Alphabetico sub verb. Ad Pontificem appellatio contenta videri possunt, ne hìc superfluæ repetitioni dem locum, sed tantùm rationibus, quibus id iam demonstrare contendo. Prima deducitur ex hoc, quod non Ecclesia, sed Summus Pontifex sit proximus, & immediatus Christi Vicarius, cuius proinde tribunal in terris vnum, & idem est cum tribunali Christi, vt Chrysostomus homil. 87. in Ioannem explicans illa verba, [Pasce oues meas, rectè ait: id est, loco mei præpositus esto, & caput fratrum tuorum, vt ipsi loco meo te timentes; vbique terratum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment.] Nec non Diuus Cyrillus in libris Thesaurorum, cuius verba sufficit nobis, quod multoties à Diuo Thoma citentur, saltem enim inde habemus. cuiuscumque sint illa, supremam; quam asserimus in Summo Pontifice Romano potestatem non esse nouum curiæ mancipiorum figmentum, licèt in illis, quos præ manibus habemus Cyrilli codicibus, non reperiantur, quia vt tradit historia Tripartita ex Nicephoro cap. 9. multi hæretici eius libris corrumpendis vacauerunt, sic autem ait; Sicut Christus suscepit à Patre sceptrum Ecclesiæ Gentium, dux ex Israel egrediens, supra omnem principatum, & potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cuncta curuentur: sic & Petro, & eius successoribus plenissimè commisit, & nulli alij quàm Petro quod suum est Christus, plenum, sed ipsi soli dedit. Et infra; Ipsius Apostolici throni Romanorum Pontificum, solius est reprehendere, corrigere, statuere, soluere, disponere, & loco illius ligare, qui ipsum ædificauit.] A Summi igitur Pontificis tribunali ad aliud Ecclesiæ licita non est appellatio, siue consideretur toto orbe diffusa; siue conciliariter in vnum collecta, cùm Prælati illius simul collecti maiorem non habeant, ac dispersi auctoritatem, atque adeo inferioris semper ordinis, ad Monarchicam Romanorum Pontificum.

Secunda ratio est, quia si liceret à iudicio Pontificis ad Concilij tribunal appellare, vel esset sermo de Concilio seorsim ab ipso Pontifice, qui iam de reipsa iudicium tulit, spectato, vel de Concilio, cui Pontifex ipse: vel per se vel per suos legatos præesset: Neutrum autem asseri potest. Omnis igitur à Summo Pontifice ad Concilium appellatio est prorsus excludenda. Maior huius argumenti est certa, probatur autem minor, quo ad primam partem, nimirum appellationem fieri non posse ad Concilium seorsim à Summo Pontifice; si quidem, sicut Concilium tunc legitimum non esset, ita quoque eo solo nomine illegitima, & nullo pacto admittenda esset appellatio, [vt rectè docet Diuus Augustinus epist. ad Glorium, & Eleusium vbi de iudicio Melchiadis Papæ, quo Cecilianus absolutus fuerat, & condemnati Donatistæ, inter cætera ait. [Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos iudices fuisse, restabat adhuc plenarium vniuersalis Ecclesiæ Concilium, vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari, vt si malè iudicasse conuicti essent, eorum sententiæ soluerentur.] Quibus verbis clarè significatur Augustinum noluisse à plenario Concilio eumdem Melchiadem, seu ipsos iudices, qui iàm Romæ de causa Ceciliani sententiam tulerant, excludere, quasi appellatio fieri posset ad Concilium Generale seorsim à Summo Pontifice, qui iam de reipsa iudicauit, & inde Concilium eo superius esset. Si dicatur appellationem fieri debere ad Concilium quod congregaret; cuique per se, vel per suos legatos præesset Pontifex, à cuius sententia fuisset prouocatum, aut aliùs etiam ab ipso, huius absurditas, quæ est altera minoris pars probanda, patet primùm ex eo, quod ita non fieret appellatio à Papa ad Concilium, tamquam ad aliud tribunal ab eo distinctum, vt requireretur, ad concludendam superioritatem Concilij supra Papam, ex appellatione ab ipso ad Concilium, quam nos arguimus in Summo Pontifice ex iure appellationis pertinente ad ipsum seorsim sumptum à quocumque Concilio; si quidem in Concilio Ephesino II. cum læderetur fides Catholica, Legati Romani Pontificis ad eum leguntur appellasse, quibus etiam, vt Leo; qui tunc sedebat, testatur in epistola ad Theodosium Seniorem, libellum appellationis Flauianus Episcopus dederat, similiter in Concilio Chalcedonensi, cùm Sedes Constantinopolitana præferretur Alexandrinæ, contradicentes quoque Legati Apostolici à Concilio ad eumdem Leonem appellarunt, qui tale decretum annullauit. Secundò, quia appellatio propriè dicta: de qua modò agitur, debet fieri ab vno ad aliud tribunal distinctum, ridiculum enim videtur quod ab vno; & eodem ad eumdem iudicem appelletur, nisi quis forsan appellationem impropriè vellet dicere illam, quæ interdum fit à Iudice non satis informato ad eum meliùs informatum, at Concilium cui præesset Summus Pontifex à cuius sententia ad illud prouocaretur, non esset aliud tribunal. Igitur à Summo Pontifice ad tale Concilium propria dari non posset appellatio. Quam etiam ob causam à Synodis Pontificia semel auctoritate confirmatis, nec ad Papam: nec ad aliam Synodum iure appellari potest, quia vnum, & idem est tribunal, & idem iudex. Cæterùm extra hunc casum, legitimam esse appellationem à quacumque Synodo ad Papam, idest, ad Superiorem, qui sententias Concilij habet roborare & confirmare, præfata docent exempla, aliaque multa, quæ citatis adduximus locis. Tertiò tandem, quia iudex, à cuius sententia appellatur iudicem, ad quem prouocatur, parti condemnatæ dare non debet, ita enim ageret in seipsum, abiretque in rem iudicatam, cum ergo ad Summum Pontificem spectet Concilia Generalia indicere, congregare, dirigere, & confirmare, si semel ab illius iudicio ad Concilium prouocare, licitum sit debebit quoque ipse contra seipsum agere, & quod magis est, omnia ibi contra se suumque

que

que iudicium definita casu quo annullaretur nouo suo calculo approbare. Quæ omnia cum à recto iustitiæ ordine sint prorsùs aliena, absit quod credamus, ea à Christo Domino in sua Ecclesia fuisse instituta, sed potiùs omnem à Summo Pontifice suo Generali Vicario; cuique supremam, ac Monarchicam in Ecclesia contulit auctoritatem secundùm suam plenitudinem, ad Concilium appellationem esse prorsus illicitam.

Tertia ratio est, quia per appellationem recedit appellans ab obedientia, nec non iurisdictione eius à quo appellat, Can. proposuit. Can. cum teneamur, & Can. Ad hæc de appellat. sed Christus Dominus in quoscumque Christianos Petro, Romanisque Pontificibus eius successoribus supremam, nec non Monarchicam dedit potestatem his verbis, [Pasce oues meas:] nulli igitur Christiano in quacumque dignitate constituto licet recedere ab obedientia, & iurisdictione Summi Pontificis, atque adeo nec ab eo appellare: nisi rebellionis notam incurrere velit, & ampliùs illius ouem, ac per consequens; Christianum esse desinere. Si enim in Regnis vbi forma regiminis est simpliciter Monarchica, à Rege quoties de re aliqua iudicauit non licet sine grauissima eius offensa ad aliud tribunal prouocare, V. g. ad generalia Regni comitia, quia ipse est Monarcha, & Monarchico modo, id est extremo iudicio iudicat: id asseri non minùs debet de Summo Pontifice Romano, supposito quod cum Christus Dominus; tamquam supremum Monarcham suæ Ecclesiæ præficere voluerit, indè enim necessariò sequi videtur, ita ab eo aut per se, aut cum Concilijs, vbi ita expedire cognoscit, extremo iudicio quaslibet causas terminari, vt fas ampliùs non sit, ad vllum aliud tribunal per appellationem recurrere.

Quia autem Concilium, ad quod fieret prouocatio, dupliciter spectari potest, vel vt futurum, vel vt præsens; quatenùs tunc illud celebrari contingere posset, ita rationes huc vsq. adductæ probant omnē à Summo Pontifice ad Concilium, siue futurum, siue præsens, appellationem esse prorsùs illicitam, vt adhuc pro futuro Concilio specialis sit ratio; cùm enim Concilia Generalia nonnisi cum maximis laboribus, expensis, difficultatibus, longoque tempore congregari, & celebrari possint; per huiusmodi appellationes ad futurum Concilium cursus iustitiæ præcluderetur, lites redderentur immortales, opprimerentur innocentes, scelerato rum cresceret audacia, eorum interim impunita manente malitia, donec celebraretur Concilium, quòd etiam non solùm pro grauissimis, sed & leuissimis rebus conuocandum esset; si enim in aliquo casu licet ad illud prouocare, non est cur in quolibet casu, etiam leui, quo Pontifex alicui inferret iniuriam, aut dubium esset, an reipsa inferret, idem non liceat; siquidem ius diuinum, à quo oriretur sine dubio, posse à Pontifice ad Concilium appellare, inter causam grauiorem, & leuiorem non distinguit; in tantùm enim in ciuilibus iudices subalterni causas leuiores extremo iudicio definire possunt, & nonnisi in grauissimis rebus ad supremos iudices datur recursus, & prouocatio; in quantum id à Rege sancitum fuit, ne partes pro rebus exigui momenti bona sua litigando consumerent, quæ sanctio Regia si non esset, tam pro vtrisque causis ex se ad Senatum prouocare possent: Igitur iure diuino, aut positiuo nullam talem causarum distinctionem ponente, sequeretur quoque in omnibus præfatam appellationem admittendam esse à Pontifice ad Concilium futurum; quæ omnia cùm sint absurda, pacisque Ecclesiæ non medioeriter perturbatiua, specialiter etiam reddunt illicitam, & damnabilem huiusmodi appellationem; quare qui illa vtuntur excommunicationem incurrunt ex constitutione Pij II. renouata à Iulio II. quæ non est annexa appellationi ad præsens Concilium.......

Tam apertis rationibus, ac testimonijs omnis generis suo loco citatis, pro iure appellationis ad Summum Pontificem, tamquam ad supremum, & vltimum in Ecclesia iudicem, nihil habent, quod opponant efficaciùs aduersarij, aut saltem nihil legi in quo magis, ac frequentiùs aliqui dilatent fimbrias, & philacteria, quàm auctoritatem, primùm ab Almaino sub nomine Damasi Papæ, deindè ab alijs sub nomine Syricij citatam ex epistola ad Theophilum, & Anysium Episcopos, vbi deputatis à Concilio Capuensi ad cognoscendum de Bonoso Episcopo in aliquibus accusato sententiam sciscitantibus, respondet Damasus se non posse de illa cognoscere, de qua posset, si Synodus esset integra, nec iudicium alijs commisisset, præcisa verba in feriùs adducemus, inde enim inferunt aduersarij, nedum Pontificem esse Concilio inferiorem, sed nec eum posse recipere à Concilio appellationem.

Pro solutione huius obiectionis, pluribus relictis, quæ circa hanc Synodum Capuensem, vel Capuanam disquiri possent, solùm notabo, quæ præsenti sufficiunt instituto; & primò illam fuisse celebratam anno Domini trecentesimo octuagesimo nono; Secundò non fuisse Synodum Oecumenicam: Tertiò fuisse coactam in causa Anthiochenæ dissensionis, siue Flauiani, & Euagrij de Sede Antiochena contendentium; non autem in causa Bonosi apud Macedones Episcopi, cui ad eam iam coactam solùm delatus est, & accusatus, quod illibatam Dei Genitricis Mariæ Virginitatem negare post partum, auderet. Quartò hæc Synodus de Bonoso, & eius doctrina sententiam non tulit, sed Anysio Thessalonicensi, & finitimis Episcopis, de re tota inquirendi, ac iudicandi prouinciam dedit, vnde vt in præfata Antiochenæ dissensionis causa, ita & in ista Bonosi se gessit, ambas per seipsam non iudicando, sed alijs iudicandas delegando, primam Teophilo Alexandrino Episcopo, secundam verò præfatis Anysio Thessalonicensi, & finitimis Episcopis; indeque variæ scriptæ sunt litteræ. Nam Theophilus suscepta tollendi Antiocheni dissidij, quam Synodus illi dederat, prouincia, ad Ambrosium Synodi, vt putatur à multis, Præsidem, rescripsit: quòd Flauianus non stiterat, sed potiùs ad Imperatorem confugerat, & libellum illi precum obtulerat. Etsi autem desideretur oblatus hic Imperatori à Flauiano supplex libellus, eiusdem Impera-

toris mandatum, quo Concilium indictum est, tùm Synodicæ literæ, quibus Theophilo iudicandi porestas delegata erat, ac denique ipsa, quam Theophilus Ambrosio scripserat epistola, eam tamen habemus Ambrosij ad illum, quæ sic inscribitur: [Ambrosius Episcopus Theophilo; & incipit: Non habet, quod vrgeat Euagrius, & habet quod metuat Flauianus;] in fine autem mira cùm sollicitudine, & cura rerum Pontificis Romani ratione habita hæc ait: [Sanè referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant. Ita enim vtile erit consultum sententiæ, ita pacis, & quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostræ dissensionem non afferat, vt nos quoque accepta vestrorum serie statutorum, cùm id gestum esse cognouerimus, quod Ecclesiæ Romanæ haud dubiè probauerit, læti fructum huiusmodi examinis adipiscamur.] Hactenus in causa Antiochenæ dissensionis.

Iam quod attinet ad causam Bonosi desiderantur pariter tùm literæ ipsius ad Ambrosium, tùm Ambrosij ad ipsum, quarum fit mentio in Siricij ad Anysium, & Illyrici præsules epistola, si tamen illa est Siricij, & non Ambrosij, de quo infra. Cùm enim dicti præsules suscepta prouincia, quæ illis videbatur grauissima, ad Siricium Romanum Pontificem, alij dicunt ad Ambrosium Mediolanensem Capuanę Synodi præsidem, scripsissent, ab eoque de Bonoso, & Bonosi doctrina præiudicium aliquod fieri postulassent, rescripsit illis Siricius, vel secundùm alios Ambrosius epistolam, quæ inscribitur: [Dilectissimis fratribus Anysio, & cæteris Episcopis per Illyricum constitutis,] sequentis tenoris.

[Accepi literas vestras de Bonoso Episcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modestia nostram sententiam sciscitari voluistis. Sed cum huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, vt finitimi Bonoso atque eius accusatoribus iudices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de eius factis, vel cognoscerent, aduertimus, quòd nobis iudicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, rectè de ijs, quæ comprehendit vestrorum Scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis iudicium, sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi, vel elabendi, vel accusaroribus, vel accusaro copiam dare, vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit. Denique cùm Bonosus Episcopus post iudicium vestrum misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui eius sententiam consuleret, interdictam sibi Ecclesiam irrumpere, atque ingredi, responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter ordine gerenda, neque contra sententiam vestram tentandum aliquid, vt quod videretur vobis iustitiæ conuenire statueretis, quibus hanc Synodus dederat auctoritatem. Ideò primum est, vt ij iudicent, quibus iudicandi facultas est data. Vos enim totius, vt scripsimus, Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi auctoritate iudicare non conuenit. Sanè non possumus negare de Mariæ filijs iure reprehensum, meritòque vestram Sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem vtero virginali, ex quo secundùm carnem Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus nasci per Virginem, si eam iudicasset tàm incontinentem fore, vt illud genitale Dominici corporis, illam aulam regis æterni concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc adstruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudæorum adstruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex Virgine. Nam si hanc accipiant à Sacerdotibus auctoritatem, & videatur Maria partus fudisse plurimos, maiore studio veritatem fidei expugnare contendent, & vbi est illud quòd scriptum est dicente Domino ad Matrem de Ioanne Euangelista: Mulier ecce filius tuus, & rursùs ad Ioannem de Maria: Ecce mater tua? Quid sibi istud vult, quòd cùm in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronuntiauit etiam de integritate materna? aut quid aliud dicitur, nisi vt claudat sua ora perfidia, obmutescat, ne Matrem Domini aliquo audeat temerare conuicio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quòd desponsata fuerit viro tantummodò Ioseph, nulla tamen coniugalis coitus consuetudine thori iura cognouit. Neque enim eam suscepturam ex Ioseph filios à viri consortio separare voluisset; sed si hoc parum est, addidit restimonium Euangelistæ dicens, quòd suscepit eam discipulus in suam. Numquid ergo diuortium fecit? numquid à viro abduxit, atque abstulit? Ergo qui hoc legit in Euangelio, quomodò quasi naufragus titubat, & fluctuat? Hoc ergo testamentum filij est de matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis consummationis. Denique hoc dixit, & emisit spiritum, consumans omne mysterium bono fine pietatis. Legimus etiam, & omnia percurrimus, vel de eo, quòd fratri nostro, & Coepiscopo Basso in consortium regendæ Ecclesiæ datus est Senecio, vel de cæteris, vnde vestræ normam expectamus sententiæ.

Hactenus epistola, circa cuius auctorem diuersa sunt doctorum placita, Almainus enim in lib. de auctorit. Ecclesiæ, & aliqui alij, vel cum ipso, vel ex ipso, re non vlteriùs examinata, illam tribuunt Damaso Papæ, sed huius sententiæ falsitas ex eo demonstratiuè apparet, quòd multis annis ante Concilium Capuense iam Damasus obierat. Alij igitur faciunt huius epistolæ auctorem D. Ambrosium Mediolanensem, quem etiam huius Concilij Præsidem fuisse non leues coniecturæ persuadent; qua de causa, sicut cæteræ ab eo ad Delegatos, & ad ipsum à Delegatis scriptæ fuerunt literæ in causa dissensionis Antiochenæ, ita quoque in illa Bonosi rem se habuisse credi potest; ideòque hæc epistola inter alias D. Ambrosij cum hoc programmate legitur Ambrosius Theophylo, & Anysio. Quod autem ibi habeatur, [Bonosum post iudicium misisse ad fratrem nostrum Ambrosium,] respondetur eo tempore fuisse alium Episcopum huius nominis, qui vna cùm Ambrosio Mediolanensi florebat, & apud quem post suam damnationem per literas

ras conquestus est Bonosus. Quæ sententia si semel est vera ruit totaliter obiectio ex hac epistola ab aduersarijs desumpta, quæ in tantum apud ipsos vim habet in quantum supponitur esse alicuius Summi Pontificis.

At quia verisimilius est, hanc epistolam, quæ sub nomine Ambrosij inter illius opera reperitur, esse Siricij Papæ, sub quo Capuensis Synodus celebrata est; ideòque illi, vt suo auctori restituta est ex Vaticanis codicibus in libro Romæ edito anno 1662. & inscripto: [Collectio Romana bipartita veterum aliquot historiæ Ecclesiasticę monumentorum.] Respondeo nihil minùs in hac epistola significari, quàm intentam ab aduersarijs Romani Pontificis inferioritatem respectu Concilij, aut ab isto ad illum appellari non posse, nec ampliùs cognosci, quæ iam à Concilio delegata sunt. Contra talem enim explicationem pugnant primùm omnia, quæ huc vsque iura, facta, & rationes in contrarium adduximus. Secundò, quia nimis probat, & ideò non admittenda, probaret enim Summum Pontificem, ne dum Concilijs Oecumenicis, sed etiam particularibus esse inferiorem, imò etiam delegatorum ab illis iudicum auctoritatem Romani Pontificis auctoritate superiorem esse, quod, quàm sit contrarium supremæ, ac Monarchicæ eius in Ecclesia potestati, patet tùm ex se, tùm ex dictis supra. Tertiò, quia si talem à Concilio sibi demandatam auctoritatem cognouissent, certè ad Siricium Romanum Pontificem tàm anxiè non scripsissent, ab eoque de Bonoso, & de Bonosi doctrina se instrui, ac præiudicium aliquod fieri postulassent: quod enim aliqui dicunt, eos id à Siricio petijsse, tamquam superiores ab inferiori, aut à Consiliario, priuatoque doctore, certè ridiculum est; sed potiùs, quòd illis res videbatur ardua, & grauissima, dicendum est eos, more maiorum, ad Sedem Apostolicam, tamquam ad fidei magistram, iurisdictionisque Ecclesiasticæ fontem confugisse, ideoque Siricius, vt mox dicemus, opinionem, quæ Bonoso tribuebatur, scripturis, & rationi contrariam esse eos docet à medio vsque ad finem epistolæ. Quartò, quia iudicium, de quo agebatur, tum factum, tum dogma Ecclesiasticum, de quo malè sentire accusatus fuerat Bonosus, respiciebat, quocumque autem modo sumatur nequaquam dici potest, Siricium in hac causa se legitimum, aut superiorem iudicem non esse fateri, sed vbi ait: [Cùm huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, vt finitimi Bonoso, atque eius accusatoribus Iudices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de eius factis vel cognoscerent, aduertimus, quòd nobis iudicandi forma competere non posset;] solùm significat se nolle, rationabiliterque non posse iudicare de tali quæstione facti, siue hoc ad ipsos, qui faciliùs debitas informationes capere poterant tamquam finitimi tam accusato, quàm accusatoribus, ex delegatione Concilij sua sine dubio auctoritate celebrati, & in quo nullam deprehendebat iniustitiam, pertinere, non autem ad se; tum quia sibi tamquam absenti talis iudicandi forma competere non poterat; tum quia [nobis, inquit, quasi ex Synodi auctoritate iudicare non conuenit:] non alia certè ratione, nisi quia, cùm se cognosceret omni auctoritate conciliari superiorem, non decebat eum quasi Concilij delegatum agere, benè autem absoluto delegatorum iudicio, si recursus ad ipsum fuisset habitus, rem prout de iure sua finali sententia terminare, & ideò illos monet: [Primùm est vt ij iudicent, quibus facultas est data;] illa enim particula primùm in materia iudicij, siue primùm eos, quibus facultas est data, iudicare debere, videtur à Siricio correlatiuè dici ad vltimum, & finale iudicium, quod ipsi ratione suæ supremæ auctoritatis competebat, & ob quod etiam in fine epistolæ ait: [vestræ normam expectamus sententiæ:] sicut Diuus Ambrosius in epistola superiùs citata, monuerat delegatos in causa dissensionis Antiochenæ, talia iudicare debere, si vellent fructum huiusmodi examinis haberi, [quæ Ecclesia Romana haud dubiè probaret, quatenùs ad summum eius Antistitem pertinet vltima omnium causarum Ecclesiasticarum definitio. [Magna, inquit Leo epist. 48. ad Anastas. Dei dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis Prouincijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursum quidem in maioribus vrbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, vt nihil vnquam à suo capite dissideret.]

Quantum attinet iam ad alteram partem iudicij dogma Ecclesiasticum concernentis, nec Siricium in hoc affirmare potuisse se Iudicem competentem non esse, aut supremum luce meridiana clarius est, cùm vltima dogmatum fidei definitio non pertineat ad Concilia particularia, cuiusmodi fuit Capuense, minùsque possit ab illis delegari aliquibus alijs personis, sed solius Romani Pontificis sit, vel seorsim à Concilijs, vel vnà cum illis, vt superiori sectione explicuimus; indèque Siricius relicta quæstione facti delegatorum iudicio, in prima veluti instantia, ob rationes allatas, reliquum epistolæ in illis instruendis, circà quæstionem iuris, dogmatisue Ecclesiastici, non vt Doctor priuatus, aut Theologus Accademicus, vt ineptè dicunt aliqui, verùm vt supremus fidei magister, & ad quem ex promissione Christi pertinet in ea confirmare fratres suos, eruditè consumit. En clarus, ac genuinus huius Siricianæ epistolæ sensus, quæ proindè tantùm abest vt aduersarijs faueat, quin potiùs nostram sententiam apertè confirmet, imò traditionem Apostolicam, quam Siricius à suis prædecessoribus acceperat, & iuxtà quam, [Ipsi sunt Canones, inquit Gelasius I. qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius Sanctæ Sedis examen voluerunt deferri; ab ipsa verò nusquam prorsus appellari debere sanxerunt,] non conferendo illi talenius, vt glossant aliqui, sed declarando ex traditione quòd pertineat ad supremam, quam summi eius Antistites habent in Ecclesia auctoritatem, stante Christi institutione, non autem ad Concilia sine illis; sic enim talis auctoritas de iure Diuino competeret Concilijs, & non Sedi Apostolicæ, eam Canones

ipsi taliter deferre non potuissent, vt ab illa nusquam prorsus appellari deberet, hoc est, nullo tempore, nullo euentu, hoc enim sonant aduerbia, nusquam, & prorsus; de quo vide dicta superiori sectione cap. 16. seculo 13.

Cùm autem cæteræ aduersariorum obiectiones; contrà istud ius Sedis Apostolicæ, desumantur ex appellationibus à nonnullis, ignobilibus etiam personis, quandoque interiectis à Papa ad Concilium, illis adducendis supersedeo; quia non sunt iura, sed facta, ad quæ responderi non debet, & quæ nullam habent vim, nisi quatenùs iure fieri constat, quod tamen aduersarij non demonstrant, imò potiùs contrarium colligitur ex infelici huiusmodi appellationum exitu, quodque illis, tamquam nullis, ac friuolis, datus numquam fuerit locus.

Septimò, & vltimò, nostra probatur conclusio, comparatione facta inter vtriusque sententiæ argumenta: In hac enim controuersia de superioritate Pontificis, & Concilij Generalis ad inuicem, sicut & in omni alia, illi parti danda est palma, cuius meliora, & validiora sunt argumenta; sed pars affirmans Pontificiam auctoritatem suprà Conciliarem, maioris momenti, quàm pars eam negans, habet argumenta: Ergo illa præferenda est isti. Maior huius argumenti est certa; minor autem probatur adducendo, & soluendo obiectiones, quibus aduersarij contendunt probare Concilium Generale esse absolutè suprà Papam.

Prima desumitur ex c. 18. S. Matthæi, vbi Christus Dominus docens quomodo frater in nos peccans debeat corripi, demum subiungit, [Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.] Dum enim diuus Petrus futurus Summus Pontifex, per illud verbum, dic Ecclesiæ, ad eam mittitur à Christo Domino; videtur quoque significari maius eo tribunal esse, eiusque successoribus, atque adeo Concilium Generale, quod vniuersalem repræsentat Ecclesiam. In cuius interpretationis patrocinium solent adduci duo Summi Pontifices. Primus est S. Gregorius in epist. 38. ad Ioannem Constantinopolitanum lib. 4. regist. vbi illum increpans, quod se vniuersalem vocaret, sic ait: [Nos quidem in quos talis, tantáque per ausum nefarium culpa committitur, seruamus, quod Veritas præcepit dicens: si peccauerit in te frater tuus, &c. subiungit. postea: Ego itaque per responsales meos semel, & his verbis humilibus, hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui, nunc per me scribo. Quicquid facere humiliter debui, non omisi. Sed quia in mea correptione despicior, restat vt Ecclesiam debeam adhibere.] Vbi per Ecclesiam adhibendam intelligunt aduersarij Concilium Generale. Eodem modo loquendi vti videtur Nicolaus I. in cap. præcipuè, 11. quæst. 3. scribens ad Lotharium: [Cæterum præcaue, ne quando nobis secundùm Domini præceptum duos, aut tres testes adhibeamus; imò verò hoc sanctæ Ecclesiæ dicamus, & (quod non optamus) de cætero fias cunctis, sicut ethnicus, & publicanus.

Respondetur primò, ex hoc Scripturæ loco minimè probari aduersariorum intentùm, gratis etiam admisso, quod in eo per Ecclesiam intelligi debeat Concilium Generale illam repræsentans; tum quia, quando hæc dicta sunt Petro, non fuit is adhuc Pontifex, inquit Bellarminus, sed homo priuatus, proindeque illud ei tunc est dictum, quod ijs conuenit, qui superiorem aliquem agnoscunt; tum maximè, quia ibi non loquitur Christus de Ecclesia quomodocumque, siue acephala, sed de illa, cuius aliquando Petrus futurus erat suus Vicarius, & supremum caput, provt à Diuo Cypriano in epist. ad Florentium lib. 4. definitur: [Plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens:] Vndè non sequitur Ecclesiam, aut Concilium eam repræsentans fuisse suprà Petrum, modòque esse suprà Romanum Pontificem eius successorem, prout inter se contradistinguuntur, de quo est controuersia inter nos, & aduersarios; sed tantùm Summum Pontificem, vbi deberet, vel iudicaret expedire congregari Concilium ad corrigendum aliquem, futurum cum illo seipso maiorem, vel extensiuè simul iuxtà sententiarum diuersitatem modo superiùs explicato, quod non facit ad nostrum casum, in quo loquimur de illis seorsim ad inuicem sumptis, ostendimusque suprà Summum Pontificem hoc modo cunctis præcellere Concilijs, proptereaque Christus Dominus, quæ cæteris Apostolis, ea quoque diuo Petro promisit, & concessit, vt Matth. 18. [Quæcumque alligaueritis super terram &c. Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata &c.] non tamen vice versa, sed singulariter Petro dictum est: Matthæi 16. [Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam &c. tibi dabo claues regni Cælorum: Luc. 22. Confirma fratres tuos. Ioan. vltimo, Pasce oues meas:] nimirùm, vt per hoc, quod soli illi loquitur, intelligeremus datam illi soli, eiusque successoribus plenitudinem potestatis; per hoc verò, quod in plurali alloquitur illum, & cæteros Apostolos, sciremus, non quidem multitudini absque ipso, aut eo secluso datam aliquam, multòque minùs summam potestatem, cùm & ipse inter cæteros adesset.

Respondetur secundò præfatum Christi verbum, dic Ecclesiæ, vbi agitur de correptione fraterna, non posse intelligi de Ecclesia vniuersali toto orbe diffusa, aut in Synodo generali congregata; nec etiam de Ecclesia per vniuersam Diœcesim dispersa, aut in Prouinciali Synodo collecta, ob innumera quæ indè sequerentur absurda, vt consideranti patebit: sed sumitur nomen Ecclesiæ pro Prælato eius, siue particulari, siue vniuersali, cui reus publicè denuntiandus, vel ratione domicilij, vel ratione materiæ in qua peccauit, subijci, & parere tenetur; vt exponit Chrysostomus homil. 61. in Matth. [Dic Ecclesiæ, id est, his qui præsunt Ecclesiæ:] Albertus Magnus in Matth. 18. [Dic Ecclesiæ, id est, Prælato in conuentu, & Synodo accusa: ac tandem diuus Thomas 22. quæst. 33. vbi docet perindè esse dicere, Prælato in iudicio præsidenti, ac dicere Ecclesiæ; aut vice versa; quia, vt ait Philosophus 9. Eth. ciuitas, vel aliud quodcumque nomen collectiuum

uum significans vniuersitatem dicitur id, quod principalissimum est in ea, nec non facere, quod superior facit: V. g. dicitur Gallia facere, vel Hispania, quod eorum reges faciunt. Ita vt legitimus huius loci S. Matthæi sensus, in quo fraternæ correptionis leges à Domino præscribuntur, consistat in hoc, quod fratre ex correctione priuatim facta fructum non faciente, is publicè denuntietur Ecclesiæ, id est superiori, non vt Patri, sed vt Iudici, quem si non audierit contumaciter in suo perseuerans peccato, habetur sicut ethnicus, & publicanus.

Quamobrem sicut in fratre fratrem corripiente duplex veluti munus distinguere debemus, priùs monentis dumtaxat fratrem in secreto, alterum denuntiantis eum publicè, ac iuridicè Prælato, vbi non resipiscit, ita vt se putet dixisse Ecclesiæ, quando sic dixit Prælato; ita quoque idem Prælatus in corrigendo inferiorem, vel subditum duplicem personam gerere potest, primam fratris, secretò eum monendo, alteram Iudicis, per censuram excommunicationis, vbi secreta non proficit correctio, publicum, & notum omnibus faciendo eius delictum; Vndè etiam fit, quod, vbi Prælatus in correctione, quam secretò, & vt frater facit, despicitur, rectè censeatur dicere Ecclesiæ, vel eam adhibere, quando sua, vt iudex auctoritate vtitur publicè, & coram omnibus illum puniendo, censurisue afficiendo. Et in hoc sensu asseri potest Christum dixisse diuo Petro, posseque dici cuicumque superiori, dic Ecclesiæ, id est tibi ipsi, vt Iudici; quo sine dubio locuti sunt duo Summi Pontifices superiùs adducti: quare nihil aduersarijs patrocinatur eorum auctoritas, quasi significare voluerint, supremum Ecclesiæ tribunal penes eos non esse, illudque alteri, Concilio nimirùm Generali tribuere, sed potiùs contrarium; dum enim Gregorius ait; [Sed quia in mea correptione despicior; restat vt Ecclesiam debeam adhibere:] nihil est aliud, quàm comminari censuram Ecclesiæ, per quam publicum redditur cuiusque peccatum; siue seipsum de persona in personam translaturum iudicium, hoc est, de fratre secretò, & charitatinè corripiente, in superiorem ex Cathedra iudicantem; prout ipsemet docet in epistola ad Felicem Episcopum sua se vsurum potestate in dictum Ioannem, nec non in altera ad Mauritium Imperatorem, vbi eum admonet se mandasse suo responsali, vt eumdem Ioannem à stulti vocabuli appellatione compescat; & in sequenti 31. lib. 6. regist. ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, & Anastasium Episcopum de Cyriaco Patriarcha, qui secutus fuerat Ioannem in vsurpatione nominis vniuersalis, imò in alia ad ipsum Cyriacum, nisi resipiscat, mandat, eum per suum Diaconum excommunicari. Similiter dicendum est Nicolaum nomine Ecclesiæ, seipsum designasse, vt in iudicio præsidentem, vel per censuram excommunicationis dicentem toti Ecclesiæ. Hactenus pro intelligentia præfati loci, in quantum verba Christi Domini actiuè possunt accommodari Diuo Petro, & eius successoribus, ipsisue competit iuridica fratrum correctio, secluso quocumque alio tribunali ipsis superiori: Nam si sumantur passiuè, quatenus nimirùm posset quis dicere Summos Pontifices, fraternæ correctioni non acquiescentes, debere Ecclesiæ, siue Concilio vniuersali tamquam superiori denunciari, satis patet ex dictis supra, talibus eos verbis non comprehendi, de quo iterùm redibit sermo conclusione sequenti, vbi explicabimus, qua ratione ad eos extendere se possit correptio fraterna, ibi à Christo Domino præcepta.

Secunda aduersariorum ratio coalescit ex multis sanctorum Patrum testimonijs, quibus asseruntEcclesiam esse omnium fidelium, atque adeò Summi Pontificis matrem, inde enim sequi videtur, quod sicut mater est superior filio, ita quoque Ecclesia Summo Pontifice; cuius adhuc superioritatis signum est, quod vbi in die 6. Parasceues, & aliàs funduntur ad Deum pro illis preces, illa semper præponitur Pontifici: Item quod Summi Pontifices Felix III. in epist. 4. ad Zenonem Imperatorem; Gelasius in epist. 4. ad Faustum; Symmachus in epistola ad Eonium Arelatensem Episcopum, alijque plures dicant se Vicarios Petri, vel Sedis Apostolicæ; multò enim magis tales se videntur existimasse respectu vniuersalis Ecclesiæ, cuius Sedes Apostolica, seu Romana Ecclesia est tantùm pars, & consequenter profiteri se illi inferiores. Verùm quàm inefficaciter id inferatur patebit ex sequentibus responsionibus.

Ad primum enim respondetur libenter admittendo, quòd Papa sit filius Ecclesiæ, vtpotè per Baptismum in eius vtero spiritaliter regeneratus, necnon etiam membrum eiusdem ratione fidei, ipsi cum ceteris fidelibus communis; negamus tamen inde sequi, eum sub alio respectu non esse illa superiorem. Quemadmodum enim non repugnat filium matre sua naturali, & legitima superiorem esse, eique propter munus, quod in Republica gerit, pro rebus ad eam spectantibus, legem dicere, & imperare, vt omissis pluribus exemplis, quæ adduci possent, patet in Christo Domino, qui ita suis parentibus dicitur in Euangelio subditus, vt tamen supremus esset eorum Dominus, proptereàque Beatissima Virgo Maria se ancillam eius esse profiteretur; ita certè nihil obstat, quominùs Summus Pontifex Christi Vicarius, licèt sit filius Ecclesiæ, possitque dicere, ò Domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, nihilominùs illi superemineat ratione suæ dignitatis; quam tamen quia habet à Christo, subordinatèque ad illum vniuersalem regit Ecclesiam ideò non tam sibi, quàm illi eam seruare subiectam dicendus est, vt rectè ait D. Thomas c. 66. opusculi contra Græcos: [Christi Vicarius suo primatu, & prouidentia Ecclesiam vniuersalem, tamquam fidelis minister Christo subiectam seruat, & oppositum est erroneum.]

Similiter, ita Papa dici potest Ecclesiæ membrum, & commembrum ratione fidei, vt dicebam, illi communis cum ceteris fidelibus Ecclesiam per modum corporis mystici componentibus, vt tamen ratione dignitatis Pontificiæ diuinitùs illi collatæ, non autem ab Ecclesia, sit eius caput, atque adeò sub illo respectu ea superior: hæc est enim differentia inter membrum, & caput, quod nomen membri,

bri, ex doctrina Diui Thomæ, significat partem corporis, quæ ab alio recipit influxum, quæque etiam importat partialitatem alicuius boni; capitis vero nomine designatur principium, & origo eiusdem, atque adeò quid superius; id patet in Christo Domino, qui secundùm quod homo, vocatur quidem respectu diuinitatis membrum ex Apostolo 1. Corinth. 12. [Vos estis corpus, & membrum de membro,] idest Christo, cùm tamen secundùm quod Deus est, vel etiam secundùm quod influit vt homo, respectu fidelium suas gratias, sit caput: Igitur licèt Pontifex ratione fidei, quæ, vt aliàs diximus, est forma constitutiua Ecclesiæ comprehendentis omnes fideles, quæque partialiter dumtaxàt in illo, sicut & in cæteris reperitur, sit Ecclesiæ membrum, eaque sub illo respectu dici nequeat superior; attamen si consideretur sub alio respectu, hoc est ratione dignitatis Pontificiæ, illique annexæ potestatis Ecclesiasticæ, quam habet secundùm suam plenitudinem, cæteri autem Prælati limitatè, & per partem tantùm, vt ait Diuus Leo in epist. ad Episcop. Prouin. Viennensis cap. 1. Ita Dominus in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo Pontificiam auctoritatem collocauit, [vt ab ipso, quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet;] ea est per modum capitis superior, cæterisque fidelibus quantitate virtutis maior.

Ad secundum respondetur, ex hoc, quod priùs pro Ecclesia vniuersali, quàm pro Papa fundantur preces, malè negari eius superioritatem, cùm ipse necessariò includatur in Ecclesia vniuersali tamquam supremum eius caput, non enim oratur, pro Ecclesia trunca, & acephala, vt accideret, si pro illa seorsim à Pontifice considerata, illoque excluso, & non incluso fieret oratio: Verùm quæ ita implicitè significatur Romani Pontificis superioritas respectu Ecclesiæ vniuersalis, expresse postea declaratur in orationibus, quæ pro illo fiunt in particulari ab eadem, primùm in Missa; [Deus omnium fidelium Pastor, & Rector, famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ præesse voluisti, propitiùs respice;] deinde in die 6. Parasceues; [Oremus & pro beatissimo Papa nostro N. vt Deus, & Dominus noster, qui elegit eum in ordinem Episcopatus saluum, & incolumem custodiat Ecclesiæ suæ ad regendum sanctum populum Dei.] Quibus sanè verbis denotatur, ita Summum Pontificem æqualis muneris esse cum cæteris Episcopis in ratione ordinis, vt tamen in potestate iurisdictionis illis præcellat, tamque illis, quàm alijs fidelibus præsit, vt supremus Ecclesiæ Pastor, ac Rector; quæ enim iurisdictio per particulam in Episcopis reperitur, vt ait D. Augustinus ad Bonifacium contra duas epistolas Pelagianorum, [Quamuis ipse in Episcopatus officio præemineas celsiore fastigio, pastorali cura, facio quod possum pro mei particula muneris,] secundùm plenitudinem Summo inest Pontifici: vel ex Bernardo lib. 2. de consideratione ad Eugenium: [Habent Episcopi sibi suos assignatos greges, singuli singulos; tibi vniuersi crediti, vni vnus, nec modò ouium, sed & pastorum tu vnus omnium Pastor.]

Ad tertium denique respondetur, magis quidem propriè Summum Pontificem Romanum vocari Christi Vicarium, Petri autem successorem, quàm eiusdem Vicarium: cæterùm quòd aliqui interdum Summi Pontifices se, alijque eos nominent Petri, vel, quod idem est, Sedis Apostolicæ Vicarios, nihil penitùs eorum superioritati respectu vniuersalis Ecclesiæ præiudicat, quandoquidem non tales se dicunt, quasi à Petro, aut à Sede Apostolica suam mutuentur auctoritatem, sed quia non minùs ipsi, quàm Diuus Petrus, cuius se profitentur Vicarios, immmediatè à Christo supremam habuere auctoritatem regendi Ecclesiam vniuersalem sibi primùm in Petro commissam, vt patet ex ipsismet Pontificum verbis, qui citantur ab aduersarijs, quique proinde magis nostræ, quàm eorum fauent sententiæ.

Tertia oppositæ sententiæ ratio fundatur in pluribus quoque Summorum Pontificum testimonijs, quibus affirmant ob summam, qua erga sacra Concilia, eorumque canones afficiuntur, reuerentiam, se velle, nec non etiam debere iuxtà illa Ecclesiam regere, resque ad illam pertinentes definire: inde enim contendunt aduersarij Summos Pontifices ipsos hac, & similibus loquendi formulis suam ad Concilia inferioritatem agnoscere, dum protestantur se nihil velle, aut debere contra eorum statuta agere; testimonia non refero, ne longior sim, sed breuiter solùm respondeo ex hoc, talem malè inferri consequentiam.

Primò, quia in omnibus his testimonijs nullum est prorsùs, in quo aliquis Summus Pontifex neget absolutè se auctoritatem habere quidquam operandi contra huiuscemodi canones, vel dispensandi in illis, si pertineant solùm ad ius positiuum, ac disciplinam Ecclesiasticam; cùm tamen plures affirment se illa gaudere, factoque ipso multoties comprobauere, vt sect. superiori cap. 16. passim ostendimus, quorum testimonia simul citabuntur in Indice alphabetico, verbo, Pontificia dispensatio.

Secundò, quia absolutè, & absque vlla distinctione loquuntur de omnibus Canonibus tam Pontificijs, quàm Conciliaribus; vt igitur ex præfato modo loquendi malè inferretur Summos Pontifices, alijs Pontificibus, quorum obseruant Canones, esse subiectos, ita non minùs inconsequenter id ab aduersarijs deducitur respectu Conciliorum.

Tertiò, & peremptoriè, quia nulli Conciliorum Canones in quacumque materia vim, ac robur habent, nisi Pontificia confirmentur auctoritate, vt satis ostendimus supra, ergo ex obseruantia, quam erga illos fatentur aliqui Pontifices, quaque D. Gregorius in rebus fidei dixit se quatuor prima venerari Concilia, vt quatuor Euangelia, malè colligitur Summum Pontificem esse Concilijs inferiorem, si considerentur prout contradistincta, de quo est quæstio; sed ad summum argui potest sententiam, aut canones Concilij cum Papa, vel à Papa approbatos, præferendos esse sententiæ, aut legibus solius Papæ, in quo sensu non procedit præsens controuersia, dum Papa, & Concilium inter se comparantur, quoad superioritatem.

At quia in nostra, & veriori sententia Sum-

Summus Pontifex ita Concilio præcellit, vt simul cum illo sit tantùm seipso extensiuè, non autem intensiuè, seu quantitate virtutis maior, cùm tamen Concilium simul cum Papa non solùm extensiuè, sed etiam intensiuè sit seipso maius, quatenus omnimoda rerum Conciliarium firmitas, & auctoritas finaliter à Pontificia dependet approbatione: ideò respondetur vltimò, Summos quidem Pontifices canonibus directiuè subiectos dici posse, hacque ratione eos plerumque fateri, se iuxta illos, siue iure, & non auctoritate regere Ecclesiam debere; quatenus, etsi absolutè possent, in illis tamen licitè non possent, nec secum, nec cum alijs dispensare nulla interueniente iusta, & rationabili causa. Quamobrem plures Doctores pontificiam auctoritatem etiam supra Concilia defendentes asserunt, quòd, vbi Pontifex per iniquissimas dispensationes grauem, vel vniuersali Ecclesiæ, vel particularibus etiam inferret iniuriam, non tenerentur fideles illi obedire, imò si mandati sui executionem vrgeret, rogatusque humiliter illud reuocare, & rescindere nollet, posse resistere; non quòd, inquit Caietanus in opusculo, quo Papam Concilio superiorem facit cap.27. [Aliquis possit esse iudex Papæ, aut auctoritatem habeat in illum: sed per modum defensionis; cuilibet enim est ius ad resistendum iniuriæ, & impediendum, defendendumque.]

Pro quarta, eaque præcipua ratione, coaceruant aduersarij multa tam ex Summis Pontificibus, quàm ex alijs desumpta testimonia, quibus Ecclesiæ plures tribuuntur actus iurisdictionis in vtroque, ligandi, soluendi, iudicandi, definiendi, &c. inde enim aduersarij contendunt potestatem Ecclesiasticam iurisdictionis immediatè residere in tota vniuersitate Ecclesiæ, hoc est in toto corpore, non autem in Prælatis eius; & in hoc vt fundamento, aiunt, nititur, quod Concilium Generale sit supra Papam: At quàm sit ruinosum huiusmodi fundamentum patet iam ex dictis supra, nec non sectione superiori cap.4. & sequentibus. Etsi enim libenter admittamus (nec aliud etiam probant nonnulla Patrum dicta, vt loco citato ostendimus) quòd Diuus Petrus acceperit à Christo Domino claues propter Ecclesiam, tamquam propter finem principaliùs intentum, si quidem Rex est propter Regnum, Pastor propter gregem, & Pontifex propter Ecclesiam; inde tamen colligere, priùs Ecclesiæ, quàm Pontifici claues datas fuisse, merus est aduersariorum paralogismus, vt patet ex sequenti, quod ab aliquibus eorum fit argumento; [Deus, & natura priùs, immediatiùs, & essentialiùs ad totum, quàm ad partem intendunt, sed Ecclesia est totum, Pontifex verò pars, Ergo priùs Ecclesiæ, quàm Pontifici claues dedit:] cum deberet inferri [Ergo Deus priùs, & immediatiùs, & essentialiùs ad Ecclesiam intendit, quàm ad Pontificem, quare præfati syllogismi quatuor habentis terminos neganda est consequentia. Quia autem hoc argumentum alia sequenti forma proponi posset [Illi Deus contulit immediatè claues, tamquam subiecto, ad quod priùs, & immediatiùs, & essentialiùs intendit; sed Deus priùs, & immediatiùs, & essentialiùs intendit ad Ecclesiam, quæ est totum, quàm ad Pontificem, qui est pars: Ergo Deus contulit immediatè claues Ecclesiæ tamquam subiecto, non autem Pontifici:] tunc neganda esset maior; ex hoc enim quod aliquid per modum finis principaliùs intendatur, sitque aliquod totum; non sequitur propterea necessariò priùs, aut immediatiùs aliquid illi conuenire, quàm parti absolutè loquendo. Patet in naturalibus, vbi priùs intenditur à natura viuens, quod est totum, quàm anima, qua viuit, quæ est pars & tamen priùs est ordine naturæ, quòd anima habeat, & ferat vitam, cùm viuens non sit tale nisi per ipsam, vt quo tamquam per suam formam. In moralibus principaliùs intenditur à Rege bonum communitatis, V. g. alicuius ciuitatis, aut Prouinciæ regni sui, quàm Iudicis, vel Proregis, quos ad eas regendas mittit, quia prouincia est totum, Prorex verò pars; & tamen Rex non ciuitati, non prouinciæ, sed Iudici, & Proregi confert iurisdictionem, & in tantum ciuitas, aut prouincia dicuntur illam habere, in quantum earum Iudici, & Proregi fuit à Rege commissa. Libenter ergo admisso, quòd Christus Dominus priùs ad Ecclesiam, quàm ad Pontificem respexerit, quod Petro nonnisi propter ipsam, & eius regimen claues dederit; non idcirco sequitur priùs Ecclesiæ, quàm Petro, Romanisque Pontificibus eius successoribus collatas fuisse claues; siue Ecclesiam, non autem Pontificem esse immediatum potestatis iurisdictionis subiectum. Imò potiùs oppositum concludi debet, ex hoc nimirum, quòd talis potestas, omnesque eius actus ordinantur ad Ecclesiam, bonumque ipsius regimen, tamquam ad finem illam in ipsa formaliter, ac subiectiuè esse non posse, si consideretur vt distincta à suis prælatis, sed in istis dumtaxat, qui virtute, aut potestate, non ab Ecclesia, sed à Christo Domino supremo omnium capite accepta, iuxta proprium vniuscuiusque ordinem, instituti sunt ad eam regendam, exercendosque in hunc finem omnes actus hierarchicos, vt rectè docet Optatus libro vndecimo contra Parmenianum [Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ministros, & turbam fidelium.

Supposita insuper Christi institutione, qua voluit formam regiminis Ecclesiæ esse Monarchicam, repugnat, quòd vniuersitas Ecclesiæ, prout contradistincta à Summo Pontifice supremo eius capite, cæterisque prælatis inferioribus, sit immediatum, principaliusque subiectum potestatis Ecclesiæ, vel alijs verbis, quòd vllam habeat potestatem distincta ab illamet, quæ Summo Pontifici, & alijs prælatis à Christo concessa fuit, in cuius virtute Summus Pontifex dicatur operari, vt vicarius Ecclesiæ immediatus, non autem Christi, vt tenentur asserre aduersarij, si consequenter loqui velint: Igitur vbi Sancti Patres ab illis citati tribuunt Ecclesiæ aliquos actus hierarchicos, diciturue ea ligare, soluere, iudicare, definire, Sacramenta administrare, & sic de cæteris malè colligitur inde, quod vniuersitas Ecclesiæ seorsim à Summo Pontifice, & alijs Prælatis considerata, vt est quæstio inter nos, & aduersarios, sit immediatum, principaliusque

subie-

subiectum potestatis Ecclesiasticæ, in cuius virtute dicantur agere Summus Pontifex, & alij Prælati, vt mera Ecclesiæ instrumenta, sed catenus solùm ex dictis supra talia efferuntur de ipsa, quatenus est quoddam totum corpus mysticum, aut suppositum morale, cui, vt & cæteris suppositis dicuntur immediatè, vt quod conuenire, quæ priùs competunt, vt quo partibus, ex quibus essentialiter componuntur: vndè vt V. g. viuens dicitur viuere, operationesque vitales exercere per animam, tamquam per principaliorem partem & formam, à qua haurit vitam: ita quoque dicitur Ecclesia soluere, & ligare, sed per Prælatos, & præcipuè per supremum sicut etiam communitas dicitur agere solo capite operante: non quod vlla potestas in communitate residcat; sed quia quæ à capite fiunt, toti corpori attribuuntur, & ab eo fieri censentur. Hæc consequentia ita deducta videtur esse certissima, debereque iuxta sensum in illa explicatum intelligi Sanctos Patres, si antecedens est verum, quod facilè probatur, quia si vniuersitas Ecclesiæ, vel toto orbe diffusæ, vel in Concilio Generali collectæ esset immediatum, principaliusque subiectum potestatis Ecclesiasticæ modo ab aduersarijs asserto, status Ecclesiæ non esset simpliciter, & essentialiter Monarchicus; quod esse falsum satis ostendimus superiori sectione, sequela verò patet, si quidem potestas Monarchica, quæ soli Summo Pontifici competit, subesset potestati Ecclesiæ, vel toto orbe diffusę, quę ita considerata est pura Democratia, vel in Concilio collectæ, & per suos Optimates repręsentatę, quę est pura Aristocratia; status autem, vbi supremum caput, vel Monarcha simpliciter subest Democraticę, vel Aristocraticę potestati, nequaquam dici potest simpliciter ac essentialiter Monarchicus, vt cōstat ex ipsismet terminis; Igitur supposito quod Christus Dominus voluerit, Ecclesię regimen esse simpliciter, ac essentialiter Monarchicum, repugnat, quod Ecclesia seorsim à Summo Pontifice spectata, sit immediatam, principaliusque subiectum potestatir Ecclesiæ; quod erat antecedens probandum.

Deinde, nullus è veteribus Patribus expresse vtitur hac loquendi formula, quod Ecclesia seorsim à Summo pontifice, sumpta, sit immediatum, principaliusque subiectum potestatis Ecclesiasticæ, cum tamen multi ex illis expresse asserant, quod D. Petrus; Summique Pontifices eius successores sint fons, & caput illius, Christo ita illis tanquam suis Vicarijs ad regendam Ecclesiam destinatis concedente; Ergo malè ab aduersarijs præfatus datur sensus aliquibus SS. Patribus, vbi interdum absque vlla distinctione tribuunt Eccclesiæ nonnullos iurisdictionis actus; Ista consequentia videtur esse certa, supposita veritate antecedentis, quia sic ab eis ponitur inter Patres diuisio, qui tamen facilè ad concordiam reuocari possunt si asseratur, vt potest, absque vlla sensus improprietate, eos fuisse locutos de Ecclesia cum Prælatis, supremoque potissimùm, secundùm quod à Diuo Cypriano fuerat definita, [Plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens;] atque adeo secundùm quod per potestatem, non ab ea communicatam, sed illis à Christo Domino collatam iuxtà vniuscuiusque gradum, rectè dici potest quoscumque hierarchicos actus exercere. Probatur autem antecedens adducendo præcipua loca ex illis, quæ superiori sectione cap. 16. citauimus; Optati lib. 7. contra Parmenianum: [Bono vnitatis beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negauit, solam veniam consequeretur, & pręferri cæteris Apostolis meruit, & claues Regni Cælorum cōmunicandas cæteris solus accepit.] Diui Augustini libro de Agone Christiano cap. 30. [Huic enim Ecclesiæ claues Regni Cælorum datæ sunt, cùm Petro datæ sunt.] Et in tract. 124. super Ioann. [Ecclesia ergo, quæ fundatur in Christo, claues ab eo Regni Cælorum accepit in Petro, idest potestatem ligandi, soluendique peccata.] Sancti Leonis Papæ sermone 3. anniuersario die assumptionis suæ; 2. de natali Apostolorum Petri, & Pauli; nec non in epistola ad Episcopos Prouinciæ Viennensis cap. 1. [Sed huius muneris Sacramentum ità Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quodam quasi capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij intelligeret esse Diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.] Ex quibus, & alijs similibus Patrum locis ita arguo; Illi data est à Christo immediatè, magisque principaliter potestas Ecclesiastica, illique consequenter, vt immediato, principaliorique competit subiecto, per quem, à quo, in quo, cum quo Ecclesia vniuersalis dicitur talem accepisse potestatem, siue ab eo, quasi capite, in quo principaliter collocata fuerat, in Ecclesiam velut in corpus diffusam fuisse; sed vbique Patres asserunt Petrum fuisse illum, &c. quia, inquiunt, [propter Primatum, quem in Discipulis habuit;] Augustinus super Psal. 108. [propter Apostolatus sui primatum;] idem in tract. 124. super Ioannem, gerebat figurata generalitate Ecclesiæ personam; non igitur vniuersitati Ecclesiæ, sed Diuo Petro, eiusque successoribus immediatè, magisque principaliter contulit Christus Dominus Ecclesiasticam potestatem, subordinatèque ad illos cæteris Episcopis; proindèque non Ecclesia, sed Petrus, Summique Pontifices, ac cæteri Prælati sunt immediatum potestatis Ecclesiasticæ subiectum, sique seorsim ab illis spectetur, vt non est absolutè aliquod totum perfectum, cùm omnes suas non habeat, immò potiori, magisque necessaria, nempè capite careat, ita etiam sine illis, nulla prorsus potestate gaudet. Sed esto Ecclesia ab illis seiuncta dici posset totum quoddam ratione fidei cæteris Fidelibus cum Prælatis communis, nihilominus quia virtus agendis in illis, ab essentia totius non fluit, sed à Deo, qui illis auctoritatem tribuit: indè quamvis Ecclesia esset modò explicato totum quoddam, non propterea esset principale agens, sed Deus ipsis tamquam suis ministris, vel instrumentis vtens ad suæ regimen Ecclesię. Quamobrem, vt talis virtus, ac potestas, à causa principali, Diuina, ab instrumentali, seu subiectis, quibus immediatè inest, quibusque Deus tamquam suis ministris vtitur, Pontificia, & Episcopalis, ita quoque à causa finali,

quæ

quæ est Ecclesia, rectè dici potest Ecclesiæ, non in vi ablatiui, sed genitiui, quia omnis potestas à Deo, tam Summo Pontifici, quàm cæteris Prælatis collata, ordinatur ad illam tamquam ad finem, sicut etiam omnes partes, virtusque earum concurrunt ad perfectionem totius, quod componunt, vnaquæque suo modo, & iuxta naturam corporis vel naturalis, vel mystici ex illis coalescentis.

Vltimò tandem, dùm aduersarij statuunt Ecclesiam pro immediato, principaliorique subiecto supremæ potestatis Ecclesiasticæ, vel loquuntur de Ecclesia entitatiuè sumpta, toto Orbe diffusa, prout omnes comprehendit Fideles, vel de illa repræsentatiuè, prout nimirum Optimates, siue Episcopi, ex illa, secluso Pontifice, conciliariter congregantur; neutro autem modo dici potest immediatum, principaliusque subiectum supremæ potestatis Ecclesiasticæ: Ergo. Maior huius argumenti est certa: probatur Minor quoad primam partem, tùm quia potestas Ecclesiastica in veteri lege penès totam Ecclesiæ Israeliticæ communitatem non erat, sed tantùm penès tribum Leui ex Deuteronom. 10. Atqui potestas Ecclesiasticæ nouæ legis multò est sublimior, & excellentior, tantùmque eam dignitate superat, quantùm lux vmbram, & veritas figuram, non igitur Ecclesiæ toto Orbe diffusæ communitati, sed certis personis, vt Prælatis, & Summo Pontifici Christus, eam contulisse dicendus est. Tùm quia non potest aliqua potestas dici collata alicui communitati, cuius maior pars non est capax, sed in Ecclesia entitatiuè considerata maior pars non est capax potestatis Ecclesiæ, vt satis patet in pueris, ac mulieribus, cæterisque vilissimis personis; malè ergo statuitur Ecclesia entitatiuè considerata pro immediato, principaliorique subiecto potestatis Ecclesiasticæ, quasi ab illa talis potestas, in Pontificem, Episcopos, ac Sacerdotes deriuetur. Tùm denique, quia præfata potestas illi iure Diuino, naturali, aut humano competeret, non duobus posterioribus iuribus, cùm enim potestas Ecclesiastica sit supernaturalis, hoc vtroque iure tradita dici non potest; neque etiam iure Diuino, cùm enim Christus Dominus sit illius iuris auctor, constat eum non Ecclesiæ communitatem, sed quædam supposita ad illam potestatem euexisse, vt Petrum, Ioann. vlt. [Pasce oues meas;] & Apostolos Ioann. 20. [Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur;] & ad Colossenses 2. [Ipse dedit Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, & Doctores, ad consumationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.] Vndè satis probata manet prima nostræ minoris pars, iàm probatur secunda, Ecclesiam videlicet, repræsentatiuè sumptam, siue Concilium generale seorsim à Summo Pontifice spectatum, non esse immediatum, principaliusque subiectum potestatis Ecclesiæ.

Quoniam, in tantùm plures ex aduersarijs asserunt supremam Concilij Oecumenici auctoritatem, in quantùm Ecclesiam vniuersalem toto Orbe diffusam repræsentat, itaut à tali repræsentatione suam desumat auctoritatem, sed ex statim dictis Ecclesia vniuersalis entitatiuè sumpta, totoque Orbe diffusa, prout distincta à Concilio nullam habet auctoritatem, ergo nec Concilium generale, eo præcisè titulo, quo illam referre, vel repræsentare dicitur, siquidem repræsentans qua tale, maiori non gaudet, quàm suum repræsentatum, auctoritate: Cùm igitur Episcopos in Concilio generali congregatos vniuersalem Ecclesiam repræsentare dupliciter concipi possit:

Primò, quoad vniuersitatem membrorum, integritatemque corporis, quatenùs cæteri Sacerdotes, Clerici, ac Laici vtriusque sexus, tamquam Ecclesiæ membra per suos Pastores in Concilio repræsentantur.

Secundò quoad auctoritatem, & potestatem clauium; admittendum est eos quidem primo modo spectatos repræsentare Ecclesiam, secùs autem, secundo modo, sic enim non tam repræsentant, quàm constituunt Ecclesiam, suntque reipsa Ecclesia vniuersalis secundùm auctoritatem, & potestatem clauium imperfecta sine Summo Pontifice, perfecta autem, numerisque omnibus absoluta cum illo, tamquam cum supremo suo capite, in quo reperitur totalitas, ac plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, quæ in cæteris Prælatis habetur limitatiuè, non solùm si considerentur diuisiuè, quod concedunt aduersarij, verùm etiam collectiuè in Concilio generali. Quemadmodùm enim tota gratiarum, quæ in alijs Sanctis inueniuntur dispersæ, collectio numquam peruenire potest ad perfectionem gratiæ, vtque dicatur plenitudo gratiæ, quam Deus infudit B. V. Mariæ, ità & omnium potestatum, quæ in singulis Episcopis partialiter diuisæ reperiuntur, collectionem, vbi conciliariter adunantur, ad plenitudinem illius, quam Christus Dominus Summo concessit Pontifici, tamquam suo immediato Vicario, supremoque Ecclesiæ Monarchæ, pertingere non posse, satis superque patet ex huc vsque dictis, quodque etiam Concilium generale Ecclesiam vniuersalem repræsentans, vel potiùs, vt diximus, constituens, non aliam habet à Christo immediatam potestatem, prout illi tribuit Concilium Constantiense, quàm ratione Prælatorum in vnum conuenientium, & ex suis partialibus potestatibus, quas à Christo acceperunt, vnam quamdam communem, & totalem, vbi conciliariter adunantur, componentium. Constans ergo, firmaque maneat vndequaque veritas nostræ primæ conclusionis, quod verus, & indubitatus Summus Pontifex simpliciter, & absolutè sit supra quodcumque Generale Concilium.

Secunda conclusio, supremæ, qua verus, & indubitatus Pontifex simpliciter Concilio præcellit, auctoritati nil præiudicat, quod iudicium supra se purè discretiuum illi committat, quodque ab illo fraternam quoque recipiat correctionem. Prima huius conclusionis pars, quæ est communis inter Theologos, Pontificiæ auctoritatis defensores, probatur ex differentia, quæ est inter iudicium perfectum, propriéque dictum, & inter illud, quod est impropriè tale. Cùm enim in iudicio, ac Iudice perfecto duo reperiantur, primum potestas discutiendi causam, & discernendi, ac iudicandi quid agendum sit; secun-

dum potestas cogendi eum, qui cedit causa, ad obediendum sententiæ contra se latæ; primum solùm reperitur in iudicio imperfecto, quale est discretiuum, quodque consequenter non tam ad Iudices, quàm ad arbitros pertinet, quorum sententiæ licèt teneantur homines stare ex iure naturæ, quia obligamur seruare promissa, non tamen ex vi sententiæ, quia non possunt arbitri cogere. Summus ergo Pontifex, etsi ob supremam, quam habet de iure Diuino, potestatem, in quo nequit dispensare, non possit Iudicem propriè dictum supra se constituere, vel subijcere seipsum sententiæ coactiuæ Conciliorum absque præiudicio dictæ potestatis, tale enim iudicium coactiuum in causa Pontificis est reseruatum Deo, vt superiori sectione capit. 16. ostendimus, seculo præsertim 13. secùs autem si sermo sit de iudicio tantùm discretiuo, quod est penes arbitros, quorum sententiæ si non obtemperaret, faceret quidem, quod non debet, non autem quod absolutè non potest: indèque plures Summi Pontifices, quorum exempla loco citato retulimus, cùm accusarentur, causas suas in Concilio Episcoporum discuti voluerunt, qui tamen eos iudicare, aut condemnare ausi non sunt, sed in Concilio quarto sub Symmacho, & in eius causa, omnes Episcopi subscribentes, affirmarunt, se totum iudicium Deo relinquere.

Ex eodem principio colligitur altera pars conclusionis, Summum videlicet Pontificem ità fraternè corrigi posse à Concilio legitimè ab eodem congregato, quatenùs natura, & eiusdem fidei professione frater noster est ad Deum comparatus, eaque ratione, qua fraterna correctio est actus charitatis, extendens se ad omnem proximum, siue superiorem, siue æqualem, siue inferiorem; vt tamen, si illi non acquiesceret, non propterea contra illum ad sententiam depositionis, aut aliam procedere posset, vt est princeps, & caput totius Ecclesiæ, supremam in illa habens potestatem, nulli alteri subiectam; vndè correctio fraterna solùm propriè dicta, siue quatenùs est purus charitatis actus comprehendit quidem Summum Pontificem, seruatisque adhuc seruandis, nimirum, vt cum mansuetudine, debitaque fiat reuerentia, non autem si largè sumatur, siue vt est actus iustitiæ punitiuæ, sic enim correctio ad solum superiorem pertinet, quo in terris cùm careat Summus Pontifex, nullius sententia puniri potest, ob alia citra hæresim, vel schisma, crimina, sed Diuinæ reseruandus est iustitiæ. Qua de causa Diuus Bernardus in epistola 213. ad Innocentium Papam rectè ait: [Quis mihi faciet iustitiam de vobis? Si haberem Iudicem, ad quem vos trahere possem; iàm nunc ostenderem vobis (vt parturiens loquor) quid meremini. Extat quidem tribunal Christi; sed absit, vt ad illud appellem vos.]

Nec idcircò, quod Ecclesia non possit deponere Pontificem incorrigibilem, quodque Christus Dominus talem ei non dederit auctoritatem, vt in decursu huius sectionis capite præsertim quarto, & præsenti satis ostendimus, propterea sequitur eam sine remedio esse, vt enim omittam, quod docent Auctores superiùs citati, licere videlicet resistere Pontifici Ecclesiam per suos malos mores destruere volenti, quia ad resistendum, & vim vi repellendam, non requiritur vlla auctoritas, de quo vide Ioannem Cardinalem de Turrecremata lib. 2. cap. 106. præ omnibus æstimandum est singulare orationis præsidium, enixèque tunc ad illud confugiendum, cùm enim non nitatur salus Ecclesiæ præcipuè humana industria, sed Diuina protectione, siquidem eius Rex Deus est, debemus illi supplicare, vt ipse remedium adhibeat; certumque est Deo fore curæ Ecclesiæ suæ indemnitatem, qui talem Pontificem vel conuertet, vel de medio tollet, antequàm illam destruat. Quod totum eleganti Diui Thomæ testimonio confirmare, simulque huic capiti coronidem placet imponere, ex lib. 4. Sententia distinct. 19. quæst. 2. quæstiunc. 2. ad 2. [Quamvis, inquit, Prælati sint corripiendi à subditis, non tamen est eis pœna infligenda, sed recurrendum ad superiorem denunciando, vel si non habet superiorem, ad Deum, qui eum emendet, vel de medio subtrahat.]

CAPVT XII.

Breuiter recensentur quænam sint, quænam verò non, authentica Concilia Generalia in Ecclesia Dei.

QVia Concilia Generalia ex dictis, in tantùm sunt authentica, infallibilemque in rebus fidei obtinent auctoritatem, in quantum Pontificia fuere confirmata, & approbata auctoritate, breuiter hìc, quæ talia sunt, quæ verò non enumerabimus, fusior enim horum notitia desumi debet ex his, qui historiam Conciliorum ex professo conscripserunt.

Concilia Generalia approbata.

COncilia Generalia approbata numerantur huc vsque inter Doctores, decem, & octo:

Primum est Nicænum 318. Episcoporum celebratum sub Syluestro Papa anno Domini 325. pro Diuinitate Christi aduersùs Arium illam negantem.

Secundum est Constantinopolitanum I. anno 150. Patrum celebratum sub Damaso Papa anno Domini 381. pro Diuinitate Spiritus sancti aduersùs Macedonium illam negantem.

Tertium est Ephesinum I. Episcoporum ducentorum celebratum sub Cœlestino I. anno Domini 341. contra Nestorij hæresim, ponentis in Christo duas personas, humanam, & diuinam.

Quartum est Chalcedonense 630. Episcoporum celebratum sub Leone I. anno Domini 451. aduersùm hæresim Eutychetis, vnam tantùm in Christo naturam asserentis post incarnationem.

Quintum est Constantinopolitanum II. Epi-

Epiſcoporum 165. celebratum ſub Vigilio anno Domini 553. aduersùs tunc inualeſcentem Origenis hæreſim, nec non ad ſedandos fluctus diſſenſionum, quibus Eccleſia tunc temporis occaſione Synodi Chalcedonenſis agitabatur.

Sextum eſt Conſtantinopolitanum III. Epiſcoporum 289. celebratum ſub Agathone Papa anno Domini 630. ad damnandam hæreſim Monothelitarum, vnam in Chriſto voluntatem ponentium.

Septimum eſt Nicænum II. Epiſcoporum 350. celebratum ſub Hadriano I. Papæ anno Domini 787. aduersùs Iconomachos hæreticos, hoc eſt, Sanctarum imaginum impugnatores.

Octauum eſt Conſtantinopolitanum IV. Epiſcoporum 383. celebratum ſub Hadriano II. anno Domini 896. propter tyrannicam depoſitionem Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani, cui Photius contra ſacros Canones ſubſtitutus fuerat; cuius ſuaſu, & opera Græci cœperunt manifeſtè contra Primatum Romani Pontificis, quem priùs ſemper agnouerant, ſentire, & docere. Cœperunt quoque Latinos odio capitali proſequi, & tamquam anathemate percuſſos deuitare, eo quod addiderint Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano verba illa (filioque) quare palàm Græci ſe ſe à Romanis, & Latinis diuiſerunt, indeque nulla amplius celebrata ſunt Concilia Generalia in Oriente, ſed in Occidente ſolùm.

Nonum eſt Lateranenſe I. mille ferè Patrum, hoc eſt, Epiſcoporum, & Abbatum, celebratum ſub Callixto II. anno Dom. 1122. contra Saracenos, pro recuperanda terra Sancta, ſed non extat.

Decimum eſt Lateranenſe II. circiter mille Epiſcoporum, & Abbatum celebratum ſub Innocentio II. anno Domini 1139. contra Antipapam Petrum Leonem, & pro iure Cleri.

Decimumprimum eſt Lateranenſe III. Epiſcoporum ferè trecentum celebratum ſub Alexandro III. anno Domini 1179. pro reformatione Eccleſiæ, & contra Waldenſes.

Decimumſecundum eſt Lateranenſe IV. Patrum 1285. ex quibus erant duo Patriarchæ Orientales, Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus; Archiepiſcopi tum Græci, tum Latini 70. Epiſcopi 400. Abbates 12. Priores conuentuales 800. celebratum fuit ſub Innocentio III. qui ipſi etiam præfuit, anno Domini 1215. contra varias hæreſes, tranſubſtantiationiſque vocabulum in Sacramento altaris in hoc Concilio approbatum eſt.

Decimumtertium eſt Lugdunenſe I. celebratum ſub Innocentio IV. anno Domini 1245. contra Fridericum II. Imperatorem qui ad Concilium vocatus, & venire recuſans tamquam hoſtis Eccleſiæ iudicatus, Regno Siciliæ, & Imperio Romanorum priuatus eſt. Actum etiam fuit de recuperanda terra Sancta, S. Ludouico Francorum Rege conſtituto Duce illius quintæ expeditionis ſacræ.

Decimumquartum eſt Lugdunenſe II. Patrum ferè mille, ex quibus erant Epiſcopi 500. Abbates 60. alij Prælati minores, celebratum ſub Gregorio X. anno Domini 1274. contra errores Græcorum, qui opera, & induſtria S. Bonauenturæ cum Latinis coniuncti ſunt, & conciliati ſuper articulo de proceſſione Spiritus ſancti. Quare definitum eſt Spiritum ſanctum ex omni æternitate à Patre, & Filio procedere, ſed non tamquam à duobus ſpiratoribus, ſed ab vno ſpiratore, & principio: neque duabus ſpirationibus, ſed vnica tantum ſpiratione. Græci enim putabant, Latinos aſſerere, Spiritum ſanctum procedere à Patre, & Filio tamquam à duobus ſpiratoribus, & principijs, duabus quoque ſpirationibus, non vna. Fuit hæc concordia Græcorum cum Latinis decimatertia, quamuis diu non perdurauit, ſicut nec præcedentes.

Decimumquintum eſt Viennenſe Epiſcoporum ferè 300. celebratum ſub Clemente V. anno Domini 1311. Templariorum ordo, qui annis 203. ſteterat in eo ſuppreſſus, & extinctus eſt. Damnati Beguardi, & Beguinæ, necnon reprobata doctrina, qua tradebatur animam rationis compotem, non eſſe corporis humani formam.

Decimumſextum eſt Florentinum Patrum 141. qui ſubſcripſerunt, & multorum aliarum qui ante ſubſcriptionem diſceſſerant, celebratum ſub Eugenio IV. anno Domini 1439. In eo Græci vltimò conuenerunt cum Latinis ſuper quinque fidei articulos, de proceſſione Spiritus ſancti ab vtroque, de Purgatorio in certo loco, & corporali igne: de Primatu Eccleſiæ Romanæ, & Pontificis ſuper omnem Eccleſiam, quod Latini meritò addidiſſent Symbolo (filioque procedit,) ac tandem, quod iuſtis de cauſis in azymo conſecrarent, quamuis Græci, ſuo modo, in fermentato. In hoc item Concilio Armeni ſe ſe ad Eccleſiam Romanam reduxerunt, & receperunt ab Eugenio IV. Decretum fidei, in quo breuiter continetur doctrina, quam habet Eccleſia Romana de ſeptem Sacramentis.

Decimumſeptimum eſt Lateranenſe V. Patrum 114. celebratum ſub Iulio II. & Leone X. anno Domini 1512. & ſequentibus, contra ſchiſmata, & pro alijs varijs negotijs, quorum præcipuum fuit Pragmaticæ ſanctionis abrogatio.

Decimumoctauum eſt Tridentinum, ſex Cardinalium, quatuor Legatorum, Patriarcharum trium, Archiepiſcoporum triginta duo, Epiſcoporum ducentum viginti octo, Abbatum quinque, Generalium ordinum miniſtrorum ſeptem, Epiſcoporum procuratorum multorum, celebratum ſub Paulo III. Iulio III. ac Pio IV. ab anno Domini 1545. quo inchoatum fuit, vſque ad annum 1563. quo finitum fuit contra hæreſes Lutheranorum, Caluiniſtarum, & aliorum.

Cùm autem Catholici præfata decem, & octo Concilia Generalia pro authenticis vnanimiter recipiant; Græci tantùm recipiunt prima ſeptem, Lutherani prima ſex; Eutychiani, qui adhuc inueniuntur in Aſia prima tria. Neſtoriani; qui etiam in Oriente reliqui ſunt, prima duo; Trinitarij, qui in Hungaria, & Polonia nunc verſantur, nullum admittunt.

Concilia Generalia reprobata.

PRimum est Concilium Antiochenum tempore Iulij I. & Constantij Imperatore circa annum Domini 345. in quo damnatus est S. Athanasius, & via patefacta ad euersionem Concilij Nicæni I.

Secundum est Mediolanense Episcoporum plusquam 300. tempore Liberij, & eiusdem Constantij Imperatoris Ariani, circa annum Domini 354. in quo etiam obliquè fides Catholica damnata est.

Tertium est Ariminense Episcoporũ 600. tempore Felicis II. & eiusdem Constantij anno Domini 373. in quo sublatum est de Symbolo nomen homousios.

Quartum est Ephesinum II. tempore Leonis I. & Theodosij Iunioris anno Domini 449. in quo factione Dioscori occisus est sanctus Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, & Legati Romani Pontificis fugati, ac demum hæresis Eutychiana confirmata.

V. Est Constantinopolitanum tempore Gregorij II. & Leonis Isauri Iconomachi anno Domini 730. contra Sacras Imagines renitente S. Germano, qui propterea à sua sede Constantinopolitana deiectus est.

VI. Est aliud Constantinopolitanum, falsò à nonnullis Ephesinum III. vocatum, Episcoporum 338. tempore Stephani II. & Constantini Copronymi anno Domini 755. in quo abolitæ sunt Christi, & Sanctorum imagines.

VII. Est Concilium Pisanum contra Iulium II. anno Domini 1511. reprobatum paulò post in Concilio Lateranensi V. sub eodem Iulio II. sess. 2. & 3.

Concilia Generalia partim approbata, partim reprobata.

I. EST Sardicense Episcoporum 376. tempore Iulij I. & Constantij anno Domini 351. in quo 300. Episcopi Occidentales fidem Catholicam confirmarunt, quam D. Hilarius exponit in lib. de Synodis, reliqui 76. Episcopi Orientales hæresi Arianæ adhæserunt.

II. Est Syrmiense tempore Liberij, & Constantij Imperatoris anno Domini 356. in quo Photini heresis damnata est, quam damnationem omnes Ecclesiæ probauerunt; sed duæ formulę fidei dissentientes æditę sunt, vnam vt Catholicam explicat Hilarius lib. de Synodis, alteram, vt hæreticam reprehendit.

III. Est Concilium Quinsextum, Bedæ erraticum, celebratum tempore Sergij Papæ, & Iustiniani Iunioris Imperatoris circa annum Domini 688. quintum à dissolutione VI. Synodi Generalis Constantinopolitanæ III. contra Monothelitas. Vocatur Quinisextum, Quia non est quintum; nec sextum, sed canones addidit V. & VI. Synodo, numero 102. Trullanos dictos à loco palatij, vbi celebratum fuit. Qui Canones dicuntur partim reprobati, quia non interfuit Summus Pontifex, nec per se, nec per Legatos dum fierent; ac ideò Sergius vt refert Beda in libro de sex ætatibus hoc Concilium, quod ipse vocat erraticum, reprobauit. Partim verò approbati, quia etsi Canones illi nullam ex se vim haberent tamen alibi postea probari sunt à Pontifice, aut alijs legitimis Concilijs, qualis est Canon 82. de pingendis imaginibus receptus ab Adriano Papa, & VII. Synodo, vt patet ex eius act. 2. & 4.

IV. Est Concilium Francofordiense sub Adriano I. anno Domini 794. ab eodem enim Adriano confirmatum fuit, quantum ad eam partem, in qua definitur Christum non esse filium Dei adoptiuum, reprobatum autem quantum ad alteram partem, in qua ex errore damnatur VII. Synodus pro cultu Sanctarum Imaginum.

V. Est Concilium Constantiense Patrum ferè mille; ex quibus Episcopi amplius trecentum, anno 1414. inchoatum sub Ioanne XXIII. & anno 1418. finitum sub Martino V. Istud enim Concilium in principio Generale dici non potuit, cui tantùm aderat tertia pars Ecclesiæ, id est, illi dumtaxat Prælati, qui obediebant Ioanni XXIII. qui etiam dubius Papa erat, repugnantibus alijs, qui obediebant Gregorio XII. & Benedicto VIII. ipseque Martinus V. in eo electus disertè asseruit se confirmare tantùm ea decreta de fide, quę facta erant conciliariter, id est more aliorum Conciliorum re diligenter examinata, vt accidit in damnatione hæresum Vviclefi, & Ioannis Hus: quale cum non fuerit decretum illud sess. 4. quod Concilium Generale habeat à Christo immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, etiam si quis Papalis dignitatis existat; si intelligatur absolutè, vel citra casus hæreseos, & schismatis, quando nescitur quis sit verus Papa, non solùm Martinus illud non approbauit, sed, vt superiori capite in principio ostendimus, illud cum eodem Concilio tunc Generali perfecto, suoque capiti vnito, reprobauit, sicut, & Eugenius IV. in Florentino, nec non Leo Decimus in Lateranensi. Et in hoc tantum sensu, Concilium Constantiense debet recenseri inter Concilia partim confirmata, partim reprobata; nam si præfatum eius decretum intelligatur vt debet in casibus hæreseos, & schismatis dumtaxat, à quibus non potest trahi consequentia generalis, absoluta ad cætera crimina, vt Concilium dicatur esse simpliciter supra Pontificem, inter Concilia approbata reponendum est.

VI. Est Concilium Basileense inchoatum anno 1431. & continuatum Basileæ, ac Demum Lausannæ 1449. Et si enim hoc Concilium legitimè primùm à Martino V. contra Bohemorum errores indictum fuerit, eoque mortuo Eugenius IV. illam indictionem, & legationem Iuliani Cardinalis Cæsarini speciali diplomate confirmarit; & ideò ratione talis conuocationis inter Concilia Generalia recenseri possit, dicique præcellere Constantiensi, quod à Ioanne XXIII. Pontifice dubio primùm congregatum est: Attamen quia posteriora prioribus minimè responderunt, Andreas Duuallius Doctor Sorbonicus non minùs pietate, quàm doctrina insignis in Antelóquio tractatus de suprema Summi Pontificis potestate, vbi ex professo discutit quale iudi-

iudicium de Concilio Basileensi,& responsione Synodali ferendum sit, tam in Ecclesia vniuersali, quàm in Gallia, pluribus ostendit primùm absolutè dici non posse Concilium Oecumenicum, deindè nullam eius decreta vim, aut robur habere, immò reprobata ex professo fuisse ab ipso Eugenio, quæ de absoluta Concilij authoritate supra Pontificem definierat vt patet ex sessione 38. Deindè à Leone X. in Concilio Lateranensi sess. 12. vbi Conciliabulum schismaticum, seditiosum, nullius prorsus auctoritatis appellatur; ac tandem ab Ecclesia tota, quæ, Eugenio à Basileensibus deposito, semper habito pro vero Pontifice, satis ostendit se numquam approbasse tale eorum factum, minùsq; doctrinam, quod Concilium tantæ sit supra Pontificem auctoritatis, vt possit eum citra casus hæreseos, & schismatis deponere, vt contendunt aduersarij, propterea que non immeritò præfatus doctor, nec non Cardinalis Bellarminus, & alij, hoc Basileense Concilium Ephesino II. assimilant, vtrumque enim fuit à legitimis indictum Pontificibus; in vtroque adfuerunt eorum legati in principio, ab vtroque recesserunt paulò post; in vtroque fuit Pontifex excommunicatus; sed in hoc, Basileense insania vicit Ephesinum, vt Eugenium IV. pium Pontificem deponere, & Amedeum Ducem Sabaudiæ sub infelici Fœlicis V. nomine in eius locum sufficere non erubuerint. Ex quibus, & alijs similibus liquidò constat, inquit Duualius Basileensem hanc congregationem non Concilium, sed exercitum, non consensionem, sed contentionem, non Ecclesiæ subsidium, sed exitium, nisi Deus solita prouidentia succurrisset, extitisse. Verùm de his satis, nec non de tota Sacrorum Ecclesiæ Conciliorum materia ad maiorem Dei gloriam,

FINIS.

REGESTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq
Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm
Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz

Aaaa Bbbb Cccc

Omnes ſunt Duerniones, præter Cc quod eſt Ternio.
Principium eſt Duernio.

ROMÆ, M.DC.XCVIII.
Ex Typographia Ioannis Franciſci Buagni.

Superiorum permiſſu.